MONASTICARVM
DISQVISITIONVM
LIBRI XII.

S. BENEDICTVS ILLVSTRATVS

SIVE

DISQVISITIONVM MONASTICARVM LIBRI XII.

quibus S.P. BENEDICTI Regula & Religiosorum Rituum Antiquitates varie dilucidantur.

Auctore

Domno BENEDICTO HAEFTENO Monasterij Affligemensis, Ordinis S. BENEDICTI, Præposito.

Præmittitur eiusdem ad Vitam S. P. B. COMMENTARIVS.

ANTVERPIÆ, APVD PETRVM BELLERVM ANNO M. DC. XLIIII.







Plerisque iusti aspectus, admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia est. Quam pulchrum ergo vt videaris & prosis! Nónne vel ipsi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere ijs, qui fideliter eum videre desiderant?

S. Ambros. in psalm. 118. *octon.* 10.

VINCE IN BONO

IACOBVS BOONEN ARCHIEPISCOPVS MECHLINIENSIS, BELGICÆ PRIMAS, ETC.

E speculo vultus bonitatis imago relucens,
Re quod agit monstrat lemmate. VINCE BONO.

Gaspar de Crayer pinxit — *Paul. Pontius sculpsit*



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO
D. IACOBO
BOONEN,
ARCHIEPISCOPO
MECHLINIENSI,
BELGICÆ PRIMATI, &c.
ABBATIÆ AFFLIGENIENSIS
PRAELATO DIGNISSIMO.


ANCTVM BENEDICTVM, Monaſtici Ordinis Patriarcham & Legiſlatorem eximium, conatibus noſtris vtcumque ILLVSTRATVM Illuſtriſsimo Nomini Tuo, Præſulum decus, conſe-
„cratum imus. Cui enim potiori iure? Paſcit ille, vt *Bernard. ſerm. de*
„Bernardus obſeruauit, vſque hodie duplici fructu *S. Bened.*
„Domini gregem. Paſcit Vitâ, paſcit Doctrinâ. Illam COMMENTARIO, hanc MONASTICARVM DISQVISITIONVM libris elucidamus: hoc eſt, electis eius ferculis Diſquiſitionum condimentum adijcimus, tractatuum imponimus lancibus, & in huius voluminis menſam omnibus ſumenda inferimus. Tuum hoc nomine ambiunt patrocinium, tuam

1. Reg. 9. deposcunt dexteram. Neque enim comesurus est " populus nisi veniat Samuël, qui cibo ex more bene- " dicat. Samuëlis vice hîc fungere, Sacerdos magne, & magnorũ princeps Sacerdotum. Benedic obsecro dapibus istis, vt & tuis salutares sint subditis. Plura enim Diœcesis tuæ Cœnobia hanc S. BENEDICTI sequuntur Regulam, & quæ alterius instituti, ab hâc lucem quoque & directionem nonnullam accipiũt. Sed & alia occurrit consideratio.

Magnum BENEDICTVM primus maximèque illustrauit Gregorius primus huius nominis Pontifex, maximi titulo omnino dignissimus, nisi Magni celebraretur. Fuit enim reuerà magnus eruditione, virtute, sanctitate, rerum vsu, gubernandi peritiâ, pastorali sollicitudine & vigilantiâ. Hic sui nostrique parentis Vitam in litteras misit: Regulam vi- " dit, legit, laudauit, & confirmauit in sancta Syno- " do, præcipiens, vt diligentissimè obseruarent, qui- " cumque ad conuersionis gratiam accessuri essent, " vsque in finem mundi. Quin & Regulæ decreta suis " Epistolis subinde intexuit, & abstrusioribus S. BENEDICTI vocabulis non rarò vsus est. Quidni igitur quam summus vrbis & orbis Episcopus scripsit Vitam, laudauit Regulam, illi meritò inscribam, qui in Belgico hoc nostro orbe Episcoporum primus est & Primas? Ex S. BENEDICTI familia Apostolica Sedes aliquot decades, reliquæ Ecclesiæ myriadas Antistitum accepêre. Dignus proinde S. BENEDICTVS, digna eiusdem Regula, quæ Illustrissimorum Præsulum auctoritate protegatur. Quod

Ex priuileg. Sublac.

quidem,

quidem, Hierarcha digniſsime, tantò facies eminentiùs, quantò ceteris antiſtas, & plura Vitæ S. BENEDICTI exempla in tuam cum laude & merito tranſtuliſti.

„ De illo ſcribit Gregorius, quòd cuncta decre- *Gregor. lib. 2. Dialog.*
„ uerat in terra tribuere, vt in cœlo omnia reſeruaret. *cap. 20.*
Vſque adeò quidem, vt parum quod in Monaſterio ſupererat olei, egenti iuſſerit dari; & cùm nummos non haberet, è cœlo petierit, quos miſero impertiret. Tu quoque, ſi quis alius, vir miſericordiæ ſuper egenum & pauperem optimè intelligens, facultates tuas largâ manu diſtribuis, vt miſerorum aſylum, pauperum Pater, & Iacobus Eleëmoſynarius paſsim audias.

Fuit in S. BENEDICTO mira ſermonis gratia, vt colloquium eius certatim expeteretur, ille verò perbenignè quoſlibet audiebat. At quàm faciles ad Te ſunt aditus? quantâ comitate ad communionem ſermonis omnes admittis? norunt ij, quibus lactea oris tui facundia ſaliuam mouet, & in beneficijs ponunt, quod Te videant, quod Te frequentent.

Appellatur S. BENEDICTVS à Zacharia Ponti- *Zach. in vita c. 2.*
„ fice, paſsionibus vacuus, vir per omnia mitiſsimus, *c. 8. & c. 11.*
„ Pater patientiſsimus. Quàm mira enim eius patientia! Veneno appetitus, vultu placido, & mente *Gregor. cap. 3.* tranquilla perſtitit. Se ſuóſque perſequenti Florentio cedere potiùs voluit, quàm iraſci. Quid, quod & eiuſdem interitum velut alter Dauid defleuit? Tu quoque ſupernæ benedictionis dulcedine præuen-

tus

tus eumdem ſequeris, & pænè dixerim, aſſequeris. In aduerſis ſiquidem conſtans, iniuriarum immemor, animi tranquillitatem perpetuâ illâ vultus ſerenitate intuentibus oſtendis. Nimirùm quod ſymbolo præfers, malos & mala in BONO VINCIS. Bonos innatâ bonitate, beneficentiâ & liberalitate deuincis: Omnibúſque, vt de Traiano ſuo Plinius, " quos bonos facis, hanc aſtruis laudem, ne coëgiſſe " videaris. "

Plin. in Panegyrico.

Præcipuum S. BENEDICTI votum & cura fuit, vt in omnibus omnes magiſtram ſequerentur Regulam, nec ab ea temerè declinaretur à quoquam. Et Tua hæc, accuratiſsime Præſul, laus eſt, quòd ardentiſsimo zelo deſideres, vt (quod Tridentinum præcipit Concilium) omnes Regulares, tam viri, " quàm mulieres ad Regulæ, quam profeſsi ſunt, præ- " ſcriptum, vitam inſtituant & componant. Huc tua " ſpectant vota, huc ſalutaria quæ magno fructu inſtillaſti monita & conſilia; huc Tua tendunt decreta, quæ pro ſtabilienda monaſtica diſciplina Cœnobijs pluribus ſapientiſsimè præſcripſiſti. Alij hæc ſuo æſtiment emolumento. Nos ſanè iucundiſsimâ memoriâ recolimus exantlatos à Te iam pridem pro exacta Regulæ Benedictinæ obſeruantia labores. Quos enim ad eam amplexandam non excitaſti? Quos vanâ formidine deterritos non animaſti? Quibus iam currentibus calcar non addidiſti? Dici vix queat, quo gaudio piorum auribus animiſpue exceptæ illæ tuæ voces: Non recedendum à S. BENEDICTI præſcripto, nec præſumendum in eius Ordine

Trident. ſeſſ. 25. c. 1.

dine quempiam plura intelligere poſſe aut ſtatuere, quàm eum, quem Deus tanti operis architectum elegerit, & omnium iuſtorum imbuerit ſpiritu.

Vir Dei BENEDICTVS, teſte Gregorio, plus „appetijt mala mundi perpeti quàm laudes: pro „Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauore extolli. Eadem mente videmus Te, qui optimus eſſe, quàm videri aut dici præeligis, ad laudes tuas erubeſcere, ægrè illas àudire, ægriùs admittere. Et hinc earum ſuccidendum nobis filum, dandúmque id modeſtiæ Tuæ, vt quod aures Tuæ pati poſsunt dicamus, non quod virtutibus debetur. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 1.

Sed an illud ſilentio inuoluam, quod ea, quam diuina bonitas D. T. Ill.^mæ deſpōſauit Mechlinienſis Eccleſia, à S. BENEDICTI patrimonio acceptâ dote in tuam curam fidémque feliciter venerit; vt hac ratione vnitum Tibi AFFLIGENIVM eſſet mitræ tuæ non ignobilis gemma, & in rationali pectoris tui lapis pretioſus. Quod quidem & erga S. Patrem peculiarem Tibi deuotionis affectum, erga fundatum ab eo Ordinem ſinceram dilectionem, erga nos filios tuos paternam indidiſſe ſolicitudinem, tot annorum experimento edocti, non immeritò credimus. Debetur proinde Tibi quidquid ab AFFLIGENIO, quidquid ab ingenio qualicumque noſtro proficiſcitur, vt hoc Opus Ill.^mæ C. T. dedicando, ſatori & rigatori noſtro vineæ ſuæ botros, horti ſui flores, agri ſui manipulos, & ius proculdubio ſuum libentes meritóque reddamus.

Accipe

Accipe igitur, benigno quo ſoles vultu, ILLVSTRATVM hoc Opere S. BENEDICTVM, ſed tui fulgoris radijs magis illuſtrandum; vt quem à ſcriptoris tenuitate non auſit ſperare, abs Tui nominis claritate mutuò velut accipiat ſplendorem.

Affligenio, IV. Idus Februarij, die S. Scholaſticæ S. P. BENEDICTI *Sorori ſacro.* M. DC. XLIV.

ILLVSTRISSIMÆ G. T.

æternum deuotus

F. BENEDICTVS HAEFTENVS.


PRÆFA-



HOROLOGIVM MONA

A Pascha vsque ad xiv. Septembris
A xiv Septembris ad Quadragesimā.
Tempore Quadragesimali

Horis competentibus omnia compleantur. S. Bened. Reg. Cap. 47.



Latitudines

Latitudines

Æstate
Hieme

Signat tempora propriis
Aptans Officiis Deus.
Nec quas ipse coercuit
Misceri patitur vices.
Boet. l. 1. metr. 6.

Inseratur Pagina 783.

STICVM VNIVERSALE.

Dor[illegible] meridiana	Nonæ officium	LABOR	Vesperæ	CÆNA	Completorium
A B	O R	Refectio	LECTIO	Vesperæ	Completorium
L A	B O R	Nona	Vesperæ	Refectio	Completorium

VII VIII IX X XI XII

Nonne duodecim sunt HORÆ diei? Ioan. 11

HORAS debet habere Monachus congruas ad singula OFFICIA deputatas. S. Isid. Reg. c. v.

Mercedes sextæ inæqualis nostræ duodecima dierum artificialium per horas æquales

Quantitas. Quantitas Horarum diurnarum inæqualium

A L I S L I N E A

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

HORIZON OCCIDENTALIS

Media Nox, sexta inæqualis nostra duodecima

IVNIVS IVLIVS MAIVS AVGVSTVS APRILIS SEPTEMBER MARTIVS OCTOBER FEBRVARIVS NOVEMBER IANVARIVS DECEMBER

Latitudines

Distinguenda sunt per momenta temporum Ecclesiasticæ institutionis Officia. Petr. Damiani Opusc. 34 c. 8.

XII I II III IV V VI

S	Somno assignamus	sex horas æquales	a Paschate usq.	ad xiv Septemb	ris.
S	Somno assignamus	septem horas æquales	a xiv. Sept	embris usque ad	Pascha



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



RETIVMNE fecerim operæ, BENIGNE LECTOR, conſcribendo hoc Opere, non iniuriâ forſitan addubites. Ea enim eſt magnorum in hoc genere Scriptorum copia, vt noſtram tenuitatem terrere, aut à tanto conatu cohibere debuiſſe videatur. Quæ me cogitatio, vt ingenuè fatear, à cœpto non ſemel reuocauit, atque hæc quæ vndequáque congeſſeram, perpetuis penè tenebris inuoluit. Quid igitur, inquies, hæc denuo componere, & publico exponere perſuaſit? Legeram ſcilicet ſcripſiſſe Auguſtinum: Vtile eſt plures libros à pluribus fieri, diuerſo ſtilo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus iiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat; ad alios ſic, ad alios autem ſic. *August. l. 1. de Trinit. cap. 3.* Ita S. Scripturæ libri nouis quotidie illuſtrantur Commentarijs. Eandem materiam Theologi Scholaſtici identidem repetunt, & vix alia ſcribũt, ſed aliter. Nullâ proinde præcedentium iniuriâ exiſtimabam & nobis circa Regulam S. BENEDICTI fas eſſe aliquid conari. Nam vt multum egerint, qui ante nos in hoc argumento ſunt verſati, nemo vnus tamen ſcripſit omnia: nec laborem hunc ita prorſus exhauſerunt, vt non reliquerint plurima poſteris peragenda. Nam & poſt vindemiam plerumq; ſupereſt racematio, & poſt meſſem ſpicilegium. Et quis nouit, an non magnus ille Booz noſter præceperit pueris ſuis: Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis: & de veſtris quoque manipulis proijcite de induſtriâ, & remanere permittite. *Ruth 2.15.* Hac fiduciâ fretus, exculum ab alijs adiui agrum, legi poſt terga metentium ſecurior, & collegi ſiue relictas, ſiue vltrò reiectas ſpicas. Excuſſi, inquam, tam typis excuſas quàm manu exaratas aliorum aliquot (quis enim omnium?) in Regulam noſtram expoſitiones. Patrum adieci ſententias, Pontificum decreta, Conciliorum canones, veterum Regularum Pachomij, Macarij, Baſilij, Auguſtini, Iſidori Hiſpalenſis, Fructuoſi, Cæſarij Arelatenſis aliorumque, ex quibus Notitia Regularum Primo libro conflata eſt, ſanctiones. Sanctorum exemplis hiſtoriarumq; monumentis confirmata & inculcata Monaſtica obſeruantiæ capita. Adhæc Religioſorum Ordinum, & eorum maximè qui ſub S. BENEDICTI militant ſignis, aduocaui & expendi Conſtitutiones. Nec profanos omninò contempſi auctores, non ignarus ſacram ſcientiam ancillas ſuas vocare ad arcem, ac gentilem puellam abſciſſis vnguibus & coma, in coniugium Iudæi poſſe venire. Sed & cuiuſcumque generis ſcriptores quà priſcos, quà neotericos pro re nata produco. Veneror enim, cùm Seneca, inuenta ſapientiæ, inuentoreſque: adire tamquam multorum hæreditatem iuuat. *Senec. epist. 64.* Hoc autem, inquiebat Theodoretus, non fur-

é tum

Theol. epiſt. ante Cant. Cant. Ruth 2.

tum appellari debet, ſed paterna hæreditas. *Atque hinc non adeò mirum videbitur, ſi non tres tantùm, ſed & plures ex hac collectione excuſſerim mòdios ſiue libros, vt fortaßis & mihi gratulabundus Lector dicat:* Sit benedictus qui miſertus eſt tui. *Miſericordiæ enim Dei deputo, quòd voluntatem excitauerit ad quærendum, & inueniendi præſtiterit facultatem.*

Iam & illa mihi non indigna ſcribendi viſa occaſio, quòd S. BENEDICTI *habitu donatus & nomine, hoc pacto optimum Parentem filius, Magiſtrum diſcipulus, Ducem miles, Paſtorem ouis, Prælatum ſubditus, Patronum cliens, non adorarem tantùm, ſed & adornarem. Magno Gregorio Magdeburgici illi Centuriatores vitio vertunt*, quod in BENEDICTO ornando

Cent. 6. cap. 16.

totus verſetur. *Ego verò vel maximè æſtimauerim meas eſſe has iniurias: & in Domino gloriabor, de* BENEDICTO *Domini benè aliquid dicere potuiſſe: omnino confidens quòd de ſe ſcribenti benedictionem daret Legiſlator.*

Quid, quod & filijs eius, Fratribus meis, Ordinis noſtri Regulam profeßis, labore noſtro conſulere ſtuduerim, & ad regularis diſciplinæ obſeruantiam, Regulæ intellectum, pietatis incrementum auxilij quidpiam ſuggerere?

Sed & alijs cuiuſcumque Ordinis Religioſis conatum hunc profuturum ſperabam, cùm ea ſit Monaſticorum inſtitutorum affinitas, vt quæ in vno ſeruantur Ordine, ea alijs plerumque ſint communia vt S. BENEDICTVS *Caßianum, Baſilium & Ægyptios potißimùm æmulatus eſt Patres; ita qui eum in Occidente ſecuti ſunt Ordinum Conditores, in eius Regulam tamquam exactißimum cœnobiticæ vitæ prototypon oculos certatim coniecerunt. Huius proinde Regulæ expoſitio, & alijs pleriſq; lucem adfert. Quamquam vt abſoluta magis eſſet tractatio, ita regularis vitæ in ſingulis locis exercitia proſecuti ſumus, vt ſeorſim ab expoſitione noſtræ Regulæ non inutiliter legi poßint.*

Hic voluminis huius ſcopus ac finis. De ſtructura hac accipe. Vitæ à Magno Gregorio ſcriptæ Prolegomenis noſtris præludimus, eamq; deinceps iuſto explicamus COMMENTARIO. *Vſitato ſatis mirè, ac paſsim cognito. Regulæ verò materiam, ne vnius rei, & ſubinde etiam vocabuli prolixior euaderet explicatio, in Libros, Tractatus, & Diſquiſitiones partiti ſumus: atque ita ſingula paulò vberiùs perſequi, & alia, quæ eiuſdem erāt argumenti, ſed Regulæ noſtræ textu non comprehenſa, opportunè licuit diſcutere. Quæ autem pertractamus Capita,* DISQVISITIONVM *inſignimus titulo: non quod in vtramq; ſemper diſputetur partem, aut graue aliquod enodetur dubium (frequenter enim, & toto fermè libro primo, id minimè fit) ſed quòd quæſiti in modum res proponatur, & de ea diligenter inquiratur. Habent enim quandam energiam, & Lectoris animum ad attentionem reuocant quæ interrogandi forma proponuntur. Et ex hoc Capite credi poßit S. Baſilium, ſuas tam fuſiùs, quàm conciſiùs diſputatas Regulas, per interrogationes & reſponſiones concinnaſſe. Accedit quòd crebrioribus iſtis diſquiſitionum interpoſitis titulis, feſſus Lectoris reficiatur animus, haud ſecus quàm*

in longo

in longo itinere, viator obuio hospitio. Apud Iureconsultos, vt Budæus annotauit, DISQVISITIONEM vocabant antiqui iudicium per opiniones (vt nunc loquimur) cum opinionem vel sententiam omnes rogantur. *Qua notione si vocem hanc vsurpare placuerit, censebimur modestiæ litare voluisse; & non tam nostram, quàm Auctorum, quos allegauimus, protulisse sententiam. Atque ita sese res habet. Nihil propemodum sine idoneo adsiduo teste. Et suis quemq; loqui permitto verbis: vt mihi absit asserendi temeritas, Lectori adsit assentiendi securitas. Amœnitas, ob rerum, quæ tractantur varietatem, nisi fallor, neutiquam deerit. Rectè siquidem Cassiodorus:* Nemo dubitat, homines sua varietate recreari: quia in continuatione rerum magnum mentibus constat esse fastidium.

Bud. in l. de poster. de orig.

Cassiod. var. l. 7 ep. 36.

Vnum tamen est, quod eruditum Lectorẽ non immeritò offendere queat, styli inæqualitas & elegantioris latinitatis neglectus. Fatendum enim est humili nos vsos, & planè obuio dicendi charactere; dum hoc, quidquid est Operis non scribendo, sed dictando lucubratum sit. Variæ deinde occupationes, & valetudo sæpiùs interpolata vix permiserunt hæc vt magis expolirem. Quare si nunc humi repat, nunc nonnihil assurgat Oratio, hic vberior, ibi restrictior sit; memento non æqualiter nos omni tempore affectos, nec semper optatum adfuisse ingenij vigorem.

Te quoque, mi Lector, pede nunc, nunc ire caballo,
Nunc iuuat ire rotâ, nunc iuuat ire rate.

Sicubi porrò lapsus sum, aut inconsideratius aliquid mihi elapsum, corrigat æquus Lector, non in ira indignationis, sed in spiritu lenitatis. Ego enim multò verius, quàm scriptorum ille maximus, fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Vnde si aliquid vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod non solùm ab alijs qui videre id possunt meritò reprehendatur, verumetiam à meipso, quia & ego saltem posteà videre debeo si proficio; nec mirandum est, nec dolendum, sed potiùs ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam NIMIS PERVERSE' SEIPSVM AMAT, QVI ALIOS VVLT ERRARE, VT ERROR SVVS LATEAT. *Proinde si quid vspiam in his libris dixerim benè, diuinæ imputandum gratiæ; si quid malè, meæ, cui obnoxius sum, ignorantiæ & imperitiæ: tu, candide Lector, huic benignus ignosce, illam mecum non ingratus agnosce. Quidquid verò hîc aut alibi vnquam scripsi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio humiliter libensq; submitto.*

August. epistol. 7. ad Marcell.

Denique cum Theodoreto, eos, qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi rogatos volumus, vt nobis pro laboribus nostris orationes ac preces impertiant suas. Quòd si minùs accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni consulant, & quæ desunt, ipsi doceant.

Theodoret. Præfat. in Cantic.

FACVLTAS
SVPERIORIS.



IAGOBVS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, & hoc nomine Prælatus Monaſterij Affligenienſis, Ordinis S. BENEDICTI, Opus inſcriptum S. BENEDICTVS ILLVSTRATVS, ſiue DISQVISITIONVM MONASTICARVM LIBRI XII. & COMMENTARIVS ad S. P. BENEDICTI VITAM, Auctore venerando nobis dilecto Domno BENEDICTO HAEFTENO, eiuſdem Monaſterij Præpoſito, à Cenſore legitimè approbatum typis mandari & publicæ luci exponi permitto. In cuius rei fidem hiſce ſubſcripſi trigeſimâ Auguſti, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio.

IACOBVS *Archiepiſcopus Mechlinienſis.*

CEN-

CENSVRA.



VOD reginam Auſtri auditâ Salomonis ſapientiâ, viſaque domo quam ædificauerat, nec non cibis menſæ eius, & habitaculis ſeruorum, ordinibus miniſtrantium, veſtibus eorum, pincernis quoque & holocauſtis quæ *3. Reg. 10.* Deo offerebantur, præ ſtupore vix ſpiritum traxiſſe, ſacra tradit hiſtoria, id S. BENEDICTI Vitam Regulamque ſapientiſſimam hoc Opere illuſtratam attentiùs legenti euenturum non dubito. Salomoni iam olim eum contulit, imò prætulit Carthuſiani Ordinis Parens: *Ego dico*, inquit, *& veraciter dico, non de ipſo* (Chriſto) *S. Bruno ſerm. 2. de Confeſſ.* *ſed de ſeruo eius beatiſſimo* BENEDICTO: *Ecce plus quàm Salomon hic.* Vitâ eius S. Gregorij Magni calamo deſcripta, cùm lucem à COMMENTARIO Reuerendi ac Eruditiſſimi Domini BENEDICTI HAEFTENI Præpoſiti Affligenienſis accepit, quid niſi clariores ſpargit radios, qui tuentium oculos perſtringunt, & ſtupore animum complent? Iam ipſa Regula nónne ordinatiſſimæ familiæ ideam, ſimulque omnis virtutis refert ſimulacrum? Sed non omnium eò penetrat acies, vt peruidere ſtatim, & capere hæc queant. Cortex durus aliquid celat; frangendus eſt, & libatio fiet gratiſſima. At quis franget? Sanè non pauci doctrinâ, pietate & ſanctitate inſignes iam ab octingentis annis & poſterioribus ſæculis in eo deſudarunt, verùm pijſſimus æquè ac doctiſſimus HAEFTENVS (abſit dicto inuidia) non modò omnium ſtudia in hoc ſtadio adæquaſſe, ſed & ſuperaſſe dici poſſit. Vide mihi pulcherrimam totius Operis ſymmetriam, & idem cenſebis. Monaſticæ reipublicæ ędificium erigere illi ſcopus fuit, quod in duodena habitacula, Salomonicæ magnitudinis æmula, ita concinnè diſtinguit, vt dubites an materiæ opus, an arti præſtet ſubſtructio. Regulæ tamquam baſi tota moles innititur, ex qua DISQVISITIONVM MONASTICARVM Libros XII. ingenioſè omnino exſculpſit. In quibus quidquid ſcribit aut dicit, tanto ſententiarum ex ſanctis Patribus pondere firmat, tanto pietatis imbuit ſucco, tam varijs Monaſticorum Rituum antiquitatibus exornat, nihil vt in hoc genere præſtantius legerim. *Intelligitur* iam (liceat *Vincent. Lerin. Commonit. 1. cap. 27.* ex diſertiſſimo Lerinenſi Monacho hæc mutuari) illo *exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per ipſum poſteritas intellectum gratulabitur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur.* Philologiam fortè deſideras? in hac detritus eſt. Politioris litteraturæ flores expetis? & hos non auarâ manu ſpargit. Monachos eorumque inſtituta vellicant Sectarij? os ſolerter illis occludit, & ſi quando impudentiùs perſtrepant, leui ioco depalmat. Sed ego pluribus ſuperſedeo. Tu, Lector erudite & religioſe, meo periculo veni, & vide. Minora æſtimabis quæ dixi, maiora comperies quæ tacui; vt vel omnia reginæ Sabæ ſtuporem æquare cognoſcas, nec quidquam ſupra meritum dici. Tutò itaque Opus hoc diuina ſapientia plenum, nihilque fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium continens, prodeat in lucem. Ita cenſeo & ſentio hac 14. Auguſti, 1643.

HENRICVS CALENVS *S. Theol. Licent. Archidiaconus Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis, Illuſtriſſimi ac R.mi Domini Archiepiſcopi Vicarius Generalis, Librorum Cenſor.*

EPISTOLA ADMODVM R. P. SIMONIS ALDENARDENSIS *Ord. Capucinorum quondam Prouincialis qui currente prælo Opus relegit, ad Auctorem tranſmiſſa.*

REVERENDO ADMODVM PATRI
ET RELIGIOSISSIMO DOMNO,

D. BENEDICTO HAEFTENO,

MONASTERII AFFLIGENIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI
PRÆPOSITO DIGNISSIMO.

REVERENDE ADM. PATER ET RELIOGISSIME DOMNE. Deo gratias. Prodeunt tandem aliquando & communem lucem conspiciunt, tam diu à multis desideratæ & expetitæ, sed à Te diutiùs absconditæ, DISQVISITIONES MONASTICÆ. Has Monachi S.mi P. BENEDICTI filij, non solùm Belgæ sed etiam Galli exoptarunt, imò expostularunt, nec-non vt obtinerent prælo dare suo ære liberaliter obtulerunt. Vir suis scriptis toti Orbi clarissimus P. M. R. Adm. D. Aubertus Miræus eas videre dum viueret vnicè in votis habuit: sæpè sæpius amicè exstimulauit me, vt suis verbis à R.da Adm. P. T. clauam hanc tanquam ex manu Herculis extorquerem. Et ego quoties Te quàm enixè possem rogaui & obtestatus sim, vt non diutiùs Eruditorum ac Religiosorum hominum votis reluctareris, nec Monasticis Viris tantam vtilitatem subtraheres, nec Regulis vel constitutionibus quorumlibet Ascetarum tam eximiam lucem, tam ingentem splendorem & singulare ornamentum desiderari patereris? Interim Tu (vt ait Iob, cap. 36. v. 32.) *in manibus abscondisti lucem*.

Quare non iniuriâ Tibi dixero, quod Ecclesiæ Sol S. Augustinus Sixto Presbytero, epist. 104. *Nec teipsum satis nosse arbitror, sed nobis crede, quantum boni feceris talia nobis scripta mittendo*. Nescio prorsus quid hactenus subuereri potuerit modestia tua; *Disquisitiones* enim tuæ non possunt Lectorem suum facere indeuotum, quarum spes diu dilata fecit esse deuotum: nam vt ait S. Zeno Veronensis Episcopus serm. 1. de Abraham: *Ecce prima deuotio, libenter excipere quod serò datur*. Dedisti tandem (laus Deo) & reliquisti familiæ Benedictinæ vniuersæ, imò Religiosorum omnium posteritati Thesaurum, non dico aureum tantùm, sed verè æthereum.

Biblioth. VV. PP. to 3.

Quis dubitet ipsum Sanctissimum P. BENEDICTVM prospectare ex alto cœli vertice, nouæque velut lucis accessione exhilaratum Tibi ceu sospitatori suo, grates habere, cuius *Commentario* illustratus nouam in terris vitam agit, & in Opusculis suis abstersâ mendorum fuligine, nec non puluereâ vetustate, prima in subsellia, locumque dignitatis reuehitur; quare iure meritò Tibi suggerent eius filij, quod olim nobilissima Virgo & Martyr Leocadia S. Ildephonso Archiepiscopo Toletano (cùm pro Virginis Deiparæ Intemeratâ Virginitate præclarissimè scripsisset) apparens dixit: *Per te viuit Domina mea*. Sic illi Tibi: *Per te* BENEDICTE, *viuit Sanctiss. Pater noster* BENEDICTVS. Nec Patri tantùm, sed & filijs ipsis & Religiosis omnibus nouam infundis vitam dum tuis elaboratissimis *Disquisitionibus* velut mater educis & melleâ lacteâque doctrinâ in studio Regularis vitæ, quod decurrunt, nutris, confortas, refocillas.

Baron. Annal tom 8. Ann 657. num. 10.

Nihil scribis quod non sit præclarum & vtile, maximè Deo sacratis hominibus, & Euange-

Euangelicæ perfectionis candidatis, ad mundi contemptum, ad morum simplicitatem, ad excitandam piam deuotionem, ad alendam obseruantiam, ad augendam & confirmandam exactam & veterem Regularem disciplinam & virtutum omnium solidam exercitationem: neque tantùm virtutum præconia texis, sed & contra vitia pugnas fortiter, vincis feliciter, & Ascetis saluberrima præbes amuleta.

Quis neget Tibi datum quod ante quingentos triginta circiter annos R. D. Fulgentius primus Monasterij Affligenij Abbas Doctiss. & Religiosiss. filio suo Domno Franconi (pòst eius in Abbatiali dignitate successori) in epistolâ quâ rogat & pet obedientiam iubet, vt scribat de Gratiâ Dei, apprecabatur, dicens: *Spiritus Sanctus qui completis diebus Pentecostes repleuit corda discipulorum, simili virtute & ardoris dulcedine, repleat animam tuam & cor tuum ad eructandum verbum, acceptum Deo & cælesti remuneratione dignum, fratribusque & omnibus matris Ecclesiæ filijs gratum.* Ab hoc enim Spiritus sancti fonte perenni R.[de] Adm. Pater hausisti, vt vniuersos Ascetarum agros diuinæ sapientiæ vndâ fecundares & lætificares, & si quid venerabile vnquam apud Monachos prisci sæculi, depromeres & in lucem reuocares

BB. VV. PP. tom. 12 parte 1.

Obsecro, sine me aptare Tibi quæ S. Vincentius Lerinensis in doctore desiderat & laudat, dum exclamat: *O Sacerdos! ô Tractator! ô Doctor! Diuinum munus idoneum Te fecit ingenio, exercitatione, doctrinâ, vt esses spiritualis Tabernaculi Beseleel, & pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculperes, fideliter coaptares, adornares sapienter, adijceres splendorem, gratiam, venustatem: vt intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur: per te posteritas intellectum gratulatur quod ante vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doces, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.* Huc vsque Vincentius de Doctore, & ego verissimè de Te & tuis eruditissimis *Disquisitionibus*. O commentator! ô disquisitor! Sic excurris in plana & amœniora vt sentes non diffugias: quid tam implicitum, quod non expedias? quæ tangis sic tangis vt à contactu vtilia monita, veluti à silice scintillæ nascantur: Infinita ferè sunt quæ disquiris, sed iucunda singula ad gratiam. Nihil paruum, nihil grande, nihil pium in te Monastica retro actis sæculis excogitatum, quod ad *Disquisitiones* tuas instruendas, armandas, ornandas, non adduces; vnde vix vllum scriptorum genus prætermisisse videris. Et quod encomio dignissimum censeo neminem perstringis, neminem mordes. Verùm omnium Religionum Authores tanquam Magistros suspicis & colis, vt sanè cum Mellifluo S. Bernardo, non linguâ tantùm sed opere & veritate proclames: *Vnum Benedicti Ordinem opere teneo, ceteros charitate.* Testes volo viros Religiosos omnes quotquot Te nouerunt, & ad sacratissimum Monasterium Affligeniense aliquando diuerterunt; hi mente reuoluunt, linguâ prædicant, quâ modestiâ à Te excepti, quâ charitate refecti, quâ pietate recreati, quâ suauitate dimissi. O Felix Monasterium quod Te Præpositum habet! ô beatos vitæ Monasticæ exercitatores qui Te ducem sequuntur! vbi vitæ tuæ exemplum, doctrina, consilium.

Lib. aduersus prof. hæret. nouit. cap. 27. BB. VV. PP. tom. 5. parte 2.

Exodi 31. v. 2.

In Apolog. ad Abb. Guiliel.

Animusque vicissim
Aut curam impendit Monachis, aut otia musis.

Cesso R.[de] Adm. D. Præposite & pennam contraho, ne altiùs in cœlum virtutum tuarum euolet, & ne modestia singularis quæ te exornat, & reliquarum gratiarum color & decor est, animi mei licet simplicem criminetur affectum. Quare paucis nunc cum bonâ tuâ veniâ ad *Lectorem* deflecto, & cum Petro Cellensis Monasterij Abbate (lib. de panibus) moneo. *Comede, quicumque librum legis, panes appositos, & non corrodas sudores apponentis valdè laboriosos; potiùs pro obsequio gratia debetur quàm inuidia. Si præ inopiâ librorum vel lectionum indiges quotidiano pane, sume: & pro indultis sine pretio gratias age. Si verò abundas; non habentibus pauperibus congratulare: alioquin superbis de tuâ paupertate, vel inuides de [Disquisitoris nostri] miseratione: in alio tibi ne-*

In Epistol. præliminari ad Io. Salisber. BB. VV. PP. tom. 12. p. 2.

quam;

quam; in alio proximo: in alio, miserabilis; in alio, condemnabilis. Repeto. Comede, lege, bona fide afsero: Ad hanc doctrinam si attentus fueris, anxietates à te depellet, cordi tuo inferet incredibilem voluptatem, sublatâ malitiâ radices virtutum affiget animæ: Opus est omni acceptione dignissimum, & quod Eruditorum & maximè Religiosorum omnium mereatur applausum: opus, dico, felici & acuto partum ingenio, summâ elaboratum industriâ, maturo iudicio & gratissimo ordine concinnatum, nec non cœlestibus sententijs & exemplis refertum. Vis verissimi Encomij mei Coronidem? Accipe. Opus est eruditum, pium, sublime, pulchrum, varium, elegans, iucundum, purum, in omnibus celebre, in singulis singulare, & vbique sua laude diffusum. Vnicum, *Religiose Lector*, prolixioribus votis quàm verbis opto, quod eleganter & seriò commendauit magnus felix Ennodius in vita sui prædecessoris S. Epiphanij Ticinensis Episcopi: *Pingebat*, inquit, *vir sanctus actibus suis paginas quas legebat.* Tu quoque si sapis.

BB.VV.PP. tom.12 p.2.

Ad te redeo vt finiam R.[de] Adm. D. Præposite, & plures Tibi è familia Benedictina pro innumerabilium noctium lucubrationibus promitto præcones; ast omnium laudes tui superabūt labores. Quare cum iam citato Ennodio in Panegyrico ad Ostrogothorum Regem Theodoricum concludo: *Refundat tibi* [*Religiosorum*] *generalitas, rebus obligata sermonem, dum inæqualis vicissitudo compensat laudibus, quod adepta est de sudore.* An aliam prætereà à me exposcis debitæ gratitudinis solutionem? nosti. Argentum & aurum non est mihi, (nec Tu expectas.) Quod autem habeo, hoc Tibi do. Deum Opt. Max. Omnium bonorum datorem & retributorem ex animo precor, vt pro incomparabili Thesauto quem nobis effodisti, Tibi gratiarum suarum thesauros aperiat. Viue, vale vt scribas, & quæ aliquando insinuaui, superaddas; *Tanto enim tempore,* (vt ait Abbas Cluniacensis Petrus Venerab.) *etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto, vt ita dicam, durare potuerit vita librorum tuorum.* Iterum vale, & me precibus tuis ac sacrificijs commendatum habe. Antuerpiæ è nostra Cellula, Febr. 17. 1644.

Ibidem to. 12 part.2.

Lib.1. epist. 20. ad fratrem Gislebertum. BB.VV.PP. tom.22.p.2.

R.[DA] ADM. P. T.

HVMILLIMVS ET DEVOTISSIMVS
SERVVS IN CHRISTO

F. SIMON ALDENARDENSIS *Ord. Fratrum Minorum Capucinorum Exprouincialis.*

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Dei gratiâ Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Potentissimus Belgarum Princeps, Diplomate suo Regio sanxit, ne quis librum, cui titulus: S. BENEDICTVS *illustratus, siue Disquisitionum Monasticarum Libri XII. & Commentarius ad S. Benedicti Vitam auctore Venerando Domno* BENEDICTO HAEFTENO, *Affligeniensis Monastery Ordinis S. Benedicti Præposito*, intra nouennium præter PETRI BELLERI Typographi Antuerpiensis voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve exponat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ. 18. Ianuarij anno 1642.

Signat

STEENHVYSEN.

SANCTI

SANCTI

GREGORII

MAGNI

PAPÆ PRIMI

DE VITA SANCTI PATRIS

BENEDICTI,

MONACHORVM IN OCCIDENTE

PATRIARCHÆ,

DIALOGORVM LIBER

SECVNDVS,

COMMENTARIO ILLVSTRATVS

A

DOMNO BENEDICTO HAEFTENO,

VLTRAIECTINO,

MONASTERII AFFLIGENIENSIS

PRÆPOSITO.

INDEX
PROLEGOMENON
ET CAPITVM.



N. *Vitam sanctissimi Patris* BENEDICTI PROLEGOMENA XIX.
PRÆFATIO. pag. 1.
PROLEGOMENON I. *Quinam de sancto* BENEDICTO *scripserint?* 5
PROLEGOM. II. *Quis vita S.* BENEDICTI, *quam hîc exhibemus, Auctor?* 7
PROLEGOM. III. *Quâ occasione de S.* BENEDICTI, *aliorumq́, Sanctorum Italicorum Patrum vitâ* Gregorius *scripserit?* 8
PROLEGOM. IV. *Cur Dialogi formam* S. Gregorius *admauerit?* 9
PROLEGOM. V. *De Petro Diacono Dialogorum interlocutore, & eorumdem dedicatione.* 10
PROLEGOM. VI. *Quâ curâ & fide hac S.* BENEDICTI *vita descripta?* 12
PROLEGOM. VII. *Quanti æstimatum fuerit vitam S.* BENEDICTI *à Magno* Gregorio *descriptam?* 13
PROLEGOM. VIII. *Qui vita S.* BENEDICTI *à* Gregorio *scripta Interpretes?* 15
PROLEGOM. IX. *Qua vita S.* BENEDICTI *vtilitas?* 16
PROLEGOM. X. *Vita S.* BENEDICTI *moralis, & præsertim Monasticâ doctrinâ illustrata.* 17
PROLEGOM. XI. *Fidei dogmata vitâ Sancti* BENEDICTI *confirmari.* 18
PROLEGOM. XII. *Qua* S. BENEDICTI *patria?* 19
PROLEGOM. XIII. *Quo tempore natus sit* S. BENEDICTVS? 22
PROLEGOM. XIV. *De* S. BENEDICTI *Progenitoribus.* 23
PROLEGOM. XV. *De familiæ S.* BENEDICTI *insignibus, siue armis gentilitijs.* 26
PROLEGOM. XVI. *De suaui Sancti* BENEDICTI *nomine.* 27
PROLEGOM. XVII. *Varia S.* BENEDICTO *ab illustribus scriptoribus attributa Epitheta.* 30
PROLEGOM. XVIII. *Disquisitio de Sacerdotio Sancti Patris* BENEDICTI. 33
§. I. *Auctores qui S.* BENEDICTO *sacerdotium tribuunt.* 33
§. II. *Quinam Sancto* BENEDICTO *Sacerdotium negent.* 34
§. III. *Licuisse Monachis ætate S.* BENEDICTI *Sacerdotio fungi.* 36
§. IV. *Quâ ratione Monachi olim communicauerint?* 37
§. V. *Quænam esse potuerint rationes, ob quas Sacerdotio S.* BENEDICTVS *abstinuerit?* 38
§. VI. *Libros quos S.* BENEDICTVS *legit, stimulum ei & argumenta recusandi Sacerdotij verosimiliter suggessisse.* 39
§. VII. *Æuo S.* BENEDICTI *Abbates non fuisse necessariò Sacerdotes.* 41
§. VIII. *Nec sanctum Maurum fuisse Presbyterum.* 43
§. IX. *Ex Abbatiali dignitate non colligi S.* BENEDICTI *Sacerdotium.* 44
§. X. *A potestate absoluendi non satis colligi Presbyteratum S.* BENEDICTI. 46
§. XI. *Ex benedictionibus, quas Abbates solent impendere non conuincitur S.* BENEDICTVM *fuisse Sacerdotem.* 47
§. XII. *Ex loco Sacerdoti nouitio assignato, non colligi Sanctum* BENEDICTVM *fuisse Sacerdotem.* 49
§. XIII. *Expenditur argumentum à S.* BENEDICTI *prædicatione desumptum.* 51
§. XIV. *Ex sacrosancta Eucharistiæ contactu non satis probari Sancti* BENEDICTI *presbyteratum.* 52
§. XV. *Absolutio ab excommunicatione qua à S.* BENEDICTO *dicitur facta, & consequent inde argumentum expenditur.* 53
§. XVI. *Expediuntur alia nonnulla obiectiuncula.* 54
§. XVII. *Totius Disquisitionis conclusio.* 55
PROLEGOM. XIX. *Chronotaxis vitæ S.* BENEDICTI. 55
Sancti Gregorij *Magni Papæ primi* Dialogorum Liber secundus *De Vitâ & miraculis S.* BENEDICTI.
PRÆFATIO. 59
CAPVT I. *De capisterij fracti reparatione.* 62
CAPVT II. *De tentatione carnis superatâ.* 76
CAPVT III. *De vitro fracto per signum Crucis.* 79
CAPVT IV. *De castigatione Monachi vagi.* 88
CAPVT V. *De fonte in vertice montis viri Dei oratione producto.* 91
CAPVT VI. *De reiunctione ferri cum manubrio.* 91
CAPVT VII. *De ambulatione Mauri super aquam.* 93
CAPVT VIII. *De infecto per venenum pane, per coruum longiùs proiecto.* 97
CAPVT IX. *De ingenti saxo per Dei orationem leuato.* 107
CAPVT X. *De phantastico coquinæ incendio.* 108
CAPVT XI. *De puero confracto à pariete sanato.* 109
CAPVT XII. *De Monachis qui extra cellam comederant.* 110
CAPVT XIII. *De fratre Valentiniani Monachi, quem vir Dei in via comedisse carpsit.* 111
ADDITIO *De transmissione sancti Placidi in Siciliam.* 112
CAPVT XIV. *De simulatione Totilæ deprehensâ.* 114
CAPVT XV. *De prophetiâ regi Totilæ, & Canusinæ Ecclesiæ Antistiti factâ.* 117
CAPVT XVI. *De clerico à dæmone liberato vsque ad tempus.* 118
ADDITIO *De Epistolâ S.* BENEDICTI *ad sanctum Remigium Rhemensem Episcopum.* 121
CAPVT XVII. *De destructione Monasterij Viri Dei ab ipso prædicta.* 124
CAPVT XVIII. *De absconsione flasconis à Beato* BENEDICTO *cognitâ.* 128
CAPVT XIX. *De mappularum receptione à viro Dei cognitâ.* 130
CAPVT XX. *De cogitatione Monachi superbâ à Dei viro cognitâ.* 133
CAAVT XXI. *De ducentis modijs farinæ ante viri Dei cellam inuentis.* 135

CAPVT

INDEX PROLEGOM. ET CAPITVM.

CAPVT XXII. *De dispositione Monastery per visionem habitâ.* 136
CAPVT XXIII. *De sanctimonialibus feminis post mortem absolutis.* 139
CAPVT XXIV. *De puero post sepulturam à terra proiecto.* 143
CAPVT XXV. *De Monacho qui de Monasterio discedens draconem in itinere inuenit.* 144
CAPVT XXVI. *De puero ab elephantino morbo curato.* 146
CAPVT XXVII. *De solidis per miraculum presbytere redditis.* 146.
CAPVT XXVIII. *De ampulla vitrea in saxis proiecta & non fracta.* 148
CAPVT XXIX. *De dolio vacuo, oleo impleto.* 150
CAPVT XXX. *De Monacho à dæmone liberato.* 151
CAPVT XXXI. *De ligato rustico solo aspectu viri Dei soluto.* 153
CAPVT XXXII. *De mortuo suscitato.* 155
CAPVT XXXIII. *De miraculo Scholasticæ sororis eius.* 156
CAPVT XXXIV. *De anima sororis eius visa.* 161
CAPVT XXXV. *De mundo ante oculos eius collecto, & de anima Germani Capuanæ ciuitatis Episcopi.* 163
CAPVT XXXVI. *Quod Regulam Monachorum scripserit.* 171
ADDITIO *De transmissione sancti Mauri in Galliam.* 172
CAPVT XXXVII. *De prophetica sui exitus fratribus denuntiatione.* 174
De forma corporis S.P. BENEDICTI. 181
De sancti BENEDICTI vestibus. 183
Tabella præcipuarum virtutum S. P. BENEDICTI. 185
CAPVT XXXVIII. *De insanâ muliere in eo specu sanatâ.* 192
De sanctissimi patris nostri BENEDICTI Anreolà. 93
De sancti BENEDICTI Festiuitate. 194
De cultu & inuocatione Sancti BENEDICTI. 195
Litaniæ de S. BENEDICTO. 198



IN VI-

IN VITAM SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI PROLEGOMENA XIX.

PRÆFATIO.



NÆ illi prudenter admodum mihi semper fecisse videntur, qui antiquorum Patrum monumenta edentes, vitæ eorumdem historiam, & res ab iis præclarè gestas studuerunt adiungere: vt ita non doctrinam modò, sed eam quoque quam sectati essent viuendi rationem intelligere liceret. Mira plerumque est vitæ, orationisque consensio; atque vna alteri auctoritatis pondus conciliat. Pluris siquidem eius fit doctrina, cuius Deo probata agnoscitur vita. Hinc adeò est, quod non pauci, qui Sancti Patris Nostri BENEDICTI Regulam hactenus ediderunt, aut scriptis Commentariis illustrarunt, vitæ eius historiam plerumque attexuerint. Horum exemplo, cùm & nos ad eamdem S. Patris Nostri Regulam DISQVISITIONES MONASTICAS meditaremur, voluimus iisdem rerum gestarum Commentarium, velut alteram Regulam, præmittere; vt viuis priùs exemplis, quàm doctrinæ verbis instrueremur, *Antè enim vita, quàm doctrina quærenda est*, inquit Ambrosius, *Vita enim bona sine doctrinâ habet gratiam; doctrina sine vitâ integritatem non habet.* Quare & in ipsis sacrarum Litterarum monumentis non priùs nobis viuendi leges, quàm bene viuentium Spiritus sanctus proposuit exempla. Præclarè id obseruatum à Philone Iudæo, qui, libro de Abrahamo, siue de legibus & scriptis, ita differit: *Nunc quoniam ordo postulat, vt leges scrutemur, dilatis ad tempus particularibus earum ceu imaginibus,*

Ambros. in Psal. 118. in princ.

nibus, generaliores & quasi exemplares primùm disquiremus. Hi sunt viri qui rectè ac sine culpâ vixerunt, quorum virtutes publicatæ sunt in sacrarum Litterarum tabulis, non tantùm ad laudem illorum, verùm etiam ad Lectores in æmulationem prouocandos. Fuerunt enim illi animatæ rationalesq; leges, duabus de causis venerabiles; altera, quoniam ostendunt quòd præcepta legis à naturâ non discrepant; alterâ, quòd hinc liquet non esse opus magno labore ad exigendam vitam iuxtà legum regulam, quando illi prisci ante leges singillatim proditas non scripto iure vsi pari facilitate atque felicitate vixerunt: vt meritò quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaq; narrantur. Cùm varia Siracides tradidisset sacræ Ethices præcepta & dogmata, illa ipsa Patriarcharum, Prophetarum, & illustrium veteris Testamenti virorum confirmat elogiis. *Laudemus*, inquit, *viros gloriosos & parentes nostros in generatione suâ.* Liber Sapientiæ cùm amplam sapientiæ texuisset commendationem, eiusdem postea subdit exempla, laudans Adam, Noë, Abraham, Loth, Iacob, Ioseph, Moysen & Hebræos. Apostolus quoque post fidei præconia, fidei athletas, Enoch, Noë, Abraham, Moysen, aliosque celebrat. Sancti Euangelistæ non aliter nobis IESV CHRISTI tradidêre doctrinam, quàm vitæ eius historiæ permixtam, vt eius, *qui cæpit facere & docere*, opere simul & sermone instrueremur. Hæc igitur Princeps mihi causa cur Regulæ S. BENEDICTI Vitæ eius præmiserim historiam. *Concordat quippe* (vt Laurentius Iustinianus de vitâ solit. cap. 7. ait) *eius vita cum voce, efficaciterq; benedictio diuina assentitur in opere.*

Eccli. c. 44. v. 1.

Act. 1.

Sed & aliam rationem suggerit Romanus Sapiens: *Aliquis*, inquit, *vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, vt sic tamquam illo spectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus.* Sed quis in hoc genere Pædagogus eligendus? *Elige*, inquit, *eum, cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum tibi semper ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, praua non corriges.* Quem autem Monachi meliùs ante oculos habeant, quàm Monachorum omnium Patriarcham, cuius vita eis, & oratio placuit? Ad quem Regulares mores suos exigant, nisi ad Regulam, & Regulæ conditorem? Si enim hunc elegerint, sub cuius vexillis Deo militarent, æquum profectò est, vt Ducis sui sectentur vestigia. Si scriptæ ab eo Regulæ colla submiserint, meritò & in illum respicient, qui Regulæ suæ imago, & viuum quoddam est simulacrum. Nam vt magnus de eo scripsit Gregorius: *Sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit, nec aliter viuere quàm scripsit:* vt eius mores in Regula, tamquam in speculo quodam lucidissimo, appareant; & Regulæ ipsius praxis in ipsius vita moribusque cognoscatur. Quod igitur ille de Collationibus Patrum, & vitâ eorum, ac Re-

Senec. Epist. 11.

Dialog. lib. 2. c. 36.

gulâ

gulâ S. Basilij dixit, id non immeritò de eiusmet Vitâ & Regulâ vsurpare licebit. Nimirum eam aliud non esse *nisi bene viuentium & obedientium monachorum exempla & instrumenta virtutum.* Regula, Bernardo teste, via illa est, recto Orientis tramite ab eius cella in cælum vsque tendens, quo dilectus Domino cælum BENEDICTVS ascendit. Si ergo mens est eodem peruenire, teneamus viam; præeuntis sequamur vestigia. Nam, vt optimè Cassianus Collat. 18. cap. 4. *tunc poterit quis desideratæ artis efficacius assequi disciplinam, & ad exercendam eam ardentiùs incitari cum* AVCTORVM ET FVNDATORVM *eius agnouerit dignitatem. Nam profectò ex hoc ipso desiderium professionis illius nasci poterit: quia necesse est vnamquamque viam ad illum finem pertrahere sectatorem, ad quem Auctor ipsius inuentorq́ue peruenerit.* Hæc ille. Quare quod de S. Basilio Gregorius dixit Nazianzenus, idipsum de beatissimo BENEDICTO hic non iniuria repetemus: *Illius vitam oratione dum pingo, communem virtutis tabulam, salutiferumq́ue omnibus Ecclesiis, omnibusq́ue animis* EXEMPLVM *propono, in quod velut in* VIVAM *quamdam* LEGEM *intuentes vitam nostram dirigemus. Vobis autem qui ab ipso doctrinâ sacrâ imbuti estis aliud non suaserim, quàm vt eum semper spectetis, ac tamquam ipse & vos videat, & à vobis videatur spiritu instruamini.* Hæc Nazianzenus. *Quis igitur* (vt cum Ambrosio loquar) *bonum factum eius videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito Magistro vtens, eius exemplo doceatur?*

In declamation. | Orat. 20. circa finem. | Ambrof. serm. 23. de Sanct.

Quid? quod & ipsum PATRIS nomen, quo Legislatorem nostrum libentes meritoque afficimus, non venerationem dumtaxat, sed & imitationem, adeoque factorum eius considerationem iure suo exigat. *Attendite,* inquit Scriptura, *ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Et Apostolus: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fide m.* Nihil enim sic filiorum exstimulare debet animum quàm domesticum sui Patris exemplum. *Tamquam enim Magnes dum è circulis ferreis quasi catenam arcana rapacitate struit, vt quisque est proximus, ita primum, ac vehementissimè rapit; sic virtutis illecebra, atque pellacia coniunctissimum quemque maximè debet afficere, ac deuincere, adseq́ue deducere. Eô fit, vt etiam vulgo fœdissimum habeatur, Maiorum non respondisse virtuti. Quippe eadem virtus & Regula posteris est, ad quam vitam dirigere suam iubentur, & quadam clara lux, quæ sicubi aberrent, atque degenerent, prauitatem in obscuro esse non sinit.* Huc scilicet pertinet acris illa Christi Domini ad Iudæos increpatio: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Quasi Filiorum nomine censeantur indigni, qui paternas non exprimunt virtutes. Quas sanè nemo ad viuum repræsentabit meliùs, quàm qui prototypon & crebriùs inspexerit, & attentiùs.

Isaiæ 51. 2. | Ad Hebr. 13. 7. | Francisc. Sacchin. Præfat. ad hist. Societ. Iesv. | Ioan. 8. 39.

Ex his porrò capitibus sancti Patris BENEDICTI vitam, non nostro,

ſed magni Gregorij adumbratam penicillo hîc putauimus exhibendam, vt vtriuſquę; & Regulæ ſcilicet, & vitæ prælucente face dirigerentur pedes noſtri in viam ſalutis. Ne verò nudum dumtaxat daremus textum, COMMENTARIVM adiecimus, in quo à Gregorio dicta hiſtoricis, philologicis, ſubinde etiam Theologicis, ac moralibus notationibus variè illuſtrauimus. Præterita à Gregorio ex aliis auctoribus, ſeruatis eorum verbis, ſuis inſeruimus locis. Nonnulla quoque Prolegomena, vt tractatoribus iam ferè ſolenne, hiſtoriæ ipſi præmittenda duximus.

Quid autem in his præſtiterimus, benignus Lector iudicabit: à quo ſi non laudem, veniam ſaltem merebitur bene de Patriarchâ noſtro, totoque eius Ordine merendi voluntas.



IN

IN VITAM SANCTI BENEDICTI PROLEGOMENON PRIMVM.

Quinam de Sancto BENEDICTO *scripserint.*

De S. Benedicto qui scripserint.



DE sanctissimo totoque Occidente celeberrimo Patriarchâ BENEDICTO tot tantique cum laude in scriptis suis mentionem fecerunt, vt difficillimum omnino sit catalogum texere. Ne autem vaga nimis Auctorum sit enumeratio, in classes eos aliquot cogemus.

Prima Classis, eorum qui scripserunt vitam S. Benedicti ex professo.

PRIMA CLASSIS sit eorum qui sancti Patris vitam fusè & ex professo scripserunt. Principem hic locum obtinet sanctitate & doctrinâ Magnus Gregorius Papa I. de quo plura Prolegomeno sequenti. Vitam autem ab eo scriptam Græcè vertit Zacharias Papa. Latinis annotationibus illustrauit Matthæus Lauretus Hispanus, Monachus Cassinensis, & Abbas sancti Saluatoris de Castellis, easque recognito à se Chronico Cassinensi præmisit ediditque Neapoli anno 1616. Gallicè locupletius idipsum præstit Simon Milletius sancti Germani à Pratis religiosus in historicis suis ad sancti Gregorij Dialogos annotationibus. Ante eum magnâ curâ & diligentiâ vitam sancti Patris annalium Ordinis nostri Tom. I. intexuit Pater Antonius de Yepez Abbas sancti Benedicti Vallisoleti; cuius quidem Chronicon Hispanâ conscriptum linguâ, in Gallicam quoque transferri cœpit. Huc spectant etiam Biographi & qui Sanctorum (vt vocant) Legendas scripserunt, Jacobus de Voragine, Claudius de Rotâ, Laurentius Surius, qui sancti Gregorij historiam ad verbum repræsentat. Quam paulò breuiùs contractam exhibet Benedictus Gononus Cælestinus lib. I. de vitis Patrum Occidentis: Item Franciscus quoque Haræus, Zacharias Lippeloo, Petrus Ribadeneira eandem descripsêre. Iconibus in æs incisis eam oculis obiecit Angelus Sangrinus, Abbas Cassinensis addito prologo. Plura exstant in toto opere Arnoldi Wion, quod Lignum vitæ inscripsit; & apud Trithemium de Viris Jllustribus Ordinis sancti Benedicti, & in Trophæis Congregationis Anglicanæ Eduardi Mahevv tabulâ secundâ. Carolus Stengelius in Coronâ lucidâ cap. I. & 2. Syluester Maurolicus Messanensis Abbas, & S. T. Doctor, in Oceano historiæ sacræ omnium religionum lib. I.

Secunda Classis historicorum.

SECVNDA CLASSIS historicorum est; quos inter Cardinalis Baronius primas meritò obtinet, ex cuius fonte, sua citatus Eduardus deriuauit. Petrus Diaconus monachus Cassinensis de viris illustribus Montis Cassini cap. I. & de Sanctis eiusdem cap. I. Anastasius monachus Cassinensis & Cardinalis Bibliothecarius in Chronicâ paruâ, siue Tractatu de Translatione partis Reliquiarum S. BENEDICTI, & sororis eius Scholasticæ Leo Marsicanus Ostiensis Episcopus & Cardinalis in Chronico Cassinensi lib. I. cap. I. & alijs libris sequentibus pluries. Vincentius Belluacensis Episcopus in speculo historiali lib. 22. cap. 68. & sequentibus. Calzolarius à Bugiano Benedictinus in historiâ Monasticâ. Bonifacius Simoneta Cisterciensis Ordinis, in persecutionum Christianarum historiâ lib. 4. cap. 20. Sanctus Antoninus in Summâ historiali. Ioannes Petrus Villa de cambus Marchio Messanensis, in Tractatu de inuentione sanctorum Placidi & Sociorum. Adreualdus Floriacensis Monachus in lib. de miraculis S. Benedicti. Aimonius de gestis Francorum lib. 2. cap. 16. & 22. Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 3. Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum lib. 9. Raphaël Volaterranus Antropologiæ lib. 21. Prudentius Sandoualius Benedictinus Philippo III. Hispaniarum Regi ab historiâ, & Pampelonensis deinde Episcopus, in fundationibus Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Hispaniâ. Horatius Tursellinus in Epitome historiarum lib. 6. in Iustiniano. Aubertus Miræus in Chronico Benedictino, & in Elencho regularum. Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ 21. Martij. Stephanus Binet in Gallico Compendio Vitarum SS. Fundatorum Ordinum Religiosorum cap. 10. Archangelus Hastiuillius Camaldulensis Ordinis in prouincijs Galliæ Maior historiæ suæ Camaldulensis lib. I. cap. 2. alijsque sparsim.

Tertia Classis Chronologistarum.

TERTIA CLASSIS Chronologistarum

De S. Benedicto qui scripserint.

tum sit qui omnes passim S. Patris meminerunt. Regino lib. 1. ad annum Christi 450. Hermannus Contractus circa annum Christi 520. Marianus Scotus anno 555. Sigebertus Gemblacensis anno 509. & 522. Freculphus Episcopus Lexoniensis in Chronico lib. 5. cap. 20. Compilatio Chronologica anno 517. Gotfridus Viterbiensis in Chronicâ suâ parte 17. Wernerus Roleuinck in Fasciculo temporum anno Christi 504. Christianus Massæus Chronicorum lib. 12. Balduinus Ninouiensis Diaconus in Manu-scripto Chronico necdum typis excuso. Joannes Riocbe in Compendio historiarum. Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis, Arnoldus Pontacus, Iacobus Gordonus in suis Chronologijs. Jacobus Gaultterius in Tabulâ Chronologicâ. Dionysius Petauius in libris de Doctrinâ temporum, & in Rationario temporum parte 1. lib. 7. cap. 8. & parte 2. lib. 4. cap. 13. Prosper Stellartius in Chronologiâ monasticâ sæculo 5. & 6. & in fundationibus Ordinum cap. 31.

Quarta Classis Martyrologij Scriptorum.

QVARTA CLASSIS sit Martyrologij Scriptorum. Inscriptus enim S. BENEDICTVS Martyrologio Romano tam veteri ab Heriberto Rosvveydo edito, quàm recentiori, quo Romana nunc vtitur Ecclesia, quodque suis Cardinalis Baronius Notationibus illustrauit. Græci in suo Menologio de eodem agunt 14. Martij, sed 21. Latini, & Martyrologium Bedæ, Vsuardi, Wandelberti Prumiensis, Rabani Mauri, Adonis Viennensis, Monasticum item Martyrologium Arnoldi Wion, & aliud Martyrologium Sanctorum Ordinis nostri ab Hugone Menardo nuper editum, & obseruationum libris duobus illustratum. Fasti item Mariani, aliique.

Quinta Classis Concionatorum.

QVINTA CLASSIS Concionatores repræsentat, & qui sermonibus vel homilijs SS. Patrem honorarunt. S. enim Odo Cluniacensis Abbas egregium de eo sermonem habuit, in bibliothecâ Cluniacensi & Floriacensi typis euulgatum. Similiter Aimonius vnum qui incipit: *In annuis terrenorum Imperatorum Natalitiis.* S. Petrus Damiani tam in vigiliâ quàm festo sermonem de eo percexit. Homilias plures declamauit Petrus Diaconus in eiusdem S. Patris solennitate. Paulus Diaconus duas, S. Bernardus vnam perorauit. Guerricos quoque Igniacensis Abbas sermones quatuor de eodem ad fratres habuit. Insignem etiam de eo concionem exarauit Goffridus Vindocinensis Abbas, & S. R. E. Cardinalis, estque sermo eius XI. Bruno autem Episcopus Signiensis ex Monacho Cassinensi scripsit homiliam de eodem legi solitam in eâ Ecclesiâ die natali eiusdem, vt testatur Petrus Diaconus lib. de Viris illustribus Monasterij Cassinensis cap. 34. Ioan. de Abbatis-Villa S. R. E. Cardinalis inter cætera scripsit sermonem de S. Benedicto, quem MS. asseruare se ait Martinus Marrier præfatio. ad Bibliothecam Cluniacensem. Celebrârunt quoque Sanctum hunc virum S. Thomas Aquinas, S. Vincentius Ferrerius, S. Bruno Carthusianorum Institutor. Joannes Raulinus Cluniacensis Ordinis, Florianus Treflerus Benedictenpuranus Cœnobita. Iacobus de Graffiis. Thomas de Trugillo, Ioannes Osorius, Ioannes Lanspergius, Petrus Bessæus. Singuli sermonibus singulis. Dionysius verò Carthusianus duobus, Jacobus de Votagine Januensis Episcopus tribus. Nicolaus Vernulæus eloquentiæ professor Louanij duplici oratione, eâque floridâ eumdem celebrauit. Elegantem de eodem sermonem Hispanicè in Theatro Religionum habet Petrus de Valdet-ama Ordinis Eremitarum S. Augustini. Et R. P. Angelus Maurique Ordinis Cisterciensis S. T. D. & Salmanticæ professor sermonem de eo habuit editum in conceptibus super festa Deiparæ Virginis, & quorumdam Sanctorum.

Concionatoribus annumerabimus, qui meditationes de S. Benedicto scripsêre; vt P. Franciscus Bourgoignæus p. 3. 21. Martij. Jacobus Ferragius in meditationibus de præcipuis totius anni festis: vnam in solennitate S. Benedicti, octo verò quæ per octauam distribui queant in festo Translationis eiusdem habet. Vnam denique 4. Decembris in secundam eiusdem sancti translationem.

Sexta Classis Poetarum.

SEXTA CLASSIS Poëtas exhibet, qui suis carminibus magnum hunc Heroa, eiusque gesta decantârunt. Hoc è numero fuit S. Berthanius, Trithemio Berthorius, Gallus, Regij sanguinis, & Martyr, 19. Generalis Abbas Ordinis S. Benedicti; & Paulus Diaconus. Vtrumque curauit imprimi D. Arnoldus Wion anno 1590. in tertio poëmatum volumine Domini Prosperi Martinengij Monachi Cassinensis, simul cum vitis SS. Mauri & Scholasticæ. F. Marcus Monachus Cassinensis, S. Benedicti discipulus, miracula Patris eiusdem à S. Gregorio Magno omissa scripsit carmine, quæ diu delituerunt. Sed demùm eiusdem Martinengij volumini, & Iuannis à Bosco Floriacensi Bibliothecæ inserta sunt. Sed & S. Aldhelmus Occidentalium Saxonum Episcopus, in opere de laude virgioum, carmine, & prosa S. Benedictum egregiè commendat. Vitam eiusdem descripsit Rainaldus Campanus è Comitibus Marsorum, Monachus & Abbas 47. Monasterij Cassinensis S. R. E. Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri. Dominus etiam Conradus Germanus, Spirensis, Monachus S. Aurelij Hirsaugiensis, Congregationis Cluniacensis reformatæ, & S. Guilhelmi Abbatis discipulus, de laudibus S. P. Benedicti librum vnum carmine composuit. De aduentu eiusdem ad Montem Cassinum, de miraculis ipsius versus aliquot non contemnendos edidit F. Theophanus Diaconus Monachus Cassinensis. Eiusdem S. P. vitam heroicis tetrastichis expressit Ioannes Carpenteius Atrebatius Iurisconsultus, & suæ in Isaiam Paraphrasi adiecit. Nicolaus Brauns Ordinis Cisterciensis Abbas S. Annæ Matritensis, hexametro versu eiusdem Sancti vitam descripsit. Tantâ (vt in Phœnice reuiuiscente ait Chrysostomus Henriquez) elegantiâ, sententiarum varietate, & verborum proprietate, vt à doctissimis cum admiratione, & à totâ Hispaniâ magno cum applausu excepta fuerit. Ibi enim se excellentem Poëtam, in humanioribus litteris bene versatum, expertum Theologum, & historicum doctum demonstrat. Eumdem sed breuiter celebrat Baptista Mantuanus Carmelita, & Ambrosius Nouidius Fraccus vterque lib. tertio Fastorum. Nicolaus Oudartus Officialis Mechliniensis in sacris Ephemeridibus. Cornelius à Marcâ in Diario Sanctorum. Iacobus Bidermannus Societatis Iesu Epigrammate eumdem cohonestauit lib. 1. Epigram. 104. & lib. 2. Epigram. 16. Virgilianis centonibus totam S. P. vitam, S. Gregorij inhærens textui depinxit Balthazar Wellar Ordinis nostri Cœnobita.

Iam

De S. Benedicto qui scripserint. Hymnographi.

Iam qui de eodem Sancto hymnos concinnârunt, plures reperiuntur. Cyprianus enim Monachus Cassinensis sub Petronace Abbate, & Paulus Diaconus Carolo Magno Imp. mandante (vt refert Petrus Diaconus cap. 7. & 8.) pulchro eum laudarunt poëmate. Eos præcesserat Laurentius Monachus Cassinensis, & Episcopus, vt idem ait cap. 6. qui versus reperiuntur MS. in Bibliothecâ Cassinensi. Petrus cognomento venerabilis, nobilis Aruernus, Abbas 9. Cluniacensis & Generalis octauus, insignes edidit hymnos de S.P. BENEDICTO. Duos item alios S. Alphanus Monachus Cassinensis, deinde rogatu Gisulphi Principis, Abbas Monasterij S.Benedicti Salerni, & postremò eiusdem ciuitatis primus Archiepiscopus. Multos etiam composuit D. Angelus Sangrinus Abbas quondam Cassinensis, qui Cassini asseruantur. Extant & eiusdem poemata de miraculis S. Patris in claustris S.Benedicti Mantuani, & Iustinæ Patauinæ descripta. Sed & Laurentius Gambara Brixianus Rerum sacrarum lib. carmine S. Benedictum celebrauit. S. quoque Nilus origine Græcus cum Cassinense inuiseret cœnobium, & honorificè à Monachis esset exceptus, Græcum in laudem S. P.N. BENEDICTI composuit hymnum, qui complectebatur omnia miracula, quæ in eius habentur vitâ. Ioannes Baptista Masculus Neapolitanus è Societate Iesu Lyricorum lib. 10. Ode 33. eumdem Patrem egregiè celebrauit.

Septima Classis.

SEPTIMA CLASSIS sit eorum qui ex aliqua occasione, & veluti per transennam de hoc sanctissimo Patriarcha mentionem fecerunt. Vt Angelicus doctor 2.2. q.180. art.5. & q. 189. art. 2. Quodlibeto item primo art. 20. & Opusculo 19. cap. 5. & 7. Marcus Marulus Spalatensis, dictorum factorumque memorabilium lib. 1. cap. 1. & lib. 4. cap. 2 & 7. lib. 5. cap. 7. Thomas Bozius Congregationis Oratorij lib. 5. de signis Ecclesiæ Dei cap. 3. & lib. 6. cap. 7. & pluribus alijs locis. Hieronymus Platus lib. 1. de bono Status religiosi in præfatione, & cap. 33. lib. 2. cap. 22. & alibi. Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis tom. 2. Controuers. lib. 4. cap. 15. Franciscus Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 2. Ioannes Lorinus in Psalmum 49. Sebastianus Barradius tom. 2. in Concordiam Euangelicam lib. 2. cap. 5. Aluarez de Paz tom. 1. de vitâ spirituali lib. 2. part. 35. Ludouicus Cresollius cap. 8. sectione 9. Anthologiæ. Cornelius à Lapide in cap. 1. Isaiæ. Item in cap. 24. Ecclesiastici, & 45. Item in cap. 17. Apocalypsis. Item in cap. 15. Ieremiæ. Item in cap. 39. Ezechielis, & alibi. Antonius Posseuinus in Apparatu sacro, verbo Benedictus. Hugo de S. Victore excerptionum priorum lib. 9. cap. 4. Hugo Cardinalis in Psalmum 88. Polydorus Virgilius lib. 7. de inuentoribus rerum, cap. 2. Petrus Blesensis Archidiaconus Bathaniensis Epist. 86. & 125. Alanus Copus Dialog. 2. cap. 25. Hieremias Drexelius in Nicetâ lib. 2. cap. 1. Seruatius de Lairuels in Catechismo Nouitiorum tom. 1. Lect. 27. Reg. 11. Item tom. 2. Lect. 7. Reg. 13. Ascanius Tamburinus Ordinis Vallis-Vmbrosæ S. Theologiæ Magister, tomo 1. de Iure Abbatum disputat. 2. quæst. 15. & alij quamplurimi, quos omnes nominatim recensere vereor, vt affectatæ cuiusdam, & forsitan superuacaneæ videatur diligentiæ.

Pro Coronide tamen subijcio pentadem illustrium sanctitate, & diuinis reuelationibus fœminarum, quæ maximâ cum laude, ex infuso sibi diuinitus lumine, de maximo hoc Patriarchâ suis in scriptis mentionem fecerunt. S. Hildegardis Abbatissa lib. 2. visione 5. num. 21. & Commentario in Regul. S. Benedicti in principio. S. Elisabeth Schonaugiensis Abbatissa lib. 1. visionum cap. 5. S. Gertrudis lib. 4. diuinarom insinoat. cap. 11. S. Mechtildis lib. de gratiâ spirituali cap. 17. S. Birgitta lib. 3. Reuelationum cap. 20. & 21. Item lib. 4. cap. 127.

PROLEGOMENON II.

Quis vitæ S. BENEDICTI, *quam hîc exhibemus, Auctor.*

Vitæ S. Benedicti quis auctor. S. Gregorius Papa I. auctor vitæ S. Benedicti.



Ertum omninò atque exploratum est, S. Gregorium Papam eius nominis primum, vitam, quam hîc ponimus, exarasse, eamque secundum Dialogorum suorum librum compleuisse. Esse autem Dialogos legitimum magni Gregorij fœtum, adeò est indubitatum, vt nemini qui sapiat, relictus sit ambigendi locus (inquit Posseuinus in Apparatu Sacr. in Gregorio.) idque eo minus quòd vir sanctissimus quarto iam anno sui Pontificatus eos incœperit. Collegerat enim res præclarè gestas Sanctissimorum virorum Italiæ, & inter eas S. Patris Nostri BENEDICTI, vt à viris fide dignissimis acceperat, quas quatuor illis Dialogorum libris accuratè, & ex fide, litterarum monumentis mandauit.

Quia autem ex heterodoxorum classe, lucenti velut soli nebulas obijcere non nemo conatus est, pretium operæ fuerit breuiter hîc eas dispellere. Affectata enim, ne dicam, maligna est hîc Huldrichi Coccij dubitatio. In noncupatoria enim Epistola operum S. Gregorij anno 1551. Basileæ euulgatorum, his verbis scribit: *De Dialogis, in quibus Patrum Italiæ miracula recenset, vix habeo quod pronuntiem, nisi quòd Gregorij esse dubitem: adeo genio, & stylo, & orationis grauitate, & industriâ distant à reliquis eius scriptis.* Sed eum optimè refutauit Ioannes Picardus Canonicus Regularis S. Victoris Parisijs, præfatione ad Gregorianum Garnerij, ex quo nos carptim tria contra Huldrichi hæsitationem proferemus argumenta.

Vitæ S. Benedicti quis auctor. Contraria opinio.

Refellitur primum Argumentum

Primom: Auctor Dialogorum manifestè ostendit se Romanum fuisse Pontificem. Lib. enim primo cap. 8. ait: *Eodem quoque tempore venerandus vir Anastasius (cuius superiùs memoriam feci) sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo Auctore seruio, Notarius fuit.* Lib. 3. cap. 3. *Agapitus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, cum Deo dispensante ad Iustinianum,* &c.

Rursus

VITA S. BENEDICTI QVIS AVCTOR.

Rursus cap. 8. *Constantius Aquinæ Ciuitatis Episcopus fuit, qui nuper prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Ioannis Papæ defunctus est.* Iam verò hunc Pontificem esse Gregorium clarissimè patet, quia lib. 3. cap. 31. dicit Leandrum Hispalensem Episcopum *dudum sibi in amicitijs familiariter fuisse iunctum.* Et cap. 32. addit: *eo quoque tempore* (id est, Iustiniani Augusti temporibus, vt in principio capitis signat) *quo pro responsis explendis Ecclesiæ ad principē transmissus sum.* Iterumque cap. 36. *Dum iussione Pontificis mei in Constantinopolitana vrbis palatio responsis Ecclesiasticis deseruirem.* Sed quis alius hic quàm Gregorius qui legationis & amicitiæ cum Leandro initæ memoriam ita refricat in præloquio in lib. Moral. in Iob? *Dudum te, frater beatissime, in Constantinopolitanâ vrbe cognoscens, cùm me illic sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc iniuncta pro causis fidei Regis Visigothorum legatio perduxisset, &c.* Eo autem tempore, & Principe, & Episcopo, legationem Constantinopoli quemquam obijsse Romanæ Ecclesiæ nomine præter D. Gregorium siquis asseueret, alterum necessariò comminisceretur de cerebro suo.

Secundum argumentum.

Secundum argumentum: ipse Huldrichus homilias quadraginta in Euangelia extra omnem dubitationis aleam posuit: dicens *continere non solùm litera, verùm & optimarum rerum obseruationes, cum serijs pijsque adhortationibus.* Ex hoc autem sequitur eidem Auctori asscribendos Dialogos: Historias enim quas libro 4 cap. 14. 15. 16. 19. 27. 37. refert, easdem ait se in homilijs ad populum retulisse. Atque id verissimum. Prima enim historia cap. 14. extat homil. 15. Secunda Romulæ & Redemptæ hom. 30. Tertia Amitæ suæ Tarsillæ hom. 38. Quarta Stephani Abbatis prolixiùs commemoratur hom. 35. Quinta Theophanij Comitis homil. 36. Sexta Theodori pueri inuenitur homil. 19. & 38. Ex quibus patet eundem Dialogorum & homiliarum esse Auctorem.

Tertium Argumentum.

Tertium argumentum: admittit Huldrichus epistolas genuinum Gregorij esse fœtum: at in illis Gregorius fatetur se Dialogos parturire, & subsidium petit à Maximiano Syracusano Episcopo, cui libro secundo Epistola 50. inter cætera sic scribit: *Fratres mei qui mecum viuunt, omnimodo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italiâ facta audiuimus, sub breuitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, vt ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis. De Domno enim Nonnoso Abbate, qui iuxta Domnum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui. Et hæc igitur, & si qua sunt talia, tuis peto Epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti.* De Nonnoso autem, Anastasio, & cæteris quæ Maximianus Syracusanus rescripsit, inserta habentur lib. 1. Dialogorum cap. 7. & 8. & lib. 3. cap. 36. lib. item 4. cap. 32.

Atque hæc quidem sufficienter detegunt Huldrichi malitiam, vel crassissimam ignorantiam: cuius ab ipso Gregorio, quem totum se legisse ait, apertissimè conuincitur, vt opus non sit consensum omnium scriptorum à tot sæculis adferre.

PROLEGOMENON III.

Quâ occasione de S. BENEDICTI, aliorumque Sanctorum Italicorum Patrum vitâ Gregorius scripserit.

VITA S. BENEDICTI QVA OCCASIONE SCRIPTA.



Væ mentem, manumque Gregorij ad scribendum permouerint, citatis proximè ad Maximianum Episcopum verbis satis ipse aperit. Viuentium enim secum fratrum precibus se omnino compulsum testatur. Vnde autem hoc fratribus incesserit desiderium Baronius Christi anno 593. exponit, quòd scilicet in opere quadraginta homiliarum (vt ex eis apparet) aliquid huiusmodi mirabilium rerum inter concionandum Gregorius retulisset: indeque fratrum, quos refert, aliorumque incensi fuerint animi, vt eum sæpe rogarent, vt quæ reliqua essent, vnà cum illis perpetuitati consecraret.

Quantus D. Gregorij erga Monachos affectus.

Qua in re duo mihi meritò videntur obseruanda. Primum, quanto studio & beneuolentia Magnus Gregorius iam Pontifex Monachos suos olim Confratres, complecteretur, quorum nimirum, & in primis Petri Diaconi rogatu, hos ipsos Dialogorum libros conscripserit. Iisdem quoque Religiosis fratribus debemus, quod præstantissimum illud opus Moralium librorum in Iob elucubrauerit. Nam vt ipse in Epistola ad Leandrum Episcopum Hispalensem, quam expositioni huic præfationis loco præmisit, narrat: Cùm Constantinopolim Apocrisarius ab Apostolica sede directus est, multi eum ex Monasterio fratres germanâ vincti charitate, secuti sunt, quod diuinâ factum dispensatione agnouit, *vt eorum exemplo semper ad orationis placidum littus, quasi anchoræ fune restringeretur, cum incessabili causarum sæcularium impulsu fluctuaret. Tunc ijsdem fratribus placuit, vt librum B. Iob exponere importunâ eum petitione compellerent,* quod negare non potuit: quia impossibile esse non poterat, quod de fraternis cordibus charitas imperabat. Iam eum eorumdem rogatu Dialogorum composuit libros, in quibus virtutes Sanctorum quos in Italia clariores nosse, vel audire poterat, ad exemplum viuendi posteris collegit, inde Beda Eccles. hist. lib. 2. cap. 1. teste effectum est, *vt sicut in libris expositionum suarum, quibus sit virtutibus insudandum, edocuit, ita etiam descriptis Sanctorum miraculis, quæ virtutum earumdem sit claritas ostenderet*

Rogatus à Monachis scripsit Dialogor. libros. Item libros Moral. in Iob. Constantinopolim proficiscens Monachos comites habuit.

Diuina prouidentia circa hanc D. Gregorij scriptionē.

Secundò, in his diuina consideranda & laudanda est prouidentia; quæ & fratrum animos ad petendum, & Gregorij ad scribendum excitauit; ne tot illustrium Sanctorum exemplis Dei careret Ecclesia. Inde adeò factum est, vt Gregorius primus esset qui vitam S. BENEDICTI litterarum monumentis consignaret, quam iam inde à quinquaginta annis, qui à morte eius fluxerant, nemo attigisset. Quod mirum sanè videri pote-

poterat: cùm tam illustris & celebris esset Sanctus: & tot varijs locis, qui id eum laude præstare potuissent, haberet discipulos. Sed enim eminentissimæ sanctitatis viro videtur diuina Maiestas maximum reseruasse Scriptorem, qui & vniuersalis Ecclesiæ esset caput, & inter eiusdem Doctores præcipuos iure merito connumeratus. Sed de eo plura inferiùs Prolegomeno VII.

Cur à negotijs secessum in hac scriptione captârit.

Cur autem in hac scriptione, secessum captârit, non ita verò eùm aliàs adorsus est, ea à Baronio adfertur caussa, quod scilicet historicum studium otij plusculum requirat; vt Cicero, Plinius, alijque scriptis prodidêre. *Omnibus namque solutum esse negotijs oportere, qui in eâ se exercere vult facultate*, Tullius lib. 1. de legibus tradidit. Plinius itidem rogatus scribere historiam, camdem excusationem lib. 5. Epist. 8. adfert; nimirum non esse sibi integrum id aggredi, nisi secretum solitariumque locum alijsque liber negotijs petat.

VITA S. BENEDICTI QVA OCCASIONE SCRIPTA.

PROLEGOMENON IV.

Cur Dialogi formam S. Gregorius adamauerit.

VITA S. BENEDICTI CVR DIALOGO PERSCRIPTA.



Via, vt arbitror, neutiquam deflectemus, si non Auctorem dumtaxat, sed & ipsius operis formam nonnihil contemplemur: quod autem in ea potissimum occurrit, illud est, cur dialogistico dicendi genere vti voluerit Gregorius. Duplex verò huius rei ratio reddi posse videtur. Prima est, quam simili occasione adfert Petrus Rouerius in Illustrationibus historiæ Monasterij Reomaensis num. 28. quod cùm Seuerus Sulpitius aut primus, aut inter primos, piorum hominum, qui in Latina Ecclesia vitam absque sanguine finijssent, res gestas litteris tradidisset, eô factum, vt historiam eius de S. Martino aliqui postea Scriptorum eiusdem modi sibi in exemplum propositam esse voluerint. Itaque cùm multa alia, mutuatis ex Sulpitio verbis, & sententijs exprimunt, tum miracula plura, ac mortem Sanctorum hominum Dialogistico charactere eum imitati describunt. Quamobrem Cyprianus, qui S. Cæsarij Arelatensis vitam elaborauit, secundum operis sui librum Messiani Presbyteri & Stephani Diaconi interlocutione pertexit, eâ fere ratione, qua Sulpitius Gallo & Postumiano partes concludendæ S. Martini historiæ attribuit. Horum fortassis exemplo delectatus Gregorius Dialogismi formam adamârit, vt cum amicissimo sibi Diacono opere toto familiariter colloqueretur. Idipsum imitatus est Ionas Abbas, S. Columbani sectator; qui librum secundum Rerum gestarum S. Ioannis Abbatis I. & Institutoris Monasterij Reomaensis per Dialogum absoluit. Similiter & Cæsarius Heisterbachensis Ordinis Cisterciensis prolixum opus de diuersis miraculis & visionibus suo tempore factis in Germania, ad imitationem S. Gregorij Papæ (vt Trithemius in lib. de Script. Eccl. ait) prænotauit: *Dialogorum de varijs* lib. 12. quos nunc recentiores vocant Illustrium miraculorum, & historiarum memorabilium libros. Sed ipse Cæsarius satis indicat Dialogum se texuisse, cùm ita præloquitur: *Vt autem competentius exempla ordinarem, more Dialogi duas induxi personas.* Et mox: *Testis est mihi Dominus, nec vnum quidem capitulum in hoc Dialogo me finxisse.*

Scriptores qui Dialogistico charactere vsi.

Sed vt ad Gregorium reuertamur, altera cur Dialogico vsus sit charactere, ratio esse potest, Dialogorum vtilitas & amœnitas; nimirum, vt Scaliger exercit. 308. in Cardanum ait: *gratiora solent esse colloquia, quàm perpetui libri. Condimenta namque ac pigmenta multa adhiberi queunt: continuatæ tractus vniformis orationis haud rarò strigosus est; aut æquabilitate, succedentiumq; catenatâ sententiarum similitudine tædium parit sæpenumero.*

In Dialogis Gregorij, varietas iucunda.

Esse autem in Gregorij Dialogis iucundam hanc miraculorum & pulcherrimarum quæstionum mixturam, studiosus Lector facilè animaduertet, de qua & in argumento quod vaticanæ editioni præponitur ista habentur: *Sunt verò hi libri ita suauiter, & luculenter scripti, vt eorum auctorem facilè quis agnoscat Gregorium Magnum, qui Petrum Diaconum cum interrogantem inducat: aditum, & viam sibi aperit, cùm ad præclara illa diuinaque responsa, tum ad explicandas magnas quæstiones, quæ difficiles explicatus habent.* Et S. Ildephonsus Toletanus lib. de viris illustrib. Cap. 1. ait: in Dialogorum libris *diuinitatis latere sacramenta, & in amore cælestis patriæ mira documenta.* Quibus sanè documentis opportunam Petri interlocutoris interrogatio præbet occasionem. Quis hæc non statim in ipso opere reperiat, quis non amœnissimis, quę passim interseris diuerticulis, se sentiat oblectari? vna hæc in exemplum sit S. BENEDICTI vita, in qua plures, vtiles sanè ac pulchræ digressiones; vt meritò dubites, num ex professo à Gregorio quęsitę, an sub calamum, & ex occasione ei fuerint enatæ. De eadem vnam Lectoris gustui hîc propino, ex qua nostram assertionem facilè probabit.

Primò enim exponit, quodnam sit congruum Magisterij animarum tempus: & quid sit illud quod per Moysen pręcipitur, vt Leuitæ à viginti quinque annis & supra ministrare debeant: ab anno verò quinquagesimo, custodes vasorum fiant. Cap. 2.

Secundò, quid sit habitare secum, & reuerti ad se? cap. 3.

Tertiò, quando Prælato liceat deserere subditorum regimen? ibid.

Quartò, quomodo qui diuinitatis secreta penetrauit, & vnus cum Domino spiritus effectus est, ignorare possit sensum Domini? cap. 16.

Quintò, an spiritus prophetię Prophetis semper adsit? cap. 21.

Sextò, quomodo viuus longè positis apparere, & facienda disponere potuerit? cap. 22.

Septimò, quomodo in hac carne degens S. BENEDICTVS, animas in inuisibili Dei iudicio

VITA S. BENEDICTI EX DIALOGO PERSCRIPTA.

cio constitutas soluere potuerit. Cap.23.

Octauò, an Sancti cuncta impetrent quæ desiderant obtinere? Cap.33.

Nonò, quomodo ab vno homine vniuersus mundus possit videri? Cap.36.

Decimò, cur Sancti interdum plura illic faciant miracula vbi eorum corpora non requiescunt? Cap.38.

Hisce, vt dicebamus, Petri interrogationibus commoda offerebatur Gregorio occasio tradendi illa dogmata, quibus hisce quæstionibus respondet. Quod equidem in continua narrationis serie intempestiuum iudicaretur, & cupido lectori nonnullam iniiceret remoram. In Dialogismis autem non inuenustæ sunt hæ digressiunculæ & interruptiones, cùm ipsa colloquutoris ex historia veluti oblata interrogatio, suo sibi iure responsum exigere videatur. Et huc in styli delectu respexisse Gregorium, aliosque verosimile est.

S. Gregorius dictus Dialogus.

Illud præterea hic notandum occurrit; ab hac Dialogorum scriptione appellatum iam olim eorum auctorem fuisse GREGORIVM DIALOGVM; ita vt inscriptio libri cesserit in cognomentum scriptoris. Quod quidem & alijs contigisse auctoribus notum est. Clementem enim Alexandrinum vocatum fuisse STROMATEVM, Cassiodorus lib.1. Institut. diuinar. lect. cap.8. asserit, quod stromata scilicet scripserit. Cassianus B. Prospero Collator, à Collationibus Patrum quas exarauit, dictus. Ioannes Abbas Montis Sina, cognomento Scholasticus, quia Climaca scripsit, Climaci nomen obtinuit. Petrus Lombardus, quod Patrum sententias in ordinem redegit, MAGISTER SENTENTIARVM audit. Strabo GEOGRAPHVS, quod geographiam, & orbem terrarum descripserit; sicut & Dionysius Alexandrinus propter περιήγησιν Periegetes Græcis dicitur: vt in sua ad Climacum Isagoge cap.2. Raderus annotauit. Eodem, vt dicebamus, modo à Dialogorum libris, Gregorius nuncupatus DIALOGVS.

Græcorum opinio de Gregorio Dialogo.

Verùm quod non immeritò prudens Lector admiretur, Græci (vt anno 604. ait Baronius) cognomentum Dialogi non primo, sed secundo tribuunt Gregorio. Cedrenus enim ad annum 10 Leonis hæc habet: *Romæ autem Gregorius Apostolicus vir, & Petri Apostolorum Corphæi assessor, qui ob suas lucubrationes Dialogi cognomen adeptus est, à Leone ob eius impietatem defecit, & pacto cum Francis inito, tributa Leoni denegauit.* Quæ in Gregorium primum non conueniunt. Tempore enim Leonis Isaurici Gregorius II. sedit, post mortem Gregorij Magni annis plus quàm centum. Interpres quoque, siue Librarius binas Epistolas Gregorij II. de sacris imaginibus ad Leonem Isaurum Imperatorem scriptas hoc titulo donauit: *Sancti Patris nostri Gregorij Dialogi Papæ Romani*, &c. quas à Frontone Ducæo acceptas, recitat Baronius tom. IX. anno 726.

Sed enim, vt optimè ab eodem Frontone observatum est, memoria lapsus est & Cedrenus, & hic Interpres. Quinimò liberè pronuntiat Possevinus in Apparatu sacro, viros perdoctos, qui Gregorio II. Dialogos adscribere tentauerunt, frustra in re clarissima cæcutijsse. Nam Gregorij illius Magni hoc esse cognomen apud Græcos, ex quo Zacharias Pontifex eius Dialogos in Græcum sermonem conuertit, constat ex ipsis Græcis. Ioanne in primis Damasceno Oratione de fidelibus defunctis: *Prodeat, inquit, in medium Gregorius Dialogus antiquioris Romæ Episcopus, vir, vt omnes nôrunt, tum vita sanctitate, tum eruditione clarus ac celebris*, &c. vbi agit de anima Traiani ab inferis, vt ferebatur, liberata. Similiter in Græcorum Euchologio, cap.96. *Quemadmodum Traianum per intentam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem flagro soluisti.* Quam historiam de Gregorio Magno constat sparsam, quem & Euthymius, & ex recentioribus Græcis Gennadius, & Bessarion DIALOGI nomine afficiunt, prout etiam nominatur ab Hieremia Patriarcha Constantinopolitano, Cap.12. eius libri, quo de doctrina Lutheranorum censuram tulit. Eodem nomine Magnum Gregorium compellat Luitprandus Episcopus Cremonensis, in legatione ad Nicephorum Phocam, obita nomine Othonis Magni Imperatoris. Factum autem id fuit, vt è Gregorio Thaumaturgo, Nazianzeno, Nysseno que distingueretur.

Refellitur.

Sed quænam erroris fuerit occasio, vt modò primus, modò secundus Gregorius Dialogus nuncupetur, cam Baronius tradit, quòd Gennadius Scholarius, vir doctissimus, eiusque sequaces Græci, primum Gregorium cum secundo confundant, dum vtrique, quasi vni Gregorio, DIALOGI cognomentum adscribunt.

PROLEGOMENON V.

De Petro Diacono Dialogorum interlocutore, & eorumdem dedicatione.

DE PETRO DIACONO DIALOGORVM INTERLOCVTORE.

Petrus interlocutor Monachus Benedictinus, & Cardinalis.



Vm non ipsum tantùm audituri simus S. Gregorium, sed sues etiam hic habeat partes Petrus Diaconus, operæ pretium erit, quis quantusque fuerit, litteris etiam consignare. Tradit autem Arnoldus Wion, Ligni vitæ lib.2. cap.8. & lib.5. cap.25. fuisse natione Romanum, professione Monachum Ordinis S. Benedicti, in Monasterio S. Andreæ Romæ ad Cliuum Scauri à S. Gregorio ædificato, & ab eodem Gregorio Papa creatum Diaconum Cardinalem. Zacharias Papa in titulo lib. 1. & 2. Dialogorum, *Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum* vocat. Quanto autem necessitudinis vinculo sanctissimo Pontifici Gregorio coniunctus fuerit, ipsemet aperit cùm in præfatione ad suos Dialogos ita ait: ibi (in secreto loco) itaque cum afflictus valdè, & diu tacitus sederem, dilectissimus filius meus Petrus Diaconus affuit, qui mihi à primæuo iuuentutis flore in amicitijs familiariter obstrictus est, atque ad

S. Gregorio multùm familiaris.

DE PETRO DIACONO DIALOGORVM INTERLOCVTORE.

ad ſacri verbi indagationem ſocius. Secretom porrò bunc locum mœrori aptum, in quem ſe Gregorius recepit, fuiſſe Monaſterium S. Andreæ, tradunt Antonius de Yepez, & Simon Milletius.

Sed mira quædam de hóc Petro, & S. Gregnrio eiuſque libris traduntur, quæ nos ex Ioannis Diacooi lib. 4. de vitâ S. Gregorij cap. 69. bîc repræſentabimus. *Quo, inquit, liberaliſſimo Paſtore defuncto, vehementiſſima fames eodem anno incubuit: & quanto patrono tunc Roma caruerit: licet rerum inopia toto pœnè mundo monſtrauerit, inuidorum tamen feritas minimè recognouit. Nam ſicut à maioribus traditur, cùm calumniarum veterum incentores, Gregorium prodigum, dilapidatoremq́ multiplicis Patriarchatus theſauri perſtreperent, deficiente perſonali materiâ, ad comburendos libros eius cœperunt pariter anhelare.*

Operum S. Gregorij defenſor.

Quorum dum quoſdam iam combuſſiſſent, ac reliquos vellent exurere, Petrus Diaconus familiariſſimus eius, cum quo quatuor Dialogorum libros diſputauerat, traditur vehementiſſimè obſtitiſſe, dicens, ad obliterandam eius memoriam librorum exuſtionem nihil proficere, quorum exemplaria, diuerſis petentibus, mundi ambitum penetraſſent: ſubiungens immane ſacrilegium eſſe, tanti Patris tot & tales libros exurere, ſuper cuius caput ipſe Spiritum ſanctum in ſimilitudine columbæ tractantis frequentiſſimè perſpexiſſet. Cumq́, dudum deuotum populum Diaconus cerneret occaſione temporis cum inuidis reſultare, in hoc omnium ſententiam dicitur prouocaſſe, vt, ſi quod dixerat, iureiurando confirmans, mori continuò meruiſſet, ipſi à librorum exuſtione deſiſterent: ſi verò teſtimony ſui ſuperſtes extitiſſet, ipſe quoq́ combuſtoribus manus daret.

Inſigni miraculo defenſionis veritas probatur.

Itaq́, cum Euangelij in ambonem venerabilis Leuita Petrus aſcendens, mox vt Gregorianæ Sanctitati teſtimonium prabuit, inter verba veræ confeſſionis Spiritum efflauit, & à dolore mortis extraneus iuxta pyrgi baſim, ſicut hactenus cernitur, confeſſor veritatis meruit ſepeliri.

Cur columba ſcribenti Gregorio adpingatur.

Hinc eſt, quod conſuetudinaliter Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper ſcribentis Gregorij caput depingitur, & quod expoſitionum illius pars maxima, quæ vtique ab inuidis exuſta recolitur, non habetur.

Hæc Ioannes Diaconus ex maiorum (vt ait) traditione. Sed dubia eſt Baroοio, anno Chriſti 604. Auctoris huius fides: quòd de illis oihil apud Iſidorum, Jldelphonſum, neque apud Paterium ipſius Gregnrij Nntarium ſcriptum inueniatur: Sigebertus etiam nullam, obſtante Petro Diacono, factam eſſe librorum exuſtiooem in Chronico teſtetur.

Supradicta hiſtoria reuocatur in dubium.

Dubium purgatur.

Sed, qui duos pro Ioanne Diacono exarauit libros, Conſtantinus Caietanus lib. 1. cap. 2. pluribus probat Ioannem Diacoonm, eiuſque ſcripta magnæ auctoritatis & fidei apud Eccleſiam catholicam ſemper fuiſſe. Et hanc ipſam S. Gregorij vitam à Ioanne Papâ VIII. approbatam, & inter diuina officia publicè recitari præceptam. Guimundus qooque Cardinalis Epiſcopus Auerſanus vetus ſcriptor lib. 3. de Sacramento Euchariſtiæ, de eâdem vitâ ſic loquitur: *Quâ ratione enim vitam S. Gregorij quilibet Chriſtianus apocrypham dicat, quam atteſtante Româ editam, tot ſanctiſſimi doctiſſimiq́, Romani Pontifices, nullo diſſonante hactenus probauerunt: eorumq́, auctoritatem ſecutæ tot Eccleſiæ, cuncto populo Chriſtiano conſonante, nunc vſque ſuſceperunt.*

Neque verò (pace illuſtriſſimi Baronij hoc dicere liceat) valet illa argumentandi ratio. Jſidorus, Jldephonſus, & Paterius nihil de bac Petri Diaconi hiſtoriâ ſcripſerunt, igitur illa numquam contigit, quam quidem concludendi ratinnem nollus meliùs refutârit ipſò Baronio. Ad annum enim Chriſti 47. àgens de S. Theclæ actis, quæ S. Hieronymus inter apocryphas Scripturas computat, quòd de iis S. Lucas indiuiduus Comes Pauli ipſe nihil ſcripſerit, reſpondet: *Multa, eademq́, perinſignia, quorum ipſe Paulus meminit, fuiſſe à Lucâ prætermiſſa: adeò vt inanis prorſus reddatur, illa argumentatio, ſuâ alioqui natura inualida: Lucas ea non ſcripſit, igitur non ſunt facta.* Adducit deinde contra Hieronymum in cap. 2. ad Galat. ita ſeribentem: *Nec mirum ſi Lucas hanc rem* (contentionem illam inter Petrom & Paulum Aotiochiæ obortam) *tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentiâ prætermiſerit: & non eſſe contrariam, ſi quod alius dignum putârit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatum, quod Lucas penitùs omiſit.* Hæc Hieronymus apud Baronium; cui ſimiliter reſpondebimus, aliorum de Petro Diacnno ſilentium nnn euertere Ioannis Diaconi aſſertionem, eumdem enim poſteriores Auctores ſecuti ſunt, Sigebertus de viris illuſtribus cap. 41. & 43. Petrus Equilinus lib. 3. cap. 193. Arnoldus Wion ligni vitæ lib. 5. cap. 25. Philippus Ferrarius io Catalogo Sanctnrum Italiæ, Antonius Yepez in Chronico Ordinis Anno Chriſti 602. cap. 1. Simno Milletius annotatinne ad Præfationem librorum Dialogorum S. Gregorij.

Prædicta hiſtoria paulò aliter refertur à quibuſdam.

Notandum tamen hîc, Equilinum & Ferrarium paulò, aliter hanc hiſtoriam referre. Tradunt eoim quòd cùm Petrus Gregnrio retuliſſet ſe Spiritum ſanctum in ſpetie columbæ ſuper caput ipſius prædicantis vel dictantis vidiſſe, Gregorium illi mortem prædixiſſe, ſi viſionem euulgaret. Mortuo igitur Gregorio cùm quidam eios æmuli (Ferrarius à ſucceſſore Sabiniano Papâ, quamuis id apud Baronium non legatur, factum narrat) illi detraherent quaſi Eccleſiæ theſauros diſſipaſſet, & in vindictam librns eius vellent exurere, Petrum tandem mnrtem pôtiùs, quàm ſancti Doctoris infamiam eligentem, ad hanc eos ſcotentiam deduxiſſe, vt ſecretum quod de Gregorio viderat reuelaret, & iureiurando firmaret: qno dicto ſi ſtatim decederet, à librorum exuſtione ceſſarent. Sin autem ſuperſtes exiſteret, ipſum cum libris ſimul incendio concremarent. Ita illi, conſentiente etiam citato anteà loco Arnoldo Wion, qui in Martyrologio die 12. Martij ait, cum *propoſito ſibi ſancti Gregorij Pontificis magiſtri ſui exemplo in omni ſanctitate eluxiſſe.* Idemque ait, viſo miraculo æmulos à librorum exuſtinoe deſtitiſſe, & ſancti viri corpus anno Domini 605. die 12. Martij ioxta Magiſtri tumulum ſepeliiſſe, ipſumqne vti ſanctum venerari cœpiſſe. Sed plnrima hîc meritò adiicienda habet Philippus Ferrarius; quem ſuis differentem verbis audi. Petri, inquit, corpus com apud Magiſtri tumulum conditum fuiſſet, poſteà Cæſarianum, oppidum Vercellenſis diœceſis, delatom; diu latuit; ac demom repertum anno ſalutis 1480. Salutiolam pagum eiuſdem diœceſis, in Eccleſiam eius nomini dicatam, ac multis redditibus pro alendis Canonicis præditam, tranſlatum fuit, ibique miraculis fulget. Nam & caſtrum & templom ab igne ab hoſtibus acceoſo, columbis tribus circumuoli-

Petri corpus

Claris miraculis.

De Petro Diacono Dialogorum interlocutore.

cumuolitantibus visis, immunia seruata sunt. Filius Dominorum Salutiolæ mutus à natiuitate ad S. Petri tumulum delatus, fandi obtinuit facultatem: quidam factus amens ad eiusdem sepulchrum deductus mentis compos euasit.

Salutiolæ autem dies festus pridie Kal. Maij maximè solennis est. Qui Translationis non Natalis eius est. Quem ad 12. Martij annotant Petrus Episcopus Equilinus, Wion, & Hugo Menardus in Martyrologio Monastico. Et hæc quidem de S. Petro Diacono.

Cui dedicati Dialogorum libri.

Quod verò ad horum Dialogorum dedicationem spectat, scribit Sigebertus libro de viris illustribus: Gregorium *librum Dialogorum, quem cum Petro, Diacono suo, de miraculis Sanctorum sui temporis habuit, Tendelinda Longobardorum Regina, pro munere misisse.* Addit Platina in Gregorio, *cuius lectione praeferocem & indomitum viri sui Antharis animum ad religionem & mitiorem cultum redigeret.* Alij hanc Trudelindam, vel Tedelindam, Baronius anno Christi 591. & sequentibus Theodolindam nominat. Hæc Agilulpho Longobardorum Regi nupta, cum ex Arianâ

Theodolindæ laus & pietas.

perfidiâ, positosque sub eo Longobardos siue Gentiles, siue Arianos ad catholicam fidem perduxit. Yepez noster id præsidio horum Dialogorum magnâ parte perfectum asserit. Theodolindam proinde Baronius decus & ornamentum Bauariæ principum iure merito appellat. Cùm autem religiosissimam Reginam tres schismatici Episcopi seducerent, statim Gregorius lib. 3. Epist. 4. ad illam litteras dedit, monens, ne tot lacrymas tantaque bona opera perire sineret, si à fide verâ inueniretur aliena. Sed non diu à catholicæ Ecclesiæ communione separatam fuisse apparet, nam prolem suam masculam in fide catholicâ voluit baptizari, eiusque rei Gregorium per litteras & Legatos certiorem fecit, qui eidem respondens lib. 12. Epist. 7. gratulatus est, misitque nato filio sacra munuscula. De eiusdem Reginæ pietate & affectu erga S. Ioannem Baptistam, cui Basilicam in Modoctiâ construxit, multisque ornamentis auri & argenti, prædiisque ditauit, vide Baronium Anno Christi 616. Marcum Velserum de rebus Boicis, & Matthæum Raderum Bauariæ sanctæ volumine 1. Fol. 35.

PROLEGOMENON VI.

Quâ curâ & fide S. BENEDICTI *vita descripta.*

Vita S. Benedicti quâ fide scripta.



QVAMVIS de Sanctissimi & Doctissimi Pontificis Gregorij auctoritate, fide & diligentiâ nefas videatur dubitare; quia tamen de eo quidam non satis dignè reperiuntur locuti, non indignum fuerit de iis hoc loco nonnulla annotare. Magdeburgici Centuriatores cent. 6. cap. 13. pag. 818. Dialogorum auctorem agnoscunt quidem Gregorium, sed eum suo more traducunt, dicuntque totum ac Monachorum præstigias celebrandas effusum, & in BENEDICTO ornando totum versari, & multarum rerum mirabilium ab eo gestarum meminisse, quas, cùm plenæ sint superstitione, ne relatu quidem dignas iudicauêre. Hæc hæretici maligni Sanctorum Patrum reprehensores. Sed quod mirêre, ex catholicis etiam non defuit qui Gregorij auctoritatem eleuaret. Melchior enim Canus Episcopus Canariensis lib. 11. locorum Theologicorum cap. 6. non dubitauit asserere Bedam in historiâ Anglorum, & Gregorium in Dialogis quædam miracula scripsisse vulgo iactata & credita, quæ huius præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem, inquit, historias illas probarem magis, si earum Auctores iuxta præfinitam normam, seueritati iudicij curam in eligendo maiorem adiunxissent. Sed quoniam modestè, & circumspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est: ne in his quidem duobus reiicienda sunt plurima. Pauca enim ex eis possis arguere, quamuis historiam Ecclesiasticam reuocare ad seueriora iudicia contendas. Hæc ille, quem grauiter reprehendit Baronius in notis Martyrologij 23. Decemb. aitque aduersus prædictos Dialogorum libros inconstanter ac inconsultè nimis locutum, & quos iam mille ferè annis tam Occidentalis, quam Orientalis Ecclesia summâ fide, dignâ veneratione, immensisque est laudibus prosecuta, audeat nouus assertor in controuersiam revocare, ac fide minuere. Subdit verò citari eosdem Dialogos à S. Iuliano Toletano Episcopo in libris Prognosticon; à Concilio Triburiensi cap. 17. ab Adriano Papâ in Epistolâ ad Carolum Magnum; à Ionâ Aurelianensi ad confutanda portentosa monstra Claudij Taurinensis. Sed ipse se Canus eodem capite satis refutat, cùm ait: Prima historiæ lex ex hominum probitate integritateque sumetur. Quæ omnino res locum habet, cùm quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderunt, accepisse. Qualia sunt pleraque in Epistolis Ambrosij, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque huius de Ciuitate Dei, in Dialogis Gregorij, breuiter in omnibus ferè Doctorum Ecclesiæ probatissimorum scriptis: in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippe præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, vt in rebus eiusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis habeatur.

Hereticorum calumnia in S. Gregorium.

Incautum iudicium de Dialogorum fide.

Dialogorum auctoritas propugnatur.

Quæ cùm ille scribat, mirum profectò videri possit, cur paucis interiectis paginis mutatâ sententiâ ea subiecerit quæ iam ante citauimus. Sed ostendamus primam hanc legem à Gregorio seruatâ: Etenim vt de viri sanctitate, fide, iudicioque integerrimo dubium nullum est: ita constat eum Dialogorum libros non ante scripsisse, quàm ad vniuersalis Ecclesiæ regimen, vt aliàs iam diximus, esset assumptus: Scripsit enim eos Pontificatus sui anno quarto, vt colligi potest ex libro quarto Dialogorum cap. 36. cùm pestilentiam, quæ primo anno suæ sedis Romam afflixit, ante triennium esse grassatam affirmat.

Dialogos Gregorius summâ fide conscripsit.

De fide autem eorum quæ narrat, quis ausit ambigere, cùm ea dumtaxat commemoret quæ magnorum & fide dignorum didicerit relatu? Testatur id ipse in ipso Dialogorum limine, dicens se, quæ narraturus esset, *bonis ac fidelibus viris attestantibus agnouisse, vel per semetipsum didicisse.* Et post pauca ait: *ea quæ mihi sunt virorum venerabilium narratione comperta, incunctanter narro. Sed vt dubitationis occasionem legentibus subtraham, per singula quæ describo, quibus hæc narrantibus mihi comperta sint, manifestabo. Hoc verò scire te cupio, quia in quibusdam sensum solummodo, in quibusdam verò & verba cum sensu teneo: quia si de personis omnibus ipsa specialiter verba tenere voluissem, hæc rusticano vsu prolata stilus scribentis non aptè susciperet.* Hæc Sanctissimus Pontifex vniuersè pro toto Dialogorum opere: ex quibus clarissimè videre est, quâ religione & quàm anxiè singulis exemplis suum assignet auctorem. Quod verò vitam S. BENEDICTI spectat, in ipso narrationis exordio, quibus ea quæ adfert cognouerit auctoribus, statim indicat. *Huius,* inquit, *ego omnia gesta non didici: sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui: Constantino scilicet reuerendissimo valdè viro, qui ei in Monasterij regimine successit: Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranensi Monasterio præfuit: Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit. Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius in quâ prius conuersatus fuerat* (in Sublaco) *præest.* Quatuor autem hi idonei prorsus testes sunt, & omni acceptione dignissimi, vtpote qui cum sanctissimo Patre BENEDICTO vixerint, omnesque sanctos fuisse Antonius de Yepez in Chronico tradit: quanquam duorum tantùm in Monastico suo Martyrologio mentionem fecerit Arnoldus Wion ad diem 29. Martij ita scribens: *In monte Casino inuentio corporum Sanctorum Simplicij & Constantini Abbatum, & Carlomanni Regis & Confessoris.* Valentinianus autem fuit Abbas Lateranensis; vt videre est apud Wion ligni vitæ lib. 1. cap. 4. Sed satis non fuit Gregorio quatuor hos adduxisse testes, nam quoties aliquid ab aliis acceptum recenset, statim subiicit, quo id referente didicerit. Ita namque cap. 26. ait: *Sed neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognoui: qui aiebat Patris sui puerum,* &c. Et paulò pòst: *Neque illud taceam, quod eius discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueuerat.* Cùm autem cap. 27. retulisset vaticinium de Romanæ vrbis excidio scrupulosè pænè subiungit: *Quamuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet: sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.* Atque hæc sine dubio suffecerint ad fidem Gregorio astruendam, eumque à dormitantia & seuerioris iudicij neglectu vindicandum. Ildephonsus sanè Toletanus lib. de viris Illustribus cap. 1. post eximiam de sanctitate, eloquentiâ, & sapientiâ Gregorij commendationem, ista de hoc opere non dubitauit scribere. *De vitis Patrum per Italiam commorantium edidit etiam libros quatuor, quos volumine vno compegit, quem quidem codicem Dialogorum maluit appellari. In quibus libris, quanta diuinitatis lateant sacramenta, & in amore cælestis Patriæ mira documenta, studiosus potest facilè cognoscere Lector.* Subdit post pauca: *Felicissimus igitur & nimium felix, cui dedit Deus studiorum eius omnia perpendere dicta.* Hactenus Ildephonsus.

Vita S. Benedicti quâ fide scripta.

S. Ildephonsi de Dialogis iudicium.

PROLEGOMENON VII.

Quanti æstimatum fuerit vitam S. BENEDICTI *à Magno Gregorio descriptam?*

VITA S. BENEDICTI DIGNITAS A SCRIPTORE.



SI velut eximium quid in laudibus præcursoris Domini, quo inter natos mulierum non surrexit maior, reponatur, quòd Saluator noster Dei sapientia, & summa veritas seruo suo panegyricum dixerit, amplissimisque extulerit præconiis: ad sanctissimi P. N. BENEDICTI commendationem quoque spectare non inutiâ dixerim, quòd illius vitâ non abs vulgari quopiam Scriptore, sed à summo Christi in terris Vicario, eodemque Gregorio Magno sit litteris consignata. Alexander Magnus Achillem fortunatum exclamauit, qui præconem Homerum reperisset. Auctor Flauius Vopiscus in Probo. Idemque, vt Horatius ait: Epistolarum lib. 2. Epist. 1.

Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Quidni beatum etiam dixerim Patriarcham nostrum, qui virtutum suarum nactus est præconem Gregorium, maximum Ecclesiæ Doctorem? Gregorium, inquam, quem Isidorus Hispalensis, de viris Illustribus cap. 40. vocat *compunctione timoris Dei plenum, & humilitate summum, tantoque per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditum, vt non modò illi præsentium temporum quisquam, sed nec in præteritis quidem par fuerit vnquam.*

Illustrium virorum de Magno Gregorio elogia. S. Isidori.

Eumdem porrò Ildephonsus Toletanus, de viris Illust. cap. 1. non est veritus sublimiori elogio exornare; prædictis enim Isidori verbis subiungit: *Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas: vicit enim sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, sapientiâ Augustinum.* Hæc Ildephonsus. Quæ si videri possint hyperbolicè dicta (ait Baronius Anno Christi 604.) quod ex his possis consequi, illud est, quòd ea æstimatione ad posteros fama de sanctitate & doctrinâ Gregorij propagata est, vt maxima quæque Gregorium diligentibus visa sint ipso minora Gregorio. Quem & Rupertus Tuitiensis lib. 4. in Regulam S. BENEDICTI cap. 7. huiusmodi decorauit elogio. *Beatus Gregorius de nouissimis Patrum nostrorum est Sedis Apostolicæ lampas splendida, & pro merito sermonis egregij sanctæ vniuersalis Ecclesiæ columna argentea, & reclinatorium aureum in quo sine dubio reclinauit se ipsa Sapientia. Hic dixit & scripsit, quia* B. BENEDICTVS *omnium iustorum spiritu plenus fuit.* Laudibus proinde S. BENEDICTI maximum à Scriptore maximo pondus accedit, quod ab iis qui res eius sunt prosecuti, maximi semper habitum. Martyrologium Romanum: *In monte Casino natalis S.* BENEDICTI *Abbatis, qui Monachorum disciplinam in Oriente penè collapsam restituit, ac mirificè propagauit: cuius vitam virtutibus & miraculis gloriosam*

S. Ildephonsi.

Ruperti Tuit.

VITA S. BENEDICTI DIGNITAS A SCRIPTORE.

beatus Gregorius Papa conscripsit. Paulus Diaconus in historiâ Longobardorum: *Beatissimus* BENEDICTVS *magnis vitæ meritis & Apostolicis virtutibus effulsit: cuius vitam, sicut notum est, B. Papa Gregorius in suis Dialogis suaui sermone composuit.* Et Aldelmus Schireburgensis Episcopus in lib. de laude Sanctorum de S. BENEDICTO agens, hæc habet:

Primo qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant Cœnobia normam.
Quoque modo properet directo tramite Sanctus
Ad Superum scandens cælorum culmina cultor,
Cuius præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præsul chartis descripserat olim.

Goffridus Vindocinensis in serm. de S. BENEDICTO: *Merito,* inquit, *non omnium iustorum spiritum habuisse tantum, sed omnium iustorum spiritu plenus fuisse in secundo libro Dialogorum sancti Gregorij laudabilis vitæ Doctoris, qui venerabilem vitam illius scripsit, prædicatur.* Sed amplissimè hinc S. BENEDICTVM

S.Odonis.

celebrandum putauit S. Odo Cluniacensium Propatriarcha, quem suis verbis loquentem attende Serm. de S. BENEDICTO. *Quoniam,* inquit, *verò sancta atque admiranda eius* (BENEDICTI) *gesta in promptu habentur, nos interim taceamus de illis. Hoc tamen ad ipsius honorificentiam referamus, quod non alius quilibet ex Magistris Ecclesiæ vitam tanti Patris digessit, quàm insignis ille discretissimus Papa Gregorius, qui totum quod scripsit, quasi aurum refulget. Diuinitus enim dispositum est vt cùm idem excellentissimus Legislator in cæteris modis sit à Deo decoratus, etiam hinc maiori auctoritate, eam ipse quàm legislatio eius roboretur: quod eandem vitam summus Apostolicæ Sedis Pontifex ordinauit. Quæ scilicet vita, etiam ex occasione Dialogi eius, pluribus innotesceret; & non solùm apud Latinos, sed etiam apud*

S.Odilonis.

Græcos notissima foret. Hæc ille. Eodem sensu S. Odilo in vitâ S. Maioli: *Beatissimus Pater, merito Benedictus & nomine, quasi quoddam sydus cæleste præclarus enituit. Qui tantus ac talis, vitâ, moribus & miraculis extitit, vt eius ortum, vitam & obitum describendo sanctissimus Papa Gregorius, per omnia vir Apostolicus, & Apostolicæ Sedis Episcopus, testimonium ei præberet, qui inter principales Primates Ecclesiæ insigne quoddam & principale priuilegium, & vita, & doctrina dignoscitur obtinere.* Similiter Aimoinus Floriacensis Cœnobita

Aimoni.

Serm. de S. BENEDICTO: *Superna dignatio Maiestatis electos suos cælestibus munerans donis, in terris quoque eximiis laudum ditat præconiis. Quæ per seruos suos, summa scilicet eloquentia viros, dilatans in populis, quàm magni apud se sint meriti, facundiis elucidari præstat scriptis. Vnde egregij meriti famulum Benedictum, tanto præ cæteris sanctæ Ecclesiæ Patribus donauit priuilegio, vt eius vitæ laudes, non quilibet Scholasticorum, verùm præcipuum Doctorum Gregorius, sanctæ Sedis Apostolicus, mellitis dilatârit eloquiis. Et multorum quidem Sanctorum duo aut tria deflorauit miracula: huius autem qualis ab ineunte ætate fuerit vita, quamque mirandum habuerit transitum, dulcissimâ promulgauit facundiâ.* Idemque lib. 2. de gestis Francorum cap. 22. *Tanti* (BENEDICTVS) *effulsit miraculorum signis, vt nisi vir toto, venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator, simulq; assertor eximius, profectò ab infidelibus tam mirandis derogaretur actibus.* Robertus Antissiodorensis ex ordine Præmonstratensi in Chronico ad annum 538. *Huius* (BENEDICTI) *vitam sanctus Papa Gregorius scripsit virtutibus plenam, & miraculis coruscantem, quam ab iis didicit & audiuit qui faciem illius viderunt, & ei in præsenti peregrinatione comites fuerunt: Quam etiam vitam, & Regulam idem Dominus Apostolicus auctoritate roborauit & stylo.* Wernerus Roleuinck Carthusianus in fasciculo temporum, Anno Christi 504. *Legislator excellentissimus* BENEDICTVS, *Pater maximus, totius Ecclesiæ fulcimentum & norma Religionis, inclytissimos habuit discipulos, & plures numero, & obtinuit orbem terrarum, &c. ad cuius honorificentiam hoc etiam accessit, quod non alius quilibet ex Magistris Ecclesiæ, vitam illius digessit, quàm insignis ille discretissimus Papa Gregorius: quia totum quod fecit, quasi aurum fulget; diuinitus enim dispositum est, vt cùm idem Legislator excellentissimus in cæteris modis sit à Deo decoratus, etiam hinc maiori auctoritate, eam ipse quàm Legislatio eius roboretur: quòd eandem vitam summus Apostolicæ Sedis Pontifex ordinauit.* Sic ille.

Cæterùm vt præstantissimorum artificum si quæ remanserint imperfecta opera, alij minoris ingenij perficere ac ne attingere quidem audent, operum præstantiâ deterriti; quod nimirum ea adæquare se posse desperent: ita religio quædam inuasit non ignobiles Scriptores, qui maiestate & sanctitate Gregorij præstricti, summâ quadam erga sanctissimum Pontificem reuerentiâ abstinendum putauerunt ab vlteriori gestorum & miraculorum S. BENEDICTI narratione, illud sibi persuadentes ad Gregorij scriptionem aliquid addidisse, idem esse ac decerpsisse. Ita citatus paulò antè

Post Gregorium S. Benedicti gesta referre, vix ausi Scriptores.

Aimoinus: *De ferro,* inquit, *quod ex profundo aquæ rediit, nobis tacendum, vt summo Præsuli Gregorio congruus honor exhibeatur, qui hunc beatissimum Patrem nostrum* BENEDICTVM *in hoc signo, huic sancto exæquauit Elisæo.* Et pluribus interiectis: *Cæterum ea quæ à beato Gregorio descripta sunt, eius relinquimus excellentiæ. Hoc de nobis proculdubio profitentes, nequaquam gloriam tanti Patris, nostris laudibus eò propagari, quò eam promulgauit dulcis eloquentia huius Præsulis. Qui videlicet beatus Papa, vti Ioannes, maioris eius vitæ descriptor, testatur: Missis Anglorum genti prædicatoribus, huius mansuetissimi Legislatoris institutionem, post Euangelium, præcipuè obseruandam tradidit.* Eadem mente S. Petrus Damiani sacrum atque veridicum Gregoriani styli veneratus eloquium, sermonem in sancti BENEDICTI Festo ita exorditur: *In huius Patris nostri præcipuâ solennitate, totis esset viribus incumbendum, nisi nobilis lingua Gregorij totum eius itinerarium sermone magnifico collegisset. Ita enim & actus eius, & vitam vndantis eloquij claritate depinxit, vt & stylus sententiarum maiestate scintillet, & sententia stylo reluceant clariori. Ex abundanti igitur est, post vocem tanti viri aliquid addere, in cuius comparatione nos non solùm ineloquentes, sed & mutos esse non ignoramus.* Sic ille.

PRO-

PROLEGOMENON VIII.

Qui vitæ sancti BENEDICTI *à Gregorio scriptæ Interpretes?*

Vita S. Benedicti Interpretes. Vita S. Benedicti in alias linguas translata.



EA est scriptorum Magni Gregorij, vt iam vidimus, dignitas, ea apud plerosque existimatio, vt plures ea vel in compendium redigere, vel in alias transferre linguas fuerint conati; nimirum & Auctoris tanta excellentia, & rerum, quas tractat, vtilitas ac præstantia, & dicendi character elegans ac venustus, ita omnium rapuit animos, vt suo eum quisque idiomate loquentem optaret audire. Quod quidem in quatuor Dialogorum libris, quorum secundus totus est de S. P. N. BENEDICTO, vel maximè apparet. Illi enim in exteras linguas à præstantissimis auctoribus sunt transfusi.

A Zacharia Papa in Græcam.

De Græca, ita Joannes Diaconus vit. S. Gregor. lib. 4. cap. 75. *Libros Dialogorum Zacharias sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus, Græco, Latinoq; sermone doctissimus, temporibus Constantini Imp. post annos fermè centum septuaginta quinque, in Græcam linguam conuertens, Orientalibus Ecclesiis diuulgauit.* Factum id (inquit Baronius) ita planè experientibus Græcis Romanas merces, quas noscerent omni penitus impostura carere. Huius quoque versionis meminit Sigebertus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 87. Versio porrò Zachariæ locis plurimis paraphrastica ferè est: fusiùs pleraque narrans quàm in Latino Gregorij textu contineantur: quæ vel aliunde fortsitan intellexerit, vel traditione ab aliis acceperit. Ipsum porrò Sanctum Patrem BENEDICTVM pulcherrimis passim suauissimisque exornat epithetis ac titulis, vt filialem erga Parentem suum affectum quoquo modo ostendat. Fuisse enim hunc Zachariam ex Benedictinâ familiâ Arnoldus Wion, & Antonius de Yepez, aliique tradunt. Addendum hîc porrò, quod scribit Gerardus Ioannes Vossius lib. 2. de historicis Latinis cap. 23. In Cæsareâ bibliothecâ, quæ est Viennæ, exstare codicem MS. Gregorij huius nomen præferentem: continet autem Dialogum Græco-Latinum de vita B. BENEDICTI. Is si genuinus, Latinè quidem sit à Gregorio; (sanè eum id argumentum tractasse, dicit Sigebertus) sed translatio ab alio fuerit: fortasse à Zacharia Papa, vel aliquo, qui iussu Zachariæ verterit; vel ab Anastasio Antiocheno Episcopo, qui Pastoralia in Græcum sermonem transfudit. Sanè Gregorij esse nequit, cùm ipse epistulâ ad Eusebium, Episcopum Thessalonicensem, se Græcè nescire, ingenuè fateatur. Hactenus ille. Ego verò crediderim Latina Gregorij, Græca esse Zachariæ. Possevinus autem in Apparatu sacro scribit anno Christi 1603. Ingolstadij vtrâque linguâ editum prodiisse secundum Dialogorum S. Gregorij Papæ librum, quem hactenus diu desideraui. Vtilitas porrò Græcorum horum Dialogorum, cùm ex aliis multis facilè intelligi possit, tum ex eo maximè, quòd non solùm olim in Concilio Lugdunensi, quod Gregorius decimus habuit, verùm etiam in Florentino, ij Dialogi Græci vnà cum aliis veterum Græcorum Patrum monimentis desiderati non modò sint, verùm etiam iam inde vsque à Græcia asportati, ad retundendam ipsorum Græcorum pertinaciter à Latinis dissidentium audaciam. Quare factum est, vt cùm contra Græcos est aliqua vnquam suscepta disputatio: plerique etiam Græci, ex iis ipsis Dialogis contra suos argumentorum arma sumpserint. Id verò in multis aliis animaduerti licet, sed præsertim & in Emmanuele Caleca, qui horum Dialogorum doctrinis instructus, in eodem Concilio Lugdunensi, egregia disputationum certamina contra suos confecit; & in Gennadio Scholario, Patriarchâ Constantinopolitano, qui in ipsâ Synodo Florentinâ Oecumenicâ, Græcos cum Latina Ecclesia de quibusdam fidei Catholicæ decretis diu pugnantes vicit argumentorum & doctrinarum armis, quæ sibi ad dicendum sumpsit ex horum Græcorum Dialogorum auctoritate, quam maximi semper fecit, & vetus & recens Græcia. Ista ex argumento libris Dialogorum in Vaticanâ editione præscripto.

S. Gregorius non est auctor Dialogorum Græcorum.

Dialogi græci magni apud Græcos ponderis.

Vita S. Benedicti Anglicè translata.

Sed iam ad alias versiones sermonem conuertamus. Anglicè eosdem redditos à Werefrido Wigorniensi Episcopo petente Ælfredo Rege prodidit Asserus Syteburgensis eiusdem Ælfredi Sacerdos pag. 14. *Imperio,* inquit, *Ælfredi regis libros Dialogorum Gregorij Papæ, & Petri sui discipuli, de latinitate primus in Saxonicam* (Anglicam intelligit) *linguam, aliquando sensum ex sensu ponens, elucubratim & elegantissimè interpretatus est.* Sic ipse. Meminerunt eiusdem translationis Florentius Wigorniensis, Indulphus Abbas Croylandensis in Chronico anno 874. Guilielmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Regum Anglorum cap. 4. vbi in Anglicum eos sermonem conuersos scribit. Rogerus Houedenus 1. part. Annal. Anglicorum. Sed Balæus nostri æui scriptor hæreticus defert Ælfredo Regi, centuria 2. Catalogi scriptor. Britanniæ. Constat autem eumdem Regem eruditum fuisse & Pastorale S. Gregorij in Anglicam vertisse linguam, vt Asserus in vitâ Ælfredi & Harpsfeldius hist. Anglicanæ sæculo nono cap. 6. testantur. Versio autem Dialogorum ad hunc vsque diem exstat MS. Cantabrigiæ in Collegio S. BENEDICTI vt testatur Pithus. Wion verò Lig. vit. lib. 2. cap. 1. refert in fine translationis Dialogorum S. Gregorij in linguam Saxonicam, Ælfredum Regem ista scripsisse: *Hoc scriptum Augustinus trans salsum mare ab Austro ad incolas huius Regni pertulit, sicut illud antea præparauerat seruus Domini Papa Romanus, rectus vicarius gubernans Gregorius, considerata vir fortitudinis, absque furore; summo sensu, sapientiâ, consilio præditus; immensus thesaurus,*

VITÆ S. BENEDICTI INTERPRETES. *saurus, quoniam is generis humani partem maximam cælo lucrifecit: Romanorum vir optimus: mentis magnitudine abundantissimus, Maiestate liberrimus.* Hæc Ælfredus Rex.

Gallicè. Gallico sermone iam olim donatos scribit Joannes Picardus, & versionis illius exstare in bibliothecâ S. Victoris Parisiis duos codices calamo exaratos. Nouissimè eosdem Gallicè traductos, historicis annotationibus illustrauit D. Simon Millerius S. Germani à Pratis Religiosus. Et sanè dignissimi sunt vt omnium linguis fideli populo, & maximè Ordinis nostri Religiosis proponantur, vt sanctissimi Parentis sui, & multorum qui eius vestigia sunt secuti, viuis instruantur exemplis.

PROLEGOMENON IX.

Quæ vita S. BENEDICTI *vtilitas?*

VITÆ S. BENEDICTI VTILITAS. *Magna exemplorum vis.*



VM magna exemplorum in vtramque partem sit vis, nemini dubium esse potest, quin vtilem Reipub. nauent operam, qui Sanctorum vitas, & rectè viuendi exempla litterarum monumentis consignant. *Vtrumuis enim* (vt inquit Lipsius Monit. & exemp. polit. lib. 1. cap. 1.) *præstant, illustrant, dum in rem velut præsentem ducunt, & facta ostendunt, quæ facienda suadentur: fouent etiam dum animum erigunt, & re docent non noua, non ardua proponi. Sed & viam præeunt, in quâ vestigia tutò ponamus.* Prudenter proinde Magnus Basilius epist. 1. ad Greg pietatis studiosos ad Sanctorum vitas & exempla consideranda ablegat. *Quemadmodum,* inquit, *pictores, cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes; lineamenta eius transferre conantur magno studio ad suum opificium: ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, velut simulacra quædam spirantia & actuosa, Sanctorum vitas respicere oportet, probaq; opera illorum sua imitando facere.*

Eiusdem mentis animique fuit S. P. N. BENEDICTVS, qui Regulæ cap. 42. suis quotidie non tantùm Collationes, sed & vitas Patrum decreuit prælegendas. Cur autem hoc? nimirum censebat *Collationes Patrum, & instituta & vitas eorum, nihil aliud esse nisi bene viuentium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum.* cap. 73. Sed quod ille de aliorum Sanctorum scriptâ vitâ asseruit, hoc de eiusdem & nos iure merito possumus affirmare. Etenim vt ille etiamnum viuens dum virtutibus signisque in solitudine succresceret, plures ad Omnipotentis Dei seruitium suo attraxit exemplo: idipsum ab exarata vitæ eius historia licebit expectare. Et hoc sanè fine à Magno Gregorio descriptam non ambiget qui Dialogorum suorum libris hanc ab eo præpositam sententiam leget: *Sunt nonnulli quos ad amorem patriæ cælestis plus exempla, quàm prædicamenta succendunt.*

Etsi autem hæc sint verissima, incongruum tamen non fuerit de tanti Patris vitâ, illustriumque quorumdam virorum hîc attexere elogia, è quorum numero primus sit Gregorius, qui lib. 2. Dialog. cap. 21. ait, voluisse Deum Omnipotentem BENEDICTI VITAM, *in exemplum hominibus demonstrare, vt posita supra candelabrum lucerna clarescerer, quatenus omnibus qui in domo Dei sunt, luceret.*

Illustria de S. Benedicto elogia. 1. Gregorij Magni.

2. Breuiarij Monastic. Testimonio huic amplissimo, proximo succedat loco Breuiarium Monasticum Pauli V. auctoritate recognitum, in quo de S. Patre, ita legitur: *Gloriosus confessor Domini vitam angelicam gerens in terris, speculum bonorum operum factus est mundo; & ideò cum Christo iam sine fine gaudet in cælis.* Præcesserat S. Odo tertio hîc loco commemorandus, qui de hoc venerabili Patre, eiusque filiis serm. de S. BENEDICTO, ita loquitur: *Quisquis verò nostrûm vult sui meriti faciem contemplari, necesse habet vt in hoc speculum intendat, id est, vt eiusdem beatissimi Confessoris actus, sollicitus perpendat. Inspectus etenim, prout nostra paruitas est, illius gestis, vel quantum nos in imo, vel quantum ipse in sublime sit, animaduertere poterimus. Hinc de quolibet pœnitente scriptum est: Respiciet homines, id est, Sanctos: & dicet, peccaui. Quoniam ad illorum speciositatem considerat, quantum se deformem attendat.* Qui post pauca & hæc subdit: *Eius verò laudes quisque tantò celsiore voce clamet, quantò hunc ardentiùs amat, vel eius vitam perspicaciùs pensat, quæ nimirum à sui primordio, tota admiratione dignissima est.* Sermonem verò ita tandem concludit: *Nunc omnes, vel loco, vel affectu vicini, in eum cordis intuitum dirigant; omnia enim omnibus factus est. Habent enim pueri formam in puero quam sequantur, vt quoniam ad exemplum Isaac Deo oblati sunt, primordia sua caueant fermentare. Ac deinceps quique per ætatum successiones, sine perfecti sensu, vt à paterna sui Nutricij pietate non degenerent: ne fortè si ab excellentiori gradu ceciderint, grauiùs elidantur. Sed & nos quicumque deliquimus, nullo modo ab sperata clementia deficiamus, quia viuens, & post obitum, mortuos suscitauit, confracta restaurauit, desperata curauit.*

3. S. Odonis.

4. Goffridi Vindocinensis. Quartus testis sit Goffridus Vindocinensis S. R. E. Cardinalis Serm. de S. BENEDICTO: *Quem* (BENEDICTVM) *Deus hominibus exemplum bene viuendi voluit demonstrare, Presbyter ad Ecclesiam, quam regebat veniens, nec potuit occultare, nec voluit. Fama igitur discurrente sanctæ conuersationis illius,* BENEDICTI *nomen non mediocriter mundo innotuit, quia posita supra candelabrum lucerna latere non potuit, quæ in hominibus peccatorum tenebras fugans, & eorum mentes splendore bonæ actionis irradians, in amorem sui Creatoris conuertit.* Iterumque sub finem: *Nam illum idcirco nobis specialiter misit Deus, vt ipse & formata vita sua exemplo nos propriè & singulariter informaret, atque sua doctrinâ sapientiæ nobis quæ sunt bona, familiariter nuntiaret. Illum etiam post se præcipuum patrem, pastorem, medicum, & Magistrum decreuit esse Monachorum.*

5. S. Bernardi. Quintum testimonium suggerit mellifluus Bernardus serm. de S. Benedicto: *Non credebat Benedictus tunc esse fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus*

tationibus vrgebatur; sed venit tempus, & in tempore suo fructum dedit. De fructu eius sunt tria illa quæ superius tetigi, sanctitas eius, iustitia eius, pietas eius. Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita iustitiam. Vides, ô iumentum Christi, ramos foliis virentes, vernantes floribus, onustos fructu? super istos innitere, vt greßus rectos facias pedibus tuis. Et paucis intermissis: *Doctrina eius instruit nos & dirigit greßus nostros in viam pacis. Porrò vita iustitia, omnino roborat & animat nos, vt tantò magis accendamur ad agenda quæ docuit, quantò certi sumus eum non alia docuiße quàm fecerit. Sermo quidem viuus & efficax, exemplum operis est: plurimùm faciens suasibile quod docitur, dum monstrat factibile quod suadetur. In hunc ergo modum & sanctitas confortat, pietas informat, iustitia confirmat. Quanto enim pietatis fuit, quòd non solùm præsentibus profuit, sed & pro futuris sollicitus fuit: Non solum his, qui tum erant, fructum tulit hæc arbor, sed vtique hodie fructus eius & crescit, & manet. Dilectus planè Deo & hominibus, cuius non sola præsentia in benedictione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo iam cogniti: sed & memoria eius etiam nunc in benedictione est; nam & vsque hodie in triplicem amoris Domini confeßionem, triplici hoc fructu pascit Domini gregem: pascit vitâ, pascit doctrinâ, pascit intercesione.*

VITÆ S. BENEDICTI VTILITAS

His verò accedat Dionysius Carthusianus sextus testis qui serm. 2. de S. Benedicto ait: *Tota ipsius vita informatiua est Monachorum, potißimè quædam ipsius gesta.* Nec minùs erga hunc sanctissimum virum eiusque vitam affectus fuit Carthusianorum Institutor S. Bruno, qui serm. 8. de Confessoribus, septimum his verbis profert elogium: *Vtinam B. Benedicti nomen & memoriam semper in corde habeamus, quatenus dum eius memores sumus, eius vitam & sanctam conuersationem imitari semper & tenere poßimus.*

Sextum Dionysii Carthusiani.

Septimum S. Brunonis.

Post Heroës hos, si & mihi, instar Catelli colligentis micas quæ cadunt de mensa Dominorum meorum, fas esset aliquid adiicere, id equidem quod de S. Antonio olim præfation. ad eius vitam, dixit Athanasius, de nostro itidem assererem Patriarchâ. *Etenim mihi ingens lucrum est atque vtilitas hoc ipsum quod recordor Benedicti: & vos cum admiratione audientes, scio eius propositum cupere sectari: perfecta est siquidem ad virtutem via, Benedictum scire quis fuerit.*

PROLEGOMENON X.

Vita S. BENEDICTI *moralis, & præsertim Monasticâ doctrinâ illustrata.*

VITA S. BENEDICTI MORES INFORMAT.



QVæ superiori prolegomeno allata sunt testimonia, tantò fidem merentur maiorem, quantò certius est eos, qui hanc S. P. BENEDICTI vitam, ceu absolutam quandam monasticæ vitæ ideam, viuumque & spirans sanctitatis exemplar secuti sunt, ad eximium perfectionis gradum peruenisse. Quo in numero Ordinis nostri minimè paucos extitisse, vix esse credo qui dubitet. Magna sanè illa post solem nostrum Sydera, Maurus & Placidus, paternæ virtutis æmuli, vestigia eius vt tempore, ita & moribus proximè sunt sectati; vt enim ex vtriusque vitâ licet colligere, quod eum facere videbant, idipsum moribus quàm accuratissimè exprimebant.

Quòd autem illi viuum intuentes prototypon in se repræsentarunt, id alij deinceps ex hac à Gregorio descriptâ historiâ imitari conati sunt. Hinc adeò factum est, vt obortis subinde controuersiis & difficultatibus, hac vnâ S. BENEDICTI vitâ, eiusque exemplo plures Sancti, & illustres viri se, suamque doctrinam defenderint. Credebant nimirum minimè improbandum, quod tanti Patris firmaretur exemplo: quod quidem cum ad S. Patris nonnullam spectet gloriam, eamque quam diximus exaratæ eius vitæ comprobet vtilitatem, nonnullis confirmabimus exemplis.

S. Benedicti exemplum morales doctrinas firmat.

Ex hac igitur vita B. Nilus apud Baron. anno Christi 980. docuit fas esse Dominico ieiunare die. De hoc enim à Cassinatibus interrogatus Monachis respondit: *Quomodo Sanctus Benedictus ieiunans Dominicis & festis diebus, vel ipsum Pascha ignorabat, quando esset? quapropter sciendum quod omnia quæ fiunt propter Deum, bona sunt, nec contemnenda.*

Ex hac vitâ Petrus Blesensis epist. 86. Alexandro Carthusiano persuadere conatur, ne Ordinem suum, quòd quotidie in eo rem diuinam facere non posset, deserat, transeatque ad laxiorem, quia, inquit, *sciu quòd Monachorum Pater & sacri Ordinis institutor, nec etiam sacerdotij gradum attigit, expersque Missarum multo tempore, etiam in die Paschæ, vtrum Paschalis esset solennitas ignorauit.*

Primi Cistercienses (vt ex appendice ad Chronicon Sigeberti anno 1107. dicitur) *quia nec in Regulâ, nec in vitâ S. Benedicti eumdem Doctorem legebant possedisse Ecclesias, vel altaria; seu oblationes & sepulturas, vel decimas aliorum hominum; seu furnos, molendina, aut villas, vel Rusticos, nec etiam feminas monasterium eius intrasse; nec mortuos ibidem (exceptâ sorore suâ) sepelisse, ideò hæc omnia abdicauerunt. Quia etiam B. Benedictum non in ciuitatibus, nec in castellis, aut in villis, sed in locis à frequentia populi semotis, cœnobia construxisse sancti viri illi sciebant; idem se æmulari promittebant; & sicut ille per duodenos Monachos monasteria constructa adiuncto Patre disponebat, sic se facturos confirmabant.* Ita nouella illa plantatio (vt ibidem paulò antè dicitur) *non arbitrata est incongruum, si S. Patris Benedicti, cuius amplectatur instituta, imitaretur & exempla.*

Ex hac ipsâ vitâ S. Petrus Damiani opusc. 19. cap. 11. Nicolao Papæ comprobare nititur licere sibi Episcopatum dimittere, quia videlicet B. BENEDICTVS commissum non ambigitur regimen dimisisse. Sed & Gratianus causa 7. q. 1. capit. *Ibi adunati*, rationem eam ob quam S. Gregorius ostendit licuisse B. BENEDICTO subditos deserere, in suum referens decretum, communem eam deinceps voluit efficere regulam. Idem Gratianus distinct. 45. capit. *Cum beatus*, ex eo quòd S. BENEDICTVS vagum Monachum virgâ percusserit, astruit aliquando subditos verberibus posse corripi.

VITA S. BENEDICTI MORES INFORMAT.

Angelicus porrò Doctor plosculas veritates S. BENEDICTI exemplis, verbisque ea hac vitâ desumptis confirmat. Primò enim, vt probet non esse necessarium vt quicumque ad superiorem vult statum peruenire, à minori incipiat; & quod aliquis ab altiori gradu sanctitatis incipiat, quàm sit summum ad quod alius totâ vitâ peruenit: id probat ex eo quòd Gregorius dicat: *Omnes agnoscunt à quantâ Benedictus puer conuersationis gratiam perfectione cepisset.* D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 1. ad 2. Et opusc. 13. cap. 7. Et quodlib. 5. art. 21.

Secundò, ex eo quòd S. Benedictus nutricem occultè fugiens, & Romano Monacho propositum suum aperuerit, colligit Opusc. 17. cap. 9. deliberationem de vitæ statu non incundam cum consanguineis & proximis.

Tertiò, ibidem cap. 13. ex eodem facto probat pueros perfectionis statum posse eligere, seseque Religioni deuouere. *Quis enim*, inquit, *puerum Benedictum stultitiæ argui patiatur, quod relictâ domo, rebusq; patris sanctæ conuersationis habitum & desertum quæsiuit.* Idipsum & alio, ibid. cap. 3. probat argomento, ex eiusdem S. BENEDICTI vitâ: qui Romanæ vrbis nobiles B. BENEDICTO filios suos Omnipotenti Deo nutriendos tradiderint.

Quartò, idem S. Doctor 2. 2. q. 188. a. 8. exemplo S. BENEDICTI docet absque præcedenti exercitio solitariam vitam, ex diuinæ gratiæ inspiratione suscipi posse, quod aliàs esset periculosissimum.

Quintò, vt ostendat Religiosis non necessariò incumbendum manuum operibus, id Opusc. 19. cap. 5. S. BENEDICTI exemplo confirmat, qui tribus annis in specu mansit manibus non laborans vt ea hoc victum quæreret.

Sextò, ex eodem fonte, ibid. cap. 7. deducit licere Religioso valido & forti, ea fidelium eleemosynis vitam traducere: nimirum quia BENEDICTVS *tribus illis annis in specu manens, de his quæ à Romano Monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum parentis reliquerat; & tamen validus corpore existens, non legitur de labore manuum victum quæsiuisse.* Et hactenus quidem Angelicus Doctor.

Sanctus verò Bonauentura libro de paopertate Christi q. 1. art. 2. & q. 2. postrema duo similiter ex S. BENEDICTI vitâ concludit, qui etiam libro de profectu Religiosorum cap. 6. probat, Deum post tentationem consueuisse seruos suos ampliùs consolari, & potioris perfectionis gratiam conferre; quia B. BENEDICTVS cùm grauiter tentaretur, viriliterque resisteret, *ita plenè vicit, vt Dei gratiâ numquam postea motus carnalis illecebræ in se senserit.*

Reginaldus S. Dominici discipulus, exemplo S. BENEDICTI instructus, fratrem qui vilem pannum sine Superioris licentiâ acceperat, aliumque fugam meditantem, virgâ percotiens, vtrumque à dæmonis insidiis liberauit.

Ab hoc Sancto Patre didicit Sanctus Amatus quod de eo scribitur: quod in obliquâ parte *Vosagy Montis, concauam reperiens saxum, angustum illic sibi vix habitaculum construxerit, ubi, lectulum habuerit corpori accommodatum; nec enim specus amplius aut longius sese porrigebat. Superius autem immanis hærebat rupes, ex quâ minister eius, tintinnabulo ad funem ligato, exiguam panis particulam, & parum aquæ in vasculo ei submittebat.* Hoc idem enim S. BENEDICTO Romanus præstitit Monachus.

PROLEGOMENON XI.

Fidei dogmata vitâ S. BENEDICTI *confirmari.*



VITA S. BENEDICTI FIDEM CONFIRMAT.

NON parum quoque vtilis est hæc S. BENEDICTI vita, ad redarguendum eos qui catholicæ fidei côtradicunt, aut Nouatoribus credunt & credunt. Si enim Magnus Gregorius vitæ huius scriptor, fuerit (citato ipsius Caluini testimonio) vir sanctus *a*, & Theologiæ ipsius propugnator *b*, quique Romæ Episcopus iure dici possit *c*, neque ante Gregorij ætatem Romana defecerit Ecclesia, consequens hinc sit sana esse dogmata, verosque Dei ritus, qui ex eiusdem Gregorij scriptis vsu recepti fuisse probantur: ac proinde errare qui hæc talia vt superstitiosa, & veræ Christi Ecclesiæ minùs consentanea improbant, & damnant.

Caluini de S. Gregorio testimonium.

a lib. 4. Inst. cap. 7. §. 22.
b Epist. ad Sadol. Card.
c lib. 4. cap. 17. §. 49.

Primò, Missæ vocabulum & rem, missam faciunt hæretici. Lutherus Missam neque esse à Deo institutam, neque esse Sacrificium, imò neque esse bonum opus asseruit, lib. de captiuit. Babylonicâ: quinimo tanto odio Missam prosecutus est, vt librum aduersus illam scripserit hoc titulo, *De abrogandâ Missâ*: in quo scribit eam esse summam idolatriam & impietatem. Caluinus quoque lib. 4. cap. 18. Eucharisticum sacrificium Missæ nomine appellatum, conuitiis dilaniat. Sed Missæ vocabulum & rem in hac S. BENEDICTI vitâ à Gregorio tradi cap. 23. videmus; & in ipsâ Regulâ S. BENEDICTI Missæ meminit cap. 35. & 60.

Adstruuntur quædam fidei dogmata.

Secundò, negat idem Caluinus cum Wicleffo, Carolstadio, Oecolampadio, & Zvvinglio, veram, realem, & substantialem pretiosissimi Corporis & Sanguinis in Eucharistiâ præsentiam. Sed hic c. 24. refertur BENEDICTVS Dominicum corpus parentibus cuiusdam defuncti pueri tradidisse. Et cap. 38. exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuisse. Ex vtroque loco colligi vetosimiliter queat, Eucharistiam tum temporis fuisse reseruatam; quod ipsum & hæreticis displicet.

Transubstantiatio Eucharistica.

Tertiò, oderunt hæretici Clericorum à Laicis distinctionem, & Ministrorum in Ecclesiâ Dei varietatem. Lotherus in libro de abrogandâ Missâ priuatâ, parte 2. *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus vnctus, nullus rasus, nullus Monachus esse debeat.* Et Caluinus lib. 4. suæ Institut. cap. 4. §. 9. *Hæc*, inquit, *appellatio, aut errore, aut certè ex prauâ affectione nata est, cum tota Ecclesia Clerus, id est, hereditas Domini à Petro dicatur.* Verùm si huic Gregorij narrationi adhibeant fidem, non difficulter omnium Ordinum gradus inuenient: cap. enim 16. & 31. occurret Clericus, cap. 8. Subdiaconus & Diaconus, cap. 15. Presbyter, & 16. Episcopus.

Clericorum à Laicis distinctio, & Ecclesiæ ministrorum varietas.

Quartò, templa in Martyrum, aut Sanctorum aliorum memoriam, Deo exædificari Sectarij nolunt, vt olim etiam Eustachius in Gangrensi Concilio

Templa Sanctis dicata.

lio damnatus: verùm hîc à B. BENEDICTO Oratoria S. Ioanni Baptistæ, & S. Martino dicata, legere est. Sacrarum Reliquiarum venerationem, & inuocationem Sanctorum, cum idololatriâ coniunctam non semel ait Caluinus. In hac porrò vitâ, cap. 16. narrat Gregorius Clericum per multa Martyrum loca transmissum, vt sanari posset. Vbi peregrinationes ad loca sancta probari videas, quas tamen Lutherus in declamationibus popularibus Wittenbergæ habitis, *discursus ex diabolo* nuncupat. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 13. §. 7. *plenas manifestæ impietatis* audet dicere.

Reliquiarum veneratio.

Quintò, signi crucis productionem passim rident hæretici: hîc autem cap. 3. videre est vitreum vas, cui venenum inerat, edito hoc salutari signo confractum. Eodem, cap. 9. insidentem lapidi dæmonem pepulit. Ieiunia & ciborum delectum improbant Nouatores: sed videas hîc cap. 1. ab ipso Deo commendari Sancti BENEDICTI inediam: cap. 13. laudari eum qui ieiunus ad virum Dei annis singulis venire consueuerat. Et cap. 16. sanato Clerico præscribi à S. Patre abstinentiam à carnibus.

Signi Crucis productio.

Ieiunium.

Sextò, Carpit Gebennensis Apostolus, Institutionum lib. 3. cap. 20. §. 9. editionis Gallicæ, Breuiarij recitationem vnà cum Diuino officio, quod Canonici ac Religiosi noctu, diuque celebrant, illa omnia *garrulitatis Deo pueriliter illudentis* nomine appellans. Sed monasticæ psalmodiæ celebris hîc 4. capite mentio habetur, quam ab ipso S. BENEDICTO duodecim capitibus descriptam, in Regulâ videre est. Ecclesiasticam excommunicationem, vt brutum fulmen Sectarij exsibilant; & Lutherus nullatenus timendam, sed procurandam ait. Ex hac porrò vitâ cap. 23. quàm sit formidanda, luculenter discimus: Moniales enim, quibus solùm interminatus erat, quod communione eas priuaret, nisi mores corrigerent, visæ sunt post mortem de sepulchris exire.

Recitatio horarum canonicarum.

Excommunicatio.

Septimò, maximè inuehuntur Sectarij in Monachalem statum & Religionis vota. Wicleff omnes Religiosorum ordines à diabolo in Ecclesiam introductos sensit, & Augustinum, Benedictum, Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint. Lutherus in Epithalamio, statum Religionis nihil valere, sed ethnicum, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse dicit. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 13. Monasteria dicit lupanaria, vota monastica, retia sathanæ: Monachos omnes, Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesiâ dissensionem fecerint, & se totos diabolo consecrauerint. Sed videas hîc à Gregorio laudari BENEDICTVM vt Eremi incolam, Monachorum Patrem, & Monasteriorum Fundatorem. Videas hîc sanctæ conuersationis habitum, obedientiam, paupertatem, & abstinentiam monasticam, plerosque Cœnobitarum ritus, sanctimonialium institutum viuendi, Regulam à viro Dei scriptam, promissionem manendi in Monasterio (cap. 25.) aliaque quæ in Monachis subsannant ac carpunt Sectarij.

Status Religionis.

VITA S. BENEDICTI FIDEM CONFIRMAT.

Animaduertit igitur prudens Lector, quot ex vno hoc libro redarguuntur hæreses: siquidem Gregorius fuerit Theologiæ propugnator & sanctus. Sed enim dum hoc perpendunt Aduersarij, auctoritatē Gregorij eleuant, & deceptum scribunt. Aurifaber sanè in colloquiis mensalibus Lutheri, vt citat Franciscus Feo-ardentius in Annotationibus ad c. 20. libri tertij S. Irenæi, nō est veritus ita pronūtiare: *Gregorij conciones ne teruncium quidem valent, diabolus eum in Dialogo suo crassè decepit*, &c. Neque verò Caluinus ab hoc longè abit. Institut. lib. 1. cap. 11. §. 5. de Gregorio ita pronuntiat: *Libros idiotarum esse imagines. Dixit hoc Gregorius: & longè aliter pronuntiat spiritus Dei, in cuius scholâ si edoctus fuisset, hac in parte numquam ita locutus foret.* Lib. 3. cap. 20. §. 24. ait: *eum nugari & per temulenta cerebri somnia velle in abdita Dei iudicia sine eius verbo penetrare & perrumpere, ac Scripturam conculcare.* Et cap. 24. §. 9. ait, *pessimè & perniciosè Gregorium scribere.* Sed quis non videat, hæc ideo illum velut ex tripode pronuntiare, quòd Gregorium videat doctrinæ suæ vel maximè aduersari, & semel admissâ Gregorij auctoritate, plerasque eius, aduersus Ecclesiam Dei, ruituras machinationes?

Hæreticorum in Gregorium calumnia.

PROLEGOMENON XII.

Quæ S. BENEDICTI *Patria.*

S. BENEDICTI PATRIA.



QVÆ superioribus discussa Prolegomenis, ea, vt videre licet, sunt, quæ vitam S. BENEDICTI, vt à Magno Gregorio exarata est, potissimùm spectant, nunc ad ipsum BENEDICTVM propius accedentes de loco & tempore natiuitatis, de eiusdem Progenitoribus, armis gentilitiis, de ipso Benedicti nomine, de illustrium virorum in S. BENEDICTVM elogiis ordine nonnulla dicemus.

Occurrit primò Patria, è quâ multi, si quidem nobilis & gloriosa illa fuerit, splendoris aliquid in se deriuari existimarunt: alij porrò obscuram etiam patriam meritorum suorum luce clariorem reddiderunt.

Quænam igitur S. BENEDICTO Patria? Philippus Cluuerius Italiæ antiquæ lib. 2. cap. 10. Sublacense describens Oppidum, ait: *Mille passus supra Oppidum ad Anienis ripam loco editiore conspicitur Monasterium D. Benedicti, qui hic genitus est.* Sed memoriâ lapsum fuisse virum eruditum, ex sequentibus facilè patebit.

Gregorius enim, eiusque interpres Zacharias, aliique auctores magno consensu eum Nursiæ exortum scribunt. Et hinc Nursinus passim appellatur, adeò vt ex hoc nomine ortus fuerit error ille, quo ex Vrsinorum familiâ originem traxisse à quibusdam scribitur. Bonifacius enim Simonetta persecutionum Christianarum lib. 4. Epist. 20. sic inquit: *Beatus Benedictus illustri Vrsinorum genere ortus, vitæ monasticæ rationem Italis primus dedit.* Sed bene apud Wion, in Martyrologio, monuit Octauius Caietanus Syracusanus, mendum irrepsisse, dictionemque Vrsinorum pro Nursinorum, litterâ primâ N. demptâ, adiectam; rationem reddens suæ coniecturæ, quod Vrsinorum familia multis post S. P. BENEDICTVM seculis Romæ exorta sit, originemque habuerit, non Romanam, quam habuit S. P. BENEDICTVS, sed Gallicam.

Nursia S. Benedicti patria.

Fuisse autem Nursiam sancto Patri terram natiuitatis,

S. BENEDICTI PATRIA.

uitatis, arguunt *ruinæ palatij parentum eius, cum ædicula propè mænia Nursinæ vrbis sita*, vt ait Adreualdus Floriacens. lib. 1. de mirac. S. Benedicti cap. 1. Testatur quoque Arnoldus Wion in Martyrologio monastico die 21. Martij. Riguardatorum illustrem familiam in hodiernum vsque diem in ciuitate Nursiæ conseruari, quæ alio nomine *familia S. Benedicti* nuncupetur.

Nursiæ situs.

Nursiam autem, vt in descriptione Italiæ annotauit Leander Albertus, *Ptolomæus in Sabinis collocat, qui ad Orientem magis, quàm Vilumbri vergunt. Seruius: Nursia, inquit, vrbs in Piceno est, quæ in re Plinium secutus est, à quo regioni quartæ tribuitur. Aliis tamen auctoribus in Vmbris & Sabinis est: quamquam haud quidquam ferè interfit, propter regionum vicinitatem, quæ nimirum hîc confines sunt.* Hæc Leander. Eius verò situm ita exprimit Philippus Ferrarius, in typographia in Martyrologium Romanum. Nursia, NORCIA, Ciuitas olim Episcopalis Sabiniæ in valle inter montes excelsos, perstricta, apud Piceni Vmbriæ & Aprutij confinia, inter Reate & Camerinum: à quo in Austrum supra viginti millia passuum abest, à Reate ad triginta in Boream, atque inter Fulginium, & Ascolum: à Fulginio in Ortum ad viginti millia passuum, ab Asculo in Occidentem viginti quinque recedens: Meminit & Nursiæ Columella rusticarum rerum lib. 10.

Congylis, illustri mittit quam Nursia campo.

Et Virgilius 7. Æneidos:

Qui Tiberim, fabarimq; bibunt: quos frigida misit Nursia.

Aliæ Nursiæ qualitates.

Vbi Seruius: *frigida Nursia*, vel quia reuera talis est: vel frigidam dixit, quasi venenosam & nocentem. Gracchi namque vbique in Concionibus suis Nursinas sceleratos appellauêre. Scimus autem Virgilium amarè historiarum rem per transitum tangere. Hæc ille. Cuius interpretatio frigidior aliis apparet, nec ad Gracchorum dicteria, sed loci situm Maronem respexisse volunt. Blondus ideò frigidam Nursiam Virgilio dici ait, quia loci situs is est, vt propter montium circumiectorum altitudinem, qui ferè niuibus perpetuis occupantur, cùm vrbs ipsa, tùm ager finitimus ingenti frigore rigeat. Quod & Silius lib. 8. indicauit:

——— *nec non habitata pruinis*
Nursia.

Montosam quoque Virgilius 7. Æneidos dixit:

Et te montosæ misêre in prælia Nursæ.

Quoniam autem soli qualitatem consequi solet fructuum vel copiâ, vel inopiâ, hinc quia montosus & frigidus est Nursinus ager, rapis abundare dicitur, quas ideò Mantuanus appellauit:

——— *Montano gaudentes frigore rapas.*

De iisdem Plinius lib. 18. cap. 13. *Nebulis & pruinis ac frigore vltrò aluntur amplitudine mirabili. Vidi quadraginta libras excedentia.* Paulò pòst: *Palma in Nursino agro nascentibus. Taxatio in libras sestertij singuli, & in penuriâ bini.* Huc alludit Martialis lib. 13.

Nursinas poteris parcius esse pilas.

Mirandum porrò quod de fluuio circa Nursiam, Jtalicis versibus scripsit Facius Vbertus lib. 3. Cant. 10. in hanc sententiam à Leandri interprete citatus:

Fluuium etiam exiguum Nursiæ vidi,
Qui annis septem subditus sub terra latet,
Et septem rursus super terram grandis, pulcherq; fluit.

Ferunt item, vt citato antea libro refert Ferrarius, in vicino monte excelso vnam ex Sibyllis habitasse: cuius antrum occlusum, propter magos, qui eò confluentes horribiles tempestates concitabant, magno incolarum detrimento, monstratur. Ad hanc Sibyllam allusit Baptista Mantuanus Fastor. lib. 3. de S. Benedicto ita canens:

Nursia montana, si vera est fama, Sibyllæ
Proxima, nunc tendit vicos aulæa per omnes.

De eadem Sibylla eiusque cauerna mentionem facit Andreas Theuetus Cosmographiæ vniuersalis lib. 17. cap. 17. Abrahamus Ortelius, & Gerardus Mercator in descriptione Marcæ Anconitanæ.

Cur autem sede Episcopali nunc careat Nursia, inde Ferrarius ex aliorum relatu, fortassis accidisse suspicatur, quod Episcopum interfecerint; quare nunc Spoletano Episcopo subiecta ciuitas est.

Nursinos porrò Scipioni milites ad instruendas naues Africano bello paratas misisse narrat Liuius lib. 38. *Plurimos hæc vrbs*, vt Leander scribit, *illustres præclarosq; viros in lucem edidit; in primis Sertorium illum militari gloria celeberrimum apud Romanos, vti à Plutarcho, Liuioq; monumentis proditum est. Item D. Benedictum Monachorum Patrem, cuius vitam elegantissimè descripsit Gregorius Pontifex in Dialogis, Benedictum Regnardatum hominem eruditissimum ex nobili quoque D. Benedicti stirpe, Vespasiam Pollam Imperatoris Vespasiani Matrem, vt Suetonius testatur, plurimosq; præterea, tum eruditione, tùm aliis nominibus patriæ suæ perhonestos.* Hæc ille.

Nursia Illustrium virorum parens.

Verùm, quia de Sancti BENEDICTI natali solo agimus, rectiùs hîc subiecerim Sanctos apud Nursiam celebres. Romanum Martyrologium 28. Martij ita legit: *Apud Nursiam S. Spei Abbatis, miræ patientiæ viri, cuius anima cum ex hac vitâ migraret, in columbæ specie à cunctis fratribus visa est in cælum ascendere.* 23. *Maij: apud Nursiam SS. Monachorum Eutychij, & Florentij, quorum meminit B. Gregorius Papa*, Dialogorum scilicet lib. 3. cap. 15. Addit verò Baronius, plura de iisdem haberi in veteri Manuscripto Ecclesiæ eiusdem S. Eutychij apud Nursiam, vbi ipsius corpus religiosè reconditum asseruatur. Notat quoque Ferrarius, hunc esse diem Translationis, qui incolis est festiuus: diem verò natalis esse 28. Decembris. Dignissimi porrò sunt hi, quorum hîc fiat memoria, quia non tantùm communem habuêre cum S. BENEDICTO patriam, sed eiusdem etiam fuerunt filij religiosi, eumdemque sortiti sunt vitæ suæ descriptorem, magnum scilicet Gregorium, quare ab Arnoldo Wion, & Hugone Menardo, in monastico reponuntur Martyrologio. Benedictinis quoque accensentur ab Antonio de Yepez in Annalib. tom. 1. à Milletio ad Dialogos S. Gregorij. Trithemius etiam lib. 3. de viris Illust. Ordinis S. Benedicti cap. 19. meminit Spei Abbatis & cap. 16. Eutychij.

Sancti apud Nursiam celebres.

Eandem patriam sanctitatis suæ gloriâ non parum illustrauit Sanctulus, prouinciæ Nursinæ Presbyter, qui singulis annis S. Gregorium inuisere solebat, vt ipsemet testatur lib. 3. Dialogor. cap. 17. de quo Volaterranus lib. 6. scribit, quod Nursiæ peculiari veneratione colatur. Hi igitur viri sancti velut sidera quædam Nursiam condecorauerunt. Sed eminet inter illos, velut sol quidam S. P. BENEDICTVS, qui hinc ortus mundum vniuersum radiis suæ sanctitatis collustrauit. Quod quidem qui inter patriæ ornamenta, & quidem præcipua non putauerit recensendum, næ ille communi hominum iudicio, & toti repugnauerit antiquitati. Insita enim hominum mentibus ea videtur opinio, præstantia vnius hominis gloriam in totam communiter patriam, & singulos ciues quodammodo deriuari. Hinc peranuqua est de Homeri natali solo contentio, de quâ nobile, ac tritum

extat

extat distichon, relatum à Gellio lib. 3. cap. 11.

Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Verùm vt de Sanctis loquamur, S. Agatham, vt ait Breuiarium Romanum, *Panormitani & Catanenses ciuem suam esse dicunt*; eademque S. Luciæ dixit: *Sicut per me ciuitas Catanensium sublimatur à Christo, ita per te Syracusana ciuitas decorabitur.* Nimirum non infima hæc gloria est patriam suam, minùs alioqui gloriosam, orbi vniuerso reddere clariorem. Nazareth apud Iudæos locus erat adeò ignobilis, obscurus, & contemptus, vt diceret Nathanaël; *à Nazareth potest aliquid boni esse?* at verò quàm gloriosa effecta est Christi Saluatoris conceptu, à quo nobis omne bonum? Minima quoque erat Bethleem, si muros, ciues, ædificia, & celebritatem spectemus. Eadem tamen, vt ex Prudentio canit Ecclesia: Ioan. 1.

Est sola magnarum vrbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere.

De Ramatha Magni Samuëlis parua patria, Nazianzenus orat. 25. ait, eam *Prophetæ dedecori minimè fuisse, neque à seipsa potiùs, quàm ab eo honorem esse consecutam.* Simili modo de Nursia dicere licebit, eam Magni Patriarchæ BENEDICTI natalibus, maiorem sibi honorem acquisiuisse, quàm præteritis vmquam consecuta sit temporibus, plusque ab eo accepisse, quàm illi contulerit. Inde adeò est, vt qui Italiæ ciuitates, & in iis etiam Nursiam describunt, illud plerumque ad eius adiicere soleant commendationem, quòd in ea natus sit S. BENEDICTVS. Fecit id præter commemoratum antea Leandrum Albertum, Andreas Theuetus Cosmographiæ vniuersalis lib. 17. cap. 17.

Sed audiendus hîc Adreualdus vetus Floriacensis scriptor, qui in ipso limine libri de miraculis S. BENEDICTI, Italiæ, Nursiæque communem ex hoc capite fælicitatem his verbis expendit. Cùm itaque Italia, *vt prælibauimus, nobilitate singulari & bonorum omnium prouentibus, affluentissimè exuberascat: præcelsorumq; altrix virorum, priscâ reperiatur ætate, vno tamen semetipsâ editissimo potuit vincere germine, dum beatissimi Patris* BENEDICTI, *optandam cunctis mortalibus, protulit genituram. Hic nempe dilectus Domini* BENEDICTVS, *teste eximio præsule Gregorio, Nursia exortus, quæ vt iam præfatus sum, coniuncta Valeria Hetruriaq;, vnam efficit prouinciam: non solùm eam suo illustrauit exortu, verùm omnem Italiam inclytam suo munere præstitit.* Hæc ille. Similiter & Paulus Diaconus, in carmine de S. BENEDICTO:

Nursia plaude satis tanto sublimis Alumno,
Astra ferens mundo, Nursia plaude satis.

Et Gauzbertus Floriacensis Poëta, apud Aimoinum in sermone de S. BENEDICTO:

Cuius ab exortu decoratur Nursia Mater:
Miratur puerum quem pia Roma nutrix.

Hannibal quoque Rossælus in Commentario ad lib. 5. Pymandri Trismegisti commentario 11. Dialog. 5. ita scribit: *Non longè deinde inter montes, amœna planitie distinctos, Nursia iacet S.* BENEDICTI *patria: hoc tanto Alumno clarissima & nobilis.* Laurentius Gambara Brixianus, rerum sacrarum libro, de eo ita cecinit: S. Benedicti Patria.

Nursia quo genitrix tanto lætatur Alumno:
Et se sideribus cæli sublimibus infert.

Et Paulus V. Pontifex Max. in bullâ erectionis confraternitatis S. BENEDICTI, & S. Scholasticæ, in Ecclesiâ S. Eustachij de Vrbe institutæ anno 1615. 9. Nouembris S. BENEDICTVM appellat; *clarissimum Nursiæ lumen & decus.*

Denique Archangelus Hastiuillius Ordinis Camaldulensis in Galliæ prouinciis Maior, Camaldulensis historiæ lib. 1. cap. 2. ita ait: *Sol equidem fuit fulgentissimus, iubarq; cæleste sanctissimus* BENEDICTVS, *splendore gratiæ, virtutum lumine, ac spirituali benedictione illustratus. Hunc nobis olim vrbs vetustissima Sabinorum inclyta Nursia fæliciter dedit. Quæ cùm frigida sit, feruentem animo, alta humilem, aspera blandum, rudis sapientem nobis misit alumnum.* Liceat & mihi Magni Leonis imitatione & stylo concludere. Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, ita per vniuersum mundum clarificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum, Regularium luminum coruscante fulgore, quàm clarificata est Stridon Hieronymo, Tagasta Augustino, Fontana Bernardo, Colonia Brunone, Calaroga Dominico, Assisium Francisco, Aquinum Thoma, tam illustris foret Nursia BENEDICTO.

Sed non tantùm splendorem nominis, & famam apud posteros Nursia à viro sancto est consecuta, sed quod longè vtilius, efficax etiam contra hostes præsidium & patrocinium apud Deum in suo alumno inuenit. Quod in Hispanis contra aduersarios dimicantibus subinde præstitit S. Iacobus Apostolus, & post eum S. Abbas Æmilianus, idipsum Nursinis suis in simili occasione S. Patriarcha noster exhibuit. Referunt siquidem Annales Nursini (teste Antonio de Yepez ad annum Christi 523.) S. BENEDICTVM in prælis & obsidionibus pluribus, quas ciuitas ea sustinuit, sublimem in aëre apparuisse atro indutum Cucullo, conciuibus suis auxilia ferentem, patriamque suam defendentem, cuius præsentiâ & ope crebras retulerint ab hoste victorias. Idipsum confirmat Petrus Recordatus Dietâ primâ, additque variorum olim principum armis Italiam tyrannicè occupatam & subactam, Nursiam tamen, exiguum licet oppidum, à popolatione & vastitate permansisse immunem, quòd nimirum eam S. BENEDICTVS suâ tutelâ semper defenderit atque seruauerit. Non immeritò igitur tanto ciue ac patrono exultat, sibique plaudit Nursia.

PRO-

PROLEGOMENON XIII.

Quo tempore natus sit S. BENEDICTVS?

Tempvs Nativitatis S. Benedicti.



QVEMADMODVM in veteri lege, cùm Israëlitæ variis opprimerentur hostibus, diuina clementia semper aliquos suscitauit viros egregios, bellatores strenuos, & plebis suæ propugnatores, siue, vt eos Scriptura nominat, *Saluatores*: Non secus in nouo testamento nouis exorientibus aduersus Ecclesiam Dei diaboli machinantis, siue hæreson monstris, nouos plerumque Deus eduxit milites, & religiosorum agmina, quæ aduersus hostes suos acerrimè dimicarent, eosque Dei præsidio profligarent.

Iudic 3.

Thomæ Bozij eruditi nostro sæculo Scriptoris hæc consideratio est lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 4. vbi ita ferè disserit: Quoties Ecclesia magnis impiorum tempestatibus est agitata, Deus non modò viros insigni sanctimoniâ præstantes cælitus ad illam iuuandam misit ex illa potissimum parte quâ volebat illi opem ferre, & in ea loca, quibus incolumitatem salutemque summam cupiebat, sed huiusmodi misit, qui religiosos Ordines instituerent, vnde acies multæ Sanctorum pro recta doctrina & pietate pugnantium temporibus iis turbulentis prodierunt; verbi gratiâ, cùm pestis Ariana peruasisset Orientem, Deus extulit in lucem Antonium illum Magnum in Ægypto, vnde erupit Ariana lues, & Basilium in Cappadociâ, ambos non modò cælestis innocentiæ, & puritatis viros, sed auctores Ordinum religiosorum, è quibus monachi innumeri pro vero Dei cultu præliaturi, postea sunt exorti.

Antonius & Basilius Arianæ hæresi oppositi in Oriente.

At cùm tabes eadem sese effudit in Occidentem, Wandalis Africam, Ostrogothis Italiam occupantibus, Africæ quidem Deus Augustinum, Italiæ BENEDICTVM largitus est, vtrumque plurimorum sanctitate summâ excellentium Patrem. Hactenus ille. Agnouit hanc natam toti Ecclesiæ in S. BENEDICTI natiuitate fœlicitatem S. Bertharius Cassinensis Abbas, eamque versibus ita est prosecutus:

Cui & Augustinus in Africâ, Benedictus in Italiâ.

Ille nimirum Benedictus est: quem
Acta casuro per iniqua mundo
Subdidit tamquam solidam Creator
Aëre columnam.
Bella per totum Latium fremebant;
Hinc fames, illinc fera sæuiebat
Pestis, horrebat furor Arrianæ
Tabis vbique.
Ecce dum tantis agitata monstris
Nocte sub tellus scelerum profundâ,
Mergitur fœdè canis in trifauci
Ora dehiscens.
Nascitur cæco BENEDICTVS *orbi*
Mox salutaris, referens fugatis
Nubibus lucem per aperta Cæli
Astra sereni.
Qualis est Titan: vbi post dierum
Plurium nimbos radiosus ore
Prodit illustri: mare, terra, cælum
Ridet & æther.

Vt autem in particulari magis appareat quàm salutaris vniuerso orbi fuerit S. P. N. BENEDICTI natiuitas, miseranda Reipublicæ Christianæ facies, & ea temporum, in quam incidit, iniquitas, satis manifestant. Natus est enim anno Dominicæ Incarnationis 480. Pontificatus Simplicij Papæ 14. Imperij Zenonis Imperatoris 7. Childerici Francorum Regis 24. Odoacris Erulorum regis, Italiæ inuasoris 5. *His temporibus videre erat* (verba sunt Cardinalis Baronij anno 476.) *totum Christianum orbem sub hæreticorum Principum dominio constitutum, nullumque penitus catholicum regem alicui saltem exiguæ prouinciæ dominari. Etenim vniuersum Orientale imperium Zenonem Imperatorem Eutychianum hæreticum simulatâ perfidiâ bis iniquum experiebatur. Occidentale imperium crebris concussionibus agitatum, iam ad proximum casum vacillans, nullum penitus dabat fastis Consulem: Italiam Odoacer rex Barbarus ab vltore Deo ab extremis orbis glacialis partibus euocatus Ariana peste infectus, dominio occuparat: Gallias itidem principes, Burgundiones, & Gothi, iidemque Ariani, & Franci adhuc Gentiles, partiti erant. Childericus enim Francorum Rex Ethnicus etiamnum erat Idolorum cultor, hostis Romani nominis, inuasor Galliarum, & moribus impudicus. Hispania pariter Gothos Arianos duos patiebantur: vniuersa Africa Gensericum dirum tyrannum, Arianumque persecutorem sustinebat. Britanni à Scothis & Pictis, & Anglosaxonibus durissimè afflictabantur. Germanicæ prouinciæ magnâ parte ob transitum Barbararum nationum ad Occidentalis imperij cladem concurrentium, erant destructa & pessumdata. Quanam autem morum corruptela deploratis hisce temporibus Christianum orbem occupauerit, quot scelera grassarentur, vix vllo sermone explicari potest. In tam tetra igitur noctis obscuritate, densâque caligine, eiusmodi claritudo lucis affulsit, quâ vniuersus catholicus orbis illustraretur; etenim, quod admiratione dignissimum est, in hac S.* BENEDICTI *vocatione, summâ Dei in consulendo suæ Ecclesiæ innotuit prouidentia: tantus enim splendor ex viro Dei Benedicto ad Ecclesiam illustrandam diuinitus emicuit, vt radios suos à solis ortu vsque ad occasum, à Septentrione in Austrum longè lateque diffuderit. Ex tenui enim surculo pergrandium exorta sunt frugiferarum arborum syluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam. Extitit hic ordo locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sunt sanctissimi diuersarum Ecclesiarum Episcopi, nec defuerunt ex iis, qui in throno Apostolico considentes, vniuersam Ecclesiam Catholicam, cùm vehementiores vrgerent fluctus, constantissimè gubernârunt: progressique ex eodem Monachorum Ordine sunt, qui Apostolico munere, complures barbaras nationes Christi iugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem spontè capessendam conuerterunt: prodieruntque alij qui ob suscepta grandia pro religione certamina, victores coronam Martyrij sunt consecuti. Prætermittimus modò illos, qui sacrarum rerum scientiâ nobiles, inter Scriptores ecclesiasticos floruêre; nec numeramus, quæ numerari vix possunt, sacrarum examina virginum, sicut nec facile sit recensere, quot ex hoc vno verè dicendo sui humilitate fonticulo, immensa flumina sint deriuata: quot, inquam, ex* BENEDICTO *diuersorum Ordinum sint progressa agmina Monachorum, qui licet diuerso nomine in Ecclesiâ Dei circumamictâ varietate censeantur, institui tamen*

Benedicti natiuitas mundo quàm salutaris.

Status Ecclesiæ eo tempore calamitosus.

S. Benedicti, ordinisque ab eo instituti commendatio.

tamen S. BENEDICTI, *& ab ipso progredi gloriantur.* Ita Cardinalis Baronius anno 529. Tantos sanè fructus Ecclesiæ Dei hic Ordo attulit, vt quidam nostri temporis magnæ auctoritatis scriptor (apud Wion ligni vitæ lib. 1. cap. 1.) dicere non dubitarit: *post sanctissima & sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, nihil ita in Ecclesia vtile fuisse, ac Sanctorum Monachorum Benedictinorum Ordines & instituta.* Bonifacius quoque Simonetta lib. 4. prosecut. Christianar. Epist. 20. ait: *à Benedicti agro tot amœni flores, tot segetes, animarumq; viatica: à Benedicti fonte tot riuuli, tot flumina emersére, vt fides Catholica tali irrigatione vda, nullam amplius sterilitatem possit sentire.*

Dei prouidentia in excitandis ordinibus. Cæterum obseruat Bozius citato antea loco, cum religionis duæ sint partes, & quæ dirigit mentis intimas actiones, & quæ corporis externas, alteræque ab alteris inter sese aptè & connexè pendeant, Deum turbulentis Ecclesiæ temporibus per singulas ætates geminos plerumque religiosorum Ordines excitasse: quorum alter contemplationi magis & solitudini, alter autem frequentiæ, & actioni deditus esset, vt scilicet in Ecclesiâ ex omni parte religio perfectè absolueretur. Nam qui instituta Antonij sunt secuti, sola loca, precumque diuinarum studium magis sectabantur; qui Basilij, non ita. Secundo loco BENEDICTVS magis est imitatus Antonium, Augustinus verò Basilium. Vbi innuit magnos hos magnorum Ordinum Patriarchas, eodem sæculo vixisse; quod lasè accipiendum. *TEMPVS NATIVITATIS S. BENEDICTI.* Augustinus enim, qui iuxta Baronij calculum anno Christi 430. obiit, quinquaginta annis natiuitatem S. BENEDICTI præcessit; cum autem anno 510. duodecim cęperit ædificare monasteria, & Cassinum petierit anno 529. constat Augustini familiam, regulamque integro sæculo nostri Patris BENEDICTI præcessisse. Quare si claustralium cætum nostro Ordini magis coæuum inquirere lubet, non longè ante Sanctum BENEDICTVM extitit sanctus Sabas, qui in Palæstinâ miro sanctitatis exemplo refulsit, pluresque discipulos habuit, qui obiit anno Christi 531. duodecim scilicet ante S. BENEDICTVM annis. Circa eadem tempora Monasticen excoluit in Africâ sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, & Theodosius Cœnobiarcha in Palæstina, Cæsarius Arelarensis in Galliâ, vt difficile non foret ostendere, etiam geminos Ordines circa sancti BENEDICTI tempora in Ecclesiam introductos.

PROLEGOMENON XIV.

De Sancti BENEDICTI *Progenitoribus.*

DE S. BENEDICTI PROGENITORIBUS.



ETSI apud prudentes rerum æstimatores adcò magnum habeatur nobilibus ortum esse parentibus, & antiquo stemmate censeri; vt enim inquit ille:

Ouid. lib. 13. Metamorph.

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Idemque alibi:

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Hæc, inquam, vt ita se habeant, ad laudem tamen accedere nullus dubitat, domi nobilem, virtutis viâ ad sanctitatis culmen peruenisse, contemptisque Maiorum imaginibus, & honorum titulis, vni sese crucifixo consecrasse. Splendorem hunc diuina bonitas S. P. N. BENEDICTO deesse non permisit; vt inde etiam micare posset inter illos qui hanc scintillam iactant.

Ortus enim traditur ab Arnoldo Wion, eumque sequutis Antonio de Yepez, & Simone Milletio, ex antiquissimo & illustrissimo Aniciorum sanguine, de quo Hieronymus ad Demetriadem: *S. Benedicti Progenitores: eorumq; nobilitas.* *Nunc mihi Proborum & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & illustris Anicij sanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus erit, qui non meruerit consulatum.* Et Claudianus Panegyri de Probini & Olybrij fratrum consulatu:

——— Quemcumque requires
Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci.
Per fasces numerantur Aui, semperq; renatâ
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili seruantia lege tenorem:
Nec quisquam procerum tentat licet ære vetusto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se iactare parem: sed primâ sede relictâ
Auchenijs, de iure licet certare secundo.

Vbi Martinus Delrio pro, *Auchenijs*, reponendum putat, *Annicijs.* Vocabantur enim hi Consules, Sextus Anicius, Hermogenianus Olybrius, & Sextus Anicius Probinus; atque Claudianum asserere, Aniciis, propter nobilitatem generis, illud à Senatu priuilegij concessum, vt dicendæ primo loco sententiæ ius haberent. Sed illud quàm eximium, quod primi, qui post Magni Constantini baptismum, Christianam amplexi sunt fidem, fuerint Anicij, vt canit Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Fertur enim ante alios generosus Anicius vrbis
Illustrasse caput: sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci generisq; & nominis hæres,
Adiectus fastis, palmatâ insignis ab aulâ
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.

Refert id Baronius ad Christi annum 312. Verùm Lælius Bisciola horarum subseciuarum lib. 4. cap. 4 priorem putat Flauium Clementem virum consularem ad Christi fidem conuolasse; vt ex Dione Cassio colligit, & Acilium Glabrionem, qui cum Traiano consulatum gesserat. De eadem familia Cassiodorus variarum lib. 10. Epist. 11. & 12. Erant olim in prouerbio opes, ædificiorum moles, & splendor ædium familiæ Anicianæ. *Aniciana familia splendor.* Hinc Secundinus ad Augustinum: *Ego namque fateor, non tali diligentiâ, nec tantâ industriâ Aniciana domus micare marmora, quanta tua scripta prælucent eloquentia.* Hæc ipse apud Augustinum tom. 6. Vocatur in Romano Marty-

De S. Benedicti Progenitoribus. *Ex eâ Martyres.*

Martyrologio die 31. Maij, *illustris Aniciorum progenie.* Vbi Baronius in notis: *Fuit ea familia illustrata non tantùm Consulibus & Imperatoribus, sed & nobilitata Martyribus & Confessoribus.* Ex hac enim familiâ fuêre SS. Martyres Cantius, Cantianus & Cantianilla fratres. Ille item pietate atque doctrinâ celeberrimus Consul ordinarius & Confessor illustris, Anicius Manlius Seuerinus Boëtius, martyrio coronatus sub Theodorico Gothorum Rege. Ex eadem stirpe fuit & Symmachus vir Consularis prædicti Boëtij socer, & in passione socius. Ex Aniciano quoque genere feruntur nostri Martyres S. Placidus cum fratribus Victorino, Eutichio & Flauia sorore. Quare de Machabæis Martyribus S. Gaudentius Brixianus Episcopus ait: *Nemini absurdum videatur, quod eos paulò ante Anicus comparaui. Anicij quippe ex Græco sermone à nobis nuncupantur Inuicti.*

Confessores. Confessores & Sancti eius stemmatis recensentur S. Paulinus Nolanus Episcopus. Baron. 394. Fælix Romanus Pontifex S. Gregorij Atauus, ipse S. Gregorius, & præter S. BENEDICTVM, S. Maurus, Felicissimus Monachus, de quo Petrus Diaconus lib. de Sanctis montis Cassini cap. 5.

Illustres fæminæ. Habuit & illustres fæminas sanctis annumeratas, Probam, Julianam, Demetriadem, S. P. N. sororem Scholasticam, Tarsillam & Æmilianam Magni Gregorij Amitas, vt manifestum sit non in terra tantùm, sed & in cælo splendere illustris huius familiæ sidera.

Verùm vt propiùs ad S. BENEDICTI genealogiam accedamus, quam adeò non astruimus vt eam potiùs ex Wion probabiliter commemoremus, cùm & ab aliis grauissimè sciamus contradictum.

Atauus illius. Atauus ei fuit Sextus Anicius Petronius Probus, diuitiis & auctoritate Imperatori proximus. De cuius dignitatibus & magnificentiâ vide Baronium tomo 4. anno Christi 395.

Proba Faltonia atauia S. Benedicti. Vxor ei fuit ex eadem prosapia, Anicia Proba Faltonia, quam sancti Patres istius temporis commendant plurimum. Augustinus epist. 121. illi iam viduæ præscribit modum orandi Deum, vocatque *religiosam Dei famulam.* Epist. 136. vocat, *Dominam insignem merito illustrem ac præstantissimam*, gratiasque agit quòd de salute ipsius fuerit sollicita. Idem scripsit Chrysostomus Epist. 168. Hieronymus epist. 8. *Proba*, inquit, *omnium dignitatum, & cuncta nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius, cuius sanctitas, & in vniuersos effusa bonitas, etiam apud Barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum, Probini, Olybrij, & Probi non fatigarunt ordinarij Consulatus.* Filiam etiam habuit Iulianam, matrem Demetriadis, quæ fuit sæculi suis ornamentum, virginitatis decus, quæ Christo cùm se dedicasset, Hieronymi & Augustini aliorumque litteris honorata fuit. Mirandum verò in Proba rarum & elegans

Græcè Latinèque docta. ingenium; erat enim Græcè & Latinè (inquit Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ) ad summum erudita, diuinarum litterarum amantissima, & quasi Christianorum Latina Sappho: prima omnium excogitauit ex verbis Virgilij, quem totum memoriâ tenebat, varios vtriusque testamenti locos, metricè describere. Quod opus, Virgilio-Centonas inscripsit.

Auus. Probæ autem filius Probus, filium habuit Iustinianum Auum S. P. N. BENEDICTI. Alius porrò hîc fuit ab Iustiniano Imperatore, quem malè Trithemius, & eum secuti dixerunt nostri Patris BENEDICTI Auum: cùm fuerit

Pater cognatus germanus. Iustinianus enim Sancti Patris Auus tres habuit filios, Anicium germanum, & qui ductâ Iustini Imperatoris sorore genuit Iustinianum, postea Imperatorem. Secundus fuit Anicius Eupropius Sancti BENEDICTI parens: Tertius fuit Anicius Tertullus, Pater S. Placidi. Eupropius (sic enim legendum, non Proprius, vt constat ex antiquis Manu-scriptis Cassinensium libris) vxorem duxit piam & nobilem Dominam

Mater. Abundantiam, ex illustri Riguardatorum familiâ, vnicam Nursini Comitis filiam, & feudatorum eius ac cognominis hæredem. Vnde Eupropius hoc coniugio Nursiæ comes factus, in familiam vxoris suæ transiens, Riguardati sibi agnomen, peruetusto aliarum Nationum more, assumpsit. De quo plura Wion in tractatu de familia Anicia, stemmate secundo, gradu quarto. Abundantiam porrò Marchionissam fuisse Montisferrati scribit Trithemius: sed refutat Wion, quod tunc temporis nec Marchionis, nec Montisferrati nomen esset in vsu. Probabilius est dominam fuisse Nursiæ, qualem agnoscunt annales Nursini, & hodieque familia Riguardatorum, quæ Nursiæ est, appellatur *familia sancti* BENEDICTI, teste Wion in Martyrologio Monastico, ad diem 21. Martij. Periclitata autem in partu Abundantia, geminos enixa est, Sanctum scilicet BENEDICTVM

Benedictus & Scholastica vno partu editi. & sororem eius Scholasticam; quibus editis mortua est: quasi iam satis vixisset, cùm tantos talesque relinqueret posteros, nec aliâ videretur nupsisse causâ, quàm vt talium Sanctorum fieret Mater. Enimuerò, vt olim de Rebecca scriptum est, quod *duas gentes haberet in vtero suo, & duo populi ex ventre eius diuiderentur*; ita & hæc Abundantia (quod nomen eius insinuare videtur) sacris fœtibus abundauit. *Genes. 25.* In hisce enim geminis velut duas gentes, duplicemque in vtero portauit populum, Monachorum scilicet & Sanctimonialium innumerabilem numerum, à duobus hisce S. BENEDICTO & S. Scholasticâ mundo cæloque propagatum. Addendum hic verò, quod Bonifacius Simonetta persecutionum Christianarum lib. 4. Epist. 20. scribit: *Quidam*, in-

Benedictus adhuc in vtero psallere auditus. quit, *Benedictum in aluo Matris sancta præcinere auditum aiunt, si non fabulantur, illius sanctitatis fuit prognosticon.* Citant hoc præter Antonium de Yepez in Chronico tom. 1. cap. 1. Antonius Daza Chronographus Ordinis Franciscani in vitâ B. Ioannæ de la Cruz, & Dauid Rothus Ossoriensis Episcopus in elucidatione secunda ad vitam S. Patricij num. 34. Et Walderama in Theatro Religionum, concione de S. BENEDICTO: vbi hoc prodigium valdè expendens ait: Præstigiatores minimè paucos legimus in vtero fleuisse; diuinus verò noster incantator cecinit: quod Cygnus ante mortem, hoc ante natiuitatem vir sanctus fecit. Quod argumento sit fore eum stupendum Sanctitatis prodigium. Materno conclusus vtero in augustissimo claustro chorum velut erigit qui in eremi cœnobiique clausura, vitam totam canticis hymnisque spiritualibus consecraret.

Huic autem tam stupendo prodigio assensum non denegabit, qui meminerit ab Augustino lib. 3. de Ciuitate Dei cap. 31. scriptum in Ethnicorum

Et alij in vtero locuti. *libris, non fabulosis, sed historicis, seu vera seu falsa sint, legi boues locutos, infantes nondum natos de vteris matrum, quædam verba clamasse.* Exemplum in Commentario adducit Ludouicus Viues ex Liuio lib. 24. Maruciæ infantem in vtero IO TRIVMPHE clamasse. Sed certiorem omnino fidem his conciliant

S. Geraldus.

ciliant Sanctorum vitæ. Sanctus Odo Cluniacensis lib.1.vitæ S.Geraldi cap.3. Hunc cùm gestaret mater, *nono die priusquam nasceretur, contigit vt cum suo viro vigilanti vigilans ipsa iaceret. Et dum nescio quid vicissim sermocinarentur, infans emisit vocem quam ambo audierunt. Cumque attoniti, quidnam esset obstupescerent, neque ignorare poterant, quod illa vox in aluo matris sonuerit; vocat pater cubicularium, & quoniam ille vagitus increpuerit, adhibito lumine iubet disquiri. Cùm illa nullum omninò infantem adesse, qui vocem illam ediderit similiter attonita protestaretur, infans iterum secundò sonuit. Et post modicum interuallum, sonuit etiam tertiò, videlicet sicut recens natus vagire solet. Ter igitur in ventre matris auditus est, quod profectò tam mirum est, quàm & contra natura modum constat accidisse. Et quia non casu, sed disponente rerum ordinatore Deo factum est, fortè vox illa iam præsagiebat, quod in huius mortalitatis clausura vitales actus erat habiturus.* Cùm gestaretur materno v-

S. Vincentius.

tero S. Vincentius ordin. Prædicatorum, velut latrantis canis vox audiebatur, quod magnum concionatorem quandoque futurum indicabat, vt consulenti ea de re matri respondebat Jacobus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Valentinæ vrbis Episcopus. Auctor vitæ lib. 1. cap. 2. apud Sur.

B. Iacobus à Marcia.

tom. 2. B. Iacobus à Marcia Anconitana, granidam matrem prædones metuentem vtero clausus voce sonora ita solatus est: *Ne time, mea mater, lento viam insiste pede, inoffensa domum peruenies.* Ex Chronico S. Francisci tom. 3. lib. 6. cap.

Gonzalus Sylueria.

1. De Gonzalo Sylueria, illud (vt vitæ auctor Nicolaus Godignus lib.1.cap.1. refert) proditur memorabile, quod tertio ante ortum die, vtero adhuc inclusus, matris viscera vagitibus impleuerit, communem præoccupans hominum conditionem, quos in ipso statim vestibulo vitæ natura abiicit ad lacrymas. Sed gloriosiùs videtur ipsam natiuitatem cantu præuenire, quod de BENEDICTO Patre nostro, citati auctores asserunt, quasi sua natiuitate vitáque quamplurimis æternæ lætitiæ caussa esset futurus.

Obiectio.

Sed aduersus ea quæ de tam illustribus Sancti BENEDICTI progenitoribus dicta sunt obiiciet fortasse aliquis, Thomam Bozium lib. 6. de signis Ecclesiæ Dei cap. 6. num. 17. ita scribere: *Benedictus adolescens nulla eximia nobilitatis & eruditionis laude præstans, nullis humanarum rerum, quibus interdum, mortales capiuntur, præsidiis & ornamentis instructus, audet normam vitæ inducere longè austerrimam.* Quibus verbis negat eam, quam probauimus, nobilitatem. Sed cùm antiquorum neminem pro se citet, parum vrget eius auctoritas cùm præter allatos auctores, Breuiarium Romanum nobili eum dicat genere ortum; & Adreualdus perantiquus Monasterij Floriacensis scriptor lib.1.de miraculis S. Benedicti cap.1. sic scribat: *Quanta dignitatis parentibus progenitus fuerit, testantur ruina palatij eorum, cum aedicula propè Mœnia Nursinæ vrbis sita: tanta quippe magnitudinis, perplexique operis ex fundamentis constitisse conuincitur, vt quælibet palatia potentissimorum superauerit Regum, nec modicis queat reparari impensis.* Quæ nobilem valde fuisse arguunt.

De S. Benedicti progenitoribus. Responsio.

Sed hæc de tanta S. BENEDICTI nobilitate ex aliorum potiùs sententia hîc repræsentamus, quàm quod congruis ea documentis astruere valeamus, aut velimus. Assertores nominauimus, quos, si quis validè conuincat, à nobis qui ista minus assequimur aut excutimus, non est quod reformidet, cum exigua ex parentum gloria videri queat sancti BENEDICTI commendatio, qui illam pro Christo generosè contempserit. Lubet hic cum S.Hilario Arelatensi, sermone de S. Honorato, loqui: *Fastigium est nobilitatis inter Dei filios computari; nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, nisi contemptu suo potest. Nemo est in cælestibus gloriosior, quàm qui repudiato patrum stemmate sola elegit Christi paternitate censeri. Prætermittere itaque liceret auita illius sæcularium honorum insignia, & quod concupiscibile ac penè summum mundus habuit, vsque ad Consulatum prouectam familiæ suæ nobilitatem maiore generositate pectoris fastiditam: nec placuisse illum sibi de superuacuis suorum honoribus, qui pro amore veritatis iam suos non optabat.* An non quod alia occasione dixit Bernardus, subiungere hîc liceat: BENEDICTVS tu *in nobilibus, qui pro gloria certantibus cæteris de contemptu gloriæ gloriosiùs sublimaris & sublimiùs gloriaris: insignior planè atque illustrior quod de paruis factus sis, quam quòd ortus de magnis; illud namque Dei munere tuum est, hoc tuorum.* Ita nimirum quod olim Augustinus epist. 179. dixerit, *generosiùs elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo; & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium.*

Animi illius nobilitas.

De S. Benedicti insignibus.

PROLEGOMENON XV.

De familia Sancti Benedicti *insignibus, siue armis gentilitiis.*



Nicium Eupropium Probum, S. Benedicti parentem tradit Wion nomen insignia vxuris suæ Abundantiæ Riguardatæ assumpsisse. Gessisse autem ait pro insigni leonem argenteum in campo rubro, auitis a mis Anicianis relictis. Quæ quidem eodem auctore habebant turrim argenteam in campo rubro, quæ annis trecentis ante Christi natiuitatem, Anno scilicet ab vrbe condita 450. Quinto Anicio Prenestino (qui primus in historiis Anicij condecoratus est nomine) assignat.

De gentilitiis autem S. Benedicti armis, sic Anonymus quidam cecinit.

Signa Riguardati Europy fœlicia, campus
Extollit rubicans, candidus atque leo.
Ex quo par Mosi Benedictus nascitur almus,
Pro quo totus ouat mundus, & astra simul.

Quorundam de insignibus sententia. Verùm hæc de insignibus non nemini fortassè suspecta sint, de quibus ita Baronius ad annum Domini 604. num. 6. *Quod S. Gregorio* (idem dicendum de S. Benedicto) *tribuantur insignia, videntur illa esse supposititia, cùm eo tempore eorum non fuerit consuetudo. Risimus autem qui Gregorio vel antecessoribus Romanis Pontificibus pro insignibus scuta tribuunt (vt nunc moris est) diuersis imaginibus & coloribus picta; cùm eorum vsus longè sit recentior.* Hæc ille. Nec solus in hac sententia: volunt enim nonnulli, vt ait Gabriel Paleotus lib. 2. de sacris & proph. imag. cap. 47 originem gentilium armorum non supra Caroli Magni tempora exstitisse: nam licet satis constet apud veteres Romanos Aquila signum fuisse; apud Scytas, fulmen; apud Persas, arcum; apud Ægyptios, bouem; & fuisse permultas prouincias & ciuitates quæ propriis insignibus vtebantur, quibus inter se differebant, vt etiam in Actis Apostolorum legimus de Naui Alexandrina, qua Sancti Paulus & Lucas, atque alij in Italiam aduecti sunt, *Cui erat insigne Castorum.* (Act. 28.) Tamen hæc aiunt extitisse publica insignia gentium, aut prouinciarum, aut regnorum. Illa autem propria familiarum & domestica, illis temporibus allata fuisse, quibus Vandalorum, Gothorum, Pannonum, Sarracenorum, Longobardorum, & aliarum gentium incursiones Italiam vexarunt, quarum vi & insolentiâ cùm vniuersa Italia cœpisset in partes complures diuidi, qui diuersis locis imperabant, eos, quibus imperabant, his insignibus donarunt, vt quisque suos, ex diuersitate insignium agnosceret: inde verò hoc ipsum latè dimanauit, & pro temporum varietate, ad ambitionem hominum traductum est. Alij illorum originem in proximum tempus deducunt, affirmantes inuenta fuisse tempore Friderici Barbarossæ, post annum quadringentesimum aut paulò antè, cùm factiones illæ, quas Guelfas & Gibelinas appellant, in mutuas cædes coniurarunt. Ita ille.

Contraria afferuntur. Verùm Ioannes Pierius Hieroglyphicorum lib. 15. pluribus capitibus probat antiquitus serpentes & angues multorum insignia fuisse. Et lib. 19. cap 15. ait: gentilem scutorum vsum (Insignium antiquitas.) variasque in eis imagines aut picturas, quæ familiarum indicant stemmata, cognationesque, tametsi viri haudquaquam contemnendi, esse hæc recentioris ætatis inuenta existimarunt, nos antiquissimi moris esse, & hic, & alibi toto opere disseruimus. Sic ille. Putant enim aliqui, & in iis Budæus in Pandectis l. fin. de origine iuris, & Chassanæus de gloria mundi, hæc insignia in locum imaginum successisse, quas Romani babebant apud se, vt Maiorum memoriam tuerentur, & familiæ nobilitatem ostentarent. Alij dicunt hæc fuisse militaria dona & signa honorum, quibus ab Imperatoribus nonnulli donabantur militaris scuti forma, in quibus facta erat imago aliqua, quæ operæ in bello egregiè nauatæ, & virtutis testimonium dabat. De quo scripsit Plinius lib. 35. cap. 3. *Scutis, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines, vnde & nomen habuère clypeorum; origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit vsus illo.* Atque hæc pro insignibus Sancti Benedicti fuerint, ni fallor, satis: de quibus quid sentiendum doctiores discutiant. Nobis sanè hæc res tanti visa non est, vt de ea fusiùs ageremus, nam

Stemmata quid faciũt? quid prodest Pontifice longo Iuuenal. Satyr. 8.
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent vndique cera
Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.

PRO-

PROLEGOMENON XVI.

De S. Benedicti nominis.

De suaui Sancti BENEDICTI *nomine.*



VT benedictionis dulcedinem in suauissimo B. P. BENEDICTI latentem nomine, apis argumentosæ more, modoque exsugamus, præfari libet, quæ de nominum impositione gloriosus Martyr Cyprianus, vel quis alius æui eius scriptor prologo in librum de Cardinalibus Christi operibus ad Cornelium Papam præloquitur: *Solent*, inquit, *Matres infantulis nuper editis in ipso vitæ introitu aptare vocabula; & ex aliquibus præcedentibus vel circumstantibus causis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere nomina; vt in ipsis primordialibus initiis quædam præfigerentur commonitoria ingredientibus vitam, ne nomen eis esset ad ignominiam, si originalis naturæ traductio à consueto limite deuiaret, & à virtute Patrum degenerans, indigna successio monstri, non hominis faciem exhiberet. Respicerent potiùs ad nomina vel efficia sua, quorum inspectio honestæ conuersationis formam eis infunderet & doctrinam, vt honorificarent naturales causas & rationales disciplinas, nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines, vel primarias offenderent dignitates. Promissum est in populo antiquo & institutum, vt aliqua esset in vocabulis ratio, & interpretarentur nomina vitam, & exprimerent aliquam personæ proprietatem, secundum quam vel differret à cæteris, vel etiam communicaret. Sic in nominibus Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob magnarum rerum extitere indicia, & preloquebantur ventura; nec deerat impositorum nominum secundum sensum suorum effectum certitudo.* Hactenus ille.

Quæ olim nominis imponendi ratio.

Olim quoque apud Gentiles (vt Serarius in cap. 2. Iosue quæst. 17. annotauit) fuerunt fortunata quædam & boni veluti ominis nomina: vt Valerius Lucrinus, & similia: fuêre quædam suauia, & iucunda; vt Hiacynthus, Narcissus, Charilaus, Earinus; de quo Martialis: lib. 9. Epigram. 12.

Dabantur nomina boni ominis indicia. Nomina quædam suauia:

Nomen cum violis, rosisq; natum:
Nomen nectare dulcius beato.

Fuerunt etiam quædam augusta, & in summo apud omnes pretio ac veneratione. *Tantum*, ait in Macrino Capitolinus, *desiderium nominis Antonini fuisse dicunt, vt nisi populus & milites Antonini nomen audirent, Imperatorium non putarent.* Et in Diadumeno Lampridius: *Fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium.* Et postea. *Extat Epistola Opilij Macrini, quâ gloriatur, non tam se ad imperium peruenisse, qui esset secundus Imperij, quam quod Antonini nominis esset pater factus: quo clarius illis temporibus non fuerat vel Deorum.* Vnde & passim hoc nomen dicitur sanctum, sacratum, Cæsareum, Imperatorium.

Quædam augusta.

Sanctorum quorumdam & hæc prærogatiua est, vt ne ipsum nomen vacuum sit luce laudis. *Sicut Dominium*, inquit Chrysologus serm. 154. *prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpe Sanctorum merita indicant, testantur insignia.* Commendatur à Gregorio Nazianzeno oratione de S. Meletio, quòd hic Sanctus esset reapse quod audiebat nomine; mores, inquam, & nomen haberet melleum. S. Agnetem, ait Ambrosius lib. de Virginibus, non hominis nomen, sed Martyris oraculum habuisse.

Fuit & S. P. N. BENEDICTO ipsum hoc nomen sanctioris vitæ, & amplissimæ, quam à Deo accepturus erat, benedictionis omen, quare passim ab hac appellatione ipsum parentem nostrum Scriptores quà veteres quà Neoterici celebrare consueuerunt. Atque vt olim Nolanus Antistes (natali 1. S. Fœlicis) de suo canebat Patrono.

Nomen, Benedictus, benedictionis præsagium:

Meritis & nomine Fœlix.

Jterumque Natal. 2.

Fœlix, hoc merito, quod nomine; nomine & idem
Qui merito.

Non secus magnus Gregorius Patriarchæ nostri laudes ab ipso nomine texere cœpit: *Fuit*, inquit, *vir vitæ venerabilis gratia* BENEDICTVS *& nomine.* Et Bernardus sermone de Sancto Benedicto: *Celebramus magistri nostri gloriosi Benedicti natalem, cuius dulcissimum nomen cum omni vobis iucunditate amplectendum est & honorandum, quoniam ipse Dux vester; ipse Magister & Legifer vester est.* Sed disquiramus sigillatim vocabuli huius excellentias, prout quidem illæ S. Patri Nostro conueniunt.

PRIMA autem sit, quod hoc ipsum nomen sit Dei, quo nihil sublimius cogitari potest. De Moyse iam olim dixit Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel. cap. 2. *Moyses humanæ dignitatem conditionis excessit eousq; vt Dei vocaretur nomine, positus, ait, re Deum Pharaonis.* Annon & Legifer noster Dei vocatus est nomine, cùm toties Deus in sacra scriptura vocetur BENEDICTVS? Hinc antiquus Floriacensis Poeta Gauzbertus, apud Aimoinum his versibus eum celebrauit:

1. Excellentissima.

Quem Deus æterna faciens de sede potentem
Hæredem proprij nominis esse dedit.
Nam fuit, est, & erit BENEDICTVS *iure vocatus, &c.*

Vita S. Benedicti mores informat.

Angelicus porrò Doctor plusculas veritates S. BENEDICTI exemplis, verbisque ex hac vitâ desumptis confirmat. Primò enim, vt probet non esse necessarium vt quicumque ad superiorem vult statum peruenire, à minori incipiat; & quod aliquis ab altiori gradu sanctitatis incipiat, quàm sit summum ad quod alius totâ vitâ peruenit: id probat ex eo quòd Gregorius dicat: *Omnes agnoscunt à quantâ Benedictus puer conuersationis gratiam perfectione cepisset.* D. Thom. 2.2.q.189.art. 1.ad 2. Et opusc. 13. cap. 7. Et quodlib. 5. art. 21.

Secundò, ex eo quòd S. Benedictus nutricem occultè fugiens, & Romano Monacho propositum suum aperuerit, colligit Opusc. 17. cap. 9. deliberationem de vitæ statu non ineundam cum consanguineis & proximis.

Tertiò, ibidem cap. 13. ex eodem facto probat pueros perfectionis statum posse eligere, seseque Religioni deuouere. *Quis enim*, inquit, *puerum Benedictum stultitiæ argui patiatur, quod relictâ domo, rebusq; patris sanctæ conuersationis habitum & desertum quæsiuit.* Idipsum & alio, ibid. cap. 3. probat argumento, ex eiusdem S. BENEDICTI vitâ: qui Romanæ vrbis nobiles B. BENEDICTO filios suos Omnipotenti Deo nutriendos tradiderint.

Quartò, idem S. Doctor 2.2.q.188.a.8. exemplo S. BENEDICTI docet absque præcedenti exercitio solitariam vitam, ex diuinæ gratiæ inspiratione suscipi posse, quod aliàs esset periculosissimum.

Quintò, vt ostendat Religiosis non necessariò incumbendum manuum operibus, id Opusc. 19. cap. 5. S. BENEDICTI exemplo confirmat, qui tribus annis in specu mansit manibus non laborans vt ex hoc victum quæreret.

Sextò, ex eodem fonte, ibid. cap. 7. deducit licere Religioso valido & forti, ex fidelium eleemosynis vitam traducere: nimirum quia BENEDICTVS *tribus illis annis in specu manens, de his quæ à Romano Monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum parentis reliquerat; & tamen validus corpore existens, non legitur de labore manuum victum quæsiuisse.* Et hactenus quidem Angelicus Doctor.

Sanctus verò Bonauentura libro de paupertate Christi q. 1. art. 2. & q. 2. postrema duo similiter ex S. BENEDICTI vitâ concludit, qui etiam libro de profectu Religiosorum cap. 6. probat, Deum post tentationem consueuisse seruos suos ampliùs consolari, & puritatis perfectionis gratiam conferre; quia B. BENEDICTVS cùm grauiter tentaretur, viriliterque resisteret, *ita plenè vicit, vt Dei gratiâ numquam postea motus carnalis illecebræ in se sentiret.*

Reginaldus S. Dominici discipulus, exemplo S. BENEDICTI instructus, fratrem qui vilem pannum sine Superioris licentiâ acceperat, aliumque fugam meditantem, virgâ percutiens, vtrumque à dæmonis insidiis liberauit.

Ab hoc Sancto Patre didicit Sanctus Amatus quod de eo scribitur: quod in obliquâ parte *Vosagij Montis, concauum reperiens saxum, angustam illic sibi vni habitaculum construxerit, ibiq; lectulum habuerit corpori accommodatum; nec enim specus amplius aut longius sese porrigebat. Superius autem immanis hærebat rupes, ex quâ minister eius, tintinnabulo ad funem ligato, exiguam panis particulam, & parum aquæ in vasculo ei submittebat.* Hoc idem enim S. BENEDICTO Romanus præstitit Monachus.

PROLEGOMENON XI.

Fidei dogmata vitâ S. BENEDICTI *confirmari.*

Vita S. Benedicti fidem confirmat.

NON parum quoque vtilis est hæc S. BENEDICTI vita, ad redarguendum eos qui catholicæ fidei cōtradicunt, aut Nouatoribus cedunt & credunt. Si enim Magnus Gregorius vitæ huius scriptor, fuerit (etiam ipsius Caluini testimonio) vir sanctus [a], & Theologiæ ipsius propugnator [b], quique Romæ Episcopus iure dici possit [c], neque ante Gregorij ætatem Romana defecerit Ecclesia, consequens hinc fit sana ea esse dogmata, verosque Dei ritus, qui ex eiusdem Gregorij scriptis vsu recepti fuisse probantur: ac proinde errare qui hæc talia vt superstitiosa, & veræ Christi Ecclesiæ minùs consentanea improbant, & damnant.

Caluini de S. Gregorio testimonium.

a lib. 4. Instit. cap. 7. §. 22.

b Epist. ad Sadol. Cardin.

c lib. 4. cap. 17. §. 49.

Primò, Missæ vocabulum & rem, missam faciunt hæretici. Lutherus Missam neque esse à Deo institutam, neque esse Sacrificium, imò neque esse bonum opus asseruit, lib. de captiuit. Babylonicâ: quinimo tanto odio Missam prosecutus est, vt librum aduersus illam scripserit hoc titulo, *De abrogandâ Missâ*: in quo scribit eam esse summam idololatriam & impietatem. Caluinus quoque lib. 4. cap. 18. Eucharisticum sacrificium Missæ nomine appellatum, conuitiis dilaniat. Sed Missæ vocabulum & rem in hac S. BENEDICTI vitâ à Gregorio tradi cap. 23. videmus; & in ipsâ Regulâ S. BENEDICTVS Missæ meminit cap. 35. & 60.

Adstruuntur quædam fidei dogmata.

Secundò, negat idem Caluinus cum Wicleffo, Carolstadio, Oecolampadio, & Zvvinglio, veram, realem, & substantialem pretiosissimi Corporis & Sanguinis in Eucharistiâ præsentiam. Sed hic c. 24. refertur BENEDICTVS Dominicum corpus parentibus cuiusdam defuncti pueri tradidisse. Et cap. 38. exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuisse. Ex vtroque loco colligi verosimiliter queat, Eucharistiam tum temporis fuisse reseruatam; quod ipsum & hæreticis displicet.

Transubstantiatio Eucharistica.

Tertiò, oderunt hæretici Clericorum à Laicis distinctionem, & Ministrorum in Ecclesiâ Dei varietatem. Lutherus in libro de abrogandâ Missâ priuatâ, parte 1. *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus vnctus, nullus rasus, nullus Monachus esse debeat.* Et Caluinus lib. 4. suæ Institut. cap. 4. §. 9. *Hæc*, inquit, *appellatio, aut errore, aut certè ex prauâ affectione nata est, cum tota Ecclesia Clerus, id est, hæreditas Domini à Petro dicatur.* Verùm si huic Gregorij narrationi adhibeant fidem, non difficulter omnium Ordinum gradus inuenient: cap. enim 16. & 31. occurret Clericus, cap. 8. Subdiaconus & Diaconus, cap. 15. Presbyter, & 16. Episcopus.

Clericorum à Laicis distinctio, & Ecclesiæ ministrorum varietas.

Quartò, templa in Martyrum, aut Sanctorum aliorum memoriam, Deo exædificari Sectarij nolunt, vt olim etiam Eustachius in Gangrensi Concilio

Templa Sanctis dicata.

lio damnatus: verùm hic à B. BENEDICTO Oratoria S. Ioanni Baptistæ, & S. Martino dicata, legere est. Sacratum Reliquiarum venerationem, & inuocationem Sanctorum, cum idololatriâ coniunctam non semel ait Caluinus. In hac porrò vitâ, cap.16. narrat Gregorius Clericum per multa Martyrum loca transmissum, vt sanari posset. Vbi peregrinationes ad loca sancta probari videas, quas tamen Lutherus in declamationibus popularibus Wittenbergæ habitis, *discursus ex diabolo* nuncupat. Caluinus lib.4. Institut. cap. 13. §.7. *plenas manifestæ impietatis* audet dicere.

Reliquiarum veneratio.

Quintò, signi crucis productionem passim rident hæretici: hîc autem cap.3. videre est vitreum vas, cui venenum inerat, edito hoc salutari signo confractum. Eodem, cap. 9. insidentem lapidi dæmonem pepulit. Ieiunia & ciborum delectum improbant Nouatores: sed videas hîc cap. 1. ab ipso Deo commendari Sancti BENEDICTI inediam: cap.13. laudari eum qui ieiunus ad virum Dei annis singulis venire consueuerat. Et cap. 16. sanato Clerico præscribi à S. Patre abstinentiam à carnibus.

Signi Crucis productio.

Ieiunium.

Sextò, Carpit Gebennensis Apostolus, Institutionum lib.3. cap.20. §. 9. editionis Gallicæ, Breuiarij recitationem vnà cum Diuino officio, quod Canonici ac Religiosi noctu, diuque celebrant, illa omnia *garrulitatis Deo pueriliter illudentis* nomine appellans. Sed monasticæ psalmodiæ celebris hîc 4. capite mentio habetur, quam ab ipso S. BENEDICTO duodecim capitibus descriptam, in Regulâ videre est. Ecclesiasticam excommunicationem, vt brutum fulmen Sectarij exsibilant, & Lutherus nullatenus timendam, sed procurandam ait. Ex hac porrò vitâ cap.23. quàm sit formidanda, luculenter discimus: Moniales enim, quibus solùm interminatus erat, quod communione eas priuaret, nisi mores corrigerent, visæ sunt post mortem de sepulchris exire.

Recitatio horarum canonicarum.

Excommunicatio.

Septimò, maximè inuehuntur Sectarij in Monachalem statum & Religionis vota. Wicleff omnes Religiosorum ordines à diabolo in Ecclesiam introductos sensit, & Augustinum, Benedictum, Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint. Lutherus in Epithalamio, statum Religionis nihil valere, sed ethnicum, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse dicit. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 13. Monasteria dicit lupanaria, vota monastica, retia sathanæ: Monachos omnes, Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesiâ dissensionem fecerint, & se totos diabolo consecrauerint. Sed videas hîc à Gregorio laudari BENEDICTVM vt Eremi incolam, Monachorum Patrem, & Monasteriorum Fundatorem. Videas hîc sanctæ conuersationis habitum, obedientiam, paupertatem, & abstinentiam monasticam, plerosque Cœnobitarum ritus, sanctimonialium institutum viuendi, Regulam à viro Dei scriptam, promissionem manendi in Monasterio (cap.25.) aliaque quæ in Monachis subsannant ac carpunt Sectarij.

Status Religionis.

VITA S. BENEDICTI FIDEM CONFIRMAT.

Animaduertit igitur prudens Lector, quot ex vno hoc libro redarguuntur hæreses: siquidem Gregorius fuerit Theologiæ propugnator & sanctus. Sed enim dum hoc perpendunt Aduersarij, auctoritatē Gregorij eleuant, & deceptum scribunt. Aurifaber sanè in colloquiis mensalibus Lutheri, vt citat Franciscus Feu-ardentius in Annotationibus ad c.20. libri tertij S.Irenæi, nō est veritus ita pronūtiare: *Gregorij conciones ne teruncium quidem valent, diabolus eum in Dialogo suo crassè decepit*, &c. Neque verò Caluinus ab hoc longè abit. Institut. lib.1. cap.11. §.5. de Gregorio ità pronuntiat: *Libros idiotarum esse imagines. Dixit hoc Gregorius: & longè aliter pronuntiat spiritus Dei, in cuius scholâ si edoctus fuisset, hac in parte numquam ita locutus foret.* Lib.3. cap.20. §.24. ait: *eum nugari & per temulenta cerebri somnia velle in abdita Dei iudicia sine eius verbo penetrare & perrumpere, ac Scripturam conculcare.* Et cap.24. §.9. ait, *pessimè & perniciosè Gregorium scribere.* Sed quis non videat, hæc ideo illum velut ex tripode pronuntiare, quòd Gregorium videat doctrinæ suæ vel maximè aduersari, & semel admissâ Gregorij auctoritate, plerasque eius, aduersus Ecclesiam Dei, ruituras machinationes?

Hæreticorum in Gregorium calumnia.

PROLEGOMENON XII.

Quæ S. BENEDICTI *Patria.*

S. BENEDICTI PATRIA.



V Æ superioribus discussa Prolegomenis, ea, vt videre licet, sunt, quæ vitam S. BENEDICTI, vt à Magno Gregorio exarata est, potissimùm spectant, nunc ad ipsum BENEDICTVM propius accedentes de loco & tempore natiuitatis, de eiusdem Progenitoribus, armis gentilitiis, de ipso Benedicti nomine, de illustrium virorum in S. BENEDICTVM elogiis ordine nonnulla dicemus.

Occurrit primò Patria, è quâ multi, si quidem nobilis & gloriosa illa fuerit, splendoris aliquid in se deriuari existimarunt: alij porrò obscuram etiam patriam meritorum suorum luce clariorem reddiderunt.

Quænam igitur S. BENEDICTO Patria? Philippus Cluuerius Italiæ antiquæ lib.2. cap.10. Sublacense describens Oppidum, ait: *Mille passus supra Oppidum ad Anienis ripam loco editiore conspicitur Monasterium D. Benedicti, qui hîc genitus est.* Sed memoriâ lapsum fuisse virum eruditum, ex sequentibus facilè patebit.

Gregorius enim, eiusque interpres Zacharias, aliique auctores magno consensu eum Nursiæ exortum scribunt. Et hinc Nursinus passim appellatur, adeò vt ex hoc nomine ortus fuerit error ille, quo ex Vrsinorum familiâ originem traxisse à quibusdam scribitur. Bonifacius enim Simonetta persecutionum Christianarum lib. 4. Epist. 20. sic inquit: *Beatus Benedictus illustri Vrsinorum genere ortus, vitæ monasticæ rationem Italis primus dedit.* Sed bene apud Wion, in Martyrologio, monuit Octauius Caietanus Syracusanus, mendum irrepsisse, dictionemque Vrsinorum pro Nursinorum, litterâ primâ N. demptâ, adiectam; rationem reddens suæ coniecturæ, quod Vrsinorum familia multis post S.P. BENEDICTVM sæculis Romæ exorta sit, originemque habuerit, non Romanam, quam habuit S.P. BENEDICTVS, sed Gallicam.

Nursia S. Benedicti patria.

Fuisse autem Nursiam sancto Patri terram nati-

S. Benedicti patria.

uitatis, arguunt *ruinæ palatij parentum eius, cum ædicula propè mœnia Nursinæ vrbis sita*, vt ait Adreualdus Floriacens. lib. 1. de mirac. S. Benedicti cap. 1. Testatur quoque Arnoldus Wion in Martyrologio monastico die 21. Martij. Riguardatorum illustrem familiam in hodiernum vsque diem in ciuitate Nursiæ conseruari, quæ alio nomine *familia S. Benedicti* nuncupatur.

Nursia situs.

Nursiam autem, vt in descriptione Italiæ annotauit Leander Albertus, *Ptolomæus in Sabinis collocat, qui ad Orientem magis, quàm Vilumbri vergunt. Seruius: Nursia, inquit, vrbs in Piceno est, qua in re Plinium secutus est, à quo regioni quarta tribuitur. Aliis tamen auctoribus in Vmbris & Sabinis est: quamquam haud quidquam ferè interfit, propter regionum vicinitatem, quæ nimirum hic confines sunt.* Hæc Leander. Eius verò situm ita exprimit Philippus Ferrarius, in typographia in Martyrologium Romanum. Nursia, Norcia, Ciuitas olim Episcopalis Sabiniæ in valle inter montes excelsos, perstructa, apud Piceni Vmbriæ & Aprutij confinia, inter Reate & Camerinum: à quo in Austrum supra viginti millia passuum abest, à Reate ad triginta in Boream, atque inter Fulginium, & Asculum: à Fulginio in Ortum ad viginti millia passuum, ab Asculo in Occidentem viginti quinque recedens: Meminit & Nursiæ Columella rusticarum rerum lib. 10.

Congylis, illustri mittit quam Nursia campo.

Et Virgilius 7. Æneidos:

Qui Tiberim, fabarimq; bibunt: quos frigida misit
Nursia.

Alia Nursiæ qualitates.

Vbi Seruius: *frigida Nursia*, vel quia reuera talis est: vel frigidam dixit, quasi venenosam & nocentem. Gracchi namque vbique in Concionibus suis Nursinas sceleratos appellauêre. Scimus autem Virgilium amarè historiarum rem per transitum tangere. Hæc ille. Cuius interpretatio frigidior aliis apparet, nec ad Gracchorum dicteriâ, sed loci situm Maronem respexisse volunt. Blondus ideò frigidam Nursiam. Virgilio dici ait, quia loci situs is est, vt propter montium circumiectorum altitudinem, qui ferè niuibus perpetuis occupantur, cùm vrbs ipsa, tùm ager finitimus ingenti frigore rigeat. Quod & Silius lib. 8. indicauit:

——— *nec non habitata pruinis*
Nursia.

Montosam quoque Virgilius 7. Æneidos dixit:

Et te montosa misêre in prælia Nursa.

Quoniam autem soli qualitates consequi solet fructuum vel copiâ, vel inopiâ, hinc quia montosus & frigidus est Nursinus ager, rapis abundare dicitur, quas ideò Mantuanus appellauit:

—— *Montano gaudentes frigore rapas.*

De iisdem Plinius lib. 18. cap. 13. *Nebulis & pruinis ac frigore vltrò aluntur amplitudine mirabili. Vidi quadraginta libras excedentia.* Paulò pòst: *Palma in Nursino agro nascentibus. Taxatio in libras sestertij singuli, & in penuriâ bini.* Huc alludit Martialis lib. 13.

Nursinas poteris parcius esse pilas.

Mirandum porrò quod de fluuio circa Nursiam, Italicis versibus scripsit Facius Vbertus lib. 3. Cant. 10. in hanc sententiam à Leandri interprete citatus:

Fluuium etiam exiguum Nursiæ vidi,
Qui annis septem subditus sub terra latet,
Et septem rursus super terram grandis, pulcherq; fluit.

Ferunt item, vt citato antea libro refert Ferrarius, in vicino monte excelso vnam ex Sibyllis habitasse: cuius antrum occlusum, propter magos, qui eò confluentes horribiles tempestates concitabant, magno incolarum detrimento, monstratur. Ad hanc Sibyllam allusit Baptista Mantuanus Fastor. lib. 3. de S. Benedicto ita canens:

Nursia montana, si vera est fama, Sibyllæ
Proxima, nunc tendit vicos aulæa per omnes.

De eadem Sibylla eiusque cauerna mentionem facit Andreas Theuetus Cosmographiæ vniuersalis lib. 57. cap. 17. Abrahamus Ortelius, & Gerardus Mercator in descriptione Marcæ Anconitanæ.

Cur autem sede Episcopali nunc careat Nursia, inde Ferrarius ex aliorum relatu, fortassis accidisse suspicatur, quod Episcopum interfecerint; quare nunc Spoletano Episcopo subiecta ciuitas est.

Nursinos porrò Scipioni milites ad instruendas naues Africano bello paratas misisse narrat Liuius lib. 38. *Plurimos hæc vrbs*, vt Leander scribit, *illustres præclarosq; viros in lucem edidit; in primis Sertorium illum militari gloria celeberrimum apud Romanos, vti à Plutarcho, Liuioq; monumentis proditum est. Item D. Benedictum Monachorum Patrem, cuius vitam elegantissimè descripsit Gregorius Pontifex in Dialogis, Benedictum Regnardatum hominem eruditissimum ex nobili quoque D. Benedicti stirpe, Vespasiam Pollam Imperatoris Vespasiani Matrem, vt Suetonius testatur, plurimosq; præterea, tum eruditione, tùm aliis nominibus patria sua perhonestos.* Hæc ille.

Nursia Illustrium virorum parens.

Verùm, quia de Sancti Benedicti natali solo agimus, rectiùs hîc subiecerim Sanctos apud Nursiam celebres. Romanum Martyrologium 28. Martij ita legit: *Apud Nursiam S. Spei Abbatis, miræ patientiæ viri, cuius anima cum ex hac vitâ migraret, in columbæ specie à cunctis fratribus visa est in cælum ascendere.* 23. *Maij: apud Nursiam SS. Monachorum Eutychij, & Florentij, quorum meminit B. Gregorius Papa*, Dialogorum scilicet lib. 3. cap. 15. Addit verò Baronius, plura de iisdem haberi in veteri Manuscripto Ecclesiæ eiusdem S. Eutychij apud Nursiam, vbi ipsius corpus religiosè reconditum asseruatur. Notat quoque Ferrarius, hunc esse diem Translationis, qui incolis est festiuus: diem verò natalis esse 28. Decembris. Dignissimi porrò sunt hi, quorum hîc fiat memoria, quia non tantùm communem habuêre cum S. Benedicto patriam, sed eiusdem etiam fuerunt filij religiosi, eumdemque sortiti sunt vitæ suæ descriptorem, magnum scilicet Gregorium, quare ab Arnoldo Wion, & Hugone Menardo, in monastico reponuntur Martyrologio. Benedictinis quoque accensentur ab Antonio de Yepez in Annalib. tom. 1. à Milletio ad Dialogos S. Gregorij. Trithemius etiam lib. 3. de viris illust. Ordinis S. Benedicti cap. 19. meminit Spei Abbatis & cap. 56. Eutychij.

Sancti apud Nursiam celebres.

Eandem patriam sanctitatis suæ gloriâ non parum illustrauit Sanctulus, prouinciæ Nursinæ Presbyter, qui singulis annis S. Gregorium inuisere solebat, vt ipsemet testatur lib. 3. Dialogor. cap. 37. de quo Volaterranus lib. 6. scribit, quod Nursiæ peculiari veneratione colatur. Hi igitur viri sancti velut sidera quædam Nursiam condecorauerunt. Sed eminet inter illos, velut sol quidam S. P. Benedictus, qui hinc ortus mundum vniuersum radiis suæ sanctitatis collustrauit. Quod quidem qui inter patriæ ornamenta, & quidem præcipua non putauerit recensendum, næ ille communi hominum iudicio, & toti repugnauerit antiquitati. Insita enim hominum mentibus ea videtur opinio, præstantis vnius hominis gloriam in totam communiter patriam, & singulos ciues quodammodo deriuari. Hinc perantiqua est de Homeri natali solo contentio, de quâ nobile, ac tritum

extat

extat distichon, relatum à Gellio lib. 3. cap. 11.

Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Verùm vt de Sanctis loquamur, S. Agatham, vt ait Breuiarium Romanum, *Panormitani & Catanenses ciuem suam esse dicunt*; eademque S. Luciæ dixit: *Sicut per me ciuitas Catanensium sublimatur à Christo, ita per te Syracusana ciuitas decorabitur.* Nimirum non infima hæc gloria est patriam suam, minùs alioqui gloriosam, orbi vniuerso reddere clariorem. Nazareth apud Iudæos locus erat adeò ignobilis, obscurus, & contemptus, vt diceret Nathanaël; *à Nazareth potest aliquid boni esse?* at verò quàm gloriosa effecta est Christi Saluatoris conceptu, à quo nobis omne bonum? Minima quoque erat Bethleem, si muros, ciues, ædificia, & celebritatem spectemus. Eadem tamen, vt ex Prudentio canit Ecclesia:

Ioan. 1.

Est sola magnarum vrbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere.

De Ramatha Magni Samuëlis parua patria, Nazianzenus orat. 25. ait, eam *Propheta dedecori minimè fuisse, neque à seipsa potiùs, quàm ab eo honorem esse consecutam.* Simili modo de Nursia dicere licebit, eam Magni Patriarchæ Benedicti natalibus, maiorem sibi honorem acquisiuisse, quàm præteritis vnquam consecuta sit temporibus, plusque ab eo accepisse, quàm illi contulerit. Inde adeò est, vt qui Jtaliæ ciuitates, & in iis etiam Nursiam describunt, illud plerumque ad eius adiicere soleant commendationem, quòd in ea natus sit S. Benedictus. Fecit id præter commemoratum antea Leandrum Albertum, Andreas Theuetus Cosmographiæ vniuersalis lib. 17. cap. 17.

Sed audiendus hîc Adreualdus vetus Floriacensis scriptor, qui in ipso limine libri de miraculis S. Benedicti, Jtaliæ, Norsiæque communem ex hoc capite fælicitatem his verbis expendit. Cùm itaque Italia, *vt prælibauimus, nobilitate singulari & bonorum omnium prouentibus, affluentissimè extuberascat: præcelsorumq; altrix virorum, priscâ reperiatur ætate, vno tamen semetipsâ editissimo potuit vincere germine, dum beatissimi Patris* Benedicti, *optandam cunctis mortalibus, protulit genituram. Hic nempe dilectus Domini* Benedictus, *teste eximio præsule Gregorio, Nursia exortus, quæ vt iam præfatus sum, coniuncta Valeria Hetruriaq;, vnam efficit prouinciam: non solùm eam suo illustrauit exortu, verùm omnem Italiam inclytam suo munere præstitit.* Hæc ille. Similiter & Paulus Diaconus, in carmine de S. Benedicto:

Nursia plaude satis tanto sublimis Alumno,
Astra ferens mundo, Nursia plaude satis.

Et Gauzbertus Floriacensis Poëta, apud Aimoinum in sermone de S. Benedicto:

Cuius ab exortu decoratur Nursia Mater:
Miratur puerum quem pia Roma nutrix.

Hannibal quoque Rossellus in Commentario ad lib. 5. Pymandri Trismegisti commentario 11. Dialog. 5. ita scribit: *Non longè deinde inter montes, amœna planitie distinctos, Nursia iacet S.* Benedicti *patria: hoc tanto Alumno clarissima & nobilis.* Laurentius Gambara Brixianus, rerum sacrarum libro, de eo ita cecinit: S. Benedicti Patria.

Nursia quo genitrix tanto lætatur Alumno:
Et se sideribus cœli sublimibus infert.

Et Paulus V. Pontifex Max. in bullâ erectionis confraternitatis S. Benedicti, & S. Scholasticæ, in Ecclesiâ S. Eustachij de Vrbe institutæ anno 1615. 9. Nouembris S. Benedictum appellat; *clarissimum Nursiæ lumen & decus.*

Denique Archangelus Hastiuillios Ordinis Camaldulensis in Galliæ prouinciis Maior, Camaldulensis historiæ lib. 1. cap. 2. ita ait: *Sol equidem fuit fulgentissimus, iubarq; cœleste sanctissimus* Benedictus, *splendore gratiæ, virtutum lumine, ac spirituali benedictione illustratus. Hunc nobis olim vrbs vetustissima Sabinorum inclyta Nursia fæliciter dedit. Quæ cùm frigida sit, feruentem animo, alta humilem, aspera blandum, rudis sapientem nobis misit alumnum.* Liceat & mihi Magni Leonis imitatione & stylo concludere. Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, ita per vniuersum mundum clarificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum, Regularium luminum coruscante fulgore, quàm clarificata est Stridon Hieronymo, Tagasta Augustino, Fontana Bernardo, Colonia Brunone, Calaroga Dominico, Assisium Francisco, Aquinum Thoma, tam illustris foret Nursia Benedicto.

Sed non tantùm splendorem nominis, & famam apud posteros Nursia à viro sancto est consecuta, sed quod longè vtilius, efficax etiam contra hostes præsidium & patrocinium apud Deum in suo alumno inuenit. Quod in Hispanis contra aduersarios dimicantibus subinde præstitit S. Iacobus Apostolus, & post eum S. Abbas Æmilianus, idipsum Nursinis suis in simili occasione S. Patriarcha noster exhibuit. Referunt siquidem Annales Nursini (teste Antonio de Yepez ad annum Christi 523.) S. Benedictum in prælijs & obsidionibus pluribus, quas ciuitas ea sustinuit, sublimem in aëre apparuisse atro indutum Cucullo, conciuibus suis auxilia ferentem, patriamque suam defendentem, cuius præsentiâ & ope crebras retulerint ab hoste victorias. Idipsum confirmat Petrus Recordatus Dierâ primâ, additque variorum olim principum armis Jtaliam tyrannicè occupatam & subactam, Nursiam tamen, exiguum licet oppidum, à populatione & vastitate permansisse immunem, quòd nimirum eam S. Benedictus suâ tutelâ semper defenderit atque seruauerit. Non immeritò igitur tanto ciue ac patrono exultat, sibique plaudit Nursia.

PRO-

PROLEGOMENON XIII.

Quo tempore natus sit S. BENEDICTVS?

TEMPVS NATIVITATIS S. BENEDICTI.

QVEMADMODVM in veteri lege, cùm Israëlitæ variis opprimerentur hostibus, diuina clementia semper aliquos suscitauit viros egregios, bellatores strenuos, & plebis suæ propugnatores, siue, vt eos Scriptura nominat, *Saluatores*: Non secus in nouo testamento nouis exorientibus aduersus Ecclesiam Dei diaboli machinantis, siue hæresion monstris, nouos plerumque Deus eduxit milites, & religiosorum agmina, quæ aduersus hostes suos acerrimè dimicarent, eosque Dei præsidio profligarent.

Iudic 3.

Thomæ Bozij eruditi nostro sæculo Scriptoris hæc consideratio est lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 4. vbi ita ferè disserit: Quoties Ecclesia magnis impiorum tempestatibus est agitata, Deus non modò viros insigni sanctimoniâ præstantes cælitus ad illam iuuandam misit ex illa potissimum parte quâ volebat illi opem ferre, & in ea loca, quibus incolumitatem salutemque summam cupiebat, sed huiusmodi misit, qui religiosos Ordines instituerent, vnde acies multæ Sanctorum pro recta doctrina & pietate pugnantium temporibus iis turbulentis prodierunt; verbi gratiâ, cùm pestis Ariana peruasisset Orientem, Deus extulit in lucem Antonium illum Magnum in Ægypto, vnde erupit Ariana lues, & Basilium in Cappadociâ, ambos non modò cælestis innocentiæ, & puritatis viros, sed auctores Ordinum religiosorum, è quibus monachi innumeri pro vero Dei cultu præliaturi, postea sunt exorti.

Antonius & Basilius Arianæ hæresi oppositi in Oriente.

At cùm tabes eadem sese effudit in Occidentem, Wandalis Africam, Ostrogothis Italiam occupantibus, Africæ quidem Deus Augustinum, Italiæ BENEDICTVM largitus est, vtrumque plurimorum sanctitate summâ excellentium Patrem. Hactenus ille. Agnouit hanc natam toti Ecclesiæ in S. BENEDICTI natiuitate fælicitatem S. Bertharius Cassinensis Abbas, eamque versibus ita est prosecutus:

Cui & Augustinus in Africâ, Benedictus in Italiâ.

Ille nimirum Benedictus est: quem
Acta casuro per iniqua mundo
Subdidit tamquam solidam Creator
Aëre columnam.
Bella per totum Latium fremebant;
Hinc fames, illinc fera sæuiebat
Pestis, horrebat furor Arriana
Tabis vbique.
Ecce dum tantis agitata monstris
Nocte sub tellus scelerum profundâ,
Mergitur fœdè canis in trifaucis
Ora dehiscens.
Nascitur cæco BENEDICTVS *orbi*
Mox salutaris, referens fugatis
Nubibus lucem per aperta Cœli
Astra sereni.
Qualis est Titan: vbi post dierum
Plurium nimbos radiosus ore
Prodit illustri: mare, terra, cælum
Ridet & æther.

Vt autem in particulari magis appareat quàm salutaris vniuerso orbi fuerit S. P. N. BENEDICTI natiuitas, miseranda Reipublicæ Christianæ facies, & ea temporum, in quam incidit, iniquitas, satis manifestant. Natus est enim anno Dominicæ Incarnationis 480. Pontificatus Simplicij Papæ 14. Imperij Zenonis Imperatoris 7. Childerici Francorum Regis 24. Odoacris Erulorum regis, Italiæ inuasoris 5. *His temporibus videre erat* (verba sunt Cardinalis Baronij anno 476.) *totum Christianum orbem sub hæreticorum Principum dominio constitutum, nullumque penitus catholicum regem alicui saltem exiguæ prouinciæ dominari. Etenim vniuersum Orientale imperium Zenonem Imperatorem Eutychianum hæreticum simulatâ perfidiâ bis iniquum experiebatur. Occidentale imperium crebris concussionibus agitatum, iam ad proximum casum vacillans, nullum penitus dabat fastis Consulem: Italiam Odoacer rex Barbarus ab vltore Deo ab extremis orbis glacialis partibus euocatus Ariana peste infectus, dominio occuparat: Gallias itidem principes, Burgundiones, & Gothi, iidemque Ariani, & Franci adhuc Gentiles, partiti erant. Childericus enim Francorum Rex Ethnicus etiamnum erat Idolorum cultor, hostis Romani nominis, inuasor Galliarum, & moribus impudicus. Hispania pariter Gothos Arianos duos patiebantur: vniuersa Africa Gensericum dirum tyrannum, Arianumque persecutorem sustinebat. Britanni à Scotis & Pictis, & Anglosaxonibus durissimè affligebantur. Germanicæ prouinciæ magnâ parte ob transitum Barbararum nationum ad Occidentalis imperij cladem concurrentium, erant destructæ & pessumdatæ. Quanam autem morum corruptela deploratu hisce temporibus Christianum orbem occupauerit, quot scelera grassarentur, vix vllo sermone explicari potest. In tam tetra igitur noctis obscuritate, densaque caligine, eiusmodi claritudo lucis affulsit, quâ vniuersus catholicus orbis illustraretur; etenim, quod admiratione dignissimum est, in hac S.* BENEDICTI *vocatione, summâ Dei in consulendo sua Ecclesia innotuit prouidentia: tantus enim splendor ex viro Dei Benedicto ad Ecclesiam illustrandam diuinitus emicuit, vt radios suos à solis ortu vsque ad occasum, à Septentrione in Austrum longè latéque diffuderit. Ex tenui enim surculo prægrandium exorta sunt frugiferarum arborum syluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam. Extitit hic ordo locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sunt sanctissimi diuersarum Ecclesiarum Episcopi, nec defuerunt ex iis, qui in throno Apostolico considentes, vniuersam Ecclesiam Catholicam, cùm vehementiores vrgerent fluctus, constantissimè gubernârunt: progressique ex eodem Monachorum Ordine sunt, qui Apostolico munere, complures barbaras nationes Christi iugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem spontè capessendam conuerterunt: prodieruntque alij qui ob suscepta grandia pro religione certamina, victores coronam Martyrij sunt consecuti. Prætermimus modò illos, qui sacrarum rerum scientiâ nobiles, inter Scriptores ecclesiasticos floruêre; nec numeramus, quæ numerari vix possint, sacrarum examina virginum, sicut nec facile sit recensere, quot ex hoc vno verè dicendo sui humilitate fonticulo, immensa flumina sint deriuata: quot, inquam, ex* BENEDICTO *diuersorum Ordinum sint progressa agmina Monachorum, qui licet diuerso nomine in Ecclesiâ Dei circumamictâ varietate censeantur, instituti*

Benedicti natiuitas mundo quàm salutaris.

Status Ecclesiæ eo tempore calamitosus.

S. Benedicti, ordinisque ab eo instituti commendatio.

tamen

tamen S. BENEDICTI, *& ab ipso progredi gloriantur.* Ita Cardinalis Baronius anno 529. Tantos sanè fructus Ecclesiæ Dei hic Ordo attulit, vt quidam nostri temporis magnæ auctoritatis scriptor (apud Wion ligni vitæ lib. 1. cap. 1.) dicere non dubitarit: *post sanctissima & sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, nihil ita in Ecclesia vtile fuisse, ac Sanctorum Monachorum Benedictinorum Ordines & instituta.* Bonifacius quoque Simonetta lib. 4. prosecut. Christianar. Epist. 20. ait: *à Benedicti agro tot amoeni flores, tot segetes, animarumq; viatica: à Benedicti fonte tot riuuli, tot flumina emersère, vt fides Catholica tali irrigatione vda, nullam amplius sterilitatem possit sentire.*

Cæterum obseruat Bozius citato antea loco, cum religionis duæ sint partes, & quæ dirigit mentis intimas actiones, & quæ corporis externas, alteræque ab alteris inter sese aptè & connexè pendeant, Deum turbulentis Ecclesiæ temporibus per singulas ætates geminos plerumque religiosorum Ordines excitasse: quorum alter contemplationi magis & solitudini, alter autem frequentiæ, & actioni deditus esset, vt scilicet io Ecclesiâ ex omni parte religio perfectè absolueretur. Nam qui iostituta Aotonij sunt secuti, sola loca, precumque diuinarum studium ma-

Dei prouidentia in excitandis ordinibus.

gis sectabantur; qui Basilij, non ita. Secundo loco BENEDICTVS magis est imitatus Antonium, Augustinus verò Basilium. Vbi innuit magnos hos magnorum Ordinum Patriarchas, eodem sæculo vixisse; quod laxè accipiendum. Augustinus enim, qui iuxta Baronij calculum anno Christi 430. obiit, quinquaginta annis natiuitatem S. BENEDICTI præcessit; cum autem anno 510. duodecim cæperit ædificare monasteria, & Cassinum petierit anno 529. constat Augustini familiam, regulamque integro sæculo nostri Patris BENEDICTI præcessisse. Quare si claustralium cætum nostro Ordini magis coæuum inquirere lubet, non longè ante Sanctum BENEDICTVM extitit sanctus Sabas, qui in Palæstinâ miro sanctitatis exemplo refulsit, plurésque discipulos habuit, qui obiit anno Christi 531. duodecim scilicet ante S. BENEDICTVM annis. Circa eadem tempora Monasticen excoluit in Africâ sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, & Theodosius Cœnobiarcha in Palæstina, Cæsarius Arelatensis in Galliâ, vt difficile non foret ostendere, etiam geminos Ordines circa sancti BENEDICTI tempora in Ecclesiam introductos.

Tempus Natiuitatis S. Benedicti.

PROLEGOMENON XIV.

De Sancti BENEDICTI *Progenitoribus.*

De S. Benedicti Progenitoribus.



Etsi apud prudentes rerum æstimatores adeò magnum habeatur nobilibus ortum esse parentibus, &' antiquo stemmate censeri; vt enim inquit ille:

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Ouid. lib. 13. Metamorph.

Idemque alibi:

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, si vita labat & perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Hæc, inquam, vt ita se habeant, ad laudem tamen accedere nullus dubitat, domi nobilem, virtutis viâ ad sanctitatis culmen peruenisse, contemptisque Maiorum imaginibus, & honorum titulis, vni sese crucifixo consecrasse. Splendorem huuc diuina bonitas S. P. N. BENEDICTO deesse non permisit; vt inde etiam micare posset inter illos qui hanc scintillam iactant.

Ortus enim traditur ab Arnoldo Wion, eumque sequutis Antonio de Yepez, & Simone Millerio, ex antiquissimo & illustrissimo Aniciorum sanguine, de quo Hieronymus ad Demetriadem: *Nunc mihi Proborum & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & illustris Anicij sanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus erit, qui non meruerit consulatum.* Et Claudianus Panegyri de Probini & Olybrij fratrum consulatu:

S. Benedicti Progenitores: eorumq; nobilitas.

——— Quemcumque requires
Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci.
Per fasces numerantur Aui, semperq; renatâ
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili seruantia lege tenorem:

Nec quisquam procerum tentat licet are vetusto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se iactare parem: sed primâ sede relictâ
Auchenijs, de iure licet certare secundo.

Vbi Martinus Delrio pro, *Anchenijs*, reponendum putat, *Anicijs.* Vocabantur enim hi Consules, Sextus Anicius, Hermogenianus Olybrius, & Sextus Anicius Probinus; atque Claudianum asserere, Anicios, propter nobilitatem generis, illud à Senatu priuilegij concessum, vt dicendæ primo loco sententiæ ius haberent. Sed illud quàm eximium, quod primi, qui post Magni Constantini baptismum, Christianam amplexi sunt fidem, fuerint Anicij, vt canit Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Fertur enim ante alios generosus Anicius vrbis
Illustrasse caput: sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci generisq; & nominis hæres,
Adiectus fastis, palmatâ insignis ab aulâ
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.

Refert id Baronius ad Christi annum 312. Verùm Lælius Biseiola horarum subsciciuarum lib. 4. cap. 4. priorem putat Flauium Clementem virum consularem ad Christi fidem conuolasse; vt ex Dione Cassio colligit, & Acilium Glabrionem, qui cum Traiano consulatum gesserat. De eadem familia Cassiodorus variarum lib. 10. Epist. 11. & 12. Erant olim in prouerbio opes, ædificiorum moles, & splendor ædium familiæ Aoicianæ. Hinc Secundinus ad Augustinum: *Ego namque fateor, non tali diligentiâ, nec tantâ industriâ Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta praelucent eloquentia.* Hæc ipse apud Augustinum tom. 6. Vocatur in Romano

Aniciana familia splendor.

Marty-

De S. Benedicti Progenitoribus. Ex eâ Martyres.

Martyrologio die 31. Maij, *illustris Aniciorum progenies.* Vbi Baronius in notis: *Fuit ea familia illustrata non tantùm Consulibus & Imperatoribus, sed & nobilitata Martyribus & Confessoribus.* Ex hac enim familiâ fuêre SS. Martyres Cantius, Cantianus & Cantianilla fratres. Ille item pietate atque doctrinâ celeberrimus Consul ordinarius & Confessor illustris, Anicius Manlius Seuerinus Boëtius, martyrio coronatus sub Theodorico Gothorum Rege. Ex eadem stirpe fuit & Symmachus vir Consularis prædicti Boëtij socer, & in passione socius. Ex Aniciano quoque genere feruntur nostri Martyres S. Placidus cum fratribus Victorino, Eutichio & Flauia sorore. Quare de Machabæis Martyribus S. Gaudentius Brixianus Episcopus ait: *Nemini absurdum videatur, quod eos paulò ante Anicios comparaui. Anicij quippe ex Græco sermone à nobis nuncupantur inuicti.* Confessores & Sancti eius stemmatis recensentur S. Paulinus Nolanus Episcopus. Baron. 394. Fælix Romanus Pontifex S. Gregorij Atauus, ipse S. Gregorius, & præter S. BENEDICTVM, S. Maurus, Felicissimus Monachus, de quo Petrus Diaconus lib. de Sanctis montis Cassini cap. 5.

Confessores.

Illustres fæminæ.

Habuit & illustres fæminas sanctis annumeratas, Probam, Julianam, Demetriadem, S. P. N. sororem Scholasticam, Tarsillam & Æmilianam Magni Gregorij Amitas, vt manifestum sit non in terra tantùm, sed & in cælo splendere illustris huius familiæ sidera.

Verùm vt propiùs ad S. BENEDICTI genealogiam accedamus, quam adeò non astruimus vt eam potiùs ex Wion probabiliter commemoremus, cùm & ab aliis grauissimè sciamus contradictum. Atauus ei fuit Sextus Anicius Petronius Probus, diuitiis & auctoritate Imperatori proximus. De cuius dignitatibus & magnificentiâ vide Baronium tomo 4. anno Christi 395. Vxor ei fuit ex eadem prosapia, Anicia Proba Falconia, quam sancti Patres istius temporis commendant plurimum. Augustinus epist. 121. illi iam viduæ præscribit modum orandi Deum, vocatque *religiosam Dei familiam.* Epist. 136. vocat, *Dominam insignem merito illustrem ac præstantissimam*, gratiasque agit quòd de salute ipsius fuerit sollicita. Idem scripsit Chrysostomus Epist. 168. Hieronymus epist. 8. *Proba*, inquit, *omnium dignitatum, & cuncta nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius, cuius sanctitas, & in vniuersos effusa bonitas, etiam apud Barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum, Probini, Olybrij, & Probi non fatigarunt ordinarij Consulatus.* Filiam etiam habuit Iulianam, matrem Demetriadis, quæ fuit sæculi sui ornamentum, virginitatis decus, quæ Christo cùm se dedicasset, Hieronymi & Augustini aliorumque litteris honorata fuit. Mirandum verò in Proba rarum & elegans ingenium; erat enim Græcè & Latinè (inquit Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ) ad summum erudita, diuinarum litterarum amantissima, & quasi Christianorum Latina Sappho: prima omnium excogitauit ex verbis Virgilij, quem totum memoriâ tenebat, varios vtriusque testamenti locos, metricè describere. Quod opus, Virgilio-Centonas inscripsit.

Atauus illius.

Proba Falconia atauia S. Benedicti.

Græcè Latineque docta.

Probæ autem filius Probus, filium habuit Iustinianum Auum S. P. N. BENEDICTI. Alius porrò hic fuit ab Iustiniano Imperatore, quem malè Trithemius, & eum secuti dixerunt nostri Patris BENEDICTI Auum: cùm fuerit cognatus germanus. Iustinianus enim Sancti Patris Auus tres habuit filios, Anicium germanum, qui ductâ Iustini Imperatoris sorore genuit Iustinianum, postea Imperatorem. Secundus fuit Anicius Eupropius Sancti BENEDICTI parens: Tertius fuit Anicius Tertullus, Pater S. Placidi. Eupropius (sic enim legendum, non Propius, vt constat ex antiquis Manu-scriptis Cassinensium libris) vxorem duxit piam & nobilem Dominam Abundantiam, ex illustri Riguardatorum familiâ, vnicam Nursini Comitis filiam, & facultatum eius ac cognominis hæredem. Vnde Eupropius hoc coniugio Nursiæ comes factus, in familiam vxoris suæ transiens, Riguardati sibi agnomen, peruetusto aliarum Nationum more, assumpsit. De quo plura Wion in tractatu de familia Anicia, stemmate secundo, gradu quarto. Abundantiam porrò Marchionissam fuisse Montisferrati scribit Trithemius: sed refutat Wion, quod tunc temporis nec Marchionis, nec Montisferrati nomen esset in vsu. Probabilius est dominam fuisse Nursiæ, qualem agnoscunt annales Nursini, & hodieque familia Riguardatorum, quæ Nursiæ est, appellatur *familia sancti* BENEDICTI, teste Wion in Martyrologio Monastico, ad diem 21. Martij. Periclitata autem in partu Abundantia, geminos enixa est, Sanctum scilicet BENEDICTVM & sororem eius Scholasticam; quibus editis mortua est: quasi iam satis vixisset, cùm tantos talesque relinqueret posteros, nec aliâ videretur nupsisse causâ, quàm vt talium Sanctorum fieret Mater. Enimuerò, vt olim de Rebecca scriptum est, quod *duas gentes haberet in vtero suo, & duo populi ex ventre eius diuiderentur*; ita & hæc Abundantia (quod nomen eius insinuare videtur) sacris fœtibus abundauit. In hisce enim geminis velut duas gentes, duplicemque in vtero portauit populum, Monachorum scilicet & Sanctimonialium innumerabilem numerum, à duobus hisce S. BENEDICTO & S. Scholasticâ mundo cæloque propagatum. Addendum hîc verò, quod Bonifacius Simonetta persecutionum Christianarum lib. 4. Epist. 20. scribit: *Quidam*, inquit, *Benedictum in aluo Matris sancta præcinere audiuisse aiunt, si non fabulantur, illius sanctitatis fuit prognosticon.* Citant hoc præter Antonium de Yepez in Chronico tom. 1. cap. 1. Antonius Daza Chronographus Ordinis Franciscani in vitâ B. Ioannæ de la Cruz, & Dauid Rothus Ossoriensis Episcopus in elucidatione secunda ad vitam S. Patricij num. 34. Et Walderama in Theatro Religionum, concione de S. BENEDICTO: vbi hoc prodigium valdè expendens ait: Præstigiatores minimè paucos legimus in vtero fleuisse; diuinus verò noster incantator cecinit: quod Cygnus ante mortem, hoc ante natiuitatem vir sanctus fecit. Quod argumento sit fore eum stupendum Sanctitatis prodigium. Materno conclusus vtero in angustissimo claustro chorum velut erigit qui in eremi cœnobiique clausura, vitam totam canticis hymnisque spiritualibus consecraret.

Auus.

Pater.

Mater.

Benedictus & Scholastica vno partu editi.

Genes. 25.

Benedictus adhuc in vtero psallere auditus.

Huic autem tam stupendo prodigio assensum non denegabit, qui meminerit ab Augustino lib. 3. de Ciuitate Dei cap. 31. scriptum in Ethnicorum libris, *non fabulosis, sed historicis, seu vera seu falsa sint, legi boues locutos, infantes nondum natos de vteris matrum, quædam verba clamasse.* Exemplum in Commentario adducit Ludouicus Viues ex Liuio lib. 24. Maruciæ infantem in vtero IO TRIVMPHE clamasse. Sed certiorem omnino fidem his conciliant

Et alij in vtero locuti.

S. Geraldus. ciliant Sanctorum vitæ. Sanctus Odo Cluniacensis lib. 1. vitæ S. Geraldi cap. 3. Hunc cùm gestaret mater, *nono die priusquam nasceretur, contigit vt cum suo viro vigilanti vigilans ipsa iaceret. It dum nescio quid vicissim sermocinarentur, infans emisit vocem quam ambo audierunt. Cumque attoniti, quidnam esset obstupescerent, neque ignorare poterant, quod illa vox in aluo matris sonuerit; vocat pater cubicularium, & quoniam ille vagitus increpuerit, adhibito lumine iubet disquiri. Cùm illa nullum omninò infantem adesse, qui vocem illam ediderit similiter attonita protestaretur, infans iterum secundò sonuit. Et post modicum interuallum, sonuit etiam tertiò, videlicet sicut recens natus vagire solet. Ter igitur in ventre matris auditus est, quod profectò tam mirum est, quàm & contra naturæ modum constat accidisse. Et quia non casu, sed disponente rerum ordinatore Deo factum est, fortè vox illa iam præsagiebat, quod in huius mortalitatis clausura vitales actus erat habiturus.* Cùm gestaretur materno vtero S. Vincentius ordin. Prædicatorum, velut latrantis canis vox audiebatur, quod magnum concionatorem quandoque futurum indicabat, vt consulenti ea de re matri respondebat Jacobus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Valentinæ vrbis Episcopus. Auctor vitæ lib. 1. cap. 2. apud Sur. tom. 2. B. Iacobus à Marcia Anconitana, grauidam matrem prædones metuentem vtero clausus voce sonora ita solatus est: *Ne time, mea mater, lento viam insiste pede, inoffensa domum peruenies.* Ex Chronico S. Francisci tom. 3. lib. 6. cap. 1. De Gonzalo Sylueria, illud (vt vitæ auctor Nicolaus Godignus lib. 1. cap. 1. refert) proditur memorabile, quod tertio ante ortum die, vtero adhuc inclusus, matris viscera vagitibus impleuit, communem præoccupans hominum conditionem, quos in ipso statim vestibulo vitæ natura abiicit ad lacrymas. Sed gloriosiùs videtur ipsam natiuitatem cantu præuenire, quod de BENEDICTO Patre nostro, citati auctores asserunt, quasi sua natiuitate vitáque quamplurimis æternæ lætitiæ caussa esset futurus.

S. Vincentius.

B. Iacobus à Marcia.

Gonzalus Sylueria.

Obiectio. Sed aduersus ea quæ de tam illustribus Sancti BENEDICTI progenitoribus dicta sunt obiiciet fortasse aliquis, Thomam Bozium lib. 6. de signis Ecclesiæ Dei cap. 6. num. 17. ita scribere: *Benedictus adolescens nulla eximia nobilitatis & eruditionis laude præstans, nullis humanarum rerum, quibus interdum, mortales capiuntur, præsidiis & ornamentis instructus, audet normam vitæ inducere longè austerrimam.* Quibus verbis negat eam, quam probauimus, nobilitatem. Sed cùm antiquorum neminem pro se citet, parum vrget eius auctoritas cùm præter allatos auctores, Breuiarium Romanum nobili cum dicat genere ortum; & Adreualdus perantiquus Monasterij Floriacensis scriptor lib. 1. de miraculis S. Benedicti cap. 1. sic scribat: *Quanta dignitatis parentibus progenitus fuerit, testantur ruina palatij eorum, cum adicula propè Mœnia Nursina vrbis sita: tanta quippè magnitudinis, perplexique operis ex fundamentis constitisse conuincitur, vt quælibet palatia potentissimorum superauerit Regum, nec modicis queat reparari impensis.* Quæ nobilem valde fuisse arguunt.

De S. Benedicti progenitoribus. Responsio.

Sed hæc de tanta S. BENEDICTI nobilitate ex aliorum potiùs sententia hic repræsentamus, quàm quod congruis eadocumentis astruere valeamus, aut velimus. Assertores nominauimus, quos, si quis validè conuincat, à nobis qui ista minus assequimur aut excutimus, non est quod reformidet, cum exigua ex parentum gloria videri queat sancti BENEDICTI commendatio, qui illam pro Christo generosè contempserit. Lubet hic cum S. Hilario Arelatensi, sermone de S. Honorato, loqui: *Fastigium est nobilitatis inter Dei filios computari; nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, nisi contemptu suo potest. Nemo est in cælestibus gloriosior, quàm qui repudiato patrum stemmate sola elegit Christi paternitate censeri. Prætermittere itaque liceret auita illius sæcularium honorum insignia, & quod concupiscibile ac penè summum mundus habuit, vsque ad Consulatum prouectam familia sua nobilitatem maiore generositate pectoris fastiditam: nec placuisse illum sibi de superuacuis suorum honoribus, qui pro amore veritatis iam suos non optabat.* An non quod alia occasione dixit Bernardus, subiungere hic liceat: BENEDICTUS tu *in nobilibus, qui pro gloria certantibus cæteris de contemptu gloriæ gloriosius sublimaris & sublimius gloriaris: insignior planè atque illustrior quod de paruis factus sis, quam quòd ortus de magnis; illud namque Dei munere tuum est, hoc tuorum.* Ita nimirum quod olim Augustinus epist. 179. dixerit, *generosiùs elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quam multiplicare pariendo; & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium.*

Animi illius nobilitas.

PROLEGOMENON XVI.

De S. Benedicti nomine.

De suaui Sancti BENEDICTI *nomine.*



T benedictionis dulcedinem in suauissimo B. P. BENEDICTI latentem nomine, apis argumentosæ more, modoque exsugamus, præfari libet, quæ de nominum impositione gloriosus Martyr Cyprianus, vel quis alius æui eius scriptor prologo in librum de Cardinalibus Christi operibus ad Cornelium Papam præloquitur: *Solent*, inquit, *Matres infantulis nuper editis in ipso vitæ introitu aptare vocabula; & ex aliquibus præcedentibus vel circumstantibus causis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere nomina; vt in ipsis primordialibus initiis quadam præfigerentur commonitoria ingredientibus vitam, ne nomen eis esset ad ignominiam, si originalis naturæ traductio à consueto limite deuiaret, & à virtute Patrum degenerans, indigna successio monstri; non hominis faciem exhiberet. Respicerent potius ad nomina vel officia sua, quorum inspectio honestæ conuersationis formam eis infunderet & doctrinam, vt honorificarent naturales causas & rationales disciplinas, nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines, vel primarias offenderent dignitates. Prouisum est in populo antiquo & institutum, vt aliqua esset in vocabulis ratio, & interpretarentur nomina vitam, & exprimerent aliquam personæ proprietatem, secundum quam vel differret à cæteris, vel etiam communicaret. Sic in nominibus Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob magnarum rerum extitere indicia, & præloquebantur ventura, nec deerat impositorum nominum secundum sensum suorum effectum certitudo.* Hactenus ille.

Quæ olim nominis imponendi ratio.

Olim quoque apud Gentiles (vt Serarius in cap. 2. Josue quæst. 17. annotauit) fuerunt fortunata quædam & boni veluti ominis nomina: vt Valerius Lucrinus, & similia: fuêre quædam suauia, & iucunda; vt Hiacynthus, Narcissus, Charilaus, Earinus; de quo Martialis: lib. 9. Epigram. 12.

Dabantur nomina boni ominis indicia. Nomina quædam suauia:

Nomen cum violis, rosisq; natum:
Nomen nectare dulcius beato.

Fuerunt etiam quædam augusta, & in summo apud omnes pretio ac veneratione. *Tantum*, ait in Macrino Capitolinus, *desiderium nominis Antonini fuisse dicunt, vt nisi populus & milites Antonini nomen audirent, Imperatorium non putarent.* Et in Diadumeno Lampridius: *Fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium.* Et postea. *Extat Epistola Opilij Macrini, quâ gloriatur, non tam se ad imperium peruenisse, qui esset secundus Imperij, quam quod Antonini nominis esset pater factus: quo clarius illis temporibus non fuerat vel Deorum.* Vnde & passim hoc nomen dicitur sanctum, sacratum, Cæsareum, Imperatorium.

Quædam augusta.

Sanctorum quorumdam & hæc prærogatiua est, vt ne ipsum nomen vacuum sit luce laudis. *Sicut Dominium*, loquit Chrysologus serm. 154. *prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpe Sanctorum merita indicant, testantur insignia.* Commendatur à Gregorio Nazianzeno oratione de S. Meletio, quòd hic Sanctus esset reapse quod audiebat nomine; mores, inquam, & nomen haberet melleum. S. Agnetem, ait Ambrosius lib. de Virginibus, non hominis nomen, sed Martyris oraculum habuisse.

Fuit & S. P. N. BENEDICTO ipsum hoc nomen sanctioris vitæ, & amplissimæ, quam à Deo accepturus erat, benedictionis omen, quare passim ab hac appellatione ipsum parentem nostrum Scriptores quà veteres quà Neoterici celebrare consueuerunt. Atque vt olim Nolanus Antistes (natali 1. S. Fœlicis) de suo canebat Patrono.

Nomen, Benedictus, benedictionis præsagium:

Meritis & nomine Fœlix.

Jterumque Natal. 2.

Fœlix, hoc merito, quod nomine; nomine & idem
Qui merito.

Non secus magnus Gregorius Patriarchæ nostri laudes ab ipso nomine texere cœpit: *Fuit*, inquit, *vir vitæ venerabilis gratia* BENEDICTVS *& nomine.* Et Bernardus sermone de Sancto Benedicto: *Celebramus magistri nostri gloriosi Benedicti natalem, cuius dulcissimum nomen cum omni vobis iucunditate amplectendum est & honorandum, quoniam ipse Dux vester; ipse Magister & Legifer vester est.* Sed disquiramus sigillatim vocabuli huius excellentias, prout quidem illæ S. Patri Nostro conueniunt.

PRIMA autem sit, quod hoc ipsum nomen sit Dei, quo nihil sublimius cogitari potest. De Moyse iam olim dixit Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel. cap. 2. *Moyses humanæ dignitatem conditionis excessit consq; vt Dei vocaretur nomine, posui, ait, te Deum Pharaonis.* Annon & Legifer noster Dei vocatus est nomine, cùm toties Deus in sacra scriptura vocetur BENEDICTVS? Hinc antiquus Floriacensis Poeta Gauzbertus, apud Aimoinum his versibus eum celebrauit:

1. Excellentissima.

Quem Deus æterna faciens de sede potentem
Hæredem proprij nominis esse dedit.
Nam fuit, est, & erit BENEDICTVS *iure vocatus, &c.*

De S. Benedicti nomine. 2. Excellentia.

SECVNDA deinde excellentia est, quod BENEDICTI nomen Christo peculiariter competens, nostro Parenti communicatum sit. Quod suauiter expendit & expressit S. Aldhelmus Orientalium Saxonum Episcopus lib. de laude Virg. cap. 15. sic loquens: *Nec praetereundum arbitror beatæ memoriæ Benedictum, quem ab ipsis infantiæ cunabulis ita fortunatum vocabuli præsagium possidebat, vt penitus aliter in proposito diuinæ religionis viuere nequiret, quam propriæ appellationis dignitas & cælestis* εὐλογίας *prærogatiua permitteret. Nam supernæ liberalitatis munificentiâ, cùm actus puer pollesceret, & secundis meritorum successibus per augustum Hesperiæ regnum latè crebresceret: haud frustra felix vocabuli priuilegium participauit, cum Aduocato & Redemptore nostro, de quo lactantes Euangelicæ consonâ voces harmoniâ psallentes concorditer cecinerunt:* Benedictus qui venit in nomine Domini. *Quæ verba*, ait Dionysius Carthusianus serm. 2. de S. Benedicto, *ad litteram de Christo conscripta, de B. P. N. Benedicto congruè exponuntur, quoniam gratiosè Benedictus, id est, multiplici gratiâ decoratus ac repletus fuit à Spiritu sancto.*

Hoc nomine Martyres compellati:

Dulcissimum autem hoc & suauissimum Christi nomen adeò Christianis gratum fuit, vt illud etiam ad SS. Martyres, qui Christi vestigia proximè sunt secuti, transferendum putauerunt. Tertullianus enim ad Martyres in carcere constitutos scribens, eos *Benedicti* nomine cohonestare voluit: *Inter carnis alimenta*, ait, *Benedicti Martyres designari.* Et paulò pòst: *In primis ergo Benedicti nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introiit carcerem.* Ac deinde: *Sit nunc, Benedicti, carcer* Christianus molestus. Ac mulieres eodem libro alloquens: *Proinde*, ait, *vos Benedictæ, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem, virtutem animi & corporis deputate.* Eundem titulum Eleutherio Romano Pontifici & Martyri iam defuncto attribuit in præscriptionibus aduersus hæreses cap. 30. Sed & idem titulus velut patientiæ præmium aliquando legitur.

Nec non patientiâ illustres.

Anno siquidem Domini 955. vt refert Flodoardus ad ann. 928. in Chronico, *Benno dum in Alpibus Eremiticam vitam duceret electus est Metensis Episcopus, & post biennium a Metensibus est excæcatus: cuius immanis sacrilegij causâ Synodus Duisbergensis congregata omnes illius sceleris auctores excommunicauit, & Adalberonem loco eius substituit. Porrò Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ tolerantiæ relicto cognominatus est Benedictus.* Martyrum enim cognomine dignus erat, qui eorumdem patientiam tam fœliciter imitabatur.

& Confessores.

Sed non Martyribus tantùm, verùm etiam Confessoribus idem vocabulum adscriptum legitur, sæpiusque apud Heraclidem occurrit; qui hoc nomine S. Antonium cap. 1. appellat, & de Melania agens; *Benedicta*, inquit, *illa sumpta veste puerili.* Eodem titulo Paulinus Epist. 41. Alipium Episcopum honorat:

Nomen hoc olim in delitiis habitum.

Quinimo apparet hoc BENEDICTI nomen Christianis olim in delitiis fuisse, quo honoris & amoris erga se inuicem appellarint. Ita Simplicium Bituricensem Episcopum Sidonius Appollinaris lib. 7. Epist. 9. *Benedictum* nominat. Vbi Sirmundus: *Non est*, inquit, *cognomen hoc loco Benedictus, sed Epithetum, quo Christianos viros plerique ornabant.* Paulinus epist. 9. ad Seuerum: *Alius libellus ex his est, quo ad Benedictum, id est, Christianum virum, amicumm eum Endelechium scripsisse videor.* Sic Benedictus Paschasius Paulino eidem in Epistola ad Victricium. Et ipse Paulinus à Fausto Regiensi Benedictus vocatur. Benedictus Tetradius, & Benedictus Agricola Gregorio Turonensi dicuntur lib. de glor. Confess. cap. 86. & lib. 3. hist. cap. 16.

Ægyptiis Græcisque etiam nunc consuetum.

Videtur autem etiam hisce temporibus Ægyptiorum & Græcorum consuetudo esse, Ecclesiasticas aut religiosas personas honoris aut obseruantiæ causâ insignire nomine BENEDICTI, nam in legatione Ecclesiæ Alexandrinæ ad sedem Apostolicam (quam ad finem 6. tomi Annalium Ecclesiasticorum refert Baronius) Gabriel Patriarcha Alexandrinus, Clementi VIII. scribens, eum qui Apostolicas ei litteras detulerat, vocat Benedictum. *Misisti*, inquit, *per filium Benedictum, dilectum, amabilem, deuotum, orthodoxum, Hieronymum Vecchettum, &c.* Et paulò pòst: *Certiorem te facimus, Pater spiritualis, olim venisse filium Benedictum Ioannem Baptistam cum literis Domini Patris Papæ Gregorij XIII.* De suis autem ad Pontificem Legatis, ita postea subdit: *Sanctitatem quam certiorem facio missos esse à nobis cum his litteris, filios Benedictos, Sacerdotem Iosephum, & Sacerdotem Abdel-messiam, &c.* Nomen igitur hoc, quod Sanctis & Christianis velut dignitatis cuiusdam titulus, aut ad exprimendum dilectionis affectum concessum, nostro Legislatori omnino proprium & peculiare fuit.

3. Excellentia. S. Benedictus abundans & multiplex benedictio.

TERTIA nominis huius excellentia desumitur à Benedictione, quia Deus Sanctissimo Patri benedixit in omni gratia spiritali: Vnde Guaricus Abbas serm. 2. de S. Benedicto: *S. Pater noster gratiâ Benedictus & nomine, cuius memoria in benedictione est, ipse profectò fuit Benedictus vir, qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt in Domino confideret, iam benedicit omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, quia in Domino confisus est. Nec solùm in cælestibus benedictionem omnium Angelorum, sed etiam in terrestribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Vbi enim gentium non benedicitur hodie benedictus Domini Benedictus? Planè benedictio Domini super caput iusti, quem tot benedictionibus cæli & terræ gratia Dei cumulauit.* Eodem sensu S. Odo Cluniacensis serm. de S. Benedicto: *Videant*, inquit, *& gaudeant quàm propriè vocetur Benedictus, quem Deus adeò benedixit in omni benedictione spirituali, & per quem tanti benedictionem hæreditate possidebunt. Fateor enim quod eiusdem Patris dilectoribus adeò places tali vocabulo censeri, quod solet maximè post diuinum nomen in ore Christiano versari. Quid enim piè loquens aut Benedictum, aut benedictionem sub quolibet obtentu non dicat?* Joannes Raulinus Ordinis Cluniacensis Doctor,

serm.

ſerm. de S. Benedicto, beato Monachorum Patri illud Eccleſiaſtici accommodat: *Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput eius. Iacob,* inquit, *in ſuis benedictionibus inter cæteros Patriarchas videtur figuram B. Benedicti prætuliſſe, habuit enim Iacob benedictionem à patre in tribus: hoc eſt in rore cæli, in pinguedine terræ, & in ſeruitute populorum. Sic Benedictus maximè in Clauſtro, habuit à patre cæleſti benedictionem de rore cæli, id eſt, in ſuauitate contemplationis, quæ mentem illuminat & dulcorat. Secundò in pinguedine terræ, id eſt, in fœcunditate virtutum, quæ animam ſpirituali prole fœcundat. Tertiò ad literam, in multitudine ſibi ſubditorum & ſubſeruientium monachorum, vt etiam de eo dici poſſit: Benedi-* Deut. 33. *ctus in filiis Aſer. Aſer enim interpretatur Beatus. Sic Benedictus in filiis beatus eſt.* Sic ille. Jacobus de Voragine ſerm. 3. de S. Benedicto, Abrahæ Patriarchæ ſanctum comparat Benedictum, & quòd huic non minùs quàm illi, poſtquam de domo Patris ſui & cognatione ſua exiens venit in terram & ſolitudinem à Deo ſibi præparatam dixerit Deus: Gen. 12. *Faciam te in Gentem magnam, & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, erisq́; Benedictus.* Verè enim Benedictus in magnam excreuit gentem qui tot millium Pater extitit Monachorum, & magnificatum eſt nomen eius coram oculis diuinæ Maieſtatis deſcriptum in libro vitæ, & nunc honorabile in tota eccleſia: eſtque benedictus tam in hac quàm in altera vita. Thomas de Trugillo ex Ordine Prædicatorum tom. 2. Theſaur. concionat. in feſt. S. Benedict. oſtendit beatiſſimo Patri Noſtro conuenire illa Deuteronomij verba: Deuteron. 28. 1. *Si audieris vocem Domini Dei, tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra. Venientq́; ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te: ſi tamen præcepta eius audieris, benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ. Quod quidem, ait, Trugillo appoſitè quadrat beato Benedicto, qui auditâ voce Domini, & ſeruando eius præcepta & mandata, meruit Dei benedictionem. Fuitq́; benedictus in ciuitate in quâ dedit bonum exemplum, & multas Chriſto animas lucrifecit. Fuit autem benedictus in agro; ſiquidem cùm ipſe extiterit primus Fundator Monaſteriorum in ſolitudine, fecit vt multi ſaluarentur, & Deo multi obſequerentur. Tum etiam benedictus fuit fructus eius, per quem poſſunt intelligi, eius diſcipuli. Fuit etiam benedictus fructus terræ eius, per quem poteſt intelligi multitudo animarum, quæ eius cauſa & occaſione diſcipulorum eius conuerſa ſunt ad Dominum. Neque hic adhuc quieuit benedictio, quin potius voluit Deus, vt ipſe etiam ſanctus diceretur Benedictus.* Hæc ille.

Addere præterea ex eodem Deuteronomij capite liceret: *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens.* Benedictus ſiquidem fuit ingrediens Romam, vt parentibus obediens litteris operam nauaret. Benedictus Româ egrediens, vt ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus, deſpectis litterarum ſtudiis, relictâ domo, rebuſque Patris ſoli Deo placeret. Benedictus cum Nutrice ſua Enfidem locum ingrediens, benedictus ab eodem loco, ne vitæ huius fauoribus extolleretur, egrediens. Benedictus Sublacum & Speluncam ingrediens, benedictus ab eadem egrediens, vt poſita ſuper candelabrum lucerna omnibus qui in domo Dei ſunt luceret. Benedictus vrticarum & veprium denſitatem ingrediens, benedictus ab iiſdem egrediens, vt quaſi ſpinis erutis exculta terra virtutum ſegetes feraciùs daret. Benedictus fratrum congregationem, vt eos ad Regularis vitæ perfectionem duceret, ingrediens, benedictus ab eadem ad locum dilectæ ſolitudinis digrediens, vt ſolus in ſuperni Spectatoris oculis habitaret ſecum. Benedictus è Sublacenſibus locis duodecim iam extructis Monaſteriis egrediens, benedictus Caſſinum montem ingrediens. Benedictus in cordis ſui ſecretum ingrediens, & cum Fratribus ad labores agrorum egrediens. Benedictus abyſſum ſapientiæ increatæ, vt Dionyſius Carthuſianus ait, & contemplationis ſecretum, reuelationumq́ue altitudinem diuinarum ingrediens & ad charitatis erga proximum opera egrediens. Benedictus in Oratorium ingrediens, & inter orationis verba ex hoc mundo egrediens. Denique benedictus ingrediens in gaudium Domini ſui, à quo numquam egredietur.

S. Benedicti ingreſſus & egreſſus tropologicè explicatus.

De S. Benedicti nomine.

Denique Ioannes Lorinus in Pſal. 49. verſ. 23. exponens illud: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Declarans in laudando ac benedicendo Deo, viam ineſſe per quam oſtenſurus ſit aliquando Deus his qui verſantur & occupantur in illo, æternam ſalutem. Confirmat illud à S. Benedicti exemplo & nomine, quod actiuè ſumit, tamquam qui Deum benedixerit. *Benedictus,* inquit, *Latinorum præcipuus Dux Monachorum, ſicut ipſomet nomine diuinas quas frequentabat laudes præferebat, ſic non abſque omine contigit, vt quâ die obiit, viderint duo de diſcipulis, quemadmodum prodidit Gregorius, ſtratam palliis, atque innumeris coruſcam lampadibus viam quæ recto Orientis tramite ab eius cella in cælum vſque tendebatur, audierint verè dicentem: hæc eſt via quâ dilectus Domino cælum Benedictus aſcendit. Inchoatio eſt beatitudinis, laudatio Dei, quoniam in illo templo cæleſti omnes dicent Gloriam, & habitantes in domo Domini in ſæcula ſæculorum laudabunt eum.* Sic ille.

Benedicti quoque filij eius qui ab eo benedictionis nomen hæreditarunt, & Benedicti Patris ſequuntur veſtigia, vt & ipſi aliquando audire mereantur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Nimirum hoc Benedicti nomen ab omnibus Benedictinis meritò exigit,

Vt tantum nomen virtutibus æquent.

Sic enim Chryſoſtomus olim homil. 18. in Ioann. monuit: *hac appellatione cæteris omnibus vehementiùs excitari, & promptiores ad virtutem complectendam fieri, nec eâ quidquam indignum facere conari debemus. Quod ſi is,*

De S. Benedicti nomine.

qui Principis cuiuspiam, aut alterius clari viri nomen sortitus est, cùm id audit, tumet atque superbit, & magna id sibi gloriæ arbitratur, eiusq; auctoritatem pro viribus seruare nititur, quid nobis faciendum est (qui magno hoc Benedicti nomine) appellari dignati sumus? Nónne ita animam nostram instituemus, vt non afficiatur infamiá, qui tanto nos honore prosecutus est? Ita Chrysostomus.

PROLEGOMENON XVII.

Varia S. BENEDICTO *ab Illustribus Scriptoribus attributa Epitheta.*

In S. Benedictum Elogia.



CVm proprium S. Patris nostri BENEDICTI numen ex diuersis Scriptoribus vtcumque illustrauerimus lubet hîc velut vno fasce colligere quę eiusdem nomini à plerisque adiecta sunt *Epitheta.* Quis enim, quantusque fuerit beatus hic Pater, ex tanta titulorum maiestate, & tot appellationum thesauris, quibus eum pro suo quique affectu, ipsiusque merito passim condecorârunt, non difficulter conijciet. Pręclara igitur hęc ELOGIA vitę virtutumque eius gustum quemdam, & veluti promulsidem exhibebunt, vt candidus lector, quò dulciora & ampliora de tanto Patre intellexerit, eò ardentiùs inhiet, & plura de eo cognoscere appetat. Vt autem ordine hîc quodam procedamus, per vtramque Triumphantem scilicet & militantem discurremus Ecclesiam, vndequaque colligentes Beatissimi viri pręconia; cui hoc à Deo Opt. Max. tributum est, vt sapientiam eius enarrent gentes, & laudem eius vtraque enuntiet Ecclesia. *Nemo laudabilior*, inquit Ambrosius lib. 1. de virginib. *quàm qui ab omnibus laudari potest.* Nullus commendabilior, quàm quem Deus commendat. Proinde:

A summo hoc sumam Principe principium,

De S. Benedicto Testimonium Dei Patris.

DEVS PATER apud S. Hildegardem lib. 2. visione 5. num. 21. hoc sancto Patri nostro perhibet testimonium: *Sol discretam & bene dispositam viam in seruo meo Benedicto declarat, quem ego per ardentem ignem traduxi, docens eum in vestitu conuersionis suæ incarnationem filij mei colere, & in abnegatione voluntatis suæ passionem illius imitari, quia ipse Benedictus est quasi alter Moses in lapideo foramine iacens, & corpus suum in multa asperitate ob amorem vitæ crucians & constringens.*

Deiparæ Virginis.

DEIPARA VIRGO MARIA apud S. Birgittam lib. 3. Reuelat. cap. 20. hæc de seruo Dei magnalia enuntiauit. *Bonus ille Abbas Benedictus, donum gratiæ quod acceperat multiplicauit, quando omne contempsit quod transitorium erat, quando carnem suam seruire coegit animæ, quando nihil praeposuit diuinæ charitati. Mundus erat ei mortuus, & cor eius totum plenum Deo. Sed placuit Deo Benedictum vocare in montem, vt cum pluribus innotesceret, plures eius exemplo ad perfectionis vitam incitarentur. Huius beati viri corpus erat quasi saccus terræ, in quo claudebatur ignis Spiritus sancti, qui exclusit ab eius corde diabolicum ignem.* Denique cap. 21. *Eius anima erat quasi Angelus, qui dedit ex se calorem magnum & inflammationem. De sacco B. Benedicti spirabat dulcedo Spiritus sancti, per quem multa monasteria innouantur.*

Sed iam à cælesti illa ac triumphante Ecclesia ad militantem in terra descendamus, atque ab omnibus Ecclesiasticę hierarchię statibus ea quę Sancto huic asscripserint elogia, colligamus. Audire hîc erit diuersarum pluriumque vocum, ad tanti viri celebrandas laudes concurrentium dulcissimum concentum, mirari licebit peritissimorum citharœdorum citharizantium in citharis quisque suis suauem concordiam, vt vnam ex tot tamque varijs vocibus constituere videantur harmoniam. Jnter summos Pontifices Christi in terra vicarios.

GREGORIVS re & nomine MAGNVS pluribus cum ijsque perhonorificis hoc ipso libro exornat titulis. Nam in primo limine dicitur: *Vir vitæ venerabilis gratia Benedictus & nomine, qui ab ipso pueritiæ suæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens nulli animum voluptati dedit.* Jn consequentibus deinde appellatur. *Scienter nescius, sapienter indoctus, Religiosus & pius puer. Plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes, pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli. Exemplum hominum. Posita super candelabrum lucerna. Carnalis voluptatis domitor. Virtutum magister. Spinis erutis exculta terra de virtutum segete feraciùs fructum proferens. Regularis vitæ custos. Norma rectitudinis. Vultu placido, mente tranquillus. Secum in superni Spectatoris oculis habitans. In contemplationis ardore in altum raptus. Prœliator fortis. Plurimas animas à morte excitans.* Plura passim in ipso libro occurrent Epitheta. Jdem verò Pontifex lib. 4. in libros Regum eumdem vocat: *Arctissimæ vitæ magistrum optimum, summæ veritatis discipulum eruditum.* Hæc S. Gregorius. Jnterpres verò eius — S. Gregorij.

S. ZACHARIAS PAPA mirum est quàm suauibus & eximijs sanctum Patrem afficiat titulis, vt prę amoris erga Patrem suum teneritudine in ijs videatur deliciari. Jn Pręfatione enim hæc repręsentat nomina: *Vitæ institutor religiosissimus. Gratiâ Dei ornatus. Cordis munditiâ clarus. Corporis castitate decorus. Lucifer siue Stella matutina. Venerandus Pater. Multis virtutibus illustris.* Eâdem liberalitate, & plenis, quod dici solet, modijs deinceps admititur hęc elogia, prioribus præsertim capitibus. Nam capite primo dicit. *Celebris Pater. Studiosissimus Dei famulus. Philotheus, siue Deum amans. Gloriæ osor. Verus Dei seruus. Homo Dei. Vir Deum sapiens. Sanctus & Amicus Dei. Beatus, Iustus.* Et capite secundo. *Deifer & honorabilis vir. Passionibus vacuus. Insuperabilis Pater.* Capite tertio vocatur: *Accuratissimus & exercitatissimus vir. Signifer siue Antesignanus, & magnus Pater. Benedictionis Pater. Prædestinatus à Deo. Diuinis elucens virtutibus. Ad altitudinem angelicæ gloriæ sublatus. Animarum amans.* Capite — S. Zacharia.

sexto

sexto dicitur : *Sanctificatus Benedictus. Thaumaturgus, miraculorum operator.* Et capite septimo : *Vexillifer. Fidelis Dei minister.* Octauo verò capite pluribus se diffundens hęc ei tribuit præconia : *Vir perspicax, simplicissimus & per omnia mitissimus. Imitator Christi, Sanctissimus vir & Adamantinus. Mente illuminatus. Pietatis æmulator. Veritatis magister.* Vndecimo capite. *Patientissimus Pater.* In sequentibus verò dicitur : [a] *futurorum prascius,* [b] *dininus & lenissimus Pater,* [c] *honorandus Pater.* [d] *Pręuidendi dono illustris.* [e] *Christifer.* [f] *Compatientissimus.* [g] *Fidelis & prudens dispensator Christi.* [h] *Laudabilis , Illuminatus & pijssimus Pater.* Duobus his Pontificibus addamus tertium.

a. cap. 12. b. 17. 18. c. 19. 21. 31. d. 10. e. 22. f. 14. g. 18. h. 29. 32. 35.

Bonifacij 4. BONIFACIVM scilicet IV. cui in Capitulo, *Sunt nonnulli.* Dicitur , *Monachorum preceptor Almificus* quod imitatus videtur B. Petrus Damiani lib.6. Epist. 10. vbi vocatur *Doctor almificus.*

Amplissimo quoque Elogio S. Patrem condecorauit Stephanus III. quod ex Manu-Scriptis Anastasij Bibliothecarij Casinensi Chronico adfert Constantinus Caietanus, in Epistola Encyclica de Collegio Gregoriano, narrat enim hunc Pontificem adstantibus regibus Carolomanno & Pipino; eiusque filijs Carolo & Carolomanno, ac S.R.E. Cardinalibus, & Romanis Patricijs, alijsque permultis S. BENEDICTVM sic fuisse allocutum : *Aue Christi discipule, Aue veri Sponsi Amice, Aue Prædicator veritatis, & Doctor Gentium, Aue Legislator vniuersalis, Aue Abba Abbatum, Aue Archimandrita Oecumenice, Aue Columna Orthodoxia. Tuus ego, & hi septem Episcopi, tuus Clerus , tuus Populus Romana vrbis, tui & hi Patricij, tua Lateranensis Ecclesia, in qua alitus & nutritus es, tuum Casinense Cœnobium, in quo corpore & spiritu habitas. Non patiaris nos ouibus tuis excludi. Sedem Apostolicam protege : Romanum Imperium, & hos gloriosos Patricios corpore Tibi, simul & mente prostratos ab hostibus visibilibus, & inuisibilibus defende, & Christo pro omnibus orgias funde, quatenus hic & in æternum omnes tuo munere lætemur.* Quod autem in Lateranensi Ecclesia alitus & nutritus dicitur, exponit idem Caietanus, quòd in eâ Ecclesiâ Hormisda Papa sedente, ædificato à se Monasterio primus ipse præfuerit, & Chorum instituerit.

Stephani 3.

A Pontificali solio ad purpuratos Patres S. R.E. Cardinales gradum faciamus. Ex his tempore, dignitate, & merito primus est citatus mox

S. Petri Damiani. S. PETRVS DAMIANI Episcopus Ostiensis qui serm. de S. Benedicto ita de eo loquitur: *Pater & Magister noster beatus Benedictus à pueritia mundum cum flore reliquit, & currentem Christum cursu rapidissimo secutus est, nec destitit donec consequeretur.* Et Opusc. 13. cap. 6. eumdem appellat: *Organum Spiritus sancti. Cultorem humilitatis. Auctorem & promulgatorem sancta Regula.* Lib. 6. Epist. 12. *Doctorem insignem & Eremi cultorem.*

Goffridi Vindocinēs. GOFFRIDVS Vindocinensis Abbas & S. Priscæ Cardinalis, serm. de S. Benedicto, multus quoque est in patre suo celebrando, qui apud eum nominatur *Sanctissimus & venerabilis vir. Mentis constantiâ & vigore Spiritus roboratus. Crucifixus crucifixum Dominum sequens. Pauper Christi. Fidelis seruus Domini. Templum Spiritus sancti gratia repletum, laudes hominum & vituperationes eodem animo suscipiens. Cultor Dei , & sui contemptor. Desideria carnis mentis ratione mortificans. Iu cunsus corde & corpore mundus & flos eius patria cælestis amore prorsus aruerat. Posita super candelabrum lucerna , qua in hominibus peccatorum tenebras fugaus , & eorum mentes splendore bona actionis irradians, in amorem sui Creatoris conuertit. Omnes sanctos ac venerabiles Patres, quotquot ab initio sæculi fuerunt, imitatus veraciter agnoscitur Pius & discretus Pater. Monachis à Deo tamquam Apostolus & Angelus destinatus. Præcipuus post Deum Pater, Pastor , medicus & Magister Monachorum.* Hactenus ille.

IN S. BENEDICTVM ELOGIA.

Jam vt extra ordinem nostrum alteriusque Instituti subnectamus Cardinales, IOANNES DE TVRRECREMATA ex ordine Prædicatorum Cardinalis S. Xisti apta & veneranda S. Patri tribuit epitheta epist. ad Arsenium Abbatem. Diciturque ei nunc: *Clarissimus Pater,* nunc: *Dux & insignis inter religiosos, qui fuerit eximia auctoritatis & sanctitatis.* Aliàs Tract. 17. in Reg. *Doctor & sapientissimus Pater.* *Ioannis de Turrecremata.*

Illustrissimus verò Annalium conditor Cardinalis Baronius non prætermisit congruis sanctum Patrem afficere præconiis apud quem vocatur. *Decus occidentalis Ecclesia. Tenuis surculus ex quo pragrandium exorta sunt frugiferarum arborum sylua, qua vniuersam replenerunt occidentalem Ecclesiam. Claritudo lucis, quæ in tetra noctis obscuritate densaque caligine effulsit , quâ vniuersus catholicus orbis illustratur. Sanctissimorum & Doctissimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuit, fuit fœcundissimus propagator.* b *Magnus catholici orbis splendor, sanctissimus Monachorum Patriarcha, Christi Athleta.* *Baronij.* Anno Christi. 49. b Anno 525.

Liceat hoc loco è sæculari solio duos inserere, Augustos Jmperatorem vnum, alterum Franciæ Regem. LVDOVICVS PIVS in allocutione ad Fuldenses, vt Candid. inuito Æigil. *Beatum virum Dei Spiritu sancto repletum nominat Benedictum.* HVGO CAPETVS Galliarum Rex filio suo venerationem S. Benedicti inculcans vocare non dubitauit: *Ducem omnium Patrem Benedictum , apud communem iudicem salutis aditum , tranquillitatis portum, post carnis obitum securitatis asylum.* *Ludouici Pij.* *Hugonis Capeti.* Helgald. apud Baronium anno Christi 1029.

Ex Episcoporum ordine S. ANTONINVS Archiepiscopus Florentinus in Chron. p. 2. tit. 15. cap. 14. de eodem Patre sic loquitur: *Ipse S. Benedictus fuit tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quæ fluunt impetu de libano , id est , gratiarum spiritualium, quod fructum fecit in tempore suo , & facit multipliciter.* *S. Antonini.*

BONIZO Episcopus Sutriensis Martyrio coronatus libro de Ecclesiasticis sacramentis ait: *Benedictus Monachorum Apostolus, qui velut Lucifer Matutinus emicuit.* *Bonizonis.* Vide Baron. ad annum Christi 1089.

Videamus nunc vt celebratus sit ab Abbatibus; sed nonnullis tantùm , neque enim omnes hic adferre licet. S. MAVRVS qui cum B. Benedicto diutius vixit cum dixit: *Magnum Patronum. Multorum fundatorem monasteriorum , nemini post beatos & primos Apostolos secundum.* *S. Mauri.*

FAVSTVS vitæ S. Mauri scriptor eumdem vocat: *Deo dilectissimum & perfectissimum Patrem; Totius sanctitatis virum. Eximium Patrem. Probatissimum & electissimum Deo Benedictum. Sanctissimum Deoque charissimum Patrem. Egregium Confessorem Christi. Operum mirabilium patratorem.* *Fausti.*

PROLEGOMENON XVIII.

Disquisitio de Sacerdotio S. Benedicti Sacerdotio

Disquisitio de Sacerdotio Sancti Patris BENEDICTI.

Sacerdotij nouæ legis excellentia.



A est Sacerdotij nouæ legis summa dignitas atque excellentia, vt principatu ac regno venerabilius maiusque Chrysostomus hom. 1. in verba Isaiæ illud censeat. Nam *Sacerdoti*, inquit, *thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus negotiis pronunciandi habet auctoritatem.* Et Magnus Gregorius lib. 4. Epist. 75. ait: *Quid mirum si illos nostra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorẽ tribuens, eos aut angelos, aut Deos, ipse etiam appellat Deus?* Hanc porrò tantæ celsitudinis eminentiam, magnam decere vitæ puritatem & sanctimoniam quilibet facilè intelligit. *Quo non oportet esse puriorem*, ait Chrysostomus hom. 83. in Matth. *tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem eam manum, quæ carnem hanc diuidit? Os, quod igne spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit.* Proinde vt excelsum est hoc, ipsisque Angelis stupendum fastigium; ita etiam periculi habet plurimum. Vnde Augustinus Epist. 148. *Nihil*, ait, *esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo Imperator noster iubet.* Inde adeò est, vt prisci illi Monachi oblatam etiam hanc dignitatem constanter respuerint, serioque admonuerint ad eam non aspirandum.

Magnas requirit dispositiones.

Hæc autem cùm ita se habeant, quæri non immeritò potest, num S. Pater BENEDICTVS sacerdotio initiatus fuerit? Cùm enim maximus humilitatis fuerit cultor, verosimile videtur, à tanti honoris culmine abstinuisse. Verùm cùm quædam scribatur fecisse, quæ non nisi solis competere putantur Sacerdotibus, hinc eâ dignitate ornatus fuisse credi potest. Et S. Gregorij, aliorumque ei tempore magis vicinorum de hac re silentium, disputationi locum fecit. Quare quæstionem hanc, cùm ad S. Patris vitam pertineat, hoc loco paulò diligentiùs discutiendam censui, ne in commentario, nimiâ forsitan prolixitate offenderet, qua causa & hocce Prolegomenon visum est in paragraphos partiri.

§. I.

Auctores qui S. BENEDICTO *Sacerdotium tribuunt.*

SVffragia hîc primùm colligemus, & vtriusque sententiæ auctores fautoresque enumerabimus, vt ita tandem quid probabilius videatur statuere possimus. Agmen ducat affirmatiua sententia, quæ S. Patriarcham Sacerdotem fuisse defendit. Inculcat hanc Joannes Franciscus Brixianus, Congregationis S. Justinæ Ordinis S. Benedicti Monachus; qui quatuor approbatas religiosorum Regulas, & commentarium Cardinalis Turrecrematæ cum 2. libro Dialogorum S. Gregorij anno 1500. Venetiis edidit, quod opus postea Parisiis recusum fuit. Ad caput autem 23. vitæ S. Benedicti, vbi agitur de

Ioan. Fräc. Brixianus.

intemerata monialibus excommunicatione ad marginem adiecit. *Argumentum quod S. Benedictus sacerdotali dignitate præditus fuerit.* Cap. item 24. quo dicitur quod *vir Dei manu sua Dominici corporis ei dederit communionem*, similiter adscripsit: *Argumentum efficax quod Sacerdos extiterit.* Ad 60. Reg. caput idem repetit, & ad 62. *De Sacerdotibus Monasterij* ita ad marginalem oram loquitur: *Collige per totum quòd S. Benedictus fuerit Sacerdos, qui in suo monasterio Sacerdotes habuit: & in aliis haberi disposuit, & Abbati tamen subesse per omnia: insuper quod non prohibeantur Monachi: sed digni censeantur Sacerdotio fungi. 16. quæst. 1. sunt nonnulli: & alibi multis locis.* Ita auctor ille suggerit, ex quibus capitibus S. Patris sacerdotium colligi posse credat.

Similiter Joannes Bertels Dialogo 25. in Regulam S. Benedicti agens de Nonitio Sacerdote, cui conceditur post Abbatem stare, & benedicere, & missas canere, *hic*, inquit, *liquet clarè, diuum* BENEDICTVM *fuisse Sacerdotem, licet contrarium multi sentiant: Si enim ordinat, vt Sacerdos Monasterium ingressus, post Abbatẽ benedicat, & missas celebret, certè videtur dicere, quod Abbas debeat esse Sacerdos, & per consequens ipse fuit, fuit, inquam, Sacerdos, Deo gratus atque deuotus.*

Ioannes Bertels.

Jn eadem mente est Antonius Perez Hispanicæ Congregationis quondam Generalis, qui in Commentario ad cap. 9. Reg. num. 22. ait: *Iuxta præscriptum Regulæ Abbas debet esse Sacerdos. Quod si hoc de qualicumque Abbate, quid de illorum capite & Principe Benedicto Patre?* Ad cap. verò 60 num. 7. rursus ait: *Quod si quilibet regularis Abbas debet esse Sacerdos; quid (breuiter hoc dico) Abbatum Abbas Benedictus Pater? hoc breuiter ego intulerim in vnum quendam vel alterum, qui nescio quo ducti sidere Patriarchæ nostro sacerdotium negaret intarunt.*

Antonius Perez.

Huic proximè succedit Antonius de Yepez, eiusdem Congregationis Vallisolitanæ olim Generalis, qui in generali Chronico Ordinis nostri, ad annum Christi 531. pluribus hanc sententiam confirmat. Eundem sequitur Simon Milletius in annotationibus ad caput 23. libri 2. Dialogorum S. Gregorij Papæ. Sed & Matthæus Lauretus Cassinensis Monachus, & Abbas S. Saluatoris de Castellisi in annotationibus ad eundem 2. librum Dialogorum, quem edito à se Chronico Cassinensi præmisit, ad caput itidem 23. probabiliter ait colligi, beatum Patrem Benedictum sacerdotali ordine insignitum fuisse, productisque variis ad huius rei confirmationem argumentis, tandem subdit: *quæ quidem omnia in vnum collecta, euidenter ferè concludunt, B. Patrem Benedictum sacerdotali dignitate fuisse præditum.*

Antonius de Yepez.

Simon Milletius.

Matthæus Lauretus.

Sed nemò quòd sciam, diligentiùs ac fusiùs materiam hanc prosecutùs est, quàm Auctor Dialogi, qui Conciliis Cardinalis Zabarellæ subiunctus est, & à Molano, ac Arnoldo Wion in Martylogio ad diem 21. Martij citatur: hic enim interlocutoribus Michaële, & Hieronymo, Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Iustinæ de Padua Monachis; magno studio, variisquè è Jure petitis allegationibus, presbyteratum S. Benedicto vindicatur. Quod quidem tanta facit confidentia, vt asserere non vereatur

Auctor Dialogi.

reatur

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

reatur *stultam esse de hac re consultationem, plus enim quàm ridiculum esse dubitare, an tot Sacerdotum, Diaconorum, & aliorum qui sacris ordinibus decorati extiterunt Abbas & Pater almificus Sacerdos extiterit. Rationes suas vult esse euidentes, & imprudenter ab aliis negari. Absurdum item & à veritate alienam dicit sententiam, quæ S. Benedicto negat Sacerdotium, & quod summus Abbas & Patriarcha Patrum ea dignitate caruit, quam euidentissimis verbis videtur inferioribus Abbatibus delegare.* Ita ille, quisquis est; certùm enim Auctorem hactenus deprehendere nequiui.

Et hi quidem sunt quos reperire datum est huius sententiæ assertores; quos vti zelo honoris SS. Patris nostri sic sensisse non ambigo, ita rationum momēta, quæ adferūt, inferiùs suis locis reddemus.

§. II.

Quinam S. Benedicto *Sacerdotium negent.*

Contraria sententiâ, quæ humillimum & sanctissimum Patrem à Sacerdotij culmine alienum facit, pluribus & vetustioribus nititur Auctoribus; quos ordine hic producemus.

Petrus Blesensis.

Primvs sit Petrus Blesensis Bathoniensis in Anglia Archidiaconus, S. Bernardo coæuus, qui Epist. 68. ita ait: *Scio quia Monachorum Pater, & sacri ordinis Institutor, nec etiam Sacerdotij gradum attigit, expersq; Missarum multo tempore, etiam in die Paschæ, vtrum Paschalis esset solennitas ignorauit.* Rursumq; Epist. 123. *Ad hæc Paulus Eremita, Antonius, Appollonius, Mutius, Hilarion, Paphnutius, & vterque Macarius & Arsenius, B. etiam Benedictus, cæteriq; viri nominatissimæ religionis, quorum memoria in benedictione est, nunquam gradum Sacerdotij attigerunt: in sua tamen simplicitate saluati sunt.* Hæc ille.

Philippus S. Bonæ spei Abbas.

Secvndvs sit ætate huic æqualis Philippus Bonæ spei Abbas, qui libro de continentia Clericorum cap. 84. ita ait: *Denique B. ille Benedictus, qui multa Monachorum Monasteria ædificauit, qui viuendo & scribendo ad vnguem monachos informauit, qui sanctitatis suæ commendabile reliquit posteris monumentum, dum Regulariter viuēdi non mediocre præbuit documentum; non quidem Presbyter legitur extitisse, nec tamen ei quidquam monachalis dignitatis creditur defuisse. Attendens quippe, quia non facit monachum ad sacros ordines prædicta promotio, sed abiectio propria, labor, silentium, disciplina, quies, religio: non putauit quidquā iniuriæ monachico proposito Benedictus inferre, si se monachus contenderet, non sacris ordinibus, sed sacris moribus anteferre.*

S. Bonauentura.

Tertivs testis est Seraphicus Doctor S. Bonauentura, qui Regulam S. Francisci explanans, ad illa verba: *Ministri si presbyteri sunt,* &c. ita scribit. *Istud dictum est Ordinis principio, in quo erat raritas Sacerdotum, maximè quia S. Franciscus ex humilitate legitur Sacerdotium fugisse sicus & S. Benedictus.*

S. Petrus Cælestin.

Qvartvs testis est S. Petrus Cælestinus, qui Sacerdotio initiatus, tanto tamq; stupendo officio se reputans indignum, ab altaris oblatione decreuerat abstinere. Hâc de re cum deliberaret, apparuit ipsi in somnis Abbas, à quo religionis habitum acceperat, ipsum salutans & orationis petens suffragium. *Cùm autem subitò recessurus videretur, Petrus per Deum viuum eum adiurat, vt quid in hac ambiguitate esset agendum, paucis explicaret. Ille ob actionem salutarem ne omitteret persuasit. Obiiciente autē Petro sanctissimos Patres, Benedictum institutorem Monachorum sapientissimum & Antonium illum magnum, ac Seraphicum Franciscum, cæterosq; quamplurimos tanto se ministerio reputasse indignos, se autem vermiculum esse ac peccatorem abiectissimum. Tum ille: Quis (inquit) ô fili, vel Angelus satis hac maiestate dignus? Sacrifica fili, sed cum timore & reuerentia.* Ita in vita eius ex Petro de Aliaco, Dionysio Fabro, aliisque antiquis monumentis collecta & inserta lib. 6. de vitis Patrum Occidentis per Benedictum Gononum Cælestinum. Quòd si S. Benedictus presbyter fuisset, quàm pronum fuisset huic Abbati id hac, præsertim tam insigni occasione aperire: cùm hoc ad S. Petri Cælestini consolationem vel maximè fecisset.

Petrus Boërius.

Qvintvs testis est Petrus Boerius, Decretorum Doctor insignis, & Abbas Cœnobij S. Aniani, ac deinde Episcopus Vrbevetanus, in caput primum Regulæ, agens de Anachoretis, ait, *Nec lego B. Benedictum Missam celebrasse: nec quod Monachus esset Clericus, vel etiam literatus.* Argu. 16. q. 1. cap. Legi.

Ioannes Cele.

Sextvs testis est, Joannes Cele Rector scholarium Swollis, de quo Joannes Buschius Chronici Windesemensis lib. 2. cap. 69. ait, eum initiari noluisse, quod multi verè sancti ad sacerdotij dignitatem promoueri timuissent. *Magnus,* inquit, *Pater* Benedictvs *nigri ordinis institutor, & S. Franciscus Fratrum Minorum fundator, Ephremq; Diaconus, Magisterq; Gerardus magnus mole magnitudinis, & dignitatis sacerdotij, & consecratis sua pressi, presbyterari recusabant.* Obiit autem ille anno 1417.

Dionysius Carthus.

Septimvs testis est, Dionysius Carthusianus lib. de vita & regimine Archidiaconorum art. 6. vbi ait: *Multi fuerunt sancti Abbates, qui Sacerdotes non erant; vt Antonius, Pachomius, Benedictus, Maurus, & alij multi, qui monachis suis quamuis sacerdotibus præfuerunt, & pastorale in illos exercuerunt officiū.*

Auctor horarij Spirens. Ecclesiæ.

Octavvs testis est, Auctor Breuiarij, siue vt habet titulus, *Horarij Spirensis Ecclesiæ,* in cuius Kalendario 21. Martij ponitur: *S. Benedicti confessoris non Sacerdotis.*

Eusebius.

Nonvs testis est citatus ab auctore Dialogi quidam Eusebius Canonicus Regularis, qui fortè idem sit cum Eusebio Corrado, cuius lib. 3. cap. 10. meminit Penuotus, aitque in vtroque iure apprimè versatum, qui Congregationem Lateranensem, & totum Ordinem Canonicum scriptis libris defendit, Cap. verò 55. ait eum scripsisse de ordine & dignitate Canonicorum Regularium. Hic autem Eusebius allegabat S. Benedictum sacerdotem non fuisse. Vti etiam fecit Collegium Juristarum Bononiense in consultatione de præcedentia inter Benedictinos Monachos & Canonicos Regulares, pro quibus secundo loco hoc ponitur argumentum: Maior quis dicitur & dignior altero, quia à digniore & maiore est ordinatus seu creatus. Sed Canonici Regulares ordinari sunt ab Augustino, qui maior & dignior est Benedicto. Nullus igitur iure æquiparabit Augustino Sacerdoti & Episcopo, beatum Benedictum non sacerdotem. Quamuis autem hæc per modum obiectionis posuerit, in responsione tamē vel admittit, vel dissimulat S. Benedictum non fuisse sacerdotem, sed tantùm ait dictas qualitates à iure non fuisse ponderatas quoad ius præeminentiæ. Præterea omnes regulas habere vnum auctorem verum, scilicet Deum & summum Pontificem. Ex hoc capite vnam Regulam non præstare alteri. Dialogista verò scribit quæ Eusebius ait de S. Benedicto, cum sine vlla auctoritate asseruisse, & manifestè ostendere se illud somniasse.

Extare

Extare verò tractatum D. Vrbani de Mediolano Abbatis S. Sixti, qui *Defensorium Monachorum* intituletur, in quo omnia in illo Eusebij libro impressa discolorantur. Felinum quoque Sandæum Rubrica de Maiorit. & obedient. soluere rationes adductas ab eodem Eusebio.

Bellarminus. DECIMVS testis Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, qui lib. 1. de Romano Pontifice cap. 27. ait: Antonius, BENEDICTVS, Franciscus, ne quidem Presbyteri fuerunt, & tamen ab Ecclesia, quoad cultum attinet, multis SS. Episcopis & Martyribus & summis etiam Pontificibus præponitur.

Suarez. VNDECIMVS testis Franciscus Suarez magnæ inter scholasticos Doctores auctoritatis tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 6. num. 4. dicens: Si consideremus S. BENEDICTVM sacerdotem non fuisse, & illo tempore Abbates ordinariè non fuisse presbyteros, &c.

Iacobus du Breul. DVODECIMVS testis è nostris est Iacobus du Breul, religiosus S. Germani à Pratis, qui in supplemento antiquitatum vrbis Parisiacæ pag. 93. non veretur adfirmare sanctissimum illum Abbatem, Ordinis Ordinum celeberrimi fundatorem Presbyteratus gradum numquam conscendisse: ita refert, eique consentit

Prosper Stellart. DECIMVS TERTIVS testis, Prosper Stellartius, ordinis Eremitarum S. Augustini, libro quem inscripsit: *Fundamina & Regula omnium Ordinum* cap. 31. qui hanc sententiam etiam testimonio Petri Blesensis confirmat.

Hieronymus à Polit. DECIMVS QVARTVS testis sit R. P. Hieronymus à Politio Siculus Generalis totius ordinis Capucinorum, qui in expositione cap. 7. Regulæ S. Francisci num. 63. ait: *illa verba regulæ (si Ministri Presbyteri non sint) dicta sunt pro ordinis principio, in quo erat raritas sacerdotum, & eò magis quo noster Seraphicus Pater ex humilitate legitur noluisse ad sacerdotium ascendere, sicut & sanctus* BENEDICTVS *fecit.*

Antonius Molina. DECIMVS QVINTVS testis est P. Antonius Molina Carthusianus in instructione Sacerdotum tract. 2. cap. 1. qui, cùm dixisset plures Anachoretas & Sanctos præ reuerentia sacerdotio abstinuisse, subiungit: *Similiter sanctissimi Patres Antonius, Hilarion, Macarius, Arsenius, & gloriosissimus Patriarcha* BENEDICTVS, *innumerique alij, quorum magna & præclara in publicam omnium vtilitatem virtutum extant officia; & monumenta pietatis, quique in terris angelicâ quasi puritate vixerunt sacerdotalem ambire infulam ex se nunquam ausi sunt.*

Philippus Francois. DECIMVS SEXTVS testis est R. P. Philippus François Abbas S. Agerici Ordinis S. Benedicti in Lotharingia, qui in Gallico libello de spirituali renouatione Benedictinis necessaria, sectione 2. cap. 7. ait: Æuo S. BENEDICTI Abbates ordinariè non fuisse sacerdotes, vt patet exemplo S. Equitij, Seruandi & aliorum plurium Abbatum: & verisimile est S. BENEDICTVM particulari Dei instinctu, & ex spiritu humilitatis, qui in ipso erat, atque vt filijs suis humilitatis præberet exemplum, noluisse sacerdotio initiari, vt post eum eiusque exemplo fecisse leguntur S. Franciscus, & alij eminentis sanctitatis viri. Et rursum pag. 568. Inter monita quæ adfert, ex quibus Benedictini se possint sacerdotali dignitate æstimare indignos, tertio loco ponit exemplum sanctissimi Patriarchæ & institutoris nostri BENEDICTI, de cuius sacerdotio nihil certi inuenitur, at probabile est illum initiatum non fuisse. *DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.*

Petrus Thomas. DECIMVS SEPTIMVS testis est P. Petrus Thomas Saracenus Bononiensis, in Menologio Carmelitarum in vindicatione pro S. Dionysio Papa, quæstiuncula 9. tit. de Clericis, qui velut indubitatum asserit S. BENEDICTVM non fuisse Presbyterum, ita enim ait: *Non enim Monachi omnes, etiam senio confecti, & ordinum institutores, sacerdotio insigniti erant, in antiquis S. Paulus Eremita, S. Antonius, S. Hilarion & alij, in modernioribus* S. BENEDICTVS, *S. Franciscus Assisius, S. Franciscus de Paula, & alij ob sacerdotij reuerentiam tanta decorari dignitate recusarunt.* Menologium hoc editum est Bononiæ anno 1627.

Iacobus Marchantius. DECIMVS OCTAVVS testis est Eruditissimus Dominus Iacobus Marchantius S. Theologiæ Licentiatus qui in virga Aaronis tract. 1. lect. 5. hæc habet: *Denique S. Benedictus amplissimi licet & sanctissimi Ordinis Patriarcha Sacerdotalem Ordinem non suscepit, nec vnquam ausus fuit tantæ perfectionis verticem conscendere, vtpote gradum Deo proximantem.*

Stephanus Binet. DECIMVS NONVS testis est Stephanus Binet, in compendio vitarum Fundatorum Ordinum Religiosorum cap. 10. vbi de S. BENEDICTO ait: *Fertur ex humilitate sacerdotium recusasse, facilè id crediderim, eoq; magis quòd maior ei sit gloria, quod, cùm hoc gradu esset dignissimus, nunquam eum voluerit admittere, se eo reputans indignum.*

Franciscus Hallier. VIGESIMVS accedat testis, Franciscus Hallier, Sorbonæ Doctor, qui in defensione ecclesiasticæ Hierarchiæ pro censura facultatis Theologicæ Parisiensis lib. 4. cap. 2. num. 17. refutans illud cuiusdam assertum: Religiosus qui needum est sacerdos, nondum venit ad perfectionem suæ vocationis, ostendit id verum non esse, quia, inquit, sancti olim monachi, & inter eos S. BENEDICTVS, qui ordinis celeberrimi Institutor fuit, ambo pariter Francisci numerosissimorum & florentissimorum Ordinum Auctores & Fundatores, dici deberent ad vocationis suæ apicem non peruenisse, quippe cùm nunquam sacerdotio insigniti fuerint, quod tamen nemo prudens dixerit. Subiungo vigesimum primum, Hallierij antagonistam Ludouicum Cellotium Societ. Iesu, qui lib. 7. de Hierarchia cap. 11. concedit S. Franciscum & BENEDICTVM compendio viarum ductos ad culmen virtutis, quamuis Sacerdotio caruerint. Denique hanc sententiam probabilem valde censet Hugo Menardus in eruditis obseruationibus ad appendicem tertiam capitis 23. Concordiæ Regularum. Nolui hisce adiungere Erasmum Roterodamum in Colloquio, qui titulum fecit, CONCIO siue MEDARDVS, dicentem: *Franciscus constanter recusauit Presbyteri honorem, quod idem, opinor, fecit* BENEDICTVS *& Dominicus,* quia Auctor damnatæ lectionis est, & Colloquiorum liber omnino prohibitus, & in sancto Dominico manifestè errat, quare nihil omnino ponderis eius verba, qui Monachos, eorumque statum, & vota passim subsannat, sententiæ huic adiicere posse iudicaui.

Ex his porrò quos recensuimus satis constat non esse tantùm vnum quemdam, aut alterum (vt Antonius Perez loquitur) qui hanc tueantur sententiam. Immeritò proinde ea ab Auctore Dialogi, vocatur absurda, & à veritate aliena, nec omni-

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

omnino stulta dici potest de hac re consultatio: quod enim tam multis, & fide dignis comprobatur testibus, iisque ex diuersis religiosorum Ordinibus, diuersis locis, & temporibus viuentibus; id saltem signum est, antiquam & valde communem hanc esse opinionem: cùm contraria multò paucioribus, solisque Benedictini Ordinis professoribus nitatur.

§. III.

Licuiße Monachis ætate S. BENEDICTI *Sacerdotio fungi.*

ANtequam horum Auctorum sententiam pluribus comprobemus, præmonendus ac præmuniendus mihi hic Lectoris animus, ne ob illam causam S. BENEDICTO denegari Presbyteratum arbitremur, quòd eâ tempestate monachi omnes extra clerum essent, nec vllis initiarentur ordinibus. Constat enim longè ante S. BENEDICTI tempora Monachos plures ad Ecclesiastica officia assumptos. Hoc autem vt melius intelligatur, lubet rem paulò altiùs repetere, & ostendere Monachos primò clericatus expertes fuisse, qui tamen succedentibus temporibus eis fuerit permissus. Nam Monachi medij olim erant inter Clerum & populum. Vnde Dionysius Areopagita epist. 8. ad Demophilum Monachum ait: *Ordinatis Monachis adytorum postes sunt assignati, iuxta quas etiam initiantur & adstant, non ad custodiam earundem* (ne quis putet ex Ostiariorum ordine esse) *sed vt agnoscant tam se, quam ordinem suum magis populo quam sacerdotibus propinquare.* Sic & in Synodo Romana sub S. Syluestro, vt citat Gratianus distinct. 93. Capitulo, *à Subdiacono*, dicitur Pontifici presbyter, Presbytero diaconus, Diacono subdiaconus, Subdiacono Acolytus, Acolyto Exorcista, Exorcistæ, lector, Lectori Ostiarius, Ostiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræsentent obsequium, siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ. In nouissima tamen Gregorij XIII. correctione notatur, de Abbate & Monacho in Synodi editionibus nullam fieri mentionem.

Monachi ecclesiasticis officiis olim deputati:

Antea tamen clericatus experies:

Et ita quidem primis illis temporibus se res habebat; postea tamen ad clericatum etiam admissi sunt. Nam S. Athanasius complures Monachos sanctitate & doctrinâ illustres sacris ordinibus initiatos in Clerum adlegit, & Sacerdotali dignitate auxit. Quin & Episcopos diuersarum Ecclesiarum adsciuit; quorum ipse Athanasius scribens ad Dracontium Monachum Catalogum texit, quem reluctantem ad idem ministerium suscipiendum inducere conatus est, atque etiam induxit. In primo Concilio Nicæno Canone 75. apud Turrianum ita legitur: *Si congregatio fidelium alicuius paraciæ elegerit aliquem præstantiorem aliis doctrinâ, prudentia, & fide ex iis qui ministrant altari, aut ex Monachis, id est, Sacerdotibus Monasteriorum vt sit Episcopus, aut Archidiaconus aut Chorepiscopus, &c.* Ergo iam tum erant Sacerdotes Monasteriorum, aut Monachi Sacerdotes. Ex Chalcedonensis quoque Synod. can. 4. colligitur Monachos tum fuisse Sacerdotes, vetans enim *nullum absolutè ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nisi specialiter in ecclesia ciuitatis vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui ordinatur, designetur.* In quem Canonem scribens Balsamon ait: *Nota ergo, quod etiam qui ordinantur Monachi dicuntur Clerici, & loci Episcopo subiiciuntur.* Ea igitur ætate ad titulum Monasterij Monachi ordinabantur Sacerdotes. S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus vt ad Ioannem Ierosolymitanum Episcopum scribit (Epist. 60. inter S. Hieronymi) indignum iudicabat quod multitudo sanctorum fratrum, qui in monasterio consisterent, careret qui sibi Domini Sacramenta conficerent (Hieronymus enim & Vincentius presbyteri illius Monasterij, propter verecundiam & humilitatem hoc subterfugiebant) Paulianum ad se cum diaconis monasterij venientem, primò diaconum, deinde presbyterum ordinauit, atq; se de hoc ad sanctos presbyteros monasterij scripsisse. In eadem Epistola mentionem facit Presbyteri & Abbatis Monachorum Gregorij. Augustinus quoque Epistola 61. Eudoxio Abbati Monachorum insulæ Caprariæ scribit, quem fratrem & compresbyterum suum nominat, monetque eius loci Monachos in hunc modum: *Si qua operam vestram Mater Ecclesia desiderauerit nec elatione auida suscipiatis; nec blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo.* Idem Augustinus Epist. 76. ad Aurelium ait: *Ex his qui in monasterio permanent, non nisi probatiores atque meliores in Clerum assumere solemus.* Sanctus quoque Hieronymus Rusticum monachum Epist. 4. admonens quomodo ad clericatum se disponere debeat, ait: *Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem hostiam offeras Christo:* Et infrà ita ait, *Sic age & viue in monasterio, vt clericus esse merearis, vt adolescentiam tuam nullâ sorde commacules.* Idem Epist. 27. narrat. S. Isidorum Episcopum, Paulæ viduæ Romanæ loca terræ sanctæ visitanti occurrisse cum innumerabilibus monachorum turbis; *ex quibus multos Sacerdotalis & leuiticus sublimabat gradus.* Hinc Siricius Papa Epist. 1. ad Himerium Episcopum cap. 13. generalem videtur fecisse licentiam cooptandi Monachos in clerum. Ita enim ait: *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus, & volumus: Ita vt, qui intra tricesimum ætatis annum sunt digni in minoribus, per gradus singulos crescente tempore promoueantur ordinibus; & sic ad Diaconatus vel Presbyterij insignia matura ætatis consecratione perueniant, nec statim saltu ad Episcopatus culmen ascendant: nisi iis his eadem, quæ singulis dignitatibus superiùs præfiximus, tempora fuerint custodita.* Sic Pontifex. Post cuius Decretum plures deinceps ex Monachis ad Sacerdotium promotos veritati consentaneum est. Meminit Cassianus Collat. 4. cap. 1. Paphnutij presbyteri solitudinis, qui Danielem ad eundem presbyterij honorem prouexit. Et lib. 2. Institutionum cap. 10. significat canonicam precem Sacerdotis voce concludi.

Postea Clerici

Et Sacerdotes facti.

Ex quibus, ni fallor, iam satis liquet æuo S. BENEDICTI monachos à Sacerdotali gradu non fuisse præclusos, vt mirari satis nequeam Gabrielem Pennotum lib. 2. historiæ Clericorum Canonicorum cap. 18. num. 4. & 7. asserere Diuum Benedictum suis *non vt clericis, sed vt laicis*

Regulam

Regulam vitæ præscripsisse, in quâ de clericis monachis ne verbum quidem habeatur. Cùm tamen sanctissimus Pater Regulæ suæ cap. 60. *De Sacerdotibus qui in monasterio habitare voluerint*, præscribit quomodo Sacerdotes & clerici suscipi debeant, & quomodo officiis clericatus fungi possint. Capite autem 62. *De Sacerdotibus Monasterij* decernit, quomodo monachi ad presbyteratum & diaconatum sint promouendi, & quæ iam ordinaris sint canenda. Proinde non immeritò hîc auctor à Francisco Biuario S. T. Doctore in Apologetico suo pro Lucio Destro §. 4. reprehenditur. Quod verò vlterius dicit: *Non legi aliquem illorum, qui se in primâ saltem Ordinis institutione* S. BENEDICTO *instituendos tradiderunt, clericum fuisse.* Id manifestè refellit Diaconatus S. Mauri, quo, auctore Fausto, viæ vitæque eius comite & Scriptore iubente ipso S. BENEDICTO insignitus fuit. In eadem vitâ occurrit Simplicius presbyter, vnus ex sociis qui cum S. Mauro missi fuerant à S. BENEDICTO in Galliam, qui sacrificium redemptionis nostræ obtulit. Ex quibus satis euincitur iam tum Sacerdotes & clericos monasteriis non defuisse: Et hinc ni fallor, apud posterioris æui scriptores Græcos illa Monachorum distinctio, quâ alij simpliciter *Monachi*, alij verò Hieromonachi, siue sacri monachi dicebantur: Hi enim Hieromonachi erant Sacerdotes; de quibus vide Ioannis Meursij Glossarium Græco-barbarum.

S. Benedictus suis, non tantùm vt laicis, sed & vt clericis Regulam præscripsit.

§. IV.

Qua ratione Monachi olim communicauerint?

IN gratiam monasticæ antiquitatis studiosorum, non prorsus abs re fuerit; ad hoc, quod in ipsâ se offert viâ, non ioamœnum (vt arbitramur) deflectere diuerticulum, vt priscorum ascetarum ritus non nihil intueamur, & cœptum mox iter prosequamur. Considerandum autem quâ ratione ad sacrosancta corporis & sanguinis Domini mysteria accesserint: quod quidem quatuor modis fecisse reperiuntur.

Monachi quadrupliciolim viâ S. Communionis participes fiebant.

1. Communicandi modus.

PRIMVM enim, tanquam cæteri ex populo ad communem ædem, Sacramentorum causâ, simul cum cæteris se conferebant, testis Clemens Romanus Constitutionum Apostolicar. lib. 8. cap. 13. vbi communicantium ordinem ita describit. *Sumat Episcopus, deinde presbyteri & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Ascetici; & ex fœminis Diaconissæ ac virgines & viduæ; postea pueri & deinde cunctus populus ordine.* vbi monachos vides post clerum & ante populum communicasse, quod & eorum, vbi stabant, indicat locus. Medij enim erant, vt ex Areopagitâ disimus, inter clerum & populum. Jn vitâ quoque S. Pachomij cap. 26. legitur *ipse ad horam conuentus Ecclesiæ cum Monachis occurrisse, salutiferasq; plebi paginas prælegisse.* Constat autem eos eò confluxisse Communionis gratiâ. Palladius quoque cap. 52. in vitâ Abbatis Apollo, refert monachos ipsius horâ nonâ de monte descendere solitos, & Eucharistiam sumentes, rursum ascendisse in montem, vbi eorum erant cellulæ. Epiphanius quoque, epist. 60. inter S. Hieronymi, commemorat in ecclesiâ villæ quæ erat iuxta Monasterium suum, se eum reliquis monachis collectam celebrasse. Vsitatum id etiam fuisse Justiniani temporibus ex Nouellâ ipsius 133. cap. 2. colligitur; vbi præscribit ne *occasione Ecclesiarum deambulationes & confabulationes, cum quibus non conuenit, fiant: sed venire quidem tempore sacri ministerij, cum Abba ipsisq; prioribus & senibus, sacrificioq; completo omnes monachi rursus ad cœnobium reuertantur, ibiq; sedeant magnumque Deum honorent.*

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

Optimè proinde à Cuiacio in cap. *Verum* de condit. apposit. annotatum, Monachos olim non ecclesias, sed ORATORIA habere dictos: quia nimirum nulli in monasteriis ordinatij, publicique conuentus habebantur. Monastica autem Oratoria, vt obseruauit N. le Maistre lib. 1. de instauratione antiqui Episcoporum Principatus cap. 14. subseruiebant dumtaxat Monachorum precibus & psalmodiæ. Vnde de Oxyrincho ciuitate scribit Ruffinus lib. 2. de vitis Patrum cap. 5. fuisse in illâ vrbe *duodecim ecclesias, exceptis monasteriis, in quibus per singula, orationum erant domus.* Et Palladius in Lausiacâ cap. 7. ait in monte Nitriæ vnam maximam fuisse ecclesiam, ad quam sabbato solùm & Dominico die conuenirent, de aliis verò diebus ait: *circa horam nonam licet stare, & audire in vnoquoque monasterio hymnos & psalmos Christi canentes, adeò vt existimet quispiam se sublimè elatum transmigrasse in paradisum.* Hæc ergo psalmodia fiebat in Oratoriis, S. communio in Ecclesiâ. Sabbato enim & Dominicâ ad horam tertiam sacræ communionis obtentu conuenisse monachos, auctor est Cassianus lib. 3. cap. 2. Et hinc fortassis est quòd S. BENEDICTVS Oratorij nomine, non ecclesiæ aut templi passim in suâ vtatur Regulâ, vti & S. Gregorius in hac eius vitâ. Atque hæc de primo, quo monachi ad sacram Synaxin accedebant, modo.

Monachis olim non Ecclesiæ, sed Oratoria erant in vsu.

SECVNDÒ, ne monachi frequentiori sæcularium consortio exercitationis suæ puritatem aliquousque contaminarent, illudque quod scriptum est illis accideret: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*, nonnullis satius visum est presbyterum ad se aduocare, qui illis & sacrificium celebraret, & sacram communionem distribueret. Vnde in vitâ S. Pachomij cap. 24. dicitur: *Cùm solemnitas ex more deposceret vt mysteriorum cælestium participes fierent, ex proximis viculis presbyteros conuocabant, qui eis festiuitatem lætitia spiritali implerent. Non enim patiebatur idem senex inter eos esse quempiam, qui clericatus officio fungeretur.* Domus autem Oratoria quæ in Pachomij erat monasterio, aram habebat vt refert Palladius in Lausiacâ cap. 20. Fortè id aliis non erat commune monachis; qui à Pachomianis in aliquibus differebant. Sed recentiora exempla suppeditat S. Gregorius; nam lib. 5. Registri Epist. 46. monet Episcopum Pisauriensem ne in Monasterio à Ioanne constructo Missas publicas celebret, *sed si Missas ibidem sibi* (monachi) *celebrari voluerint*, ab eo presbyter dirigeretur. Similiter lib. 7. epist. 15. Fortunato Episcopo Neapolitano scribit: Abbatē Theodosium petisse dedicari monasteriū Monachorum in honorem B. Petri, & S. Archangeli Michaëlis; quod fieri mandans addit: *Et quoties necesse fuerit à presbyteris ecclesiæ tuæ in loco sancto deseruientibus celebrentur officia veneranda Missarum.* Quod sanè opus non fuisset, si ipsi monachi sacerdotes habuissent. Eidem Neapolitano Episcopo lib. 8. epist. 3. de Oratorio Romani siue Missis publicè consecrando scribens ait: *quoties Missas ibi degentes, illic monachi fieri voluerint, à dilectione vestra presbyterum nouerint postulandum, quatenus nihil tale à quolibet alio sacerdote vllatenus præsumatur.*

2. Communicandi modus.

Psal. 105.

TERTIÒ ipsimet Monachi asseruatam in suâ cellulâ aut monasteria Eucharistiam suis accipiebant

3. Communicandi modus.

DISQUISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

bant manibus & sumebant. Testis Basilius ad Cæsaream Patriciam (citante Baronio in Martyrologio die 15. Augusti) *Omnes qui per solitudines monasticam vitam agunt, cùm non adest Sacerdos, cùm domi communionem habeant, per seipsos accipiunt.*

4. *Communicandi modus.*

QVARTÒ concessum tandem, vt essent aliqui ex ipso Monachorum sodalitio, qui sacerdotes ordinati sacramenta illis administrarent. Ita ab Epiphanio ordinatus est Paulinianus, vt multitudini fratrum in Monasterio degentium consuleret. Palladius quoque in Lausiaca cap. 7. narrat in monte Nitriæ extitisse vnam maximam Ecclesiam cui quidem octo præerant presbyteri, *in quâ tamen quamdiu primus viuit, nullus alius offert, nec iudicat, nec habet sermonem, sed tacitè solum cum eo sedent.* Quæ duo ostendunt & presbyterum qui sacramenta administraret, ex monachis fieri olim permissum, & quosdam olim fuisse in Monasterio ordinatos, qui à sacro ministerio vacare solerent. Hos autem cum aliis fratribus ad sacram communionem accessisse credendum. Quod quidem & de Benedictinis insinuare mihi videtur Smaragdus, cùm de Sacerdotibus monasterij agens, illa S. BENEDICTI exponit verba: *Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est monasterium præter officium altaris.* id est, inquit, humilitatem semper intendens, locum suum in omnibus regulariter obseruans custodiat, *& sic accedat ad pacem,* AD COMMVNIONEM, *ad psalmum imponendum.* Confirmari hoc potest ex libro vsuum Cisterciensis Ordinis, in quo cap. 66. ita scribitur: *Omnibus Dominicis diebus, communicet qui potuerit. Sacerdotes tamen qui per septimanam missam cantant, si die Dominico non cantent, in eorum sit potestate communicare vel non.* Et cùm olim apud Orientales Monachos Sabbatinis & Dominicis diebus vnica tantum celebraretur Missa, in qua omnes qui aderant Monachi communicabant, si qui in tanto numero essent Presbyteri, illi sine dubio à celebratione tum abstinebant. Atque ita debuerit fecisse S. Hieronymus & Vincentius, qui in Bethlemitico degentes monasterio cùm essent sacerdotio initiati præ humilitate à celebratione abstinebant, vt Auctor est Epiphanius Epist. 60. inter Hieronymi: quos tamen cum reliquis monachis ad sacram Eucharistiam accessisse dubitandum non est. In monte Nitriæ, vt refert Palladius in Lausiaca cap. 7. octo erant presbyteri, *qui illi præerant Ecclesiæ, in quâ, quamdiu viuebat primus presbyter, nullus alius offerebat, nec iudicabat, nec habebat sermonem.* Hi ergo cum aliis Monachis, ac si Sacerdotes non fuissent percipiebant sacra Mysteria. Et fortassè tempore S. Francisci idipsum sui Ordinis nonnumquam fecerint Sacerdotes. Nam sanctus hic Patriarcha Epist. 12. ad sacerdotes totius Ordinis ita scribit: *Moneo præterea & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur fratres, vna tantùm celebretur Missa in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit, per amorem charitatis, alter contentus audita celebratione sacerdotis alterius; quia absentes, & præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus.* In quæ verba legenda omnino est doctissima annotatio Lucæ Waddingi, qui tuetur hanc esse epistolam S. Francisci, eiusque mentem esse fratribus suasisse sacrosancta non multiplicare Sacrificia & vt à quotidiana abstinerent celebratione, veritum ne propter quotidianam sacrificandi consuetudinem, tanti mysterij debita reuerentia, quam in hac ipsâ Epistolâ anxius inculcat, & tantopere commendat, paulatim declinaret; & in ipsis sacrificantibus feruor, tanto altari dignus, aliquantisper teperet. Nec tamen tollit libertatem, aut præcipuè prohibet tanquam malum & illicitum, sicut hæretici, consuetudinem celebrandi, sed inducit ad rariorem & puriorem tanti sacramenti cultum. Hi ergo sacerdotes fortassis aliquando communicabant sub vnica illa Missa. Et Patriarcha Maronitarum in interrogationibus suæ Sanctitati propositis de suorum consuetudine §. 3. ita scribit: *Apud nos mos obtinet, quòd vno sacerdote celebrante Missam, quotquot alij præsentes sunt Presbyteri, habitu tamen dicentium Missam carentes, neque consecrantes (communicantes tamen) omni onere atque obligatione tam pro viuis, quàm pro defunctis Missam celebrandi, eleemosynisq; eam ob causam acceptis absoluti, & satisfecisse censeantur.* Ita ille apud Thomam à Iesu lib. 7. de procuranda omnium gentium salute cap. 5.

Sed vt nunc in viam redeamus, cùm satis iam ex superioribus liqueat S. BENEDICTI temporibus sacerdotium monachis permissum; rationes inquirendæ sunt, cur à tot auctoribus, quot recensuimus, illud S. BENEDICTO monachorum Patriarchæ denegetur.

§. V.

Quænam esse potuerint rationes, ob quas Sacerdotio S. BENEDICTVS, *abstinuerit.*

EVidentes hîc à me nemo causas, vel mathematicas, vt credo, requiret demonstrationes. Quis enim rei non vsquequaque certæ certas attulerit rationes? Nam etsi planissimè constaret ad ordinem sacerdotalem S. P. numquam ascendisse, non tamen adeò certò asserere possemus, hac vel illâ id ratione factum; nisi aliunde sufficientia suppeterent testimonia. Probabiles ergo hîc tantùm adferemus rationes, ob quas fortassis sublimem hunc gradum refugerit.

1. *Ratio, Humilitatis studium.*

Primam verò hîc pono, adamatæ semper sibique congenitæ humilitatis studium. Nam qui *omnium iustorum Spiritu*, Gregorio teste, *plenus fuit*; spiritu humilitatis sine dubio ornatus fuit. Cùm autem humilitatis fundamentum sit notitia sui, in hac se sanctissimus Pater vel maximè exercuit, de quo idem Gregorius ait: *Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim, quia in sui semper custodia circumspectus, ante oculos Conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.* Ex hoc ergo in se inquirendi studio, tanta, ni fallor, in eo nata est humilitas; vt facilè sacerdotij se culmine iudicaret indignum. Hîc enim ille est *qui plus appetiit mala mundi perpeti quàm laudes, pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli.* Iam cùm Vir Dei non aliter vixerit, quàm scripsit, liceatque *ex Regula eius institutione mores vitamq; eius* (vt loquitur Gregorius Dialog. libro secundo cap. 36.) *subtilius cognoscere*; videamus, quæso, an hunc humilitatis affectum, ex Regulâ ceu lucido vitæ eius speculo non deprehendamus. Qui sextum humilitatis gradum esse docuit, *si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, & ad omnia quæ sibi iniunguntur velut operarium malum se iudicet & indignum*: an non ille recumbere in nouissimo loco illo ipso contentus fuerit? — Regulæ cap. 7.

Ibid.

fuerit? an illum ad altiorem, quo se iudicabat indignum, iudicabis voluisse gradum ascendere? Docuit idem septimum humilitatis gradum esse, *si omnibus se inferiorem & viliorem non solùm suâ linguâ pronuntiet, sed intimo etiam cordis credat affectu*: & quis non credat sanctissimum Patrem, si huic gradui respondit, imò quia respondit; Sacerdotali dignitate, nec ipsis quidem Angelis concessâ, se credidisse indignum: adeóque huic, siquidem ei delata fuerit, constanter & humiliter fuisse reluctatum. Atque hæc de humilitate.

2. Ratio. Imitatio veterum Monachorum.

Altera ei causa esse poterat, desiderium imitandi priscos illos Patres & Monachos, quos sciebat à presbyteratos gradu suscipiendo vel maximè abhorruisse, horum enim vitam diligenter studebat legere & degere, & vtramque hanc rationem assignat etiam Prosper Stellartios, dicens sanctum Patrem BENEDICTVM *Presbyteratus gradum numquam conscendisse; partim humilitate, partim etiam vt primitiuum illum Ascetarum statum, ab Ecclesiastico seu clericali statu prorsus distinctum retinere se velle palam commonstraret.* Sic ille, quod & inde magis fit verosimile, quod eâ tempestate, vt postea comprobabimus, non insolens esset Abbates hunc honoris gradum detrectare.

3. Ratio. Exemplum suorum.

Tertia causa esse queat, vt non tam instaret præcepto quàm præcurreret exemplo; & in subditis suis intempestiuum clericatus desiderium, quo non rarò tentantur monachi, suomet facto compesceret; vt nimirum ad sacerdotij gradum non auderent aspirare; quem sanctum Patrem studiosè scirent declinasse. Ita S. Eugendus numquam ad Sacerdotium promoueri voluit: & cùm de eo suscipiendo sollicitaretur, dixit *velius multò esse Abbati propter multorum ambitionem liberum à sacerdotio preesse fratribus.* Vt autem hanc in Monachis eliderent tentationem scribit Cassianus lib. 11. cap. 17. hanc esse *antiquitus Patrum permanentem nunc vsque sententiam, omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos.* Cur autem pari gradu sacri Præsules & fœminæ vitandi; nisi quia vt ab his periculum incontinentiæ, ita ab illis possit esse vanæ gloriæ? Solebant enim Episcopi ob defectum Clericorum, Monachos subinde è claustris & cellulis euocatos Ecclesiis præficere, sacrisque ordinibus initiare: atque inde monachi ambitionis stimulis incitati in Episcoporum gratiam se insinuare gestiebant, vt ad ecclesiasticos gradus citiùs promouerentur, quod hyperbolicâ istâ locutione veteres illi Patres castigabant.

4. Ratio. Diuinus instinctus.

Quartam denique adiicere licet causam, fuisse nimirum diuino interiùs virum sanctum commonitum instinctu, ne sacerdotij honorem capesseret aut vllatenus admitteret. Sic enim in vitis Patrum lib. 7. cap. 33. legimus Theodorum Abbatem, cùm in Schiti Diaconus esset ordinatus, nullatenus ibi permanere voluisse, sed multis locis fugiebat: cumque eum reduxissent, dixit illis: *Permittite me deprecari Deum, si me iubet ministrare loco meo. Et orauit sic: Domine, si voluntas tua est, vt in ordinatione meâ persistam, ostende mihi. Et ostensa est illi columna ignea à terra vsque ad cælum pertingens, & vox ad eum: Theodore, si potes fieri sicut columna ista, vade & ministra. Sufficit quod Leuitis & Sacerdotibus per Moysen dictum est, vt munda corde & corpore innoxiis manibus & vestimento mundissimo, pro filiis Israel offerrent sacrificia. Quod ille audiens, vltra nullatenus acquieuit.* Sic ille. Ex quo patet Deum fidelibus amicis suis nonnumquam reuelare, quæ vitæ illorum statum & exercitia spectant, & hinc Domnus Philippus Francois in Renouatione Spirit. Sect. 2. cap. 7. ait: *Verosimile esse S.* BENEDICTVM *speciali quodam Dei instinctu noluisse ad Sacerdotalis dignitatis apicem promoueri.* Neque verò temerè credit id veritati consentaneum; cùm S. Hildegardis in expositione Regulæ de S. BENEDICTO scripserit: *Ipse enim gratiâ Spiritus sancti hoc modo perfusus erat, quod in nullo opere suo velut in puncto momenti, & ictu oculi virente Spiritus sancti carebat.* Cui igitur non videatur verosimile, quin in acceptando vel refutando Sacerdotio particulari Spiritus sancti inspiratione præuentus & directus fuerit? Sic enim de S. Francisco lib. 1. Chron. S. Francisci part. 1. cap. 41. vel iuxta aliam editionem 52. legitur: Cùm beatus Pater iam esset Diaconus, & ad sacerdotium plurimùm vrgeretur, ad orationem se conuertens à Domino consilium expetiit. Missus autem est Angelus ad eum cum phiala pellucida in manu, limpidissimo liquore plena, atque ita dixit: *Vide, Francisce; quicumque vult fieri Sacerdos, & Sacramenta administrare, ita purus esse debet in anima, sicut liquor iste.* Post quæ verba noluit vmquam postea fieri Sacerdos, quia tantam animæ suæ puritatem non putauit.

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

§. VI.

Libros quos S. BENEDICTVS *legit, stimulum ei & argumenta recusandi Sacerdotij verosimiliter suggessisse.*

SAnctissimus Pater BENEDICTVS vti erat legendi studiosior, & Regulæ suæ viuum quoddam spiransque simulachrum; ita non neglexit quotidianam, quam per aliquot horas suis præscripsit, lectionem. Ex iis autem quos ad hanc lectionem adhibebat, libris, credi probabiliter potest, rationes stimulosque collegisse, quibus sacerdotij dignitatem non facilè admitteret, studiumque lectionis suæ vitæ, ostenderet exemplo. Quamuis autem plurium variorumque auctorum legisse libros certum sit, erant tamen præcipui quos ipse suis in Regulâ commendauit. Quinam autem hi? Primò: *Sermo diuinæ auctoritatis veteris ac noui testamenti, rectissima norma vitæ humanæ.* Secundò: *Libri sanctorum catholicorum Patrum.* Sed ex tam multis quinam præcipuè ei erant in delitiis? *Collationes Patrum & Instituta & vita eorum, & Regula S. Patris nostri Basilij: quæ aliud non sunt, nisi bene viuentium & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum.* Talia sine dubio fuêre huic optimè viuenti Monachorum Magistro: his ille instrumentis bene vsus ad eam virtutum omnium peruenit celsitudinem, quam tota Ecclesia venerans admiratur, & copiosissimo Deus in cælis præmio compensauit. Sed quomodo ex hisce libris sacerdotium didicerit declinare videamus.

Cap. 9. Sacra Scriptura. Cap. 73. Collationes, vitæque Patrum, Regula S. Basilij.

PRIMÒ ex Scripturâ sacrâ nouerit Sacerdotes etiam veteris testamenti indui debere iustitiâ, & tam eximiâ puritate & munditiâ nitere, quantum eorum consecratio, vnctio, lauacra, sacra indumenta & ornamenta requirebant. Hinc illud Leuitici 21. *Sancti erunt Deo suo & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.* Et postea: *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre*

Vt ex his sacerdotium fugere didicerit. 1. ex Scriptura.

DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

hostias Domino, nec panes Deo suo. Quòd si tanta in veteri lege requirebatur integritas in obeundo sacerdotis officio, quanta quæso in nouo exigetur testamento, vbi Deus ipse, verbum caro factum immolatur & sumitur? *Si in figura tanta obseruantia quanta in veritate?* inquit Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 5. atque hæc humilem animum & sanctitatis suæ minimè conscium ab eo gradu meritò putetant deterrere.

2. Ex Patribus.

SECVNDÒ, nominùs idipsum poterant efficere lecta Sanctorum Patrum monumenta: ex quibus Dionysius Areopagita lib. de cælesti Hierarchia cap. 1. ait: *Qui sacerdotem dicit, augustiorem prorsusq; diuinum insinuat virum, totiusque sanctæ scientiæ peritissimum.*

Sacerdotij excellentia, & periculum.

S. Ignatius Epist. 10. quæ est ad Smirneoses, sacerdotium asserit *apicem esse honorum omnium, quæ sunt in hominibus.* Et S. Hieronymus lib. 13. in cap. 43. Ezechielis, *grandis*, inquit, *dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccent: lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimiori corruisse.* Et S. Ambrosius lib. de dignitate sacerdotis cap. 3. *Sicut nihil est, sacerdote excellentius, sic nihil est miserabilius, si de tanta vita periclitetur; si sacerdos in crimine teneatur; quia vt leuius est de plano corruere, sic grauius est de sublimi cadere dignitate: quia ruina quæ de alto est, graui casu collidatur.* Hinc horribilis illa est S. Chrysostomi homilia 2. in Acta Apostorum sententia: *Non temerè dico, sed vt affectus sum & sentio: non arbitror inter sacerdotes esse multos qui salui fiant, sed multo plures qui pereant: in causa est, quoniam res excelsum requirit animum, & innumeris oculis illis opus est vndique:* S. Augustinus serm. 2. in psal. 36. *Talem*, inquit, *esse oportet Domini sacerdotem, vt quod populus pro se apud Dominum non valet, ipse pro populo mereatur quod poposcerit impetrare.* Ex his autem vt sacerdotum dignitas, sic graue eorum colligitur periculum, vnde illam non appetere, hoc metuere pius & religiosus animus facilè discit: & quamuis ad religiosum statum magnâ opus sit perfectione, multò tamen maior teste Chrysostomo lib. 6. de Sacerdotio in presbytero requiritur: *Monachorum*, inquit, *certamen ingens, & labor multus; verùm si conferre quis volet instituti illius sudores cum rectè administrato sacerdotio; certe tantum esse inter duo illa discrimen comperiet, quantum est inter priuatum & Regem.* Sic ille. Quis igitur non existimet S. BENEDICTVM humiliorem & tutiorem prælegisse gradum?

3. Ex Collationibus Patrum.

Diabolus sub pietatis prætextu clericatus desiderium suggerit.

TERTIÒ, ex Collationibus Patrum nouerat Abbatem Muysen Collat. 1. cap. 20. docuisse, inter cætera, in quibus dæmon sub colore auri fallentis imaginem nubis tyrannici vultus obiicit (*quoddam scilicet pietatis opus admonens affectandum, quod non de legitima seniorum procedens moneta, sub prætextu virtutum ducit ad vitia*) & hoc vnum esse, *cum desiderare sanctum clericatus officium, sub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri spiritalis instigat, per quod nos ab humilitate propositi nostri ac districtione deuellat. Quæ omnia cùm sint nostræ salutis professioniq; contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac religionis obtenta, facilè imperitos incautosq; decipiunt.* Ex iisdem quoque Collationibus S. BENEDICTVS didicerat Danielem Abbatem, humilitatis gratiâ peculiariùs ornatum, cùm *ad presbyterij honorem prouectus esset, prioris tamen humilitatis consuetudinem non omisisse: sed semper Abbate Paphnutio spirituales hostias offerente, hunc velut Diaconum in prioris ministerij permansisse officio.* Et quamuis Paphnutius hunc sibi destinasset successorem, præmisit tamen ad Deum, qui huoc humilitatis affectum hoc pacto videretur approbasse. Narrat ista Cassianus Collat. 4. cap. 1. Idem Institutionum lib. 4. cap. 30. refert Pynuphium Abbatem relicto cœnobio celeberrimo, cui presbyter præerat, longinquum Tabennensiotarum monasterium, in quo velut incipiens susciperetur, humilitatis & subiectionis desiderio expetiisse. Vnde discimus viros sanctos ipsum etiam adepti sacerdotij exhorruisse ministerium. Idem rursus lib. 11. cap. 14. docet spiritum cænodoxiæ clericatus gradum vt desiderium presbyterij vel Diaconatus nonnumquam immittere. Et cap. 15. narrat fratrem quendam in eremo Scytiæ eousque *huius impugnatione spiritus pollectum, vt in Ecclesia facere se crederet exhortatorum plebi sermonem, & mutato rursum officio celebrare velut Diaconum Cathecumenis Missam.* Quod senior, qui visitationis gratiâ ad eum venerat, stans aore ostium & auscultans explorauerat, & à fratre illo rogatus quandonam venisset? *Modo veni, quando tu Cathecumenis Missam celebrabas.* Subdit deinde idem Cassianus cap. 17. *Quapropter hæc est antiquitus Patrum permanens nunc vsque sententia, omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos.* Ne ab iis scilicet ad Clericatum pertrahatur. Quibus inhærentem principiis credi queat non improbabiliter S. BENEDICTVM etiam presbyteratus fugisse honorem.

Monachus quidam tentatus desiderio ordinationis.

4. Ex vitis Patrum.

QVARTÒ ex vitis Patrum, libro quem S. BENEDICTVS amauit plurimum, rationibus simul & exemplis ad hoc ipsum poterat exstimulari. Audierat scilicet Ioannem Abbatem apud Ruffinum lib. 2. de vit. Patr. cap. 1. suis dicentem: *Affectant ipsi Monachi ad Sacerdotium, atque immergere se conantur ad clerum, nescientes quia minoris condemnationis est, si quis ipse virtutibus polleat, alios tamen docere non audeat; quàm si quis ipse passionibus & vitiis prematur, & alios de virtutibus doceat. Sic ergo filioli mei, neque fugiendum omnimodis dicimus clericatum vel sacerdotium, neque rursus omnimodis expetendum, sed danda opera est, vt vitia quidem à nobis depellantur, & virtutes animæ conquirantur. Dei autem iudicio relinquendum est, quem velit, & si velit assumere sibi ad ministerium vel ad sacerdotium. Non enim qui seipsum ingesserit, sed quem Dominus assumpserit, ille probatus est.* Legerat & S. Pachomium nullum inter suos admittere, qui Clericatus officio fungeretur; & hanc, quam eius rei dabat, rationem: Dicebat enim *multò melius esse atque commodius Monachis, non solùm nullius prorsus honoris quærere primatus & gloriæ, verùm etiam occasiones huiuscemodi de cœnobiis amputare, quoniam frequenter hinc inter fratres contentiones & æmulationes inutiles nascerentur. Sicut enim scintilla ignis cùm in messem ceciderit, non citò restinguitur, & interdum totius anni fructus exurit: ita cogitatio istalis ambitus, si in mentes irrepserit monachorum, vt vel primi cupiant esse, vel clerici, nisi citò suggestionis huius ardorem de suo corde pepulerint, illicò perdent continentiam multis laboribus acquisitam. Oportet ergo cum omni mansuetudine, & puritate communicantes Christi Ecclesiæ Clericos venerari, quia hoc expedit Monachis, nullus autem religiosos appetere dignitates.* Ita sentiebat Pachomius, ita & faciebat. Nam cùm Athanasius Tabennam visitaret, non se ostendebat Antistiti, sed ex industria subtrahens se in Monachorum turmis latitabat, ne ad sacerdotium promoueretur. Legerat & S. BENEDICTVS libri septimi cap. 33. *de fugiendo clericatus honore*, & quæ in eo recensentur exempla Abbatis Isaac & Mathois. Nec ignorabat, quod quinto libro numer. 25. habetur, Macarium de se ipso dixisse: *Quando eram iuuenis & sedebam in cella mea in*

S. Pachomij à Sacerdotio fuga.

Ægypto,

Ægypto, tenuerunt & fecerunt me clericum in vico, & cùm nollem acquiescere ad ministrandum fugiebam ad alium locum. Sciebat & Ammonium autem sibi præscidisse ne Episcopus fieret, eumdemque minitatum, si cogere pergerent; & linguam se amputaturum, vt est in Lausiaca Palladij cap. 12.

Quintò ex S. Basilio.

QVINTÒ denique stimulum etiam subdidit S. Basilius Constitutionum Monasticarum cap. 10. sic loquens: *Clerum aut inter fratres principatum, nullo modo monachus appetere debet. Siquidem diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes.* Similiter ait Basilio coætaneus beatus Ephrem in sermone ascetico ad imitationem Prouerbiorum, de timore Dei tom. 3. *Perspicit Dominus cogitationem Monachi appetentis sacerdotium: at magnus sanè gradus est Sacerdotium, si immaculatum peragatur.* De S. BENEDICTO coæuus B. Cæsarius ex Monacho Lirinensi factus Archiepiscopus Arelatensis, inter Monachi virtutes necessarias hom. 25. ad Monachos hanc enumerat, *quòd ambitum honoris vel desiderium Clericatus, vera humilitatis amore repudiauit ac respuit.*

Et hæc quidem, vt diximus, poterant sanctissimi Patriarchæ animum permouere, vt Presbyterij gradum, quâ liceret, subterfugeret. Non tamen certò asserimus hæc eum permouisse: Quis enim hoc absque reuelatione cognouerit? sed pias dumtaxat adferimus coniecturas, & rationes verosimiles, ob quas, quod tot Auctores asserunt, fieri, & hic h[illegible]tatis in eo affectus potuerit succrescere.

§. VII.

Æuo S. BENEDICTI *Abbates non fuisse necessariò Sacerdotes.*

QVi S. P. BENEDICTI Sacerdotium impensiùs conantur astruere, pleraque argumenta ab eiusdem Abbatiali dignitate & officio desumunt, quasi eo fungi non potuerit, nisi simul esset presbyter. Proinde primùm hic nobis demonstrandum putaui, quamuis monachis eâ tempestate fas esset ad sacerdotium accedere; obligationem tamen tum nullam fuisse in Abbatibus vt initiarentur; adeoque fuisse circa illa tempora non paucos Abbates non sacerdotes. Quod probari facilè potest. Nam in 7. Synodo post S. BENEDICTI ætatem, anno scilicet 696. celebrata can. 14. dicitur: *Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli vnicuique Abbati facere, si ipsi Abbati ab Episcopo manus est imposita, qui sit & ipse presbyter.* Ex quo colligas fuisse & Abbates quibus ab Episcopo manus non essent impositæ. Quod expressè canonem illum exponens docet Theodorus Balsamon. Ponens enim dubitationem an Monachorum Præfecti fiant qui sacris non sunt initiati? Re vtrimque discussâ ait: *Dico ex præsenti canone & ex 19. rectè ad præfecturam proueht etiam eos qui non sunt sacris initiati, quoniam fœminæ quoque monasterijs præficiuntur, & sicut illæ nec peccatorum confessiones audiunt, nec Lectores faciunt: sic nec Monachi Præfecti, qui non sunt Sacerdotes hoc facient, eò quòd nec apti quidem sunt, vt huiusmodi rei permissionem ab Episcopo accipiant.*

Canon quoque 19. eiusdem Synodi pœnam decernens in eos qui ad Sacerdotalem ordinem, & vitam monasticam largitionibus aliquos admittunt, ita ait: *Qui hoc facit, si sit quidem Episcopus, vel monasterij Præfectus, vel ex Sacerdotali ordine, vel cesset vel deponatur: vt vult 2. Canon Chalcedonensis Synodi: sin autem monasterij Præfecta, à monasterio extrudatur, & alij monasterio tradatur ad subiectionem. Similiter & monasterij Præfectus, qui presbyteri ordinationem non habet.* Ex cuius Canonis sententia ita concludit Theodorus Balsamon: *Quoniam*, inquit, *vt ex præsenti Canone apparet, Monasteriorum Præfecti in duo diuiduntur, Sacerdotes, & eos qui non sunt sacris initiati, & illi quidem deponentur, hi verò monasterio extruduntur: dicimus rectè aliquos ad monasteriorum præfecturam proueht, etiamsi sacros Ordines non susceperint.* Et hæc quidem de Ecclesia satis probant Orientalium. De Occidentali verò nullus nobis luculentior testis Magno Gregorio, cuius deinceps vestigia prememus. Narrat ille in hac ipsâ S. BENEDICTI vitâ, cap. 36. Seruandum Diaconum atque Abbatem monasterij quod à Liberio quondam Patricio in Campaniæ partibus fuerat constructum, virum sanctum ex more visitationis gratiâ accedere solitum. Libro 1. Dialogorum cap. 4. recenset historiam S. Equitij Abbatis in Prouinciâ Valeriæ, cuius prædicationi contradictum fuit, quod sacrum ordinem, & Romani Pontificis licentiam non haberet. Deinde libro 4. Registri Epist. 16. statuit Diaconum & Abbatem de portu Veneris, qui lapsus fuerat, ad sacrum ordinem non debere, vel posse vllo modo reuocari. Et citatur à Gratiano distinct. 50. cap. 10. §. *præterea*. Sed occurrit Dialogista dicens, *quòd non fuerit vnus & idem Diaconus & Abbas. Sed loquitur*, inquit, *de quodam Diacono, & de quodam Abbate de portu Veneris, vt ibi Doctores declarant.* Sed hoc vim est inferre textui, & consequentiæ verborum: nam si de duobus loqueretur, de vtroque quid agendum esset disponeret, aut plurali vteretur numero. Nunc autem in singulari ait: *quem quidem sacro ordine priuatum in pœnitentiam deputare te conuenit: cuius si postea actus*, &c. Deinde clarissimè ostendit Abbatem de portu Veneris esse eumdem met Diaconum. Sequitur enim: *In portu autem Veneris, loco lapsi Diaconi, alium qui hoc officium implere debeat ordinabis.* Et eodem libro Epistola sequenti, nomen eius prodit, atque ita scribit. *Iohannem quoque de portu Veneris quondam Diaconum & Abbatem, suo decreuimus priuandum officio, atque vt alter in eius loco debeat ordinari scripsimus.* Quis non videat hîc de vno tantùm agi? Quinam verò sint illi Doctores, qui duos ex his faciant, cùm non alleget, non est quod anxiè inquiramus. Glossa sanè in dictum Capitulum, *Accedens*, vnum tantummodo agnoscit; & contra Dialogistam ait: *Ergo Abbas potest esse Diaconus. Quia Abbas potiùs est nomen officij, quàm dignitatis.*

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

Abbates Ecclesiæ Orientalis non erant necessario Sacerdotes, sed nec Occidentales.

Sed & ex ipso Regulæ textu satis constat paucos tempore S. BENEDICTI ad ordines fuisse promotos. Nam ad caput 62 *de Sacerdotibus monasterij*, vbi S. BENEDICTVS ait: *Si quis Abbas sibi presbyterum, vel diaconum ordinari petierit.* Ita Boërius annotauit. Nota, quòd olim locus prædicabatur celeberrimus, qui presbyterum & diaconum obtinebat: vnde & inter magnam monachorum turbam vnus solus in presbyterum sumebatur. Probatque ex capitulo *Presbyteri*, distinct. 24. Et ex eo quòd Gratianus dicat 16. quæst. primâ, §. *Superiori auctoritate Monachos Scythiæ conuenisse in vnum, vt Sacerdotem sibi inuenirent, qui eis Missarum solennia celebraret.* Hoc ipsum autem & de Ordine nostro facilè potest probari. Asserunt enim nostri, à tempore S. BENEDICTI omnia pęne Italiæ monasteria eius Regulæ se subdidisse: In his verò aliquando nullum fuisse presbyterum, ex S. Gregorio constat. Nam vt Registri lib. 7. Epist. 94. habetur,

Pauci olim in Monachis Sacerdotes.

Disqvisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

cùm in Præcotitano monasterio pro sacris Missarum solennibus peragendis presbyter deesset, præscribit Victori Episcopo Panormitano, eum de congregatione ordinari, quem vnanimes elegissent, nec inde voluit abesse; vt quoties necessitas postularet celebrare valeret. Non erat proinde loci illius Abbas presbyter, nec ille designatur ordinandus, sed quem vnanimes elegissent. Similiter libro 5. Epist. 41. eidem Episcopo scribit, Vrbicum monasterij S. Herinæ Abbatem cum sua congregatione magnoperè à se postulasse in eodem monasterio presbyterum, qui sacra Missarum solennia celebraret, ordinari. Quod concessit: *ne ille* (Abbas) *de monasterio suo hac pro causa egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogeretur adducere.* Quòd si Abbas, vt quidam volunt, necessariò debeat esse presbyter; spectasset sanè ad S. Gregorium hunc aliosque Abbates eius commonefacere, & ad suscipiendum sacrum ordinem vrgere.

Sed nec illi Abbates sacerdotio decorati erant ad quorum monasteria ab Episcopis Presbyteri mittebantur, qui Missarum illic solennia celebrarent. De quibus vide eundem Gregorium lib. 5. Epist. 46. lib. 7. Epist. 15. lib. 8. Epist. 3. lib. 6. Epist. 40. ait: *Si quispiam Abbatum aut Monachorum ex quocumque monasterio ad clericatus officium, vel ordinem sacrum accesserit; non illic aliquam habeat vlterius potestatem.* Non erant ergo Clerici, vel in sacris Ordinibus constituti Abbates illi, qui pro consequendis ordinibus Episcopum adibant.

S. Gregorio parum curæ fuit vt Abbates essent Sacerdotes.

Sed quod amplius etiam mireris, ipsemet Gregorius Monasterio S. Andreæ & Luciæ Probum præfecit Abbatem, non tantùm non sacerdotem, sed ne quidem monachum aut nouitium, sed hominem sæcularem. Quod ipsiusmet Probi testimonio constat qui S. Gregorium præsentem ita alloquitur: *Dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officium, disposueram in cella super me solitarius habitare, &c. quadam autem die, dum inter alios ad obsequia Domini mei fuissem ingressus, subitò atque inopinatò introire in monasterium, atque vt onera Abbatis debuissem suscipere, præcepistis: statimq; surgentes, non indulto ad deliberandum vel tractandum mihi spatio, ad monasterium iam cum Monachis ambulare coactus sum.* Respondet autem Gregorius ita esse vt dixerat, seque ipsum Monasterij, cuius ne monachus quidem fuerat, inuitum præfecisse Abbatem, vti latiùs in S. Gregorij Registro lib. 9. Epistola 22. exponitur. Non erat igitur S. Gregorio magnoperè curæ, vt Abbas eligendus, vel electus sacerdotio esset insignitus. Quinimò & ipsummet Gregorium constat Monasterio suo Abbatem præfuisse, cùm sacerdotalis gradus dignitatem necdum esset consecutus, ita eum Romanum Breuiarium nouissimæ correctionis habet. *Romæ septimum Sancti Andreæ nomine in suis ædibus monasterium ædificauit, vbi Hilarione, ac Maximiano magistris, monachi vitam professus, postea Abbas fuit. Mox Diaconus Cardinalis creatus, Constantinopolim à Pelagio Pontifice ad Tiberium Constantinum Imperatorem legatus mittitur.* Joannes quoque Diaconus vitam Sancti Pontificis describens, lib. 1. cap. 6. refert eum suo monasterio præfuisse, & postmodum cap. 25. scribit eum Leuitam à summo Pontifice consecratum, ac deinceps vsque ad Pontificatum constanter eum Diaconum & Leuitam nominat: atque hæc hactenus de Abbatibus circa S. Gregorij tempora.

Quin & ipse cùm Abbas fuit non erat Sacerdos.

Vt à Sacerdotio Abbates abstinerent, diu fuit in vsu.

Permansisse autem in Ordine nostro deinceps eam consuetudinem, vt Abbatibus liceret Sacerdotio abstinere, constat ex Aquisgranensi Synodo, anno 817. celebratâ, in quâ Abbates nu. 60. ita decreuerunt: *vt Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamuis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.* Scio equidem Antonium de Yepez tom. 3. Chron. in Append. ad illum articulum annotasse; cùm istis temporibus non sacerdotes subinde crearentur Abbates, (quod non absque magno regularis obseruantiæ fit detrimento) idcirco opus fuisse vt benedicendi potestatem acciperent; quam Patres iis in hoc articulo concedunt, cùm aliàs munia sua exequi non possent: *Ex quo,* inquit, *colligitur præcedentes Abbates fuisse Sacerdotes, cùm hic articulus supponat solos sacerdotes posse benedicere.* Sed pace eius dixerim, neutrum mihi videtur. Nam ex iis quæ hîc attulimus, euidens satis est, plures Abbates ante hæc tempora non fuisse sacerdotes. Neque video quomodo hic articulus supponat solos sacerdotes posse benedicere, cùm de facto hoc concedat non sacerdotibus. Neque verò responderi potest, intermitti debuisse benedictionem, nisi Abbati non sacerdoti concederetur. Nam ex hoc ipso Concilio constat non defuisse presbyteros: Articulo enim 65. dicitur: *Vt Eulogia fratribus à presbyteris in refectorio dentur.* Et Articulo 47. præmiserant: *Vt benedictio post Completorium à sacerdote dicatur.* Quòd si horum Patrum ea mens fuisset, vt Abbates omnes sacerdotio initiarentur, non difficile fuisset id præscribere, cùm nonnulla alia, quæ Abbates [illegible] vtcumque constringant, ibidem decreuerint. [illegible]querunt proinde hoc ipsorum arbitrio, vt eum si vellent ascendere gradum, valerent, & si pro humilitatis exercitio initiari nollent, id eis non esset illicitum. Quemadmodum etiam, qui circa hæc tempora vixit Paschasius Radbertus Abbas Corbeiensis fecisse legitur. Nam vt vita operibus eius præfixa habet, *tanta erat modestiâ & animi humilitate, vt cùm maximi ab omnibus fieret, modicè omnino de se ipso sentiebat. Itaque Monachorum se omnium peripsema, Leuitarumq; vltimum appellare solebat: & Diaconi gradu contentus, ad presbyterij honorem numquam aspirauit.* Vti nec S. Adalardus eiusdem monasterij Abbas, nec S. Eugendus, nec Alcuinus. Sed & Smaragdus Abbas scribens in cap. 11. Reg. ait: Igitur sunt Abbates, qui nec Sacerdotis, nec Leuitæ funguntur ministerio, & ideò nec sacrosanctum legere possunt Euangelium. Gregem tamen cum superno iuuamine possunt gubernare sibi commissum, & propterea eliguntur ad Abbatis ministerium peragendum. Ex quo loco sequitur (ait Hugo Menardus in Concordiâ Regularum Appendice 3. ad cap. 23. non fuisse olim vsu receptum, vt omnes Abbates essent Sacerdotes, vel Diaconi. Id docet Rupertus lib. 2. in Regulam S. Benedicti cap. 10. *Olim non ita erat. Multi Abbates erant, qui sacros Ordines non habebant.* Et Petrus Bohetius idem Regulæ caput exponens proposita quæstione, cùm legere Euangelium sit officium Presbyteri vel Diaconi, & Abbates non semper sint Presbyteri; quomodo iniungatur Abbati lectio Euangelij. Resp. Hæc lectio quæ fit in vigiliis potest competere non solùm ordinato, imò etiam mulieri. Probatque ex lib. 5. Decretal. tit. 38. cap. *Noua.* Sed illo textu aliud non dicitur, quàm Abbatissas legentes Euangelium præsumere publicè prædicare. Glossa tamen dicit: *In matutinis fortè poterant legere Euangelium:* Vnde etiam Diaconissæ appellantur 27. q. 1. Cap. *Diaconissam.* Glossa quoque in capit. *Sanctimoniales* 20. q. 1. ait, Diaconissas velari velo ordinationis ad quoddam ministerium, *Euangelium in matutinis lectionibus nuntiandi.* Quid

Occurritur obiectioni.

Paschasius Radbertus Abbas fuit nec tamen Sacerdos.

quod

quod Innocentius III. Extra de ætate & qualitate ordinandorum, Capitulo *Tuam* dicat: Instante necessitatis articulo posse in Abbatem assumi etiam in minoribus ordinibus constitutum.

Et hæc quidem eo potissimum nomine adducta sunt, vti probaremus, quemadmodum temporibus S. BENEDICTI ac deinceps Abbatibus Monachisque fas erat Sacerdotij gradum capessere; ita etiam licuisse eisdem hanc dignitatem, si vellent, declinare, fuisseque id, quod vidimus, tum satis frequens.

§. VIII.

Nec S. MAVRVM *fuisse Presbyterum.*

POtuisset superiùs recensitis Abbatibus sacerdotio non initiatis annumerari primarius S. P. BENEDICTI discipulus B. Maurus, sed cùm de eo nonnulla sit controuersia, visum est eam seorsim hîc discutere. Venerabilis enim Abbas Antonius de Yepez, Ordinis nostri chronographus doctissimus, ad Christi annum 532. cap. 6. ait valde probabile sibi videri S. Maurum non modò Diaconum, verùm etiam Presbyterum fuisse; atque hoc suadere generales regulas à præcedenti capite pro S. BENEDICTI sacerdotio adductas, ex quibus colligit Abbates nostri Ordinis hoc ordine (quamuis nonnulla sit exceptio) fuisse insignitos. S. verò Maurum fuisse viuam quandam gloriosi parentis sui BENEDICTI imaginem, quem vitâ, moribus, & exactâ regulæ obseruantiâ graphicè expresserit. At regulæ huic, inquit, conforme est, vt Abbas sacerdotali gaudeat charactere, vt confessiones audire, & benedictionem impertiri queat. Vnde verosimile est eum in puncto tam essentiali non errasse, præsertim cum iam esset Diaconus, adeoque, vt dici solet, dimidium vitæ iam confecisset. Hæc autem aliaque à nobis postea adducenda, ita concludit: meam prompsi opinionem, cui tamen non ita adhæserim quin etiam contrariam probabilem existimem, adeoque quod sibi placuerit, quisque sequatur: Ego interim & Magistrum & discipulum Sacerdotes fuisse mihi persuadeo. Ita ille, cuius quidem modestia, & acceptâ contrarium sentiendi licentiâ, nullum, vt existimo, Ordinis nostri offendam, si alteram elegero partem, & Sacerdotem non fuisse conatus fuero probare.

Opinio contraria.

Primò autem quod Regulam spectat, an illa requirat in Abbatibus sacerdotium, hocque sit punctum valde essentiale, postea, cùm de ipso S. BENEDICTO agetur, videbimus. Illud interim hac occasione velut in antecessum dicam, si probabiliter astruere possimus S. BENEDICTVM caruisse sacerdotio, nos ex eo quòd S. Maurus viuam eius repræsentauerit imaginem, facilè eumdem presbyterorum catalogo expungemus, dicentes: *sufficit discipulo, si sit sicut Magister eius.* Et hoc ipso argumento Prosper Stellartius in Fundaminibus & regulis omnium ordinum cap. 31. vtitur, vbi sic ait: S. BENEDICTI *primarij sectatores presbyterij culmen attingere semper renuerunt, cum discipulis docibilibus regula vitæ foret optimus Magister.* idque deinceps exemplo S. Mauri confirmat. Quamuis autem Diaconatus sit via, & plusquam dimidium dixeris, cùm ad Sacerdotij fastigium tenditur, notissimum tamen est, eum valde multis etiam esse terminum; qui non vltra tendentes, in secundis consistere tutissimum putant.

Illius fundamenta infirmantur.

Matth. 10.

Mihi autem vtcumque mirum videtur, nullum à D. Yepez produci auctorem, nec scio an produci possit, qui S. Maurum presbyterum fuisse testetur, aliorum interim sententiam, quam & probabilem putat, vocari opinionem popularem: hæc enim alicuius saltem testimonio reuincenda erat. Iam quod dicit, in Romano, Adonis, atque Vsuardi Martyrologiis non dici hunc sanctum Leuitam; id quidem verum est, & plures etiam auctores adducere liceret: sed non video, vt hinc conficiatur fuisse plusquam Leuitam vel Sacerdotem.

DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

Primùm igitur quo fundamento nos illi nihil vltra Leuiticum concedamus ministerium aperiamus; ac deinde quæ contra allegari possunt quâ possumus diluamus. Non fuisse Sacerdotem, videtur ex vitæ eius historiâ aliquousque colligi posse. Nam cùm defuncti Flodegisi animam in corpus reuocare vellet, totam noctem duxit insomnem, assiduis Dominum exorans gemitibus. *Manè autem primò Simplicium presbyterum adsciscens, vt sacrificium nostræ redemptionis pro eadem anima Deo offerret, imperauit.* Quod quidem non videbatur facturus, si ipsemet sacerdos fuisset. Neque verò probabiliter dici potest id illum ex humilitate fecisse: nam peracto sacrificio cum ipso Simplicio ad locum, in quo mortuus iacebat, accessit, suâque oratione à mortuis excitauit. Quòd si sacerdotii huic miraculum adscribere voluisset, iussisset & illum precem fundere.

Nostra sententia confirmatur.

Sacerdotem autem fuisse, vt iam ante insinuauimus, à nullo hactenus scriptore post tot sæcula est proditum; nec vnus, qui id asserat, citatur; proinde noua hæc assertio sine testibus non facilè admittenda. Contraria verò suis non caret auctoribus. Dionysius siquidem Carthusianus lib. de vitâ & regimine Archidiaconorum, art. 6. Maurum æquè ac S. BENEDICTVM inter eos recenset Abbates, qui, *cùm sacerdotes non essent, monachis tamen suis, quamuis sacerdotibus præfuerunt, & pastorale in illos exercuerunt officium.* Deinde Ioannes Molanus in Martyrologio Vsuardi 15. Ianuarij ita habet: *In territorio Andegauensi, S. Mauri Abbatis & Confessoris, atque Leuitæ discipuli Sanctissimi* BENEDICTI. Nec obstat, quod Dominus Yepez ait, illa verba, *& confessoris atque Leuitæ,* non esse Vsuardi, sed ipsius Molani, quia non alio quàm huius nomine citamus. Neque parua est in his talibus Molani auctoritas, quam tanti fecit Cardinalis Baronius, vt de eo in tractatu de Martyrologio Romano cap. 9. scripserit: *Equidem tanti viri, de Ecclesia Dei & veritate catholica optimè meriti, nec breuem scedulam deperire æquanimiter patior.* Et ipse Molanus prænotauit ea quæ cursiuo, vt loquuntur, & Italico charactere, addita sunt ad Vsuardum, ea ex veterum scriptorum, & sanctarum Ecclesiarum Martyrologiis esse desumpta. In primâ autem editione verbis istis, *& Confessoris atque Leuitæ* præposuerat litteram F. quam exponens in præfatione cap. 12. ait significare *Martyrologium Ordinis S.* BENEDICTI *& aliquot in Franciâ impressa*, vt videas non sine auctore ista à Molano addita, qui huic sententiæ adeò constanter adhæsit, vt statim in indice ita putauerit notandum. *Maurus non fuit Sacerdos, sed Leuita.* 15. Ian. Secutus est eumdem in monastico Martyrologio Arnoldus Wion repræsentans etiam *S. Mauri Abbatis Confessoris & Leuitæ.* Martyrologium quoque Ecclesiæ Gallicanæ nuper Parisiis editum, auctore Andreâ de Saussay Parisino S. R. E. Protonotario, similiter *Leuitam* indigitat.

Auctores qui S. Mauro Sacerdotium negant.

Dionysius Carthus.

Ioannes Molanus.

Eiusdem auctoritas.

Arnoldus VVion.

Sed antiquiora audiamus testimonia. Aimoinus lib. 2. de gestis Francorum cap. 22. mentionem faciens

Aimoinus.

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

Petrus Diaconus.

ciens S. Mauri, eum vocat, *inclytum Domini Leuitam.* Petrus Diaconus lib. 4. Chronici Cassinensis cap. 114. probare volens subdiaconum non esse constituendum Abbatem Cassinensem, inter cætera sic ait: *Hinc Pater* BENEDICTVS *Abbatem in Gallias dirigere cupiens, non subdiaconum quemuis, sed Maurum eò direxit Leuitam sanctissimum.* Ad quæ verba Dominus Jacobus du Breul monachus S. Germani à Pratis margini adscripsit: *Nota, S. Maurum antequam in Gallias veniret, Leuitam fuisse. Qua dignitate nunquam maiorem suscepit, licet 40. annis in Glannafolio Abbas fuerit, vnde & sacri officij eius oratio secundum vsum Parisiensem habet. Deus qui Beatum Maurum Leuitam,* &c. Nec ignoro totam illam disputationem coram Lothario Imperatore habitam, à Cardinale Baronio tomo 12. anno Christi 1138. multiplicis redargui erroris, & vt supposititiam explodi, eoque nomine nouissimæ Chronici Cassinensis, quæ anno Christi 1616. Neapoli facta est, editioni subtractam, cui nec ego quidem suffragium vllum contulerim, verùm à quocunque composita tandem fuerit, illud saltem ex eo veritatis elicere licet; authorem illum asserere S. Maurum Leuitam fuisse, & si putasset Sacerdotio initiatum, illud non neglexisset adscribere, cùm causam eius non parùm iuuisset. Sed vt hoc scriptum prætereamus, Prosper Stellartius, ex eodem Iacobo du Breul in Supplemento Antiquitatum vrbis Parisiacæ, plurimum hanc nostram sententiam confirmat, quem hîc loquentem attende & expende.

Iacobus du Breul.

Prosper Stellartius.

Beatus Maurus, inquit, *sub S.* BENEDICTI *disciplina (fas est dicere) educatissimus passim in diplomatibus Pontificum, aliisq; sanctæ Romanæ Ecclesiæ monumentis* LEVITA *duntaxat nominatur; qui tamen annos quadraginta Monasterio Glanafoliano in Galliis abbatissauit: Nec aliâ nomenclaturâ Prælatum adeò nobilem indigetat Faustus eiusdem condiscipulus, & Gallicæ peregrinationis Achates indiuiduus. Consimili etiam loquendi modo vtitur Abbas Fossatensis Odo, Translationis eiusdem scriptor fidelis. Quibus respondent præfati cœnobij MS. Missalia, aliaq; ad vsum Ecclesiæ Parisiensis impressa, vbi sic legunt.*

Missalia

> *Deus qui Beatum Maurum Leuitam æterna gloria concessisti fieri participem: concede nobis, ipso intercedente, aditum regni cælestis, cuius ad bene viuendum informamur exemplis.*

Ità Stellartius. Ex illâ porrò historiâ translationis S. Mauri ab Odone scripta, & aliud valde antiquum produci potest testimonium. In eâ enim cap. 6. scribitur *Membranula vetustissima portiuncula inuenta in S. Mauri sepulchro; cuius series diuturnâ obliteratione penè deleta, vix perspicacissimâ elucidari valuerit indagine. Cuius textus tandem enucleatus hæc continere repertus est.*

Odo Fossatensis Abbas.

> *Hic requiescit corpus B. Mauri Monachi*
> *& Leuita. qui tempore Theodoberti*
> *Regis in Galliam venit, & octauo-decimo*
> *Calendas Februarij migrauit à seculo.*

De hoc autem testimonio mentionem faciens Dominus Yepez eius auctoritatem vtcumque eleuat cùm ait: *Dicitur inuenta membrana cum ossibus S. Mauri in quâ Leuita appellatus est.* Odo enim non scribit id dici, sed certò factum affirmat, producitque scripturam ipsiusmet Gauzlini tum temporis Abbatis, qui translationem S. Mauri cum aliis Sacerdotibus faciebat: Ex cuius attestatione etiam refellitur, quod Yepez ait se credere, prædictam membranam pluribus à morte S. Mauri annis sepulchro eius immissam, & descriptam ab iis qui popularem sequebantur opinionem. Nam cùm Gauzlinus dicat *anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo quadragesimo quinto, quarto idus Martij translata esse ossa beatissimi Leuitæ Mauri;* atque tùm temporis membranulam fuisse vetustissimam, diuturnaque obliteratione pænè deletam; colligere licet conscriptam esse hanc membranulam non adeò diu post S. Mauri obitum. Notum siquidem est ad aliquot subinde sæcula permanere litteras in membranis exaratas; quæ tamen hîc dicuntur præ vetustate pænè obliteratæ. Excessit autem ex hac vitâ S. Maurus, vt ipsemet Yepez annotauit anno Christi 583. Inuenta igitur est ea scriptura, ducentis sexaginta duobus annis post S. Mauri mortem. Atque tum non popularis tantùm, sed antiquitate fundata, membrana ista comprobata, & Odonis testimonio recepta erat hæc opinio. Quare & ipse postmodum D. Yepez Christi anno 583. ex hoc Odone S. Mauri miracula, eiusque translationem describens, absolutè absque vlla dubitatione affirmat membranam inuentam, in qua habebatur: *Hic requiescit corpus B. Mauri Monachi & Leuitæ.* Vt facilè, ni fallor, videri queat, quæ primo loco timidè satis ac dubitanter scripsit, subterfugium tantummodo esse eius argumenti, quod ex his contra S. Mauri sacerdotium educi posse videbat.

Atque hæc quæ attulimus, sufficienter, vt arbitramur, fidem faciunt S. Maurum Leuitam duntaxat fuisse, nec sacerdotali vnquam charactere insignitum, adeoque id non necessariò in Abbatibus eâ tempestate fuisse requisitum. Nunc ad argumenta quæ pro sanctissimi Patris BENEDICTI presbyteratu adferuntur soluenda accingamur.

§. IX.

Ex abbatiali dignitate non colligi S. BENEDICTI *sacerdotium.*

DVo sunt veluti primaria capita ex quibus propugnatores sacerdotij S. BENEDICTI argumenta sua desumunt; prius est abbatialis dignitas, quam à non Sacerdote exerceri posse negant: posterius, gesta quædam S. Patris, quæ nisi Sacerdos non obiuisset: hæc ex vitæ historia, alterum illud ex Regulæ textu colligunt.

Ex Abbatis officio hæc argumenta proponit Dialogista. Primum: *postquam,* inquit, *monachis licentia clericandi temporibus Eusebij, Zosimi & Siricij concessa est, credo quod intrepidè dicere possum, etiam Abbatibus concessam. Imò, si bene memini post illam licentiam, qui in regimine monasteriorum, vbi sacerdotes degebant, sublimabantur, ante omnia sacris ordinibus decorabantur. Et meritò: quia cùm etiam sacerdotum debebant esse Patres, & ipsi sacerdotali charactere debebant insigniri, ne maiores viderentur recti, quàm rectores, filij quàm Patres, saltem ordine, & ne absoluendi carerent potestate.*

Pro Sacerdotio S. Benedicti Argumentum primum.

Secundum in Concilio Pictauiensi, vt habetur lib. 1. Decretalium tit. 14. cap. 1. ita statuitur: *vt Abbates, Decani, & Præpositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant: qui Archidiaconatus tenent Diaconi: qui verò Archipresbyteratus, presbyteri fiant, aut amittant honorem.* Quòd si aliquâ iustâ causâ prohibente, presbyteri aut diaconi esse non potuerint, prælationes amittant. Hoc ipso textu etiam vtitur Antonius de Yepez.

Secundum.

Tertium: ex dictis D. Antonij de Buttio in citatum Capitulum colligitur, quòd post tempora capituli, *A subdiacono,* postquam Monachi cœperunt esse Clerici, debeant Abbates esse presbyteri;

Tertium.

teri : antea verò non , ſed ſtabant vt laici.

Quartum

Quartum : Regulæ cap.62. circa finem, expreſsè inſinuatur, quòd Decani & Præpoſiti ex ſacerdotibus creabantur : & poterat eſſe ratio : quia & ipſi habebant curam animarum in ſuâ Decaniâ poſitarum. A fortiori ergo Abbas, qui omnium erat Paſtor & Pater, omnium animarum habens curam.

Reſponſio ad primum.

Hæc Auctor Dialogi quibus tamen non eſt difficile reſpondere. Ad primum enim vti concedimus licuiſſe Abbatibus eâ tempeſtate ſacerdotio initiari: ita negamus ad hoc eos vel lege, vel conſuetudine fuiſse obſtrictos. Iam enim ſupra §. VII. vidimus pluras hoc ordine abſtinuiſse. Ad inconuenientiam quam allegat, *ne maiores videantur recti, quàm rectores; filij quàm patres, ſaltem ordine*: reſpondemus, id non eſſe adeò incongruum : non rarò enim contingit, vt qui ordine inferior eſt, iuriſdictione ſit ſuperior & maior : Ita Petrus de Alliaco tractatu de Eccleſiæ auctoritate ſcribit quòd Cardinales Diaconi præcedant etiam Epiſcopos. Et in Epiſcopum electus, nondum tamen conſecratus ſacerdos, tanquam ſuperior præeſt ſacerdotibus. Superioritas enim prælationem ac iuriſdictionem potiſſimùm reſpicit, & olim Archidiaconi non erant Presbyteri, nec ad eum ordinem, ſed tantùm ad ſuſcipiendum Diaconatum in ſuprà citato Capitulo, *vt Abbates*, aſtringuntur. Quare Petrus Bleſenſis Epiſt. 123. pluribus probat Archidiaconos ad ſacerdotium cogi non poſſe: *ſimplices*, inquit, *Diaconi vrgente neceſſitatis vel vtilitatis inſtantiâ, iuxta Carthaginenſe Concilium, ad eminentiores ordines poſſunt cogi: ſed quod ad hoc de iure arctari poſſit Archidiaconus, numquam legi. Imò è diuerſo S. Gregorius lib. 2. Regiſt. Epiſt. 16. præcipiendo decreuit Natalem Epiſcopum Salonitanæ Eccleſiæ, & vſu, & honore pallij deſtitui, quia Honoratum eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconum inuitum fecerat in presbyterum ordinari.* Et paulò pòſt ait : *Porrò dignitatis turbato ordine, Archidiaconi hodie ſacerdotibus præeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ iuriſdictionis exercent; ea propter Archidiaconum in Presbyterum promoueri non eſt honorem eius augeri, ſed minui.* Nimirum quia Archidiaconus, vt lib. 1. Decretalium Titulo 23. dicitur : Epiſcopi Vicarius eſt in omnibus, & omnis cura in clero (tam in Vrbe poſitorum, quàm eorum, qui per parœcias habitare noſcuntur) ad eum pertinet. Hinc Dionyſius Carthuſianus libro de Origine Archidiaconorum art. 6. ait: *quamuis Sacerdos maior ac dignior ſit Archidiacono ratione ordinis propriè dicti, & ratione iuriſdictionis in foro interiori : non tamen ratione ordinis communiter ſumpti, & iuriſdictionis in foro exteriori : vnde ſic Archidiaconus tam Presbyteris, quàm Archipresbytero antefertur.* Poſtea verò ab exemplo Abbatum presbyteratu carentium, hanc Archidiaconorum ſuperioritatem confirmans, ait: *Sacerdoti, vt huiuſmodi, reuerentia magna debetur: ſed in quantum tranſgreſſor, eſt puniendus ab eo qui maior eſt iuriſdictione : nec obeſt, ſi ille non ſit Sacerdos; quia & multi fuerunt ſancti Abbates, qui Sacerdotes non erant, vt Antonius, Pachomius,* BENEDICTVS, MAVRVS, *& alij multi, qui monachis ſuis quamuis Sacerdotibus præfuerunt, & paſtorale in illos exercuerant officium.* Hactenus ille.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum dicẽdum Pictauienſem illam Synodum ſæculis aliquot S. BENEDICTO eſse poſteriorem. Celebrata enim eſt, teſte Baronio, eumque ſequente Seuerino, Binio Chriſti anno milleſimo centeſimo: ac proinde non potuit præcedentes obſtringere.

Ad tertium.

Ad tertium reſpondemus, quidquid dixerit Antonius de Butrio (quem videre non licuit) vel alij, ſatis conſtat ex antedictis etiam poſt tempora Capituli à *Subdiacono* plures fuiſſe Abbates ſacerdotali dignitate carentes: quos tamen hoc nomine non legimus reprehenſos, exiſtimo proinde Antonium de Butrio, alioſque aut poſteriorum temporum ſpectaſſe conſuetudinem, aut voluiſse dumtaxat eſſe cuiuſdam decentiæ, vt Abbas Sacerdos ſit; non autem ſtrictæ obligationis.

DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

Ad quartum.

Ad quartum, expreſsè negamus allegato capite 62. inſinuari, Decanos & Præpoſitos ex presbyteris creandos, ita enim dicitur: *qui*, ſacerdos, *Regulam à Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſeruandam ſciat: quòd ſi aliter præſumpſerit, non ſacerdos, ſed rebellio iudicetur.* Vbi quidem ſignificatur, Decanos hos & Præpoſitos, etiam ſacerdotum fuiſſe ſuperiores: at inde non conficitur eos fuiſse ſacerdotes: cùm, vt de Archidiaconis modò dictum eſt, eam poteſtatem abſque ſacerdotali charactere exercere potuerint. Quis verò credat S. BENEDICTVM hunc in Decanis & Præpoſitis ſuis ordinem neceſſariò requiſiuiſse, & tamen cùm de iis ex profeſſo agat, & peculiaria de ſingulis conſcribat capita, eius ne ſemel quidem meminiſſe? Quid, quòd contrarium potiùs ſuggerat, cùm vetat eligi *per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam.* cap. 21. Reg. Et de Abbate ordinando agens, permittit eligi etiam eum, *qui vltimus fuerit in Congregatione*: quod in Præpoſitis Decaniſque magis ſine dubio concedit. At veroſimile non eſt, eo tempore, quo pauci ad ſacerdotiũ promouebantur, & pueri recipiebantur ad monacharum, vltimum congregationis tum fuiſſe ſacerdotem: cùm autem hic potuerit eligi in Abbatem, Præpoſitum, aut Decanum; euidens eſt non requiri in hiſce officiis qualitatem ſacerdotij. Quæ ſanè ſi in electionibus obſeruaretur, non niſi ex ſenioribus, aut primis eligendi eſſent: quandoquidem iuxta Regulam, pro reuerentia ſacerdotij altior concedatur locus, quàm quo quis ingreſſus eſt monaſterium. Dices fortaſſis, quamuis non ſacerdotes eligantur, eos tamen poſtea fuiſſe ordinatos. Verùm id probandum foret, nec arbitror iſto ſæculo adeò frequẽter factum. Nam ex Aquiſgranenſi Synodo, vt ſuprà etiam citauimus, conſtat diu poſt S. BENEDICTVM fuiſſe Abbates, Præpoſitos, & Decanos non presbyteros, quibus nihilominus benedicendi lectoribus poteſtas concedebatur. Quin & ipſe S. Pater BENEDICTVS B. Maurum, vt in commentario capitis 6. dicemus, admodum iuuenem, octodecim ſcilicet vel nouemdecim annorum, Præpoſitum conſtituit; cùm necdum Diaconus per ætatem eſſe poſſet: vt hinc, ni fallor, manifeſtum iam euadat, S. BENEDICTVM in hiſce monaſticis officiis Decanorum aut Præpoſitorum presbyterij gradum non requiſiuiſſe. Quod vel inde confirmatur, quòd Decanos Præpoſitoſque inſtituerit, ad imitationem veterum Ægyptiorum, vel Tabennenſium Monachorum : hi autem rarò habebant presbyteros, quinimo S. Pachomius neminem ſuorum patiebatur clericatus honore potiri. Atque hæc ad producta initio argumenta ſatis.

Obiectioni occurritur.

Decani, Præpoſitique non neceſſariò ſacerdotes.

Alia obiectio.

Cæterùm reſtat & alia obiectio, ab venerabili Abbate & Chronographo noſtro D. Antonio de Yepez mota; quam hoc loco expendere lubet: Complures, inquit, viri docti affirmant, quo tempore monachi erant laici, hoc ſaltem curaſſe, vt Abbates eſſent presbyteri. Ad marginem verò citat Bellarminum lib. 2. de ſtatu Monachorum cap. 42. Quamuis autem hoc argumento primo tantùm vtatur, vt probet licuiſſe S. BENEDICTO ſacerdotio

Initiati

DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

initiati, quia tamen idipsum postea repetens, ex eo fuisse presbyterum concludit: & Bellarminum (quamuis alibi contrarium sentientem) hoc loco suæ sententiæ plurimùm arr suffragari; nostrarum quoque existimaui partium, huic, qua licet, respondere; ne dissimulasse, aut sponte prætermisse quidpiam videremur. *Responsio.* Primò autem occurrit, pro pluribus viris doctis vnicum dumtaxat allegari Bellarminum: sed vt demus alios hunc habere sequaces, meritoque suo multorum instar esse: ipsa ipsius velim tantummodo expendi verba, ex quibus facile apparebit, quàm parum pro S.P. BENEDICTI sacerdotio queat colligi, quodque suam non mutârit sententiam, aut in contrariam eo loco inclinauerit. Verba eius hæc sunt: *illi* (antiqui) *Monachi cùm non essent clerici, sed laici omnes, ex cepto Abbate, non erant satu occupati, & ideò ad fugiendum otium necessarium erat illis laborare.* Vbi statim vides hunc Cardinalem, Abbates tantùm excipere à laicis: non autem dicere fuisse presbyteros. Quis verò nesciat Abbates potuisse esse, & verò tum multos etiam fuisse clericos, qui tamen ad sacerdotalem gradum, numquam ascenderunt? Atque ita, pace doctissimi nostri chronographi dixerim, parum roboris aut fauoris ex hoc Bellarmini loco colligere potest.

Sed alius magisque vrgens ex eodem Bellarmini libro de Monachis cap. 6. occurrit locus. Ait enim, *olim tam Eremitæ, quàm Cœnobitæ ferè omnes extra vrbes procul à reliquis hominibus habitant, & quia non poterant ad ecclesias Episcoporum vel Parochorum conuenire, habebant singula monasteria suum Abbatem, Presbyterum, à quo Sacramenta percipiebant.* Id manifestè indicat Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. & 33. tum in Epist. 81. ad Eudoxium presbyterum, & Abbatem in insulâ Capraria: item Epiphanius in Epist. ad Joannem Hierosolymitanum, vbi dicit se ordinasse Paulinianum presbyterum monasterij Bethlehemitici, quia S. Hieronymus eius monasterij Præpositus, præ nimia humilitate non audebat Sacramenta fratribus ministrare. Idem apparet in collationibus Cassiani ferè omnibus, ac præcipuè 18. cap. 15. Hæc Bellarminus. Sed respondemus, licet olim plura fuerint Monasteria quorum Abbates essent presbyteri, negamus tamen id omnino fuisse vniuersale vt constat ex iis quæ suprà hac disquisitione §. IV. & VII. dicta sunt. Vnde ad confirmationem respondetur, Augustinum citato libro cap. 3.. de monasteriorum Patribus tantùm dicere eos fuisse sanctissimos moribus & diuina doctrina excellentissimos, nihil addere de Sacerdotio. Capite autem 33. tantùm ait Mediolani vidisse se diuersoria sanctorum non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat. Epist. 81. tantùm significatur Abbatem Eudoxium fuisse presbyterum. Idemque dicendum ad Epist. Epiphanij quâ scribit Paulinianum & Hieronymum fuisse presbyteros. Nec Cassianus citato capite plus habet quàm Paphnutium & Isidorum fuisse presbyteros. Nullus verò ex illis auctoribus quidquam habet, de generali consuetudine aut obligatione quâ Abbates tenebantur Sacerdotio initiari.

§. X.

A potestate absoluendi non satis colligi presbyteratum Sancti BENEDICTI.

Alterum argumentum à potestate ligandi & soluendi petitur, atque in hunc ferè modum solet proponi. S. BENEDICTVS cap. 7. Regulæ ait, quintum humilitatis gradum esse: *Obiectio.* *si Monachus omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconse commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.* Scripturas autem, quas ad huius gradus confirmationem adducit, de sacramentali confessione intelligendas exponit Turrecremata. *Responsio.* Sed respondemus breuiter hanc conscientiæ manifestationem non necessariò intelligendam de confessione sacramentali: sed de alia quadam sui manifestatione, quæ extra sacramentum fieri olim consueuit, & veteribus monachis erat vsitatissima, de qua pluribus egimus cùm de humilitatis gradibus scriberemus, atque ita illum S. BENEDICTI locum intelligit Suarez tom. 4. de Religione lib. 10. cap. 6. num. 4. & Philippus Francois in renouatione spirituali Sect. 2. cap. 7.

Obiectio. Sed alium Regulæ locum obiiciunt ex cap. 46. vbi cùm S. BENEDICTVS præcipit, vt Abbati, vel cõgregationi delicta in quotidianis operibus commissa pandantur, subiungit: *Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciunt curare sua vulnera, & aliena non detegere aut publicare.* Ad quem locum Ioannes Franciscus Brixianus in margine adiecit: *Argumentum quod Abbates tempore S. Benedicti erant Sacerdotes, & per consequens & ipse.* Antonius verò de Yepéz, vt declararet hæc S. BENEDICTI verba, de confessione quæ in sacramento pœnitentiæ fit, intelligenda; confirmationem adiungit ex Hieronymo, qui Eustochio scribens in Regulâ monachorum, de accusationibus & correptionibus quæ publicè sexus fieri debent, subiungit, *cogitationes autem & peccata secreta, non nisi secretò dicenda sunt Confessori.*

Responsio. Sed non admodum difficilis est responsio; quamuis enim concederemus, locum hunc de sacramentali exponendum confessione, (quod tamen citato loco negat Suarez) diceremus S. BENEDICTVM præscripsisse occulta peccata patefacienda Abbati, si esset Sacerdos, aut spiritualibus aliis senioribus, sed sacerdotibus; si abbas initiatus non esset. Jam suprà enim contra Brixianum satis ostendimus, æuo S. BENEDICTI plures Abbates sacerdotio caruisse, nec hanc eis tunc temporis impositam obligationem. Quod autem ex S. Hieronymo adfertur, iam pridem notissimum est Regulam illam Monachorum non esse Hieronymi nec Eustochio scriptam: vnde eam Marianus Victorius inter illa opera retulit, quæ certò constat Hieronymi non esse, & ab illius phrasi, styloque dissident maximè. Et certum est, auctorem illum S. BENEDICTO multò posteriorem, nam cap. 39. agit de Completorio, cuius Hieronymi tempore nomen erat inauditum, & à S. BENEDICTO primum esse vsurpatum non contemnendi auctores tradunt. Plura de hac Regulâ dicam alibi.

Obiectio. Aliud argumentum adfert Yepez, quòd iam olim grauissima fuerit Cassinensium apud Conradum Imperatorem, querela, contra subdiaconum in Abbatem electum; *Indignum*, inquiunt, *valdè ducimus, vt in tantâ Ecclesiâ quæ monasteriorum omnium caput & mater est, Abbas subdiaconus sit, qui neque Missarum solemnia celebrare, neque possit à delictis absoluere.* Ita Petrus Diaconus lib. 4. Chronici Cassinensis cap. 121. *Responsio.* Verùm iam suprà ostensum est, totam hanc historiam esse supposititiam & recentiori editioni hoc nomine subtractam. atque vt daretur esse veram, concedi posset nonnullam habere indecentiam, quod tanto cœnobio præficeretur subdiaconus: inde

autem

autem non conuincitur olim non fuisse aliter factum; vt constat in Seruando, Jobino, alijsque suprà commemoratis Abbatibus. Et S. Maurus Leuita amplissimæ Congregationi monachorum præfuit, & verò ipsi Cassinenses in hac disputatione Diaconum præfici posse fatentur, nam inter cætera allegant, quòd Eugenius Papa in Decretis suis ita scripserit: *Abbates per monasteria tales eligantur, qui Leuitico vel Sacerdotali honore sint prediti*, ita quidem ibi. At in Decretis Eugenij Papæ 2. nihil tale exstat.

Quomodo igitur confitebantur monachi? Quòd si quæras quomodo in similibus monasteriis in quibus Abbas non erat presbyter se gesseriot monachi circa sacramentalem Confessionem? Respondetur: si nulli erant inter eos sacerdotes, sicuti sanctus Pachomius nullum ex suis patiebatur Clericum fieri, tum, vt verosimile est, illi confitebantur, à quo sanctissimæ Eucharistiæ recipiebant Sacramentum. Sin autem quosdam habebant sacerdotes, prout S. Maurus habebat Simplicium, tùm illis ex Abbatis licentia fuisse confessos. Sic S. Franciscus cap. 7. Regulæ suæ, cùm statuisset recurrendum ad ministros prouinciales pro casibus reseruatis, ait: *Ipsi verò ministri si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pœnitentiam, si verò presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum melius videbitur expedire.* Jn quem locum annotat Lucas Waddingus, in primæua Religione laicos, siue clericos non presbyteros ad ministeriatum assumi posse, atque etiam consueuisse ob raritatem sacerdotum, vt aduertunt Bonauentura, & Pisanus. Et S. Didaeus cum laicus tantum esset Guardiani officio perfunctus est, vt ex eius vitâ constat. Stephanus quoque D'aluin, in tractatu de potestate Abbatum & Abbatissarum cap. 3. num. 10. ait: *Sunt laici quidam regulares, trite & vulgaris apud Patres Franciscanos, nostros Minimos, sed præsertim apud PP. Capucinos & Recollectos, qui iure suarum Institutionum eligi possunt in Superiores, quos vocant Guardianos, & de facto etiamnum eliguntur, vt non pridem Verduni vidimus apud Recollectos. Quis verò dubitet, aut deneget huiusmodi Laicos superiores, habere tum Iurisdictionem Ecclesiasticam spiritualem & temporalem; eamq; talem, vt possint etiam absolutionem certorum casuum occurrentium, certis reseruare sibi subditis Sacerdotibus.* Verùm Pater Petrus Marchant in expositione capitis septimi Regulæ S. Francisci pulchrè distinguit horũ Superiorũ non presbyterorum auctoritatẽ. *Aduerte*, inquit, *primò, si laicus præsideat (cum iurisdictionis spiritualis incapax sit) non habere plus Iurisdictionis quàm pater in familia. Secundò, si clericus sit, iurisdictionem spiritualem Ecclesiasticam penes ipsum residere posse, ideò excommunicare posse, iurisdictionem delegare, &c. quamuis alia quæ characterem ordinis requirunt, exercere nullatenus possit.*

§. XI.

Ex benedictionibus, quas Abbates solent impendere non conuincitur S. BENEDICTVM *fuisse Sacerdotem.*

Prò S. Benedicti Sacerdotio aliquot argumenta. TErtium argumentum desumitur à Benedictionibus illis, quas sanctissimus noster Legislator Abbatem suis præscribit impertiri: has verò aliunde credunt se probare solis competere presbyteris; adeoque ex hoc capite Abbatem debere esse sacerdotem; & consequenter etiam fuisse S. BENEDICTVM; Regulæ nimirum à se præscriptæ obseruatorem exactissimum. Agunt porrò de Benedictionibus vel quæ in nocturnis dantur vigilijs, vel quæ exeuntibus monasterio, aut redeuntibus impenduntur. Pro prioribus ita arguunt: S. BENEDICTVS in Regulâ capite 9. & 11. præscribit, vt dictis psalmis cum suis antiphonis & versu *Benedicat Abbas*, antequam legantur lectiones. Sed has benedictiones non potest dare sacerdotij expers: nam in Iure Canonico lib. 1. Decretalium tit. 24. Capitulo *Officium*, nominantur *benedictiones presbyterales*, quas Glossa ibidem dicit esse quæ dantur in *Matutinis quando debent legi lectiones.* Ex quo vt Dialogista ait, Ostiensis in Sũmâ, & Antonius de Butrio inferunt: *presbyteri ergo illas dant.* Ergo de necessitate S. BENEDICTVS presbyter erat. Conceditur id Diaconis in Absentiâ Sacerdotis. Vide etiã cap. *Ecce* 95. cap. *Perlectis* 25. cap. *Abbates* lib. 6. Decretalium, vbi de benedictione habetur: Quod ante tempora S. BENEDICTI Sacerdotibus benedictio competeret, probat textus in Capitulum denique 21. Ita hæc scriptor Dialogi. Jn postremo autem illo capitulo *Denique*, quod est Nicolai Papæ, & maximè ad rem facere videtur, ita dicitur: *In Romanâ Ecclesiâ, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, impratermissa consuetudo seruatur, vt nullus sacerdos maiore suo non innuente consacerdote cuilibet rei benedictionem dare nitatur: sed anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed et quilibet inferior non audet penitus benedicere.* Addit porrò Yepez Turrecrematam in cap. 9. Regulæ, vbi ait ab Abbate, vel presbytero in eius absentia, benedictionem, tanquam legendi licentiam, postulari.

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

Solutio. Verùm ex his non satis efficaciter presbyteratus S. BENEDICTI conuincitur: nam vt primùm respondeamus citatis textibus, in Capitulo *Officium* aliud nihil dicitur, quàm ad Archipresbyterum de vrbe spectare, *quando præsul defuerit, vice eius officium inchoare, benedictiones presbyterales in Ecclesiâ dare, Missam, quando voluerit, cantare, vel cui de Sacerdotibus iusserit.* Vbi euidés est agi de Ecclesia Cathedrali, vbi plures sunt sacerdotes, & reliqui ferè omnes clerici. Aliud autẽ est agere de Oratorio Monachorũ, in quo plerique olim erant laici, & vnus tãtùm aut alter sacerdus. Apud Tabennesies sancti Pachomij, qui suos ad clericatum non promouebat, fortè nullus aliquando fuerit sacerdos. Et tamen, vt ex eius constat regula, diuinum peragebant officium, in quo etiam lectiones legebant, & responsoria, petitâ proculdubio legendi licentiâ. *Benedictionis antiquissima consuetudo.* Vetustum enim esse hunc morem ex sancto Ephrem colligitur, cuius sermonibus aliquando præponitur BENEDIC PATER, quod erat lectoris veniam legendi petentis Et quid quæso vel olim, vel etiamnum in omnibus fit sanctimonialium Cœnobijs? an non in illis sibi inuicem sacræ virgines has benedictiones impendunt? Quid? quod & illi, qui soli per se siue clerici non sacerdotes, siue alij ad hoc quouis nomine obstricti horas persoluunt, etiam dicere teneantur JVBE DOMNE BENEDICERE, & benedictionem pronuntiare, vt ad Leonem Eremitam respondit sanctus Petrus Damiani in libro qui appellatur, DOMINVS VOBISCVM, siue Opusculo vndecimo. Verùm quidquid hic superesse potest scrupuli, iam olim illud ab Aquisgranensi Synodo exemptum est. Ita enim num. 62. statuit: *vt Abbates, Præpositus vel Decanus, quamuis Presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.* Quamuis autem conueniens sit, vt vbi sacerdotum est copia, prout posterioribus sæculis in ordine nostro obtinuit, ibi benedictiones hæ à presbyteris dicantur, non tamen ita ordini eorum annexæ sunt, vt illicitè à non initiatis proferantur;

aut

Disqvisitio de S. Benedicti Sacerdotio

aut illi se sacerdotum officiis temerè ingessisse dici queant. Sed reliquas nunc expendamus auctoritates; quæ quidem vt nobis apparet non admodum stringunt. Nam Capitulum *Ecce* distinct. 95. aliud non dicit, quàm licere presbyteris coram Episcopis prædicare, plebi benedicere, &c.

In Capitulo *Perlectis* 25. dicitur *ad presbyterum pertinere, Sacramentum corporis & sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei.* Quæ quidem nostræ, vt satis patet, non aduersantur sententiæ.

Capitulum *Abbates*, quod est Alexandri IV. ita habet: *Abbates, quos Apostolica sedes in exhibitione benedictionis super populum, speciali priuilegio insigniuit: in ecclesiis, quæ ad eos pertinent pleno iure, quando in eis diuina officia celebrant, possunt post Missarum solennia, ac Vespertinas ac Matutinas laudes benedictionem solennem super populum elargiri.* Quis autem non videat, hîc de solenni, & velut Pontificali agi benedictione, quæ priuilegio Apostolico Abbatibus communicatur? Nihil autem hîc dicitur de benedictionibus ante lectiones in nocturnis, nec ex hoc loco quidquam contra eas pronunciantes concluditur.

Capitulum, *Denique*, plus roboris videtur habere, viget enim secundum Apostolum ad Hæbræos 7. *Quod minus est à meliore* (siue maiore) *benedicitur*; & quod inferior non audeat benedicere superiori. Id autem contingeret, si Abbate non sacerdote sacerdos aliquis lecturus in vigiliis lectionem, ab eo benedictionem peteret. Sed responderi potest, quamuis sacerdos ordine sit maior aut superior; Abbatem iurisdictione & auctoritate, vt nuper de Archidiaconis dicebamus præcedere. Et verò in monasteriis, vbi solus Abbas erat sacerdos (vt olim fuisse Bellarminus suprà dicebat) à minori benedictionem petere cogebatur, si quando, vt fieri mos est, vltimam recitaret lectionem. Nam vt bene ait Gauantus, commentario in Rubricas Breuiarij Sect. 5. cap. 11. num. 4. *Ad vltimam lectionem, quam superior legit, debet dicere, quicumque ille sit Episcopo inferior,* Ivbe Domne *non* Domine, *cui secundus in choro respondere debet benedictionis congrua verba.* At non rarò accidere poterat præsertim tempore S. Benedicti, vt secundus hic sacerdos non esset. Cùm enim duodecim tantùm sub vno Abbate essent monachi, forrassis vnus tantùm, aut ne vnus quidem erat sacerdos. Et si duo forsitan erant, poterat alterutet, & subinde vterque morbo, vel alia occasione præpeditus choro abesse, vt necessarium fuerit à non presbyteris benedictiones accipere, quas certè nemo in hoc, aut alio casu scribit omittendas. Sed hæc magis etiam locum habebant vbi minor erat congregatio. Concilium siquidem Aquisgranense num. 45. vult in Cellis siue prioratibus sea ad minus habitare monachos. Et Benedictina cap. 25. statuit, vt in Prioratibus vbi fuerint tres vel quatuor, seu plures, horas canonicas simul dicant. Quàm facilè autem potest hic presbyter deficere, aut euenire vt à non presbytero benedictionem petere lector cogatur. Aliam solutionem suppeditat Petrus Boërius Decretorum Doctor in cap. 9. Regulæ scribens, vbi ait: *Non puto valde absurdum, si presbyter Episcopo, Diaconus Abbati, vel presbytero, & Subdiaconus Diacono benedicat: cùm veritate inspectâ minor in hoc casu non benedicat, sed oret benedictionem à Deo impendi, dicens: Benedictione perpetuâ, benedicat nos Pater æternus.* Consentit etiam doctrina S. Petri Damiani, qui citato opusculo vndecimo cap. 2. ita ait: *Lecturus namq; magnæ humilitatis gratiâ non à sacerdote, sed ab eo, cui sacerdos iusserit, se postulat benedici, dicens:* Ivbe Domne benedicere. *Sacerdos autem, vt tantæ humilitatis vicem reddat, non subiecto cuiquam benedicendi delegat officium; non per semetipsum benedictionem dare præsumit, sed potiùs, vt à Deo, qui est super omnia, benedictio prærogetur exposcit.* Sic ille. Turrectemata ait, absente Abbate benedictionem petendam à sacerdote, id non conuincit Abbatem esse sacerdotem. Et vsum credo posterioris æui respexit, quo Abbates erant presbyteri.

Ipse Abbas à non Sacerdote benedictionem petebat.

Minor hîc non benedicere, sed benedictionem à Deo rogat.

Sed iam de aliis quoque agamus ab Abbate exhiberi solitis benedictionibus, de quibus Gratianus 16. quæst. 1. Capit. *Hinc est etiam* §. *Superiori auctoritato*, ait: *Superiori auctoritate non prohibentur Abbates sacerdotes fieri; cum B.* Benedictvs *iubeat Abbatem fratribus egredientibus, & regredientibus benedictionem dare: quod non nisi sacerdotum est. Lectionem quoque Euangelij similiter Abbati ad legendum tribuit; quam subsequenti oratione legere, similiter sacerdotalis officij est.* Hic verò exultat, aliisque insultat Dialogista, quem suis verbis loquentem audi: *Dico hic esse textum ponentem securim ad radicem dubij, & adeò meam sententiam stringit ille textus, vt igni comparari possit, qui sua virtute omnes festucas in fauillas reducit. Nam cùm ibi Gratianus S.* Benedictvm *alleget, innuit subtiliter intuentibus quod intentionis fuerit S.* Benedicti, *quòd Abbates debeant esse sacerdotes. Cùm insuper dicat quod illa duo facere non sit nisi sacerdotum, ostendit clarè quòd S.* Benedictvs, *qui illa faciebat, erat sacerdos. Et quod non sacerdos illa non potuisset facere. Demùm in illis etiam verbis, quod non nisi sacerdotum est, ostendit, quòd nec Diaconus, nec quilibet alius minor Sacerdote illa facere possit, aut potuisset.* Sic ille.

Verùm non admodum vereor, vt hac securi concidat arbor: nec difficile erit tantillum aquę reperire, quo ignis hic restinguatur. Gratiani quidem verba sensumque percipimus, at bonâ illius gratiâ dixerim, auctoritati nos eius adeò non esse obnoxios, vt ab ea recedere nefas putemus. Plures enim ioco errores S. Antoninus 4. parte Summæ Theol. Tit. 11. cap. 8. §. 3. Baronius, Bellarminus, Possevinus aliique notarunt. Neque video, aut ab aliquo annotatum inueni, cur exeuntium & redeuntium benedictiones à solis sacerdotibus debeant recitari. Hæ siquidem monasticæ obseruantiæ, vti & benedictiones ministrorū & lectorum mensæ nullā cum sacerdotali ordine habet connexionem, nec ab eo depēdent. Paternas potiùs has dixerim benedictiones, quibus abeuntes vel redeuntes prosequuntur filios. Nimirum sic senior Tobias iuniori & Angelo Raphaëli, quem hominem existimabat, benedixit, dicens: *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.* Quòd si omnes, quæ in Regulâ habentur benedictiones, non nisi à presbyteris debeant conferri, iam seniores omnes etiam S. Benedicti tempore debuerint esse Sacerdotes vt seruari possit quod cap. 63. scribitur: *Vbicumque autem sibi obuiant fratres, iunior à Priore benedictionem petat.* Quinimò & portarium sacerdotem esse oportebit, cui scilicet præscribitur, *vt cùm aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit,* Deo gratias, *respondeat, aut benedicat.*

Benedictiones exeuntibus dari solita, non sunt necessariò Sacerdotales.

Tobiæ 5.

Sed iam ante me Dominus Columbanus Vtanca in Manuscripto commentario ad cap. 60. Regulæ annotauit, debile esse argumentum, quo Gratianus colligit Abbates debere esse sacerdotes, quia ingredientibus & egredientibus monachis oporteat eos benedicere, quod non solius esse sacerdotis, sed etiam superiorum omnium & sanctitatis æstimationem habentium, patet ex Ecclesiasticâ historiâ & vitis Patrum. Scribit enim Nicephorus Eudo-

xiam

xiam benedictionem accepisse ab Anachoretis opinione sanctitatis claris, qui, Longi, dicebantur. Et Hilarionem benedictionem dedisse, testatur D. Hieron. Et Cassianus idem testatur lib. 5. cap. 30. vbi quidam Pater à sæcularibus coactus fuisse dicitur ad benedicendum; quod S. Antonio eiusque similibus sæpius quoque contigisse dubium non est, qui sacerdotes tamen non erant. Sic ille. Quibus adde, aduentantes monachos ab hospite excipiente benedictionem petere solitos. Ita S. Onuphrius veniens ad speluncam cuiusdam Eremitæ, de seipso ait: *Secundum consuetudinem monachorum clamare cœpi, & benedictionem humillimè petij.* Similiter in vitâ Mariæ Ægyptiacæ cap. 9. Sosimas presbyter *in terra prostratus, poscebat benedictionem secundum morem accipere. Prostrauit autem se & ipsa, & vterque iacebant in terra, vnus ex alio benedictionem poscens*, quam Maria adiurata, licet non ignoraret Sosimam esse sacerdotem, prior impendit. Et plura alibi occurrunt exempla quibus probetur apud Monachos fuisse frequentissimum, vt non sacerdotes impertirentur benedictionem. Quòd si non vsque adeò reiicienda, vel eleuanda cuiquam videatur Gratiani auctoritas, dicemus eum sui temporis, quo Ordo noster sacerdotibus abundabat, expressisse morem: & ex eo ad præcedentia tempora argumentum produxisse. Neque tamen adeò generale est, has benedictiones à solis dari Abbatibus, quas Bursfeldenses in suo Ceremoniali distinct. 2. cap. 2. iniungunt Priori. Obseruo quoque vsum Cisterciensem cap. 111. annotare, *quòd si Prior sacerdos non fuerit, sed tantùm Diaconus, liceat ei benedictionem dare lectori in capitulo, in refectorio, ad collationem, quod in Ecclesia facere non debet.*

Benedicere omnibus Superioribus, atque opinione Sanctis communis.

Maria Ægyptiaca benedicit Sosima Sacerdoti.

Quod autem Gratianus dicat, *lectionem Euangelij cum subsequente oratione dicere, sacerdotalis esse officij*, mirum profectò est: cùm ipsemet 25. Capitulo *Perlectis*, ex Isidoro scripserit, ad Diaconum pertinere, *prædicare Euangelium & Apostolum. Nam sicut lectoribus vetus testamentum, ita Diaconis nouum prædicare præceptum.* Et notissimum omnino est, in publico Missæ sacrificio Diaconos solenniter Euangelium decantare. Et cur quæso id non liceat Diacono Abbati in vigiliis nocturnis? De Priore tantum Diacono, citato loco vsus Cisterciensis ait: *Liceat ei etiam in ecclesiâ* PATER NOSTER *dicere*, TE DEVM LAVDAMVS *incipere, & lectionem de Euangelio dicere.* Smaragdus quidem Abbas ad 11. Reg. cap. negat *Abbates, qui nec Sacerdotis nec Leuitæ funguntur ministerio Euangelium legere posse*: Bohetius ibidem ait, lectionem Euangelij quæ fit in vigiliis non tantùm ab Ordinario sed & à muliere posse dici. Quod etiam confirmat Glossa in Capit. *Sanctimoniales* 20. q. 1. vbi ait Diaconissas habere *ministerium Euangelium in matutinas lectionibus nuntiandi.* Et in Capitulum *Noua* lib. 5. Decretal. tit. 38. ait Abbatissas fortè in matutinis potuisse legere Euangelium. Et cur illud non licuerit Monachis aut Abbatibus sacerdotio non initiatis?

Ex his ergo benedictionibus non satis efficaciter S. BENEDICTI sacerdotium astruitur.

§. XII.

Ex loco Sacerdoti Nouitio assignato, non colligi S. BENEDICTVM *fuisse Sacerdotem.*

QVartum argumentum deduci potest à loco qui Sacerdoti ad Monasticen se conuertenti decernitur. De quo Regulæ capite 60. ita S. BENEDICTVS: *Si quis de ordine Sacerdotum in monasterio se suscipi rogauerit, non quidem ei citiùs assentiatur: tamen si omnino persteterit in hac petitione, sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum:* & mox: *Concedatur ei tamen post Abbatem stare & benedicere, aut Missas tenere, si tamen iusserit ei Abbas.* Ex quo loco colligunt: Ergo Abbas, qui hunc Sacerdotem præcedit; etiam debet esse Sacerdos; aliàs enim postponendus esset Sacerdoti, vtpote in maiori ordine constituto.

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

Ad hanc obiectionem ita breuiter responderi potest: Abbatem quidem sacerdotio non initiatum ordine esse presbytero minorem; maiorem tamen (vt iam aliàs diximus) auctoritate & Iurisdictione. Quàm autem indecens foret, vt qui ex humilitate monasticæ se consecrat vitæ, statim suo præponeretur superiori, qui humilitatis studio sacerdotij dignitatem declinasset? vt omittam hoc vniuerso gregi pro Prælati sui honore zeloso ingratum futurum. Quamobrem velut certum existimo, quoscumque presbyteros qui monasticen postea sunt amplexi, semper Abbatibus quantumuis hoc ordine non insignitis; fuisse postpositos, & hoc ipsos vel maximè expetiisse. Scio equidem in vitâ S. Pachomij apud Metaphrasten cap. 23. ita scriptum. *Si quando contigisset aliquem clericum ad ipsum venire, qui cum eo esse volebat, propter dignitatem quidem, ex regulâ ecclesiasticâ, ei subiiciebatur Pachomius: Ille verò cum rursus ex Regulis exercitationis fratrum fuisset imitator, se sua sponte supra modum studebat demittere, humilemq; reddere.* Ex quo colligas Pachomium clericis sibi alioqui subditis vltro se subdidisse. Quod cum S. BENEDICTVS non ignoraret, qui nimirum gesta eius in vitis Patrum legerat, hinc suspicari licet eum id tacitè veluti correxisse, & ordinasse, vt si quis de ordine sacerdotum conuerteretur, staret post Abbatem; siue hic sacerdos esset, vel non; idque propter regimen vel iurisdictionem, quam in subiectos sibi obtinet Abbas.

Presbyteri religionem ingredientes Abbatibus postponebantur.

Sed dices, si, vt Regula vult, concedatur ei post Abbatem stare. Ergo saltem præcedet alios, si qui in monasterio fuerint Sacerdotes, quod etiam videtur absonum. Respondetur, vtcumque res ista se habeat, ex ea non concludi qualitatem sacerdotij in Abbate: exponenda tamen hoc loco videtur S. BENEDICTI intentio, quam aliam non fuisse putamus quam vt sacerdos ad conuersionem veniens cum altari assistit, aut sacris est indutus vestibus, post Abbatem ante alios locum obtineat, eodem omnino modo quo iam professi sacerdotes (vt mox latiùs videbimus) ex ipsâ Regulæ ordinatione: altiori non collocantur loco nisi in simili casu. Neque enim probare possumus opinionem Antonij Perez discrimen ponentis inter eum qui iam sacerdos ad nouitiatum admittitur, & Monachum qui de consensu Abbatis sacerdos creatus fuerit: hunc enim censet ex mente S. BENEDICTI altiorem non debere occupare locum, perinde ac si sacris initiatus non fuisset, nisi de Congregationis consensu & arbitrio Abbatis ob vitæ merita promoueatur, quasi qui sacerdotio est dignus altiori non sit dignus loco: illi verò Nouitio putat statim concedendum primum post Abbatem locum, cuius differentiæ hanc assignat causam: ne fortè intuitu altioris loci monachi sacerdotium ambirent quod tamen inconueniens non tenet in illis qui

DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

priùs sacerdotes quàm monachi fuerunt. Sed hanc distinctionem, vt dixi, non puto probandam, quia S. BENEDICTVS sacerdoti Nouitio nihil præ aliis, non dico sacerdotibus, sed monachis voluit indulgeri. Vnde ait: *Sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum.* Ergò etiam illud quod cap. 62. præscribitur de sacerdotibus Monasterij: deinde, ait: *Nec aliquid ei relaxabitur*, de consuetis scilicet probationibus: *Probabitur enim* (vt post Bernardum Cassinensem ait Turrecremata) *per omnes gradus sicut Laicus, qui gradus sunt tres quibus probari debent si recipi petunt. Vnus ad portam monasterij per quatuor vel quinque dies. Deinde secundus in hospitio duobus mensibus. Tertius in cellâ Nouitiorum per decem menses: & ita annus erit probationis sicut & aliis Nouitiis.* Ita ille. Ex quo sequitur sacerdotem Nouitium non constituendum post Abbatem ante factam professionem, postquam primo coniungitur corpori congregationis, nisi fortè ob paucitatem presbyterorum aliquando eis iniungeretur Missarum celebratio & tunc etiam altior locus simul concederetur pro isto dumtaxat tempore. Expressè enim S. Pater ait: *concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere aut missas tenere, si tamen iusserit ei Abbas, sin aliàs nullatenus aliqua præsumat.* Videlicet de tribus prædictis, ait Bernardus Cassinensis. In his ergo iussio Abbatis præcipuè attenditur: vt satis appareat non voluisse S. BENEDICTVM hoc esse de communi iure, sed de particulari Abbatis præcepto. Peculiaris autem ratio est cur S. BENEDICTVS dixerit: *concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, aut missas tenere*, quia præsumi fortè posset, eos qui ex presbyteratu conuersationis gratiâ Monachatum suscipiebant, aut non debere, aut non velle celebrare, ne relictum officium repetere viderentur. Olim enim quidam Monachi iam sacerdotio iniuncti à sacrificio præ humilitate abstinebant. Tales fuisse S. Hieronymum & Vincentium, testis est Epiphanius Epist. 60. inter S. Hieronymi.

Probam autem esse hanc expositionem, nec voluisse S. Legislatorem vt talis sacerdos absolutè & in omnibus actibus stabilem post Abbatem obtineret locum ex eo colligi potest, quod de hac stabili promotione mox subdat: *Si fortè ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in monasterio* (exaltatus vt Smaragdus & alij supplent) *illum locum attendat quando ingressus est monasterium, non illum qui ei pro reuerentia sacerdotij concessus est.* Quod magis etiam confirmatur ex eo quod cap. 61. rursus agens de promotione illius qui ante Monachatum presbyter fuerat, ita statuat: *Non solùm autem Monachum, sed etiam de supradictis gradibus sacerdotum vel clericorum stabilire potest Abbas in maiori quàm ingrediuntur loco, si eius talem prospexerit esse vitam.* In quibus verbis tria breuiter notanda. Primum, non discerni hîc vt tales sacerdotes ante alios omnes & immediatè post Abbatem collocentur, *sed*, vt S. Pater ait, *superiore aliquantulum loco.* Secundum, quod non statim de iure hunc habeant locum, sed tantùm ex concessione Abbatis, cui non præcipitur vt hoc faciat, sed facultas conceditur vt hoc ei liceat, & facere possit. Tertium, quod, vt hoc fiat, requirit vitæ meritum. Vnde Smaragdus: *nec ideò*, inquit, *isti sunt exaltandi, quia sunt sacerdotes vel clerici ordinati: sed quia sunt vitæ merito probati, & in conuersatione sancta cæteris sanctiores viuunt.* Et Bernardus Cassinensis: *Vita enim hîc inspici debet, non sacerdotium vel scientiæ magnitudo.* Et hæc quidem de Nouitio sacerdote paulò fusius prosecuti sumus vt planius plenìusque constaret quàm parum hinc colligi possit Abbatem debuisse esse presbyterum.

Similis omnino difficultas moueri potest de Sacerdotibus monasterij: Nam vt hi ipsum præcedant Abbatem, subditi scilicet superiorem, oues pastorem, filij Patrem, videtur inconueniens. Sin autem Abbas præcedat Sacerdotes aget contra dispositionem Iuris communis: Quod non est præsumendum S. P. BENEDICTVM vllatenus voluisse: ac proinde Abbas ex eius mente Sacerdos esse debeat, ipseque etiam fuerit.

De dispositione autem Iuris constat ex Capitulo *Nonnulli*, distinct. 94. ex Concilio Toletano 4. cap. 38. in quo reprehenduntur Diaconi in tantam erumpentes *superbiam, vt sese presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi Priores stare præsumant, Presbyteris in secundo choro constitutis.* Et in 6. Synodo Canone 7. legitur: *præcipimus ne Diaconus (quamuis etiam in dignitate, hoc est, in officio quolibet Ecclesiastico sit) ante Presbyterum sedeat: nisi cùm locum habuerit proprij Patriarchæ, aut Metropolitani sui pro aliquo capitulo.* Et extra, de maioritate & obedientia, capitulo *Statuimus*, Gregorius IX. decreuit: *Vt Presbyteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium, & sic de reliquis obtineant ordinatim, etiamsi posterius admittantur. Et qui maior est ordine: etiamsi postea sit receptus, & in portione percipienda potiorem esse volumus, ac maiora facere officia consulta.*

Respondet Petrus Boërius ad Cap. Regulæ 62. iura ista loqui secundum communem & sæcularem rationem, in quâ attenditur dignitas, nobilitas, & Ordo sacerdotalis. Sed in Religione, inquit, monastica, debent cessare omnia ista. In ea enim magis attenditur tempus factæ conuersionis, quàm tempus Ordinis, vel alterius dignitatis. Vnde S. BENEDICTVS ait cap. 63. *Ordines suos in monasterio ita conseruent, vt conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit, vtque Abbas constituerit.* Et cap. 2. Abbati præscripsit: *Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat.* Vbi rursus Boërius: Mirabilis enim est æqualitas Regularis, in quâ nullum præfert nobilitas, vt hîc dicitur, nullum sacer Ordo, vt cap. 62. *locum verò illum semper attendat, quo ingressus est monasterium, præter officium altaris.* Nullum ætas vel dignitas, sicut cap. 63. *In omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet.* Quod autem S. Pater ait: *Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est monasterium præter officium altaris.* Id Smaragdus hoc modo interpretatur: *Locum suum in omnibus regulariter obseruans custodiat, & sic accedat ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum, & in omnibus omnino locis, præter officium altaris, id est, quando altario ministrat. Altario enim ministrans primus stat, & primus pro omnibus orat, etiamsi vltimus inueniatur in ordine.* Sic ille. Et Turrecremata: *Videtur ex hoc loco quod intentio S. BENEDICTI est quòd Sacerdos non debeat superior sedere seniore suo acolyto, præterquam quando exercet officium altaris.* Quod etiam ex sequentibus Legislatoris nostri colligitur verbis, quibus significat quando alicui altior locus stabiliter sit concedendus. Nimirum cum *fortè electio Congregationis & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit.* Vbi vides non sacerdotali gradui, sed vitæ merito superiorem assignari locum. Aliàs verò Sacerdotes ex mente S. BENEDICTI professionis locum & ordinem seruare oportebat. Quo minus mirandum, si dicamus Sacerdotes stetisse post Abbatem eo ordine carentem, illi enim propter aucto-

auctoritatem primus semper tribuebatur locus: Et ita Simplicium Sacerdotem S. Mauro Leuitæ, non solùm subditum, sed & loco cessisse credo. Quid, quòd & Episcopi qui desertâ cathedrâ ad monasticam se demiserunt humilitatem Abbatibus se postponere soliti sint. In exemplum sit S. Lambertus, qui in exilium pulsus in Stabulensi cœnobio sanctissimè degebat, magnâ, vt vitæ auctor apud Surium 17. Septemb. ait, erga Prælatos humilitate. Erat ille inter fratres *Ordine extremus, at sanctitate primus: vltimus numero, præcipuus pietatis & deuotionis studio.* Quem etiam in communi cum fratribus quieuisse dormitorio constat, & propter excitatum lapsu calcei strepitum duram ex Abbatis mandato subiisse pœnitentiam, ibidem refertur; quamuis Abbas primùm ignoraret se Sancto Episcopo hanc mulctam irrogasse. Facilè tamen apparet eum vti superiorem cum S. Lamberto egisse, nam volens eum reuocare ad astantes dicebat: *ite Fratres rogate obnixè patrem nostrum, vt ad nos quamprimum se recipiat, illi verò Abbatis iussu sic ei dicebant: Dulcissime Pater, orat & obsecrat Abbas, vt ad fratres ocyùs accedas.*

Episcopi Abbatibus in monasterio se postposuerunt S. Lambertus,

Hugo quoque Gratianopolitanus Episcopus & in hoc genere excelluit; nam dum in Carthusiâ moraretur, S. Brunoni conquestus est Prior, *quod Episcopus non secum saltem vt socius, sed potiùs conuersaretur vt famulus, & penè omnia ad humilitatem spectantia intra cellam sibi praeriperet officia.* Sanctus quoque Adalbertus secundus Pragensis Episcopus monastico accepto habitu *sub Abbate Regulâ duce militauit, pedem iunxit obedientiæ imperio, & tanquam ad epulas, ita ad complenda iussa festinus. Obliuiscebatur seipsum, factus paruulus in medio fratrum, coquinas purgat, hebdomadas auidissimè procurat, scutellas lauat, & ad coquorum necessaria cuncta cursu peruolat, manibus fratrum aquam de puteo ministrat, manè ad claustra, vespere & meridie ad mensam aquas humero apportat. Talem obedientiam de Abbate rogans accepit. Cogitationes tacitas statim senioribus palam fecit. Cùm Abbas vehementissimè eum increparet, occurrit benigna patientia, & semper flexa humiliatione. Erat latus ad omne iniunctum opus, non solùm maioribus, sed etiam minoribus obedire paratus.* Ex quibus colligas virum sanctum etsi Episcopum non præcessisse, sed prorsus subiectum fuisse Abbati. Et cur id non credamus fecisse alios monachos Sacerdotes? aut hoc Abbates non permisisse, qui in Pontificali culmine hanc sui demissionem tolerabant?

Hugo Gratianopol.

Sur. in Vitâ 1. April.

S. Adelbertus.

Sur. in vitâ 23. April.

§. XIII.

Expenditur argumentum à Sancti BENEDICTI *prædicatione desumptum.*

QVæ hactenus attulimus argumenta, ex ipso Regulæ textu educta sunt, & cuiusuis Abbatis sacerdotio confirmando possunt subseruire. Nunc autem peculiaria quædam, & S. BENEDICTO propria ex vitæ historiâ producemus, quæ eiusdem presbyterium magis videntur asserere.

Quintum igitur argumentum ab eiusdem desumitur prædicatione: *Nam vir Dei ad Casinum montem perueniens, contriuit* (vt narrat Gregorius cap. 8.) *Apollinis Idolum, subuertit aram, succendit lucos, in quibus eo tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat.* Vis alterum huius rei testimonium? audi eumdem Pontificem cap. 19. loquentem: *Non longè autem à monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu,* BENEDICTI *fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoque quædam sanctimoniales feminæ inerant: & crebrò illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat.* Hoc autem nisi sacerdotio initiatus licitè præstare non poterat. Leo etenim Papa epist. 61. aliàs 63. & habetur 16. quæst. 1. capitulo 19. decreuit: *Adiicimus illud etiam, quod nobis propter improbitatem quorumdam monachorum religionis vestræ, verbo mandastis per vicarios nostros; & hoc specialiter statuentes, vt præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare siue Monachus, siue laicus ille sit, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur.*

DISQVISITIO DE S. BENEDICTI SACERDOTIO.

Sed respondere licet S. BENEDICTVM vti diuino monitu & peculiari Dei instinctu (quod suo loco in Commentario huius vitæ probabimus) Cassinum montem accessit, ita quoque S. Spiritus inspiratione prædicandi munus suscepisse, & vigentem adhuc idolorum cultum exstirpasse; quamuis Sacerdos ordinatus, aut ab aliquo Episcopo ad hoc missus non esset. Nimirum ita S. Franciscus presbyteratus honore non sublimatus, in Syriam profectus, vt Christi fidem, & pœnitentiam Saracenis, & aliis infidelibus prædicaret: rogatus à Soldano ad quid, & qualiter missus esset, & quomodo aduenisset; intrepidè respondit; *non ab homine, sed à Deo altissimo se fuisse transmissum: vt ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Euangelium veritatis.* Eodem autem modo missum fuisse S. BENEDICTVM Doctor Angelicus Opusculo 15. vel vt alij 19. contra impugnantes religionem cap. 4. tradit. *Diuino iudicio*, inquit, *aliqui religiosi sunt reputati idonei, vt eis immediatè à Deo prædicationis committeretur officium, sicut de Equitio monacho beatus Gregorius narrat in Dialogo, & etiam de beato* BENEDICTO. Præcesserat Gratianus, à quo hæc haurire potuit, qui 16. quæst. 1. Capitulo *Generaliter sancimus*, ait: *Ostendit ergo Hieronymus, quod simpliciter monachus nihil liceat agere sine consilio presbyterorum. Nec officium docendi sibi assumere liceat auctoritate clericorum, nisi fortè sint diuinâ gratiâ intus commoniti: sicut beatus Gregorius refert in Dialogo de beato* BENEDICTO: *qui homines montis Casini ad fidem adduxit, & aram Apollinis, quæ erat ibi erecta subuertit: Et de quodam Equitio, cui Angelus in somnis apparuit, & eum ad prædicandum misit.* Sic ille. Ex quo capite, inquit Prosper Stellartius in fundaminibus & Regulis omnium Ordinum cap. 31. *satis innuitur beatum* BENEDICTVM, *non fuisse Sacerdotem aut presbyterum. Sententiam Gratiani sequitur Petrus Blesensis*, &c. nimirum quia iungit S. Equitio, quem constat Sacerdotem non fuisse, S. BENEDICTVM; videri inde possit & hic eam dignitatem non consecutus. Sed ad hunc locum Dialogista respondet, excusari à Gratiano S. BENEDICTVM, quòd euangelizauerit, non quia non esset Sacerdos, sed quia, cùm esset monachus, & monachorum Pater, de sæcularibus non debebat gerere curam: sed clericis eam sæcularibus relinquere, quia officium prædicandi sine licentia clericorum in alieno grege non debebat assumere iuxta textum in Capitulo *Iuxta Chalcedonensis* 16. q. 1.

Responsio.

Diuino instinctu prædicat.

Quæ quidem proba omnino esset responsio, si aliunde satis constaret S. BANEDICTVM non fuisse Sacerdotem: id verò cùm hactenus maneat ambiguum, nihil cogit Gratiani verba sic interpretari. Si autem dicamus, indicasse ipsum nec S. BENEDICTVM fuisse presbyterum, exemplorum constabit æqualitas, & in vtroque docemus tam ordinem, quàm Iurisdictionem diuinâ

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

auctoritate suppletam. Verùm quia hoc non vsquequaque certum est, hinc nolui Gratianum inter eos annumerare testes, qui S. BENEDICTO sacerdotium denegant: quod tamen Stellartium fecisse iam vidimus.

Alia responsio.

Sed & alia respondendi occurrit ratio: si nimirum propter tantam nubem testium, quos suprà adduximus, admittamus S. Patrem Presbyteratus gratiâ non fuisse decoratum: & tamen (quod alij non negant) Leuiticus illi tribuatur gradus; sic enim & prædicatio eius, de qua agimus, & alia pleraque saluari poterunt.

Diaconis prædicare licitum.

Diacono enim prædicandi munus committi posse satis est manifestum. Nam in Actis Apostolorum cap. 7. concionatus est Stephanus, cap. 8. v. 5. Philippus. Diaconus *descendens in ciuitatem Samariæ prædicabat illis Christum.* Et Augustinus scribit Serm. 2. de S. Vincentio. *Semen Apostolicæ prædicationis per eum pluribus disseminatum.* Et Juannes Diaconus, lib. 1. de vitâ S. Gregorij cap. 41. refert ipsum Gregorium Leuitam verbum ad plebem habuisse. Sanctus quoque Adalbertus Leuita, & comes peregrinationis S. Willibrordi, quaqoaversum proficiscens, lucrandis animabus operam nauabat, & multos paganorum conuertit; vt videre est in vitâ apud Sur. 25. Junij. S. quoque Magnoaldus qui & Magnus dicitur, S. Galli discipulus & Diaconus, plurimos ad fidem conuertit; quos Zozzo presbyter baptizabat, vt habet vita edita in Appendice ad vitas Patrum occidentis. Sed pluribus opus non est testimoniis, cùm in Capitulo *Perlectis* 25. ex Jsidoro Hispalensi dicatur, *ad Diaconum pertinere nouum prædicare præceptum, sicut Lectoribus competit vetus Testamentum.* Jdipsum quoque in modo quo Diaconi gestant stolam fuit expressum. Vnde Conc. Toletanum 4. can. 39. *Vnum orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, vt expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat.* Et Braccarense 1. can. 27. *Placuit quia aliquanti huius prouinciæ Ecclesiæ Diaconi absconsis infra tunicam vtuntur orariis, ita vt nihil differre à subdiacono videantur, vt de cætero superposito scapulæ (sicut decet) vtantur orario.* Moris huius obseruans fuit S. Maurus, qui stolam cum qua ordinatus ad ministerium fuerat leuiticum, *iuxta morem* (vt habet Faustus in vitâ) *gratia sanctitatis primo indesinenter ferebat anno; quam de sanctissimo collo suo protulit eaq; claudum mutumq; puerum sanitati restituit.* Proinde si Diaconatus S. concedatur BENEDICTO nullus in prædicatione eius restabit scrupulus. Missio enim, vt diximus, diuino instinctu supplera fuit. Quin & citra Diaconatus gradum, ex solâ Dei iussione licita ei erat prædicatio, sicut S. Antonio, Symeoni Stylitæ, Aphraati apud Theodoretum, & S. Equitio hoc potissimùm nomine ea concessa fuit.

Cur Diaconi stolam gestent humero sinistro.

Cur S. Benedicto prædicanti nulla facta oppositio.

Videntur autem diuinam hanc in S. BENEDICTO euangelizandi auctoritatem omnes vel ex sequentibus signis, vel ex tanti viri sanctitate agnouisse. Nullam enim ei, vt S. Equitio legimus factam oppositionem, aut motam controuersiam. Quod & inde forsitan accidit, quòd cùm Diocesis Cassinensis esset neglecta, & S. Patriarcha fines eius fortassis non egrederetur, hinc vicini Episcopi ei prædicationem impedire noluerint: vel si eorumdem quandoque ingrederetur territoria, ratum omnino gratumque id habuerint; quòd non obscurè animaduerterent manum Domini esse cum illo. Sic enim cùm Apostolus Joannes Christo Sal-

Luc. 9.

uatori diceret: *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Et optimè in hanc sententiam dixit Gregorius lib. 22. Moralium cap. 16. *Ty etenim pastoris mens, quia non propriam gloriam, sed Auctoris sui quærit, ab omnibus vult iuuari. Fidelis namque prædicator optat, vt si fieri valeat, veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.*

§. XIV.

Ex Sacrosanctæ Eucharistiæ contactu non satis probari S. BENEDICTI *presbyteratum.*

6. Argumentum pro Sacerdotio S. Benedicti.

SExtum argumentum desumitur ex sacrosanctæ Eucharistiæ contactu. Nam vt S. Gregorius cap. 24. refert, *quidam puerulus eius Monachus cùm parentes suos sine benedictione adiisset, mox vt ad eos peruenit, defunctus est.* Cumque esset sepultus, die altero & tertio è terra cadauer proiectũ inuentum est. *Tunc cõcitè ad Benedicti patris vestigia currentes, cum magno fletu petierant, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu suâ protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite, & sic sepultura eum tradite.* Hoc autem laicis minimè concessum est, cùm Pelagius Papa, qui S. BENEDICTI æuo vixit, suo hoc decreto inhibuerit, ac proinde S. BENEDICTVS hoc nequaquam facere præsumpsisset, nisi sacerdotio fuisset initiatus.

Responderi posset hunc Dominici corporis contactum satis saluari, si supponamus Diaconum fuisse. Nam S. Iustinus in apologiâ extremâ, ait Diaconos deferre solitos Eucharistiam ad absentes. Et in Concilio Nicæno canone 16. apod Turrianum, prohibetur Diaconis, *ministrare sacramentum Communionis Sacerdoti.* Vnde colligunt licitè ab eis in absentiâ presbyterorum præberi laicis. Vt expressit Gelasius I. Epistola 9. ad Episcopos Lucaniæ, Brutiorum & Siciliæ, cap. 10. dicens: *Sacri corporis prærogationem, sub conspectu Pontificis, seu presbyteri, nisi his absentibus, ius non habeant exercendi.* Concilium tamen Carthaginiense IV. ca. 38. & citat Gratianos dist. 93. c. *Diaconus,* permittit vt *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget.*

Solutio.

Verumtamen quia hic S. BENEDICTI Diaconatus, perinde atque sacerdotium eius, in dubium reuocari potest: aliâ viâ hic nodus soluendus. Nimirum priscum Ecclesiæ vsum olim obtinuisse, vt Eucharistia viris, cùm ad communionem accedebant, in manibus poneretur. Testis sextâ Synodus Canone 101. *Si quis voluerit Synaxis tempore communicari purissimo Christi corpori, manus in crucis formam figurans, sic adeat & suscipiat gratiæ communionem. Eos enim qui pro manu vascula quædam aurea, vel ex aliâ materiâ construunt ad susceptionem diuini doni, & per illa immaculatam communionem volunt, nullo modo admittimus, vt qui præferant materiem manem, homini, Dei imagini.* Sic Dionysius Alexandrinus epist. 5. ad Xystum Romanum, (vt refert Nicephorus lib. 6. Histor. Eccles. cap. 9.) cuidam quod ab hæreticis esset baptizatus, ideoque vt rebaptizaretur roganti, inter cætera respondit: sufficere ei debere quod *mensæ assistens manus ad exceptionem sancti alimenti porrexerit, & id susceperit, corporisq; & sanguinis Domini nostri Iesu satis longo tempore particeps fuerit.* Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxâ cap. 14. *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusq; in crucis formam compositis, crucifixi*

Antiquus communicandi modus.

crucifixi corpus suscipiamus. Sed ritum hunc expressissimè docet S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica. *Accedens ad sacram communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subiiciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen.*

Ex quibus facile videre est, SS. Eucharistiæ contactum etiam non Sacerdotibus tempore S. BENEDICTI licitum fuisse, cùm sexta Synodus in Trullo habitâ, & Damascenus S. BENEDICTO posterior sit. Nec tantùm à presbyteris oblatam manu accipiebant, verùm etiam sibimet sacram communionem administrabant. Hinc Basilius apud Anastasium Nicænum quæst. 7. in Scripturam: *Omnes,* inquit, *qui sunt in desertis Monachi, vbi non est Sacerdos, illic habentes communionem ex seipsis eam sumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto vnusquisque ex laicis qui illic degunt, maxima ex parte habet communionem domi suæ.* Sic ille.

Olim laici sibiipsis S. Communionem dabant.

Sed & laicos aliis, Corporis Christi Sacramentum tradidisse legimus. Dionysius enim Alexandrinus Epistolâ ad Fabianum (vt narrat Eusebius Cæsariensis lib. 6. Hist. Eccles. cap. 34.) refert Serapioni cuidam in extremis posito parum Eucharistiæ à presbytero per puerum fuisse transmissum, quod infusum iussit seni præberi. Apud Metaphrasten 10. Nouembris, venator quidam Simeoni Anachoretæ retulit, quemadmodum Theobistæ Lesbiæ sub vitæ finem in pixide sacram Domini carnem attulerit, illaque acceperit. Contigit hæc res sub annum 900. tamdiu hic mos communicandi tenuit. Vsuardus in Martyrologio scribit S. Tharsitium Acolythum & Martyrem inuentum à Paganis Sacramenta corporis Christi portantem. Fateor autem hæc in Oriente accidisse.

Dabant & aliis.

Ne autem quis dicat hunc vsum in Occidente sublatum ante S. BENEDICTI tempora; constat ex Concilio Antisiodorensi tempore Gregorij Magni habito can. 36. prohiberi mulieri *nuda manu Eucharistiam sumere.* Et can. 42. præcipitur, *vt vnaquæque mulier quando communicat dominicalem suum habeat.* (erat autem linteamen quo sacram hostiam excipiebant) Vnde concludas à contrario sensu, viris tunc permissum Eucharistiam manibus accipere. Eodem ergo modo S. BENEDICTVS, si Sacerdos non fuerit, corpus Domini parentibus defuncti religiosi tradiderit.

Occurritur obiectioni. Hic mos tempore S. Benedicti nondum sublatus.

Quod verò spectat prohibitionem Pelagij Papæ, eam inter eius canones non reperi. In Concilio tamen Rhotomagensi can. 2. vt allegatur à Burchardo cap. 76. *Nulli autem laico aut feminæ Eucharistiam in manibus* (presbyter) *ponat, sed tantum in os eius cum his verbis: Corpus Domini & sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum ad vitam æternam.* Sed hoc Concilium non admodum notum est, sed & de quacumque alia, si quæ sit, prohibitione, facilè liceret dicere; eam S. BENEDICTVM latuisse; præualente forsitan vsu illo, quem diximus Orientalis Ecclesiæ, cùm & ignorauerit prohibitum Eucharistiam imponere cadaueri sepeliendo: quod tamen eum fecisse legimus. Et qui quoque parentibus defuncti Monachi licuit sacram hostiam contingere, aut eam à S. BENEDICTO ad imponendum pectori defuncti accipere?

§. XV.

Absolutio ab excommunicatione quæ à S. BENEDICTO dicitur facta, & consequens inde argumentum expenditur.

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

Ex validioribus quæ Dialogista potissimùm vrget argumentis & illud non minimum est quod septimo hîc loco proponimus. Narrat S. Gregorius cap. 23. S. BENEDICTVM duabus sanctimonialibus comminatum, nisi linguam corrigerent, quòd eas excommunicaret. at illæ post mortem clamante Diacono: *Si quis non communicat det locum,* visæ sunt è sepulchris suis progredi, & templo exire. Hoc cum S. Patri indicatum esset, manu suâ protinus oblationem dedit, dicens: *Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt.* Dictum, factum: & communionem à Domino per seruum Domini receperunt. In hac historiâ vrget Dialogista, hanc monialium absolutionem fuisse à peccato, & non ab excommunicatione, quod probari ait ex serie rei gestæ, ex interrogatione Petri, & responsione S. Gregorij.

7. Argumentum pro sacerdotio S. Benedicti.

Ex serie quidem rei gestæ, quæ excommunicatæ sunt propter incontinentiam linguæ, in quâ & mortuæ sunt, ab hoc verò peccato absoluit eas S. BENEDICTVS. Deinde ex Petri interrogatione, qui ait mirum esse *venerabilem & sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.* Hæc autem absolutio fuit respectu peccati, quæ soli sacerdoti competit. Ex responsione Gregorij dicentis: *nunquid in hac carne non erat, qui audiebat: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cælis?* Matth. 16. *Cuius nunc vicem ligando & soluendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent.* Quæ verba ad S. BENEDICTVM de necessitate referenda esse ex eo comprobatur, vt responsio S. Gregorij accommodetur interrogationi Petri: cui aliàs non esset satisfactum. Et cùm dicit: quod vices B. Petri & locum sancti regiminis obtinebat, & ideò ligare & absoluere poterat, certè hoc necessariò concludit B. BENEDICTVM sacerdotaliter insignitum extitisse. Quia vt idem Gregorius de pœnitentia distinct. 1. capite *voluisse*, ait, potestas ligandi & absoluendi animas competit solis presbyteris.

Ad hoc argumentum iam pridem respondit Cardinalis Bellarminus, quem, nobis interim silentibus congruum erit audire. Is igitur lib. 1. de Indulgentiis cap. 14. ait: *Voluit Dominus eo signo demonstrare, quanti facienda sunt admonitiones Sanctorum. Nam S. BENEDICTVS non eas* (moniales) *excommunicauerat, sed solùm excommunicationem minatus fuerat, vt S. Gregorius ibidem dicit. Neque eas propriè per sententiam postea absoluit, sed per intercessionem mittendo oblationem, quæ pro eis Domino offerretur.* Ad verba: *Quæcumque solueris super terram erunt soluta & in cælis,* respondit idem, S. Gregorium argumentum à simili ducere voluisse. *Nam quemadmodum diuina potestate sibi collata possunt Prælati, cùm sint homines in carne mortali degentes, iudicare de rebus spiritualibus: ita potuit S. BENEDICTVS in carne adhuc mortali degens, extraordinario priuilegio sibi collato à Deo ligatas tenere vel soluere animas earum, quibus dum viuerent, excommunicationis sententiam fuerat comminatus.* Sic ille.

Responsio Bellarmini.

Disqvisitio de S. Benedicti Sacerdotio. Obiectio. Sed occurrit Dialogista dicens: Nec dicatur quod miraculosè absque hoc quod esset Sacerdos S. BENEDICTVS potuerit soluere, quia si ista fuisset bona responsio, remisisset eam S. Gregorius Petro dare, sed aliam dedit.

Solutio. Respondemus S. Pontificem hanc ipsam responsionem sufficienter Petro dedisse; cùm eam tali verborum extulit formâ, quæ hanc interpretationem, quam doctissimus expressit Cardinalis, patiatur. Non nostrum est viris sanctissimis præscribere, quibus verbis loquantur: sufficit enim ita nos posse eorum sententiam interpretari, nihil vt inde sequatur inconueniens.

Ad Capitulum autem *Voluisset* vbi dicitur solis Sacerdotibus ligandi soluendique potestas tradita. Alia responsio. Respondetur non esse verba Gregorij, sed Gratiani, & intelligenda sunt de absolutione à peccatis, quæ solis competit presbyteris.

His tandem addere licet, docere communiter Theologos, non posse aliquem post mortem à peccatis absolui, quod tamen persuadere conatur Dialogista; posse tamen ab excommunicatione: adeoque si concederemus moniales has verâ & ecclesiasticâ excommunicatione à S. BENEDICTO fuisse excommunicatas, & post mortem absolutas, non inde tamen eiusdem astrueretur sacerdotium. Nam ecclesiastica excommunicatio inferri & auferri potest à non Sacerdote vt docet D. Thomas in 4. distinct. 18. q. 2. a. 2. Richardus ibidem art. 4. q. 3. Soto distinct. 20. q. 1. art. 4. & alij Theologi communiter, vt scribit Suarez tom. 5. in 3. part. S. Thomæ disput. 2. sect. 3. num. 10. Ex illis autem Scripturæ verbis: *Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis,* &c. ex quibus Doctores astruunt potestatem absoluendi à peccatis; ex iisdemque quoque colligunt traditam Ecclesiæ potestatem ferendi censuras; vt habet idem Suarez disput. 1. sect. 2. & alij.

Posse autem post mortem aliquem absolui ab excommunicatione, licet non à peccatis; tradit Toletus lib. 1. Summæ cap. 15. num. 9. Quamuis aliis placeat id tantum indirectè fieri posse. Vtcumque tamen sit, non desunt exempla eorum qui post obitum ab excommunicatione sunt soluti. In Prato etenim Spirituali cap. 192. & apud Joannem Diaconum lib. 2. vitæ S. Gregorij cap. 45. legitur de Monacho proprietario excommunicato, quem S. Gregorius per litteras, suprà sepulchrum illius per Archidiaconum lectas, curauit absolui. Alia exempla in Commentario capitis 23. in quo de sanctimonialibus his, earumque absolutione agitur, producemus.

§. XVI.

Expediuntur aliæ nonnullæ obiectiunculæ.

Restant aliæ, quædam, sed leuioris momenti obiectiones; quas hîc, ne quid spontè prætermisisse videamur, breuiter expediemus:
1. Obiectio. Antonius enim de Yepez volens sanctissimo Patriarchæ presbyterij astruere dignitatem, primo loco ponit quod id S. Gregorius non negauerit, sed veluti certum supposuerit. Nam cùm in Dialogis de aliis tractat Sanctis non Sacerdotibus, clarè exprimit eos initiatos non fuisse. Vt videre est lib. 1. cap. 4. vbi agit de S. Equitio.

Verùm quis non videat argumentum hoc esse ab auctoritate negatiuè, quod omnes fatentur non concludere, nec affirmare ausim, omnes illos Sacerdotes fuisse de quibus S. Gregorius non negat. Peculiaris enim fuit ratio id scribendi de S. Equitio.
Solutio. In ipsâ enim querela & obiectione contra eum facta, hoc ipsum continebatur, quod sacrum ordinem non haberet, adeoque id à Gregorio non poterat honestè, aut commodè silentio tegi.

2. Obiectio. Aliâ viâ incedit Dialogi auctor, & ita argumentatur. *Si tantus vir sacerdotali charactere insignitus non fuisset, dubioprocul ad commendandam viri Dei humilitatem S. Gregorius hoc non subticuisset: sicut de aliis in illis libris Dialogorum non siluit.*

Solutio. Sed facilis omnino est responsio. Primò enim quamuis aliorum humilitatem ab recusato sacerdotio Gregorius commendasset, poterat tamen idipsum de S. BENEDICTO reticere. Fatetur enim se non omnia eius gesta didicisse, sed pauca, nec omnia singulatim descripsit; prætermisit enim missionem S. Placidi in Siciliam, & S. Mauri in Galliam, quæ Ordinis propagationem valde spectabant.

Secundò, nego quod Dialogista tanquam fundamentum assumit S. Gregorium de aliis in illis Dialogorum libris non siluisse quod sacerdotali charactere insigniti non fuerint, id enim de nullo præterquam de S. Equitio retulit. Vnde licet argumentum contra ipsum hoc modo inuertere. S. Gregorius ad commendandam aliorum humilitatem non refert eos Sacerdotes non fuisse, poterat ergo idipsum pari modo de S. BENEDICTO reticere.

Tertiò. Si quid roboris habet Dialogistæ collectio, eodem modo ad hominem argumentabor: Si tantus vir sacerdotio initiatus fuisset, proculdubio ad commendandam sacram hanc viri Dei dignitatem, S. Gregorius sicut de aliis in illis Dialogorum libris hoc expressit, ita & de eo posuisset. Nam hoc ipso libro 2. non tacuit Florentij, S. BENEDICTI æmuli, sacerdotium: cùm alioqui ob infandum eius facinus, quod vix in Christianum cadere videtur, id potuisset dissimulari. Etsi non nesciam magnorum ruinas ad aliorum terrorem etiam ipsâ Scripturâ sacrâ expressas. Sed & in reliquis Dialogorum libris presbyteros fuisse scribit quorum virtutes commendat. Libro 1. cap. 12. meminit Seueri Presbyteri lib. 3. cap. 20. Stephani Presbyteri prouinciæ Valeriæ. Cap. 22. alterius eiusdem prouinciæ. Cap. 23. Presbyteri quem Abbas Prænestinus sibi in suo monasterio fecit ordinari. Cap. 35. Amantij Presbyteri prouinciæ Thusciæ. Cap. 37. Sanctuli Presbyteri prouinciæ Nursinæ. Lib. 4. cap. 11. Vrsini Presbyteri eiusdem prouinciæ. Et cap. 55. alterius Presbyteri. Omnes hos Sacerdotes fuisse commemorat, cur de S. BENEDICTO, si quidem fuerit, id non manifestè expressit?

Si respondeat: *Cùm S. Gregorius de patre tot Sacerdotum Christo famulantium verba se facere intelligeret, supernacaneum duxit de sacerdotio ipsius particulare facere capitulum.* Respondebimus eadem ratione cùm S. Papa Gregorius luculentum de humilitate S. BENEDICTI perhibuerit testimonium scribens: *Benedictus plus appetiit mala mundi perpeti, quàm laudes, pro Deo laboribus fatigari; quàm vitæ huius fauoribus extolli:* superuacuum duxit de eiusdem humilitate in refutando sacerdotio particularius quidquam scribere. Et verò, si illo decoratus fuit, cur non Gregorius tantum; sed nemo, quod sciam, alius scripsit, vbi, quando, quâ occasione, & à quo Episcopo ordinatus sit? Enimuerò cùm sancti Monachi ex humilitate presbyteratu se plerumque iudicauerint indignos, ad eum non nisi à Superioribus missi, vel ab Episco-

Episcopis vi coacti accesserunt. Nimirum apud eos vel maximè locum habebat, quod in Iure ciuili lib. 1. Cod. tit. 3. de Episcopo & Clericis, *L. Si quemquam.* Imperator expressit: *Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* Talis Nepotianus, de quo Epist. 3. Hieronymus. *Quantò magis repugnabat, tantò magis in se studia omnium concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat, eoq; dignior erat, quo se clamabat indignum.*

Jam verò quod S. BENEDICTVM spectat, si quidem Sacerdos fuerit, exponi velim, à quo missus, vel ad ordinem suscipiendum impulsus, aut coactus fuerit. Superiorem à quo mitteretur in Ordinē, cuius ipse erat fundator, non habebat. Antistitem aliquem hoc ei persuasisse, vel non persuasum ad hanc dignitatem pertraxisse, neminem vnum qui affirmet, legi.

Occurritur obiectioni. Neque tamen me latet quid ingeniosè hic, & cum aliqua forsitan verisimilitudine, excogitari possit. Nimirum S. BENEDICTVM cùm esset diuinitus electus, ad euangelizandum iis, qui circa Cassinatem degerent montem, videretque sacerdotali gradu ad hoc inprimis esse opus, eum diuino instinctu à vicino quopiam Episcopo petiisse. Illum autem diuino permotum fortè numine, hunc S. Patri vltro detulisse, tantaque constrinxisse vehementia, vt subterfugere veritus fuerit. Nam cùm ad virum Dei Canusinæ Antistes Ecclesiæ venire consueuerit, non difficile erat in ipso monasterio ei manus imponere. Nec longè aberat Constantius Aquinas, vel Germanus Episcopus Capuanus, à quibus euocatus ordinationis munus susciperet.

Occurrere hæc pro stabiliendo S. Patris sacerdotio alicui, vt dixi, possent; sed quod à nemine scribantur, nec idoneis nitantur testimoniis, quis ea temerè audebit asserere? In re historicâ non tam quod fieri potuerit, quàm quod factum sit, maximè iudico attendendum. Et quidem, si aliunde constaret sanctissimum Dei hominem presbyteratu initiatum, tum his coniecturis locus esse aliquis posset; sed cùm alia argumenta non conuincant, solidioribus indigemus rationibus, vt contra Auctores superius §. 2. commemoratos sentiamus.

§. XVII.

Totius Disquisitionis conclusio.

ET hæc quidem sunt, quæ de hac quæstione dicenda occurrerunt. In quibus non hoc mentis nostræ fuit propositum, certò vt affirmaremus S. BENEDICTVM sacerdotio caruisse, aut vt contrariam sententiam grauiori aliqua nota perstringeremus: sed tantùm, vt veritatem magis magisque indagaremus, simulque ostenderemus, ea quæ pro S. Patris presbyteratu adferri solent, non esse prorsus talia, vt omnino euincant. Quemadmodum honor Regis iudicium diligit; sic nec summi Regis humillimum seruum sine iudicio honorandum iudico. Si Sacerdos sanctissimus Pater noster non fuit, non volet veritatis discipulus talis haberi, aut dici. Si verò initiatus fuerit, non ægrè feret, quamdiu nos id latuerit, non certò à nobis asseri; idque credi probabilius, quod plures ante nos sine scrupulo asseruerunt. Nec ingratum, vt arbitror, illi erit, si humiliora de illo in terris adhuc posito sentiamus, quo eum in humilitate superiorem, & summæ demissionis statuamus magistrum & exemplar. Sanctorum eminentia non ordinum aut dignitatum gradibus; sed vitæ meritis, ceu pondere sanctuarij, expenditur apud Deum. Nimirum qui maior est in regno cælorum, hic ordine ac dignitate non raro fuit minor: vt proinde nihil aut parum decedat honori S. BENEDICTI, si Sacerdos non fuerit, qui innumerabiles Sacerdotes vitæ sanctitate, & meritis superauit in terra, & nunc in cælesti illâ patriâ maiori præ illis decoratus est gloriâ. Neque enim assentimur nupero cuidam Scriptori temerè satis asserenti; quod *Religiosus qui non est adhuc Sacerdos, nondum venerit ad perfectionem suæ vocationis.* Quam quidem propositionem cum ex professo impugnent viri eruditi Franciscus Hallier Doctor Sorbonicus, in Vindiciis censuræ Theologiæ Parisiensis circa Hierarchiam ecclesiasticam lib. 4. cap. 2. num. 17. & Petrus Aurelius in suo eiusdem argumenti & tituli libro, pag. 352. tùm nihil attinet à nobis hîc denuò impugnari. Hoc tantùm quod Aurelius de Minorum Patre Francisco ex vero affirmauit, id vnô alteroque mutato verbo, de humillimo Patre nostro BENEDICTO vsurpare non verebor. *Tantum enim abest vt S. BENEDICTO detrimenti quippiam attulisse censeatur Sacerdotij derelictio, vt contra ob eam ipsam perfectio ipsius religiosa, & totius eius Ordinis laus amplior & illustrior effulgeat: quod videlicet perfectam virtutem perfectæ prætulerit potestati, tantumq; se ab elationis spiritu remouerit, vt Sacerdotum non solùm non in suæ vocationis perfectione concludi, neque sibi ab Ecclesia deberi censuerit, sed cùm eo dignissimus esset, indignum se putauerit, cui illud ab Ecclesia per gratiam conferretur. Quo facto insignius religiosæ perfectionis exemplum posteris suis se tradere arbitratus est, quàm si Sacerdotij dignitate cumularetur.* Quare humillimi Patris humiles filij, quamdiu in illud suæ perfectionis exemplar referent animos; non poterunt non magnopere probare pium hoc sacerdotalis culminis subterfugium, vt spiritui Patris sui, & primævæ sui Ordinis perfectioni quàm maximè consentaneum.

Disquisitio de S. Benedicti Sacerdotio.

S. Benedicto Sacerdotium, quamdiu id latet, denegare non est indignum.

Sanctorum eminentia non dignitatibus, sed meritis expenditur.

Sacerdotij carentia nihil S. Benedicto detrimenti attulit.

Hoc igitur nostrum qualecumque iudicium, nulli melius sentienti & docenti velim esse præiudicio.

PROLEGOMENON XIX.

Chronotaxis vitæ S. BENEDICTI.

Chronotaxis Vitæ S. Benedicti. Chronotaxeos commendatio.



RDINEM temporum historiæ animam lucemque esse non malè quidam censent, etenim, vt Tatianus Assyrius oratione ad Græcos ait: *apud quos confusa & dissoluta temporum ratio, illis nec historiæ veritas constare potest.* Rectè proinde Chrysostomus hom. 2. in Isaiam: *Quemadmodum agris termini columnæq; non sinunt arua confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas, sed dum dirimunt alias ab aliis, & in ordinem congruentem dirigunt, multâ nos liberant turbatione.*

Cùm autem S. Gregorius Dialogos, vitamque S. BENEDICTI scribens Chronologiæ rationem non

Chronotaxis Vitæ S. Benedicti.

non habuerit, non abs re fuerit, eam hîc breuiter repræsentare. Etenim vt citato loco ait Chrysostomus, Perinde atque *lucerna in candelabro poni solet: sic in frontispicio litterarum, adduntur Consulum nomina, vt omnibus quæ subiciuntur præluceant, quæ si sustuleris, lumen sustuleris, omniaq; tenebris multaq; turbatione compleueris.*

Quoniam autem non satis exploratum est, quo præcisè mense aut die S. Benedictvs natus sit, quo Romam petierit, quo inde recesserit, quo à Romano habitum receperit, quo item Cassinum adierit; hinc adeò est, vt tam exacta annorum supputatio iniri nequeat, dum scilicet nescitur temporis punctum, à quo sumendum exordium habitationis Romanæ, vel triconalis in specu latebræ, vel commorationis in Cassino. Ex quo proinde capite crediderim inter Auctores exortam varietatem in designatione annorum S. Benedicti.

Constantinus tamen Bellottus, Cassinensis Monachus, libro quem inscripsit *Gregorius Magnus instituto S. Benedicti restitutus*, Colloq. 2. concinnans chronologicam annorum S. P. Benedicti seriem eam vocare non dubitauit *Perspicuam & certissimam temporum supputationem*. Nos verò tam ex illâ, quàm ex R. P. Antonij de Yepez Annalibus, aliorumque scriptis, illud in hac nostra Chronotaxi sequemur, quod visum fuerit verosimilius. Rationes verò, vel coniecturas nostræ supputationis suis in Commentario annotabimus locis.

Anni Christi.	Anni Ætatis S. Benedicti.	
480.	.	Nursiæ ex Patre *Anicio Eupropio*, & *Abundantia* matre S. Benedictvs nascitur, eodem cum sorore Scholastica partu, quo & mater defuncta. *Vide Prolegom. & Comment. ad Cap.* 33. *num.* 1.
481.	1.	Agit, absoluitque ætatis annum primum.
482.	2.	A Nutrice Cyrilla educatur.
483.	3.	His annis vsque ad septimum degit in domo paterna. *Comment. ad Præfat. num.* 8. *&* 9.
484.	4.	
485.	5.	
486.	6.	
487.	7.	Circa hæc, vt creditur, tempora, cum Nutrice Romam studiorum causâ mittitur. *Comment. ad Præfat. num.* 8.
488.	8.	Litterarum studiis hoc, & sequentibus annis vsque ad decimum tertium ferè completum Romæ operam nauat. *Ibid.*
489.	9.	
490	10.	
491.	11.	
492.	12.	
493.	13.	Romam cum Nutrice deserit, solitarium Deo vacaturus locum quæreos. *Ibid. num.* 10. In Efide fractum precibus restaurat Capisterium. *Cap.* 1. *n.* 4.
494.	14.	Deserta Nutrice clam Svblacvm petit, habitu monastico à Romano donatur, Specum incolit. *Cap.* 1. *num.* 9. *&* 10.
495.	15.	
496.	16.	
497.	17.	Paschatis sacro die Presbyter et diuino monitu cibos defert. *Ibid. num.* 18. 19. *&* 20. Inuenitur à Pastoribus. *Ibid. num.* 22. Grauissimam carnis tentationem in spinis se volutans superat. *Cap.* 2. *num.* 1.
498.	18.	
499.	19.	
500.	20.	
501.	21.	
502.	22.	
503.	23.	
504.	24.	Constantinus Bellottus hoc anno accidisse vult supradictam tentationem, eaque superatâ
505.	25.	Postulatum in Abbatem.
506.	26.	
507.	27.	

Habitatio Nvrsina. | Habit. Romana. | Commoratio Svblacensis.

CHRONOTAXIS VITAE S. BENEDICTI.

COMMORATIO SVBLACENSIS.

508.	28.	
509.	29.	Multi relicto mundo viri sancti Magisterio se subiiciunt. *Cap.2. num.* 7.
510.	30.	A Monachis in vico Varronis degentibus in Abbatem eligitur, à quibus veneno appetitus, discedens, adamatam repetit solitudinem. *Cap.* 2. *num.* 3.4. 5.6.7.*&* 8. Nascitur S. Maurus
511.	31.	Hoc vndè viginti annorum spatio ab anno scilicet Christi 510. vsque ad 529. excitata sunt in Sublacensi solitudine duodecim Monasteria. *Cap.*3. *num.*11.
512.	32.	
513.	33.	
514.	34.	Ab hoc anno vsque ad 520. censet Bellottus ædificata duodecim monasteria.
515.	35.	Natus est S.Placidus. *Cap.*3. *num.*16.*& in Additione ad Cap.*13.
516.	36.	
517.	37.	
518.	38.	
519.	39.	
520.	40.	Initia Congregationis Specuensis hoc anno reponit VVion. *Ligni vitæ lib.*3. *cap.*11.
521.	41.	
522.	42.	Maurum & Placidum ad monasticum habitum suscipit S. BENEDICTVS. *Cap.*3. *num.*15. *&* 16.
523.	43.	Ambulans super aquas S. Maurus Placidum educit. *Cap.* 7. *num.* 3. *&* 4.
524.	44.	
525.	45.	
526.	46.	
527.	47.	Circa hæc tempora antequam S. Pater Cassinum peteret, ordinatus fuerit S.Maurus Præpositus siue Prior Claustralis. *Cap. 6. num.* 3.
528.	48.	Florentius Presbyter diabolico stratagemate S. Patri, eiusque discipulis insidias struit. *Cap.* 8. *num.* 2.

COMMORATIO CASSINENSIS.

529.	49.	Sublacum deserit, montem Cassinum adit, ibidem *num.* 11. à Tertullo, aliisque Nobilibus visitatur. *Additio ad Cap.* 13.
530.	50.	Hoc & consequentibus aliquot annis ædificatur Cassinense Cœnobium, quod biennio absolutum Bellottus tradit. *Cap.*3 *num.* 1. Multi Nobiles ad S. BENEDICTVM in montem Cassinum relicto sæculo commigrarunt. *Massæus in Chron.lib.* 12.
531.	51.	
532.	52.	
533.	53.	
534.	54.	
535.	55.	
536.	56.	S. Placidus mittitur in Siciliam, multisque claret miraculis. *Additio ad Cap.* 13. Eodem hoc anno ponitur obitus S.Germani, & mirabilis illa S. BENEDICTI visio, qua totum mundum in solis radio collectum vidit. *Cap.* 35. *nu.* 5.
537.	57.	Quadriennio toto S.Placidus monasterium Messanæ construit. *Additio ad Cap.* 13.
538.	58.	
539.	59.	Fame Campaniam vastante, indigentibus S. BENEDICTVS subuenit, erogatoque omni tritico, ducentos farinæ modios cælitus accipit. *Cap.*21. *num.*2. Vas vitreum in saxa proiectum non frangitur. *Cap.* 28. *num.* 4. Oleum ex vacuo vase precibus scaturire facit. *Cap.* 29. Hoc anno Breuiarium Romanum, & Baronius in notis ad Martyrologium ponit Martyrium S. Placidi.

CHRONOTAXIS VITÆ S. BENEDICTI.

COMMORATIO CASSINENSIS.

540.	60.	Præest S. Placidus constructo à se S. Ioannis Baptistæ monasterio. *Additio ad Cap.* 13.
541.	61.	S. Placidus cum sociis martyrio coronatur. *Additio ad Cap.* 13.
542.	62.	Sub finem huius anni Legati ex Francia Cassinum veniunt, discipulos à S. BENEDICTO petentes. *Additio ad Cap.* 36.
543.	63.	Totila S. BENEDICTVM inuisit, quem detectâ eius fraude, vir sanctus obiurgat, eique futura prædicit. *Cap.* 14. & 15. Futuram Monasterij sui præuidet vastationem. *Cap.* 17. Solo aspectu ligata rustici brachia dissoluit. *Cap.* 31. *num.* 1. Vltimo hoc anno 10. Ianuarij S. Maurus Cassino discedens, Galliam petit. *Additio ad Cap.* 36. Sexta Februarij vltimò cum sorore Scholastica colloquitur. *Cap.* 33. Decima Februarij vidit in columbæ specie sororis suæ animam in cælum deferri. *Cap.* 34. Decima sexta Martij mortis præscius suum sibi sanctus Pater iubet aperiri sepulchrum. *Cap.* 37. *num.* 5. Vigesima prima Martij hora tertia matutina stans inter discipulorum manus efflat animam, quæ illustri via ad cælum deduci visa est. *Cap.* 37. *num.* 7. & 9.

Breuior annorum S. BENEDICTI *Periodus.*

Habitauit S. BENEDICTVS	Nursiæ	7.	annis.
	Romæ	7.	
	Sublaci	35.	
	Cassini	14.	

Summa annorum mortalis vitæ 63.

S. GRE-

[1] S. GREGORII MAGNI PAPÆ PRIMI DIALOGORVM LIBER II.

DE VITA ET MIRACVLIS SANCTI BENEDICTI.

[2] PRÆFATIO.

PREFA-TIO. [3]



FVIT vir vitæ venerabilis, [4] gratiâ BENEDICTVS & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore [5] cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens nulli voluptati animum dedit: Sed dum in hac terrâ adhuc esset, quo temporaliter liberè vti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore. [6] Qui liberiori genere ex prouinciâ [7] Nursiæ exortus, [8] Romæ liberalibus litterarum studiis traditus fuerat. *Patria S. Benedicti.* Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat retraxit pedem: ne si quid de scientiâ eius attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. *Studiis valedicit.* Despectis itaque litterarum studiis, [9] relictâ domo rebusque patris soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. *Patriam deserit.* [10] Recessit igitur [11] scienter nesciens, & sapienter indoctus. Huius ego omnia gesta non didici, sed pauca, quæ narro, [12] quatuor discipulis illius referentibus, agnoui: Constantino scilicet reuerendissimo valde viro, qui ei in monasterij regimine successit: Valentiniano quoque qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit: Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit. [13] Honorato etiam, qui nunc adhuc [14] cellæ eius, in quâ priùs conuersatus fuerat, præest.

COM-

PRÆFATIO.

COMMENTARIVS.

1. SANCTI GREGORII] Hunc titulum præfert nouissima editio Antuerpiensis ex Romanâ expressa. Græca Zachariæ translatio ita præscribit: *Gregorij sanctissimi, & Apostolici Papæ veteris Romæ, ad Petrum Archidiaconum, secundum interrogationem & responsionem de conuersatione Sancti Patris nostri* BENEDICTI, *Liber secundus*.

2. PRÆFATIO] Quædam exemplaria præfatiunculam hanc iungunt sequentibus; & hinc primum auspicantur caput. Verùm à reliquis auulsam præponit Papa Zacharias, editio Vaticana, & Matthæi Laureti ante Chronicon Cassinense, Gallica Simonis Millerij, & aliorum.

Epitheton vir vitæ vener. apud S. Gregor. maius est quàm, Reuerendissimus.

3. FVIT VIR VITÆ VENERABILIS] Antonius de Yepez in Chronico ad annum Christi 576. cap. 4. ait Epitheton hoc, VIR VITÆ VENERABILIS, apud S. Gregorium eminentius esse, quàm REVERENDISSIMVS. quod illud non adscribat nisi S. BENEDICTO, aliisque Sanctis, quos magno habuit in pretio: illud verò communiter Episcopis, quamuis non sanctis, & Abbatibus tribuat. vt manifestum est ex hoc loco, vbi cum S. BENEDICTVM appellasset *Venerabilem*, discipulum eius & successorem Constantinum vocauit *Reuerendissimum valdè virum*, quod non fecisset si titulus venerabilis minor fuisset quam Reuerendissimus. Ex quo colligit maiori honore, & præstantiori elogio affectum à sancto Pontifice Patrem nostrum BENEDICTVM, quàm S. Equitium, quem Reuerendissimum nominauit. Ita ferè ille. Dubito tamen an hoc discrimen vbique à S. Gregorio fuerit obseruatum. Sanctus enim Germanus, postquam eius animam in sphærâ igneâ ad cælum S. BENEDICTVS deferri vidit, *Reuerendissimus* à Gregorio nominatur. Et Valentinum lib. 4. Dialog. cap. 21. vocat *vitæ venerabilem*, quem lib. 1. cap. 4. dixit Reuerendissimum.

4. GRATIA BENEDICTVS ET NOMINE] Quæ de Sancti BENEDICTI nomine dicenda essent, fusiùs prosecuti sumus Prolegomeno XVI.

5. COR GERENS SENILE] De præcocibus ingeniis atque annos sapientibus vsitata phrasis. Sic de Christo Domino duodecenni, olim Sedulius Paschal. Carm. lib 2. cap. 7.

——— *Senioribus esse*
CORDE *videbatur* SENIOR, *legisq; Magistros*
Inter, vt emeritus residebat iure Magister.

Illius in puerili ætate maturitas:

Veteri adagio, vt est apud Platonem lib. 6. de Repub. *Senes bis pueri* dicti: at puer BENEDICTVS bis senex iure vocari potuit, quem Græci vno verbo dicerent, παιδαριογέρων. Quod nomen Macario illi Ægyptio olim tributum scribit Palladius, Hist. Lausiacæ cap. 19. de quo ait: *Cùm triginta annos natus ascendisset, essetq; ætate iunior, tam toleranter tulit labores exercitationis totum decennium, vt magna quadam & insigni dignus haberetur discretione, adeò vt vocaretur παιδαριογέρων, id est, in puerili ætate senex, quoniam citius quàm pro ætate profecerat virtutibus.* Hæc ille. Quæ si ad perfectæ ætatis viri commendationem dicta sint, quantus fuit BENEDICTVS, cui idipsum ab ipso pueritiæ suæ tempore Magnus ascribit Gregorius?

Variaq; huius virtutis exempla.

Tob. 1.

Sic de Tobia ait Scriptura: *Cùm esset iunior, nihil tamen puerile gessit in opere.* De S. Agnete lib. 1. de Virgin. Ambrosius: *Infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. Senectus enim venerabilis est* (vt inquit Sapiens) *non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Multos,* inquit Bernardus epist. 42. *iuniorum videmus super senes intelligere moribus, antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus.* Sic de Themistocle narrat Plutarchus, cæteris pueris ludentibus, solitum eum orationes meditari, adeò vt Magister diceret: *Te, ô puer, paruum nihil, sed magnum aliquod bonum, aut malum futurum auguror.* Ita S. BENEDICTVS agebat senem moribus. Contrà verò plures sunt, quos hæc Senecæ epist. 4. perstringit sententia: *Adhuc enim non pueritia in nobis, sed, quod est grauius, puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantùm, sed infantium.*

Sap. 4.

Senes pueri.

6. QVI LIBERIORI GENERE] De prosapiâ S. BENEDICTI, Progenitoribus, armisque gentilitiis, vide quæ diximus Prolegomeno XIV. & XV.

7. NVRSIÆ EXORTVS] Zacharias hæc ita repræsentauit: *Iste instar stellæ matutinæ ex Nursiâ regione Romanorum apparuit regioni.* De Nursia S. BENEDICTI patria, vide Prolegomenon XII.

S. Benedictus domi educatus:

8. ROMÆ LIBERALIBVS LITTERARVM STVDIIS TRADITVS] Primis annis S. BENEDICTVS cum sorore Scholastica in parentum ædibus educatus est. Septimum verò ætatis agentem annum, ob relucentem in eo ingenij viuacitatem, Pater Romam misit liberalibus artibus imbuendum. Ita enim de eo Adreualdus lib. 1. de de mirac. S. BENEDICTI cap. 2. *Pueriles beatissimus* BENEDICTVS *attingens ætatis annos, more veteri nobilium Romanorum, scholis liberalium deputatur artium, ne præclarum pueri torpesceret ingenium.*

à Patre studiorum causa Romam mittitur.

Sed cur Romam? quòd studia ibidem florerent.

Cur autem Romam potissimùm missus sit, eam arbitror esse causam, quòd non adeò longè distaret Nursia, nec vicinior esset locus studiis celebris; & quòd illic iam olim liberalium disciplinarum vigerent artes, optimisque legibus scholæ dirigerentur. Quare Theodoricus Rex, apud Cassiodorum lib. 4. variarum Epist. 6. Romam appellat, *eloquentiæ fœcundam Matrem, virtutum omnium latissimum templum.* Testatur autem Augustinus Confess. lib. 5. cap. 8. *Quietiùs ibi studuisse Adolescentes, & ordinatiore disciplinæ coercitione sedatos fuisse quàm Carthagine.* Valentinianus autem Imperator, iam inde ab anno Christi 370. (vt refert Baronius) rescripto ad Olybrium vrbanam præfecturam gerentem dato, iis qui Romam se conferrent liberales disciplinas addiscendi causâ, optimè consuluerat. Nam inter cætera (vt est l. 1. de stud. liberal. vrb. Romæ Codice Theodosiani) decreuit, vt *his qui sedulò operam professionibus nauant, vsque ad vigesimum suæ ætatis annum Romæ liceat commorari. Post id verò tempus, qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam reuertatur.* Cur autem post annum ætatis vigesimum, nollet Imperator Adolescentes diutius Romæ agere, ea fuit causa, ne scilicet iam liberiores, otio torpescentes, vrbanis irretirentur illecebris. Magno sanè bene ante institutæ vitæ discrimine. Adolescentium Romæ commorantium periculum Paulinus quoque nouerat, vnde Licentium, olim Romæ ab Augustino Rhetoricam edoctum, ita monet Epist. 46.

Nunc

Nunc te sollicitat variis malesuada figuris
Hen validos etiam sternere Roma potens.
Sed tibi, nate precor, semper Pater Augustinus
Occurset cunctas vrbis ad illecebras.
Illum tanta inter fragilis discrimina vitæ
Aspiciens, & habens pectore, tutus eris.

Sed vt in hisce periculis constitutus se gesserit S. BENEDICTVS, videamus. Non mediocres eum fecisse progressus, & solidæ illius eruditionis, quam postea in scriptis suis ostendit, iecisse fundamenta credi potest. Vnde hæc subdit citatus antea Adrevaldus. *Enimvero primordia litterarum acri concipiens animo, spreuit tractus diuino, quo cuncta in reliquum ætatis studuit: Eremum concupiscens, vitiorum charybdim, quæ quibusdam scholaribus inhærere solet fuga præsidio euitauit.* Sic ille. Sperabat quidem Pater eum tractandis Reipublicæ negotiis studiorum culturâ aptum reddi: verùm qui ad maiora eum destinauerat Deus, eum mundi vanitates fastidire fecit.

9. RELICTA DOMO REBVSQVE PATRIS] Quænam hæc *Domus Patris*, quæ res à S. BENEDICTO relictæ, pulchrè exponit Reuerendus Abbas Constantinus Caietanus, in Epistola de Collegio Gregoriano Domus S. BENEDICTI in vrbe, quem hic disserentem audi: Jn alma hâc, inquit, vrbe, orbis reginâ fulgentissimâ, sanctissimi ipsius viri Patricia eo Augusta Anicianæ Cunabula etiamnum venerabili pænè confecta senio se conspicienda præbent in eiusdem nomine insignita S. BENEDICTI in Piscinulâ trans-Tiberim Ecclesiâ. Sed eo in vetustis monumentis Archiuij Cassinensis Monasterij, cuius iuris hæc eadem Ecclesia iam tunc erat, dicitur S. BENEDICTVS SVB MONTE LYCAONIS; quandoquidem monticulo cuidam iuncta, breuissimo spatio distat ab ea Jnsula, quæ in mediis Tiberinis fluctibus assurgens, Insula Jouis Lycaonia etiam appellatur. Jn hac trans-Tiberinâ regione, eo loco, Piscina dicto, olim superbissima eo marmorea assurgebant Palatia Anicianæ familiæ, quorum magnificentiam effossa hoc sæculo rudera passim demonstrant, quod confirmatur ex eo, quod contigua iis sit Domus S. Cæciliæ ex eadem familia oriundæ, quæ triduanas à Domino poposcit inducias, vt Domum hanc suam Ecclesiam consecraret. Has maiorum suorum ædes S. BENEDICTVS origine Romanus, Romanisque parentibus Nursiæ Dominis natus, litterarum studiis incumbens, incolebat. Vnde postcà quædam earumdem ædium pars, ac ea fortè (non præter rationem dixerim) quæ familiariter sancto Dei viro quotidie vsui erat, primis illis temporibus à piis ipsius Alumnis in Ecclesiam conuersa, gloriosissimo eius nomini consecrata fuit. Et quæ hodie B. Virginis imago eleganter depicta à Fidelibus in Oratorio ipsi Ecclesiæ contiguo religiosè colitur, ea esse circumfertur, quam adhuc puer idem BENEDICTVS venerari consueuerat: vnde ipsum Oratorium hodieque S. BENEDICTI Oratorium denominatur. Itaque hæc illa Domus est, cuius hîc meminit Gregorius, *Relicta* DOMO, *rebusque Patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit.* Hæc porrò Domus satagente eodem Abbate Caietano, beneficio Gregorij XV. erigendo Collegio siue Hospitio Benedictinorum concessa est, vt ex ipsius Pontificis diplomate constat, quod tom. 4. Bullarij insertum est.

Domus S. BENEDICTI in trans-Tiberina regione sita.

Consecratur in Ecclesiam.

Fit ex eadem Collegium Gregorianum.

Nutrix S. BENEDICTI.

10. RECESSIT IGITVR] Nutrice sua (vt paulò pôst videbimus) comitatus. Hæc enim vt studiorum tempore illi subseruiret, Romam cum eodem abierat. Vocatam fuisse Cyrillam Anastasius Bibliothecarius tract. de translat. S. Bened. Petrus Diaconus lib. de vir. illust. mont. Cas. cap. 1. & ex iis Wion, aliique tradunt.

PRÆFATIO.

11. SCIENTER NESCIENS] Magnum Patriarcham hac in parte imitatus est non minor Minorum Pater Franciscus, de quo Henricus Willot in Athenis orthodoxorum Patrum Seraphicæ Religionis, littera F. *Credo,* inquit, *de industria a litteris se remouisse* (S. Franciscum) *quo se totum in rerum cælestium contemplatione abderet, vt de B. P. N.* BENEDICTO *narrat Gregorius. Nec abnuo liberales artes solùm a limine salutasse, & delibatis Grammatices initiis, consilio studiis valedixisse, scienter nescium, & sapienter indoctum.* Delectatus & hac Gregorij I. loquendi formula Gregorius IX. ita de eodem S. Francisco in bulla Canonizationis ait: *Feliciter migrauit ad Dominum, multos præueniens scientia præditos scienter nesciens & sapienter indoctus.*

Pulchrè autem hunc locum S. Petrus Damiani epist. 105. ad Aripranduin, siue Opusc. 45. de sanctâ simplicitate scientiæ inflanti anteponenda, illustrat dicens: *B.* BENEDICTVS *ad litterarum studia mittitur, sed mox ad sapientem Christi stultitiam reuocatur: & quia scholam pâramsticitate mutauit, hoc descriptum reliquit in Capisterio muliercula, quod de se mundi sapientes exprimere nequeunt in mensa Geometrica vel Astronomica disciplina.* Sic ille. Ipso igitur suo facto demonstrauit, quod Spiritus sanctus dixit: *Melior est homo qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.* Malè autem hinc quidam inferunt, Religiosis litterarum studia deserenda. Nam, vt optimè annotauit Angelicus Doctor, opusc. 15. contra impugnantes religionem cap. 11. S. BENEDICTVS *non discessit a studio, quasi scientiam horrens, aut studium; sed sæcularem vitam & societatem formidans.* Quæ ex subsequentibus Gregorij verbis confirmans, ita deinde concludit: *& ideò etiam nunc laudabiliter faciunt, qui sæculari vita studentium relicta, ad religionem transeunt, in qua studio vacare possunt.*

Eccli. 19. 21.

S. BENEDICTVS non studium, sed studentium vitia fugit.

12. QVATVOR DISCIPVLIS ILLIVS] De his iam suprà Prolegomeno VI. aliquid diximus. Hic verò notandum, Cardinalem Baronium Annalium tom. 7. Anno Christi 581. circa hos Abbates vel potius locum præfecturæ eorum nonnihil allucinatum. *Valentinianum* enim ait, *secundum numeratum post S.* BENEDICTVM *Abbatem, primum verò Lateranensis Cænobij;* ac deinde ponens Lateranensium Abbatum seriem, ita ait: *Lateranensi enim primùm Valentinianus Abbas, inde Simplicius, & post eum præfuit Honoratus, vt idem ipse Gregorius docet.* Ad marginem autem adiecit: *Dialogorum lib. 2. in principio.* Sed ex illo loco apertè constat, non Valentinianum, sed Constantinum fuisse secundum post S. BENEDICTVM Abbatem, quia hunc ait Gregorius, *eum in Monasterij regimine successisse:* quod intelligendum de Cassinensi, in quo S. BENEDICTVS decessit, atque ab omnibus historicis nostris Constantinus hic agnoscitur immediatus S. BENEDICTI successor. Deinde labitur Baronius, post Valentinianum constituens Simplicium Abbatem Lateranensem; cùm fuerit tertius Abbas Cassinensis, vt patet ex Gregorio, qui nominans Simplicium, subiungit: *Qui Congregationem illius* (S. BENEDICTI adeoque Cassinensem) *post eum* (BENEDICTVM) *tertius rexit.* Secun-

Baronius circa Abbates S. BENEDICTI successores allucinatur.

Declaratur & illustratur horum Abbatum series.

PRÆFATIO. dus enim, vt diximus, fuit Constantinus. Porrò hic Simplicius alius fuit ab illo, qui cum S. Mauro in Galliam profectus, ætate valde decrepitâ quadraginta post annos, Romam ad Lateranense Monasterium, sub Theodoro Abbate post Valentinianum tertio, reuersus est, vt habet Faustus in vitâ S. Mauri. Nec tertio loco, vt Baronius asserit, Lateranensi cœnobio præfuit Honoratus. Ille enim quo tempore Gregorius Dialogorum scribebat libros, tunc *adhuc cellæ eius, in quâ prius conuersatus fuerat, præerat*. Hoc est Sublacensi Monasterio, in illo enim prima enim monasticæ rudimenta S. P. BENEDICTVS posuit. Baronius autem verba illa, *Qui Congregationem illius post eum tertius rexit*. Et illa, *Nunc adhuc cellæ eius, in qua prius conuersatus fuerat, præest*: non ad S. BENEDICTVM, sed ad Valentinianum detorsit, sed perperam, vt ipsa verborum series satis indicat; nec congruè nominato BENEDICTO Ordinis fundatore, Congregatio eius vocari posset Valentiniani, vt & alij ante nos obseruarunt.

13. HONORATO] De hoc, eruditissimus Abbas Caietanus lib. 2. pro Ioanne Diacono c. 7. Hunc ipse S. BENEDICTVS Cassinum petēs, vices suas per omnia Sublacensia Cœnobia, eorumque Abbates demandauerat: quod probat ex peruetusto Chronico M. S. Sublacensi, in hæc verba: *Secundo loco eiusdem monasterij & Congregationis regimen tenuit Honoratus iam dicti Patris Benedicti discipulus, ex cuius facultate & opere Cœnobium Sublacense augmentandi materiam sumpsit*. Sacerdotij dignitate honoratum fuisse & hunc Honoratum, constat ex S. Gregorij epistola, quæ extat M. S. in Archiuo Sublacensi: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimo ac prudentissimo Honorato Presbytero & Monacho atque paruissimo Abbati venerabilis monasterij sancti Confessoris & Patris* BENEDICTI, *& sanctæ virginis sororis eius Scholasticæ, quod ponitur in Sublacu*, &c. Fuisse valdè grandæuum hinc facile efficitur, nam si tunc cum suos Dialogos scribebat S. Gregorius, anno scilicet 594. monasterio Sublacensi adhuc præerat, eoque officio iam inde à tempore quo Cassinum S. P. BENEDICTVS petiit, perfunctus fuit, vel centenarius, aut centenario proximus fuerit.

Honoratus Sublacensibus monasterijs S. Benedicto Cassinum petente, præfuit: fuitq; Sacerdos.

14. CELLÆ EIVS] Quemadmodum monasterium, teste Cassiano Collat. 18. cap. 10. etiam vnius Monachi habitatio nominari potest: ita CELLÆ vocabulo, non vnius dumtaxat Monachi habitaculum, sed integrum sæpè multorum Monachorum designatur Cœnobium, quâ notione frequenter occurrit in scriptis S. Gregorij, & in his præsertim Dialogorum libris, vt hoc secundo, cap. 9. *Dum fratres habitacula eiusdem* CELLÆ *construerent*. Et cap. 12. *Mos* CELLÆ *fuit, vt quoties ad responsum egrederentur fratres, cibum potumq; extra* CELLAM *minimè sumerent*. Item cap. 13 *Annis singulis de loco suo ad* CELLAM *eius ieiunus veniens consueuerat*. Cap. 21. *Ducenti farinæ modij ante fores* CELLÆ *in saccis inuenti sunt*. Et rursum cap. 33. S. Scholasticæ dixit: *minime extra* CELLAM *nullatenus possum*. Quæ omnia loca de Cassinensi monasterio intelligenda, nemo est qui ambigat: & Zacharias cap. 12. 13. & 21. pro eo, quod Latinè Gregorius dixit CELLA, Græcè vertit *Monasterium*, vt frustra dixerit Gallonius: CELLAM apud Gregorium non nisi de minoribus Cœnobiis aut Prioratibus, tenuibusque Præposituris vsurpari. Sed de CELLÆ appellatione egimus alibi fusius.

Cella pro Monasterio.

CAPVT I.

DE CAPISTERII FRACTI REPARATIONE.

CAPVT I.



HIC itaque cùm iam, relictis litterarum studiis, petere deserta decreuisset, [1] nutrix, quæ hunc arctiùs amabat, [2] sola secuta est. Cumque ad locum venisset, qui [3] dicitur Enfide, multisque honestioribus viris pro charitate se illic detinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur, prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi [4] capisterium petiit: quod super mensam incautè derelictum, [5] casu accidente fractum est, sic vt in duabus partibus inueniretur diuisum. Quod mox rediens nutrix illius, vt ita inuenit, vehementissimè flere cœpit, quia vas quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus, & pius puer, cùm nutricem suam flere conspiceret, eius dolori compassus, ablatis secum vtrisque fracti capisterij partibus, sese cum lacrymis in orationem dedit, qui ab oratione surgens ita iuxta se vas sanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla vestigia potuissent: moxque [6] nutricem suam blandè consolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipsum capisterium eius loci incolæ [7] in Ecclesiæ ingressu suspenderent: quatenus præsentes & secuturi omnes agnoscerent, à quanta [8] Benedictus puer conuersationis gratiam perfectione cœpisset, quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vsque ad hæc Longobardorum tempora super fores Ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti quàm laudes, & pro Deo labo-

S. Benedictus capisterium fractum redintegrat.

Nota pueri sanctitatem.

laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauore extolli, [9] nutricem suam occultè fugiens, [10] deserti loci secessum petiit, [11] cui Sublacus vocabulum est, qui ab Romanâ vrbe XL. fere millibus distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenso priùs lacu colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Quò dum fugiens pergeret, [12] monachus quidam Romanus nomine hunc euntem reperit, quò tenderet requisiuit. Cuius cùm desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eique [13] sanctæ conuersationis habitum tradidit, & in quantum licuit, ministrauit. Vir autem Dei ad eumdem locum perueniens [14] in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, hominibus ibi incognitus mansit: Qui videlicet Romanus non longè in monasterio [15] sub Theodati patris regulâ degebat. Sed piè eiusdem Patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, [16] diebus certis BENEDICTO panem ferebat. Ad eumdem verò specum à Romani cellâ iter non erat: quia excelsa desuper rupes eminebat, sed ex eâdem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panem consueuerat, in quâ etiam [17] resti paruum tintinnabulum inseruit, vt ad eius sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exigens acciperet. Sed antiquus hostis vnius charitati inuidens, alterius refectioni, cum quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desiit. Cùm verò iam Deus Omnipotens, & Romanum vellet à labore quiescere, & BENEDICTI vitam in exemplum hominibus demonstrare: vt posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus, qui in domo Dei sunt, luceret: [18] cuidam presbytero longiùs manenti, qui refectionem sibi in Paschali festiuitate parauerat, per visum Dominus apparere dignatus est, dicens: [19] Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atque in ipsâ solennitate Paschali cum alimentis quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per defossa terrarum quæsiuit, eumque latêre in specu reperit. Cumque oratione factâ, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia is, qui aduenerat, presbyter dixit: Surge, sumamus cibum, quia hodie Pascha est. Cui vir Dei respondit, dicens: Scio quia [20] Pascha est, quia hodie videre te merui. Longè quippè ab hominibus positus, [21] quia die eodem Paschalis solennitas esset, ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit, dicens: veraciter hodie resurrectionis Dominicæ Paschalis dies est, abstinere tibi minimè congruit: quia & ego ad hoc missus sum, vt Omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum sumpserunt cibum. Expletâ itaque refectione & colloquio, ad Ecclesiam suam presbyter recessit. Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt: quem dum [22] vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt; sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis, factumque est, vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset, qui cùm ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ.

CAPVT I.

Nutricem fugit: Sublacum petit.

A Romano habitum monasticum accipit:

Vitaque necessaria.

Presbyter quidam Deo monitu ei cibum adfert.

Paschalis solennitas.

Pastoribus aliisque fit manifestius.

CAPVT I.

COMMENTARIVS.

Cur S. Benedicto data nutrix, & non pædagogus.

1. NVTRIX] Mirabitur quispiam. cur puero litteris operam danti Nutrix comes & directrix addita, nec potiùs, vt nunc fieri videmus, Pædagogus aliquis datus. Accidisse id arbitror, vel ob teneram sancti pueri ætatem, quæ septimum, vt tradunt, non excedebat annum, vel quod illa hoc pacto suum erga alumnum declarare vellet affectum, & pristino quamdiu in studiis versaretur fungi officio, vel denique, quod ita iussisset, conuenissetque cum Nutrice sancti BENEDICTI Pater, qui fidem illius iam expertus, putauerit nulli potiùs, quàm illi curam charissimi pignoris demandandam. Quod illa siue alumni amore, siue pactæ mercedis intuitu non putauerit denegandum. Quâ in re considerandum, tenue admodum, vileque munus Nutricum olim fuisse. Nam solitos Græcos Ancillarum eâ in re vti operâ, ex Comœdiis notum est. Apud Demosthenem, cùm ingenuæ mulieri obiectũ esset in iudicio, quòd mercede aliquando Infantes nutrisset: purgat se illa, probans factum tempore belli, quo licitum sit à splendore suo nonnihil declinare. Ita Victorius lib. 27. variar. lect. cap. 1. Dimittebantur ergo in obsequium alumnorum suorum Nutrices, iisque deinceps vt Ancillæ adhærebant. Moyses Genes. 24. refert Rebeccam, postquam in matrimonium consensisset, dimissam à parentibus cum Nutrice suâ, quæ ei toto vitæ tempore famulata est, obiitque post Rebeccam, sepulta à Iacob filio ad radices Bethel, vt habetur Genes. 35. 8. Nam vt Salianus anno mundi 2305. num. 17. ait: *Interpretes communiter sentiunt Deboram Nutricem hanc, mortuâ Rebeccâ, adiisse Iacobum.* Sic apud Senecam illustres feminæ, & coniugio deuinctæ suas leguntur habuisse Nutrices. Phædra enim Thesei, Medæa Iasonis, Clytemnestra Agamemnonis, Octauia Neronis, Deianira Herculis vxor, suam quæque affatur Nutricem. Sed & viris adultis adhæserunt Nutrices, nam apud Virgilium 4. Æneid. mentio est Barces, Nutricis Sichæi Phœnicum ditissimi. Itemque 7. Æneid. Caietæ, Nutricis Æneæ. Homerus in Odysseâ commemorat Euryclеam Nutricem Vlyssis: & Curtius Hellacinem Nutricem Alexandri. In gestis S. Laurentij (ex quibus non pauca ad verbum descripsit Ambrosius) constat S. Hyppolitum perfectæ ætatis virum, & familiæ Præfectum habuisse in eâ secum Nutricem suam Concordiam, quæ plumbatis cæsa expirauit.

Nutricum munus olim vile.

Illustrium personarum Nutrices.

Apud Surium 10. Augusti cap 14.

Hoc igitur, vt diximus, modo S. BENEDICTO data Nutrix studiorum tempore, vt illi in necessariis deseruiret, curamque gereret, ne quid deesset tam ingenuo puero, quod pro suo erga illum affectu præstiterit diligẽter. Tenero enim alumnos suos, etiam adultos, amore prosequi solent Nutrices, & hinc reciprocus eorum erga illas affectus. Quem sanè validum agnoscebat Hieronymus, cùm Heliodorum epist. 1. monet inter cætera, ne Nutricij ac Gerulæ siue Nutricis quondam clamore vel amore ab Eremiticâ vitâ reuocetur. Magnus Gregorius etiam in culmine pontificatus, suam erga Nutricem beneuolentiam testatam reddidit, de quâ ad Rusticianam Patriciam Registri lib. 3. epist. 44. ita scribit: *Domnam verò illam Nutricem meam, quam mihi per litteras commendatis, omninò diligo, & grauari in nullo volo.*

2. SOLA SECVTA EST] Recessum hunc ex diuinâ inspiratione factũ, Gofridus Vindocinẽsis Abbas, & S. R. E. Cardinalis, qui anno 1129. vixisse traditur, commemorat; & historiam hanc vtcumque illustrans, insigne S. P. N. in illâ ætate paupertatis studium commendat. *Hunc*, inquit, *Domini seruum sola Nutrix sua, quæ eum tenerè nutriebat, & quam ipse satis piè diligebat, secuta est, non quidem sanctitatis amore flagrans, sed ei etiam volenti carnalis affectionis studio ministrare desiderans. Sed vir beatus Deo potiùs ministrare volebat, non sibi ministrari ab homine. Erat tamen in vtriusque pectore pietas, at diuersa valdè intentio, licet amica videretur, dum illa carni, ille spiritui seruire meditatur. Ibant ambo simul tanquam Mater & filius, donec ventum est ad locum, qui Effide dicitur. Quo in loco à quodam paupere viro, pro Christi amore, pauper Christi cum suâ Nutrice hospes suscipitur. Nutrix verò illius cùm à vicinis mulieribus capisterium accepisset, quo modicum tritici, quod ei pro Dei amore collatum fuerat, purgare debuisset, vas ipsum super mensam non bene collatum eccidit, & ita confractum est, vt in duas partes inueniretur diuisum.*

3. DICITVR ENFIDE.] Quædam exemplaria habent EFFIDE, atque ita legit Cardinalis Vindocinensis, serm. de S. BENEDICTO, Yepez in Chronico, & Simon Milletius hoc loco, Constantinus Caietanus, Epistolâ de erectione Collegij Gregoriani, S. Bertarius, in Hymno ad Nocturnos:

Enfide nomen & situs.

EFFIDEN *ergo fugiens probante*
Signa primeua noua sanctitatis.

Zacharias repræsentat Ἐφφίδε: ab incolis, Caietano teste, vulgò appellatur ABILE; Ptolomæo, Linio, Itinerariis Romanis AVFIDENA, apud Clurerium, Italiæ antiq. lib. 4. c. 7. Situm indicat citatus Caietanus: Est, ait, in Æquicolis, siue Latio, triginta Italicis ferè milliaribus Româ distans, à sacro autem S. BENEDICTI Specu & Sublacensi monasterio duobus. Ecclesiam autẽ S. Petri, cuius hîc fit mẽtio, oppido adiacere scribit. Hanc autẽ Româ discedens S. BENEDICTVS, *ab ipsâ infantiâ*, (vt S. Hildegardis, in vitâ S. Disibodi scribit) *sancti Spiritus gratiâ perfusus* adiuit, *duobus etiam Angelis, Cyrillâ eius nutrice vidente, comitantibus*, vt Callixtus auctor vetustissimus, apud Petrum Diaconũ in Registro S. Placidi ex Archiuo Cassinensi tradit. Addit Caietanus. Quamobrẽ & Græcorũ Ecclesia in diuinis officiis. dum S. BENEDICTI laudum præconia recenset, de hoc eodem AFILANO loco asseuerat: *Puer adhuc, & penè incompletâ infantiâ, sibi humilem vnà cum Nutrice locum eligit; quo in loco propter virtutem, & exercitium cum sese Deo Opt. Max. dicasset, ab eodem diues miraculorũ, ac medicaminum euasit fortitudine.* Ita Græcorũ Menolog. ad 14. Martij. Hunc porrò locum, & S. Petri Ecclesiam illustrissimus, idemq; benignissimus Dominus, D. Cardinalis Bandinus, Prænestinus Episcopus, in eius diœcesi existentem, mihi tamquam Abbati Præsidenti Collegij Gregoriani, meisque in eodẽ successoribus dono concessit: quamquàm æui vetustate ruinosam, nobis tamen pretiosissimam ob sacras tot nobilium monumentorum reliquias Patriarchæ nostri. Qui meritò regionis huius etiã Apostolus dicẽdus est, cùm eos populos (vt S. Aldhelmus testatur) à dæmonũ cultu liberauerit. Cuius maximi beneficij ipsi adhuc memores, Ordinẽ nostrũ summâ beneuolẽtiâ & obseruantiâ prosequuntur. Quâ impulsi, præsertim AVFIDENATES, nũc quoque egregiam nauarũt operam,

Ecclesia S. Petri.

Cedit ad vsum Collegij Gregoriani.

operam, vt in eorum patriam postliminiò reuerterentur. Hactenus Caietanus.

Capisterium quid? 4. CAPISTERIVM] Vt Georgius Merula inquit, *Schaphisterium* melius dicitur, à Græco σκαφίς, siue σκάφη, quod inter cætera significat instrumentum repurgandis seminibus aptum: quod Hesychius exponit πτύον, id est, ventilabrum, & cribrum quo frumenta, legumina, granaque cuiuscumque generis ex aceruo sumpta cribrantur & ventilantur. Vnde Columella lib. 2. de re rustica cap. 9. *Cùm amplior messis prouenerit, quidquid exteretur, CAPISTERIO expurgandum erit, & semper, quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, ad semen reseruandum.* Videri possit vox CAPISTERIVM Græcæ esse originis, à καπύω, id est, efflo: vel καφέω, spiro. Sunt, inquit, Ypez Capisteria hæc hodieque in vsu rotunda & plana, limbo circumquaque ad duorum digitorum altitudinem cincta, nulla tamen habentia foramina: hisce dum frumenta & legumina expurgantur, in altum mittuntur, vt ventus paleas auferat. Hoc tempore ex ligno plerumque fiunt, olim erant fictilia: vt mirum non sit è mensâ decidens hoc, de quo agimus, Capisterium fuerit confractum.

Capisterij fracti restitutio. 5. CASV ACCIDENTE FRACTVM EST] Græca Zachariæ Metaphrasis paulò aliter habet, nempè; à dæmone honesti olore è mensa disiectum, atque ita confractum fuisse hoc Capisterium. Dionysius Carthusianus serm. 1. de S. BENEDICTO, ait: *Eum grande fecisse miraculum, precibus redintegrando Capisterium fractum, sicut gloriosissimus Euangelista Ioannes aurū & gemmas particulatim cōfractas atque dispersas. Beatissimus quoque Confessor ac Præsul Seruatius lapidem ruptum.* Sed longè ante ipsum id obseruatum ab Aimoino Floriacensi, qui ait eum hoc factò coæquari *Ioanni dilecto Domini, qui fragmenta gemmarum coniunxit in solidum.* Quam de Ioanne historiam etiam refert Raulinus serm. 35. de Sanctis part. 1. Et desumpta est ex Isidoro Hispalensi, lib. de vita & morte Sanctorum, qui Deo placuerunt cap. 73. vbi ait: *Gemmarum fragmina in propriam reformauit naturam.*

S. Patricius pari quo S. Benedictus affectu nutrici succurrit. 6. NVTRICEM SVAM BLANDE CONSOLATVS] Simili affectu S. Patricius etiamnum puer miraculose suæ succurrit Nutrici. Nam cùm ægritudine depressa, mel desideraret, nec illud haberi posset, condolens eialumnus eius Patricius, *vas de recenti aquâ fontis repleri, ac sibi afferri præcepit: ipse verò in oratione genua flexit, ac surgens crucis signaculo illud benedixit, ac mulieri mel desideranti porrexit. Res mira, statim aqua illa in mel optimum est conuersa.* Ita Joccelinus in vit. cap. 10. S. Bonifacius Martyr scribit S. Luinum etiamnum puerum Salniam nutricem suam à mortuis excitasse.

S. Benedicti capisterium redintegratum miraculum expenditur. 7. IN ECCLESIÆ INGRESSV SVSPENDERENT.] Miraculum hoc diuinæ bonitatis, & spiritualium rerum ignari, non tanti fortassis fecerint, vtpote à puero, & in re non magni momenti præstitum. Verùm Deus, qui voluntatem timentium se facit, sanctorum suorum ætati & moribus se solet conformare. Quod quidem ex diuersis historiis comprobare liceret; sed ne à magno recedamus Gregorio, refert ille Dialog. lib. 1. cap. 9. Bonifacium Ferentinæ ciuitatis Episcopum adhuc puerulum, precibus impetrasse tritici multiplicationem, quod ex horreo ablatum, pauperibus erogauerat, mortemque vulpis gallinas comedere solitæ. Cùm autem Petrus interlocutor diceret, valde mirum esse, *quod exaudiri preces in se spe-*

rantium etiam in rebus vilibus dignetur Deus: Respondit Gregorius: *Hoc ex magnâ Conditoris nostri dispensatione agi, vt per minima quæ percipimus, sperare maiora debeamus. Exauditus namque est in rebus vilibus puer sanctus & simplex, vt tu parum disceret quantum de Deo præsumere in magnis petitionibus deberet. Ita Gregorius.* Quod sancto BENEDICTO accommodari optimè potest, qui à magna electus, maximâ in Deum confidentiâ debebat elucere. CAPVT I.

Iacobus Salianus lib. 5. de Amore Dei cap. 12. refert hoc in dulcedinem diuini erga S. BENEDICTVM amoris; *Non erat,* inquit, *tanti illa iactura fictilis vasculi, vt prodigio illo reparari mereretur, sed, tanti erat dulcissimi in dilectum puerum amoris demonstratio.* Sic ille. Ex primo autem S. BENEDICTI miraculo, S. Odo serm. de S. BENEDICTO, animos nostros excitat ad magnam de tanti Patris patrocinio concipiendam fiduciam. *Si enim,* inquit, *adhuc puerulus ita capisterium reparauit, vt ne fissura quidem appareret, nos qui vasa ad honorem in domo Dei per gratiam vocati sumus, quia multas peccatorum scissuras incurrimus, per eumdem medicum, qui iam suo Regi sociatus est, reparari poterimus.*

8. BENEDICTVS PVER CONVERSATIONIS GRATIAM A QVANTA PERFECTIONE COEPISSET] Vtitur S. Gregorij sententia S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 1. ad 2. & opusc. 13. cap. 7. vt probet non esse necesse; *vt quicumque vult ad superiorem statum peruenire, à minori incipiat: sicut non oportet, vt quicumque vult esse Clericus prius in Laicali vita exerceatur. Manifestum quoque est quod vnus statim incipit non solùm ab alterius statu, sed etiam ab alterius gradu sanctitatis, quàm sit summum ad quod alius peruenit per totam vitam suam. Vnde Gregorius dicit in 2. Dialog. Omnes agnoscant à quanta BENEDICTVS puer conuersationis gratia & perfectione cœpisset.* Tanta ergo BENEDICTI pueri fuit perfectio, quantam multi totâ vitâ, vix aut ne quidem assequuntur.

9. NVTRICEM SVAM OCCVLTE FVGIENS] Ex hoc loco S. Thomas Scholasticorum Phœnix, opusculo contra retrahentes homines ab ingressu religionis cap. 9. probat deliberationem de meliori vitæ proposito non instituendam cum iis, qui carnis necessitudine sunt coniuncti. *Callidus,* inquit, *aduersarius (vt Gregorius tertio Moralium ait) cùm à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, quia plus cæteris amantur, vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat. Hinc est quod B. BENEDICTVS Nutricem suam occultè fugiens, deserti loci secessum petiit, sed Romano monacho propositum suum aperuit, qui eius desiderium & secretum tenuit, & adiutorium impendit.* Et cap. 13. eiusdem opusculi, ex hoc factò probat, pueros perfectionis statum eligere, & religionis votis posse obligari. *Demum,* inquit, *profanam conclusionem pueros stultitiæ arguentem, piarum aurēs ferre non valent. Quis enim puerum BENEDICTVM stultitia argui patiatur, quod relictâ domo, rebusque, Patrisque soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum & desertū quæsiuit? Quis nisi hæreticus blasphemet Ioannem Baptistam, de quo legitur Luc. 1. quod puer crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel. Manifestè tales insultatores animales se esse demonstrant, dum stultitiam reputant ea quæ instinctu sunt Spiritus Dei.* Sic ille, instinctu Spiritus sancti asserbens hunc B. BENEDICTI secessum ad

S. Benedictus religionem eta… pessere ve… lenti exemplar.

S. Spiritus desertum petiit.

CAPVT I.

ad Eremum. Quod etiam fecit noster Trithemius lib. 3. de viris illust. Ordin. S. BENEDICTI. cap. 1. dicens: *Spiritus sanctus iam tunc in* BENEDICTI *pueri corde locum mansionis sibi parauerat, quem de sæculo excutiens in solitudinem trahebat. O quàm dulcis est Domine, Spiritus tuus, qui etiam infirmorum corda iuuenum contra aduersarium salutis nostræ tam valde confortas!*

Qua ætate eremum adierit. 1. Opinio.

10. DESERTI LOCI SECESSVM PETIIT] Quonam ætatis suæ anno eremum BENEDICTVS adierit, diligenter hîc disquirendum. Et quidem anno 14. id contigisse communis habet opinio, quam in Notis ad Martyrologium Romanũ secutus est Jllustrissimus Cardinalis Baronius. Verùm aliam in Annalibus Ecclesiasticis anno Christi 494. amplectendam tradit. *Hoc*, inquit, *anno quo ab vrbe ponitur recessisse* BENEDICTVM, *annum ætatis egisse 14. traditur. Sed falli, meâ quidẽ sententiâ, puto, qui eius ætatis puerum eremum petiisse existimarunt, haud assecuti Gregorij verborum sententiam. Nec sanè verisimile est, vt tam teneræ ætatis puer adeò arduum vitæ arripuerit institutum, à quo potiùs per Romanum prudentem Monachum reuocandus fuisset, quàm stimulatu pollicito impellendus. Hanc quidem sententiam de eius pueritia cum Eremum petiit, inde ortam puto, quòd sanctus Gregorius puerum eum appellat. Sed eum talem fuisse studeat demonstrare, qui si voluisset mundi voluptatibus frui, vtique valuisset, sed abstinuisse virtute animi; adolescentulum potiùs, quàm puerum eum exhibere videtur. Nam & dum idem ipse Gregorius hominum distinguit ætates, illudq́ explicat Iob: Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ, non pueritiam, sed adolescentiam esse primam ætatem in virtutum operatione dicit. Sed & scias esse peculiare eidem sancto Gregorio, vt per puerum intelligat adolescentem: nam inter alia puerum, imò puerulum eum dicit Monachum, qui cum alijs construebat parietem Monasterij, super quem paries ipse recidit; quem ex operâ quam præstabat adolescentem vtique fuisse oportuit: sicut & cùm ad Eulogium scribens, agit de puero ordinato Diacono, quem tamen nullum repulisset ætatis impedimentum. Nisi magis placet, vt eundem* BENEDICTVM *dicamus puerum ab vrbe recessisse iam puberem, quem vt adhuc ætate tenerum Nutrix apud se retinuerit in loco illo, qui Enfide dicitur, aliquamdiu commorata, postea verò vulgato à se edito miraculo ætate iam adolescentem, animo promptum & viribus, perarduum illud vitæ genus sectandum suscepisse.* Hactenus Baronius.

2. Eaq; probabilior opinio confirmatur.

Verùm, in ipsâ pueritiâ strictè dictâ S. BENEDICTVM eremum petiisse graues Doctores tradunt. S. Odo Cluniacensis serm. de S. BENEDICTO ait: *Adhuc tenerrimus grandæuo animo, iam tunc eremi vastitatem subito ausus est. Quod nec ipse quidem Martinus toto orbe mirabilis, fecisse refertur. Et quia iugum non solùm ab adolescentia, sed etiam ab ipsâ infantiâ portauit.* Aimoinus de gestis Francorum lib. 2. cap. 22. ait: *Adhuc puerulus eremum petiit intrepidus.* Idemque repetit in sermone de S. BENEDICTO. Et S. Bertharius Abbas Cassinensis in hymno de vitâ S. BENEDICTI, ad Nocturnos, post decantatum discessum à Româ, ait:

Et licet vix dum puer attigisset
Puberes annos: nec adhuc recepto
Membra cremento sua ferre pondus
Grande duerur.
Attamen non est veritus, sed annis
Cœpit in primis adolere Christo.

Sed vt nostros nunc omittamus, audiendus Angelicus Doctor quodlib. 5. a. 21. *Beatus*, inquit, BENEDICTVS *proprio arbitrio statim à pueritia ad statum religionis, qui est perfectissimus conuolauit.* Et Opusc. 17. contra retrahentes homines ab ingressu religionis, cap. 3. *Beatus* BENEDICTVS *adhuc* PVER *existens, despectis litterarum studiis, relictâ domo, rebusq́ Patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit.* Quo loco nomen PVER in propriâ significatione sanctus Doctor accipit, nititur enim probare eos, qui propter defectum temporis mandatorum Dei exercitium non potuerunt habere, à religione non excludendos, agitque de illis, qui ante pubertatis annos, in ipsâ infantiâ sub regulari traditi sunt disciplinâ, adferens exempla SS. Mauri & Placidi, quibus immediatè subiicit, quod iam allatum de S. BENEDICTO.

Quodlibeto autem 4. art. 23. ait, Maurum fuisse duodennem, Placidum septennem, posseque pueros infrà pubertatis annos ad religionem admitti. Petrus etiam Episcopus Equilinus in catalogo Sanctorum lib. 3. c. 214. ita ait: *Cùm Romæ liberalibus studiis traditus esset, in ipsâ infantiâ mundum deseruit; & desertum petere decreuit.* Cui consonat Marulus lib. 1. cap. 1. BENEDICTVS, inquit, *impubis adhuc, ac penè puer, altiùs quàm ea consueuit ætas, diuinitus inspiratus, cogitans litterarum studia, Romam ipsam parentesq́ deseruit, vixitq́ solitarius, orationem studiis, Romæ Eremum, parentibus præponens Christum.*

Quoto ætatis anno in Eremum secesserit.

Sed quærat aliquis, quoto ergò ætatis anno, desertâ Româ in Eremum secesserit. Christianus Massæus in Chronico, ita computat: BENEDICTVS *natus est anno Dominicæ incarnationis* 480. *vt rectè annotatum habetur in sacello montis Cassini. Suscepit habitum religionis anno ætatis suæ decimo quinto.* S. Bonauentura homil. 20. in Hexameron ait: *Non multum studuerat ipse* (S. BENEDICTVS) *nec libros habebat; quia ipse decimo tertio anno mundum dimiserat, & latitabat inter fruteta.* Leonardus Lessius disput. de statu vitæ deligendo q. 2. hæc habet: S. BENEDICTVS *valde iuuenis erat, quando omnia deseruit, nempe decem vel duodecim annorum.* Dionysius Petauius de Doctrinâ Temp. lib. 13. anno 494. ait: *Sanctus* BENEDICTVS *relicto paterno lare, cum Nutrice secessit annos natus XIV.* Eiusdem sententiæ sunt Siluester Maurolycus, in Oceano historiæ sacræ omnium Religiunum. Yepez in Chronico Benedictino. Prosper Stellartius in Chronologiâ monasticâ lib. 5. Bernardus Hartfelder in breui chronico, descriptioni Basilicæ SS. Vdalrici & Afræ subiuncto. Georgius Garnefelt in Elucidationibus Imaginum Eremitarum lib. 2. num. 11. Stephanus Binet in Compendio vitarum Fundatorum Ordinum Religiosorum cap. 10.

Sed cur adeò iuuenis secesserit?

Addamus hic etiam congruentiam aliquam à præcursoris Domini exemplo petitam, de quo Scriptura Luc. 1. ait: *Puer crescebat & confortabatur Spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Jn quem locum Beda: *Prædicator pœnitentiæ futurus, vt liberiùs Auditores suos à mundi illecebris erudiendo sustollat, primæuam in desertis transegit vitam.* Ex hoc ergò fine, quod alioqui inconsultum videbatur, conueniens fuit:

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens adiret,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posset.

Eodem modo monasticus Ordo à S. BENEDICTO fundan-

fundandus, tanti erat momenti, tantosque in Ecclesiâ Deiprolaturus fructus, vt omninò conueniens foret, eiusdem Institutorem se ab infamiâ diuino consecrare obsequio; & Magistros huius mundi deserere, vt quidquid deinceps ille doceret, intelligeretur acceptum à Spiritu Sancto.

S. Benedictus cum S. Ioan. Baptista comparatur.

Neque nostra hæc primum adinuentio est, S. BENEDICTVM hac in parte Christi Prodromo comparare, id enim, vt suprà vidimus, Angelicus fecit Doctor, & noster Aimoinus, qui sermone de S. BENEDICTO, ait: *In conuersatione Eremi à pueritiâ, Eliæ, vel Baptistæ Ioanni coæquetur.* Sed & apud sanctam Birgittam lib. 3. Reuelat. cap. 20. ipsa Christi Mater, hanc comparationem fecisse legitur, sic enim ait: *Bonus ille Abbas* BENEDICTVS *timens ne aures macularentur auditu inani; oculi, visione delectabilium, fugit in Eremum; imitans illum, qui nondum natus exultando intra viscera materna cognouit aduentum sui piissimi Redemptoris.* Hæc ibi. quæ primam S. BENEDICTI pietatem valde commendant, & rationem etiam assignant, cur in desertum Deo Auctore secesserit; vt nimirum ibidem suum inchoaret Ordinem.

Satisfit rationibus pro prima opinione.

Sed ad Jllustrissimi Cardinalis Baronij rationes nunc respondeamus. Dicimus enim, etsi nomen PVERI non ab Gregorio tantùm, sed etiam à sacrâ Scripturâ pro Adolescente, aut maiori ætate sæpius accipiatur, ipsum tamen *pueritiæ tempus* in sacrâ Scripturâ, & passim apud alios Auctores, vix extendi vltrà decimum quintum annum. Hippocrates enim, teste Censorino lib. de die natali, septem humanæ gradus distinguit ætatis, & primum facit infantiam, quæ terminetur anno septimo: secundum *pueritiam*, quæ quarto decimo finiatur anno. Marcus Verro quinque gradus facit. In primo, vsque ad annum decimum quintum *pueros* dictos, quod sint puri, id est, impuberes. Ab hoc ergo pueritiæ tempore, arbitror Gregorium dixisse S. BENEDICTVM *cor gessisse senile, ætatem moribus transisse,* vt significaret, ante tempus à naturâ communiter determinatum, potuisse vitiis resistere, & solidos virtutũ actus exercere.

Quod etiam ex eo confirmatur, quod S. Hildegardis describens vitam S. Disibodi, scribat, cum *ab infantiâ Spiritus sancti gratiâ eodem modo adornatum, quo fuerint S.* BENEDICTVS, *& S. Nicolaus.* Jdipsum autem cùm Deo, vt credimus, reuelante, non ignoraret Romanus, mirum non est, si à proposito per eum reuocatus non fuerit, sed habitum illi potiùs, & adiutoriũ impenderit. Nec deest in hoc genere vetustioris sæculi exemplum, nam S. Hilarion decimo quarto ætatis suæ anno, vt refert Hieron. in vitâ, ad magnum Antonium in solitudinem perrexit, neque ab eo ob teneram ætatem reiectus est. Cumque apud ipsum duobus mensibus mansisset, eiusque vitæ rationem didicisset, necdum annum quintumdecimum egressus, Eremum solus incolere cæpit. Quin & Patrum nostrorum memoriâ, S. Franciscus de Paula decimum tertium annum circiter agens, in eremum solus habitaturus secessit.

Surius in vita.

Quod autem Gregorius lib. 12. Moral. cap. 24. dicat, Adolescentiam esse primam ætatem in virtutum operatione, fatemur id quidem ordinariè verum esse; sed idem eodem loco inter hominum ætates, enumerat etiam infantiam, & *pueritiam*; in quâ extraordinariè & diuino quasi priuilegio posse virtutum opera exerceri, ipse alibi docet. Primo enim Dialogorum libro, cap. 1. refert, Honoratum ab annis puerilibus ad amorem cælestis patriæ per abstinentiam exarsisse, & ab otioso sermone se restrinxisse. Cum autem Petrus quæreret, an hic aliquem habuisset Magistrum, respondit Gregorius nequaquam, *Sed lege,* inquit, *non constringitur S. Spiritus donum. Sunt enim nonnulli, qui ita per magisterium Spiritus intrinsecus docentur, vt etsi eis exteriùs humani magisterij disciplina desit, magistri intimi censura non desit.* Hæc Gregorius. Quæ in S. BENEDICTVM vel maximè quadrant. De eo enim magnifica hæc B. Hildegardis in Regulam scribens, commemorat elogia: *Audiui,* inquit, *vocem à vero lumine mihi dicentem: Lucidissima dona & mystica spiramina Spiritus sanctus in B.* BENEDICTO *operatus est, ita quod mens ipsius in timore Dei rutilabat, nec suasionem diabolicæ artis in operibus suis perfecit. Ipse enim gratiâ Spiritus sancti hoc modo perfusus erat, quod in nullo opere suo velut in puncto momenti & ictu oculi virtute Spiritus sancti carebat.* Hæc illa virgo sanctissima, cuius scripta in Concilio Treuirensi approbata sunt.

CAPVT I.

S. Benedictus Spiritus sancti gratiâ perfusus.

Quis igitur ambigat, hunc tam largiter in benedictionibus dulcedinis à Deo præuentum, potuisse in ipsâ pueritiâ, heroica, & virilia virtutum exercere opera? vt minimè iam opus sit ex solâ coniecturâ, aut propter imbecilliorem ætatem, longiorem in Enfide BENEDICTI, eiusque Nutricis fingere commorationem. Atque hæc ad Baronij obiectiones, nunc ad Eremum abeuntem Christi Athletam prosequamur.

Sublaci situs.

II. CVI SVBLACVS VOCABVLVM EST] *Sublacus,* vt S. Gregorius hîc ait, quadraginta ferè millibus ab Romanâ vrbe distans, in Latio sita est, in territorio Æquicolarum, de quibus Maro Æneidos 7.

Horrida præcipuè, cui gens, assuetaq́ multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis,
Armati terram exercent.

In hac porrò terrâ quidam se extollunt montes, quos Simbruinos appellant, à flumine Simbriuio de quo Silius Jtalicus lib. 8.

Quiq́ Anienis habent ripas, gelidoq́ rigantur
Simbriuio, rastrisq́ domant Æquicola rura.

Cornelius Tacitus lib. 14. Annalium, *Simbruina* vocat *stagna, cui Sublaqueum nomen est:* Verùm dubitat Lipsius, num vox Tacito desit, legendumque, *Villa cui Sublaceum nomen.* Certè Neronis villa *Sublacensis,* Frontino de Aquęductibus cognita. Plinius lib. 3. *Anio lacus tres amænitate nobiles, qui nomen dedere Sublaceo* (ita enim potiùs scribendum, ait Lipsius; quia à lacu) *defert in Tiberim.* Vicinius, & velut digito *Sublacum* nobis designat Constantinus Caietanus lib. de S. Gregorij Monachatu, sect. 4. vbi ait: *Sublacum, qui in Æquicolis recensetur, in viâ Valeriâ & Prouinciâ continere atque Valeriâ totus inter principes quondam ciuitates duodeuiginti millia passuum dumtaxat, & Amiterno eiusdem prouinciæ quondam Metropoli, non multum abesse.* Idemque lib. 2. pro Joanne Diacono cap. 7. proponens sententiam Pauli Diaconi, de gestis Longobardorum lib. 2. cap. 20. inter vrbes Valeriæ numerantis Tiburim, Carceolim, Rheate, ait: *Atqui Sublacus & Benedictina monasteria vltrà Tiburim in agro Carseolano sita sunt. Quippe etiam nunc tam ipsa monasteria, quorum extant vestigia, quàm vici, quos possident in Æquicolis numerantur.*

Sequentibus porrò temporibus, muris *Sublacus* cinctus, Oppidum euasit *Sublaco* vulgo dictum. *Situm est* (vt Philippus Cluuerius Italiæ antiquæ

CAPVT I.

lib. 2. cap. 10. *in ipsâ ripâ Anienis dextra, XX. millia passuum suprà Tibur. in colle edito; infra quem amnis per cataractam præcipitatur. Mille verò passus suprà Oppidum ad eandem ripam loco editiore conspicitur monasterium D.* BENEDICTI, *qui hic genitus est.* In quo postremo errat, Nursinum enim origine fuisse, suprà Gregorius dixit.

Eius plenior descriptio. Abraham porrò Bzouius, describens quemadmodum Pius Papa II. anno Christi 1461. inuitatus à Joanne Turrecremata, Sublacensis Monasterij Administratore & Cardinale, loco ista inuiserit, hæc instituto nostro non importuna recenset. Oppidum est multâ plebe refertum; prope domus obsedere, altera super alteram sitæ, in summo cacumine arx est propemodum inexpugnabilis, nisi valle interiectâ rupes altior immineret. Anio magnam Oppidi partem ambit, ex Oppido ad Monasterium Sublacense, via est duorum milliarium per abruptas petras, & difficiles aditus, quos facilè liceat hosti præcludere. Vbi ad Monasterium ventum est, ibi tãtum in plano spatij repertum, quantum ad Ecclesiam, claustrum, & officinas cœnobio necessarias constituendas opus fuit, quæ omnia magno sumptu construxêre priores. In hisce locis sanctissimus Pater BENEDICTVS Eremiticam & austeram incepit vitam: hîc sacræ religionis suscepit habitum, & Ordinis sui prima iecit fundamenta. Qui ex paruo fonte, in magnum excreuit fluuium, qui totam deinde irrigauit superficiem terræ.

Romanus quis, & qui de eo meminerint. 12. MONACHVS QVIDAM ROMANVS NOMINE] Fuit hic vir sanctus, & de eo in Breuiario Monastico officium ritu duplici agitur 22. Maij, quo die, ita Martyrologium Romanum: *In pago Antisiodorensi beati Romani Abbatis, qui S.* BENEDICTO *ministrauit in specu: unde in Gallias proficiscens, ædificato monasterio, relictisq; multis sanctitatis alumnis, quieuit in Domino.* Vitam eius adfert F. Claudius de Rotâ Dominicanus, in legendâ Sanctorum, cap. 217. ex quo breuiter eam repræsentat Antonius de Yepez in Chronico, ad annum Christi 546. quo mortuum scribit, triennio scilicet post obitum S. Patris BENEDICTI. Adfert verò Joannes à Bosco in Bibliothecâ suâ Floriacensi vitam huius S. Romani duobus libris scriptam à Gisleberto, perantiquo & erudito Monacho; quorum prior est de vitâ & translationibus huius sancti Abbatis, posterior verò de eiusdem miraculis. Prior sic incipit: *Adest nobis dies veneranda commemorationis beatissimi Romani egregij Confessoris Christi, &c.* Sed hoc ipso exordio incipit sermo S. Bertharij Abbatis, de eodem Patre, quem apud se MS. exstare, in suo Martyrologio ait Arnoldus Wion, vt alter ab altero sua fortassis mutuò acceperit. In eo autem siue libro, siue sermone, hæc loco huic opportuna habentur: *Qui quondam beati Patris* BENEDICTI *Alumnus, & in rebus diuinis extitit cooperator ac socius. Quem ad spiritualis agonis tyrocinium properantem, tamquam miles emeritus, & diutinâ iam exercitatione instructissimus præliator; doctrinâ instruxit, pane aluit, exhortatione firmauit. Verè falix, verè gloriosus; cui concessum est, vt illius educator existeret, qui monasticæ religionis arcem, iam super Christum fundatam, quaquauersum per orbem nobiliter excoleret, proueheret, sublimaret.*

Hoc autem loco, quo B. BENEDICTO Romanus obuiam venit, & sanctæ conuersationis habitum tradidit, extructum deinceps est ad tantæ rei memoriam sacellum, in honorem S. Crucis, quod Sublaco, siue à S. Scholasticæ, vt nunc vocatur, monasterio, ad sanctum specum euntibus occurrit. Porrò iuxta huius sacelli fores hodieque ostenditur columna lapidea striata, altitudinis circiter pedum quinque, sed temporum iniuriâ & vetustate plurimum exesa. Huic tradunt S. BENEDICTVM sæculares vestes, dum monasticas à Romano acciperet, imposuisse: vt nobis R. D. Hieronymus Coquelin, qui loca ista pridem inuiserat, commemorauit. Discedens autem S. BENEDICTVS ad sinistram, meridiem versus, prædictum intrauit specum: Romanus verò suum repetiit cœnobium, ad dextram in summitate montis situm, vbi hodieque est sacellum, ab eius nomine *S. Romani* dictum, cui vnum alterumque adhæret cubiculum, ab vno è S. Scholasticæ Monachis inhabitatum.

Quæri possit, cur Romanus S. BENEDICTVM *Quæsita quædam circa Romanum factũ soluuntur.* non deduxerit ad monasterium, suumque Abbatem, vt ab eo sanctæ conuersationis habitum peteret, & acciperet: Id enim satius videbatur, quàm iuuenem quatuordecim annorum Anachoreticæ vitæ initiare. Responderi potest, S. BENEDICTVM habitis vltro citroque sermonibus satis significasse, se solitariam vitam prælegisse, & specum tam opportunum monasterio prætulisse. Romanum verò, quòd videret iuuenem tam arduæ vitæ vtcumque aptum, eumque diuinis potiùs, quàm humanis crederet niti consiliis, Deo interiùs mentem eius permouente, petitioni eius acquieuisse; & quem tantoperè desiderabat, sacrum habitum dedisse. Nolebat scilicet à perfectiori viuendi genere Anachoretico ad imperfectius cœnobiticũ auocare; quem à Spiritu sancto præparatum, & velut alterum Baptistam illi nouerat esse idoneum. Vnde Doctor Angelicus 2. 2. q. 188. a. 8. ait: *Si absque præcedenti exercitio solitaria vita assumatur, est periculosissima; nisi per diuinam gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, sicut patet de beatis Antonio &* BENEDICTO.

Notat quoque Petrus Rouerius, in Illustrationibus historiæ Monasterij Reomaensis num. 11. Quamuis monasticæ militiæ lex fuerit, solitarios ferè ex Cœnobitis fieri; quos tamen Deus ad magna destinauit, eos fermè communi cæterorum hominum lege non coerceri. Cœnobitas enim ex solitariis contrario more existere plerumque voluit, quos religiosæ vitæ columina, atque auctores esse toto terrarum orbe cupiebat. Ita Antonium *Cœnobitarum Patres ex Anachoreti.* ex Niloticâ, Pachomium ex Thebanâ, Basilium ex Ponticâ, Hilarionem ex Palæstinâ, Macarium ex Scethicâ, alios alia ex Eremo, ad instituendas in Oriente Cœnobitarum acies euocauit. Ita Martinum Turonica, Honoratum Lerinensis, Romanum Jurensis, BENEDICTVM Sublacensis, Columbanum Luxouiensis, aliosque non paucos aliæ solitudines Cœnobiorum Patres Occidenti dedêre. Ad quorum exemplum & S. Joannes Reomaensis Abbas, duplicis se solitudinis inhabitatione ad religiosæ vitæ magisterium informauit. Hactenus ille.

Sed altera exurgit quæstio. Vnde Romano in viâ constituto, nec futurorum præscio monastica vestis ad manus, quam S. BENEDICTO daret? Ire ab aliis non declaratâ, probabilibus nitendum censeo coniecturis: Indutus proinde fuerit duplici tunicâ, quarum alteram BENEDICTO concesserit. Aut fortassè monasterium repetiit, & ex communi vestiario antiquum aliquod indumentum, aut vsibus

bus

bus suis assignatum acceperit, quo reuersus nouum Christi Tyronem induerit.

Si roges quomodo id licuerit? Responderi probabiliter potest, olim fortassis permissū fuisse Monachis, vt de modicis vtensilibus suis, victu, & amictu liceret eleemosynam facere, & indigentibus subuenire; præsertim si diuisis cellulis, velut eremiticam vitam etiam in ipso monasterio instituerent: quod istis, & sequentibus etiam temporibus non infrequens fuit. Atque hoc nomine Romani è monasterio egressus, subministratio panis, & de quâ agimus habitus donatio, à Goffrido Vindocinensi Abbate, & S. R. E. Cardinale, ante aliquot sæcula excusata fuerunt: *Romanus*, inquit, Serm. de S. BENEDICTO, *illo suo facto meritò laudatur, quia ista & quædam alia Monachis tunc licebant, quæ nunc prohibentur. Sunt etenim quædam bona, quæ prius quidem licere possunt, sed illicita postea fiunt. Nam Monachis illius temporis illa humanitatis opera licebant, quia se non ab illis operibus abstinere promiserant. Modernis verò sic illa licere minimè possunt: qui nec illa, nec alia bona facere sine spiritualis Patris voluntate deuouerunt, & fide sua professionis firmauerunt.* Hæc ille.

Monachi Sacerdotes olim vestem & tonsuram religiosis conferebant.

Quæ si in particulari magis confirmanda videantur, notandum olim Monachis Sacerdotibus permissum, vt habitum & tonsuram monasticam petentibus conferrent. Theodorus enim Balsamon in Canonem 6. Synodi Carthaginēsis, disputans, num opus sit Episcopali licentiâ, vt aliquis in Monachum tonsuretur (monachalem autē habitum tonsuram vocari idem docet, ad Canonem 5. Synodi Constantinopolitanæ) hac vtitur distinctione: *Mihi videtur Sacerdotes præfectos posse citrà vllum impedimentum tondere, etiam sine episcopali permissione. Qui autem sunt simpliciter Sacerdotes monachi, debent facere tonsuras cum scientiâ Episcopi propter præsentem Canonem. Nisi quis fortè hoc quoque velit fieri solâ Monachi Sacerdotis voluntate ex longâ consuetudine, quæ & canone & lege fuit potentior.* Si autem talis olim consuetudo in Monacho Sacerdote tolerata fuerit, existimare liceat, Romanum hunc sacerdotio initiatum fortassis fuisse. Verùm propter enata hinc incommoda, Canone 2. Concilij Constantinopolitani tempore Photij celebrati, abrogata fuit hæc consuetudo, & statutum, *Ne vllus ex omnibus monastico habitu dignus censeatur, sine præsentiâ eius, qui illum debet ad obedientiam suscipere, & se principatum in illum obtenturum, & eius salutis curam gesturum profitetur.* Qui aliter fecerit, depositioni subiiciatur.

Idem prӕstitum à simplici Monacho.

Vlteriùs porrò notandum, etiam à non presbytero, sed simplici dumtaxat Monacho collatā aliquando tōsuram vestemque monasticam. Colligitur id ex vitâ sanctæ Euphrosynæ Virginis, quæ habetur lib. 1. de vitis Patrū. Huic enim cùm Monachus sexus dissimulationē, & vestem monachalem induere suasisset, rogabat illa: *Et quis me habet tondere? Respondit Monachus, adduc vnum de Monachis, & quomodo voles, occurret tibi cum magno gaudio.* Sciebat ergo quemcūque Monachum huic operi idoneum. Quod ex sequentibus magis cōfirmatur; nam ipsa Euphrosyna, hoc cōsilium secuta, famulo dixit: *Vade in Monasterium Theodosij, ingressusq; Ecclesiam monachū quem ibi inueneris adduc tecum.* Vbi vides nullam factam inquisitionem, an Monachus hic esset Sacerdos. Hîc autem Monachus, vt postea subditur, *facta oratione abscidit comam capitis eius, induitq; eam tunicam schematis.* En quanta in hoc facto cum Romani cōuenientia, nam & hic sub Abbate degebat, inscio quoque Superiore monasticā vestem, nescio vnde acceptam, cōtulerit, & quidem quod mirabilius est, fœminæ. Quid, si & laicū huic muneri adhiberi potuisse dicamus? Insinuatur id certè in eâdem historiâ, cùm dicitur: *Nolebat à laico tonderi, qui non seruat fidem.* Ex quo colligas laicum assumi potuisse, sed nōn assumptum, ob metum ne virginis stratagema fortasse proderet.

CAPVT I.

Obseruatum quoque à Petro Rouerio, in Illustrationibus historiæ Monasterij Reomaēnsis, num. 58. Anachoreticam tonsuram à quibusuis ferè olim traditam. Referens enim temerariū quemdam virum conatum forcipe cæsariem S. Sequani resecare, sed diuinam in se iram prouocasse, subiungit: cur diuinam hic promeruerit vltionem, nō statim occurrit ratio. Si enim ille Anachoreticâ tonsurâ S. Sequani caput voluit insignire, nullum, vt opinor, Ecclesiæ violauit interdictum. Nam testis est Theodorus Studita, in S. Platonis elogio, nullas ab hoc opere manus fuisse prohibitas, ne seruiles quidem. *Plato enim*, vt inquit, *cùm se vitæ dederet Anachoreticæ, famulo vsus comite, in densam quandam siluæ partem ingressus, eius manu, qui eum sequebatur, comam sibi totondit, & pullâ veste tanquam purpurâ quadam se induit.*

Quin & à Laicis.

In Concilio quoque Toletano 4. Cap. 54. mentio fit eorum, *qui à parentibus detonsi fuerunt, atque etiam eorum, qui ex sæcularibus, accipientes pœnitentiam totonderunt se.* Iterumque in Concilio Toletano 10. cap. 6. ita scribitur: *Si in qualibet minori ætate, vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in vtroque sexu filiis, aut vnus aut ambo parentes dederint*, &c. Citant hæc ipsa Gratianus 20. q. 2. C. *Si in qualibet*, Burchardus lib. 8. cap. 1. Iuo lib. 3. cap. 186. Quæ quidem argumento sunt, subinde etiam à sæcularibus, vt dicebamus, religiosum collatum fuisse habitum.

Paupertas à veteribus Monachis qui seruata.

Qui superesse videtur scrupulus, de suppeditato ab eodem Romano pane, eâdem responsione eximi potest, factumque excusari temporis illius non improbatâ consuetudine, nam & Simeon Stylites in monasterio S. Timothæi degens, cibum quem simul cum Fratribus accipiebat, tacitè pauperibus erogabat. Quod cùm Fratres inuenissent, & ad Abbatem detulissent, nullâ aliâ de re questi sunt, nisi de enormi eius ieiunio, fœtore, & vermibus corporis. Sed nec Abbas eum reprehendit, nisi quod vellet discipulus esse suprà magistrum; *Et, fili*, inquiebat, *quid est quod dicunt Fratres de te? non tibi sufficit ieiunare sicut nos?* De violatâ verò paupertate per ciborum distributionem, ne verbum quidē fecit, vt non improbabiliter colligas, licitam tum Monachis fuisse talem distributionē.

S. Conuersatio pro Monachatu.

13. SANCTÆ CONVERSATIONIS HABITVM TRADIDIT.] Hugo Menardus Obseruat. lib. 2. vigesima Januarij, notat hæc vocabula, SANCTA CONVERSATIO, olim pro monachatu fuisse vsurpata, pro quo adducit hæc S. Gregorij verba: & ex simili loquendi formâ concludit S. Maurum Cæsenatem Episcopum monachū fuisse, de quo S. Petrus Damiani ait, quod *in* SANCTÆ CONVERSATIONIS *studio non segniter vigilaret.* Idem cap. 15. de vitâ S. Romualdi, agens de beato Joanne Grandenico: *Cellam sibi ædificari propè monasterium petiit, ibiq; per triginta ferè annos quamdiu vixit, in* SANCTA CONVERSATIONE *permansit.* Et libro de perfectione Monachorum, cap. 15. agens de B. Mainardo: *Est autem, nisi fallor, in* SACRÆ

CON-

CAPVT I. CONVERSATIONIS *habitu* duodenis, & hic quidem in conuentu Fratrum, &c. Beda quoque in vitâ S. Cuthberti cap. 28. *Ad eamdem Lugubaliam ciuitatem rogatus aduenit, quatenus ibidem sacerdotes consecrare, sed & ipsam reginam dato habitu* SANCTÆ CONVERSATIONIS *benedicere deberet.*

Ex eisdem porrò his verbis, duo Nouatorum refelluntur errores. Prior sub nomine quorumdam à Beato Rhenano, argumento ad librum Tertulliani de Pallio, his verbis relatus: *Veterum Monachorum vestes, qualibus Benedictini vtuntur, communes omnibus olim Christianis ætate Diui* BENEDICTI *quidam fuisse putant.* Verùm, quid opus erat, vt BENEDICTVS SANCTÆ CONVERSATIONIS habitum quæreret, aut Romanus tribueret, si nullus talis esset, aut rectè non alius quàm quo iam BENEDICTVS aliique communiter erant induti? Alter error est Polidori Vergilij, qui lib. 7. de Inuentoribus rerum, cap. 2. ait: BENEDICTVS *dedit suis Monachis nonum vestitus genus, constituit modum orandi, & tenue victus alimentum.* Sed quomodo nouum vestitus genus primus ipse Monachis dedisse traditur, cùm à Romano hic *sanctæ conuersationis habitum*, siue vt in Græco Zachariæ est, *sanctum Monachorum schema* acceperit? Sed longè ante S. BENEDICTVM peculiarem extitisse Monachorum amictum, ex sanctis Patribus ostendetur in nostris *Disquisitionibus.*

Nouatorum errores circa habitum monasticum refelluntur.

14. IN ARCTISSIMVM SPECVM SE TRADIDIT] Obseruatum iam pridem fuit, Monachos, & præsertim Anachoretas, vt seipsos, naturamque subiugarent, mirè ingeniosos fuisse in corpore diuexando, non in cibo, potu, somno, corporisque duntaxat diuerberatione, verùm etiam in ipsis habitaculis tormenta potiùs, quàm requiem quæsiisse. Nimirum cùm scirent exspectare se domum non manufactam in cælo; satis amplè videbantur habitare in terrâ, si vel angustissimo concluderentur gurgustio. Dumque eum in memoriam reducunt, qui dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres celi nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*; omnes æ diù delitias respuentes, in antris & cauernis terræ degere pro Christo, illis volupe fuit.

Monachi in sui mortificationem ingeniosi.

Matth. 8.

Verùm haud inconueniens fuerit rigidas hasce Monachorum mansiunculas in quasdam veluti classes distribuere, atque ita ad arctissimum hunc S. BENEDICTI specum sensim accedere.

Illorum rigida diuersimodaq; habitacula:

PRIMÒ, quidā nudis insederunt rupibus, vel môtibus, de quibus Theodoretus in Philotheo, c. 23.

In montibus vel rupibus sub dio:

SECVNDÒ, alij ipsas excauârunt rupes aut montes, vel inuenta in ipsis antra subierunt. De Iuliano enim Sabâ, ibidem cap. 2. Theodoretus scribit, inuenisse eum in solitudine *antrum non manufactum, neque benepulchrè effossum*, in quo deinceps degebat. Cellulæ, quas binas in sublimi montis vertice S. Antonius habebat, in viuo excisæ erant saxo, quibus ostia tantùm addita; non plus autem mensuræ per quadrum tenebant, quam homo dormiens extendi poterat, vt refert Hieronymus, in vita Hilarionis.

In rupibus vel montibus excauatis:

TERTIÒ, Quidam profundas terræ fossas aut cisternas pro domicilijs elegêre. De Eusebio Theodoretus, cap. 18. ait: *Cum quoddam dorsum montis occupasset, fossâ solummodo factâ, & lapidibus ne luto quidem consertis sub dio reliquam transegit vitam.* Macedonius apud eumdem cap. 13. Gubba dictus est, quod in profundâ fossâ annis quinquaginta quinque, stans sub dio viueret; Gubbam autem interpretatur lacum. Hieronymus quoque in vitâ Pauli, testatur vidisse se Monachum, qui *in cisternâ veteri, quam gentili sermone Cubam vocant, quinque Caricis per singulos dies sustentabatur.*

In cisternis.

QVARTÒ. Nonnullis Cellam sepulchra præbuerunt; vt de Alexandrâ Raderus Viridarij part. 2. cap. 5. num. 2. commemorat. Et Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul S. Athanasius quatuor menses in paterno sepulchro delituit.

In sepulchris.

QVINTÒ, Columnis velut viuentes statuæ quidam institerunt: quos ab hâc exercitatione Stylitas nuncupârunt.

In Columnis.

SEXTÒ, Fuerunt & qui arborum truncos inhabitârunt, vt in Prato Spirituali, cap. 70. Addas eâ platano inclusus. Rigida admodum in hoc genere fuit B. Andreæ Zoerardi pietatis adinuentio, de quo B. Maurus Quinqueecclesiensis Episcopus, apud Surium 1. Maij. *Planatum truncum quercinum sepe circumdedit, & per ipsum sepem arundines acutas ex omni parte infixit. Ipse vero in trunco sedens tali sessorio vsus est artuum recreatione, vt si fortè corpus sopore grauatum qualemcumque in partem se flecteret, arundinum acie sauciatum grauiter euigilaret. Insuper & ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides suspendebat, vt si caput sopitum quocumque inclinaret, lapide perceteretur.*

In arborum truncis.

SEPTIMÒ, Sub dio habitarunt alij, omnes aëris impetus, & solis ardores sustinentes; vt Iacobus Maronis discipulus, de quo Theodoretus cap. 21.

Sub dio:

OCTAVÒ, Qui subdiale hoc vitæ genus exercebant; subinde septo quodam se includebant, quod illud & cæli, in quod aspirabant Anachoretæ, conspectum non subtraheret, & aeris iniurias, quas amabant, non arceret, sed solos hominum oculos, vnde vanitatis & gloriolæ fomenta accendi poterant, prohiberet. In his fuit Limnæus apud eumdem Theodoretum cap. 22. cui nec domuncula fuit, nec tabernaculum nec tugurium; sed solum septum ex lapidibus ædificatum pro domo erat. Habebat autem quoddam ostium luto assiduè obstructum. Eodem vixerunt modo Marana & Cyra, eodem lib. cap. 29. recensitæ. Simeon quoque Stylites antequam columnæ insisteret, ædificauerat sibi clausuram ex lapide sicco, ibique fuit annos tres, vt habet Antonius eius discipulus in vitâ.

atque subinde septo cuidam inclusi.

NONÒ, Non defuêre qui in angustissimâ areâ exercitationis suæ areæ posuerunt, qualis fuit Baradatus, cuius Cellam Theodoretus cap. 27. ita describit: *Illic eum rupem occupasset imminentem, & paruam quamdam arcam, nec istâ quidem symmetriâ corpori congruentē, ex lignis construxisset, in eâ vitam degebat, deorsum assiduè incuruari coactus. Non habebat enim altitudinem eius longitudini iustâ proportione conuenientem. Non erat autem ea compacta asseribus, sed erat aperta similiter atque cancellis; & erat similis fenestris, quæ latiores habent ingressus luminis. Quocirca nec à pluuia erat impetu libera, nec erat tecta à flammâ solis: sed vtraque non minus admittebat, quàm alia quæ sunt sub dio: in hoc autem solo ea superabat, quod accederet labor inclusionis.* Talis etiam videtur fuisse lignea, alteraque ferrea cellula, quas sibi Theodorus Siceorum Archimandrita fieri curauerat; de quo Georgius Presbyter eius discipulus, in vitâ apud Surium, 22. Aprilis.

In arca.

DECIMÒ, Stupenda prorsus fuit habitatio Thalelæi rotis subnixa vel ex eis pendula, quam Theodoretus cap. 28. ita describit. *Is cum duas rotas construxisset, quæ duorum cubitorum habebant diametrum*

Rotis subnixi vel penduli,

metrum, asseribus non inter se compactis, sed disiunctis & separatis, ambas rotas coniunxit. Deinde cùm intus sedisset, & cuneis & clauis disiunctas illas confixisset tabulas, sub dio rotam appendit, tribus altis alijs lignis in terram defixis, & superioribus eorum intus alijs lignis commissis, & in eorum medio duplici illa rotâ alligatâ, & sublime elatâ. Huius autem spatium quidem quod est interius, habet quidem cubitorum duorum altitudinem. In eo sedens vel potius suspensus, annus iam sunt decem perpetuis. Cùm autem corpus habeat maximum, neque sedens quidem potest collum erigere, sed semper sedet incuruatus, genibus habens affixam faciem.

S. BENEDICTO habitaculum, Specus:

Præparauit quidem diuina bonitas S. BENEDICTO incommodam habitationem, eique pro domicilio Specum obtulit, quæ continuam ei adferre posset molestiam, eam verò libenter incoluit veterum Anachoretarum æmulatus studia. De his enim Nicephorus lib. 14. cap. 50. *Aliqui seipsos à multis segregantes, solitarij degunt, exiguis maximè ædiculis se includentes, quæ eâ sunt latitudine & altitudine, vt neque directè stare, neque facilè cubare possint, speluncis quibusdam & terræ cauernis, sicuti Apostolus inquit, incubantes.* Sed iam ipsum quem S. BENEDICTO Deus præparauit locum contemplemur.

Specus descriptio.

Eum hodie vocant SACRAM SPECVM, quam Yepez sepulchri potiùs formam, quàm humani domicilij referre ait; in longum enim non vltrà septem, in latum verò non vltrà quatuor spitamas se extendit. Hinc in eâ consistere nemo erectus potest, sed tantùm procumbere aut genuflectere. Pauimentum ipsum asperũ & scabrosum, vt siluestrium animalium nõ malè quis latibulum dixerit.

Sed audiamus de eo oculatum testem, & fide dignum sacræ Theologiæ Doctorem Thomam Stapletonium, qui in Promptuario morali, Dominica infra octauam Natiuitatis, textu quinto, sic ait: *Sed & hodie (quod enim vidimus testamur) in speluncâ* S. BENEDICTI *in rupe altissimâ iuxta Sublacum oppidum quadraginta milliaribus ab vrbe Româ distans, cùm angustus adeò sit locus, vt nec erecto corpore stare, nec ingenua se erigere quis posset, in longum tamen sit porrectus quantum humani corporis longitudo requirit; locus ipse vbi* S. BENEDICTVS *oratione continuâ se prostrauit, triennium ibi agens, politissimus nimis est, & præ nimiâ æqualitate lubricus, cùm tota reliqua speluncæ pars, tam intus quam extrà, saxum sit longè asperrimum.* Hæc ille. In aspero hoc & pleno horroris loco, suam sanctissimus Adolescens incepit pœnitentiam, ibique triennio permanens, eam huic loco sanctitatem attulit, quam miracula posteà declarârunt. In hâc enim cauernâ, vt in fine Libri videbimus, insana mulier casu obdormiscens, euigilans posteà mentis sanitati est restituta.

Quin & sequentibus temporibus, miracula ibi facta, Antonius de Yepez in Chronico refert, vt non immeritò Petrarcha lib. 2. de vitâ solitariâ, spelæum hoc ita commendauerit: *Petitq́, puer non modo solitudinem, sed desertum, & illud inane, sed deuotum* SPECVS, *quod qui viderint, vidisse quodammodo paradisi limen credunt.* Speluncam hanc animo oculisque sibi obijciebant primi Claræuallenses monachi, nam (vt habet Wilhelmus S. Theodorici Abbas in vitâ S. Bernardi lib. 1. cap. 7.) *loci illius solitudo inter opaca syluarum & vicinorum hinc inde montium angustias, in quo serui Dei latebant, speluncam illam* S. BENEDICTI *Patris nostri quodammodo repræsentabat, in quâ aliquando à Pastoribus inuentus est; vt cuius imitabantur vitã, habitationis eius solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarij ibi erant.* Hæc illi.

CAPVT I.

Et monasterij in eâ extructi

Specus verò sanctitatem, extructo quâ licebat monasteriolo, posteri venerati sunt. Quod quale quantumque anno Christi 1461. fuerit, audi Bzonium ita narrantem: Pars Monachorum dies ac noctes gratissimas Deo laudes canit in ipso Monasterio Sublacensi: pars in altero, quod SPECVS vocitant, ad quod mille passibus ascenditur, viâ difficili, & ferro factâ, adeoque præcipiti, vt absque horrore adiri nequeat, hinc profundissimâ in Anienem descendente rupe, inde altissimo imminente saxo; nec accessibilis vllo pacto, nisi modò ad dexteram, modò ad sinistram varios agens flexus in anguis morem ab imo vsque ad summum ducta, & plerisque in locis muro defensa fuisset; Monasterium sub altissimo saxo ædificatum est, ita vt magna pars eius vicem tecti gerat, partem exteriùs construxêre: ædes ipsa sacra, & officinæ Monachorum multæ intra saxum patent. Sicut in altis scopulis nidos videmus hirundinum in crepidine lapidum; ita est hoc monasterium cernere affixum sublimi saxo, ex quo sæpe frusta concidunt, quæ aut Monachos perimunt, aut ædificiorum ruinam faciunt. Multa hic sancti viri BENEDICTI miracula referuntur, & tintinnabulum ostenditur, quo diabolus illusisse bonis operibus conatus est. Monachi circiter viginti hic degebant, nunquam carnes edebant, vinum multâ domabant aquâ, ieiunia longa producebant. Luxuria erat duo oua comedisse, oleribus & pane vescebantur, vel leguminibus. His epulis mensam onerabant, breuissimum tempus cibo dabant, néc multo maius somno: reliquum in oratione consumebant, rem diuinam peragebant summâ deuotione, psallebant Deo confidenter. Maior pars senum erat, quorum plerique inoffensâ valetudine ad octuagesimum annum peruenerant, vultu alacres, & alloquio venerabiles, quorum vnica cura fuit, dissolui tandem, & esse cum Christo. Huc cùm Pius Papa II. peruenisset omnia loca exosculatus est, quæ fama vulgaret S. BENEDICTI corpus tetigisse, spiritualesque gratias, quas Monachi petiuêre, elargitus est. Hæc ex Bzonij Annalium tomo 17.

Monachorum Specuensium austeritas.

Pius II. Specum inuisit.

Huic descriptioni conformis est ea, quam adfert Simon Milletius, qui anno 1605. loca hæc inuisit, & de hoc monasteriolo agens, ait: Ecclesiam habet valde exiguam, choro instructam & sacellis, huc illuc, prout rupis cõcauitas permittebat, sparsis; his quidem sursum, alijs verò vergentibus deorsum. Sacra *Specus* sita est ad sinistram chori, quà itur ad summum altare. Pendet in eâ argentea lampas continuò ardens, clauditurque cancellis ferreis, ante quos pulchrum conspicitur altare. Est porrò loci situs aspectu adeò horridus, vt si in Ecclesiæ consistens ostio, sursum eleues oculos, grandem & quæ nubes videatur attingere, aspicias rupem: rectam illam, & secti instar lapidis planam. Deorsum verò despiciens, profundũ cernas præcipitium: sin huc illuc lateraliter lumina conuertas, montes occurrent vndique & vasta solitudo; intrò verò si ingrediaris, verissimum tibi & pietatis plenum apparebit Sanctuarium, marmore vt quouis rigidior sit, qui illud visitans, nullo compunctionis tangatur affectu. Degunt ibidem pro sacræ SPECVS custodiâ quatuor vel quinque Religiosi, quibus ex S. Scholasticæ monasterio necessaria deferuntur. Distincta olim fuêre bina hæc monasteria, nunc vni subsunt Abbati S. Scholasticæ. Singulis autem ferijs sextis Sublacẽsis huius monasterij Cœnobitæ

ad

CAPVT I.

ad sacram pergunt *Specum*, diuinumque ibidem celebrant officium. Hæc ferè ex Milletio.

Quod autem de eximio pietatis ait sensu, quo afficiuntur locum hunc subeuntes, crediderim ipsum id propriâ, cum istic esset, assequutum experientiâ: nam & alij inde redeuntes, huic rei testimonium mihi perhibuêre, prout etiam in summo Pontifice Pio II. iam vidimus. Sed & Syluius Antonianus (qui postea Cardinalis factus, Romani Breuiarij correctioni sub Clemente VIII. cum alijs præfuit) cùm sacram hanc *Specum* pietatis olim causâ inuiserit, continere se neutiquam potuit, quin pium, quem animo conceperat affectum eleganti exprimerit carmine. Quod ex Constantini Bellotti Colloquio secundo, de S. Gregorio Ordini S. BENEDICTI restituto, hîc lubet adscribere.

Syluij Antoniani in S. Specum affectus, & carmen.

Prærupta saxa & inuia,
Cælo minantes horridæ
Rupes, ferarum inhospita
Et alitum cubilia,
Vt lætus, & libens diu
Optata conspicio loca,
Humiq; stratus spiritu,
Hæc tesqua sancta exosculor.
Ignotus hic & abditus,
Athleta Christi nobilis,
Serpente cum sæuissimo,
Miranda gessit prælia.
Attritus hisce cautibus,
Spinis cruentus asperis
BENEDICTVS *in terra iacens,*
Cæli pererrabat Choros.
Tandem velut sol aureus
Surgit marino ab æquore,
Hinc sol nouus clarissimo
Compleuit orbem lumine.
Sublimis ô vitæ, & viæ
Dux, & magister optime
E summo Olympi vertice
Audi precantem Syluium.

Sed religio mihi pæne fuerit hoc loco prætermittere quo animo ac cultu sacram hanc *Specum* complexa fuerit Venerabilis Mater ANTONIA AVRELIANENSIS DE S. SCHOLASTICA. Hæc enim ex illustri Longe-villiorum & Borboniorum stirpe edita, vt coniugali fuit expedita iugo, primum Ordinis Fuliensis Monialis, Tolosæ professa, deinde mandato Pauli V. Pontificis Maximi, ad Fontis-Ebraldi cœtum translata, fundatrix extitit Congregationis B. MARIÆ DE MONTE CALVARIÆ, ET S. SCHOLASTICÆ, sororis & primæ discipulæ S. BENEDICTI. Voluit autem in omnibus Congregationis suæ monasteriis secreto in loco cellulam construi, quæ nomen formamque SPECVS S. BENEDICTI exprimeret. Hîc Sublacensis solitudo adumbrata, incommodam sanctissimi Patris viuendi rationem, paupertatem, & inediam intuentium oculis obiiciebat. Hîc Asceterium erat, in quo sorores peculiares & extraordinarias fundebant preces. Ipsa Mater *Specum* hanc animo insculpserat suo, hanc itentidem cogitabat, hac se oblectabat plurimum, in hac, vt solidissimâ petrâ, post Caluariam prima congregationis suæ fundamenta collocauit. De quo plura legere est in libello Gallico, Parisijs anno Domini 1622. cum approbatione Doctorum edito, & hoc titulo insignito: *Vocatio Religiosarum primitiuæ Regulæ S.* BENEDICTI *fundatarum à Reuerenda Matre Antonia Aurelianensi de S. Scholastica, &c.*

Antonia Aurelianensis in S. Specum deuotio.

Sed quid speluncam, quàm hactenus descripsimus, ingressus fecerit S. Puer iam tandem videamus. Exponit illud Thomas de Trugillo, Thesauri Concionatorum tomo 2. in festo S. BENEDICTI: *Ingressus speluncam*, inquit, *flexit genua sua, supplicesq; tendens ad Deum palmas, cœpit cum eo colloqui, & gratias ei magnas agere, quod ipsum eripuisset à mundo, & perniciosis eius laqueis. Hic, inquit, solus tecum conuersari volo, hic iam neque me parentes, neque mundi voluptates, neque diuitiæ à tuo suauissimo colloquio complexuq; auocabunt. Propitius ergo mihi esto, Domine, & conatibus meis tuum sanctum fauorem gratiamq; impertire. Etenim in locum tam abstructum, desertum ac solitarium me abdidi, id quidem factum est, quia in tuâ misericordiâ perpetuò confidi, & speraui; quia tuum patrocinium & præsidium præsto semper affuturum firmissimè credidi. Numquam igitur animo suo satisfaciebat Eremita in reddendis Deo Opt. Max. gratiis, sed potiùs perpetuo in eis occupabatur & versabatur, propter tantum beneficium, quod ei Deus concesserat.* Hæc ille. Quæ an ex probato hauserit Auctore, an quia de S. BENEDICTI pietate præsumi poterant, ita scripserit, mihi omninò non liquet.

Quid S. BENEDICTVS in speluncâ fecerit.

Sed bonâ sancti Patris veniâ liceat & nobis sacrum hoc antrum subintrare, omnemq́ eius scrutari supellectilem, & sanctissimi pueri viriles & planè heroicos intueri actus. Aliud in hoc sibi à Deo præparatum habitaculum non inuenitur intulisse, nisi æneam crucem, cum crucifixi imagine, in quatuor angulis totidem habentem dependentia numismata: quod in superiore erat parte, Saluatoris repræsentabat imaginem; ad dexteram effigies erat beatissimæ Virginis Mariæ; ad sinistram S. Joannis Baptistæ, cui peculiariter fuit addictus: quod inferiorem occupabat locum, sanctum quemdam referebat Anachoretam, scipionem manu tenentem, quæ S. Antonij, aut veteris cuiusdam Patris forma fortassè fuerit. Atque hic liber erat, vnde profundam illam mysticæ Theologiæ hausit scientiam, abundè se doctum reputans, si cum S. Paulo nihil aliud sciret, *nisi Christum, & hunc crucifixum.* Ex hoc enim libro, vt cæteri desint; omnia discuntur. Hic enim est LIBER VITÆ, cui titulum quidem Pilatus, sed ex Dei inspiratione inscripsit; *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum:* compositus autem est totus ex membranis immaculati Agni, qui tollit peccata mundi, exaratus clauis ferreis, & characteribus sanguineis, impressus propè Jerusalem, in Officinâ montis Caluariæ, ad signum *tau*. Hunc librum legebat quotidie sanctus hic Tyro, vt quod posteà docuit, *passionibus Christi per patientiam participaret, & regni eius mereretur consortium.*

Quid secum supellectilis in Specum intulerit.

Crux Christi Liber S. BENEDICTI.

1. Cor. 2.

Ioan. 19.

In Prolog. Reg.

Corpus affligebat asperrimo ex equorum pilis cilicio, multis nodis intricato. Omnis illi annona erant herbæ & aqua, cum tantillo panis, quod furtim sibi Abbatisque sui oculis subtractum, certis tantùm diebus Romanus deferebat. Hæc porrò Crux, cum cilicio & tintinnabulo, quod dæmon iactu lapidis confregit, hodieque in Sublacensi sanctæ Scholasticæ monasterio asseruantur, vt auctor est Prudentius Sandoual, in principio libri de Fundationibus Monasteriorum Ordinis S. BENEDICTI in Castella: & vt Simon Milletius, annotatione ad hunc locum.

Eius cilicium.

De sancti Patris autem *cilicio*, non illo tantùm, sed reliquo etiam vitæ tempore ab eo gestato, plures testes sunt. Scribuntur enim sanctus Maurus & Placidus, ex imitatione S. P. BENEDICTI, *cilicio* semper

quo perpetuò induebatur:

Faustus in vit S Mau. 11.

Gordian. in vit. S. Placidi. *illusq; imitatione SS. Maurus & Placidus idem fecerunt.*

ſemper ad carnem induti. Quin hoc ipſum Christus Dominus, in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 4. cap. 127. atteſtari videtur, dicens: BENEDICTVS *famulus meus habuit corpus ſuum quaſi ſaccum & prima veſtis eius fuit, tunica aſpera, quâ domuit carnem, & motus inordinatos, ne laſciuirent, & non excederent metas ſuas.* Cantipratanus verò, velut receptam ſupponit opinionem, ſanctum BENEDICTVM perpetuò vſum *cilicio*, cùm lib. 1. cap. 7. §. 2. reprehendens Abbatis cuiuſdam irregularem veſtitum, exclamat: *Vbi Melota, vel cilicium beati* BENEDICTI *aut Hilarionis?* In eâdem mente proculdubio fuit B. Joanna fundatrix Annuntiatarum, quæ (vt habet vita eius apud Roſweydum) *cilicium* ſuum vocabat *ſanctum* BENEDICTVM. Corporis etiam diuerberatione ſanctum Patrem, dum in ſpecu degeret, ſeſe afflixiſſe, inſinuat S. Bertharius, in hymno ad Primam, de eius vitâ, quem Martyrologio ſuo inſeruit Wion, vbi ſic canit:

Nulla nix illum domuit, nec Eurus,
Non fames, æſtus, ſitis, aut cubile
Saxeum vicit, neque diſciplina
Flagra ſeuera.

Vitæ eius auſteritas teſtimoniis comprobatur.

Sed vlterius conſideremus ſanctam & auſteram piiſſimi Tyronis vitam. De illâ enim hæc Dei, apud ſanctam Hildegardem, lib. 2. viſione 5. pulcherrima eſt atteſtatio: *Sol*, inquit, *diſcretam, & benè diſpoſitam viam in ſeruo meo* BENEDICTO *declarat, quem ego per ardentem ignem traduxi, docens eum in veſtitu conuerſationis ſuæ incarnationem filij mei colere, & in abnegatione voluntatis ſuæ paſſionem illius imitari; quia ipſe* BENEDICTVS *eſt quaſi alter Moyſes in lapideo foramine iacens, & corpus ſuum in multâ aſperitate ob amorem vitæ crucians & conſtringens.* Sic ibi. Quibus inſinuari crediderim vitam ſancti Patris tirocinio in ſpecu exactam. Magnæ quoque perfectionis eſt, quod de eodem beata Virgo Maria, apud ſanctam Birgittam, lib. 3. cap. 20. affirmat. *Bonus Abbas* BENEDICTVS, *donum gratiæ quod acceperat, multiplicauit, quando omne contempſit quod tranſitorium erat, quando carnem ſuam ſeruire coegit animæ, quando nihil præpoſuit diuinæ charitati.* Hæc ibi.

Sed omittere prorſus nequeo, quin ampliſſima hæc de primâ S. BENEDICTI conuerſatione præconia, duorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium obſignem ſigillis. Prior S. Petrus Damiani, homil. 9. ita ait: *Pater & Magiſter noſter beatus* BENEDICTVS, *à pueritiâ mundum cum flore reliquit, & currentem Chriſtum curſu rapidiſſimo ſecutus eſt; nec deſtitit, donec conſequeretur.* Alter Goffridus Vindocinenſis Abbas, ſerm. de S. BENEDICTO, ita ait: *Cultor Dei, & ſui contemptor* BENEDICTVS, *ad locum qui Sublacus vocatur, perueniens, inter petrarum ſciſſuras, in quendam arctiſſimum ſpecum ſe contulit, vbi deſideria carnis mentis ratione mortificans, tribus annis nulli hominum notus, excepto Romano monacho, manſit.* Et paulò antè dixerat: *Dei famulus inſpiratione diuinâ repletur: eius adhuc tenera & delicata caro, mentis conſtantiâ & vigore ſpiritus roboratur, etſi violentiâ opus fuit, eam ſibi inferre non diſtulit, vt crucifixus crucifixum Dominum ſequeretur.* Atque hæc dicta ſunt, *vt omnes agnoſcant* (quod aliâ occaſione, ſuprà dicebat Gregorius) BENEDICTVS *puer conuerſationis gratiam à quantâ perfectione cœperit.*

Ex hoc verò tanto exemplo illud diſcere licebit, quod pluribus inculcat Climacus, gradu 1. vt nimirum, forte & validum renuntiationis initium arripere ſtudeamus. *Anima enim quæ viriliter pugnare cœperit, rurſumq; debilitata ceſſerit, antiqua virtutis & ſtudij memoriâ quaſi ſtimulo quodam & flagello vulneratur, atq; ex hoc nonnumquam plurimi priſtinum vigorem receperunt, prioreſq; pennas reſumpſerunt.*

Quænam hæc Theodati regula?

15. SVB THEODATI PATRIS REGVLA DEGEBAT.] Græcum Zachariæ exemplar habet *Adeodati*, Latina paſſim *Theodati*, vt hîc legimus. Quærent hîc, ſine dubio, Antiquitatis ſtudioſi, quænam hæc *Theodati Patris Regula?* aut cuius Ordinis fuerit S. Romanus? hinc enim conſequenter reſoluendum, quam Regulam S. BENEDICTVS, antequam ſuam conſcriberet, fuerit ſectatus. Quæſtionem hanc fuſiùs diſcuſſimus in *Diſquiſitionibus* noſtris monaſticis. Nunc autem breuiter dicimus, nec Auguſtini, nec Baſilij illam fuiſſe Regulam, ſed peculiarem, quam Theodatus pro illius temporis more ſuo præſcripſerit Conuentui. S. autem BENEDICTVS illi Regulæ ſubditus non erat. In ſpecu enim Anachoreticam degebat vitam, à Cœnobitarum Monaſterij Theodati Patris moribus, Regulâ, & cæremoniis diuerſam, neque enim ab illis ad Nouitiatum receptus erat, nec quidquam cum illis habebat commune. Abbati enim omnibuſque Monachis, vnum excipe Romanum, erat incognitus: nullum proinde habuit Magiſtrum, niſi ſolum Spiritum ſanctum, qui interiùs eum docebat omnem veritatem & monaſticam perfectionem. Hoc ipſum Theodati Abbatis Monaſterium, S. BENEDICTI poſteà Regulam fuiſſe amplexatum, tradit Conſtantinus Caietanus, lib. 2. pro Ioanne Diacono, cap. 7. Romanum itidem huius Monaſterij Monachum, & ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri Nutritorem, in Galliâ eiuſdem Regulæ fuiſſe ſubditum, ex Fauſto, in vitâ S. Mauri, & Giſleberto, in vitâ huius Romani, quæ extat in Bibliothecâ Floriacenſi, colligitur; Aſſeritque Antonius de Yepez, anno Chriſti, 546.

S. Benedictus illi ſubditus non erat.

16. DIEBVS CERTIS BENEDICTO PANEM FEREBAT.] Duo hinc colligunt, duo Eccleſiæ Doctores S. Thomas Aquinas, opuſc. 19. cap. 5. & S. Bonauentura, lib. de paupertate Chriſti, quæſt. 1. & 2. Prius eſt, quod liceat Religioſo à manuum labore ceſſare, cum S. BENEDICTVS non legatur hîc laboraſſe. Poſterius; quod liceat Religioſis ex fideliũ eleëmoſynis viuere, prout S. BENEDICTVS ex collato ſibi à Romano pane. Quod autẽ in hoc non peccauerit, probat Doctor Angelicus: *quia*, inquit, *Dominus eum ſeruum ſuum nominauerit, cuidam ſacerdoti dicens: Seruus meus illo in loco fame moritur.*

Licet Religioſo à manuum labore ceſſare: pteruumq; eleemoſynis viuere.

I.C. lib. gall. de opere Monach part. 2. ſect. 2. *Aliquot obiectiones.*

Sed duobus his celebris nuper ſcriptor pluſcula oppoſuit. PRIMÒ, veriſimile eſſe S. BENEDICTVM non aliter vixiſſe, quàm Regulâ ſuâ præſcripſerit, in quâ non ſemel laboris manualis meminit.

SECVNDÒ, non conſtare, an S. BENEDICTVS non dederit portionem aliquam bonorum ſuorum Romano, vt ſe quo tempore in ſpecu degeret, inde nutriret.

TERTIÒ, S. BENEDICTVM non inſtituiſſe mendicantes, ſed Cœnobitas ex poſſeſſionibus & redditibus viuentes; ex quibus ſi ſufficienter viuere queant, ad manuum laborem non aliter obligantur, quàm vt Regulæ præſcripto ſatisfaciant.

QVARTÒ, Si Romanus Monachus ſuo labore tantum lucrabatur, vt & ſe nutrire, & S. BENEDICTI poſſet neceſſitatibus ſubuenire, ſectatus

CAPVT I.

ſanè fuit præceptum Apoſtoli, qui laborari vult, vt ſuccurratur neceſſitatem patientibus, quod ſuo confirmauit exemplo, laborans non ſibi tantùm, ſed & iis qui eum comitabantur.

Quintò, non legi Romanum, vt S. BENEDICTVM paſceret, oſtiatim ſtipem quæſiuiſſe, cùm Gregorio teſte, in ſolitudine omnibus hominibus incogniti manerent.

Sed hæc mihi talia non apparent, vt ſanctorum Thomæ & Bonauenturæ argumenta euertant. *Reſponſio ad primum.* Nam, vt ad *primum* reſpondeam, vixit S. BENEDICTVS haud aliter, quam ſcripſit (vt ipſe Gregorius teſtatur) ſed id intelligendum, dum Cœnobiticam duceret vitam, & ſeipſum, non minùs quàm ſcriptam Regulam, Monachis in exemplum proponeret, quando eum ab agri labore cum diſcipulis redeuntem, mortuum excitaſſe Gregorius ſcribit. In ſpecu verò latitans anachoreticam, ſoli Romano cognitus, duxit vitam; & veriſimile eſt Cœnobitarum exercitia tunc ignoraſſe, quem etiam paſchalis diei ſolemnitas latebat.

Ad ſecundum. Ad *ſecundum*, reſpondeo, ſatis conſtare S. BENEDICTVM nulla ſecum bona in ſolitudinem detuliſſe, quem Gregorius ſcribit, *relictâ domo rebuſq́, Patris ſanctæ conuerſationis habitum quæſiuiſſe.* Adeoque pauperem fuiſſe, vt cùm in Efide cum Nutrice ſuâ eſſet, triticum in eleemoſynam acceperit & in B. Petri Eccleſiâ commoratus fuerit. Probabilitate proinde caret, quod ex allatis bonis alumnum ſuum Romanus nutrierit: præſertim, cùm Gregorius diſertè aſſerat, quod, *quem ſibi ad manducandum ſurripere Romanus poterat panem*, cum *certis diebus* BENEDICTO *ferret.*

Ad tertium. Quod *Tertio* loco adſertur, inſtitutos à S. BENEDICTO Monachos ex propriis viuere redditibus, parum vrget. Non enim S. Thomas à Benedictinorum argumentatur exemplo, ſed à S. BENEDICTI in ſpecu triennio degentis, qui manibus non laborans, & ex Romani viuens eleemoſynâ, ſeruus Dei ab ipſo Deo ſit appellatus.

Ad quartum & quintum. *Quartum & Quintum* argumentum nihil faciunt ad rem: relicto enim S. BENEDICTO, agunt de Romano; tantum fortè labore ſuo lucrante, vt S. BENEDICTO poſſet ſubuenire, nec vllam quærente ſtipem. Sed vtcumque illud ſit, manet nihilominus S. BENEDICTVM citrà laborem, ex Romani eleemoſynis aliquo tempore vixiſſe, quod ſolum S. Thomæ & Bonauenturæ argumentum intendebat.

17. RESTI PARVVM TINTINNABVLVM INSERVIT.] Vt hæc paulò meliùs capiantur, non omittenda hîc, quæ D. Hieronymus Coquelin, qui Sublacenſia iam pridem inuiſerat loca, de his à ſe viſis fideliter nobis retulit; nimirum S. BENEDICTVM è ſacrâ Specu per XXX. gradus aſcendiſſe ad quamdam planitiem, in quam ſummo montis, ſiue rupis cacumini Romanus incumbens, longiſſimum, vt Gregorius ait, funem demittebat; erat enim XXX. hexapodum perticarum, ſiue CLXXX. pedum. Reſti autem cophinus tenuem annonam deferens alligatus erat, & tintinnabulum illud, in quod dæmon lapidem coniiciens, particulam quandam huius propemodum figuræ ⌐ abſtulit.

S. BENEDICTVM quidam in hac re imitantur. Imitatus S. Patrem hac in parte legitur S. Amatus, qui *in obliquâ parte Voſagi montis concauum reperiens ſaxum, anguſtum illic ſibi vix habitaculum conſtruxit, vbi etiam lectulum habuit, ipſius corpori accommodatum, nec enim ſpecus amplius aut longius porrigebat ſeſe. Superius autem immanis hærebat rupes, ex quâ Miniſter eius, tintinnabulo ad funem ligato, exiguum panis particulam, & parum aquæ in vaſculo ei ſubmittebat.*

Genuinum huic eſt, quod Lucas Waddingus tom. 4. Annal. S. Franciſci narrat, de Ioanne Eremicola, tertij Inſtituti S. Franciſci ſectatore. Is ad ſanctiſſimi Patriarchæ BENEDICTI exemplum ſecreto ſpecu ſe abdidit, communicato conſilio cum ſola genitrice, per preces eius conuersâ ab hæreſi, hæc per funem ad tintinnabuli tinnitum panem, aquam & herbas crudas miniſtrabat; ille verò totum tempus in ſacris meditationibus, rigidis pœnitentiis & duris cum hoſte conflictationibus conſumebat. Inuidebat ei dæmon tantam virtutē, nihilque non excogitauit, vt eum ab hoc vitæ genere deturbaret. Validis tentationibus animum pulſabat, ſpectra horrenda obiiciebat, minis terrebat, & aliquando verbera adiiciebat, ſed inconcuſſo adoleſcentis animo. Tandem tot certaminibus victus dæmon, confuſus receſſit, & puerili quadam vindictâ, protecto lapide tintinnabulum fregit. Ità frequenter euenit, vt dæmon maiora non valens, ad minora ſe vertat, & in magnis victus, in paruulis ridiculum ſe exhibeat congreſſorem. *Dæmon ſæpi victus pueriliter ſe vindicat.* Damnum hoc exile ſatis genitrix reparauit, empto altero tintinnabulo, quod dum inimicus ſimili modo comminueret, rogauit Ioannes, vt tertium emeret mater ex ſui laboris pretio, dicens fortaſſis propterea duo priora à dæmone confracta, quia empta fuerant nummo malè acquiſito. Non inanem fuiſſe hanc ſuſpicionem, & genitricis confeſſio, & campanula laboris mercede comparata, in hunc vſque diem integra comprobarunt.

Adiiciendum huc duxi, quod Petrus Boërius ad cap. 43. Regulæ, ait, Signum campanæ in antiquis Cœnobiis Monachorum eſſe vel fractum, vel perforatum, vt ſonum emittat terribilem, idque vt Monachi recordentur terribilis illius vocis: *Venite ad iudicium*, vel in ſignum, ait, *quod ſumus de Ordine B.* BENEDICTI, *cuius tintinnabulum diabolus iactu lapidis fregit.* *Cur campana fracta in antiquis cœnobiis.*

18. CVIDAM PRESBYTERO] hunc ex traditione Sublacenſium Monachorum, ait Simon Milletius, Parochum fuiſſe cuiuſdam pagi, quatuor circiter milliaribus Sublaco diſtantis, quem MONTEM-PRÆCLARVM vocant.

19. TV TIBI DELITIAS PRÆPARAS.] Animaduertere hîc licet, vt Deus nihil niſi regnum cælorum quærentibus temporalia adiiciat, ſollicitudinemque gerat eorum, qui Dei ſolius memores, ſui obliuiſcuntur. Sic Danieli in lacu leonum, per Habacuc Prophetam prandium miſit. Sic cum fratres ſeptuaginta, quibus præerat S. Frontonius, extremâ laborarent inopiâ, *miſſus eſt à Domino Angelus ad quendam diuitem, dixitq́, illi: Tu epularis in diuitiis ſplendidè, & ſerui mei in eremo indigent pane, ſurge ergo diluculo, & mitte ſeruis meis eſcas ex omnibus quæ dedit tibi:* Quod Diues perfecit, vt pluribus refertur in Vitis Pat. lib. 1. Verùm, cum S. BENEDICTI exemplo maximè conſentit, quod de Theodoſio Cœnobiarchâ pluribus apud Surium refert Metaphraſtes: nam magno Paſchatis die, cùm nihil in cibum ſuppeteret, diuina pietas Theodoſio mulum ſubmiſit inſtructiſſimum cibariis. *Deus nihil niſi cælum quærentibus de temporalibus prouidet.* *Dan. 14.*

20. PASCHA EST QVIA HODIE VIDERE TE MERVI.] Paræmialis ſententia magnitudinem gaudij, quo ex Presbyteri viſitatione vir Sanctus perfundeba-

Pascha in lætis vsurpatum.

fundebatur, indicans. Videri queat hæc olim Monachis per familiaris fuisse loquendi formula, in aduentu præsertim fratrum, aut Sanctorum virorum: cuius quidem triplicem licet assignare analogiam.

PRIMA, vt festorum omnium lætissimum Pascha, io quototies repetimus: *Hac dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ.* Non secus, cùm iucundum quid nobis acciderit, dicere licet quodammodo nobis Pascha factum. Hinc exultabant monachi, cùm fratres foris venientes susciperent. Inculcabat hoc Abbas Ioseph, apud Ruffinum lib. 3. de vit. Patrum num. 47. *Sic*, inquit, *debemus facere in occursione Fratrum, vt quando eorum præsentia est, cum fiduciâ & lætitiâ suscipiamus eos, quando autem soli sumus, opus est vt luctus & abstinentia permaneant in nobis.* Hispani sanè ob hanc, vt arbitror, lætitiam, dicunt quoque: *Pascua de nauidad, Pascua de Cincuelma, o del Espritu Santo.*

SECVNDA, vt in Paschate gauisi sunt Discipuli viso Domino, ita gaudebant Monachi in aduentu Hospitum, *in quibus*, vt S. BENEDICTVS ait, *& Christus suscipitur.*

TERTIA, vt ob Dominicæ Resurrectionis lætitiam nefas ieiunare Dominicis diebus, ita in susceptione Hospitum, quotidiana relaxabant Monachi ieiunia, vt docet Cassianus lib. 5. Instit. cap. 24. & Collat. 21. cap. 14. ait: *Si velit quis in fratris aduentu, in quo Christum debet humanitate reficere, & gratissimâ susceptione complecti, austeritatem ieiunij custodire, nonne inhumanitatis potius crimen incurrit, quàm laudem aut meritum Religionis acquirit?* Vide eumdem Collat. 24. cap. 20. & Prosperum lib. 2. de vit. Contempl. cap. 26.

21. QVIA DIE EODEM PASCHALIS SOLENNITAS ESSET, IGNORABAT.] Mirum hoc sæculo videretur, virum diuino obseqoio prorsus addictum, Paschalis solennitatis ignorare diem: ita enim nec Quadragesimæ agnosceret tẽpus. Ignorationis huius causam eam Gregorius esse dicit, quòd *longè ab hominibus* esset *positus*: vnde colligitur, non consueuisse S. BENEDICTVM cum Romano Nutritore suo, à quo de Paschate instrui potuisset, sermonem conferre, siue quòd excelsior esset rupes, quàm vt inde se mutuo potuissent exaudire: siue quòd id pro silentij & quietis fieret religione. Nam & S. Athanasius scribit de S. Antonio, quòd in castello quodam habitans, *obstructo lapidibus introitu, solitarius perdurabat: nusquam inde procedens, numquam aliquem suscipiens, in tantum vt cum bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet alloquium.* Præterea cùm S. BENEDICTVS Deo, diuinisque rebus totus esset intentus facilè ei dierum obliuio subrepere poterat: cui obliuioni, quæ sanctissimis Anachoretis non infrequens fuit, quâ ratione occurrerint, Abbas

Vnde S. Benedicto hæc ignorantia?

Ioannes apud Cassianum, Collat. 19. cap. 4. exponit: *Ita*, inquit, *diuinis meditationibus ac spiritualibus theoriis animus replebatur, vt sæpè ad vesperam cibum me percepisse nescirem, ac sequente die de hesternâ absolutione ieiunij penitus dubitarem. Ob quam etiam causam septem dierum cibus, hoc est, septem paximatiorum paria sequestratim in amanuensi sportâ die sabbati reponuntur, vt refectio prætermissa non lateat. Quâ consuetudine illius quoque obliuionis error excluditur, vt expletum hebdomadæ cursum, ac solennitatem dies ipsius reuolutam, finitus panum indicet numerus; festiuitasque dies sacra & congregationis solennitas, solitarium non lateat. Quod si etiam hunc ordinem, ille, quem prædiximus, mentis excessus fortè turbauerit, nihilominus quotidiani operis modus dierum numerum signans, arcet errorem.* Sic ille. Quis igitur miretur sanctissimum BENEDICTVM Paschatis latuisse solennitatem? nec erat vt de quadragesimæ tempore esset sollicitus, cum, vt posteà in Regulà cap. 49. docuit, *vita Monachi omni tempore debeat Quadragesimæ obseruationem habere*, quod ipsum vitâ expressisse, hoc præsertim tempore, neminem credo esse qui ambigat.

CAPVT II. quâ vt ratione huic veteres occurrebant.

Accedit quod eâ tempestate non tam certò, atque nunc, constaret quo die sanctum Pascha esset celebrandum: eodem enim anno à diuersis diuersimodè seruabatur: vnde in quartâ Synodo Aurelianensi, anno Christi 541. canone primo, ita statuitur: *Placuit vt sanctum Pascha, secundum Laterculum Victorij ab omnibus sacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ festiuitas annis singulis ab Episcopo Epiphaniorum die in Ecclesiâ populo denuntietur. De quâ solennitate quoties aliquid dubitatur, inquisita, vel agnita per Metropolitanos à sede Apostolicâ, sacra constitutio teneatur.* Ex quo patet, valde dubium eo tempore Paschatis fuisse diem. Ex hoc autem loco S. Nilus (vt ex vitâ per discipulum eius scriptâ, tom. 10. refert Baronius, anno Christi 980.) à Cassinensibus Monachis de ieiunio sabbati interrogatus, &, an non esset peccatum ieiunare Dominico die? Respondit. *Quomodo sanctus* BENEDICTVS *ieiunans dominicis & festis diebus, vel ipsum Pascha ignorabat, quando esset? Quapropter sciendum, quod omnia quæ fiunt propter Deum, bona sunt, & non contemnenda.*

Celebrandi Paschatis diuersa ratio tempore S. BENEDICTI.

22. VESTITVM PELLIBVS] Apparet hinc, qualis fuerit habitus, quem Romanus S. BENEDICTO dedit, nimirum Melotes, vel pellis caprina, quâ vsi olim Ægyptij Monachi, vt testatur Cassianus lib. 1. cap. 8. Erant ergò pelles lanatæ siue villosæ, velleris speciem externè exhibentes. Ex his verò S. BENEDICTI pellibus, Petrus Venerabilis & Rupertus Tuitiensis, Cluniacensium aliorumque Monachorum pelliceas tunicas, contrà Cisterciensium obiectiones tuentur; quàm benè, videndum alibi.

Habitus S. BENEDICTI.

CAPVT II.

CAPVT II.

DE TENTATIONE CARNIS SVPERATA.

Diabolum signo crucis fugat:

Tentatio carnis vehemens:



VADAM verò die, dum solus esset, tentator affuit. Nam nigra, paruaque auis, quæ vulgo [1] merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusque vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset: sed signo crucis edito, recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eâdem recedente, secuta est, quantam vir sanctus numquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando [2] feminam viderat, quam [3] malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit: tantoque igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deserere eremum voluptate victus deliberaret. Tunc subitò superna gratiâ respectus ad semetipsum reuersus est, atque vrticarum & veprium iuxtà densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento, [4] nudum se in illis spinarum aculeis, & vrticarum incendiis proiecit: ibique [5] diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis: quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque bene pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse perhibebat, [6] ita in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque [7] ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum magister. Vnde & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à viginti quinque annis & supra ministrare debeant: ab anno verò quinquagesimo, custodes vasorum fiant.

quam in vepribus se volutans fortiter superat.

PETRVS.

Iam quidem prolati testimonij mihi aliquantum intellectûs interlucet: sed tamen hoc plenius exponi postulo.

GREGORIVS.

Liquet, Petre, quod in iuuentute carnis tentatio ferueat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat: vasa autem sacra, sunt fidelium mentes. Electi ergo cùm adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac seruire necesse est: & obsequiis laboribùsque fatigari. Cùm verò iam mentis ætate tranquillâ, calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt: quia Doctores animarum fiunt.

PETRVS.

Fateor, placet, quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reserasti, quæso, vt de vitâ Iusti debeas ea quæ sunt inchoata percurrere.

COMMENTARIVS.

Merula.

1 ERVLAM.] Varro lib. 4. de Lingua Latina, *Merulam* dici vult, quod *mera*, id est sola volitet. Festus: *Merum antiqui dicebant solum, vnde & auis Merula nomen accepit, quod solivaga est, & solitaria pascitur.* Ridet hanc Etymologiam Quintilianus, lib. 1. cap. 10. Olim pro *Merula* erat *Medula*, & ex eo dici putant, quod mirabiles vocis modulos reddat, maximè cùm vernum tempus imminere prospexerit, Auctor Philomelæ:

Et MERVLVS *modulans tam pulchris concinit odis,*
Nocte ruente tamen carmina nulla canit.

Auis est, vt inquit Perottus, *turdi magnitudine, colore nigra, docilis, & sibilando humanam exprimens vocem. Circa Cyllenem Arcadiæ, nec vsquam alibi, candida nascitur.* Sub nigrâ hâc Auiculâ Orci se pullus abdiderat.

2. FEMINAM ALIQVANDO VIDERAT.] Thomas de Trugillo in Thesauro Concionatorum, ait, B. Patri visam hanc feminam, cum Romæ degeret. Zachariæ versio habet, Iuuentutis tèpore, Gibbosam

Qualis hæc femina, ob quam visam tentatur.

CAPVT II.

sam fuisse asserit S. Vincentius Ferrerius, serm. de S. BENEDICTO. *Cœpit*, inquit, *cogitare de quadam muliere gibbosa, quam viderat in ciuitate, & in tantum tentatio augmentabatur, quod volebat dimittere eremum, & redire ad mundum, ad inquirendam dictam gibbosam; quid fecisset si fuisset pulchra?* Quæ vnde hauserit, mihi incompertum. Lepidè à viro sancto, vt alia non pauca, excogitatum, non difficulter crediderim.

Totam hanc viri sancti contra dæmonem, propriamque carnem pugnam, & quæ mox secuta est victoriam, eleganter in suo Niceta, & rethoricis flosculis describit Hieremias Drexelius lib. 2. cap 1.

. MALIGNVS SPIRITVS.] quem Gregorius hic *malignum spiritum*, Zacharias *fornicationis dæmonem* appellat. Climacus gradu 15. Fornicationis serpentem. Sed frequentiùs ab eodem vocatur *fornicationis spiritus*, Scripturæ scilicet phrasi, quæ vitiis hoc nomen tribuit. Zachariæ enim 4. dicitur *spiritus superbia*, Isaiæ 19. *spiritus vertiginis*, id est, erroris. Et 29. *Spiritus soporis*, id est somnolentiæ seu acediæ. Num. 5. *Spiritus Zelotypiæ*, seu iracundiæ vel inuidiæ. Osee 4. & 5. nominatur hic ipse de quo agimus, *Spiritus fornicationis*. Quo nomine etiam sextum Institutionum suarum librum inscripsit Cassianus. Sicut & alios de Spiritu Gastrimargiæ, Philargyriæ, Iræ, Acediæ, Cenodoxiæ, Superbiæ, quo etiam modo passim Ascetici loquuntur Auctores. Causam assignans Serenus Abbas, Collat. 7. cap. 17. ait: *Vnicuique vitio certos spiritus incubare, & alios quidem immunditiis ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios ira furoreq; peculiariùs immunere, alios pasci tristitiâ, alios cenodoxiâ, superbiaq; mulceri.* Similia habet Hieronymus in Epist. ad Ephesios cap. 6. Incentor autem ille libidinum qui S. BENEDICTO hanc tantam excitabat pugnam, S. Anthonio, vt Athana-

Spiritus fornicationis, & quid de eo.

sius narrat, *stridens dentibus & vlulans, qualis est merito, talis apparebat, vultu puer horridus, atque niger, ad eius se genua prouoluens, humanâ voce flebat dicens: Multos seduxi, plurimos decepi nunc autem vt à ceteris sanctis, ita & tuo sum labore superatus. Quem cùm interrogaret Antonius, quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum fornicationis amicus: Ego multimoda aduersum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi: hinc & spiritus fornicationis vocor. Quantos pudicè viuere disponentes fefelli, quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi! Ego,*

Osee 4.

sum, propter quem Propheta lapsos increpat dicens: Spiritu fornicationis seducti estis, & reuera per me illi fuerunt supplantati. Hîc idem, aliàs Monacho apparens, vt est apud Pelagium in vit. Pat. libell. 5. num. 23. *Stetit coram ipso velut mulier Æthiopissa fœtida & turpis aspectu, & dicebat: Ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo.* Talis & ille, quem in S. Justinam virginem immittebat Cyprianus, tum magus, postea sanctus, apud Gregorium Nazianzenum orat. 18. & ille, quem ad virginem aliam expugnandam, Gazensis adolescens, magicis artibus, subter domus limen defixerat, *qui a S. Hilarione interrogatus, cur in adolescentem ipsum ingressus non esset? vt quid, respondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, Amoris dæmonem?* vt narrat S. Hieronymus, in vitâ Hilarionis. Sed & alia alibi occurrunt exempla.

Verùm quod praxim spectat, notatum à Climaco gradu 27. *Acediæ spiritum præparare, & præire fornicationis spiritum solere.* Pergit ibidem ex sententiâ cuiusdam sancti Senis, accuratè describere tempora, quibus maligni quidam spiritus solitarios maximè oppugnant. *Notaui*, inquit, *manè vt plurimum inanis gloriæ atque concupiscentiæ spiritum solere aduenire: meridie verò acedia & iracundia & tristitia: vespere autem infelicis veneris stercorum tyrannos.* Hæc ibi.

4. NVDVM SE.] Georgius Fabricius, damnatæ memoriæ Auctor, inuenit quod hic damnaret. Exponens enim illud Prudentij, hymno 14. in Romanum Martyrem, Peristephanon.

Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles Carm. 161.
Vos esse monstrat, cùm Luperci curritis,

ait: *Lupercum fecerunt Cassinates* BENEDICTVM, *Assisiani Franciscum, hunc per patriam narrant cucurrisse nudum: illum nudum sese volutasse in niuibus: quod de viris eruditis & religiosis affirmare profanum est.* Sic ille. Sed enim scire velim quinam sint illi Cassinates, qui BENEDICTVM Lupercum fecerunt, qui Assisiani Franciscum? quinam de viris eruditis & religiosis, hoc adeò profanum affirmauerint? Gregorius quidem Pontifex Maximus, de S. BENEDICTO affirmauit: quod, *quadam die dum solus esset* grauique tentatione carnis vrgeretur, *nudum se*, non in niuibus (vt memoriâ lapsus scripsit Fabricius) sed *in spinarum aculeis, & vrticarum incendiis proiecerit.* De S. Francisco, sanctus Bonauentura Cardinalis, cap. 6. vitæ eius, refert, *quod humilitatis spiritu inflammatus & in plateâ ciuitatis Assisij populo conuocato maiorem introierit Ecclesiam: funeq; ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis, in oculis omnium se trahi præcepit vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant collocari.* Quo spectaculo, ait, astantes deuotione compunctos, & extitisse perfectæ humilitatis exemplum. An hoc, quæso, Lupercum agere? an quicumque quouis modo aliquando nudi fuerint, continuò nuncupandi sunt Luperci? ita scilicet & nudos in paradiso Protoplastos, Lupercos forsnan dixerit, & illum quoque Adolescentem, qui Marci 14. v. 51. captiuum sequens Christum, *amictus sindone super nudo*, quem cùm tenerent, *rejectâ sindone nudus profugit.* Quid de Isaiâ dicet Prophetâ? qui incessit nudus & discalceatus. Si hoc quis dicat diuino factum mandato, *cuius*, vt inquit Hieronymus, *præceptis nihil honestius*: reponemus, non defuisse quoque S. BENEDICTO in hoc facto diuinum instinctum. Eum enim non obscurè insinuat Gregorius. Nam cùm dixisset, in BENEDICTI *pectore amoris flammam tantam in vim cepisse, vt penè deserere eremum voluptate victus deliberaret. Tunc*, inquit, *subitò supernâ gratiâ respectus, ad semetipsum reuersus est.*

S. Benedictus se nudum in vepribus defenditur contra Nonnatores calumniam.

Isaiæ 20. 2. 3.

Hieron. in Isaiam cap. 20.

Quis Lupercatûs arguat eos, qui flagrante incendio, nudi se domo proripiunt, vt corpus flammis eripiant? At BENEDICTVS, vt animam à libidinis igne seruaret illæsam, nec nuditatis verecundiam, nec cutis vulnera, nec vrticarum reformidauit incendia. Quid igitur hîc commune cum Lupercis? Cursitabant illi mense Februario nudi per vrbem, vt Ouidius 2. Fastorum scribit. BENEDICTVS, Gregorio teste, solus erat in eremo, vt Onuphrius, Maria Ægyptiaca & alij. Luperci, si Liuio credimus, obuias puellas scuticis per iocum pulsabant, quibus stultè creditum est, vulgò fœcunditatem procurari. At BENEDICTVS in seipsum animaduertit.

Luperci quales.

CAPVT II.

Edomans carnem, subigensq; Christo
Tortor acerbus.

Nec caruit superioris æui exemplo. Macarius enim Alexandrinus (vt est in Lausiacâ Palladij cap. 20.) *spiritu fornicationis* tentatus *condemnauit semetipsum sedere nudum, sex menses in palude Scetes.* in quâ possunt culices vel sauciare pelles aprorum, vt qui sunt æquè magni, vt vespæ, adeò vt in toto eius corpore infixerint aculeos: vt nonnulli existimauerint cum leprosum. Ammonius quoque (vt idem ait Palladius cap. 12.) carne contrà spiritum insurgente, *ferrum candens suis membris admouebat, adeò vt esset totus vlceratus.* Scilicet,

Hac est ars noua. Ne cremeris igne,
Ipsum quærere, quo cremeris, ignem.

5. DIV VOLVTATVS.] Zacharias Papa ità ferè Græcè reddidit: *In quibus ad plures horas patienter volutatus, totumq; suum corpus sanguine diffluere videns, fortiter dolores, atque cruciatus inde prouenientes sustinuit. Sic verò à mortiferâ eiusmodi cogitatione liberatus, perseuerauerit in magnificè agendo gratias Deo.* Quæ totidem verbis habentur in Apothegmatibus Sanctorum & antiquorum Patrum, ex Græco M.S. Cryptæferratæ codice, ad calcem tomi secundi S. Ephræm, à Gerardo Vossio adiectis. Quo exemplo instruimur, sæuiente carnis tentatione corpus affligere, & obtentâ Victoriâ, Liberatori Deo gratias agere.

Carne sæuiente, corpus affligendum.

6. ITA IN EO EST TENTATIO VOLVPTATIS EDOMITA, VT TALE ALIQVID IN SE MINIME SENTIRET.] Obgrunnit Sanctissimo Pontifici Gregorio, Epicuri de grege porcus, impurissimus Lutherus. Nam in Colloquiis Symposiacis, titulo, de Matrimonio, ridet S. Hieronymum, S. BENEDICTVM, Franciscum & Bernardum, quòd externis corporis afflictationibus carnis petulantiam retundere conati sint, atque ad hunc S. BENEDICTI ludum diabolum in sinu risisse. Et in Colloquiis mensalibus, titulo, de Diabolo. *De* BENEDICTO, inquit, *scribunt quod spiritu luxuriæ impugnatus nudum se in vepribus volutarit, & probe vulnerato corpore impuram vicerit libidinem. Hisce tamen castigationibus nihil contrà carnis tentationem effici, nec quidquam à Sanctis effectum esse, imò diabolum delectari, ridere, & subsannare miseros homines ita se affligentes, eumq; cogitare hâc armaturâ & stramineâ panopliâ tutum se manere, nec superari.* Idemque scribens super primam Apostoli Petri Epistolam, in illa verba: *Castificantes animas vestras,* ait: *Haud consultum est externis rebus conari vt cupiditatem restinguas, debilitare corpus, ac etiam postremò occidi per hac potest, ignari malis desideriis non potest.*

Lutheri de corporis castigatione sententia:

Verùm sanctorum Patrum, & sæculorum consensu impudentissimum hoc mendacium refellitur. Communiter enim tradunt, carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigendam, mortificanda membra, quæ sunt super terram, affligendam Agar, si aduersus Saram insolescat, cædendam carnem, vt cedat spiritui; castigandum corpus, & in seruitutem redigendum, vt seruiat animæ, & illa Deo. Non dubitauit sanè mellifluus Bernardus hoc ipsum S. BENEDICTI exemplum fratribus suis, nobisque omnibus proponere. *Ego,* inquit, *nec istum quidem ramum prætereibo, quoniam etsi hirsutus quodammodo spinarum aculeis, quibus seipsum Domini* BENEDICTVS *iniecit, tamen vtilis est omninò; vtilis iumento Domini propter foueas tentationum ne in eas incidat consentiendo, sed magis resistat & viriliter agat, sustineatq; Dominum ne desperet. Hic ergo fige pedem Christi iumentum, & disce quantumcumque acerba tentatio sæuiat, non cedere, nec credere proptereà derelictum esse à Domino, sed memineris scriptum esse: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Ita ille serm. de S. BENEDICTO.

Refellitur.

Hoc autem S. Patris nostri heroicum facinus imitandum sibi, velut prototypon proposuisse sanctum Audomarum, auctor est Jacobus Malbrancq, lib. 3. de Morinis cap. 22. Cùm enim vir sanctus nocte quapiam obscœnâ carnis titillatione vehementiùs premeretur, Assurgit, adgeniculatur, pectus tundit: parum sic æstu remittente, iuuat BENEDICTVM inducere, exuere Audomarum. Itaque per posticum subrepens fallit sopori deditos, & opportunè agri partem vrticis ac vepribus horridam conspicatur. Jgitur omni prorsus ablatâ veste in ericiam syluam, salutari in cutem exardescens odio, se proiicit, tamdiuque volutat, donec toto corpore sauciatus, per cutis vulnera fenestram dedit, qua libidinis aculei foras emergerent. Tam heroico facinore ac victoria, dæmon & caro deinceps suis incitamentis abstinuêre. Rarum quoque in beatâ Teresiâ pœnitentiæ spiritum, acta Canonizationis relat. 2. art. 17. eliciunt: *Ex acerrimis flagellis, non modò duris funibus, sed etiam vrticis, & clauibus, quibus vsque ad sanguinis effusionem se verberare consueuerat, & à vepribus, in quibus se (vt de S.* BENEDICTO *legitur) aliquando volutabat.*

S. Audomarus ad exemplum S. BENEDICTI in vepribus se volutat.

Jllud porrò hîc etiam discimus, generoso aliquo atque heroico actu, ipsum virtutis non rarò acquiri habitum, & perfectionem: vnde S. Bonauentura, vel potiùs B. Dauid de Augusta lib. 2. de profectu Religiosorum cap. 61. *Solet,* inquit, *Deus fidelem seruum suum postmodum ampliùs consolari, & perioris perfectionis gratiam conferre in illis, de quibus aliquando fuerat in tentationis molestiâ grauiter tribulatus, sicut de B.* BENEDICTO *scribit Gregorius, qui dum carnis tentatione grauiter tentaretur, quia viriliter restitit, ita plenè vicit, vt Dei gratiâ nunquam posteà motus carnalis illecebræ in se sentiret.* Similiter & S. Francisco contigit, qui (vt habet Bonauentura in eius vita cap. 5.) grauiter tentatus, mirando feruore spiritus in magnam nudatum corpus mergebat niuem. *Illicò* autem *tentator victus abscessit, & vir sanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum benè pœnaliter arsit foris, ardorem interiùs sic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquid minimè sentiret.* Sic quoque S. Thomas Aquinas, cùm ab inimicis domesticis subornatam mulierem ad labefactandam eius constantiam titione fugasset, per quietem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos; atque eo ex tempore omni posteà libidinis sensu caruit. Quis hîc non videat, quàm efficax contrà carnis stimulos antidotum sit corporis afflictatio, vt pluribus opus non sit impium Lutheri paradoxum refutare.

Actu heroico vit.

Sed illud neutiquam prætereundum putauerim, quod de S. Francisco Minorum Patre, vepretum hoc S. BENEDICTI visitante, litteris traditum. Hæc enim de eo Lucas Waddingus tom. 1. Annalium Ordinis Minorum, anno Christi 1222. *Ab vrbe recedens* (S. Franciscus) *in regnū Parthenopæum S.* BENEDICTI *specum voluit visitare, cuius res præter constantem traditionem, quæ habetur in sacris specus, & S. Scholasticæ Sublacensis cœnobiis, apparet adhuc vestigium in sacello sanctorum Angelorum, & S. Gregorij, à Gregorio IX. consecrato, vbi à dextris altaris idem benignus Francisci Fautor & amicus Gre-*

S. Franciscus S. BENEDICTI specum inuisit, vepretumq;:

gorius

gorijs depictus est; à sinistris autem Franciscus schedam manu tenens, exaratis his verbis: Pax huic domui; quibus semper domum quamcumque ingrediens incolas salutabat. Sacellum hoc supereminet illi hortulo seu viridario, in quo S. BENEDICTVS *molestum carnis incitamentum spinarum cruento superauit volutabro. Dignè autem sanctæ rei contemplatione Franciscus immersus, sanctitatemq; insignem magni secum expendens Patriarchæ, qui tam duro & diro sibi succurrit remedio, dumeta attrectans & exosculans, demum signo crucis afficiens, in rosarium pulcherrimum diuinâ vertit virtute. Quo factum est, ut deinceps ille locus in maiori haberetur reuerentia. & rosetum vtriusque Patriarchæ religione sacratum, mira virtute rosas producat; quæ multam vbique infirmitatū medelā attulerunt. Cælestem hanc metamorphosim perbellè & doctè quidā eruditus Poeta, hoc carmine depinxit:*

quod in signo crucis in rosarium vertit.

Virgineum sepit florem BENEDICTVS *acutis*
Vepribus, & proprij rore cruoris alit.
Hinc dumeta nouas, tanto fœcunda liquore,
Franciscíq; manu culta tulêre rosas.
Falsa quidem roseo cecinere è germine Vates,
Sed latuit falso carmine vera fides.
Scire cupis rosei flos exeat vnde pudoris?
Sola rosas potuit gignere puncta Venus.

CAPVT II.

7. AD EIVS MAGISTERIVM FESTINARE] Quid tantus Magister primos hosce suos docuerit discipulos, Græcus Zachariæ expressit textus, qui ita habet: *Multi ergo mundi relinquentes voluptates, ipsum accesserunt spiritualis ædificationis gratiâ, & docebantur ab ipso varijs malitiæ potestatibus viriliter repugnare.*

CAPVT III.

DE VITRO FRACTO PER SIGNVM CRVCIS.

CAPVT III.



1 RECEDENTE igitur tentatione, vir Dei quasi spinis erutis exculta terra de virtutum segete feraciùs fructus dedit: præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. [2] Non longè autem monasterium fuit, cuius congregationis pater defunctus est, omnisque ex illo congregatio ad eundem Venerabilem BENEDICTVM venit, & magnis precibus vt eis præesse deberet petiit. Qui [3] diu negando distulit, suis illorumque fratrum moribus se conuenire non posse prædixit: sed victus quandoque precibus, assensum dedit. Cumque in eodem monasterio [4] regularis vitæ custodiam teneret, nullique, vt prius, per actus illicitos in dexteram læuamque deflectere à conuersationis itinere liceret: [5] suscepti fratres insanè sæuientes, semetipsos prius accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant: quorum scilicet tortitudo in normâ eius rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerent assueta relinquere, durumque esset, quod in mente veteri cogebantur noua meditari, & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorum, tractare de eius morte aliqui conati sunt, qui inito consilio venenum vino miscuerunt. Et [6] cùm vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri, ex more monasterij, ad benedicendum fuisset oblatum, extensâ manu BENEDICTVS signum crucis edidit, & vas, quod longius tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, ac si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque illicò surgens, vultu placido, mente tranquillâ, conuocatos fratres allocutus est, dicens: Misereatur vestri, fratres, Omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis? Numquid non priùs dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minimè conueniret? [7] ite, & iuxta vestros mores patrem vobis quærite, quia post hac me habere minimè potestis. Tunc ad locū dilectæ solitudinis rediit & solus in superni spectatoris oculis [8] habitauit secum.

In Cœnobiarcham eligitur:

sed argumentes disciplinam assolutis fratres non ferunt.

Veneno illū mortem machinantur:

sed signo crucis vas veneniferum frangit:

Fratres increpat: deseritq;.

Solitudinem repetit.

PETRVS.

Minùs patenter intelligo, quidnam sit, habitauit secum.

GREGORIVS.

Si sanctus vir contra se vnanimiter conspirantes, suæque conuersationi longè dissimiles, coactos diu sub se tenere voluisset, fortassis sui vigoris vsum & modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dumque quotidie illorum correptione fatigatus, minus curaret sua, & se forsitan

Cur se abdicauerit.

relin-

CAPVT III. relinqueret, & illos non inueniret. Nam quoties per cogitationis motum, nimium extra nos ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus, quia nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit, portionem, quam acceperat, consumpsit, vni in cá ciuium adhæsit, porcos pauit: quos cùm manducare videret siliquas, & has esuriret, tamen cùm postmodum cœpit cogitare bona quæ perdidit, scriptum de illo est: *In se reuersus* Luc. 15. d. dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*? Si igitur secum fuit, *Habitare secum, quid sit.* vnde ad se rediit? Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim: quia in suâ semper custodiâ circumspectus, ante oculos Conditoris, se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.

PETRVS.

Quid ergo, quod de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab angelo edu- Act. 12. b. ctus fuisset? qui ad se reuersus, dixit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum.*

GREGORIVS.

Dupliciter extra nos imus: Duobus modis, Petre extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque, qui porcos pauit, vagatione mentis, & immunditie sub semetipsum cecidit. Iste verò, quem angelus soluit, eius mentem in ecstasin rapuit, extra se qui- *Dupliciter quoque redimus.* dem, sed super semetipsum fuit. Vterque ergo ad se rediit, quando & ille ab errore operis se collegit ad cor: & iste à contemplationis culmine ad hoc rediit, quod in intellectu communi vt priùs fuit. Venerabilis igitur BENEDICTVS in illâ solitudine habitabat secum, in quantum se intra cogitationis claustra custodiuit: nam [9] quotiescumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se proculdubio sub se reliquit.

PETRVS.

Placet quod dicis: Sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel suscepit.

GREGORIVS.

7. quest. 1. Vt ego Petre existimo, [10] ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniun- *Ibi aduna-ti.* tur aliqui, qui adiuuentur boni. Nam vbi omnimodò de bonis fructus deest, fit *Prælaturam dimittere qua ratione liceat.* aliquando de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque Sanctus propter quem custodiendum staret, qui omnes vnanimiter se persequentes cerneret? Et sæpe agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est: quia cùm laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vnde ille quoque Philip. 1. 5. egregius prædicator, qui dissolui cupit, & cum Christo esse, cui viuere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina non solùm ipse appetiit, sed ad toleranda Act. 9. d. e. hæc, & alios accendit, Damasci persecutionem passus, vt posset euadere, murum, 2. Cor. 11. 9. funem sportamque quæsiuit, seque latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cùm in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & graui labore ad laborem se alibi cum fructu seruauit. Fortis enim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Vnde idem quoque venerabilis BENEDICTVS, si libenter audis, citiùs agnoscis: quia non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis aliis à morte animæ suscitauit.

PETRVS.

Ita esse vt doces, & manifesta ratio, & prolatum congruum testimonium declarat. Sed quæso, vt de vitâ tanti Patris ad narrationis ordinem redeas.

GREGORIVS.

Cùm sanctus vir diu in eâdem solitudine virtutibus, signisque succresceret, multi ab

eo in

CAPVT III. S. Benedictus 12. monasteria ædificat.

eo in eodem loco ad Omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic [11] duodecim monasteria cum Omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret, in quibus statutis patribus [12] duodenos monachos deputauit, [13] paucos verò secum retinuit, quos adhuc in suâ præsentiâ aptiùs erudiri iudicauit. Cœpêre etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, [14] suósque ei filios Omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles, [15] Eutychius Maurum, [16] Tertullius verò patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior cùm bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere: Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

COMMENTARIVS.

1. RECEDENTE IGITVR TENTATIONE] Vt quæ hoc capite à S. Gregorio traduntur, melius intelligantur, prænotandum hîc S. Doctorem non referre, vt ipsemet protestatus est, omnia S. BENEDICTI gesta, sed pauca tantùm, vnde alias tentationes, quas triennio illo, quo in specu degit, superauit, non commemorat, neque etiam quos ibidem habuerit discipulos. Iam tum enim, vt ipsemet ait, *nomen eius per vicina loca innotuit cunctis: factumq; est vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœperit.* Post narratam autem de tentatione victoriam, hæc iterum subiicit: *Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippè à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum Magister.* Habuit ergo etiam in specu degens suos BENEDICTVS discipulos, de quorum tamen vitâ, nominibus, & successu, cùm altum vbique sit silentium, nihil adferre possumus.

Quando postulatus in Abbatem.

Quod autem hoc capite subiungitur, postulatum eum in Abbatem cuiusdam Monasterij, cuius Abbas obierat, id non ita accipiendū, quasi statim à tentatione deuictâ acciderit: post illam enim sensim nunc hi, nunc illi, diuersísque, vt credibile est, temporibus ad eum accedebant discipuli, & aliquot annos ab illâ tentatione ad hoc tempus, quo in Abbatem postulabatur, intercurrisse, verisimile omninò est. Cùm enim tentatio acciderit anno ætatis eius 17. quis credat Monachos eius ætatis Adolescentem sibi postulasse in Abbatem, aut S. BENEDICTVM ausum tunc regimen hoc, angelicis etiam humeris formidandum, admittere, qui in solitudine delitescere semper optabat? Etsi autem non sciatur, quo anno præcisè hoc contigerit, non improbabiliter tamen creditur, circa annum ætatis trigesimum accidisse. Nam S. Gregorius hoc capite eum non semel VIRVM DEI appellat; aitque *præconio eximiæ conuersationis celebre eius nomen* iam tùm habitum. Nec obstat, quòd Gregorius hanc narrationem cum illâ de tentatione superatâ connectat, non enim sequitur in hac vitæ historiâ chronologiæ rationem. Nam & colloquium Totilæ cum sancto Patre recenset cap. 15. & miraculum de allatâ in ducentis saccis diuinitus farinâ cap. 21. subiungit, cùm hoc quatuor annis præcesserit, vt ex Baronij calculo patet. Constantinus tamen Bellottus colloquio 2. pro Gregorij Magni Monachatu Benedictino, aliis hæc reponit annis, aitque S. BENEDICTVM postquàm à Pastoribus repertus fuit, septem in eâdem solitudine vixisse annis, nimirum vsque ad grauissimam hanc tentationem, quâ superatâ cùm iam ad vigesimum quintum ætatis annum peruenisset, expetitus fuit in Abbatem. Quod autem eâ esset ætate, ostendit Gregorius, quia in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à viginti quinque annis & suprà ministrare debeant. Sic ille. Nos verò Antonij de Yepez & Milletij supputationes, siue probabilem coniecturam hic secuti sumus.

Monasterij vbi postulatus fuit, descriptio.

2. NON LONGE AVTEM MONASTERIVM FVIT.] Situm hoc fuit intra Sublacum & Tibur vrbem in Latio ad Anienem fluuium, non longè à loco quem *Vicouerram*, siue *Varronis vicum* dicunt, cuius Monasterij hodieque extant vestigia. Fuisse illud posteà Regulæ S. BENEDICTI subditum, & SS. Martyribus Cosmæ & Damiano dedicatum, tradit Constantinus Caietanus lib. 2. pro Ioanne Diacono, cap. 7. Varronis autem ille vicus aliis dicitur, *vicus Valerius*, vel *Vari*, de quo Baronius, in Annalibus ecclesiasticis, Anno Christi 1461. Oppidum, inquit, est in alta rupe situm, trianguli formam gerens; duo latera, prærupta tuentur saxa, hinc riuo scissa perenni, inde ad Anienis cursum vsque protensa: tertium latus altissima turris, & arx munitissima defendit, & fossa manufacta. Adsunt vestigia priscæ nobilitatis, magna pars muri ex quadratis ingentis molis lapidibus quales in antiquis operibus cernimus.

3. DIV NEGANDO DISTVLIT] Zacharias Pontifex in traductione Græcâ, ex humilitate hanc præfecturam recusasse asserit; ita enim ait: *Ipse verò sibi à pueris coadolescentem Deumq; imitantem humilitatem relinquere non ferens, eorum eiusmodi supplicationem reiecit, se peccatorem & indignum dicens.*

Quomodo se in prælatura gesserit.

4. REGVLARIS VITÆ CVSTODIAM] Accuratissimam S. P. N. exercitationem paraphrasticus explicat Ribadineira, eiusque interpretes in Legendâ Sanctorum: Mox, inquit, vt Abbatis officium admisit, Subditis se omnis virtutis & sanctitatis speculum exhibuit, exemplo suo illos docens cellam amare, otium fugere, silentium tenere, exercitari laboribus, ieiuniis, vigiliis, & pœnitentiæ operibus. Ad continuam eos incitabat orationem & meditationem, ad amorem mutuum, obloquij & detractionis declinationem, ad sanctæ paupertatis studium, quâ omnia monasterij sunt omnium, & nihil alicui proprium. Ægris ipse inseruiebat, & ab aliis visitari, & ministrari volebat. Hospites magnâ excipiebat charitate. Singulari mansuetudine tolerabat subditorum defectus, quos & suaniter admonebat, & cùm res exigeret, puniebat grauiter. In omnibus se præbens

pium

CAPVT III.

pium Patrem, perfectum Magistrum, & Superiorem zelosum. Sic ibi, quæ quidem, vt consentanea sunt sanctissimi Antistitis pietati ac moribus: ita optassem vetustioris alicuius Auctoris testimonio (si quem fortè Ribadineira habuerit) ea confirmata. Nam in Græco, aut aliis, quod sciam, non reperiuntur.

Animarum exitus Medicus.

5. SVSCEPTI FRATRES] Pulchrè, atque vt mihi videtur, valdeproprie Monachos hos vocat SVSCEPTOS, tanquam ægrotos, quos Medicus curandos suscepit. Sic Cassianus lib. 10. cap. 7. de S. Paulo ait: *Thessalonicensibus enim scribens, & primò vt peritissimus quidam perfectusq; Medicus infirmitatem* SVSCEPTORVM *blandâ leniq; verbi curatione fomentans, ac de charitate incipiens*, &c. Et rursus cap. 14. *Velut filiis* SVSCEPTISQVE *suis consilio salubri infert remedia sanitatis.* De hâc verò voce & has auctoritates annotauit Petrus Ciaconius, in Obseruationibus ad Cassianum. Sic is, qui Ambrosij nomine circumfertur, in cap. 1. Epist. 2. ad Corinth. *Quis*, inquit, *Medicorum non arguit* SVSCEPTVM *suum negligentius se tractantem, ne cura medicina sua sine fructu remaneat.* S. Ambrosius serm. 27. *Si Medicum animarum nostrarum fideliter exoremus, & præcepta eius tanquam* SVSCEPTI *idonei minimè spernamus.* Et Tertullianus aduersus Valentinianos cap. 16. *Hic opinor ille* SVSCEPTAM *confirmat, & omnibus iniuriis passionis expumicat.* Dicebantur etiam SVSCEPTI Clientes, quos patroni tuendos susceperant, vt videre est in epistolâ Augustini 59. & alibi.

Hæc porrò vel eâ gratiâ à nobis dicta sint, vt liquidò appareat, iam tum S. BENEDICTVM opere exhibuisse, quod posteà in Regulâ expressit. Abbatem enim voluit non tantùm Pastoris, verùm etiam sapientis Medici (vt cap. 27. loquitur) præstare officium. *Nouerit*, inquit, *se infirmatum curam* SVSCEPISSE *animarum*, quod perditis his Monachis sollicitè ostendit.

6. CVM VAS VITREVM RECVMBENTI PATRI EX MORE MONASTERII AD BENEDICENDVM FVISSET OBLATVM.] Animaduerte hîc, Lector, vsitatam in S. BENEDICTI Monasteriis aliam benedictionem, ab illâ quæ mensæ præmittitur. Ex cap. enim 40. Regulæ satis apparet, antequam accumberent, vt nunc etiam fit, dictum fuisse *Versum*, siue mensæ benedictionem, ait enim: *Simul omnes dicant versum, & orent; & sub vno simul omnes accedant ad mensam.* Hîc autem dicitur; *recumbenti Patri ex more Monasterij ad benedicendum fuisse oblatum vas.* Et vt ritum agnoscas, subdit, quòd *illud longiùs tenebatur.*

Scyphi olim consueta benedictio:

Habuerint ergo tum in more, primum calicem Abbati eminus benedicendum offerre; vel fortè singuli quoties bibendum erat benedictionem cum signo Crucis super calicem fecerint. Veterem enim hunc morem ex eo colligas, quòd Theodoretus lib. 3. histor. cap. 16. scribat, Cùm tempore Iuliani Apostatæ *milites nonnulli, qui aurum acceperant, in conuiuio quodam fortè vnà epularentur, vnum, sumpto in manus poculo non antè bibisse, quam salutare Crucis signum adhibuisset.* Quod in S. Columbani monasteriis in vsu fuisse, liber eius de quotidianis pœnitentiis Monachorum confirmat, in quo legimus: *Qui non signauerit cochleare quod lambit, sex percussionibus puniatur*, id autem non de cochleari tantùm, sed de quocumque vase, poculo, aut schyphu intelligendum, patet ex responsione S. Eustasij, qui in Matisconensi Concilio III. anno Christi 627. Agrestino hanc S. Columbani ordinationem improbanti respondit: *Nequaquam reor contrarium esse religioni, si cochleam, quam Christianus lambit, vel quodcumq; vas, aut poculum Crucis signo munit, cùm per aduentum signi Dominici pellatur pestis aduersantis inimici.* Vbi per transennam nota, Regulam S. Columbani non tantùm intelligi eam, quæ ex Bobiensi monasterio in Florilegio Insulæ Sanctorum Hyberniæ iam pridem edita est, sed etiam Pœnitentiale S. Columbani, in quo tantùm citatus articulus inuenitur; & tamen cum, vt Regulæ S. Columbani decretum impugnabat Agrestinus, & ipsum Columbani Pœnitentiale in M. S. Treuirensi codice, hoc insignitur titulo: SANCTI COLVMBANI ABBATIS REGVLA COENOBIALIS FRATRVM. SIVE LIBER DE QVOTIDIANIS POENITENTIIS MONACHORVM.

Sed vt ad particularem cuiusque ferculi aut Calicis benedictionem redeamus, Opusculum S. BENEDICTO adscriptum, & inscriptum: *Ordo qualiter fratribus in monasterio religiosè ac studiosè conuersari oporteat*; hæc habet, consuetudini, quam hic indicat Gregorius, conformia. *Cùm accipiunt panem dicat frater fratri*, BENEDICITE, *& respondeant*, DOMINVS: *& similiter faciant de potu, cum primùm biberint.* Ritum autem benedicendi potum paulò pòst vberiùs explicat: *Surgant*, inquit, *iuuenculi ad miscendum, & totos calices impleant potu aquâ mensurâ, & stent ordinati sicut sunt conuersi. Tunc Cellerarius iterum sonet cymbulum tacitè, & dicant fratres vnâ voce productè*, BENEDICITE, *& datâ benedictione à Priore, frater iunior qui dat calicem in manu sedentis, caput inclinet humiliter.* Hæc ibi. Quæ conformia prorsus sunt iis quæ hîc narrat Gregorius.

Non dissimilia habentur in Regulâ Magistri ante octingentos & ampliùs annos conscriptâ. Capite enim 23. hæc scribit: *Allata diuersarum mensarum fercula offerantur Abbati signanda. Sic enim signetur omne quod apponitur tam coctum, quàm crudum in mensis: Qui signat Cruce, sic dicat ore: Benedic Domine quidquid ex hinc accepturi sumus.* Subiicit deinde: *Antequam potus singulis erogetur fratribus, vas offeratur Abbati signandum.* Iuxta illam porrò Regulam, tria inferebantur diuersis vicibus fercula, & tertiò vnicuique infundebatur potus, & ad singulas vices petebatur ab Abbate tam cibi, quàm potûs benedictio. Qui verò non adfuisset cùm versus ante mensam dicebatur, ille scorsum iubebatur sumere cibum & potum non signatum.

Etiam fercula benedicebantur.

Eumdem ritum, sed breuiùs expressum videas in *Regulâ cuiusdam ad Virgines*, siue vt aliis vocatur, *Serui Dei ad Sorores*, æqualis cum priori, ni fallor, vetustatis: in quâ cap. 10. præscribitur, vt *nulla priùs cibum comedat, quam signum ad benedictionem insonet. Abbatissa verò vigilet, vt confestim cùm cibus ministratus fuerit, signum tangere procuret, & omnes cùm signum audierint, vnâ voce benedictionem rogent, quarum vocem Abbatissa subsequatur dicens: Dominus dignetur benedicere: Hoc ad omnia fercula, vel pomorum ac potûs administrationem obseruandum est.*

Fuit hæc benedictio aliis Christianis olim vsitata.

Hanc autem singula fercula benedicendi consuetudinem, non inter monachos tantùm, sed & alios Christianos Magni Gregorij æuo viguisse, ex Gregorio Turonensi colligitur lib. 1. Miracul. cap. 80. Narrat enim à Muliere catholicâ virum habente hæreticum, inuitatum ad prandium Presbyterum catholicum, alterumque hæreticum sacerdotem superuenisse. Huic autem vir suggessit, vt apposito ferculo celeriùs illud signaret, vt nimirum

mirum Catholicus non manducaret cibum ab hæretico benedictum. Fecit vt iussus erat hæreticus, & primum, secundum, tertium & quartum ferculum eleuatâ manu signauit. Quod, vt arbitror, non fecisset, nisi eatum temporis benedicendi viguisset consuetudo. Sed vt cibum potus comitetur, notandum, Gretserum lib. 1. de Benediction. cap. 14. ad hanc potum, aut singula pocula benedicendi formam trahere morem propinandi Germanorum. *Propinans enim dicit*; **Ich brengh't u.** *Respondet alter:* **Godt geseghent.** *Primũ autẽ illud significat, Offero, seu affero vobis, istud, scilicet, vinum, vel hunc cyathum. Ad quid verò affers, aut offers? Liquet hoc ex alterius responso: Deus benedicat. Offert ergò ad benedictionem, offert vt benè precetur. Quid autem est benè precari, nisi benedicere?*

S. Benedictus Prælatis pro regulari disciplinâ patientibus, solatium.

Jam verò quod spectat Monachos S. Patri mortem machinantes, crediderim diuinam bonitatem id ei accidere permisisse, vt solatio esset aliis post eum secuturis Superioribus, si quando ob disciplinæ regularis obseruantiam, aut odio haberentur, aut variis modis exagitarentur. Sic enim Christus Ioan. 15. 20. suis prædicebat discipulis: *Non est seruus maior Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Similia quoque S. Aygulpho Abbati Benedictino accidisse refert Surius, in eius vitâ: hunc enim Lerinenses communi totius Monasterij assensu instanter rogarunt, sibi vt præesse dignaretur. Pluribus tandem precibus victus, acquieuit, protestatus antè (S. BENEDICTI imitans exemplum) mores illorum suis minimè conuenire. Duo autem Monachi Columbus & Archadius non ferentes arctioris vitæ obseruantiam, longas scilicet vigilias, silentium inuiolabile, quotidianum ieiunium, claustrum perpetuum, voluntatis propriæ abnegationem, clanculum à monasterio discesserunt. Post aliquot autem dies ad claustrum reuersi, paucis sibi adiunctis & coniuratione factâ tumultuosè in innocentes, qui S. Aygulpho adhærebant, irruerunt, tandemque Abbatem comprehendi, ligari, cruciarique fustibus per omnia membra iusserunt, atque obscurissimo incluserunt carceri, cui & alios fratres suos religiosos mancipaunt. Noctu autem seruos Dei cum satellitibus naui imponunt, vt eos in remotioribus partibus trucidarent. Præscinduntur deinde eis linguæ, eruuntur oculi, & nudi satellitum exponuntur ludibriis. Plurima autem loca nauigio prætervecti, cùm iam occidendi essent, prolixius orantes, animasque Domino commendantes, inter verba orationis spiritum Domino reddiderunt. Atque ita pro obseruantia regulari S. Aygulphus cum suis occubuit. Sed & alij Benedictinæ familiæ eidem discrimini subiecti fuêre. Ordericus Vitalis Ecclesf. Hist. lib. 5. refert S. Maurilium *in vrbe Florentiâ Monachilis Cœnobio Abbatis iure præfuisse: & exosum transgressoribus pro rigore disciplinæ venenum in potu sibi propinato deprehendisse. Vndè sanctissimum Patrem doctoremq;* BENEDICTVM *secutus incorrigibiles deseruit, & in Neustriam ad Fiscannensi* monasterium *venit.* De Poppone Stabulensi Abbate, vitæ auctor Euerhelmus abbas Altimontensis narrat; Monachos S. Maximini Treuiris cibo & potui ipsius venenũ sæpius miscuisse, illo Dei gratiâ permanente illæso. Pauliacensium monialium tanta quoque fuit inuidia, vt S. Austrebergam abbatissam, rigorem propositi sui fortiter tenentem, interficere molirentur. Sed Domino prohibente, illud exequi nequiuerunt, vt est apud Surium 10.

S. Aygulphus pro regulari obseruantia cum Sociis trucidatur.

Februarij. Historia Franciscanorum Recollectorum scripta à P. Carolo Rapin narrat Generalem totius Ordinis Seraphici, dum conuentum Parisiensem sanctiore disciplinâ informat, à suis subditis suspensum.

CAPVT III.

Quis verò non miretur religiosos hos, qui tantâ instantiâ, tot precibus Abbatem sibi postulabant siue S. BENEDICTVM, siue S. Aygulphum, idque solùm propter vitæ sanctitatem, posteà tamen tanto odio in mortem eius conspirasse, cùm non ignorarent aliter sibi sub hoc, quem elegissent Abbate viuendum? Vndè hoc quæso accidit? nisi quòd quidam malunt reformati dici, quàm esse; & nomine potiùs gloriari, quàm vitâ; qui vt aliquid videantur, Magistrum eligunt perfectissimũ, cuius tamen doctrinam non sequuntur. Cùm enim mores mutandi, passiones mortificandæ, propria deserenda voluntas, solitudo, silentiumque seruãdum accuratè, aliaque, quæ cum assuetâ ipsorum libertate ex diametro pugnant, facienda, tum verò repugnantem spiritui sentiunt carnem, cui obsequentes insiliunt in Magistrum, & quo modo ab eo se queant expedire, tractare incipiunt.

Detegitur radix odij, quo stimulantur in bonos Prælatos discoli religiosi.

Adumbratum id legimus in libro Sapientiæ, cap. 2. vbi impij sic loquuntur: *Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, grauis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis. Contumeliâ ergo & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum.* Atque hinc patet optimè dixisse S. August. ep. 137. *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quo modo difficile sum expertus meliores quàm qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasteriis ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocal. scriptum: Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc.*

7. ITE, ET IVXTA VESTROS MORES PATREM VOBIS QVÆRITE.] Dei mores vir Dei imitatur. Quemadmodum enim Israëlitas ob violatam religionem & fidem, quâ vni Deo erant obstricti, Deus abiecit, iisque per Oseam Prophetam cap. 1. dici iussit: *Quia vos non populus meus, & ego non ero vester*: eodem modo S. BENEDICTVS negat se fore Patrem eorum, qui ab eius moribus erant alienissimi. Quò spectat illud, quod Antonius Senensis, in Chronico Prædicatorum ad annum 1370. refert, Bononiæ in odæo D. Dominici dum fratres hæc concinerent verba: ORA PRO NOBIS BEATE PATER DOMINICE, vocem illam insonuisse. NEC EGO PATER, NEC VOS FILII. Simile narrat Waddingus tom. 3. Annal. S. Francisci fol. 370. In Siciliâ obiit quidam, qui sæpius ad munia honorifica & fratrum regimen euectos, auidè cumulauit libros, vestes superfluas, & pecunias. Corpus sub noctem in feretro fertur ad Ecclesiam, vt die sequenti funus curetur, adhibitis, vt solet, duobus fratribus qui cadaueri aduigilent. Ecce sancti Franciscus, Antonius, Ludouicus apparent loculo adstantes, & defunctum interrogant, cuius fuerit instituti: Tui, inquit defunctus, Ordinis sancte Pater. Cui S. Franciscus indignatus: *Noli me vocare* PATREM, *qui filium te degenerem probasti,*

Ordinum Patriarchæ filios degeneres pro suis non agnoscunt.

& præ-

CAPVT III.

& præter alia Regulæ præcepta, turpiter violasti sanctam paupertatem. Mox amouit ab habitu obmutescentis caputium, & abductam è cella totam supellectilem, & pecuniam, quam absconderat, cadauerique impositam S. Franciscus igne supposito exussit. Hæc forti voce in aure cordis omnium Monachorum clamant, vt Patris sui vestigiis sedulò insistant, moresque imitentur. Optimè Saluator noster pronuntiauit Joan. 8. *Si filij Abrahæ estis: opera Abrahæ facite.* Si filij S. BENEDICTI estis, opera S. BENEDICTI facite.

Sed hoc eius discolos Monachos deserentis exemplo S. Petrus Damiani opusc. 19. cap. 11. Nicolao Papæ scribens, comprobare nititur, licere sibi episcopatûs onus deponere: *Porrò*, inquit, *& B.* BENEDICTVM *instar magni cuiusdam Pontificis possumus ad exemplum imitationis inducere, qui videlicet commissum non ambigitur regimen dimisisse.* Martyrius quoque Antiochenus Episcopus propter dissidentis inobedientiam populi, Zenonemque his fauentem, coram Ecclesia abrenuntiauit episcopatu. *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuntio, seruata interim mihi sacerdotij dignitate.* Itá Baronius tom. 6. Anno Christi 471. ex Theodoro Lectore Collect. lib. 1. B. quoque Milletius Episcopus & Martyr, in ciuitate Persicâ Episcopus ordinatus, cùm nulli potuisset illic suadere vt Christianus fieret, grauiter ferens, maledixit ciuitati, & exinde discessit. Et Joannes Trithemius epist. 31. rationem reddens cur ad suos Spanhemenses, post graues contumelias & iniurias acceptas nollet redire, catalogum texit eorum, qui ob similes causas prælaturâ se abdicauerunt. Exordium autem sumit à sanctissimo Patre nostro BENEDICTO, cui subnectit Rhabanum Maurum Fuldenses deserentem, & ad Ludouicum Pium se conferentem. S. quoque Benno, monasterij Gosseck, fratrum suorum iniuriâ commotus, Abbatiam deseruit. Subiicit Othmarum S. Galli Abbatem, Reginonem Prumiensem, Ratbertum Corbeiensem; ac denique concludit: *Sed frustra conor singulos recensere Ordinis nostri quondam Abbates, qui monachorum suorum iniuriis & contumeliis agitati sua cœnobia reliquerunt, quorum tantus est numerus, vt comprehendi epistolarum angustiâ minime queat.*

S. Benedicti aliorumq; prælatorum deserentium exempla.

8. HABITAVIT SECVM.] Nota quoque Ethnicis loquendi formam. Persius Satyr. 4.

TECVM HABITA, *& noris quàm sit tibi curta supellex.*

Seneca epist. 2. *Primum argumentum compositæ mentis existimo posse consistere; &* SECVM MORARI.

Hæc est conuersatio interior variis nominibus in Scripturâ expressa. 1. enim dicitur *reuerti ad se*, vt de prodigo hic ostendit Gregorius. 2. *reuerti ad cor* Isai. 46. 3. *Intrare semetipsos*, sic enim Ambrosius lib. de Noë cap. 11. explicat illud Genes. 7. *Intra tu, & omnis domus tua in arcam. Benè*, inquit, *dicit Dominus iusto: Intra tu, hoc est, intra teipsum, intra tuam mentem, intus anima principale, ibi salus est, ibi gubernaculum, foris diluuium, foris periculum.*

Conuersatio interior elucidatur.

4. *Intrare in domum suam.* Sic Augustinus in psalm. 100. quod Saluator paralytico dixit, *vade in domum tuam*, exponit: *Intra in cōscientiam tuam, eam lætam inuenies. ubi deambules, & psallas, & intelligas.* Rabanus, *domum ire, est ad paradisum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet.*

5. *Perambulare in medio domus suæ.* Psalmista: *Perambulabam in innocentiâ cordis mei, in medio domus meæ* psalm. 100. Augustinus: *Domus nostra interior, cor nostrum est. Hanc domum quisquis habet malam, pellitur ab illâ foris. Quisquis enim in corde premitur malâ conscientiâ, quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo suâ, aut à fumo, non ibi se patitur habitare: sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest.* Bernardus proinde Epist. ad Fratres de Monte Dei, monet *sollicitè & prudenter perpendendum, quis admittatur ad* HABITANDVM SECVM. *Malus autem homo numquam tutè secum habitat, quia cum malo homine habitat: & nemo molestior est ei: quàm ipse sibi.*

Sed videamus vt viri sancti & præsertim S. P. N. BENEDICTVS *habitauerit secum*, idemque exemplo suo nobis commendauerit. Pulchrè id, more suo, exponit Gregorius: *Quoties per cogitationis motum, nimium extra nos ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus, quia nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur.* Hoc scilicet est in varia distrahi, turbari erga plurima, effundi ad exteriora. Plurima scire, & seipsum ignorare, egredi post vestigia gregum & pascere hædos suos; hoc est dispergi in omnem regionem & non tantùm non SECVM, sed vbique & nusquam *habitare*, vt ingeniosus poeta Martialis ait: lib. 7. epig. 72.

Quisquis vbique habitat, Maxime, nusquam habitat.

Sed quid iam *Habitare secum?* audi Gregorium: *Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim; quia in suâ semper custodiâ circumspectus, ante oculos Conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.* Benè in hunc sensum Bernardus ad Fratres de Monte Dei: *Secundum præceptum Apostoli sollicitè temetipsum custodi, & vt temetipsum semper inspicias, semper ab omnibus oculos auerte.*

Quid sit habitare secum.

Quorsum autem hæc paulò fusiùs deducta? nimirum quia Meldense Concilium, hoc S. BENEDICTI *secum habitantis* exemplum Monachis censuit inculcandum, Canone 57. ita præscribens; *Nec sub prætextu obedientiæ diutiùs villicationibus inseruiant, sed regulariter obedientiam in vicissitudine sua peragentes,* SECVM, *vt de S.* BENEDICTO *legitur, in Monasterio* HABITENT, *atque seipsos recolligant.* Quo loco notandum duo præscribi, vt scilicet & in Monasterio SECVM HABITENT, & SEIPSOS RECOLLIGANT. Quod posterius prioris videtur esse explanatio, vel certè illius scopus & finis. Hinc citato loco Bernardus, duplicem Religiosis assignat cellam. *Alia*, inquit, *cella tua exterior, alia interior. Exterior est domus in quâ habitat anima tua cum corpore tuo. Interior est conscientia tua quam inhabitare debet omnium interiorum tuorum interior Deus cum spiritu suo. Ostium clausura exterioris signum est ostij circumstantiæ interioris: vt sicut sensus corporis per exteriorem clausuram foris vagari non permittitur; sic interior sensus ad suum semper interius cohibeatur.* Et mox: *da ergò vtriq; cellæ honorem suum, & tu tibi in eâ vendica primatum tuum. Disce in eâ secundum communis instituti leges tu tibi præesse, & vitam ordinare, & mores cōponere, & temetipsum iudicare, teipsum apud teipsum accusare, sæpe etiam condēnare, nec impunitū dimittere.* Sic ille. Interiorem hanc quisquis negligit cellam, amara ei & difficilis redditur exterior, nec in eâ diu perseuerare potest. Jn quantam verò hi tales incidant miseriam, explicat Abbas Serenus apud Cassianum Collat. 7. cap. 23. *In tantum, ait, teporem videmus corruisse nonnullos, vt necesse sit eos etiam remissioribus monitis adpalpari: modo ne desertis cellulis suis ad periculosiores inquietudines reuoluantur.*

Duplex Religiosorum cella.

uoluantur, & circumeuntes ac vagi crassioribus (vt ita dixerim) vitiis implicentur, magnusq; fructus ab eis obtineri credatur, si solummodo se etiam cum qualibet ignauiâ valeant in solitudine continere, ac pro ingenti remedio soleat eis à Senioribus dici, sedete in celiulis vestris, & quantum libitum fuerit, manducate atque bibite, & dormite, dummodo in eis iugiter perduretis.

9. QVOTIESCVMQVE HVNC CONTEMPLATIONIS ARDOR IN ALTVM RAPVIT, SE PROCVL DVBIO SVB SE RELIQVIT.] Omnia, & se in illis primum, relinquere debet, qui ad Deum per orationem vult accedere. Hinc Regius Vates psalmo 24. dicebat: *Ad te Domine leuaui animã meam;* quasi grauẽ corporis sarcinam reliquisset inferius. *Quid est oratio* (inquit Augustinus serm. 230. de tempore) *nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium?* Quomodo autẽ se sub se relinquat pius cõtemplator, optimè exponit S. Basilius de Laudibus Eremi, eam ità alloquẽs: *Te Ieremias aspexerat, cùm dicebat: Bonũ est præstolari cum silẽtio salutare Dei. Bonum est viro cùm portauerit iugum Domini ab adolescentiâ suâ: sedebit solitarius & tacebit, eleuabit enim se supra se. Habitator etenim tuus se eleuat supra se, quia Deum esuriens anima à terrenarum se rerũ obtutibus erigit, & in diuina contẽplationis arce suspendit, à mundi se actionibus segregat, atque in altum contemplationis cælestibus desideriis pennas librat: cumq; illum qui est super omnia, conspicere satagit, semetipsum quoq; homo cum reliqua mundana vallis deiectione transcendit.* Sic ille. Tam altè autem mundana quæque transcendere orantem Monachum S. Antonius voluit, vt cælestem hanc & plusquã humanam protulerit sententiam: *Non est perfecta oratio, in qua se Monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit.* Ità refert Cassian. Collat. 9. cap. 31.

Oratione mens eleuatur.

Thren. 3.

Ac Deum accedit, dum à se recedit.

Ex verbis autem S. Gregorij discimus S. P. BENEDICTO familiares fuisse in oratione, & frequentes mentis excessus siue RAPTVS, in quibus Climacus Grad. 28. Orationis finem cõstituit, *Orationis,* inquit, *initium est, luctas in animo aduenientes solo & tacito mentis imperio ex ipsis initiis fugare, medium verò cùm in his quæ dicuntur vel cogitantur mens tota est, finis autem* RAPTVS AD DEVM. Sed de raptu legendus S. Thomas 2. 2. quæst. 175. & Commentatores ibidem, Gerson de Theologiâ mysticâ consid. 36. Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. lib. 5. cap. 11. Ioan. à Iesu Mariâ Theolog. myst. cap. 6. Maximilianus Sandæus in Theolog. Mysticâ.

S. Benedictus ecstaticus.

10. IBI ADVNATI ÆQVANIMITER] Citatur hæc auctoritas in Jure Canonico, Causa 7. quæst. 1. Cap. *Ibi adunati.* Vide quæ habẽtur eadẽ quæstione plura in hanc rem. Hinc etiã in Decretalibus lib. 1. tit. 9. c. 10. Innocentius III. inter sex causas, ob quas Episcopis liceat petere, & summus Pontifex soleat concedere licentiam cedendi Episcopatui, recẽsetur etiam malitia plebis, *Quando adeo dura ceruicis existit, vt proficere nequeat apud ipsam, sed propter eius duritiem, quo magis satagit, eò magis iniusto iudicio deficere permittatur, dicente Domino per Prophetam: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans est. Et Apostoli leguntur dixisse Iudæis: Ecce conuertimur ad gentes, quia verbi Dei indignos vos fecistis. Non tamen pro qualibet culpâ Pastor debet gregem deserere; ne mercenario cõparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: sed de Superioris licentiâ, tunc demum potest non tam timide fugere, quàm prouidè declinare, cum oues conuertũtur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, tam irrationabiliter contradicunt.* Ita Pontifex. Quod præterea hos monachos spectat, notat Gratianus 18. quæst. 2. Cap. *Abbas* 2. in talibus monasterijs, non à Congregatione, sed ab Episcopis constituendos Abbates: *Ecce,* inquit, *in Toletano Concilio dicitur, quod Sacerdotes Abbates, & alia officia instituere debeant. B. Gregorius & Pelagius prohibent, docentes Abbatem à fratribus suæ cõgregationis eligendum & ordinandum. Quomodo ergo hæc tanta diuersitas ad concordiam reuocabitur? Sed sciendum est, quosdã monachos esse indomitæ ceruicis, & effrenatæ superbiæ, quos dum Abbates ad religionem cogere voluerint, in eorum detectionẽ conspirant, & alium moribus suis conuenientẽ sibi præficere contendunt: quales erant illi qui in necem Beati* BENEDICTI *conspirasse leguntur. Pro huiuscemodi constitutum est, vt Abbates, & alia officia per Sacerdotes instituantur.*

Renuntiatio prælaturæ.

CAPVT III.

11. DVODECIM MONASTERIA.] Centuriatores Magdeburgici Centur. 6. cap. 10. pag. 766. cùm Monachorum Patres *Antichristi notis insignes* fuisse tradant, tum S. Patrem nostrum BENEDICTVM *Antichristi regnum multum auxisse* cẽsent. Sed, quã, quæso, caussa? nimirum, quod *duodecim* hæc *monasteria condiderit.* Sed respondet Alanus Copus Dialogo 2. cap. 25. *Si vera hæc sit accusatio, eadem Antonium, Hilarionem, eosq; qui in Ægypto atque Palæstinâ infinitorum monasteriorum parentes & Conditores fuère, respicit. Atque ista quidem cùm in cæteros, tum maxime in* BENEDICTVM *conuitia eò indignius effunduntur, quod vel Europæ nostræ id fuerit, quod Ægypto & Palæstinæ Antonius atque Hilarion: vel quod non tam cum Antonio & Hilarione, quàm cum Mose, Eliâ, Elisæo, atque adeò Petro Apostolo meritò conferri poterit.* Sic ille; qui deinde collationem S. BENEDICTI cum Eliâ, Elisæo & S. Petro pluribus prosequitur.

Hæreticorum calumnia.

Fuerunt autem duodecim hæc monasteria surgentis Ordinis nostri fausta exordia, & totidem velut lapides fundamentales, quibus magnum illud ædificium posteà superædificatum fuit. Parua autem hæc fuisse (ait Baronius in Appendice ad tom. 9.) ex numero Monachorum duodenario in singulis collocato, possumus intelligere.

Prima Ordinis monasteria.

De tempore quo vnumquodque horũ monasteriorum excitatũ est, nihil habetur certi. Verò autẽ simile est vnde-viginti annorum spatio, ab anno scilicet quingẽtesimo decimo, quo relictis Monachis in vico Varronis, Sublacum repetiit, ad annũ vsque quingentesimum vicesimum nonum, quo Cassinum adit, fuisse extructa. Constantinus Bellottus Colloquio 2. magis præcisè hæc consignare volens, ait, S. Patrem anno Christi 514. pluribus ad eum concurrentibus discipulis de ædificandis monasteriis cogitare cœpisse: duodecim verò sex hæc annorũ spatio ædificata fuisse, ab illo scilicet anno 514. vsque ad 520. Arnoldus Wion Ligni Vitæ lib. 5. cap. 11. ait, primam Ordinis monastici nigrorum Congregationẽ fuisse illam, quæ à S. P. N. BENEDICTO in sacrâ specu primum, anno salutis 520. & in Cassino deinde, anno 528. fundata legitur: quæ ab historicis nunc Specuensis à primo conuersionis eius loco, nunc Cassinensis à legis suæ fundatione; nunc verò Benedictina, ab eius nomine vocata est.

Quo temporis spatio constructa.

Diuersitas porrò aliqua est in horum Monasteriorum nominibus, & serie assignandâ. Arnoldus Wion ita enumerat:

1. *S. Marinæ in Primerana,* hodie *S. Laurentius.*
2. *Vita æterna.*
3. *S. Michael Archangelus.*
4. *S. Archangelus.*
5. *S. Angelus.*
6 *S. Angelus de Threni.*

Eorum series.

H 7. S. Ioan-

CAPVT III.

7. *S. Ioannes Baptista.*
8. *S. Clemens Papa.*
9. *S. Blasius*, hodie *S. Romanus.*
10. *S. Donatus.*
11. *SS. Cosmas & Damianus*, hodie *S. Scholastica.*
12. *S. Hieronymus.*

Prudentius Sandoual part. 1. de Fundatione Monasteriorum Ordinis S. BENEDICTI, in Hispaniâ, Antonius de Yepez in Chronico, & Simon Milletius, hoc ferè ordine recensent.

Primum. Quod dicebatur olim *Columbaria*; posteà *S. Clementis.* In hoc Monasterio, ex eorum sententiâ, ordinariè residebat S. P. BENEDICTVS, & in eodem S. Maurus & Placidus habitu donati sunt Monastico.

Secundum, SS. Cosmæ & Damiani, hodie *S. Scholasticæ*, (Sandoual, ait *SS. Benedicti & Scholasticæ*) huic Monasterio valde afficiebatur Syluia S. Gregorij mater, multosque ei attribuit reditus, cùm autem à Barbaris esset destructum, eiusdem liberalitate dicitur restauratum. Ad hoc Cœnobium satis magnum cætera sunt reducta, fuitque olim celebre à regulari obseruãtiâ, & viris illustribus, qui ex eo prodierunt.

Tertium, Fuit iuxtà S. Specum, *S. Michaelis Archangeli.*

Quartum, S. Donati Episcopi & Martyris, situm in eremo à Tertullo Patre S. Placidi S. BENEDICTO donatâ.

Quintum, Quod Wion vocat *S. Mariæ in Primeranâ*, Sandoual appellat *S. Mariæ de Morrebota*, alias *Portiunculæ*, quod S. Francisco deinde donatum fuit. Nunc *S. Laurentij* dicitur, quod ibidem conditum sit corpus S. Laurentij Monachi & Martyris, qui (vt habet historia Sublacensis) triginta tribus annis in eodem multis coruscans miraculis, tempore Innocentij IV. & Gregorij IX. vixit, vt patet ex processu Canonizationis, per Joannem Episcopum Arelatensem anno 1244. instituto. Abest hoc monasteriũ à sacrâ specu, quingentis circiter passibus, versus montẽ à latere orientali tendens. Vbi etiamnum extat sacellũ cum quibusdã mansiunculis.

Sextum, S. Ioannis sacrum, alterumque ex iis, quæ in montis cacumine exstructa aquæ penuriâ laborarunt. Hoc in loco, S. BENEDICTVS aquam è rupe precibus suis scaturire fecit

Septimum, S. Hieronymi, tertium, post duo præcedentia, in montis fastigio collocatum, cuius etiamnum extant ruinæ.

Octauum, Dicebatur, *Vita æterna.*

Nonum, S. Victorini (Sandoual, *Victoriani*) Martyris. Constantinus Caietanus lib. de sancti Gregorij Monachatu, sect. 4. ait, hoc Monasterium in prouinciâ Valeriâ fuisse situm. *Quod enim Amiterni, quæ vrbs Valeriæ prouinciæ caput fuit & princeps; S. Victorinus miraculorum gloriâ illustris, atque Patronus esset, vt ciuitatis & prouinciæ Diuo Tutelari grati animi censum penderet pijssimus* BENEDICTVS, *ex suis in Valeria prouincia ædificatis monasteriis, vnum S. Victorino, prouinciæ Patrono dedicauit.*

Decimum, Eo loci situm est, vbi olim oppidum *Trebarum* fuit.

Vndecimum, S. Angeli olim dictum, iuxtà Sublacum, vbi nunc sacellum S. Mauro dedicatum.

Duodecimum, Adhærebat Castro, quod *Roca de Bosso* appellatur, vbi fons ab incolis in magnâ habetur veneratione, quod S. BENEDICTVM ex eo frequenter bibisse credant.

Hæc porrò Monasteria vult Antonius Gallonius fuisse tantum Prioratus, & Superiores, non Abbates, sed Præpositos Abbatibus minores. Cui sententiæ accedit R. D. Abbas S. Andreæ Henricus vanden Zype, in Tractatu de statu religioso S. Scholasticæ, cap. 3. dicens, *Sanctum Benedictum iuxtà Monasteriũ Sublacense construxisse duodecim parua Monasteria, seu potiùs Prioratus.* Verùm cõtrarium innuit ipsemet Gregorius, qui ait cap. 4. vagum illum monachum, qui in vno ex duodecim monasteriis habitabat, *ab Abbate suo* sæpius fuisse admonitum. Quod si vnum monasterium Abbatem habuerit, cur non & alia? Abbates proinde Præpositorum nomine vocauerit S. Gregorius. Et sic intellexit Guilielmus Gazæus, in historiâ Gallicâ de vitis Sanctorum, qui S. Gregorij verba vertens, ait, *duodecim Monachos, & vnum Abbatem in vnoquoq; monasterio constitutos.* Et fatetur Baronius, in Addendis tom. 9. subiunctis, anno 581. in duodecim his Monasteriis *singulis, singulos esse præfectos Abbates, nec alium quempiam nisi ipsum* BENEDICTVM *vniuersalem omnium gessisse curam.* Idem ad annum Iesu Christi 510. ait Yepez, nisi fortè magis placeat, quod Auctor Apostolatus Benedictinorum in Angliâ asseruit: Duodenos primò in singulis monasteriis collocatos Monachos; idque sub vno Præposito; posteà verò plures illis adiunctos, & Abbates constitutos.

Monasteria Sublacensia Abbatia, non prioratus.

Quamuis autem in duodecim hisce Monasteriis vberrima liceat spectare Ordinis nostri, præsertim sub initium, incrementa; notat tamen Caietanus Abbas, lib. 2. pro Ioanne Diacono, cap. 7. S. Gregorium non omnium à S. BENEDICTO (priusquam Cassinum peteret) erectorũ Monasteriorum meminisse, sed eorum tantummodò, quæ propè annum Christi quingentesimum, Valeriæ prouinciæ terminis continebantur. Præter hæc verò alia insuper Monasteria eiusdem sanctissimi Patriarchæ leges (vt tam illud, cuius Abbatem Adeodatus anteà egerat, quam aliud Vicouarriense, hoc est iuxtà vicum Varronis in tractu Valeriæ, à quâ ille vicus etiam Valerius fuit denominatus) & amplexata fuisse, & obseruasse. Adeoque dubium non esse S. BENEDICTVM antequam ad montem Cassinum migraret, alia itidem monasteria hinc inde passim erexisse, & sacræ suæ religionis Regulis informasse. Hinc Alexander IV. Pontificatûs sui anno sexto, de monasterio Sublacensi pronunciauit: *Ad hunc quoq; locum, tanquam ad vnum ouile dominicum, ideò prædictus sanctus multa & diuersa sanctorum collegia Monachorum per varia monasteria & loca dispersa voluit congregare, vt faceret de illis vnum acceptabilem ipsi populum: & fratres in domo Domini habitantes in vnum, ad regularem obseruantiam indeficientemq; diuini nominis cultum fortiùs solidaret.*

Alia insuper monasteria Regula S. Benedicti subduntur.

12. DVODENOS MONACHOS DEPVTAVIT.] Quærat aliquis, cur non plures in singulis cœnobiis collocauerit Monachos; aut quare pauciora non excitârit monasteria, quæ si maiora fuissent & ampliora, maiorẽ licuisset in vnoquoq; admittere religiosorũ numerum? Crediderim potiorem eius rei hanc esse causam, quod in minori numero, maior & accuratior singulorum haberi queat ratio, vt in spiritu & perfectione ritè instituantur, de quo plenius in *Disquisitionibus.* An fortè duodenarium Apostolorum numerum, cui, Christus, vt Pater præerat, voluit imitari? An exprimere numerum duodecim millium signatorum, quæ Ioan-

Cur 12. tantùm monachos singulis monasteriis deputauit

Ioannes in Apocalypsi vidit? Quot enim ibi nominantur millia signatorum, tot in duodecim his Monasteriis (si Abbates excipias) fuerunt Monachi, centum nimirum quadraginta quatuor. Ex quo iam facilè colligas, quàm multi tam breui tempore, S. Patris disciplinæ se subdiderint, vt tanquam ex alueario excrescentia apum examina in alia vasa oportuerit inserere, quæ duodecim hæc repleuerint monasteria. Vnde prætereà, constat, quàm excellenter sanctissimus Pater illâ donatus fuerit gratiâ, quam in Nouitiorum Magistro requirit, nimirum, *vt aptus sit ad lucrandas animas*, cùm ipse vndequaque venientes susciperet, & conuenientissimè quemque pro suâ institueret capacitate.

Idem fecit S. Romaricus.

Hanc S. BENEDICTI duodecim Monachos singulis monasteriis deputantis ordinationem, imitari visus est S. Romaricus, qui (vt Serarius opusc. quod inscripsit, *Par sanctorum Comitum*, part. 2. cap. 7. ex veteri M. S. refert codice) castrum suum Auendunense in præcelso mōtis iugo situm, in virorum vertit monasterium, pluresque circum circà erexit parthenonas. *In his autem extandis sacrum quoddam secutus mysterium est. Nam in montis cacumine templum & oratoriola varia condidit: circum verò montis radicem cœnobiola septem, in quibus singulis essent sanctimoniales duodecim. Nam septem Apocalypseos S. Ioannis Ecclesias, septemq́; candelabra, septem stellas, septemq́; Angelos considerabat. Rursumq́; duodecim Apostolos, duodecim portas Hierusalem celestis, duodecim tribus Israel, vt quemadmodum ab his omnibus in vnâ sanctâ fide, spe & charitate laudatur Deus; sic ab omnibus hisce sacris fieret ædibus: Et quando vel Matutina, vel alius alicuius precis in montis cacumine signum daretur, ilicò subdita cœnobiola omnia diuinam maiestatem dilaudare ac obsecrare inciperent, sicq́; mons totus diuinis personaret, ac veluti Sinai fumaret laudibus.* Sic ille.

Idem S. Pyrminius.

S. quoque Pyrminius, qui Boios, Alemannos, & Alsatios magno zelo S. BENEDICTI Regulâ instruxit, & duodecim ædificanit monasteria, hoc ipsum imitari voluisse visus est. Tria enim Cœnobia Altach, Morbach & Fauarias anno 731. ex Angiensibus fratribus instructa sunt, duodecim ad singula fratribus deputatis, & tutidem in Augiâ remanentibus. Ita Maurus Baedingius, apud Raderum in Bauariâ sanctâ, volumine 1. De pluribus autem qui duodenarium hunc Monachorum numerum, post S. BENEDICTVM in suis Cœnobiis putarunt collocandum, fusiùs agemus in *Disquisitionibus*.

Videtur S. BENEDICTVS non habitasse in vno è duodecim.

13. PAVCOS VERO SECVM RETINVIT] Ex his verbis colligi videtur, S. P. BENEDICTVM non habitasse in aliquo ex duodecim Monasteriis, sed in eo fortassis loco, in quo ante eorumdem substructionem degebat, cùm tamen ex aliorum auctoritate suprà dixerimus, ordinariam sancti Patris residentiam fuisse in S. Clementis. Sed expendi velim, quod Gregorius ait: *In quibus* (duodecim Monasteriis) *statutis Patribus duodenos Monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in suâ præsentiâ aptiùs erudiri iudicauit.* Videntur ergò hi pauci cum S. Patre vixisse extra illa duodecim Monasteria, & fortè non attigisse duodenarium numerum, cuius respectu dicantur pauci, nisi paucos intelligas respectu omnium, qui duodecim monasteria incolebant. Voluerit fortassis S. Patriarcha per se, Magistrum Nouitiorum agere, & benè institutos ad illa duodecim monasteria, quæ tanquam Pater generalis gubernabat, transmittere.

CAPVT III.

Monasteria sua pietatis non bonarum artium tantùm voluit esse gymnasia.

14. SVOSQVE EI FILIOS OMNIPOTENTI DEO NVTRIENDOS DARE.] Videas hic errare Nouatores, qui veterum monasteria, non nisi bonarum artium gymnasia & scholas fuisse cauillantur. Romani enim hi nobiles, si præter scientiam nihil spectassent, commodiùs, meliusque filios suos Romæ, quàm Sublaci in eremo erudiendos tradidissent. Cùm & ipse S. P. BENEDICTVS, Romæ liberalibus studiis traditus fuerit, indeque recesserit scienter nesciens, & sapienter indoctus. Et ex ipsâ SS. Mauri & Placidi vitâ facilè constat, quâ mente & fine S. Patri fuerint oblati. De Mauro enim Faustus ait: *Duodennis sanctissimo* BENEDICTO, *Omnipotenti Deo sub regulari nutriendus institutione à parentibus est traditus. Hunc S.* BENEDICTVS *præ omnibus semper chariùs dilexit & instruxit, atque ita in Omnipotentis Dei informauit seruitio, vt nemini post ipsum in cœnobiali sacrosanctâ obseruatione fuerit secundus.* Recensitis autem eius abstinentiâ, vigiliis, precibus, lacrymis, silentio & lectione, ait: *His ergo, aliisq́; quas enumerare longissimum est, eo succrescente virtutibus, sanctissimus de illo* BENEDICTVS *plerumq́; in conuentu fratrum, suppresso eius nomine, quasi de alio loquebatur, iunioribus & negligentioribus illum proponens sequendum. Vidimus, aiebat, nostrâ ætate quendam strenuissimæ nobilitatis iuuenem infrà annos adolescentiæ, ita omnis monasticæ religionis subitò arripuisse perfectionem, vt alicui ex prioribus similis, imò æqualis per omnia dignissimè iudicetur.* Hæc ille. Paria de S. Placido habet Gordianus; quem à Patre ait, *oblatum S.* BENEDICTO *erudiendum secundum regularem normam institutionis; eumq́; vir Dei, de his quæ Dei sunt sollicitè instruere cœpit, ac contrà tentantia præmunire vitia, qui ab ipso pueritiæ suæ tempore abstinentiam & vigilias est secutus. Obedientiæ verò ita sibi callem vendicauit, vt pro hoc ipsi sanctissimo* BENEDICTO *admirabilis haberetur.*

S. Mauri commendatio.

Monasteria benedictina gymnasia fuere, sed præcipuè pietatis.

Hinc porrò patet, quâ doctrinâ Iuuenes hi à S. Patre fuerint imbuti, quâ formâ ille suos erudiret Tyrones, de quâ & ista Faustus narrat: *Cernens beatissimus Pater me per omnia saluti propriæ & regulari institutioni operam dare, multis sæpissimè argumentationibus propositum animi mei nisus est experiri, etiam de his, quæ ipse homini impossibilia ac importabilia esse sciebat. Sed vbi per gratiam Omnipotentis Dei, qui omnes homines vult saluos fieri, me paratissimum atque promptissimum ad omne quidquid illud erat aggrediendum ac attentandum, siue etiam perferendum esse peruidit, ilicò specialiùs præ cæteris obsequiorum meorum vti seruitiis cœpit.*

Docuit igitur S. BENEDICTVS verbo & exemplo ea, quæ postmodum Regulâ suâ præscripsit. Vnde satis patet, quo fine extructa olim monasteria, quâ se candidati mente illis offerrent, vt à veritate alienum sit illud hæretici Poëtastri distichon:

Quod fuerintq́; Scholæ, *aut fuerint exempla* Scholarum,
Et doctis tantùm tecta habitata viris.

Gasp. Rudolph. carm. ad lib Bruschij de monast. German.

Ita scilicet de Monasteriis, in suo Parnasso somniant Nouatores, qui veterum historias subinde recensentes, cùm Cœnobium aut Monasterium occurrit, *Scholam* rescribunt, & Religiosorum conuentus in litterarum gymnasia reformant. Sed contra hoc, alij ex professo egerunt.

CAPVT III.

Quod S. BENEDICTVM spectat, non negauerim, quin in suo monasterio, quod ipse *Dominici scholam* seruitij appellat, etiam humaniores explicauerit litteras, vel aliis id muneris delegauerit. A quo enim Faustus, & Gordianus, aliíque, qui etiamnum pueri in ordine recipiebantur, eas didicissent? Quantâ autem effulserint scientiâ, eorumdem testantur monumenta: Gordianus enim Græcè & Latinè, & satis quidem disertè scripsit. Fausti eruditionem, S. Mauri vitæ historia commendat.

15. EVTYCHIVS MAVRVM] Aliqui libri habent, *Euicius Maurum*. Zacharias Papà, Εὐτζι@. Sed plura de hoc nomine annotauit Wion in Martyrologio 15. Januarij, quæ hic reddenda putaui. In vita S. Mauri, quam composuit S. Faustus Monachus, negligentiâ puto librariorum ex nominum affinitate irrepsit, vt Pater ipsius Euticius, pro Æquitio vocetur: quem errorem sequuntur Petrus in catalogo, Trithemius, Baronius, Petrus villa de Canibus, & alij. Æquitium tamen, & non Euticium debere legi, ex multis edocemur. Et primò ex Gordiano Monacho in vitâ S. Placidi, qui sæpius Patris S. Mauri mentionem faciens, semper Æquitium legit, vt videre est, tam in M.S. quàm excusis exemplaribus. Gordianus quoque S. Gregorij Auus in donatione Monasterio Cassinensi facta, idem confirmat, his verbis: *In conspectu quoque parentum nobilium nostrorum scilicet Symmachi, Vitaliani, Æquitij*, &c. Gordianus item eiusdem S. Gregorij Pater, in donatione factâ S. Bonito Abbati Cassinensi, eodem modo legit, sic dicens: *Item amore & animæ saluatione dilectissimorum nostrorum parentum Symmachi, Tertulli, Vitaliani, Æquitij, Dorothei*, &c. Consentit & ipse S. Gregorius, in ratificatione Priuilegiorum & oblationum Tertulli, & Æquitij, sic inquiens: *Vel quemcumque alium de his, quæ eidem Monasterio à Patritio, Tertullo, Æquitio, & à nobis donata sunt*, &c. Quæ duæ auctoritates impressæ leguntur post finem Chronici Cassinensis. Accedit & oblatio ipsius Æquitij, ac Mauri filij eius, quæ reseruatur in archiuo montis Cassini, & in camerâ R.P. Abbatis M.S. cuius initium est. *Oblatio Æquitij, & Mauri filij eius de rebus suis in Campaniâ, & Apuliâ. In nomine Domini nostri, &c.* Finis verò: *Ego Boetius Patritius & bis Consul complens, & reddidi, quintadecimâ die mensis Iulij.*

S. Mauri Pater Æquitius, non Eutychius:

16. TERTVLLVS VERO PATRICIVS] De Patriciâ dignitate, qualis olim apud Gentiles Romanos, qualísve penes Christianos fuerit, vide post alios Baronium Notis ad Martyrologium Romanum, die 27. Augusti. De Placidi oblatione, ita Gordianus in vita: *Tertullus Patricius cum optimatibus Romani imperij diuinæ Incarnationis anno vigesimo secundo ac quingentesimo ad Patrem sanctissimum* BENEDICTVM *peruenit, vir excellentissimus, & Imperatoris in orbe Romano præcelsus ac singularis, purpurâ indutus, gemmis & auro radians, pedibus eius prouoluitur, vtque pro suis commissis Domini flagitaret clementiam, cum lacrymis atque singultibus exposcebat. Vir autem Domini* BENEDICTVS, *Patricij humilitatem aduertens, è terrâ eum leuauit, & de his quæ ad æternam vitam attinent, sufficienter instruxit. Idem verò Patricius serui Domini doctrinâ delectatus, eo die obtulit Deo, & eidem Patri* BENEDICTO *Placidum filium suum septennem nutriendum, & erudiendum secundum regularem normam institutionis, sicq; benedictione munitus ad vrbem reuersus est.* Sic ibi.

Placidus S. Benedicto oblatus.

Sed quo Christi anno contigit, horum Sanctorum iuuenum ad monasticum habitum admissio, Baronius, Antonius Yepez, Siluester Maurolicus, Matthæus Lauretus, Constantiuus Bellottus, & Simon Milletius eam referunt ad annum Christi 523. verum probanda magis superior Gordiani assertio, qui anno præcedenti, id vult contigisse, tum enim S. Placidus septimum ætatis expleuerat annum: natus quippe dicitur anno 515. Idem similiter probatur de S. Mauro, is enim 20. annis à Fausto dicitur habitasse cùm S. BENEDICTO; totidem verò anni intercurrunt ab illo 522. vsque ad 542. Nam initio sequentis anni 543. missus est in Galliam. Proinde Christianus Massæus in Chronico, lib. 12. ait, S. Maurum annos natum duodecim monasticè iniatum à S. BENEDICTO, cùm esset annorum quadraginta duorum, quod fuit anno Christi 522.

Et quo anno.

CAPVT IV.

DE CASTIGATIONE MONACHI VAGI.

CAPVT IV.

Monachus tempore orationis vagus.



N vno autem ex eis monasteriis, quæ circumquaque construxerat, [1] quidam monachus erat, qui ad orationem state non poterat: sed mox vt se Fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egrediebatur foras, & mente vagâ terrena aliqua & transitoria agebat. Cumque ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est, qui ipse quoque stultitiam eius vehementer increpauit, & ad monasterium reuersus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertiâ ad vsum proprium reuersus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cùm seruo Dei ab eodem monasterij patre quem constituerat, nuntiatum fuisset, dixit: Ego venio, eumque per memetipsum emendo. Cumque vir Dei venisset ad idem monasterium, & [2] constitutâ horâ expletâ psalmodia sese Fratres in orationem dedissent, aspexit quod eumdem monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti sim-

fimbriam foras traheret: Tunc eidem patri monasterij Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo secretè dixit: Nunquid non aspicitis quis est, qui istum monachum foras trahit? Qui respondentes dixerunt: Non. Quibus ait: Oremus vt vos etiam videatis, quem iste monachus sequitur. Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompeianus verò eiusdem monasterij pater videre non potuit. Die igitur aliâ, expletâ oratione vir Dei oratorium egressus, stantem foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui [3] virgâ percussit: qui ex illo die nil persuasionis vlterius à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicque antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

CAPVT IV. quem diabolus abstrahebat:

Virgarum percussione ad Orationis studium reducitur.

COMMENTARIVS.

1. QVIDAM MONACHVS] Quo hic nomine appellaretur, neminem, qui expresserit, legi, præter Anacletum Siccum, qui lib. 1. de Ecclesiasticâ Hymnodiâ cap. 16. asserit nominatum IVSTVM, sed vnde id hauserit, equidem scire velim. Suspicari liceat, virum eruditum ex memoriâ non admodum fidâ id exarasse, & occurrisse illi IVSTVM Monachum Monasterij S. Gregorij, quem ipse Dialogorum lib. 4. cap. 55. scribit in proprietatis vitium prolapsum.

2. CONSTITVTA HORA EXPLETA PSALMODIA SESE FRATRES IN ORATIONEM DEDISSENT] Obseruent Benedictini, ex hoc loco colligi, viguisse tempore S. BENEDICTI studium orationis mentalis, ab officio diuino, & psalmodiâ distinctum. Non enim ab hâc se vagus hic frater subducebat, quod facilè animaduerti potuisset: sed ab eâ oratione, quæ, vt hic dicitur, *expletâ fiebat psalmodiâ, cùm se fratres in orationem darent*. Quod aliis verbis Gregorius antè dixerat: *Mox vt se fratres ad studium orationis inclinabant*. Illud enim orandi studium non vocalem, sed mentalem orationem indicat. In hâc enim potiùs, quàm in illâ, mens hominis studet pios elicere affectus. Sic quòd dicantur *se inclinasse*, id est, *genua flexisse*, (vt vertit Zacharias) idem mentaliter orandi studium satis confirmat. Horæ enim Canonicæ ex præscripto S. BENEDICTI potissimùm stando, vel sedendo persoluuntur, ita, vt rarò admodum, & breuissima sit genuflexio; ad aliquam scilicet Collectam, aut versiculum, qui peculiarem hunc ritum requirat. Fuisse autem hanc orationem quotidianam, ex eo liquet, quod singulis diebus Erronem hunc, eiusque præsentiam vel absentiam diligenter admodum obseruarent, quodque scribatur, *vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuisse, & die tertia rursum cœpisse vagari*, quodque per aliquot dies notaretur à nigro puerulo foras trahi.

Mentalis oratio tempore S. Benedicti vsitata.

Quod autem dicitur, *Constitutâ horâ*, forsitan innuit integram horam huic orationi constitutam. Si enim breuior fuisset oratio, vix apparet, cur frater ille se tam studiosè vellet subducere.

Quanti verò hoc exercitium in Ordine nostro tum fieret, & quàm per se præstans sit, ex hoc loco facilè edocemur. Non enim omnis boni osor diabolus, toties & tanto molimine hunc ab oratione abstraxisset, nisi magno eum priuare bono, hoc pacto arbitratus esset. Ipsa quoque diligentia Pompeiani, qui vagabundum hunc sæpius admonuit; ad S. BENEDICTVM obiurgandum adduxit, & incorrigibilitatem eius S. Patri sedulò indicauit; satis arguit, eum magni criminis instar hunc defectum habuisse. Atque ita etiam censuit S. BENEDICTVS; qui hâc solâ de causâ ad monasterium venit; vt Monachum hunc ipsemet corrigeret. Nimirum, sic grauitas sceleris ementium & vendentium in templo inde colligitur, quòd ipse Dei filius eos flagello eiecerit.

Et magni facta: idque colligitur ex pœna, quæ huic Erroni inflicta.

Et verò, si diuersarum correptionum regulas, quibus Ægyptij olim vsi sunt Monachi, apud Cassianum lib. 4. Institut. cap. 16. expendamus, videbimus plagarum emendationem non nisi grauioribus adhibitam delictis. Atque ipse S. P. BENEDICTVS cap. 23. & 28. correptionum gradus hos statuit, vt primùm obiurgetur culpabilis, deinde excommunicetur, tertiò autem, *acrior ei accedat correctio, id est, vt verberum vindicta in eum procedat*. Et crediderim, hæc tum ergà eum seruata. Nam de correptione tam Abbatis, quàm S. BENEDICTI, ex ipso textu liquet. Excommunicationem aliquando præcessisse, ex præscripto ordine non improbabiliter colligas. Aut si eâ prætermissâ, personæ hoc exegerit qualitas, aut culpæ huius, vt apparet, enormitas. Ab hâc enim oratione, quæ expletâ fiebat psalmodiâ, non videtur S. Pater aliquem voluisse absoluere; vel vt illud labore aliquo compensaretur, prout dixerat de lectione cap. 48. *Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari aut legere, iniungatur ei opus, quod faciat, & non vacet*. Vbi obiter notes, quod alibi nobis probatum fusiùs, MEDITARI, non esse idem, quod mentali orationi aut contemplationi vacare, sed studere, ediscere, legere.

Cæterùm vrget me hic locus, vt bonâ religiosi Lectoris veniâ, de neglectæ Orationis periculo & damno nonnihil disseramus, tantum enim illud est, vt si ritè expendatur, non possit non excitare tepidos ad solitum orationis studium diligenter frequentandum. Prudenter ab Augustino in Psal. 65. scriptum est: *Multi languescunt in orando, & in nouitate conuersionis suæ feruenter orant, postea languidè, postea frigidè, postea negligenter, quasi securi sint: vigilat hostis, dormis tu?* Quid autem ab Aduersario hoc timendum sit, exponit Chrysostomus homil. 1. de Oratione: *Non difficulter, inquit, se capient pessimi dæmones, qui nos semper circumeunt, & occasiones captant, si quem fortè Orationis munimento destitutum, de repente possint abripere.*

Quanto periculo negligatur oratio.

CAPVT IV.

Quod si precibus nos munitos adspexerint, extemplò resiliunt. Haud secus quàm latrones & malefici militis excubantis gladium capiti suo imminentem conspicati. Sin autem orationis præsidio nudatum quempiam esse contigerit, is raptim ut portabitur à dæmonibus, in scelera, in calamitates miseriasq; deuoluetur. Chrysostomi verba exemplo confirmat Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 32. *Vidi hominem,* inquit, *sine comparatione sui temporis humilem, feruidum charitate, egenis beneficum, sobrium supra modum, erga afflictos pium, in corporis castigatione præcipuè assiduum, ab omnibus cogitationum spurcitiis alienum. Pro cœlibatu ergò & sanctimoniâ ab omnibus honoratus, quasi sanctus tamen terrâ inter homines habebatur. Hunc posteà gradatim à rigore iustitiæ vidimus recedentem, & tantam ergà Deum ingratitudinem incurrisse, vt Missarum solemnia audire contemneret, & nullum in eo virtutis vestigium remaneret: sed omni labe pollutus, nullam prorsus luxuriam, nullum facinus abhorreret: & hoc, quia ulas virtutis gratuita vel naturalis,* ORATIONIBVS INSISTENDO *& lacrymis, non protexit, sed viribus suis & sanctitati confisus est.*

Ochini apostasia ex neglecta oratione.

Ex eodem hoc orationis neglectu profluxit miserandus ille Bernardini Ochini casus. Nam cum Ordinis Capucinorum esset Generalis, & orationem vsque adeò intermitteret, vt ad res diuinas prorsus nausearet, à plerisque hâc de causâ correptus fuit. Nam frater Albertus à Neapoli, vir summæ integritatis ac zeli, cùm illum neque ad horas Canonicas, neque ad *quotidianas orationes*, vt priùs conuenire videret, ingenuâ quâdam spiritus libertate ei dixit. Quid est Pater, quòd res diuinæ, atque adeò *oratio ipsa* (vt videtur) tibi nauseam mouent? plurimis scandalo es: caue, ne te Religio euomat. Vt præmonuit, ita factum est, & in hæresin tandem, & quæ eam consequuntur mala præcipitatus est. Sed diuinâ miseratione tandem resipuit, vt pluribus referunt Annales Capucinorum, Auctore Zachariâ Bouerio, anno Christi 1541. N. 21. & sequentibus.

Verùm infelicius nihil excogitari potest, quàm quod à Venerabili Bedâ historiæ Ecclesiast. gentis Anglorum lib. 5. cap. 15. relatum est. Narrat enim, fratrem in nobili quodam Monasterio positum, ignobiliter vixisse. *Seruiebat enim ebrietati, cæterisq; vitæ remissioris illecebris; magisq; in officinâ suâ (erat enim fabrili arte singularis) die noctuq; residere, quàm ad psallendum, atque orandum in Ecclesiâ, audiendumq; cum fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Vnde accidit illi (quod solent dicere quidam) quia, qui non vult Ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non spontè damnatus introduci. Percussus enim languore, atque ad extrema perductus, vocauit fratres, & multùm mœrens ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos, & Satanam immersum in profundum tartari. Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum: in quorum viciniâ, inquit, heu misero mihi, locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum.* Frustrà monitus à fratribus, desperans exspirauit, & *corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum: neque aliquis pro eo vel missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat.* Hæc ibi. Vsque adeò verum est, quod citatâ anteà homiliâ dixit Chrysostomus: *Qui Deum non orat, neque diuinâ conuersatione indesinenter perfrui concupiscit, mortuus est, & exanimis & expers sapientiæ. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum absente animâ mortuum est, & fœtidum; ita quoque anima, si semetipsam ad orationem non exsuscitet, mortua est & misera & olida.*

Fratris orationem intermittentis terribile exemplum.

Concludamus proinde notationem hanc magni Basilij monito, qui sermone de rerum abdicatione, ita ait: *Caue diligenter, ne cogitationi illi animi tui assentiare, quæ ab orationis canone nondum peracto auellere te studeat. Habent enim morem hunc dæmones, vt faciendæ orationis temporibus, per speciosam aliquam laudabilis causæ simulationem nobis auctores sint, vt ab eâ nos subducamus, vt quam salutem nobis afferre intelligunt, ab eâ nos probabiliter abducant.*

3. VIRGA PERCVSSIT] Yepez in Chronico, hanc Monachi castigationem factam vult in Monasterio S. Michaelis, quod tertium est inter duodecim, iuxtà eius calculum. Simon verò Milletius, dum loca illa visitaret, ait sibi dictum à Magistro Nouitiorum S. Scholasticæ, contigisse hanc in S. Hieronymi cœnobio; sed Lector eligat, quam maluerit opinionem. Ex hâc verò Monachi castigatione, Gratianus dist. 45. Cap. *Cum Beatus*, colligit licitum esse verberibus aliquando in subditos animaduertere.

Vbi hæc percussio contigerit.

Efficax hoc S. BENEDICTI contra diaboli versutias remedium, alios quoque incitauit, vt in simili casu idem experirentur. Refert enim Petrus Damiani in vitâ S. Dominici Loricati, fratrem quendam, qui sæpè vagabundus egredi de cellâ tentauerat, à Joanne Priore Eremi correptum, cùm sexies vapulasset, & singulis vicibus superbum quid respondisset, septimâ vice flagellatum, cùm se cœpisset induere, clarâ voce clamasse: *Ecce diabolus abiit, meq; nexibus, quibus astringebar effractis, liberum reliquit. Iamiam Domino ac Magistro meo libenter obtempero, eiusq; me subdendum legibus per omnia repromitto.*

Flagellorum remedium efficax.

Aliquot exempla.

Sed illustre prorsus est, quod in vitâ S. Dominici lib. 3. cap. 2. à Theodorico proditum legitur: *Quidam frater ex iis, quos Conuersos vocant, tum deprehensus fuit vilem pannum absque Superioris permissu accepisse. Eum magnus Pater Reginaldus acriter in fratrum conuentu castigauit, & pannum coram fratribus exussit. Sed misero illo murmurante, nec suam culpam agnoscente, neque ad pœnitentiam se submittere volente, vir Dei Reginaldus præcepit fratribus, vt eum ad virgarum accipiendam castigationem mox aptarent: erectisq; in cælum luminibus cum lacrymis ait: Domine Iesu Christe, qui famulo tuo* BENEDICTO *eam præstitisti virtutem, vt à Monacho suo* virgarum ictibus pelleret dæmonem: *da quæsumus, vt huius castigationis vi, ab anima fratris huius dæmonis tentatio profligetur. Cecidit autem vir sanctus tam seuerè illum fratrem, vt eius plagis fratres ad lacrymas prouocarentur; neque frustrà. Nam compunctus animo frater, lacrymans dixit: Gratias tibi ago, Pater, nam reuera à me diabolum expulisti. Perspicuè enim sensi, à renibus meis serpentem exire: Is frater posteà proficiens, bonus & humilis effectus est.*

Alius frater iam fugam meditans, deprehensus, coram magno Patre Reginaldo, Bononiæ in domum Capitularem adductus est. Fatebatur autem culpam suam, & ad virgarum excipiendos ictus se humiliabat. Porrò vir Dei grauiter illum cædens, ait: Abscede satan. Versusq; se ad fratres: Orate, inquit, fratres: simul & precibus & verberibus volens abigere dæmonem. Cumq; diu sic faceret, exclamauit frater: Audi me Pater. Et ille: Quid vis, inquit, fili? Respondit ille: Planè iam recessit diabolus, & ego tibi stabilitatem promitto. Lætabantur fratres, & ille permansit in arrepto instituto constans.

C A-

CAPVT V.

CAPVT V.

DE FONTE IN VERTICE MONTIS VIRI DEI ORATIONE PRODVCTO.

EX his autem monasteriis, quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant, & valdè erat fratribus laboriosum, quòd semper ad lacum oportebat descendere, vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo montis latere erat graue descendentibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasteriis, ad Dei famulum BENEDICTVM venerunt, dicentes: Laboriosum nobis est propter aquam quotidie vsque ad lacum descendere, & idcirco necesse est, ex eodem loco monasteria mutari. Quos blandè consolans dimisit, & nocte eâdem cum paruo puerulo nomine Placido, cuius superiùs memoriam feci, eiusdem montis rupem ascendit, ibique diutiùs orauit. Et oratione completâ tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum, cunctis illis nescientibus, monasterium rediit. Cumque die aliâ ad eum pro necessitate aquæ prædicti fratrē rediissent, dixit: Ite, & rupem illam, in quâ tres super inuicem positas petras inueneritis, in modicum cauate: valet enim Omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes [1] rupem montis, quam BENEDICTVS prædixerat, iam sudantem inuenerunt. Cumque in eâ concauum locum fecissent, statim aquâ repletus est: quæ tam sufficienter emanauit, vt nunc vsque vbertim defluat, atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur.

S. BENEDICTI oratione fons è rupe manat.

COMMENTARIVS.

1. RVPEM MONTIS SVDANTEM INVENERVNT] Contigit hoc miraculum in sexto è duodecim Monasteriis, S. Joanni sacro, vbi hodieque extat fons ille, S. BENEDICTI precibus è rupe eductus, eodemque loci nunc sacellum est, cum cellulâ quadam, quam Eremita habitum S. Francisci deferens incolit, vocaturque hoc sacellum à Monachis S. Scholasticæ, *S. Joannis ab Aquâ*, vt testatur Simon Milletius.

Vbi hoc miraculum contigerit.

Vt porrò Legislator noster BENEDICTVS, magnum illum & antiquum Legislatorem Moysem hoc facto imitatus est; ita eumdem secutus est S. Cuthbertus, Bedâ teste, qui in vitâ eius, cap. 19. sic ait: *Venerabilis Christi famulus Cuthbertus in duobus miraculis duorum Patrum est facta secutus: in aquâ videlicet elicitâ de rupe, factum B. P.* BENEDICTI, *qui idem penè, & eodem modo legitur fecisse miraculum; sed idcirco vberius, quia plures erant, qui aquæ inopia laborarent*, &c.

CAPVT VI.

DE REIVNCTIONE FERRI CVM MANVBRIO.

CAPVT VI.

ALIO quoque tempore [1] Gothus quidam pauper spiritu, ad conuersionem venit: quem Dei vir BENEDICTVS libentissimè suscepit. Quadam verò die ei dare ferramentum iussit, quod ad falcis similitudinem [2] falcastrum vocatur, vt de loco quodam vepres absciderent, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse quem mundandum Gothus susceperat, super ipsam laci ripam iacebat. Cumque Gothus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens in lacum cecidit, vbi

CAPVT VI.

scilicet tanta erat aquarum profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Iaque ferro perdito, tremebundus [1] ad Maurum monachum cucurrit Gothus damnum quod fecerat nuntiauit, & reatus sui egit pœnitentiam. Quod Maurus quoque monachus mox BENEDICTO famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini BENEDICTVS hæc audiens, accessit ad lacum: tulit de manu Gothi manubrium, & misit in lacum: & mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intrauit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit dicens: Ecce labora, & noli contristari.

Ferrum ex aqua profundo manubrio reiunctum.

COMMENTARIVS.

S. Benedictus ad religionem admittit quoslibet capaces.

1. GOTHVS] Gothus hic receptus est à S. BENEDICTO in Monasterio S. Clementis, vt asserit Yepez. Videas autem hic, S. Patrem indifferenter iuxtà Regulam suam admisisse pauperes, & diuites, Italos, & exteros, dummodò reuerà Deum quærerent, & monastico statui vtiles fore iudicarentur.

Falcastrum quid.

2. FALCASTRVM] Tela Gothorum (inquit Sauaro notis ad Sidonij epist. 20. lib. 4.) falcata erant & vncata. Statius Achilleid. 2. sub finem:

Quo Massagetæ sua Gesa citent, quo turbine cestum.
Sauromatæ, falcemque *Getes*

Gilda Sapiens de excid. Britan. initio, vocat *vncinata tela*, *Runcinum Gothicum*. Papias: *Runcones sunt quibus vepres secantur; hi & FALCASTRIA, à similitudine falcis dicuntur*. Isidorus lib. 20. Origin. cap. 14. *Falcastrum à similitudine falcis vocatum. Est autem ferramentum curuum cum manubrio longo, ad densitatem veprium succidendam. Hi & Runcones dicti, quibus vepres secantur, a runcando dicti.*

3. AD MAVRVM MONACHVM CVCVRRIT GOTHVS: DAMNVM QVOD FECERAT NVNTIAVIT, ET REATVS SVI EGIT POENITENTIAM.] Videas hîc, Gothum hunc accuratè obseruasse, quod posteà S. BENEDICTVS in Regulâ, capite 46. præscripsit: vt qui aliquid fregerit, aut perdiderit continuò ante Abbatem, vel Congregationem vltrò satisfaciat, & prodat delictum suum. Iisdem proinde viuebant moribus & legibus in Sublacensibus Monasteriis, quas posteà in Cassino S. Pater scripto commisit.

S. Maurus Prior claustralis in Sublaco.

Cùm autem ad S. Maurum, damnum hoc Gothus retulerit, & pœnitentiam egerit; consequens inde videtur, eum iam tum monasterij Præpositum, siue Priorem claustralem extitisse. Faustus enim in vitâ S. Mauri ait, eum imperio sanctissimi P. BENEDICTI, Præpositi, ac totius Cœnobij Procuratoris & Administratoris officio functum fuisse. Quod etsi de Cassinensi Monasterio dictũ constet: existimauerim tamen, idem munus eum in Sublaco obiuisse. Cur enim hunc Gothus accessisset? cur apud eum reatus sui egisset pœnitentiam? & quidem antequam res ipsa Abbati, S. BENEDICTO denuntiata esset, nisi quod post illum B. Maurus esset Superior? Neque obstat infirmior ætas, cùm octodecim vixdum implesset annos. Voluit enim Legislator noster Regulæ cap. 64. *Vt in omnibus omninò locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt.* De quibus Ignatius Martyr Epist. 3. ait: Samuelem *fuisse paruum puellum, cum nonagenarium Heli redarguit: Danielem duodecim annos natum, senes calumniatores, & alienæ pulchritudinis appetitores conuicisse. Additq́, Salomonem anno ætatis suo duodecimo regnum adeptum, terribile illud & ad iudicandum arduum de mulieribus pro filiis iudicium fecisse. Iosiam rerum potitum ætatis anno octauo, aras & templa subuertisse, & lucos succendisse.* Quamuis autem de horum ætate aliter alij sentiant, placuit tamen huc adferre, quod ex iis S. Ignatius probet iuniorem Episcopum, ob ætatem non contemnendum. Quæ item S. BENEDICTI mens est, qui & Decanos vult eligi, *non per ordinẽ, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam.* Fuisse autem eminentis sanctitatis & scientiæ S. Maurum, testis est ipse S. BENEDICTVS, qui, vt Faustus ait in vitâ, *Plerumq́, in conuentu fratrum suppresso eius nomine, quasi de alio loquebatur, iunioribus & negligentioribus illum proponens sequendum. Vidimus, aiebat, nostrâ ætate quendam strenuissimæ nobilitatis iuuenem, intrà annos adolescentiæ, ita omnis monasticæ religionis subitò arripuisse perfectionem, vt alicui ex prioribus similis imò æqualis per omnia dignissimè iudicetur.* Quid mirum igitur, si hic talis, ac tantus, in principio præsertim ordinis, reliquis præponeretur.

In electione ad officia non ætas sed maturitas attendenda.

Et verò, significasse id videtur Gregorius, cùm supra tertio capite dixerit: *E quibus Maurus iunior, cùm bonis polleret moribus, Magistri adiutor cœpit existere*, in monasterij, scilicet, regimine. Neque illud IVNIOR comparatiuè accipiendum, quasi sensus sit, Maurus iunior Placido. Constat enim eum quinquennio Placido fuisse seniorem, absolutè proinde IVNIOR, id est, cùm adhuc esset iuuenis. Accedat his etiam alia coniectura: Gregorius cap. 8. de eodem hoc Mauro, tanquam de Superiore loqui videtur, cùm de morte Florentij agens, ait: *Quod viri Dei discipulus Maurus venerabili Patri BENEDICTO, qui adhuc à loco eodem vix decem milliaribus aberat, æstimauit esse nuntiandum, dicens: Reuertere, &c.* Nam si alius à S. Mauro fuisset Superior, illius fuisset hæc S. Patri denuntiare, aut sanè ab eo Maurus licentiam & benedictionem petiuisset: vt eum fecisse Gregorius scribit, cum mandato S. BENEDICTI, Placidum aquis eduxit. Neque enim verisimile videtur, ad decem milliaria S. Maurum è monasterio egressurum sine licentia, si aliquem habuisset Superiorem.

Quin & illa verba: *Maurus æstimauit esse nuntiandum, dicens: Reuertere*, auctoritatem in eo Præpositi iudicant; alioqui dicendum fuisset, Præpositus noster, hæc nuntiari iussit, & dicit: *Reuertere.*

Quæ quidem opinio non tam mira videri debet, cùm legamus S. BENEDICTVM in Siciliam S. Placidum, cùm annorum tantùm esset viginti vnius misisse: qui extructo ibidem monasterio, collectisque Monachis, iisdem Abbas præfuit.

Alij in iuuenili ætate prælaturâ admoti.

Sed & minus mirabitur, qui considerauerit Timotheum

motheum à S. Paulo anno ætatis 23. vt vult Hugo Cardinalis, Ephesinum Episcopum ordinatum, cui Apostolus scribit 1. Timoth. 4. 12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Illyricus Episcopus ascitus in Clerum anno ætatis decimo quinto, Diaconus factus anno decimo octauo, creatus Episcopus anno vigesimo, vt narrat Nicephorus lib. 3. cap. 29. S. Sequanus Leuiticam adeptus dignitatem annos ferè quindecim natus, quinquennio posteà ad presbyteratum peruenit. Theodorus Siceorum Archimandrita, factus est Presbyter à Theodosio Episcopo Anastasiopoleos, annos tantum decem & octo natus. Remigius Rhemensem administrauit Episcopatum anno vigesimo secundo, vt testatur Flodoardus lib. 1. histor. Rhemen. cap. 11. Clemens Ancyranus anno decimo octauo Presbyter, vigesimo autem factus est Episcopus, vt Auctor est Metaphrastes, & S. Carolus Borromæus anno 23. Cardinalis, & inde Archiepiscopus Mediolanensis creatus est.

Triplex ratio aliquem præmaturè promouendi.

Verùm, vt benè monet Bernardus Epist. 42. *Sicubi huiuscemodi* PVER-SENEX *promotus inuenitur, opus Dei est, his qui tales non sunt mirandum, non imitandum.* Idemque in simili causa, de S. Malachia ait: *Ego verò illud nec in Sancto redarguendum, nec vsurpandum consulo ei, qui sanctus non fuerit.* Triplex porrò causa inueniri potest, cur hi tales adeò præmaturè fuerint ordinati. Prima, Ordinatoris zelus & voluntas. Secunda, eximiæ sanctitatis in ordinato meritum. Tertia, Ecclesiæ necessitas, siue idonearum personarum raritas vel defectus. Quæ omnes in S. Mauro locum habere potuerunt. Fuisse autem S. Maurum, antequam in Gallias abiret (vt hoc velut in antecessum dicamus) Præpositum siue Priorem Claustralem, certum omninò est, nam Epistola Gordiani de obitu S. Placidi, S. Mauro inscripta, sic habet: *Dominico Leuita Mauro, Cassinensis Cœnobij Præposito, & sanctis fratribus Felicissimo, Honorato, Peregrino,* &c. Maurus verò respondens, se *Cassinensium fratrum Ministrum* vocat *indignum,* vt habetur ad calcem Chronici Cassinensis. Quamuis autem Cardinalis Baronius Tom. 7 ad annum Christi 541. epistolis, quæ in Appendice Cassinensis Chronici recitantur, dicat

S. Maurus Cassini Prior Claustralis.

nullam inesse cohærentiam, crediderim tamen de S. Mauri Præpositura siue Prioratu non esse ambigendum. Nam & Ordericus Vitalis Ecclesiast. hist. lib. 8. ad annum Christi 1094. refert Monachos S. Roberto dixisse: *B. P.* BENEDICTVS, *vt nobis omnibus euidenter patescit, B. Maurum Monasterij sui Priorem quem a pueritia nutrierat, in Galliam misit.* CAPVT VI.

Simile miraculum ferri è profundo ad manubrium ascendentis.

Cæterùm miraculo huic, quod viuus Patriarcha noster dedit, subiiciamus aliud non absimile, ab eodem post mortem patratum. Narrat illud Leo Ostiensis lib. 2. Chronici Cassinensis cap. 63. hoc modo: *Tunc temporis constructa est à fratribus huius Monasterij intra Caietæ mœnia Ecclesia, in honorem B. Virginis Christi Scholasticæ, iuxta veterem, quæ ibi fuerat eiusdem nominis Ecclesiam. Quæ dudum illis à bonæ memoriæ Stephano ipsius Ciuitatis Episcopo idcircò fuerat benignè concessa, vt si quando Monasterij fratres illuc emendi aliquid causâ diuerterent, propriâ illic sede, hospitioq́ue fruerentur. Ibi quale, quantumcumque miraculum B.* BENEDICTI *meritis effecerit Deus, pro illius gloriâ tacendum non est. Nam die quadam, cùm aliquis ex operariis de monte, qui mari proximus imminet, saxa, quibus ecclesiæ ipsius parietes construerentur, excideret: subitò ferrum, quo lapides summâ virtute cædebat manubrio lapsum, in maris voraginem decidit. Hoc fratres eo cui contigerat referente comperto, alium pro illo malleum, quo cœpto instarent operi, fieri continuò decernunt. Cùm repentè vnus ex illis fide feruentior, nequaquam ita fiat, inquit, sed omnes simul ad locum, vbi ferrum decidit, fiducialiter accedamus: manubrioq́ue in aquam misso, miraculum quod in Gothi falcastro* BENEDICTVS *Pater exhibuit, per eumdem Patrem, & in malleo fieri plena fide speremus. Quid plura? placuit omnibus diuinitus inspiratum consilium: atque ad mare descendentes omnes, conscensâ nauiculâ sinumq́ue girantes ad locum, quo ferrum deciderat, veniunt. Quo in loco licet immensum aquarum profundum inesse conspicerent: nihil tamen Deo impossibile esse fideliter credentes, ac de Patris* BENEDICTI *meritis præsumentes constanter in mare manubrium mittunt; moxq́ue diuino imperio ferrum ad manubrium ex profundo reuersum, non absque summa omnium admiratione recipiunt.*

CAPVT VII.

DE AMBVLATIONE MAVRI SVPER AQVAM.



QVADAM verò die, dum idem venerabilis BENEDICTVS in cellâ consisteret, prædictus Placidus puer sancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egressus est: [1] qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo secutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius sagittæ cursum eum à terra introrsum traxit. Vir autem Dei [2] intrà cellam positus, hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendum aquam perrexerat, in lacum cecidit: iamq́ue eum longiùs vnda trahit. Res mira, & [3] post Petrum Apostolum inuisitata. Benedictione etenim postulatâ atque perceptâ, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaq́ue vsque ad eum locum, quo ab vndâ deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumq́ue [4] per capillos tenens cursu rapido rediit. Qui mox, vt terram tetigit, ad se CAPVT VII.

S. Maurus Placidum in aquas lapsum, super has currendo eduxit.

reuersus

CAPVT VII. teuersus post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset, 'agnouit, & quod præsumere non potuisset vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaque ad patrem rem gestam retulit. Vir autem venerabilis BENEDICTVS hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cœpit. At è contrà Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seque conscium in illâ virtute non esse, quam nescius fecisset. [5] In hac itaque mutuâ humilitatis & amicâ contentione, accessit arbiter puer, qui ereptus est, nam dicebat: Ego cum ex aquâ traherer, super caput meum [6] melotem abbatis videbam, atque [7] ipsum me ex aquis educere considerabam.

PETRVS.

Magna sunt valdè, quæ narras, & multorum ædificationi profutura: ego autem boni viri miracula, quò plus bibo, eò plus sitio.

COMMENTARIVS.

1. VAS QVOD TENVERAT IN AQVAM INCAVTE SVBMITTENS.] Paulò planius ista vertit Zacharias. *Vas, inquit, in quo aquam haurire volebat, ex manu suâ cadens aqua impetu tollebatur. Volens autem frater amphoram ex aquâ reducere, & ipse lapsus cecidit in aquâ.*

S. Benedictus Placidum in aquas lapsum, diuinitus cognoscit.

2. INTRA CELLAM POSITVS HOC PROTINVS AGNOVIT] Gordianus in vitâ S. Placidi, diuinâ id reuelatione S. Patrem asserit agnouisse. *Mox*, inquit, *vt sanctus in aquam Placidus cecidit, euentum rei Spiritus sanctus, qui in sanctorum cordibus principaliter obtinet locum,* BENEDICTO *Patri sanctissimo reuelauit.*

Plures ante S. Maurum super aquas deambularunt.

3. POST PETRVM APOSTOLVM INVSITATA.] Historicâ disquisitione dignum videtur, num aliqui ante S. Maurum Principis Apostolorum miraculum sint imitati? Equidem tales aliquot historiæ nobis produnt. Nazarium enim & Celsum, super vndas ambulasse, cùm in mari proiecti essent, refert Marulus lib.3.cap.3. Patroclus item Martyr, qui anno Christi 275. passus, flumen transiit illæsus, vt habet Surius 21. Januarij. Gloriosa Charitine anno 308. lapide collo eius alligato, demersa in profundum maris, & per aquas tanquam per terram solidam incedens ad littus peruenit. Sur.5. Octob. Quirinus Martyr, Prudentio & Eusebio in Chronic. Auctoribus, anno 314. alligatus ad saxum, demersusque in flumen enatauit; & placidè super aquas ambulauit, sustinentibus saxum ferentibusque vndis. Blasius Sebaste Episcopus anno 316. in lacum missus, siccis plantis tanquam super aridam deambulauit. Sub pedibus Besarionis Abbatis, aqua solidata legitur in vit. Patrum lib. 6. libell. 2. num. 2. cuius & meminit Ruffinus lib. 3. num. 122. & aliàs aliquoties. S. Patritius Hybernorum Apostolus, qui decessit anno 493. flumen magnum & intransuadabile, cùm deesset nauigium, factâ oratione diuisit, & liberum sibi seque sequentibus exhibuit transitum. Ita Iocelinus vitæ eius scriptor cap. 90. Sed & Maria Ægyptiaca (quæ circa annum Domini 520. claruit) edito crucis signo, vt refert Sophronius in vitâ, super Iordanis fluctus ambulauit.

Quomodo ergo, post S. Petrum, res inusitata.

Plures ergo ante S. Maurum sicco vestigio flumina transmiserunt, sed Gregorius dixerit rem post Petrum inusitatam, veluti raram, & passim non ita vsitatam: & fortassè hæc aliorum per mare itinera ipsum latuerint, vt verè existimauerit S. Maurum primum post Petrum aquis inambulasse.

Communicata verò hæc prærogatiua pluribus Sanctis post S. Maurum, quorum catalogum texit Arnoldus Rayssius in Thesauro sanctarum reliquiarum Belgij, agens de Ecclesiâ S. Aldegundis: quæ & ipsa Sabim fluuium siccis plantis pertransiit. Præter hanc autem & S. Maurum, id Ordinis nostri Sanctis datum, nimirum Forannano, Wolfango, Byrino, Liuino Episcopis; Winwaloeo & Odiloni Abbatibus, Austreberthæ Abbatissæ, Franciscæ Romanæ viduæ.

Cæterùm, cùm Augustinus scribens in psal. 39. spiritualem virum, *cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas,* moneat respicere mirabilia Domini, despicere theatra & funambulos, magis autem respicere *Petrum*, vt loquitur *Mariambulum*, nonnihil nos hoc spectaculo detinebimus, & duas circà illud expendemus quæstiones. Quarum

Prior est: Quo modo vel S.Petrus, vel S.Maurus aliique super aquas ambulauerint? Caluinus (vt annotat Joannes Bence in cap. 14. Matthæi) stultitiam vocat quòd Petrus crediderit posse se, iubente Christo, super aquas ambulare, & hanc Christum arguere experientiâ ipsâ, cùm in mediis fluctibus mergeretur. Hieronymus autem ex hoc probat contra Manichæos, Christum verum, non phantasticum habuisse corpus; quia Petrus, qui verum habebat corpus, super aquas ambulauit. Quod autem propositam spectat quæstionem, duos soluendi modos suggerit Auctor de Mirabilibus sacræ Scripturæ, (quem Augustinum esse, optimè negat S.Thomas 3.p. q.45. a.3. ad 2.) is autem lib.3.cap.8. ita disserit. *Quæri potest vtrum Domini, & Petri corporum leuigata est natura, vt illa aqua sustineret? an aqua substantia solidata est, vt corpora humana fulcire posset? Quamuis ergo vtrumq; hoc faceret, non contra naturam Domino præcipiente esset, si aut aquam solidaret, aut humanam Domini iussio carnem leuigaret, præsertim cùm resurrectionis corpora in tantum leuigabit, vt non solùm crassâ aquâ, sed etiam nubibus & aere sustineantur, vt Apostolus ait: Rapiemur ad occurrendum Christo in aera. Aliter si aquæ naturam solidatam esse quispiam elegerit; quoniam aqua terrenam habet crassitudinem, vt cùm se gelu perstrinxerit, in duriorem quam terra ipsius soliditatem rigeat, & multitudinem sustinere valeat, & posteà calida aura resoluat. Vel certè, si liquidas vndas non perstrinxerit, natura qua aquis inserta est ligna* *Quo pacto aquis inambulari possit.*

quam-

quamuis grandia, & cæterorum animalium corpora, & naues liburnicas supernatantes sustinere consueuit. Illa soliditas Domino imperante facta. Sic ille. Alphonsus verò Salmeron tom. 6. tract. 28. neutrum horum approbat. *Non habuit*, inquit, *Petrus, agilitatis dotem: quia non erat anima beatus: & bis illam habuisset, scilicet ante & post mersionem. Nec aquæ solidatæ sunt, quia fluctus timebat.* Tertium ergò assignans modum, ait, Deum corpus graue sustinuisse, & grauitate suâ naturale suspendisse, sicut Angelus Habacuc ferebat per aërem minus solidum. Idem ait Abulensis in c. 14. Matth. q. 172.

An maius calcasse aquas, quam diuisas sicco pede pertransire.

Posterior quæstio est: Vtrum maius censendum, ambulare super aquas; an diuidi aquas, vt per medium sicci aluei liceat transire, prout factum est in transitu maris rubri Exod. 14. & Jordanis sub Josue, Heliâ & Elisæo? Prius illud nonnullis excellentius videtur: nam in posteriori aquæ tantùm cohibitæ sunt ne fluerent, vnde etiam iumenta rubrum transibant mare. Huius sententiæ est Ambrosius, serm. 47. de fide Petri, cuius hæc verba: *Legimus in veteri testamento filios Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur vnda in soliditatem quandam etiam fuisse mutatam. Quanto hoc meliùs, vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit. Melius est, vbi eadem vnda, quæ fluctuat & sustentat, vbi idem gurges, qui mergitur & famulatur. Illic vt portetur per mare populus Israel, meatum suum natura perdidit, hic portatur in aquis Petrus, cursum suum fluenta non perdunt.*

Denique ingeniosè & piè à S. Bernardo in declamat. obseruatum. Israelitas Ægyptiorum spoliis prægrauatos, non potuisse super vndas ambulare: Petrum verò, qui omnia reliquerat, & Christum fuerat secutus, adeò fuisse leuem & expeditum, vt super aquarum fluenta Domini gratiâ deambularet. *Nimirum*, inquit, *longè aliud est in luto aquarum multarum diuisi fundo maris iter carpere, terrena licitè possidendo: aliud ipsum quoq; nouis gressibus vndam calcare omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur: Petro nouum iter, & nouo typus itineris seruabatur.*

Quomodo per capillos Placidus ereptus.

4. PER CAPILLOS TENENS.] Quæret fortassè aliquis, quomodo per capillos educi Placidus potuerit, si, prout nunc fit Monachis, in coronam fuerat attonsus. Quidam enim hinc arbitrantur, tempore S. BENEDICTI monachos non gestasse coronam, è quorum numero est Archangelus Hastiuillius, qui historiæ suæ Camaldulensis lib. 2. cap. 1. ait: *Vnde fit, vt* BENEDICTVS *in Regulâ de illâ (tonsurâ) nullam mentionem faciat: & Maurus per capillos ex aquis Placidum extrahit. Neque beatus Romualdus aliquando rasurâ vsus est: cùm scriptum sit cap. 52. suæ historiæ: quia nouaculam numquam in suum caput patiebatur ascendere, sed ipse sibi solebat excrementa capillorum, & barbæ forcipibus attondere.* Sed facilis est responsio: Vsum coronæ S. BENEDICTO fuisse cognitum, atque etiam vsurpatum. Primo enim Regulæ capite, de Sarabaitis ait: quod *mentiri Deo per tonsuram noscantur*, vt ita scilicet bonis, qui in coronam erant attonsi, non viderentur dissimiles, à quorum tamen moribus distabant plurimum. Caruit tamen Placidus coronâ, quod etiamnum puer esset, & necdum fortè professus. Voluit autem BENEDICTVS non mutari sæcularem habitum, nisi emissâ professione, nam post omnes professionis ritus,

Monachi olim non tonsurabantur ante professionem.

postremò præscribit cap. 58. *Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij.* Atque eadem ratio est de coronâ. Nam S. Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano lib. 8. epist. 23. ita scribit: *Monasteriis omnibus fraternitas vestra districtiùs interdicat, vt eos quos ad conuertendum susceperint, priusquam biennium in conuersatione compleant, nullo modo audeant tonsurare. Sed hoc spatio, vita, moresq; eorum sollicitè comprobentur.* Hæc Gregorius. Exemplum autem S. Romualdi illi fuerit peculiare; & ideò fortassis à S. Petro Damiani relatum, quod eâ in re, tanquam Eremita, ab aliis distaret Monachis.

CAPVT VII.

Si igitur ante emissam professionem, vt diximus non tonsurabantur Monachi, facilè erat per capillos Placidum ex aquis educere, qui nondum coronâ erat insignitus. Quam sententiam sequitur Prosper Stellartius lib. 3. de Coronis & tonsuris cap. 19. Sequentibus tamen sæculis etiam pueri attondebantur, nam statuta S. Lantfranci cap. 12. non tantùm de tonsurâ iuuenum, sed etiam puerorum agunt, voluntque eos à Magistris radi. Et cap. 18. de puerorum oblatione, ita præscribunt: *offerendus puer, factâ sibi priùs coronâ, manibus portans hostiam, & calicem cum vino, sicut mos est, post Euangelium sacerdoti, qui missam celebrat à parentibus offeratur.* Et post pauca: *dehinc ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri Ordinis consuetudo est.*

Posteà pueri attondebantur.

Cæterùm scribit hîc Milletius, Lacum iam pridem desiisse, tantumque superesse rapidum quemdam riuulum: reliquum verò spatium aquis olim contectum, nunc esse pratum; & colo[illegible], ad quem S. Maurus super aquas cucurrit, ad miraculi tanti memoriam insigne extructum esse sacellum S. Placido sacrum. Diuina porrò bonitas (vt idem Auctor tradit) alterum etiam adiunxit prodigium. Lapis enim, cui Placidus aquam hausturus suam imposuerat hydriam, pedis eius impressam retinuit figuram, non secus ac si cera fuisset: hodieque in eodem sacello petram hanc videre licet, cum circulo pedis amphoræ, cuius diameter sex plus minus est digitorum.

Lacus in quem lapsus Placidus & eiusq; hydria.

5. IN HAC ITAQVE MVTVA HVMILITATIS, ET AMICA CONTENTIONE.] Solenne sanctis est, quæ in eorum gratiam, vel per eos fiunt miracula, à se remouere, & alteri potiùs quàm sibi adscribere, vt in Sanctorum historiis non rarò occurrit. Sed quod huic rei non absimile est, scribit Seuerus Sulpitius Dialog. lib. 1. cap. 5. Solitario cuidam in eremo degenti, post octiduanum ieiunium, ad Abbatis sui aduentum calidum cœlitus subministratum panem, & in sportâ palmitiâ cellulæ foribus affixum. Ille autem hoc Abbatis aduentu præstitũ fatebatur: Abbas verò illius fidei ac virtuti adscribebat. Sed de nostrâ hâc disceptatione, qui aderat tertius, puer Placidus sententiam inter vtrosque tulit, & S. BENEDICTI iussioni illud adscripsit. Habuit tamen & hîc S. Mauri obedientia partes. Quamobrem ad commendandum cœcæ obedientiæ meritum, passim ab Auctoribus hoc produci videmus exemplum. Fusiùs præ reliquis id fecit Theophilus Bernardinus lib. 11. de religiosæ perseuerantiæ præsidiis cap. 8. quem hîc deinceps audi.

Sancti miracula à se facta supprimunt.

S. Maurus cœca obedientia exemplar.

Obedientia cæca est, quæ, vt diuinè docuit S. BENEDICTVS, IN AVDITV AVRIS OBEDIT, *non in contuitu oculi. Auris est quæ audit, auris quæ sequitur; quæ obsequitur; & obsequendo sensus cæteros imperiosè* vrget,

Cæca obedientia paraphrasis.

CAPVT VII.

vrget, vt & ipsi toti ad obsequium contendant, & vnum obsequium tanto nisu præstent, vt in id vnum se totos quasi exhauriant. Itaq; in eiusmodi obsequente, intellectus iuberi audit, idq; solum quod iuberi audit intelligit; iudicium fiet, neque cur, neque quomodo, neque aliud, quam quod iuberi audit, inducat: imaginationibus nisi iussionem solam audit, nihil repræsentat aliud: nihil oculus, nihil manus, nihil pedes, nihil totus homo conatu suo ardet, nisi quod audit, exequi: ita vt solus auris dominetur auditus, & ad Præpositi vocem, quasi entheata corporis animiq; vires, mirabili velocitate rapiantur.

Olim aquarum vortices arreptum, in præsens exitium Placidum puerum deuoluebant, cùm id animo prouidens S. BENEDICTVS *ad Maurum; Curre, inquit, & periclitanti Placido succurre. Dixit, & vt Maurus Magistri loquentis vocem audit, Placidum auribus, Placidum oculis, Placidum totâ cogitatione vnum ferebat, periculorum, vndarumq; oblitus, vitæ prodigus, obedientiæ tenax, contitus excurrit, volat potius, sanctas obedientia alas affinxit, inscius calcat aquas, perq; liquidas vorticosi lacus vndas quasi per solidatam aream, victrice tutus obedientiâ, & Præpositi voce pondus corporis detrahente progressus, apprehensum effert Placidum, partiq; securitate & celeritate emensum per vndas iter remetitur, nec, nisi post obedientiæ peracta exitum, aquas se calcare cognoscit: totos in auribus oculos, pedes totos, totum hominem consiq; esse diceres, dum obedientiæ iussa compleret. Quid est cæcum esse, si id non est? nec enim vel oculus corporis, aquarum rapiditatem, & insidiosam profunditatem, vel animi cogitatio, periculi magnitudinem videbat; hoc videbat, hoc volebat, hoc contendebat vnum, obedire vt imperantis voce posset.*

Hoc obedientiæ cœcæ exemplum, latiùs, planeq; ad historicæ veritatis normam descripsi, vt ex eo quòd omnium propemodum ore celebratur, de naturâ cæterorum coniecturam capere possimus. Sic ille, qui & cap. 10. addit *in S. Mauri facinore necesse fuisse, vt vnicus hic actus mirum in modum eius in Deum fiduciam auxerit, animos addiderit, ac in obedientiæ amore, tutela, veneratione, perfectione firmauerit. Faxit diuina bonitas, vt tam sanctorum exemplorum, post tot sæcula vigente commemoratione permoti, eius quod artipuimus, quodque totum obedientiâ nititur, Instituti numeros omnes, perfectè obediendo expleamus.* Hactenus ille. Quæ vel eo nomine adducta fuerint, quia, vt hic colloquitor Petrus ait; *magna sunt valde, & multorum ædificationi profutura.*

Credidit hoc S. Ignatius Societatis IESV parens, qui in epistolâ de obedientiâ, non dubitauit suis hoc cœcæ & perfectæ obedientiæ speculum proponere, ex eoque in hunc modum concludit: *Est igitur hæc ratio subiiciendi proprij iudicij, ac sine vllâ quæstione faciendi & collaudandi apud se, quodcumq; Superior iusserit, sanctis viris vsitata, sed etiam perfectæ* OBEDIENTIÆ *studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto coniunctæ non sunt.*

Sed enim, duplex hic dubium mouet Suarez tom. 4. de Relig. Tract. 10. lib. 4. cap. 15. num. 32. Prius est. Quomodo vel S. BENEDICTVS præcipere, vel S. Maurus obedire potuerit in re, quæ si ex obiecto spectetur, mala sit, & contrà quintum Decalogi præceptum, cùm vita manifesto periculo exponatur. Quod si miraculi spe fiat, præsumptio quædam erit, siue Dei tentatio. Posterius dubium est. Quomodo hæc nobis tanquam exempla proponantur imitanda? an ergo in rebus apertè illicitis obediendum cuiquam erit?

Sed quemodo hic S. BENEDICTVS præcipere, aut S. Maurus parere potuit? aut quemodo hæc nobis imitanda?

Responsio.

Ad vtrumque respondet. Ad prius, Spiritum sanctum aliquando monere homines iustos, vt suprà communem & ordinarium cursum virtutum mirabilius operentur: adeoque tam Prælati iussionem, quàm Subditi obedientiam ex peculiari Spiritus sancti instinctu factam. Addere licet, S. BENEDICTVM non iussisse, vt suprà aquas graderetur S. Maurus; sed vt Placidum ex aquis extraheret, ipsum verò Maurum ignorasse, quod suprà aquas cucurrisset, & vt hîc dicitur *conscium in illâ virtute non fuisse, quam nesciens fecisset.* Item feruor obediendi, animique promptitudo effecit, vt periculum non animaduerteret.

Ad posterius respondet. Quando hæc talia nobis in exemplum proponuntur, respiciendum tunc ad finem in his à Spiritu sancto intentum, qui est, vt per ea intelligamus, quantùm Deo placeat Obedientiæ virtus, & simplicitas. Quam etiam confirmat, non proponi nobis factum hoc, vt illud quoad omnes particulares circumstantias, & insolitum operandi modum imitemur; sed vt illius admiratione moti, saltem perfectionem virtutis assequi contendamus, iuxtà communes & ordinarias leges obedientiæ debitas.

6. MELOTEM ABBATIS VIDEBAM.] Egimus de hac veste in *Disquisitionibus* nostris, vbi diximus hoc loco significare, monasticam Cucullam à S. BENEDICTO in Regulâ præscriptam. Simon tamen Millctius putat esse aliam, de quâ Cassianus lib. 1. cap. 8. *Vltimus habitus eorum est pellis caprina, quæ Melotes vel pera appellatur.* Sed nostram sententiam stabiliui ex Ordine Romano, Cap. *De Ordine ad faciendum Monachum.* Vbi de Nouitio dicitur: *Et indutus ipsam* MELOTEM *toto corpore prostratus ante altare dicat hunc versum. Suscipe me Domine, &c.* Et Theodemarus Abbas epistolâ ad Carolum Magnum, proprium Monachorum habitum dicit vocari *Melotem.* Et Paulus Diaconus de Nouitio profitente in cap. 58. Regulæ scribens, ait: *Siue antequàm promittat, siue postea vestiatur in Oratorio, nil obstat, tantum vt caput eius post promissionem veletur, & in die septimo deueletur, quia vice baptismi est* MELOTA.

Melotes est cucullæ monachalis.

7. IPSVM ME EX AQVIS EDVCERE.] Notat Cornelius ad cap. 12. Act. v. 15. cùm S. BENEDICTVS absens esset, adeoque Placidum ex aquis educere non posset, eumdem eductum ab Angelo speciem & personam sancti Patris induto, atque ità affirmare oportet, vt hæc sancti Placidi verba cum veritate subsistant.

CA-

CAPVT VIII.

DE INFECTO PER VENENVM PANE, PER CORVVM LONGIVS PROIECTO.

1 VM iam loca eadem in amorem Domini Dei nostri Iesu Christi longè latéque feruescerent, & sæcularem vitam multi relinquerent, & sub leni Redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: sicut mos prauorum est inuidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt: vicinæ Ecclesiæ presbyter [2] Florentius nomine, huius nostri Subdiaconi Florentij auus, antiqui hostis malitiâ percussus, sancti viri studiis cœpit æmulari, eiúsque conuersationi derogare: quósque etiam posset ab illius visitatione compescere. Cumque iam se conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris, ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter vocare inuidiæ facibus magis magisque succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cœcatus, ad hoc vsque perductus est, vt seruo Omnipotentis Dei infectum veneno [3] panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicinâ siluâ [4] coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cùm more solito venisset, panem quem presbyter transmiserat, vir Dei ante coruum proiecit, eique præcepit, dicens: In nomine Iesu Christi Domini nostri [5] tolle hunc panem, & tali eum in loco proiice, vbi à nullo hominum possit inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis circa eundem panem cœpit discurrere, crocitare, ac si apertè diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat iterum atque iterum, dicens: leua, leua securus, atque ibi proiice, vbi inueniri non possit. Quem diu demoratus, quandoque coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium verò horarum spatium abiecto pane rediit, & de manu hominis Dei annonam, quam consueuerat, accepit. Venerabilis autem pater contrà vitam suam inardescere Sacerdotis animum videns, [6] illi magis quàm sibi doluit.

Florentius inuidus panem veneno imbutum à BENEDICTO *donat:*

quem coruus in locum ignotum defert. Et à S. BENEDICTO *pascitur.*

Sed prædictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: [7] ita vt in horto cellæ, cui BENEDICTVS inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ coram eis sibi inuicem manus tendentes & diutius ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cellâ conspiciens, [8] lapsúmque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, [9] idque pro sui solius persecutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit, atque oratoria & [10] cuncta quæ construxerat, substitutis Præpositis, adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secum monachis ablatis [11] habitationem mutauit loci. Siecque vir Dei eius odia humiliter declinauit, quem Omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cùm prædictus presbyter stans in solario BENEDICTVM discessisse cognosceret, & exultaret, perdurante immobiliter totâ domus fabricâ, hoc ipsum tantùm in quo stabat solarium cecidit, & BENEDICTI hostem conterens extinxit. Quod viri Dei discipulus Maurus nomine, statim venerabili Patri BENEDICTO, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus aberat, æstimauit esse nuntiandum, dicens: Reuertere, quia presbyter qui te persequebatur, extinctus est: Quod vir

Florentius eius discipulos impudico spectaculo peruertere nititur.

S. BENEDICTVS *Florentij inuidiam fugit.*

Florentius à Deo percutitur.

CAPVT VIII. Dei BENEDICTVS audiens, [12] sese in grauibus lamentis dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Quâ de re factum est, vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

quare S. BENEDICTVS grauiter lamentatur.

P E T R V S.

Exo. 6. 6. 4. Reg. 6. a. Matth. 14. d. 3. Reg. 17. a. 2. Reg. 1. b. Mira sunt & multum stupenda quæ dicis. Nam in aquâ ex petrâ productâ Moysem, in ferro verò, quod è profundo aquæ rediit, Helisæum, in aquæ itinere Petrum, in corui obedientiâ Heliam, in luctu autem mortis inimici, Dauid video: & perpendo quia [13] vir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit.

G R E G O R I V S.

Vir Dei BENEDICTVS, Petre, vnius Dei spiritum habuit, qui per concessæ redemptionis gratiam electorum corda omnium impleuit, de quo Ioannes dicit: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De quo rursum scriptum est: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Nam sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Ionæ, promisit inimicis: vt coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgeret: quatenus & illi viderent, quod contemnerent, & isti quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, vt dum superbi aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

Ioan. 1. 6. Ibid. 6. Iona 1. a.

P E T R V S.

Quæso te post hæc, ad quæ loca vir sanctus migrauerit, vel [14] si aliquas in eis virtutes postmodum ostenderit, innotesce.

G R E G O R I V S.

Sanctus vir ad alia demigrans loca non hostem mutauit. Nam tantò post grauiora prælia pertulit, quantùm contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ magistrum inuenit. [15] Castrum namque quod Cassinum dicitur [16] in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se subrigens velut ad aëra cacumen tendit: vbi vetustissimum fanum fuit, in quo antiquorum more gentilium à stulto rusticorum populo [17] Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perueniens contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, [18] oraculum B. Martini, vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum S. Ioannis construxit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè, vel per somnium, sed apertâ visione eiusdem Patris oculis sese ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis Pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sæuire videtur. Iam verò quæ diceret audiebant omnes: priùs enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm vir Dei minimè responderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cùm clamaret, dicens: [19] BENEDICTE, BENEDICTE, & eum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adiungebat, Maledicte non BENEDICTE, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed iam nunc spectanda sunt contra Dei famulum antiqui hostis noua certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministrauit inuitus.

Cassini descriptio.

17. q. 1. Generaliter. §. finali.

Illuc veniens idolorum cultum destruit, diuinumque inducit: Prædicat fidem.

Diabolus à Sancto vim patitur:

Cui corporaliter apparet.

COM-

COMMENTARIVS.

Quo anno Cassinum venerit.



1. CVM IAM LOCA EADEM.] Quæ hoc narrantur capite, acciderunt anno Christi 529. Fœlicis Papæ IV. tertio, Iustiniani Imperatoris 16. agente S. P. BENEDICTO ætatis suæ annum 49. Hoc enim anno, tam Cardinalis Baronius, quàm Antonius de Yepez, aliique tradunt S. BENEDICTVM è Sublaco recessisse, quamuis Constantinus Bellottus, & Siluester Maurolicus lib. 1. hist. sacræ omnium Ordinum, id præcedenti anno contigisse velint.

Florentius eiusq; domus.

2. FLORENTIVS] Fuisse Parochum hunc, de quo agimus, FLORENTIVM, Yepez & Milletius asserunt, satisque innuit ipse Gregorius, cùm vicinæ *Ecclesiæ Presbyterum* nominat. Ædes autem illius sitæ erant iuxta primum, ex duodecim suprà memoratis monasteriis, quod S. BENEDICTO ordinaria erat sedes, adeò vt inter illud, & FLORENTII domum fluuius tantùm intercurreret. Visuntur hodieque eiusdem domus vestigia in decliuo cuiusdam collis, duodecim aut quindecim à flumine passibus.

Panis in amicitiæ signum olim dari solitus.

3. PANEM QVASI PRO BENEDICTIONE TRANSMITTERET.] Notandum hîc inter Eulogias, quas veteres olim amicitiæ causâ sibi inuicem transmittebant, PANEM, quod vnitatis & vnanimitatis esset symbolum, non infrequentem fuisse. Paulinus epist. .ad Seuerum: PANEM *Campanum de cellulâ nostrâ tibi pro Eulogia misimus.* Idem epist. 41. ad Augustinum: PANEM *vnum, quem vnanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.* Et epist. 45. ad Alipium: PANEM *vnum sanctitati tuæ gratia misimus, in quo etiã Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem eulogiam esse, tu facies dignatione sumendi.* August. epist. 34. PANIS *quem misimus, vberior benedictio fet dilectione accipientis vestræ benignitatis.* Hoc ergò modo Florentius sub specie BENEDICTIONIS (Eulogiæ habet Zacharias) infectum veneno PANEM S. BENEDICTO misit: ille verò (vt addit Yepez) Monacho cum vsque ad refectionis horam custodiendum tradidit.

Animalia quædam Sanctis familiaria.

4. CORVVS VENIRE CONSVEVERAT.] Non pauci repeniuntur Sancti, qui bruta quædam animantia habuerint familiaria, quibus aut cibum tribuebant, aut ab iis accipiebant. Thomas verò de Trugillo tom. 2. Thesauri Concionat. in fest. S. Bened. ait, S. BENEDICTVM Coruum hunc fratrem appellare solere, eò quòd vestitus esset eodem colore quo fratres sui. Sic, aues S. Franciscus suas nominabat sorores.

Coruum S. BENEDICTVS fratrem vocabat.

Geminum huic est; quod à Lisiardo Suessionensi Episcopo, de S. Arnulpho prædecessore suo, & nostri Ordinis Monacho refertur vitæ cap. 21. Nimirum, oblato ei pisce veneno infecto, diuinitus id cognouisse: coruum, quem alere solitus erat, vocasse, eique imperasse, vt *rostro correptum piscem in eum locum transferat, vbi à nullo possit mortalium inueniri. Hæsitat aliquantisper coruus, tandem morditus apprehensum asportat.*

5. TOLLE HVNC PANEM.] Index Aduersariorum Gasparis Barthij designaturus hanc Gregorij narrationem, posuit: *historia siue fabula de coruo & pane,* ostendens quo hæc habeat loco; quasi verò commentitia, aut anilis quædam esset fabula, velut illa; quam iisdem verbis, eodem notat in indice: *historia vel fabula Plani Horatiani,* de quâ legendi, qui ad epistolam Horatij 17. lib. 1. scripserunt. Solent autem talia ista Sanctorum miracula, Nouatores hæretici exsibilare. *Et hoc est* (vt Augustinus ait lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 5.) *eorum tota ratio, vt quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur.* Et ignorare videntur Sanctis viris à Deo non rarò restitutum dominium in bestias, ante peccatum primo parenti concessum. Docet id venerabilis Beda in Hexameron, ita scribens: *In testimonium primæ creationis, legimus viris sanctis, atque humiliter Deo seruientibus, & aues obsequium præbuisse, & rictus bestiarum cessisse, & venenum non potuisse nocere serpentium.* Sic ille. Philo quoque Iudæus lib. de præmio & pœnis, hæc scribit: *Non desperandum mansuefactis nostris moribus, posse & cicurari animalia. Tum demum, opinor, leones, vrsos, pardos, & indicis elephantes atque tigrides, cæteraq; inuicti roboris, à solitario victu transitura ad socialitem, paulatim depositâ ferocia, & more gregalium latura consuetudinem hominum, cum quadam velut ergà Dominum Magistrosq; suos reuerentiâ. Nonnulla etiam eo processura, vt heris gestu, caudâq; adblandiantur in morem catellorum Melitensium. Tunc & scorpionum, serpentumq; venena cessatura, cæterorumq; reptilium. Omnia hæc bonum virum, tanquam sacrum vererentur violare, virtutis ergò à Deo susceptum in tutelam suam ac gratiam.*

Sanctis in bestias imperium diuinitus datum.

Quid igitur S. BENEDICTVM coruo imperantem, aut hunc obsequentem subsannant Nouatores? Rideant pariter magnum Antonium bestiis imperantem, ne paruulam messem suam lædant; vt Auctor est Athanasius in vit. cap. 25. eumdemque Onagrorum gregi dicentem: *quare comeditis, quod non seminastis?* eosque exinde nec arbusculas, nec olera contigisse; vt habet idem cap. 36. Rideant & Hilarionem, Hieronymo in vitâ cap. 33. teste, Boæ draconi præcipientem, struem lignorum scandere. Rideant & Pachomium, vt in vitâ eius cap. 19. legitur, Crocodilorum ministerio fluuium transeuntem, qui eum cum summâ subiectione portabant, exponentes ad locum quocumque præcepisset. Rideant Ammonem, de quo Ruffinus lib. 2. in vit. Pat. c. 8. duobus draconibus ingressum Monasterij seruare iubentem. Simeon quoque priscus, vt refert Theodoretus in Philotheo cap. 6. duobus leonibus iussit, vt hospites ducerent, & à viâ, à quâ aberrarant, reducerent. Venerabilis Beda in vitâ S. Cuthberti cap. 20. scribit, eum in exemplum S. P. BENEDICTI, præcepisse coruis vt ab habitaculo fratrum abscederent, & confestim abiisse. Plura occurrunt in Sanctorum historiis. *Si quis autem non habet fidem iis, quæ dicta sunt,* inquit citato loco Theodoretus, *recordetur vitæ insignis Eliæ, & CORVORVM ministerij, qui mane quidem panem, vespere autem ei carnem perpetuò afferebant, vniuersorum enim effectori est facile, vt suis prouideatur, omnem viam inuenire.* Atque hæc satis, si quid vnquã contrà hæreticos satis. Vituperium porrò, & encomiũ CORVI (si cui fortè sint talia cordi) videat apud Pontanum in Atticis bellariis, part. 1. Syntag. 10.

Nouatores refutantur circà historiam corui.

6. ILLI MAGIS QVAM SIBI DOLVIT.] Græca sic habent, *Pro illo magis, quàm pro seipso Deum preca-*

S. BENEDICTVS ergà fatalem inimicum compassio.

CAPVT VIII.

precabatur. Nouerat ergò verus Christi imitator, pro persequentibus & calumniantibus se Deum rogare,

7. ITA VT IN HORTO CELLÆ.] Zacharias habet, hoc in horto fratres tum laborasse, & Florentium puellis hisce præcepisse, immodestè se gererent, & luderent coram Monachis.

SS. Placidus & Maurus teneri annis non moribus.

8. LAPSVMQVE ADHVC TENERIORIBVS DISCIPVLIS PERTIMESCENS.] Acta S. Placidi, quæ Gordianum præferunt Auctorem (quæ tamen vel Gordiani non sunt, vt benè obseruauit Cardinalis Baronius, vel ab aliis posteà corrupta) teneriores hosce discipulos aiunt fuisse Placidum & Maurum, quos custodiri S. Pater præceperit. Verùm fuisse eos in virtutibus admodum prouectos ex iis, quæ suprà diximus, satis constat. Et de Placido in illis ipsis actis, hæc scribuntur: *Cursu prepete cælestem tendens ad patriam ardua & sanctiora appetere non desistebat, noctibus atque diebus, horis ac momentis, quæ Dei sunt quærere non cessabat. Obedientiæ verò ita callem vendicauit, vt pro hoc ipsi sanctissimo* BENEDICTO *admirabilis haberetur.* Sic ibi. Quæ facilè ostendunt robustum eius erga pietatem animũ. Deinde ex S. Gregorij narratione, constat Maurum, obtrito solarij ruinâ Florentio, nuntiasse S. BENEDICTO, qui decem millibus à loco aberat, vt reuerteretur. Quod sanè facere non potuisset, si cum ipso discessisset. Alij proinde erant, & vt infrà dicitur pauci Monachi, cum quibus S. Pater loci habitationem mutauit.

Diabolus Ordinem religiosorum initiis infestus.

9. IDQVE PRO SVA SOLIVS PERSECVTIONE FIERI PERTRACTANS.] Ex hac Florentij persecutione probat Hieronymus Platus in proœmio libri primi de bono status Religiosi, nullum vnquam à Deo religiosum Ordinem excitatum, cui, dum tener adhuc esset perdendo, vel deformando, atque adeò præfocando, omnes inferni exercitus non totas vires intenderint. Sic nimirum Pharao Iudæorum infantes, si quidem masculi essent, tolli iusserat, feminas verò solas, à quibus nihil mali timeret, seruari. Hoc est quod Gregorius 13. Moralium cap. 5. dixit: *Illos præcipuè reprobi in sanctâ Ecclesiâ persequuntur, quos multis conspiciunt esse profuturos.*

S. Benedictus reuelatione cælitus recreatur, instruiturq́;.

Porrò quod hanc S. BENEDICTI persecutionem spectat, tradunt citata iam ante S. Placidi Actâ, cap. 5. dum sollicitâ mente secum cogitaret, hanc ei cœlitus factam reuelationem. *Vt quid dulcissime ac dilectissime* BENEDICTE *tristaris? numquid iam reminisceris illud, quod ego discipulis meis locutus sum dicens: Si me persecuti sunt, & vos persequentur? tibi enim alia est eligenda via, aliud iter quærendum. Te namq́; elegi ex omnibus incolentibus orbem. Tu Euangelij mei tuba cælestis existens, spiritu es meo repletus. Surge iam, & vade ad Castrum Cassinum, & populum eiusdem prouinciæ, qui adhuc idolorum nefandis cultibus seruit, & in quorum præcordiis sathana versutia regnat, qui nihil sciunt aut dicunt, nisi quod in cordibus eorum veternosi serpentis versutia scripsit, sermone verifico prædicans, meum ad cultum conuertere stude, quia tecum ego ero, & non te deseram, & confundam omnes aduersarios tuos. Proficiscere idolorum ad pugnam, confortare & esto robustus, quia Castrum tibi tradam, & illic sedes nominis tui in perpetuum erit.* Sic ibi.

Diuina reuelatione Cassinum migrat.

Quæ eâ potissimum allata sunt gratiâ, quod & alij Auctores celeberrimi tradant diuino monitu S. BENEDICTVM, è Sublaco Cassinum migrasse. Zacharias Pontifex in priuilegio Monasterio Cassinensi concesso, sic inquit: *Qui Pater sanctissimus dum vitam Eremiticam duceret, diuinâ reuelatione monitus, ad eundem locum* (Cassinum) *peruenit.* Alexander II. in quodam diplomate, agens de fundatione Monasterij Cassinensis, ait, illud *non studio hominum, sed diuino imperio à sanctissimo Patre* BENEDICTO *constructum.* Petrus Damiani serm. in vigiliâ S. BENEDICTI: *Cùm vir Dei* BENEDICTVS *in loco, qui Sublacus dicitur, constructis circumquaq́; monasteriis solitarius degeret, diuinitùs est admonitus, vt loco cederet, Castrumq́; quod Cassinum dicitur, properaret.* Baronius quoque tom. 7. affirmat B. BENEDICTVM *ex angustiis Sublacensium montium, diuino monitu egressum, Cassinum petisse.*

A Sublaco discedens fratribus valedicit.

10. CVNCTA QVÆ CONSTRVXERAT, SVB STATVTIS PRÆPOSITIS ADIVNCTISQVE FRATRIBVS ORDINAVIT.] In vitâ S. Placidi, additur S. BENEDICTVM in decessu valedicentem fratribus, sic eos fuisse allocutum.

Audite me fratres & filij, cohæredes & socij in promisso Regis æterni, nam mihi Dominus meus Iesus Christus præcepit, vt ad culturam idolorum exterminandam, æternaq́; obliuioni tradendam, Castrum petam Cassinum, ideoq́; voluntas Dei nostris voluntatibus modis omnibus anteponenda est. Nostis prætereà, & benè nostis quantos dolos, quantasq́; insidias Florentius Presbyter intulit, qui me veneno interficere, & discipulorum meorum Placidi & Mauri animas extinguere voluit. Quapropter cedendum loco est, iuxtà illud æterni Regis eloquium. Si vos persecuti fuerint in vnâ ciuitate, fugite in aliam. Et quia ita est, iussioq́; eiusdem Domini nostri Iesu Christi imminet, parere debemus, eundum est. Super hoc autem & illa nobis lex est, vt viscera pietatis omnibus aperiamus, & fraterno charitatis amore omnibus mortalibus inuicem conferamus, sicut & nos accepimus à Domino Iesu Christo: Vos autem state, & permanete in gratiâ, & conuersatione sanctâ religionis, proculdubio scientes, quia quantò studiosius in spiritualibus disciplinis permanseritis, tanto maiora præmia in futuro examinis die percipietis.

Duplici de causâ locum mutat.

Ex his verò, cùm constet S. BENEDICTVM locum mutasse, tum vt Florentij odia declinaret, tum vt diuinæ, quam commemorauimus, satisfaceret monitioni, memoriâ lapsus videtur Eminentissimus Cardinalis Baronius, dum anno 523. ait S. BENEDICTVM vitantem fratrum inuidiam, migrasse Cassinum; cùm scribendum foret, Florentij inuidiam; quod amanuensis fortè mendum fuerit, aut Baronio occurrerit discessus ille, quo capite 3. reliquit Congregationem fratrum, qui veneno eum è vitâ studebant tollere; atque ex eo hîc scripserit, S. BENEDICTVM vitasse fratrum inuidiam.

Baronius memoriâ lapsus.

Raphaël Volateranus Antropologiæ lib. 21. cap. 4. ait S. BENEDICTVM, *cùm à frequentibus adiretur, vitandæ gloriæ gratiâ Cassinum venisse.* Eidem consentiens Polydorus Vergilius lib. 7. de Inuentoribus rerum, cap. 2. *Hic*, inquit, *cùm à multitudine ob sanctitatis famam adiretur, & ei secundum religionem nihil solitudine gratius esset, postremò eius celebritatis vitandæ causâ, Cassinum in eâ regione peruetustum oppidum venit, ibiq́; sibi sedem posuit.* Ioannes quoque Leslæus histor. Scotor. lib. 4. agens de S. BENEDICTO in Sublacô degente, ita scribit: *Vbi cùm pietatis suæ & sanctitatis gloriam omnes latè oras peruagatam esse audiret, veritus ne ex huius gloria ventis & rumusculis superbiæ spiritus colligeret; in Cassinum se* oppidum,

oppidum, tanquam angulum abdidit, ac condito monasterio, quosdam socios ad sanam vitæ rationem traductos Regulâ à se primò constitutâ informauit. Quamuis autem humilitatis & solitudinis fuerit amantissimus; non tamen ex hisce capitibus, sedem videtur mutasse, sed ex iis, quas diximus, caussis, vt nimirum Florentij declinaret inuidiam, & diuino pareret monito.

11. HABITATIONEM MVTAVIT LOCI] Non desunt, qui totum hoc S. Patris iter, & quæ in eo accidêre miracula, litteris mandarint, vt Petrus Diaconus lib. de viris illustrib. Montis Cassini cap. 10. Theophilus quoque Cassinensis Monachus, carmine scripsit, *De Aduentu S.* BENEDICTI *ad montem Cassinum*, vt Auctor est Arnoldus Wion, & ex eo Posseuinus.

Quos in itinere comites habuerit.

Acta verò S. Placidi breuiter iter hoc ita narrare incipiunt: *Hac cùm dixisset, Oratoria cuncta, quæ construxerat, adiunctis in vnoquoq; duodenis fratribus, sub statutis Præpositis ordinauit, & duobus Angelis, tribus coruis se comitantibus ad Cassinum castrum pergere cœpit.* Angelorum hunc & coruorum comitatum à S. Gregorio prætermissum, plures exprimunt, Paulus scilicet Diaconus lib. 1. hist. Longobard. cap. 26. Leo Ostiensis Chronici lib. 1. cap. 1. & S. Petrus Damiani serm. in vigil. S. Bened. quem operæ pretium fuerit hîc audire: *Cùm per ignota loca*, inquit, *solus viator incederet, vbicumq; biuium occurrebat, duo protinus iuuenes videbantur assistere, qui sibi, quò gressus dirigere debebat, indicarent. Quos nimirum iuuenes, quid alij sunt credendi, nisi Angelici spiritus ad sancti viri custodiam deputati? Quid autem mirum, si Angeli sanctorum videlicet hominum amatores, iter edocebant, ne vir sanctus erraret, cùm & bruta animalia eius vestigia sequerentur, ne solus abiret? Nam tres corui per omnem viam individui sibi comites fuerunt, eius assiduè vestigia prosequentes: hodieq; in silua, quæ venerabili Monasterio Cassini montis adiacet, duo, siue, vt ferunt, tres corui annua semper reuolutione nidificant, quos ab illis antiqui temporis coruis nonnulli prodire per traducem seminis asseuerant. Et reuera quotidie monasterij foribus aduolant, vt crocitantes, & alas, ac rostra pandentes, solitam escam, velut debitum censum ex vetusta possessionis iure deposcant. Et, vt clariùs innotescat, quam peruigil super beatum virum diuina gratia coruscauerit, sanctus quidam vir in prædicti Cassini montis tunc arce degebat, cui diuinâ voce præceptum est, vt abscederet; aliiq;, quia nouus habitator accederet, locum daret. Hæc planè de Marco, eiusdem videlicet beati* BENEDICTI *discipulo, venusto carmine iam desflorauimus: quia in venerandâ Gregorianæ historia serie minimè reperimus.* Sic ille. Marci verò Poetæ, cuius meminit, carmen Aimoinus Floriacensis, suo de S. BENEDICTO sermoni intexuit, estque tale:

Corui à Cassinatibus annonam poscunt.

Eo adueniente Cassinum Eremita quidam cedere à Deo iubetur.

Ad quam, tu ex alio monitus cum monte venires,
Per deserta tibi, Dux fuit ipse Deus.
Namq; duos Iuuenes, biuium perduxit ad omne
Qui te firmarent, quod sequereris iter.
Hic quoque viuenti iustorum dixerat vni,
His tu parce locis, alter amicus adest.
Credeq; ficta loqui, nisi terni solus abiret
Tres subitò corui promeruere sequi.

Quis ille Eremita:

Eremitam porrò qui S. BENEDICTO cedere iussus sit acta S. Placidi vocant *Martinum, qui diuinis iussionibus aurem accommodans, montem Marsicum petiit, ibiq; vitam virtutibus gloriosam sancto fine conclusit.* Sic ibi. Yepez autem hunc ab aliis *Marcium*, & vero nomine appellari tradit. Vitam, eius describit Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 16. in quâ, quod S. BENEDICTI vitam spectat, hæc de eo narratur historia.

CAPVT VIII.

illius exercitatio.

Hic cum primùm se in eumdem montem contulit, necdum clauso specu habitans, catenâ sibi ferreâ pedem ligauit, eamq; saxo ex parte altera affixit, ne ei vltra liceret progredi, quam catena eiusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis BENEDICTVS *audiens, cuius superiùs mentionem feci, ei per discipulum suum mandare curauit: Si seruus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Marcius protinus eamdem compedem soluit, sed numquam postmodum solutum pedem tetendit vltra locum, qui hunc tenere ligatum consueuerat, atque in tanto se spatio sine catena coercuit, in quanto & antea ligatus mansit.*

S. Benedictus Marcium catenam pedi illigatam a ponere iubet:

Cuius id forte exemplo.

Circà quam narrationem, notandum S. BENEDICTVM, vt sanctorum Patrum non indiligenter legebat historias, ita ex Simeonis Stylitæ vitâ fortassis didicisse, quod hîc Marcio præscripsit. Hic enim cum ferreâ catenâ vigintieubitorum dexterum illigasset pedem, adeoque se maximæ cuidam alligasset petræ, vt ne si vellet quidem, abiret extra limites, Meletius Episcopus superuacaneum dixit esse ferrum, cùm sufficiat mens ad corpori imponenda rationis vincula, cuius ille suasioni obtemperauit; vt habet Theodoretus in Philotheo cap. 26. Porrò cum Anachoretæ varia pro suâ deuotione subinde sectarentur instituta, non adcò mirandum, si illa à p ritioribus, & Dei spiritum habentibus quandoque improbarentur; vnde & Epiphanius lib. 3. contra hæreses circà finem, de variâ Monachorum viuendi ratione agens, hæc habet: *Indecorum est item, velut dixi, in vinculis prodire, velut quibusdam visum est.*

Sed quod Marcij hoc spectat exemplum, imitandum illud Anachoretis, M. S. Solitariorum Regula cap. 47. proponit. Vult enim cellulas infirmorum tempore *infirmitatis sub sigillo minimè teneri, quatenus visitari a fratribus possint, ipsi tamen*, ait, *caueant ne foras vltra constitutum exeant, non enim eos sigillum teneat cera vel plumbi, sed sigillum Christi: sicut legitur in libro Dialogorum fecisse quemdam venerabilem virum nomine Martinum*, &c. Subiungens allatam historiam. Valere etiam posset hoc exemplum, ad persuadendum Religiosis raram è cellâ egressionem, & crebriorem per domum vitandum discursum, quamuis seris & pessulis ab eis non arceantur.

Marcius Benedictinus.

Ex eo autem quod Marcius hîc S. BENEDICTO statim paruerit, nonnulli colligunt eum Ordinis nostri fuisse professorem, vnumque ex Anachoretis, qui variis in locis sub S. BENEDICTI disciplinâ viuebant. Petrus Diaconus eum annumerat catalogo sanctorum Montis Cassini, nostroque Ordini accensent Arnoldus Wion, Antonius de Yepez, Simon Milletius, Festum eius Romano Martyrologio habetur adscriptum 24. Octob.

Duplici de causâ inimicum luget S. BENEDICTVS.

12. SESE IN GRAVIBVS LAMENTIS DEDIT.] Duplicem Gregorius lamentationis huius assignat causam, *vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit.* Vtraque magnæ perfectionis & charitatis index. Nam vt Chrysostomus homil. de gratiar. act. ait: *Sanctorum lacrymæ prosiliunt à feruore charitatis, qui à toti erga Deum flagrant. Dumq; moderantur, & regunt, quæ ad conseruos suos attinent, in peccatis deprehensos lugent, & eosdem fusis lacrymis reuocant ad meliorem vitæ frugem. Vt enim qui consistunt in littore,*

CAPVT VIII.

eorum indolescunt vicem, qui marinis fluctibus immerguntur: neque enim vllam adeunt iacturam propria securitatis, ob anxiam, qua periclitantibus condolent, cogitationem: itidem & qui vltraneo mœrore se afficiunt ob peccata proximorum, haudquaquam per id lætitiam exinaniunt suam. Verius auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt, vt qui perfrui merentur Domini sui gaudio ob lacrymas in gratiam fratrum effusas. Sic ille. Quæ optimè S. BENEDICTO lacrymanti conueniunt, quem non immeritò Petrus ob hoc Dauidi comparat Regi. Hic enim Saulem inimicum suum (vt legitur 2. Reg. 1. planxit mortuum, & in Amalecitam, qui prospera se nuntiare putabat, animaduertit. Sic etiam BENEDICTVS, & Florentium luxit occisum, & iniunctâ pœnitentiâ Discipuli sui castigauit lætitiam. Prius illud summam animi indicat mansuetudinem, & iniuriarum perfectam obliuionem; de quâ gradu 9. Climacus: *Hac putredine ac peste* (iniuriarum memoriâ) *tum demum perfectè te curatum intellige, non cum pro eo, qui te contristauit oraueris, non cum illum muneribus affeceris, non cum ad mensam tuam eum perduxeris; sed cum cognitâ illius aliquâ calamitate, siue corporali, siue spirituali, quasi ipse eam perpessus fueris, ita te angi dolore atque lacrymari perspexeris.* Posterius illud charitatis erga proximum ostendit perfectionem, vt idem Climacus gradu 4. *Si quis amorem suum ac propriam dilectionem quam ad fratres habet explorare cupit, tunc inde certior fit cum se in fratris delictis lugere intentiùs prospexerit.*

Inimicorum dilectionem habuit perfectam.

Omnium iustorum spiritu plenus.

13. VIR ISTE SPIRITV IVSTORVM OMNIVM PLENVS FVIT.] Verba sunt Petri interlocutoris à S. Gregorio approbata, qui ait: *Vir Domini* BENEDICTVS *Petre, vnius Dei spiritum habuit, qui per concessa redemptionis gratiam, electorum corda omnium impleuit.* Sed hic, vti singulis, prout vult, sua communicat charismata, ita vni BENEDICTO tot, tantaque largitus est, vt quæ miramur in diuersis, hic simul habuisse videatur omnia. Goffridus proinde Vindocinensis serm. de S. Bened. hoc ita expendit: *Omnes sanctos ac venerabiles Patres, quotquot ab initio sæculi fuerunt, imitatus veraciter cognoscitur, qui aut æquale, aut opus simile, quod illi fecerunt, fecisse minimè dubitatur. Vnde meritò non omnium iustorum spiritum habuisse tantùm, sed* OMNIVM IVSTORVM SPIRITV PLENVS FVISSE, *in secundo libro Dialogorum sancti Gregorij laudabilis vita Doctoris, qui venerabilem vitam illius scripsit, prædicatur. Eodem sensu, Ecclesia in hymno ad Matutinum:*

Quidquid antiqui cecinere vates,
Quidquid æterna monimenta legis
Continet, nobis celebranda summi
Vita Monarchæ.

Extulit Mosen pietas benignum,
Inclytum proles Abraham decorat,
Isaac sponsa decus, & seueri
Iussa parentis.

Ipse virtutum cumulis onustus,
Celsior nostri Patriarcha cœtus,
Isaac, Mosen, Abbraham sub vno
Pectore clausit.

Veteris testamenti Patribus comparatur:

Hinc, vt Magnum olim Basilium Gregorius Nazianzenus, omnibus propemodum veteris testamenti comparat Patribus; Et Possidius de Augustino affirmare non dubitauit, quod esset *par Angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum reuelatione, par Apostolis in prædicatione, par Martyribus in desiderando passionem, par Confessoribus in disciplinarum traditione, & par Virginibus in continentia obseruatione*: non secus nostrum BENEDICTVM plerique, qui de eo scripserunt, eisdem conferre non dubitarunt, ex quibus breuiter nos parallela quædam proponemus.

Abraha:

Abrahæ comparatur, quia cum imitans, & diuino obsequens instinctui, exiuit de terrâ suâ, & de cognatione suâ. Deinde & illius instar factus est in gentem magnam, Ordine suo per vniuersa mundi climata diffuso.

Isaac:

Isaac non omninò absimilis fuit. Etenim vt ille Patri obediens, Deo immolari paratus fuit: ita BENEDICTVS soli Deo placere desiderans, totum se & irreuocabiliter diuino obtulit seruitio, in eoque perseuerauit vsque ad finem.

Iacob:

Scala Iacob laudatur, & duodecim, quos genuit Patriarchas: mysticam quoque scalam duodecim humilitatis gradibus instructam erexit BENEDICTVS, ipseque visus est per viam quæ rectò Orientis tramite ab eius cellâ in cælum vsque protendebatur, veluti per scalam quandam, cælestem intrare Ierusalem. Duodecim quæ excitauit Monasteria Ordinis sui fundamina, & monasticæ Reipublicæ capita, non incongruè duodecim tribuum Israel typo exprimuntur.

Iosepho:

Morum candore & castitate Iosephum imitatus est, dum per vepres & spinas carnis superauit incendia; vt ille relicto pallio, Dominæ suæ manus euasit.

Iobo:

Iobi patientiam expressit, quando non carnem tantùm & mundum, sed ipsum malitiæ Magistrum, qui corporalibus eius oculis apparebat, & ore oculisque flammantibus in eum sæuiebat, gloriosè deuicit, ità, vt Gregorio teste, *antiquus hostis ei pugnam quidem volens intulerit, sed occasiones victoriæ ministrauerit inuitus.*

Moysi:

Cùm Legislatore Moyse Patriarcham nostrum S. Odo, & S. Hildegardis contulerunt: & nos eiusdem parallela aliàs explicauimus. Sufficerit hîc Angelici Doctoris, in sermone primo de illo, breuis inter Moysen & BENEDICTVM collatio: *Ille Ægyptum deseruit, iste mundum: ille desertum dilexit, iste eremum: ille filios Israël in desertum introduxit, iste Monachos: ille dedit legem, iste Regulam: ille multa miracula fecit, & iste: ille fuit Moyses re & nomine, & iste* BENEDICTVS *re & nomine: fuit enim assumptus de aquis carnalis concupiscentia. Hæc de Moyse in Exodo, & hæc de* BENEDICTO *in Dialogo.* Sic ibi.

Gedeoni & Sampsoni:

Ainoinus Gedeoni & Sampsoni comparat; quem suis iuuerit verbis audire loquentem: *Æquetur*, inquit, *fortis Gedeoni, qui Israëlitica plebis prælia aggressurus, priùs aram Baal de paternâ exterminauit domo, nemusque illi sacratum extirpauit. Sic & iste fortis miles Christi, aereis potestatibus bellum in Castro Cassino indicturus, oraculum Apollinis euertit; lucum succidit, ac fanum eius, templum vino præbuit esse Leo. Samson ille virorum fortissimus, mirabilium eius inuideat virtutibus. Ipse etenim pro auulsione oculorum, deiecto solario, tria millia secum deleuit inimicorum. Hic autem Deo amabilis* BENEDICTVS, *armis patientiæ fultus, inimicum suum Florentium, & dimitauit visum, & solarij ruina contritum, fleuit fuisse defunctum. Samson neruos & vincula quibus ipse ab inimicis alligatus erat, rupit, ac si stuppea fila. Mitis Pater* BENEDICTVS, *aliena, & quod mirabilius est, solo intuitu, soluit ligamina.*

Dauidi:

Dauidis mansuetudinem vt imitatus fuerit, iam suprà ex Gregorio diximus.

Salomoni:

Salomoni eum confert, imò & præfert Carthusianorum

fianorum Institutor S. Bruno, serm. 2. de Confessoribus, ei accommodans illa de Euangelio: *Ecce plusquam Salomon hic*, inquit, *Christus de ipso, & ego dico, & veraciter dico, non de ipso, sed de seruo eius beatissimo* BENEDICTO, *ecce plusquam Salomon hic. Quaeris fortassis in quo maior sit iste? in sapientiâ, in iustitiâ, in fortitudine, in temperantiâ, & super hac omnia ditior illo, & potentior illo. Non dico de sapientiâ huius mundi, quae stultitia est apud Deum. Ad quam iste nunquam accedere voluit, sed de illâ sapientiâ quae vera est, & quae ducit hominem ad vitam aeternam. Neque dico de diuitiis temporalibus, quae de templo sublatae sunt ab Ægyptiis & Chaldais, sed de diuitiis aeternis semperq; mansuris, quae ab Angelis reponuntur in calis. His diuitiis abundauit beatus* BENEDICTVS, *his semper ditissimus fuit, ibiq; eas reposuit, vbi fures non effodiunt nec furantur*. Et post pauca: *O si Regina ista Saba venisset ad beatum* BENADICTVM, *& audiuisset sapientiam ex ore eius, & si vel nunc venire posset, & videre domos eius, famulos & ministros eius, filios & fratres eius, mensas & cibos eius: qualiter omnia sunt ordinata, quam bene disposita, quomodo omnibus est cor vnum, & anima vna, & nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia: quomodo se diligunt omnes: quomodo sibi inuicem obediunt omnes: quantus amor: quanta charitas est inter omnes: quanta dilectio: Si, inquam, illa Regina Saba, tam prudens, tam sapiens, tam religiosa, tam Deo deuota, haec omnia videre potuisset: verè totum priorem spiritum amisisset, quia sancti Spiritus gratiam suscipere meruisset.*

Eliae: De Eliâ, ita citatus Aimoinus:

Eliam corui quondam panêre Ministri,

B. BENEDICTVM *Patrem iter agentem,* * *sunt circumuolitantes secuti. Elia ad solos ciborum ministrauerunt vsus:* BENADICTO *Patri non solùm in transportatione venenati panis, verumetiam in comitatu seruierunt itineris. Elias curru igneo raptus est in calum. Amabilis Pater* BANEDICTVS, *viâ palliis stratâ, ac innumeris coruscâ lampadibus alta conscendit polorum.*

Elisaeo: Nemini verò tam similis apparet, quàm Elisæo, vt fusiùs prosequitur Aimoinus, nam in multiplicato oleo, mortui pueri suscitatione, leprosi curatione, deprehensis mappulis, ferro ex aquarum profundo ad manubrium redeunte, aliisque miraculis, eum veluti rediuiuum orbi repræsentauit.

In prophetiâ destructionis Monasterij sui, vt inquit

Isaia. Aimoinus, *seu subuersione Romana vrbis, Isaia vel potiùs Ieremia, qui ruinam vrbis Ierosolymorum, duplici planxit alphabeto, coaquetur.*

Tobiae: Pergit idem Aimoinus: *Tobias iunior, Archangelum Raphaëlem meruit itineris habere ducem: B. P.* BENEDICTO, *duo Angeli in figurâ iuuenum apparentes, ostendere ei viam, quà ad Castrum Cassinum pergere deberet.*

Danieli: *Daniel vir desideriorum, sagacitate astuta mentis furtiua sacerdotum Belis deprehendit conuiuia. Strenuus* BENEDICTVS *Spiritus sancti illustratus gratiâ, absentium fratrum sumptuosa cognouit, & detexit conuiuia. Ille Draconem extinxit, iste fugitiuo fratri, Draconis speciem obiecit, & antiqui hostis, qui in serpente figuratur, callidas persuasiones, in eius corde mortificauit.*

Assimilatur S. Ioanni Baptistae: Christi prodromo similis fuit, quod, vt aliàs diximus, in ipsâ pueritiâ deserti solitudinem elegerit.

S. Petro: Nec deest in quo Apostolorum Principi assimilari queat, vt enim ille Christo iubente super aquas ambulauit: ita ad S. P. BENEDICTI mandatum S. Maurus solido pede labiles calcauit vndas. Tabitham ad preces discipulorum Petrus excitauit à mortuis. Idem beneficium pluribus præstitit BENADICTVS. *CAPVT VIII.*

Denique Doctori Gentium illum coæquat ipse Gregorius, cùm cognitâ diuinitus Cassinensis Cœnobij desolatione, animas habitatorum eius loci eum obtinuisse narrat. *S. Paulo.*

Ex his patet, quàm verè *omnium Iustorum Spiritu plenus* fuisse dicatur. Antonius tamen de Yepez, eumque secutus Simon Milletius asserunt sanctissimũ Patriarcham omniũ iustorum Spiritu posse dici repletum, quòd in eo fuerint omnia ferè gratiæ gratis datæ munera, quæ Apostolus 1. Corinth. 12. ità enumerat: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alij autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum, alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* Hæc autem omnia, si donum linguarum excipias, in S. P. Nostro fuisse pluribus prædicti Auctores ostendunt, & ex huius historiæ decursu vtcumque potest intelligi.

14. SI ALIQVAS IN EIS VIRTVTES POSTMODVM OSTENDERIT INNOTESCE.] Frequenter Gregorius verbum INNOTESCIT actiuè sumit, pro, notum fac. Vide hom. 1. in Euang. *Redemptor noster .... quanta persecutiones praueniant,* INNOTESCIT. Hom. 10. *Loquentem Dominum loquentes nobis pradicatores* INNOTESCERENT. Hom. 15. *Exponendo ergo quod dixit, figuratè se loqui,* INNOTVIT. Et lib. 28. Moral. cap. 8. (Deus) *nobis mensuram humilitatis nostra* INNOTESCIT. Iustinianus Nouella 133. cap. 6. *Illi vero sub se constitutis Metropolitis mittent. Illi quoque aliis omnibus* INNOTESCENT *Episcopis, & per Episcopos omnia hac reuerendissimis Monachis, & Abbatibus eorum fient manifesta.* Quamuis autem Græco sermone Nouellæ Constitutiones fuot editæ, Latina tamen interpretatio veteris est, ac incerti Auctoris, quem Cuiacius hominem Græcum fuisse existimat, & quidem eruditum. Imitati & hoc sunt alij Ecclesiastici Scriptores. Richardus de S. Victore, lib. 2. de eruditione interioris hominis cap. 20. *Clamore vti solemus, quoties longè positis aliquid* INNOTESCERE *volumus.* Auctor libri de cognitione veræ vitæ, apud Augustinum tom. 9. (quem Bonauentura in prologo libri de itineribus æternitatis sub nomine Augustini citat) cap. 1. *de se intellecta alicubi* INNOTESCERE *compellit.* S. Bonifacius Archipræsul Moguntinus, frequenter in epistolis hoc modo loquitur. Vide Serrarium in Notis ad has epistolas. Petrus Damiani lib. 1. epist. 15. *Romanus quidam, quod factum erat,* INNOTVIT. August. Epist. 121. ad Probam: *Quantumq; in hoc desiderio profecerimus, nobisipsis* INNOTESCAMVS. Isidorus Hispalensis Epist. ad Redemptum Archidiaconum: INNOTVISTI *quippè nobis in animo tuo versari scrupulum.*

Verbum innotescit, actiuè sumptum.

15. CASTRVM NAMQVE QVOD CASSINVM DICITVR.] Adreualdus Floriacensis lib. 1. de mirac. S. Bened. cap. 4. *Cassinum*, ait, *quinquaginta fermè millibus a Sublacu distare. Nec fortuito celsa Cassini petiit iuga, in cuius recessu firmato, castrum olim conditum a veteribus incolis* HARVM *vocabatur.* Quod ex Paulo Diacono lib. 1. de gestis Longobard. *[Cas]sini descriptio.*

CAPVT VIII.

bard. cap.26. descripsit, vti & Aimoinus lib. 2. de rebus Francor. cap. 16. qui verba eius ità repræsentat. *His diebus beatissimus* BENEDICTVS *Pater, primùm loco, qui Sublacus dicitur, & posteà in castro Cassino, quod* HARVM *appellatur, & magnæ vitæ meritis & apostolicis virtutibus effulsit.* Porrò HARVM aliqui legunt CLARVM, atque vt Ortelius in thesauro ait, & AVARVM, apud Marianum Schotum, BAVRVM apud Blondum sextæ decadis cap. 1.

Philippus porrò Cluuerius Italiæ antiquæ lib.3. cap.8. notat *vltimum noui Latij, seu Volsci agri in viâ Latinâ fuisse Cassinum oppidum; quod in multis Auctorum exemplaribus gemino, SS, inuenitur Cassinum. Sed inscriptiones antiquæ, quotquot in meam peruenerunt notitiam, simplex habent S. Memoratur Catoni, Varroni, Ciceroni, Liuio, Columellæ, Straboni, Silio, Plinio, Itinerariis antiquis.* De nominis origine ità legitur apud M. Varronem de linguâ Latinâ lib.6. *Cascum vetus significat, Ennius enim ait:*

Quam primum Casci populi genuere Latini.

Item ostendit, quod Oppidum vocatur Cassinum. Hoc enim a Sabinis orti Samnites tenuerunt; & nunc nostri: Vnde & Cassinum forum, vetus est.

Fuit olim Romanorum Colonia, teste Frontino in libro de Coloniis, Municipium etiam posteà factum, ac vt Philippus Ferrarius in Topographiâ Martyrologij Romani ait: Ciuitas olim fuit Episcopalis Samnij, apud Campaniæ fines, ad fluuium eiusdem nominis iuxta radices labentis, nunc ciuitas iacet, successit sanum S. Germani ad montis radices ædificatum, inter Neapolim à quâ ad 48. millia passuum abit, & Sulmonū longiùs distantem. Antiquum autem Cassini oppidum, Cluuerius ait eo loci fuisse, quo suum S. BENEDICTVS extruxit Monasterium, quod & ipsum nomen Castri Cassini, tum situs in sublimi, quem veteres Auctores Cassino tribuunt, apertè declarat. Silius lib. 4.

Cassini monasterium in loco ciuitatis destructæ, erectum.

——— *& nebulosi rura* CASSINI.

Varronis villa.

Ceterùm sub Cassino oppido fuit Varronis villa, de quâ Cicero Philipp.2. *Ab hac perturbatione religionum aduolas in M. Varronis sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem,* quem sanè contaminatum ac velut profanatum à M. Antonio deplorat, cum paulò pòst ista subdit. *At quàm multos dies in eà villa turpissimè es perbacchatus? ab horâ tertiâ bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, quam dispari Domino! Quanquam quomodo iste Dominus? sed tamen, quàm à dispari tenebantur! Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud non libidinum diuersorium. Quæ in illâ villâ ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? Iura populi Romani: Monumenta Maiorum: omnis sapientiæ ratio, omnisq; doctrina.* Villam hanc amnis perfluebat, qui idem fortè fuerit, quem Plinius lib. 2. cap. 103. Scatebram nominat. *In Cassinate,* inquit, *fluuius appellatur Scatebra, frigidus, abundantior æstate.* Cluuerius notat hac naturâ, hodieque amnem in ipso S. Germani oppido, & sub mœnibus eius plurimis, vberrimisque fontibus erumpere, & post duo fermè millia passuum in maiorem influere fluuium. Loci ea commoditas eruditos inuitauerit viros, vt eo se conferrent, atque hinc Apollini sacer fuit. Vnde Silius lib. 12. ait:

——— *Nymphysq; habitata* CASSINI
Rura euastantur.

Ciuitati huic successit hoc Monasterium, à sanctissimo Patre BENEDICTO extructum, quod totius deinde Ordinis, omniumque Monasteriorum caput est, quia vt Vrbanus II. ait, in bullâ ad calcem Chronici Cassinensis adiectâ, *ex eodem loco, de* BENEDICTI *pectore monastici ordinis religio, quasi de paradisi fonte emanauit.* Monasterium hoc cum omnibus suis ædificiis & locis prout anno 1605. se habebat, fusè exactèque, vti præsens ipse vidit, descripsit Simon Milletius, aitque in Samnitum esse prouinciâ, siue in terrâ LABORIS: Distare Româ 72. Milliaribus siue 36. Leucis francicis: Neapoli Milliaribus 50. Capuâ 26. Caietâ 25. Sorâ 14. Aquino 9. Plinio autem lib. 8. cap. 11. & lib. 17. cap.4. Terra laboris vocatur LABORIA & LABORIVS CAMPVS, quòd ad sui cultum laboris exigat plurimum: quamuis miræ sit fertilitatis.

Illius status modernus.

16. IN EXCELSI MONTIS LATERE POSITVM.] Montium cacumina Monachos ad habitandum eligere solere, non semel obseruatum à Chrysostomo, qui homil 69. in Matthæum, de iis loquens. *Forum,* inquit, *& vrbes, & tumultus platearum fugientes in montibus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum his secularibus rebus commune est.* Idemque serm.2. de ieiunio tom.5. *Monachi turbulentæ conuersationi renuntiantes, & istius mundi delitias abdicantes, libertatis amœnitate allecti, montium cacumina postularunt: & tanquam tutum portum beatitudinis eligentes, ibi receptacula, tabernaculaq; componunt.* Sic olim Elias, & Helisæus in Carmelo monte habitarunt. Et Christus Dominus pro orationis loco montem eligebat: in monte suos docuit discipulos, pluresque sancti montana ad inhabitandum elegerunt, vt à terrâ remoti, Deo per contemplationem essent viciniores. Notat verò Yepez anno Christi 532. cap. 1. S. BENEDICTVM solitudinis amantem, pleraque monasteria in desertis & montibus ædificasse, vt ita Anachoreticam vitam perfectioribus qui eam desiderabant, posset indulgere. Ita in monte Maiellâ, vt Gordianus in vit. S. Placidi cap. 12. auctor est, *ab eodem Patre* BENEDICTO *monasterium Domini Liberatoris constructum est.* In hoc porrò monte (vt ex Leone Ostiensi lib.3. cap.5. postremæ editionis colligitur) Eremitæ, qui Deo secretiùs seruiebant, sub Prioris directione degebant.

Monachi montium inhabitatione gaudebant.

Viguit & alibi hîc mos S. BENEDICTI æuo. Cassiodorus enim diuinar. lection. cap.29. de suo Viuariensi monasterio ait: *Si vos in monasterio Viuariensi, sicut credere dignum est, diuinâ gratiâ suffragante cœnobiorum consuetudo competenter audiat,* (fortè arrideat) *& aliquid sublimius defectos animos optare contingat: Habetis montes Castelli secretis, vt vel Anachoretæ præstante Domino feliciter esse possitis. Sunt enim remota & imitantia eremi loca, quando muris pristinis ambientibus probantur inclusa.* Ex quibus verbis facilè apparet, quo animo & intentione, nostri montium iuga prælegerint. Si quis verò historias euoluere voluerit, in singulis penè regnis & prouinciis reperiet monasteria nostri Ordinis in montibus extructa, fine illo, quem diximus: & videre est hodieque eius exemplum in Monte Serrato, vbi plures in Monasterio Cœnobiticam ducunt vitam, alij sparsis hinc inde cellulis Anachoreticam exercent. Sed nunc ad Cassinum montem, cuius occasione nonnihil digressi sumus, reuertamur.

Tanta ibi viguit pietas, & religiosæ vitæ obseruantia, vt Carolus Magnus Imperator, versibus ad Paulum Diaconum huius Monasterij Monachum scriptis, eam celebrauit, quos

Huius monasterij olim pietas.

Leo

Leo Ostiensis lib. 1. cap. 17. ita describit:

Hinc celer egrediens, facili mea charta volatu,
Per syluas, colles, vallesque, prepete cursu,
Alma Deo cara BENEDICTI tecta require.
Est nam certa quies fessis venientibus illuc.
Hic olus hospitibus, pisces, hic panis abundat,
Lætus amor, cultus Christi simul omnibus horis.
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia fratrum.
Dic Patri, & sociis cunctis: saluete, valete:
Colla mei Pauli gaudendo amplectere benigne:
Dicito multotiens, Salue Pater optime, salue, &c.

Potentia: Venerandum autem hoc monasterium admirabilis olim fuit potentiæ: feruntur enim subiecti ei olim fuisse Episcopatus quatuor, Principatus Duo, Comitatus viginti, Ciuitates triginta sex, Castella ducenta & quinquaginta, Villæ quadringentæ quadraginta, Curtes trecentæ triginta sex, portus maritimi viginti tres, Insulæ triginta tres, Molendina ducenta, Territoria trecenta, Ecclesiæ mille sexcentæ sexaginta duæ: sed magnâ ex parte siue temporum iniquitate, siue iure belli hæc ablata sunt, quæ autem modò possidet vide apud Wion in Martyrologio 21. Martij. Encomia huius Monasterij ita quidam Abbas Cassinensis congregationis versibus expressit:

Encomia.

Hæc est illa domus montis veneranda CASSINI,
Vnde iter ad superos, lactea plaga capit.
Hæc est illa domus, hæc est illa inclyta sedes
Terra ingens, cælis proxima, grata Deo.
Hæc est illa domus, quâ sanctior altera non est,
Angelici reparans agmina lapsa chori,
Humanæ speculum vitæ, virtutis alumna,
Hæc est mortales, quæ facit esse Deos.

Denique vt multa, quæ de hoc monasterio dici possent, paucis absoluam, aliud non dicam, nisi quod Cardinalis Baronius Anno Christi 716. litteris commendauit: *Sed & illud,* inquit, *securè, & absque aliquâ trepidatione mendacij asseri iure potest, nullum vnquam Christiano orbe extitisse aliquando monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrinâ, tantâ numerositate, ad regimen sanctæ & Apostolicæ Sedis asciti fuerunt: vt planè dici possit, fuisse idem* SEMINARIVM SACRORVM ANTISTITVM.

17. APOLLO COLEBATVR.] Scribit in suo Martyrologio Arnoldus Wion ista huic loco opportuna: *Visitur adhuc in Cœnobio montis Cassini basis illa porphyretica, cui superpositum erat Idolum Apollinis: cuius loco sanctissimum Crucis vexillum à sancto Patre appositum est.* Milletius porrò ait, hodieque istic æneam videri Crucem columnæ impositam.

Apollini idolum, eique substituta à S. Bened. Crux.

Baronius anno 529. agens de S.P. BENEDICTO, ista subnectit: *Vt autem ad Cassini montem Christi Athleta diuinitus vocaretur, certamen quod aduersus dæmones, mox ibi esset initurus, causa fuisse videtur. Nescio enim quâ incuriâ dormitantium Episcoporum, qua longè lateque in Christiano orbe extincta erat idololatria, in monte illo altioribus fixa radicibus, adhuc vigebat. Ibi namque fortis armatus, tanquam impietatis arce munitus, cultum à sibi subditis, infæliciter exigebat. Sed cùm fortior ipso venit, penitus cedere cogitur. At quomodo id acciderit, à S. Gregorio paucis accipe.* Prosequitur deinde totam rei gestæ historiam, prout hoc capite à Gregorio narratur. Circa quæ Illustrissimi Cardinalis verba, nonnulla annotat Matthæus Laurettus, quæ hîc addenda putauimus.

Primum est, beatissimum Patrem BENEDICTVM diuinitùs electum, atque ad Cassini montem destinatum, vt incuriam & negligentiam dormitantium Episcoporum Cassinensium suppleret, atque idolorum cultum, adhuc hoc in monte vigentem, suâ sollicitudine & vigilantiâ radicitus extirparet, aboleretque; quod Deo præstante, & adjuuante fæliciter adimpleuit. Destruxit enim idolum, subuertit aram, succendit lucum, & suâ suorumque alumnorum continuâ prædicatione commorantem circumquaque multitudinem ad Christi fidem conuertit.

CAPVT VIII. Episcoporum defectum supplet.

Secundò notandum. Hanc diuinam missionem & directionem quâ almus Pater BENEDICTVS, ad hoc munus Apostolicum in his partibus obeundum, directus ac destinatus est, fuisse veluti quandam Dei electionem, quâ idem Pater sanctissimus, ad regimen & gubernationem animarum Cassinensis Diœcesis, (quæ proprio Pastore & Episcopo destitutæ, siue neglectæ infernalis leonis vnguibus laniabantur) assumptus est. Quarum salutem per se, suosque discipulos, omni studio, & sollicitudine, curare non destitit: sicque dormitantiam & incuriam Cassinensium Episcoporum suppleuit.

Habuisse verò priscis illis temporibus Ecclesiam Cassinensem suum proprium & particularem Episcopum, nullo modo est ambigendum, cùm legamus in 2. tomo Conciliorum, Seuerum Cassinatem Episcopum subscripsisse cuidam Concilio, Romæ in Basilicâ Constantianâ, sub Fœlice III. circa annum Domini quadringentesimum octogesimum tertium celebrato; cuius quidem Seueri vitam, Petrus Cassinensis Diaconus descripsit: atque in eodem Monasterio Seueri festum, die vigesimâ Iulij celebratur. Doctissimus etiam Pater Thomas Bozius, in egregio illo de Notis veræ Ecclesiæ opere, signo duodecimo, meminit Fortunati Episcopi Cassinensis, qui ex tempore, quo floruisse dicitur, videtur fuisse præfati Seueri in Episcopatu successor.

Episcopatus Cassinensis.

Postquam verò S. Pater BENEDICTVS ad Cassini montem venit, ibique sedem fixit, non ampliùs legimus Episcopos Cassinenses, vt vel hinc appareat, ex illo tempore Episcopatum Cassinensem, in Abbatiam S. BENEDICTI transmigrasse: quod nutu & dispositione diuinâ contigisse, ex prænarratis possumus rationabiliter affirmare.

in Abbatiam versus videtur.

Ex quibus euidenter apparet Abbatiam Cassinensem numquam extitisse intrà fines alicuius Diœcesis, sed ab initio suæ fundationis habuisse proprium & distinctum territorium, illud videlicet, quod priùs ad Cassinensem Diœcesim pertinebat. Constat proinde S. P. BENEDICTVM, vt ait D. Thomas opusc. 19. contrà impugnantes religionem cap. 4. *diuino iudicio reputatum fuisse idoneum, vt ei immediatè à Deo prædicationis committeretur officium.*

Aliis opusc. 25.

Fuit igitur S. BENEDICTVS Prædicator Apostolicus, immò fuit verè Apostolus, cùm fuerit homo missus à Deo, ad disseminandam fidem catholicam, in iis regionibus Idolorum cultui deditis, munusque sibi diuinitus traditum, virtutibus ac signis mirabilibus confirmauerit. Quod si verè dixit Beda in hist. de gestis Anglorum lib. 2. cap. 13. B. Gregorium Magnum Apostolum esse Anglorum, quia per discipulos suos Augustinum, Mellitum, aliosque Monachos gentem illam ab infidelitate ad fidem catholicam reduxit: non minori iure,

S. Benedictus prædicator apostolicus.

iure, & ratione dicimos nos, B. BENEDICTVM Apostolum esse harum regionum, cùm non solùm per discipulos, sed præcipuè per seipsum idola contriuerit, aras subuerterit, locos succenderit, ecclesias fundauerit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocauerit, vt Gregorius hoc capite affirmat.

Oraculum, quid.

18. ORACVLVM BEATI MARTINI.] Baronius hæc citans Annalium tom. 7. ad vocem ORACVLVM, asteriscum adiecit, atque ad marginem, quasi alibi sic legatur, reposuit, ORATORIVM; & ita intellexit Zacharias, vertens *εὐκτήριον*: sed & ipse Gregorius infrà cap. 30. & 37. bis nominat ORATORIVM. Oraculum autem, vt viri docti annotarunt, quandoque ponitur pro templo, in quo responsa dantur. Plin. lib. 12. cap. 23. *Ammoniaci lacrymam stillat in arenis suis: inde & nomen et Ammonis* ORACVLI, *iuxta quod gignitur Arbor.* Lexicon Philologicon Matthiæ Martinij: aliquando & ORACVLA loca orandi seu precandi, quæ aliter ORATORIA dicuntur, quia in illis Deus per preces consulitur. Anastasius Bibliothecarius, siue liber de vitis Pontificum Damasi nomine scriptus, in Paulo I. *Foris muros huius ciuitatis Romanæ nouiter* ORACVLVM *in honore sanctæ Dei genitricis construxit.* Paulus Diaconus lib. 4. cap. 22. vet. edit. Ascensianæ: *Pollicemur illi* (Ioanni Baptistæ) *omni anno in die natiuitatis, siue de nostris facultatibus transmissuros honorificè ad* ORACVLVM *eius, vt per illius interpellationem habeamus iuuamen Domini nostri Iesu Christi.* Idem Anastasius in Leone IV. *Ad laudem & gloriam ipsius B. Martini* ORACVLI, &c. Iterum in eodem: *Intra basilicam beati Petri Apostoli* ORACVLVM *miræ pulchritudinis summiq; decoris construxit.* Quem locum in Aduersariis suis sacris cap. 102. num. 15. citans Ludouicus de la Cerda, ait: idem omninò sunt ORACVLA, quod Capellæ.

Sacellorum SS. Martini & Ioan. Baptistæ situs, aliaq; qualitates.

Quod verò spectat situm vtriusque huius, tam S. Martini, quàm S. Ioannis Baptistæ Oratorij, non longè à se inuicem distabant. Illud enim, vt Gregorius ait, in ipso templo, hoc verò vbi Ara erat Apollinis, constructum fuit. Scribit verò Milletius, Idolum Apollinis in ipso cacumine montis olim collocatum fuisse, ac ibidem nunc esse sommum Altare, sub quo in crypta est sepulchrum S. P. BENEDICTI, & S. Scholasticæ. Oratorium verò S. Martino olim dedicatum fuisse, vbi nunc ferè est sacristia versus septeotrionem.

Porrò quòd nonnullis mirum fortasse videbitur, olim fuit vtrumque hoc sacellum extrà septa monasterij; quod in cliuo, siue in latere montis, vbi olim Castrum erat Cassinum, ædificatum fuit. Sacella autem hæc erant in ipso fastigio, quod tom temporis Cœnobij terminis, vti nunc non contineretor. Testis Milletius in annotat. ad cap. 30. huius libri, in quo ita legimus: *Quadam die dum ad beati Ioannis Oratorium, quod in ipsâ montis celsitudine situm est, pergeret; ei antiquus hostis in Malo-medici specie obuiam factus est.* Animaduertis, credo Lector, insinuari hîc virum sanctum ad montis supercilium ascendisse, eique aliquantum progresso in viâ occurrisse dæmonem; quod ne putes intrà monasterij contigisse septa: attende interrogatum eundem dæmonem respondisse: *Ecce ad fratres vado.* Cùm autem inde vlteriùs perrexerit Venerabilis Pater BENEDICTVS ad orationem, arguit hoc, orationis hunc locum remotiorem nonnihil fuisse à Cœnobio. Obseruat verò Milletius, Turrim in cuius summitate S. BENEDICTVS suam habebat cellulam, nunc in sacellum (vt alibi dicetur) conuersam, cui contiguum erat Religiosorum dormitorium; abesse à S. BENEDICTI sepulchro hodie S. Ioannis Baptistæ Oratorium ducentis minimum, vel trecentis passibus. Proinde non fuit sanctissimus Pater BENEDICTVS sepultus intrà monasterij septa Nec verò id adeò nouum, nam & S. Pachomij Oratorium extrà Monasterium erat: scribit enim Palladius in Lausiacâ cap. 20. S. Pachomium manum Macarij prehendisse & eduxisse foras, cum deduxisset in domum Oratorij vbi erat ara, rogasse vt discederet.

Neque verò miteris, geminas à sancto BENEDICTO, nec longo ab inuicem spatio seiunctas excitatas esse ecclesias. Illud enim in pluribus aliis Ordinis nostri contingit Monasteriis. Et S. Maurus, vt auctor est Faustus in vitâ, *in ipso monasterio quatuor ædificauerat Ecclesias; quarum maior, in quâ fratres tam ad diurnum quàm ad nocturnam conueniebant officium, consecrata est in honore B. Petri Apostolorum Principis. Secunda in honore B. Martini. Tertia verò, quæ & minor erat cæteris, in veneratione S. Seuerini. Quarta autem quæ in modum turris quadratâ in ingressu monasterij altissimè ædificata est, benedicta fuit in honore Sancti Archangeli Michaelis.*

Plures in eodem Monasterio ecclesias haberi, olim vsitatum.

Vlteriùs porrò, & hic notes, primos eosdemque præcipuos S. BENEDICTI discipulos parentem suum in templorum dedicatione fuisse imitatos. Nam vt hic S. Maurus beato Martino, ita Messanæ S. Placidus Præcursori Domini templum excitauit.

Quid autem, cùm Cassinum appulisset, Sanctus egerit Pater, ita in historiâ Longobardorum aperit Paulus Diaconus: *Hic autem beatissimus* BENEDICTVS, *in Cassini arcem perueniens, in magnâ se semper abstinentiâ coarctauit, sed præcipuè quadragesimæ tempore inclusus, & remotus à mundi strepitu mansit.* Acta S. Placid cap. 8. ita habent: *Cumq; ad Cassinum Castrum* BENEDICTVS *Pater peruenisset, per quadraginta dies, non longè à templo Apollinis Deum Omnipotentem orans permansit.*

19. MALEDICTE ET NON BENEDICTE.] Baronius hic annotat: *Intelligis ex his, puto, Lector, cuiasnam lingua loquantur, quóve spiritu agitentur, infelicissimi Nouatores, qui in eumdem sanctissimum virum, aliosq; à Deo benedictos monachos maledicta & contumelias iaculari non cessant.* Vnde idem Cardinalis alibi Centuriatores taxat, quòd ex obstinatâ Romanis Pontificibus detrahendi malitiâ, Bonifacium I. dicteriis perstringant, & frigidâ nominis inuersione *Malefacium* nominent, sicut & Innocentium ipsius prædecessorem, *Nocentium*; successorem verò Cælestinum, *Infernalem* fatuis derisionibus appellent. Similiter Serario annotatum (in symbolum Athanasianum) num. 9. disp. 1. Georgium quemdam nigrum, & alios quosdam, sanctissimi viri confessionem fidei appellare *Sathanasij symbolum.*

Hæreticorum in Monachos ac Papas calumnia.

Anno Christi. 419.

CAPVT IX.

DE INGENTI SAXO PER DEI ORATIONEM LEVATO.



VADAM die dum fratres [1] habitacula eiusdem cellæ construerent, [2] lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumque eum duo vel tres leuare non possent, plures adiuncti sunt, sed ita immobilis mansit ac si radicitùs in terrâ teneretur, vt palàm daretur intelligi, quòd super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur factâ, ad virum Dei missum est, vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens benedictionem dedit, & tantâ lapis celeritate leuatus est, ac si nullum priùs pondus habuisset.

Lapis diabolicâ operatione immobilis, Sancti oratione motuì resistuntur.

COMMENTARIVS.



1. HABITACVLA EIVSDEM CELLÆ CONSTRVERENT.] Animaduertis hîc, Lector, Cassinense monasterium, quod fortissimum aduersus antiqui hostis machinationes futurum erat castrum, non ab aliis, quàm ab ipsis religiosis, dirigente S. Patre BENEDICTO, fuisse extructum. Ex quo simul colligas, nullâ curiositate, aut exquisitâ arte; sed ad religiosam modestiam & simplicitatem ædificatum fuisse. Infrà quoque cap. 22. videbimus ipsum S. P. BENEDICTVM, fratribus qui iuxtà Taracinensem Vrbem monasterium ædificaturi erant, addixisse venturum se, & designaturum loca singula vbi construere Oratorium, Refectorium, & susceptionem hospitum deberent. Quod noctu in somnis Abbati & Præposito apparens, perfecit, & posteà mandat eis; *Ite & sicut Dei visionem vidistis, omne habitaculum Monasterij construite. Qui hæc audientes, & vehementer admirati, ad prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula, sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt.* Sic ibi. Quod à S. Patre acceptum exemplum meritò sibi imitandum proposuit Wilhelmus Hirsaugiensis Abbas, cui cùm in votis esset *Monasterium construere, id nouem annis per Monachos suos perfecit: quippe cùm fermè essent ducenti numero, erant inter eos latomi, fabri lignarij, ferrariiq; & Architecti in omni arte & scientiâ architecturæ peritissimi, quo totum opus sine adiutorio secularium artificum egregio tabulatu, vt hodie cernitur ecclesia, consummarunt.* Ita Trithemius in Chronico Hirsaugiensi anno 1082.

In constructione Monasterij Cassinensis S. BENEDICTVS architectus, fratres verò fabri.

Et iam olim ipsi sibi Monachi claustra, cellasque ædificabant, quod plurimum commendat Bernardus in epistolâ ad fratres de monte Dei. *Amputa,* inquit, *Domine opprobrium centum solidorum à cellis pauperum tuorum. Cur non potiùs centum denariorum? cur non potiùs nullorum? Cur non potiùs gratis filij gratiæ ipsi sibi ædificant? Quid responsum est Moysi cùm consummaret tabernaculum? Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Non à secularibus hominibus decet fieri tabernaculum Dei cum hominibus. Ipsi quibus in altitudine mentis ostenditur exemplar veri decoris domus Dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi quibus sollicitudo interiorum suorum contemptum & negligentiam indicit omnium exteriorum, ipsi ædificent sibi formam paupertatis & sanctæ simplicitatis speciem, & paternæ frugalitatis lineamenta. Nulla sic aptabit artificum industria, sicut eorum negligentia.* Sic ille. Laudem porrò hanc assecuti sunt, qui Cisterciensis Ordinis fundamina iecerunt. Illi enim, vt in vitâ S. Roberti cap. 3. refert Chrysostomus Henriquez fascicul. SS. Ordin. Cistert. dist. 1. In solitudine, quam Molismum vocant, *propriis manibus laborantes, ramos de arboribus amputauerunt, atque ex his domicilia in quibus possent quiescere construxerunt. Oratorium quoque simili schemate ædificarunt.*

Olim monachi sibi claustra cellasque ipsi ædificabant.

Exod. 25.

Verùm, vt illi in hoc S. P. BENEDICTI æmulati sunt exemplum: ita ille veterum sine dubio sectatus est Monachorum vestigia. Nam prisci Anachoretæ mansiones sibi eremiticas ipsi struebant. Fortiores subinde reliquis auxilio in construendis domiciliis fuere. Dorotheus enim Thebanus, per integros ferè dies, à vicino mari lapides colligebat, vnde singulis annis vnum monasterium extrueret pro his, qui sibiipsis ædificare nequibant. De S. Martino eiusque discipulis scribit Seuerus Sulpitius, quòd primò Mediolani monasterium statuerit, sed inde per Auxentium Arianum deturbatus, in Galliam venit, ibique aliud sibi monasterium in agro Turonensi extruxerit: quo loco alij octoginta ipsius discipuli monasteria sibi quisque erexêre: vbi omnia sub tanto Magistro habebant communia. Sed ad nostrorum substructionem reuertamur.

Sozom l. 6. cap. 29. Niceph lib. 11. cap. 35.

2. LAPIS IN MEDIO IACEBAT.] Superesse hoc saxum vsque in hodiernum diem, scribit Simon Milletius, & etiamnum videri in latâ illâ & quadratâ areâ, quæ Cassinense monasterium ingredientibus est ad dexteram, ex opposito cellulæ S. P. N. BENEDICTI. Vidi, inquit, ipsum & tetigi, nec est vt quispiam in deuastatione ac direptione monasterij credat ablatum: cùm eodem modo, quo columna, cui Apollinis imposita erat statua relicta fuit, & hic remanere potuerit lapis, quem vt ex crassitie colligere licet, apparet duorum circiter Modiorum vini pondus habere. Sic ille.

Lapis diabolicâ virtute immobilis.

Notat

CAPVT IX.

Notat porrò Christianus Massæus lib. 12. ad annum Christi 530. multos nobiles ad S. BENEDICTVM in montem Cassinum, relicto sæculo commigrasse. Quod hoc loco annotandum fuit, habitâ, ni fallor, temporum ratione; quamuis ex omni hominum genere plures ad eum confluxisse discipulos, postquam Cassinum inhabitare cepit, minimè sit dubitandum.

CAPVT X.

DE PHANTASTICO COQVINÆ INCENDIO.

CAPVT X.



TVNC in conspectu viri Dei placuit, vt in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam casu in coquinam proiecto, [1] exire ignis repentè visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur, ostendit. Cumque iaciendo fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos quos phantastico reperit igne deludi vocauit, fratres monuit vt oculos suos signarent, vt & sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

Fratres phantastico igne a diabolo delusos, liberat.

COMMENTARIVS.

1. EXIRE IGNIS REPENTE VISVS EST.] Ex hoc, & præcedenti, ac sequenti capite videre licet, quod hostis antiquus S. Patri mouerit prælia, à quo, vt suprà dixit Gregorius, magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur. Et quidem à tanto Patre gloriosè deuictus, filios ac discipulos aggressus est, vt quacumque tandem ratione posset monasterij substructionem, in quo tot futuri erant Sancti, impediret. Sed misericors Deus gratia non est passus inferri nocumenta: etenim cum dæmoni, Deo permittente, difficile non fuisset verum excitare incendium, & ædificia subruere; id illi minimè concessum fuit. Phantasticus enim hic fuit ignis, & mera diaboli illusio: non enim S. P. BENEDICTI, sed fratrum tantùm oculos potuit perstringere. Exarsit autem aduersus hunc locum diaboli inuidia, tum quòd fortis armatus, qui sibi sub Apollinis nomine sedem cultumque habuerat, atrio suo pulsus esset; siue quòd non ferret commorantem circumquaque multitudinem, continuâ S. BENEDICTI prædicatione ad Christi fidem vocari; siue quòd, vt diximus, futuram monachorum sanctitatem & continuas Dei laudes, quæ ibidem tot inde sæculis frequentarentur, ferre non posset.

Diabolus mouet prælia S. Patri: mouet & discipulis.

Cur tanto in Cassinum exarserit odio?

Docet autem Petrus Tyræus lib. de locis infestis part. 1. cap. 14. dæmones inter cætera illa potissimùm infestare loca, in quibus gentilium viguere superstitiones, atque illa, in quibus insignis sanctimoniæ & pietatis homines commorantur, quod Maiorum historiæ & exempla demonstrant. Refert enim Cassianus Collat. 7. cap. 23. tantam olim aduersus Anachoretas dæmonum fuisse ferociam, *vt vix pauci & admodum stabiles, atque ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobiis, in quibus commorabantur octo vel decem, ita eorum atrocitas grassabatur, & frequentes ac visibiles sentiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes, psalmis & orationibus seu lectionibus inhærebant. Cumque illos ad soporem naturæ necessitas inuitaret, expergefacti aliis ad eorum, qui dormituri erant, custodiam, similiter excubias tradebantur.* Sic ibi.

Infestat potissimum loca olim superstitiosa, & à Sanctis inhabitata.

Quantâ verò diabolus aduersus Cluniacum fremuerit inuidiâ, exponit Petrus venerabilis lib. 1. de miraculis cap. 12. & sequentibus. Notæ erant S. Antonio hæ diaboli aduersum monachos insidiæ, qui, vt Athanasius habet in vitâ, dicere solebat: *Credite mihi, odio prosequitur, & pertimescit Sathanas Sanctorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, humilitatem; maximè autem ardentem amorem in Christum Dominum.*

Porrò, quod hoc miraculum spectat, imitatus illud est S. Cuthbertus Episcopus; qui populo prædicans, phantasticum à diabolo excitandum incendium prædixit; & excitatum oratione suâ extinxit. In quo, vt Beda in vitâ cap. 14. ait: *Virtutem reuerendissimi & sanctissimi Patris* BENEDICTI *est imitatus, qui simulatum ab antiquo hoste quasi ardentis coquinæ incendium ab oculis discipulorum orando pepulit. Nec mirandum perfectos & fideliter Deo seruientes viros tantam contra vim flammarum accipere potestatem, qui quotidianâ virtutum industriâ & incentiua suæ carnis edomare, & omnia tela nequissimi ignea nôrunt extinguere. Quibus aptissimè congruit illud propheticum: Cùm transieris per ignem, non combureris; & flamma non ardebit in te.* Hactenus Beda.

CA-

CAPVT XI.

DE PVERO CONFRACTO A PARIETE, SANATO.

RVRSVM dum fratres parietem, quia res ita exigebat, paulò altiùs erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, & ei, quòd ad laborantes fratres pergeret, indicauit. Quod vir Dei per nuntium celerrimè fratribus indicauit, dicens: Fratres, cautè vos agite: quia ad vos hâc horâ malignus spiritus venit. Is qui mandatum detulit, vix verba compleuerat, & malignus spiritus eumdem parietem, qui ædificabatur, euertit, atque vnum [1] puerulum monachum cuiusdam curialis filium opprimens, ruina contriuit. Contristati omnes, ac vehementer afflicti non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili patri BENEDICTO celeriter cum graui luctu nuntiarunt. Tunc idem Pater BENEDICTVS dilaceratum puerum ad se deferri iubet. Quem portare [2] non nisi in sago potuerunt: quia collapsi saxa parietis non solùm eius membra, sed etiam ossa contriuerant. Præcepitque vir Dei statim eum in cellâ suâ in [3] psyathio, quo orare consueuerat, proiici, missisque foras fratribus cellam clausit, qui orationi instantiùs quàm solebat incubuit. Mira res, eâdem horâ hunc incolumem, atque vt priùs valentem ad eumdem iterum laborem misit, vt ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cuius se interitu antiquus hostis BENEDICTO insultare credidisset.

Diabolus muri euersione monachum oppressum interimit contritum. *quem oratione S. BENEDICTI operi suo restituit.*

COMMENTARIVS.

1. PVERVLVM MONACHVM.] Acta S. Placidi, Gordiani nomine scripta cap. 10. habent puerum hunc monachum, SEVERVM fuisse dictum.

2. NON NISI IN SAGO POTVERVNT.] Legendum omninò, in SAGO, non in SACCO, vt habent plura edita exemplaria, & versiones Gallicæ. Constat ex Zachariæ translatione, quæ habet ἐν ζαγίῳ, & vitâ S. Placidi: quem in SAGO ad Patrem BENEDICTVM portantes.

3. IN PSIATHIO.] In quodam textu interpretamentum hoc irrepsit, *quod vulgo matta vocatur.* PSIATHVS autem, siue PSIATHIVS, vel PSIATHIVM, est teges, siue storea ex iunco, vel papyro confecta. De vario eius apud monachos vsu, egimus in *Disquisitionibus*, vbi ostendimus eis fuisse pro lecto, pro stragulo, pro sedili, atque, vt hîc patet, pro eo, quod genibus orantes substernebant, in quâ significatione vsurpatur à S. Petro Cluniacensi lib. 2. epist. 50. *Mattas, antiquum Monachorum opus, compone, super quas aut semper aut sæpe dormias, quas quotidianis & frequentibus lacrymis infundas, quas frequenti genuum coram Deo inflexione atteras.*

Psiathus, quid.

Simile prorsus huic miraculum legitur de S. Mauro, dum suum ædificaret monasterium. Clericus enim qui cæmentariæ arti præerat, ex altissimis gradibus, in quibus operarij stantes, altiùs iam porrectam ædificabant maceriem, retrorsum corruens, super deportatum illuc montem lapidum cecidit. Cumque eum omnes mortuum crederent, ac de solâ eius sepulturâ tractarent, S. Maurus oratione & signo Crucis eum sanum reddidit; & ad perficiendum opus remisit. Admirans, qui aderat Florus, dixit: *Verè discipulus est beati* BENEDICTI, *de quo talia narrari frequenter audiuimus.* Hæc Faustus in vitâ.

CAPVT XII.

DE MONACHIS QVI EXTRA CELLAM COMEDERANT.

S. Benedictus prophetico claret spiritu.

ERAT verò inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollêre, ventura prædicere, præsentibus etiam absentia nuntiare. Mos etenim cellæ fuit, vt quoties [1] ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potumque extra cellam minimè sumerent. [2] Cumque hoc de vsu regulæ sollicitè seruaretur quadam die ad responsum fratres egressi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt horâ demorari. Qui manere iuxtà religiosam feminam nouerant, cuius ingressi habitaculum sumpserunt cibum. Cumque iam tardiùs ad cellam rediissent, benedictionem patris ex more petierunt. Quos ille protinùs percunctatus est, dicens: vbi comedistis? Qui responderunt: Nusquam. Quibus ille ait: Quare ita mentimini? Numquid illius talis feminæ habitaculum non intrastis? Numquid hos atque illos cibos non accepistis? numquid tot calices non bibistis? Cumque eis venerabilis pater & hospitium mulieris, & genera ciborũ & numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinùs [3] culpæ pœnitentiam pepercit, perpendens quòd in eius absentiâ vltra non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent.

COMMENTARIVS.

Responsum, pro negotio.

1. AD RESPONSVM.] Benedictina phrasis, cap. 51. Regulæ occurrens: *Fratres, qui pro quouis* RESPONSO *proficiscuntur.* Responsum autem quoduis negotium significare arbitror, quâ voce & alibi Gregorius vtitur. lib. 11. Regist. epist. 47. *Ad vrbem Regiam pro faciendis* RESPONSIS *transmittimus.* Hinc RESPONSALIS nominatus negotiorum gestor, eodem loco: *Ante enim hoc temporis Bonifacij Chartulary* RESPONSALIS *mei, qui in vrbe regiâ demoratur.* Et lib. 4. Epist. 54. *Multi apud ciuitatem fraternitatis vestræ* RESPONSALES *sæpius fuerunt.* Græcè dicitur *Apocrisiarius, ὁ ἐπὶ τῶν ἀποκρισιμάτων* à RESPONSIS. In Prato spirituali Cap. 88. habes *Thomam Apocrisiarium Cœnobij.* Plura vide apud Rosweydum in Onomastico ad vitas Patrum. Zacharias hoc loco aptè reddidit, *διακονίαν.* Sed cur negotium, aut rem quamuis procurandam dixêre RESPONSVM? Ludouicus Cresollius Mystag. lib. 2. in Disput. Critica sect. 10. respondet: Quod in Græcis esset *ἀπόκρισις*, quod minùs attendentes verterunt, RESPONSVM. In Prato Spirit. cap. 105. Monacho Crucem adorare volenti, & in ostio subsistenti suggerebant cogitationes: *Vade & fac* RESPONSVM, *& aliâ vice adorabis.* In Græco erat, *ποίει ἀπόκρισιν*; quod Cresollius vertit: *Confice negotium tibi iniunctum.* Atque ita eruditissimis viris eximitur scrupus, cùm locum hunc mendosum suspicati sunt. In eodem libro cap. 205. dicitur Monachus missus, *pro* RESPONSIS *Cœnobij*; id est, negotiis.

Regula seruata tempore S. Benedicti.

2. CVMQVE HOC DE VSV REGVLÆ SOLLICITÈ SERVARETVR.] Locus hîc, si quis alius, erroris redarguit eos, qui asserere nisi sunt: *absque scriptis à S.* BENEDICTO *Regulis, non solùm ipso* BENEDICTO *viuente, sed & post mortem eius, vsque ad Abbatem Simplicium Benedictinos Monachos in Italia gubernatos.* Quod enim hîc dicitur, *Ex vsu Regulæ sollicitè seruatum,* id & viuente S. BENEDICTO; & in Italiâ factum sine dubio fuit. Idipsum manifestiùs expressisse videtur Zacharias, qui lemma capitis sic vertit: *De monachis cibum sumentibus contra Regulam.* Et capitis principium sic repræsentat: *Regularis institutio viri sancti in monasterio lege erat sancita.* Et paulò pòst: *Atque hæc* REGVLA *exactè ab eis seruabatur.* Hoc autem mandatum in Regulâ expressum legitur cap. 51. Frustrà igitur sunt, qui non nisi post mortem S. Patris, volunt Regulam fuisse promulgatam & obseruatam, de quibus actum in *Disquisitionibus.*

Pœna foris manducantis.

Quod verò hîc dicitur sollicitè fuisse seruatum, arguit transgressionem magni à S. BENEDICTO æstimatam, quàm nimirum excommunicatione voluerit puniri. Sic enim ait: *Fratres qui pro quouis* RESPONSO *proficiscuntur, & eâ die sperant reuerti ad monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi à quouis rogentur: nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint excommunicentur.* Quam pœnam, ne quis miretur, scribit Smaragdus, iuxta Canones similem culpam puniri solitam separatione triginta dierum à communione, aut plagis virgarum. Vide quæ dicta sunt in *Disquisitionibus.*

3. CVLPÆ POENITENTIAM PEPERCIT.] Alia quædam exemplaria, & nouissima editio Antuerpiensis, ex Vaticanâ expresâ, sic habet: *Culpæ pœnitentiam præcepit.* Contrario scilicet sensu; quasi iniungeret & præciperet eam pœnitentiam, ab iis

ab iis pro culpâ impleri, quæ Regula est constituta, quæ ait: *Quod si aliter fecerint, excommunicentur.* Gallica translatio habet: Et continuò pœnitentiam iniunxit. Sed præferenda prior lectio, cui fauet Zacharias, vertens: *Ipse autem mitissimus Pater confestim peccatum relaxauit.* Et huius indulgentiæ rationem reddere videtur Gregorius, dum subdit: *Perpendens quòd in eius absentiâ vltrà non facerent, quem præsentem sibi in spiritu scirent.* Et hoc modo intellexit, Carpenteius hunc locum ita exprimens: CAPVT XII.

Conuicti veniam petiêre, feruntq; petitam.

CAPVT XIII.

DE FRATRE VALENTINIANI MONACHI, QVEM VIR DEI IN VIA COMEDISSE CARPSIT.



FRATER quoque Valentiniani eius monachi, cuius superiùs memoriam feci, vir erat laicus, sed [1] religiosus. Qui [2] vt serui Dei orationem perciperet, & germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam eius ieiunus venire consueuerat. Quâdam igitur die, dum iter ad monasterium faceret, sese illi [3] alter viator adiunxit, qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumque iam hora tardior excreuisset, dixit: veni Frater sumamus cibum, ne lassemur in viâ. Cui ille respondit: Absit Frater, hoc non faciam: quia ad venerabilem Patrem BENEDICTVM ieiunus semper peruenire consueui. Quo responso, percepto ad horam conuiator tacuit. Sed cùm post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit, vt manducarent. Noluit consentire qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidem qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum consensit. Cumque iter longiùs agerent, & eos tardior hora fatigaret, ambulantes inuenerunt in itinere pratum & fontem, & quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conuiator ait: Ecce aqua, ecce pratum, ecce amœnus locus in quo possumus refici & parum quiescere, vt valeamus iter nostrum postmodùm incolumes explere. Cùm igitur & verba auribus & loca oculis blandirentur, tertiâ admonitione persuasus, consensit & comedit: [4] vespertinâ verò horâ peruenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili BENEDICTO patri, sibi orationem petiit: Sed mox ei vir sanctus hoc quod in viâ egerat improperauit, dicens: quid est frater quod [5] malignus hostis, qui tibi per conuiatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, & te ad hoc quod voluit superauit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus tantò magis cœpit culpam deflere & erubescere, quantò se cognouit etiam absentem in BENEDICTI Patris oculis deliquisse.

CAPVT XIII.

Obiicit cuidam, quod absens commiserat.

PETRVS.

Ego sancti viri præcordiis Helisæi spiritum video inesse, quia absenti discipulo præsens extitit.

COMMENTARIVS.

1. 

RELIGIOSVS.] Græca metaphrasis: *forma pulcher, moribusq; probus, & valdè amans monachorum.*

2. VT SERVI DEI ORATIONEM PERCIPERET.] Princeps causa frequentandi quotannis Cassinense Monasterium hic ponitur, pia & religiosa visitatio S.P. BENDICTI; atque, vt Gregorius loquitur, *vt seruus Dei orationem perciperet*; siue vt habet Zacharias: *vt frueretur, atque emolumentum caperet ex eius doctrinâ, anima perquam vtili.* Quâ causâ olim plerosque etiam Anachoretas aditos fuisse, Sanctorum docent historiæ. De S. BENEDICTI verò hospitalitate, ita in Regulæ explicatione S. Hildegardis: *Illo tempore, monachi tumultum superuenientium extraneorum nondum sentiebant,*

Cur monasteria olim à laicis frequentari solita.

CAPVT XIII.

tiebant, sedqui eo adibant Christum & non aliud ibi quærebant, quem etiam in sanctis operibus ibi inueniebant.

3. ALTER VIATOR ADIVNXIT.] Ignotum hunc planè, & ex improuiso accessisse habet Zacharias: dæmonem fuisse, ex S. BENEDICTI verbis suspicatur Iulius Nigronus tract. Ascetico 10. part. 2. §. 42.

4. VESPERTINA HORA PERVENIT AD CELLAM.] Quomodo venientes hospites vir sanctus excipere soleret, ex iis, quæ in Regulâ præscripsit, non difficulter potest intelligi; cùm vt scripsit, ita etiam vixerit. Sed iubet S. Hildegardis hic apponere testimonium, quæ citato loco, sic ait: *B. P. BENEDICTVS cum hospites quos susceperat, comesturi essent, aquam manibus eorum porrexit: & cum a mensâ surrexissent pedes eorum lauit: & hoc propter exemplum filij Dei, quod in cœnâ discipulis exhibuit, fecit: exceptis mulieribus, quarum pedes non tetigit, sed contemptum mundi & in habitu, & in sanctâ conuersatione suâ eis ostendebat.*

S. Benedicti erga hospites officium.

5. MALIGNVS HOSTIS.... TE AD HOC QVOD VOLVIT SVPERAVIT.] Adfert hoc exemplum Franciscus Arias, Societatis Iesu Theologus, in tractatu de sui mortificatione part. 1. cap. 4. vt probet gratiam Deo, nobisque salutarem mortificationem, non solùm in rebus magnis, sed etiam in paruis & leuibus. *In his enim,* inquit, *homo & excellentius virtutis exemplum præbet, & plus seipsum abnegat: & magis diuinum amorem declarat, quàm in præstandis vel deuotionis, vel misericordia operibus.* Et paucis interiectis, ita subiungit: *Certè ab roborandam magis imbecillitatem nostram, voluit Dominus illustria quoque huius rei nobis relinqui exempla; vt & illud apud B. Gregorium de sæculari quodam, religioso tamen viro, qui quotannis consueuerat inuisere S. BENEDICTVM, &c.* Recitatâ verò totâ historiâ, ita concludit. *In quo exemplo notandum est, quantum illius parua mortificationis fuerit meritum, cui tot insultus fecit dæmon per illum viatorem, quamque Deus patefieri voluit S. BENEDICTO, ne sæcularis ille homo tanti boni in posterum iacturam faceret.*

Mortificatio in rebus leuioribus vtilissima.

Doctrinam hanc valdè illustrat Ludouicus Blosius in Institutione spirituali cap. 2. §. 5. vbi sic ait: *Quando quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriæ, etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam reuocaret. Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed melius deliberans diceret sibi ipsi, dimitte eum propter Deum: alter verò nihil præmeditatus, carperet florem: iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cœli à terrâ.* Sic ille.

Quoniam autem hoc punctum maximæ est vtilitatis, & ad religiosos cum primis spectat, subiungo hîc aliquos, qui fusiùs illud sunt prosecuti. Legi enim de hac re potest S. Dorotheus serm. 1. de Obedientiâ & submissione propriæ voluntatis, Aluarez de Paz tom. 2. part. 1. cap. 16. Antonius Molina tract. 1. de Orat. cap. 15. Hieremias Drexelius in Amussi lib. 2. cap. 3. §. 5. Alphonsus Roderiguez part. 2. tract. 1. cap. 13. & 16. Iulius Nigronius sparsim in tractatu Ascetico 10. & præsertim part. 3. cap. 3. num. 52. & alij plures.

ADDITIO.

De transmissione S. Placidi in Siciliam.

COmmodum hîc, ea S. BENEDICTI repræsentanda videntur gesta, quæ in S. Placidi vitâ commemorantur: etenim cùm ille martyrio perfunctus sit, antequam Gothorum Rex Totila sanctum adiret BENEDICTVM; eius narrationi hæc acta præmittere temporis ratio postulat. Chronologiam enim in texendâ hac S. Patris vitâ, à sancto Gregorio neglectam non ignoramus. Post narratum igitur resuscitati à S. BENEDICTO pueri miraculum, de quo cap. 11. actum, ista subnectit Gordianus, vel quisquis est vitæ S. Placidi scriptor: constat enim plures in hanc historiam irrepsisse errores.

Cùm ad aures Tertulli Romanæ curiæ Patricij peruenisset, quod sanctus Domini BENEDICTVS vnà cum Placido eiusdem Patricij filio, & discipulo suo Mauro in suâ possessione Cassini monasterium construxit, gauisus est gaudio magno, filioque suo dirigere studuit, vt Patris BENEDICTI voluntatem super suo aduentu perquireret, & sibi remitteret. Velle enim se aiebat, si id seruo Domini placeret, & Cassinense Cœnobium, & Placidum filium suum videre. Quæ cùm idem sanctus Placidus Patri BENEDICTO retulisset, vir Dei respondit sibi placere, vt tam idem Patricius, quàm amici eius ad monasterium visendum venirent. Placidus autem certum diem Tertullo Patri suo, quo ad cœnobium visendum venire deberet, & iuxtà quod Pater BENEDICTVS in mandatis dederat, transmittere studuit. Qui confestim accersitis ad se nobilissimis de ciuitate Romæ viris Boetio, scilicet, Symmacho, Vitaliano, Gordiano atque Equitio, ascensis equis concito gradu ad prædium possessionis suæ, quod ei de paternâ hæreditate obuenerat, Cassinum peruenit. Cuius aduentus dum Patri BENEDICTO nuntiatus fuisset, cum discipulis suis Placido & Mauro ante ianuam monasterij in eius pergit occursum. Patricius autem beatissimum Patrem BENEDICTVM corpore præ abstinentiâ exhaustum perspiciens, de equo, quo insederat celeriter descendit, & ita vt erat auro gemmisque ornatus in terram corruens, deosculabatur vestigia eius. Quem Pater sanctissimus à terrâ eleuans, & ad pectus suum constringens, deosculatus est. Demum verò in Ecclesiam sancti Confessoris Christi Martini inducens, & præ gaudio in fletum prorumpens, illum & reliquos in fratrum conuentum deduxit. Tertullus verò deosculatâ omni congregatione rogauit Patrem BENEDICTVM, quatenùs eum fratres dignarentur in suam recipere societatem. Qui cum celeriter eâ, quâ summâ deuotione poscebat, vnà cum Patriciis, Consulibus, ac Senatoribus, qui cum eo venerant, impetrasset, Deo, & eidem Patri beatissimo BENEDICTO totum ex integro Cassinum montem cum vniuersis pertinentiis suis, atque à suo proprio iure illum abscindens, eidem Patri tradidit in perpetuum possidendum. Conuocansque ad se Reipublicæ primiscrinium, testamentum iuxtà morem Romanum conscribi fecit, ab omnium mortalium iure atque dominio locum eumdem perpetuò mansurum alienum decernens.

S. Placidi pater aliique consanguinei Cassinum veniunt.

Occurrit BENEDICTVS.

Mutua in congressu charitatis officia.

Tertullus Cassinensium confraternitatem expetit:

eorumque possessioni Cassinum montem tradit.

Vides hîc, benigne Lector, peruetustam consuetu-

Religiosorum confraternitatem ambire, antiquum.

ſuetudinem petendi à Religioſorum Antiſtitibus confraternitatem, vt aiunt, & ſocietatem, ſiue omnium laborum, precum & mortificationum, quæ in Ordine fiunt, communionem, quam paſſim legere eſt, magnos etiam viros ambiuiſſe, & impetraſſe. Sic quoque legimus Theodebertum Francorum Regem à beato Mauro petiiſſe, *vt fratres eum in ſuam recipere dignarentur ſocietatem, & nomen eius inter ſua nomina ſcribere*, vt loquitur Fauſtus in vitâ S. Mauri. Eodem fortè ſpectat & illud, quod habet Auguſtinus in libro de bono viduitatis ad Iulianam, hunc enim librum (vtcumque reclamet Eraſmus) pro Auguſtini agnouit Poſſidij indiculus, venerabilis Beda, Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptorib. Eccleſ. *Obſecro vos*, inquit, *per illum à quo donum hoc accepiſtis, & huius doni præmia ſperatis, vt me quoq; orationibus veſtris memineritis inſerère cum totâ veſtrâ domeſticâ eccleſiâ.* Sed plura de his vide in pererudito Opuſculo P. Antonij Rutei Ordinis Minimorum, *de participationibus ſeu communione bonorum operum Religioſorum.* Sed nos ad S. BENEDICTVM reuertamur.

Proſequitur deinceps Gordianus enumerare alias villas, cortes & prædia quæ B. BENEDICTO tam ipſe Tertullus, quàm Equitius, & Gordianus tum temporis perpetuo iure poſſidenda tradiderunt. Præter alia verò, iam dictus Tertullus decem & octo patrimonij ſui cortes, quas in Siciliâ habebat viro detulit poſſidendas. Inter hæc cùm B. Placidus robuſtâ ætate vir, angelicam in terris vitam præclarè æmularetur, accidit vt quidam in Siciliâ, nefandâ auaritiâ prouocati, per fas. perque nefas collatas poſſeſſiones diriperent, ſuiſque cupiditatibus aggregare vellent. Quæ vbi ſancto nuntiata eſſent BENEDICTO, toti ea pandit congregationi Caſſineoli, atque ex eius conſulto Placidum ſanctiſſimum diſcipulum ſuum, ad tantum laborem ſuſtinendum aptiſſimum iudicat, illum ad tuitionem direxit, & ſic allocutus eſt.

S. Placidus à S. BENEDICTO prædiorum direptioni occurſurus, in Siciliam mittitur.

Ad ſuſcipiendum militiæ laborem, dilectiſſime, accinge ſicut vir lumbos tuos, quem per me nunc tibi dat Rex omnium Chriſtus, qui factus eſt obediens vſque ad mortem. Reminiſcere igitur ſermones eius dicentis. Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me Patris. Non te longi itineris conturbet auſteritas, recordare illud Apoſtolicum, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; & per varias tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Pro Chriſti namque nomine qui in hac vita decertauerint, in futura æternam remunerationem accipient, illam ſcilicet, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Ieſus Chriſtus autem filius Dei ſemper ſit tecum, perducat te ad vitæ æternæ conſortium. Hæc dum peroraſſet, dedit commilitones tanti itineris Gordianum & Donatum, mandans vt ita beato Placido vnico ſibi ac chariſſimo, ſicut & ſibi eatenùs in omnibus obſequerentur, oſculanſque beatum Placidum & benedicens dimiſit à ſe.

Sic ibi. Itinere porrò ſuſcepto, paſſim per loca, quæ B. Placidus tranſiuit, plurima edidit miracula.

CAPVT XIII.

Meſſanam appellit:

Meſſanam cùm appuliſſet, à Meſſalino, aliiſque benignè exceptus, de condendo extrà ciuitatem cœnobio cum illis agit: quo inter annos quatuor abſoluto, pluribuſque ſibi aggregatis Monachis, tandem Martyrij palmam eſt conſecutus Chriſti anno 541. ſuperſtite adhuc B. P. BENEDICTO, qui ex Meſſalini litteris de morte S. Placidi certior factus, palmas ad alta ſuſtollens, gratias egit Redemptori omnium, dicens:

fit martyr: quare S. BENEDICTVS Deo grates reddit.

Grates tibi nunc promo cunctorum vita ſaluſque, qui fructum labiorum meorum dilectiſſimum Placidum ſingularem & vnicum mei pectoris filium, ad tuum feciſti conſcendere ſolium. Hæc Pater ſanctiſſimus proclamans, & ſuper beatiſſimi Martyris paſſionem vltrà modum ſpiritali lætitiâ congaudens, omnem Caſſinenſem conuocans concionem, talem ad eos protulit orationem: Sicut Patris eſt gaudere in ſuorum profectibus filiorum, ita & filiorum eſt augmentum Patris ſua lucra reputare. Quapropter noueritis dulciſſimum filium meum Placidum martyriali trabea adornatum migraſſe ad Dominum. Iam enim meis interioribus oculis eius immaculatam hoſtiam, & Deo beneplacentem, deduxi in alta cælorum. Hunc nempè, tempore quo illum à Patre ſuo ſuſcepi, memineram eſſe mortalem, nec fefellit opinio. Nunc non eſt quod conqueratur. Habeo in quo Deo gratias agam, quia ſemper optaui, vt de fructu cordis mei Omnipotenti Deo ſacrificium offerretur. Nihil enim hoc ſacrificio habui pretioſius, nihil amabilius, nihil carius. Elegit namque Placidus pro Chriſto momentaneam mortem, & peruenit ad eum in cæleſti ſolio ad dextram Patris regnantem. Ob id enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, vt nos non nobis, ſed Chriſto viueremus. Grates autem omnium Redemptori refero, quia ingratus eſſe non poſſum. Congaudendum enim mihi, ſcilicet quòd talem diſcipulum habuerim, non dolendum, quòd amiſerim. Nam illud munus fuit, hoc debitum, ſcilicet quòd functus ſum famulatu Placidi diſcipuli mei quamdiu Deus voluit, & poſt qui dedit, recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Chriſto poſuit, & quod ſingularis eſt gratiæ, meruit. Cur autem doleam ego, mihi Placidum filium meum ereptum, cùm ad ſalutem noſtram Deus filio ſuo non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum? Quis vnquam exceptus eſt à conditione moriendi, qui non eſt exceptus à conditione naſcendi? Non ergò deſleam Placidum filium, quem ſcio tranſiiſſe de morte ad vitam. In illius namque mortè gaudendum eſt, non dolendum, quia illam pro veritate & æterni Regis fide guſtauit.

ſuper illius morte coram fratribus perorat.

CAPVT XIII.

Nam cur ego te, Placide fili chariſſime, defleam, qui mihi ſic ereptus es, vt omnium eſſes? non enim perdidiſti vſum naturæ tuæ, ſed commutaſti. Antè corpore inſeparabilis à Deo exiſtens, nunc indiuiduus cum Deo es permanens. Fælicia verba quæ in te expendi, fælices labores quos in te ſuſtinui, dum viueres mecum. Non te Tertulli Patris tui amor à me diuellere potuit, nec ipſe mihi vnquam Patrem prætuliſti, quouſque ad æternam vitam migraſti.

Hæc & his ſimilia Patre BENEDICTO *prologuente, ex conſilio totius Caſſinenſis congregationis, quoſdam ex diſcipulis ſuis ad Siciliam direxit, præcipiens illis eos citius properare ad prædictam inſulam, ad monaſterium beati Martyris Placidi reſtaurandum, & cortes ac villas Tertulli Patricij gubernandas.*

Annorum vitæ S. Placidi periodus.

Annorum verò S. Placidi periodum ita idem Auctor pertexit, in paſſione S. Placidi cap. 17. *Dies autem vitæ beatiſſimi Martyris ita numerantur. Oblatus eſt Deo à Patre ſuo Tertullo Patricio, & traditus beato* BENEDICTO, *ſeptimo anno ætatis ſuæ, habitauit cum eo apud Sublacum annis quinque, commoratus eſt in monaſterio Caſſinenſi, quod ipſe vnà cum Magiſtro ſuo* BENEDICTO, *& condiſcipulo Mauro in propriorure ædificauerat, annis nouem. Conſtruxit in ſuo patrimonio monaſterium apud Siciliam per annos quatuor. Præfuit eidem Monaſterio anno vno, qui ſimul ſiunt anni ſex atque viginti. Natus anno Dominicæ incarnationis quinto decimo ac quingenteſimo. Martyrio coronatus quadrageſimo primo ac quingenteſimo.* Sic ille.

Qui tamen in eo corrigendus, quod dicat, annis quinque habitaſſe apud Sublacum, cùm fuerint anni ſeptem; quod ſic demonſtro. Oblatus eſt Placidus S. BENEDICTO ſeptennis, id eſt Chriſti anno 522. (natus ſiquidem, vt hîc dicitur anno 515.) non reliquit autem Sublacum niſi cum ipſe P. BENEDICTVS Caſſinum peteret, quod ipſo Gordiano teſte accidit Chriſti anno 529. Ex quo euidens eſt, ſeptem annos habitaſſe apud Sublacum; ab anno ſcilicet 522. vſque ad annum 529.

Similiter ad totidem annos contrahenda eſt eiuſdem commoratio Caſſinenſis. Nam ſi quatuor anni tribuendi ſunt ædificationi monaſterij, vnuſque regimini eiuſdem, & hoc quinquennium ſuperioribus quatuordecim addatur annis, efficientur anni 19. ac proinde non ſupererunt ſeptem, quibus Caſſini habitauerit. Quod ſiquis nouennium pro Caſſinenſi retinendum putauerit reſidentiâ, triennio tantum fuerit in Siciliâ; aut maior ei aſsignanda eſſet ætas. Vſque adeò implexa eſt hæc Gordiani chronologia. Quam ſecutus tamen eſt Antonius Yepez: & nos in Chronotaxi, quam prolegomeno XIX. exhibuimus. Breuiarium Romanum, & Baronius in Notis ad Martyrologium, Martyrium S. Placidi reponit ad annum Domini 539.

CAPVT XIV.

DE SIMVLATIONE REGIS TOTILÆ DEPREHENSA.

GREGORIVS

CAPVT XIV.



Totila Regis techna.

PORTET Petre vt interim ſileas, quatenus adhuc maiora cognoſcas. [1] Gothorum namque temporibus, cum [2] Rex eorum [3] Totila Sanctum virum prophetiæ habere ſpiritum audiſſet, ad eius monaſterium pergens, paulò longiùs ſubſtitit, eique ſe venturum eſſe nuntiauit. Cui dum protinus mandatum de monaſterio fuiſſet vt veniret, ipſe, ſicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ Spiritum haberet, explorare conatus eſt. Quidam verò eius [4] Spatarius Riggo dicebatur, [5] cui calceamenta ſua præbuit, eumque [6] indui veſtibus regalibus fecit, quem quaſi in perſonâ ſuâ pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obſequio tres, qui ſibi præ cæteris adhærere conſueuerant. [7] Comites miſit, ſcilicet Vultericum, Rudericum & Blindinum, vt ante ſerui Dei oculos ipſum Regem Totilam eſſe ſimulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obſequia quaſi Spatarij præberent, vt tam ex eiſdem obſequiis, quàm ex purpureis veſtibus rex eſſe putaretur. Cumque idem Riggo decoratis veſtibus [8] obſequentium frequentiâ comitatus monaſterium fuiſſet ingreſſus, vir Dei eminus ſedebat. Quem

A S. Benedicto deteguntur.

venientem conſpiciens, cùm iam ab eo audiri potuiſſet clamauit, dicens: pone fili, pone hoc quod portas: non eſt tuum. Qui Riggo protinùs in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere præſumpſiſſet, expauit, omneſque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ conſternati ſunt. Surgentes autem ad eum propinquare

minimè

minimè præsumpserunt, sed ad suum Regem reuersi nuntiauerunt trepidi, in quantâ velocitate fuerant deprehensi.

COMMENTARIVS.

Gothi.

1.  OTHORVM NAMQVE TEMPORIBVS.] De Gothis eorumque origine videre licet Iornandem, Sigebertum initio Chronici, Volaterranum Geographiæ libro 2. & dissertationem Ludouici Viues, de Getis, seu Gothis, ante commentaria in libros Sancti Augustini de Ciuitate Dei. Adrianus Serieckins, Originum Celticarum & Belgicarum lib. 13. num. 42. & in indice primo, ait GOTHOS, & GETAS Vigucrio auctore synonima vnius gentis esse, & Scythiam Europæam habitasse inter Euxinum Pontum & Istrum. Subdit verò ex suâ sententiâ: *Confluxus fuit gentium septentrionalium, qui ad certum anteà populum referri non potest, sed vt quondam Cimbri Conuena fuerunt, sic isti conuenêre ad irruptiones contrà Romanos, & vt populos Romanos attributarios, à seruitute leni vocabulo attraherent,* GOTTOS *se dixerunt*: GOTTEN, GOETEN, GOEDEN, enim Celtis, Germanis Belgisque significat bonos. Dicit porrò Gregorius, GOTHORVM TEMPORIBVS, quia cùm ista scriberet, iam ab annis quadraginta defecerat illorum in Italiâ imperium, licet Hispaniam, & Gallias adhuc occuparent (ex quibus exterminati sunt anno tandem 713.) ita enim Sigebertus ad annum 543. *Ostrogothorum gente vsque ad internecionem deleta, regnum Gothorum, quod* (vt ait Iordanus) *per annos circiter duo millia quadringentos durauerat, defecit in Ostrogothis. Sed VVisigothis in Hispaniâ regnantibus incolume permansit. Theias tamen regnum Ostrogothorum resuscitare nisus, regnat annis duobus, sed à Narsete perimitur, & cum eo Gothorum reliquiæ extirpantur.* Sic ille.

Cur sic dicti.

2. REX EORVM.] Duces & Principes suos Gothi, Reges vocabant, vt Procopius libro 1. de bello Gothorum, & Iornandes tradunt. De Totilæ autem ad regnum promotione, ista Baronius: *Anno Christi 542. belli Gothici septimo occiso in Italiâ Rege Theobaldo, Gothi euexerunt in regnum Araricum, eodemq; paucos post menses perempto, Totilas Theobaldi nepos, ingenio & viribus præstans in flagellum dominantium in occidente Græcorum Rex creatus est. Qui hoc ipso anno non amplius quàm quinque millium Gothorum collecto exercitu, bis collatis signis Romanorum exercitum superauit.*

Totila.

3. TOTILA] Nomen hoc Serieckins interpretans, ait Celtis esse, TOT-HIL-AN, id est, qui vsque ad collem. Cornelius Kilianus, ex Martino Islebio ait, TOTILA, est quasi DODLE, hoc est, paruus Deus. Magnis verò laudibus Procopius lib. 2. de bello Gothico hunc Totilam extollit, velut liberalitate ac aliis animi virtutibus præditum, sed S. Gregorius *perfidæ mentis* fuisse insinuat. Et ipse S. BENEDICTVS hîc increpat, quod multa mala faceret ac fecisset. Et *alij* (vt Volateranus ait) *crudelem ac singulari arrogantiâ virum taxant.*

Spatharius unde dictus.

4. SPATARIVS] Nomen deductum à spathâ, quâ voce Apuleius lib. 1. vsus est dicens: *Militaris sacramenti genium ob omissam* SPATHAM *verebatur.* Vegetius gladios maiores SPATHAS vocari docet; minores verò SEMI-SPATHAS. Victor Vticensis libro 1. *Introeunt euaginatis* SPATHIS, *arma alij corripiunt.* Augustinus in Psal. 149. *framea quam vulgo spathium vocant.* Ab hac voce, Italis gladius dicitur SPADA, Hispanis ESPADA, Gallis eliso D. ESPEE. Hinc & Teutonicum SPADE, ligo, SPET, veru; SPIES, hasta deductâ quidam volunt. Mirum illud, inquit Philippus Beroaldus, ad Apulæi librum 9. quòd hæc dictio quamuis Græca sit, notior tamen vulgo est, atque frequentior in quotidiano idiomate, quàm ensis, gladius, mucro: sicut sexcenta alia.

Spatharij porrò sunt ensiferi siue satellites, quæ vox occurrit apud Cedrenum, Iulium Metaphrasten, aliosque notatos in Glossario Meursij. Alcuinis Epistola 9. ad Nicephorum Imperatorem. *Audito aduentu memorati Legati dilectionis tuæ, Arsacij gloriosi Spatharij magnopere gauisi sumus.* Vbi obserua, gloriosum appellari. Spathariorum verò dignitatem *maximi honoris fuisse* (ait Garsias Loaijsa notis ad Concilium Toletanum VIII.) *ex eo cõstat, quod multos Duces ac Comites hanc gessisse inuenimus. Sic in Cõcilio XIII. Toletano subscribunt Guilingus Spatharius & Comes, &c. Sisimirus Spatharius Comes & Dux.* Spatharium verò ita definit Cedrenus, *σπαθάριος ὁ σωματοφύλαξ ἐςὶν*, id est: Spatharius est custos corporis.

Spathariorum dignitas.

Sed quia de ensiferis mentionem fecimus, addendum verbulum de ensibus, quos balthcis ex humero pendulis fuisse alligatos constat. Anonymus in vitâ Caroli magni. *Post hæc balthcus spathæ alligatus.* Et Maro 8. Æneid.

Enses gestandi mos.

Tum lateri atq; humeris Tegæum subligat ensem.

Gallis autem ad dextram, Gothis ad læuam fuisse ensem, Sauaro Noris ad Sidonij lib. 4. epist. 20. carm. 2. tradit, & probat ex illo.

——— bullis hostilibus asper

Applicat à læua surgentem baltheus ensem.

5. CVI CALCEAMENTA SVA PRÆBVIT.] Obserua digniores olim etiam calceis à vulgo fuisse secretos, ideoque Totilam suos exhibuisse, vt eorumdem indicio Spatharius hic, Rex crederetur. Plebeis calcei erant albi, vt ex illo Martialis probat Lipsius Elect. lib. 1. cap. 13.

Calcei plebejorum olim albi apud Rom.

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem

Candidior prima sit tibi Cinna niue,

Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?

Differebant autem Senatorum calcei, vti & Patriciorum omnium à plebe. De Patriciis Festus: *Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patricij vsi sunt.* Formam & colorem ita describit Isidorus lib. 19. Originum cap. 34. *Patricios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, assutâq; lunâ: iis soli Patricij vtebantur. Luna autem in eis non sideris formam, sed notam centenarij numeri significabat, quod initio Patricij Senatores centum fuerint.* Et paulò pòst: *Mullei similes sunt cothurnorum solo alto, superiore autem parte cum osseis vel æreis malleolis ad quos lora deligabantur. Dicti autem sunt à colore rubro, qualis est mulli Piscis.* Sic ille: Plura vide apud Læuinum Torrentium ad Satyram 6. lib. 1. Horat. num. 27.

Senatorum rubri.

Sed quales Gothorum calcei? Peronibus vsos,

Gothorum setosi perones.

CAPVT XIV.

auctor est Sidonius Apollinaris carm. 7. sic loquens:

Nec tangere possunt
Altata suram pelles, ac poplite nudo
PERONEM *pauper nodus suspendit equinum.*

Pero rusticum est calceamentum, Seruio lib. 7. & Isidoro libro 19. cap. vlt. auctoribus, eoque Campani vtuntur, ait Pomponius Sabinus.

Totila calceis purpureis, vt & Imperatorum.

Iam verò, vt Spatharium hunc melius cognoscamus, dispiciendum, qualia ipsius Totilæ fuerint calceamenta. Coccinea fuisse verosimile est: tum quod purpureis vestibus Riggonem hunc indutum Gregorius scribat; tum quod Imperatorum calceos purpureos probet Lipsius, Elect. lib. 1. cap. 13. testimonio Spartiani in Alexandro: *fasceis*, inquit, *semper vsus est: baxeas albas habuit, non coccineas vt prius solebant.* Baxeæ autem, apud Plautum & Apuleium, pro calceis ponuntur. Et Dio lib. 43. Cæsarem calceis vsum scribit albis, colore rubro: instar olim Albæ Regum, à quibus per Iulium genus duceret. Cresconius Corippus lib. 2. de Iustino iuniore, Imperatoria sumente insignia, ita cecinit:

Purpureo suræ resonent fulgente cothurno,
Cruraq; puniceis induxit regia vinclis
Parthica campano dederant quæ vellera fuco
Sanguineis prælata rosis, laudata rubore.
Lectaq; pro sacceis, tactu mollissima plantis.

Cur autem id fieret, & cur pedibus Imperatoris puniceus conueniret color, ita exponit:

Quia soles edomitos victor calcare Tyrannos
Romanus Princeps, & barbara colla domare,
Augustis solis hoc cultu competit vti,
Sub quorum est pedibus Regum cruor. . . .

Denique & Imperatores Constantinopolitani vel præcipuum imperij insigne in calceis habuere, quorum traditione regnum quoque transferebant. Exemplum apud Zonaram de Michaele Theophili filio. Annal. part. 3. hac igitur causâ, & Totila coccineos habuerit calceos.

6. INDVI VESTIBVS REGALIBVS FECIT] Reges Gothorum vsque ad Leovigildum (vt auctor est Gregorius Turonensis lib. 6. cap. 24.) eodem habitu, quo reliqui vestiebantur. Isidorus in Chronico Era DCVIII. (id est anno Christi 570.) Leuigildus primus inter suos regali veste opertus, solio resedit. Nam ante eum, & habitus & consessus communis, vt genti, ita Regibus erat. Cùm autem Totila occisus fuerit à Narsete Iustiniani Duce, anno Christi 553. quæras quomodo Leuigildus eo posterior, primus Regalia assumpserit vestimenta, quæ Totila septemdecim ante annis habuerit, suoque (vt hic videmus) tradiderit spathario?

Respondetur, duplices Gothorum fuisse Reges, alios in Italiâ, alios in Hispaniâ: Nam Isidori Hispalensis Gothorum Chronicon, regnante in Italiâ Totilâ, ponit eodem tempore Reges Gothorum in Hispaniâ Thendisilum, Agilam, Athanagildum. Et ex historiis clarum satis est. De his autem in Hispaniâ regnantibus, superiora intelligenda testimonia. In Italiâ autem longè antè Regium indumentum Gothi assumpserunt. Nam circa annum Domini 40?. Theodoricus Rex, vt Iornandes rerum Geticarum libro ait, *tertio anno ingressus in Italiam Zenonis Imperatoris consulto priuatum habitum, suaeq; gentis vestitum reponens, insigne regij amictus, quasi iam Gothorum Romanorumq; regnator assumit.* Sic & Totila longè post eum egias habuit, &, vt hîc paulò pòst dicitur, purpureas.

Gothi reges in Italiâ vestem regiam sumpsere ante Visigothos in Hispaniâ.

7. COMITES MISIT.] In Græco est: *Præbens ipsi multos satellites, & cum ipsis etiam comites misit, scilicet Vultericum,* &c. Erant autem hi tres, qui Totilæ præ ceteris adhærere consueuerant, dignitate Comites, & non qualescumque stipatores aut asseclæ. Vnde Zacharias Latinum verbum retinens, κόμητας vertit, non autem συνοδοιπόρους ὀπαδοὺς, atque ista etiam est sententia Cardinalis Baronij, quam vt indicaret, hoc loco, Comites maiusculâ scripsit litterâ, & clariùs in Indice: *Blandinus Comes, Rudericus Comes venit ad S.* BENEDICTVM.

De variis verò Comitum generibus, & eorum officiis, videndi Iurisconsulti, & præsertim Barnabas Brissonius, de verborum significatione lib. 3. Notat verò Sirmundus ad lib. 7. Sidonij Apollinaris epist. 17. Gregorij Turonensis æuo, atque inferiore hoc, certum discrimen Comitum atque Ducum fuisse: quòd Comes vnius, Dux multarum Ciuitatum Rector esset, quæ singulæ suos Comites haberent. Id verò ipsius Turonensis comprobat testimonijs, ac deinde subiicit: *Gradus igitur quidam à Comitatu ad Ducatum. Fortunatus lib. 10. Epigrammat. 19. Sigoaldo Comiti:*

Comitum Ducumq; dignitas.

Rex Childebertus crescens te crescere cogat,
Qui modò dat COMITIS, *det tibi iura* DVCIS.

Inde est, quòd in legibus Visigothicis, Dux Prouinciæ dicitur, Comes ciuitatis: & quòd à Diuinorum Officiorum scriptoribus comparantur cùm Comitibus Episcopi, cum Ducibus Archiepiscopi; quia Episcopi singularum erant Ciuitatum, Archiepiscopi totius Prouinciæ.

8. OBSEQVENTIVM FREQVENTIA COMITATVS.] Zacharias habet: *A dextris etiam ipsius & sinistris multitudinem Principum & militum ire imperauit, putans per fictum hoc, & mendax spectaculum Seruum Dei seducere. Vt autem monasterium accessit stipatus agmine Militum, & virorum in dignitate constitutorum.* Videas sanè nihil intermissum, quo minus Rex credi posset.

Quòd si curiosior quis personati huius Regis, cumque stipantium spectare velit ornatum, coniicere enim vtcumque licebit ex iis, quæ de Sigismere Athalarici Regis Comite scripsit Sidonius, lib. 4. epist. 20. *Illum,* inquit, *equus quidem phaleris comptus, imò equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam subsequebantur: cùm tamen hoc magis ibi decorum conspiciebatur, quòd præcursoribus suis, siue pedissequis, pedes & ipse medius incessit, flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico, tum cultui tanto, comâ, rubore, cute, concolor. Regulorum autem sociorumq; comitantium forma & in pace terribilis: quorum pedes primi perone setoso talos adusq; vinciebantur, genua, crura, suraq; sine tegmine; præter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans poplitibus exertis, manica sola brachiorum principia velantes, viridantia saga limbis marginata puniceis. Penduli ex humero gladij baltheis supercurrentibus strinxerant, clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu muniebantur; lanceis vncatis securibusq; missilibus dextra referta, clypeis lauam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus niuea, fulua in vmbonibus, ita censum prodebat vt studium.* Hactenus Sidonius qui lib. 1. epist. 2. Theodoricum Regem describens, insinuat Gothos ab aure pendulam Cæsariem aluisse: *Aurium,* inquit, *legula, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur.*

Vestitus, comitatus, & arma Gothorum plenius descripta.

Aucium

Aurium legulæ, vt Sauaro exponit, vel infimam auriculæ partem, vel interiorem significat. Hinc Gothi dicti capillati & crinigeri. Claudianus de bello Getico:

Crinigeri sedere Patres, pellita Getarum Curia.

CAPVT XIV.

CAPVT XV.

DE PROPHETIA REGI TOTILÆ ET CANVSINÆ ECCLESIÆ ANTISTITI FACTA.

CAPVT XV.



TVNC per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cùm longè sedentem cerneret, non ausus accedere, [1] sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret: Surge, sed ipse ante eum de terrâ erigere se non auderet, BENEDICTVS Christi Iesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumque de terrâ leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta, quæ illi erant ventura, prænuntiauit, dicens: Multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petitâ recessit, atque ex illo iam tempore [2] minus crudelis fuit, & non multò pòst Romam adiit, ad Siciliam perrexit. [3] Anno autem regni sui decimo, Omnipotentis Dei iudicio regnum cum vitâ perdidit. Prætereà [4] Canusinæ [5] Antistes Ecclesiæ ad eumdem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: per hunc Regem ciuitas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: [6] Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terræmotu fatigata, in semetipsâ marcescet. [7] Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus: quamuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet: sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Totila S. BENEDICTVM adit, in terram se prosternit.

A sancto viro increpatur, & futura discit.

S. BENEDICTI de Romæ vaticinium.

COMMENTARIVS.

Totila ex S. BENEDICTI congressu mansuetus & clemens factus.

1. 

SESE IN TERRAM DEDIT.] Addit Græcè Zacharias, *precabatur veniam à Sancto accipere.*

2. MINVS CRVDELIS FVIT.] *Cum Romanis* enim, vt ait Marianus Scotus, & Sigebertus, *aliquamdiu tamquam Pater cum filiis habitauit. Hanc illi, vt dicitur, animi benignitatem, qui nimiæ anteà crudelitatis fuit, B. P. BENEDICTI, quem, cum Romam venire vellet, audierat, monitio contulit: quando Totilam increpauit, & de suâ morte post octo annos sibi futurâ prædixit.* Baronius verò, anno Christi 543. mansuetudinis & clementiæ exempla à Totilâ exhibita commemorat. Atque illud in primis ex Procopio lib. 3. de bello Gothorum, quod *fœminas quasdam Patricias captis in oppidis per suos comprehensas, nullâ prorsus affecerit iniuriâ, sed summâ cum diligentiâ liberè abire permiserit. Neapolitanis deinde superatis tantam humanitatem præstitit, non parcendo tantum, sed alendo & commeatum eisdem præbendo; vt neq; aliquis propinquorum vel intimorum amicorum talia illis officia exhibere valuisset. Hinc planè apparuit quantum ex S. BENEDICTI congressu, atque monitis barbarus profecisset, effectus insuper summæ iustitiæ cultor, cùm videlicet anno sequenti in armigerum suum animaduertit, quod virgini vim intulisset, cui & morte affecti Armigeri bona dari voluit.* Hæc omnia fusiùs Procopius.

3. ANNO REGNI SVI DECIMO.] Colligi ex hoc loco potest, in quem Christianuum hoc S. BENEDICTI cum Totilâ colloquium inciderit. Totilas enim (vt ex Procopio ait Baronius) anno regni sui vndecimo inchoato, decimo expleto, secundùm hoc S. BENEDICTI vaticinium è viuis excessit. Regnare namque cœpit anno Christi 542. collocutus ergò cum S. Patre fuit anno 543. Quibus si decem addas, exurget annus Christi 553. regni vndecimus, quem tamen Gregorius hic vocat decimum, intelligendo completum: sequentem enim tantummodo incepit.

Totilæ cum S. Bened. colloquium contigit an. 543.

4. CANVSINÆ] Procopius Gothicarum lib. 3. *Canusium in mediis situm est Apuliæ: ac hoc XXV. stadiis haud*

Canusij situs.

CAPVT XV.

haud procul & Cannæ sunt vicus, ingenti illâ Romanis illatâ clade nobilitata. Ex quibus patet, errare illos qui Cannas, Canusiumque vnum eundemque locum fuisse volunt, de quo vide Cluuerium Italiæ antiquæ lib. 4. cap. 12. Situm porrò est *Canusium* ad Aufidum fluuium, Plinio & Pomponio testibus, rutilæ lanæ ferax erat, quæ ab eâ *Canusinâ* dicitur: ex quâ qui vestes gestabant, *Canusinati* dicebantur. Martialis lib. 9.

Vt Canusinatus *nostro Syrus assere sudet.*

5. ANTISTES ECCLESIÆ] Fuit hic Episcopus S. Sabinus, qui S. Placidum ob reuerentiam & amorem S. BENEDICTI triduo hospitio excepit, & per interualla horarum interrogabat illum de virtutibus, quas per beatissimum Patrem BENEDICTVM diuina exercuerat maiestas, simul etiam de vitâ, & melliflua ac discretissimâ eius doctrinâ, vt in actis eius cap. 36. legitur. Hunc eodem, quo S. BENEDICTVM modo, Totila adiit, experturus (num quod auditu perceperat) esset in ipso spiritus Prophetiæ, vt refert Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 5.

S. Sabinus Episc. Canus. visitat S. Benedictum

Eiusdem gesta paucis delibantur.

Porrò Sabinus hic pluribus legationibus Romani Pontificis illustratus fuit, iamque senio viribus corporis fractus, sed animo vigens, & cùm oculorum luce priuatus penitus esset, spiritu tamen futura noscens, Prophetæ & videntis nomen fuerat consecutus, vt ait Baronius: festum eius 9. Februarij tabulis ecclesiasticis inuenitur adscriptum. Vide, si lubet, hac die Philippum Ferrarum in Catalogo Sanctorum Italiæ.

6. ROMA A GENTIBVS NON EXTERMINABITVR.] Ludouicus Alcasar in prologo ad caput 17. Apocalypsis, disputatione 1. negans Romam Antichristi tempore oppressum iri, nec solidum aliquod pro eâ sententiâ adferri posse fundamentum, *tantum ait, abest vt adduci queat, vt Gregorius magnus affirmet,* S. BENEDICTO *fuisse diuinitus præsignificatum, Romam numquam ab infidelibus euersam iri.* Sic ille: cui bene respondet Cornelius à Lapide, in cap. 17. Apocalyps. S. BENEDICTVM aliud non prædixisse, quàm Romam à Totilâ, & suo sæculo non euertendam, quod verbis S. Gregorij, quæ hoc capite subsequuntur, confirmat. Proinde ex hoc S. BENEDICTI vaticinio non potest adstrui Romanæ vrbis æternitas, aut quod vltimis mundi temporibus non euertetur.

Romam non exterminandam à gentibus quomodo intelligendum.

7. CVIVS PROPHETIÆ MYSTERIA NOBIS IAM FACTA SVNT LVCE CLARIORA. Adimpletam suo tempore hanc S. BENEDICTI prophetiam, etiam alibi ostendit Gregorius. Primâ enim homiliâ in Euang. sic ait: *Pestilentias sine cessatione patimur.* Et de signis præostensis futurorum malorum: *Priusquam*, inquit, *Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsumque, qui post humani generis fusus est, sanguine coruscantes.* Et inferiùs: *Nouis quotidie & crebrescentibus malis mundus vrgetur. Ex illâ plebe innumerabili quanti remanseritis, aspicitis: & tamen adhuc quotidie flagella vrgent, repentini casus opprimunt, nouæ nos & improuisæ clades affligunt.* Et paulò pòst: *Nudiustertius, fratres, agnouistis, quod subito turbine annosa arbusta eruta, destructa domus atque ecclesiæ à fundamentis euersæ sunt. Quanti ad vesperum sani atque incolumes acturos se in crastinum aliquid putabant, & tamen nocte eâdem repentinâ morte defuncti sunt.* Quibus malis & illa accedebant, de quibus idem Pontifex libro 1. Epist. 3. ad Paulum Scholasticum scribit: *hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur, sed seditione militum interno periculo grauius vrgemur.* Imminebat insuper eodem anno, qui fuit à Christo nato 590. dira valdè fames: *fuerant*, inquit Baronius, *hæc omnia iam anteà à* S. BENEDICTO *prænuntiata, cum Sabinum Episcopum Canusinum alloqueretur.*

S. Benedicti de Romà vaticinium adimpletum.

CAPVT XVI.

DE CLERICO A DÆMONE LIBERATO VSQVE AD TEMPVS.

CAPVT XVI.



ODEM quoque tempore quidam [1] Aquinensis Ecclesiæ [2] Clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro [3] Constantio eiusdem Ecclesiæ Antistite per multa fuerat Martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei [4] Martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quanta esset in BENEDICTO gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad Omnipotentis Dei famulum BENEDICTVM, qui Iesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinùs expulit. Cui sanato præcepit, dicens: vade, & post hac [5] carnem non comedas, ad sacrum ordinem numquam accedere præsumas, quâcumque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discessit igitur Clericus sanus, & sicut terrere solet animam pœna recens, ea quæ Vir Dei præceperat, interim custodiuit. Cùm verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox

Curat dæmoniacum.

[6] is qui

is qui reliquerat diabolus tenuit, eumq́ue vexare quousq́ue animam eius excuteret non cessauit. CAPVT XVI.

PETRVS.

Iste vir Dei diuinitatis, vt video, etiam secreta penetrauit: quia perspexit hunc Clericum ideò diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem auderet accedere. *Diuinorum secretorum est conscius.*

GREGORIVS.

Quare diuinitatis secreta non nosset, qui diuinitatis præcepta seruaret, cùm scriptum sit: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo?* 1. Cor. 6. d.

PETRVS.

Si vnus fit cum Domino spiritus qui Domino adhæret, quid est quod iterum idem egregius Prædicator dicit: *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Rom. 11. valdè enim esse inconueniens videtur, eius sensum cum quo vnus vnum factum fuerit ignorare.

GREGORIVS.

Sancti viri in quantum cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoq́ue Apostolus dicit: *Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei,* 1. Cor. 2. qui vt se ostenderet nosse quæ Dei sunt, adiunxit: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Ibidem. Hinc iterum dicit: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis autem reuelauit per spiritum suum.* Ibidem.

PETRVS.

Si ergò eidem Apostolo ea, quæ Dei sunt, per Dei spiritum sunt reuelata, quomodo super hoc quod proposuit præmisit, dicens: *O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Rom. 11. Sed rursum mihi hæc dicenti alia suboritur quæstio: Nam Dauid Propheta Domino loquitur dicens: *In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.* Psal. 118. Et cùm minùs sit nosse, quàm etiam pronuntiare, quid est quòd Paulus incomprehensibilia esse Dei iudicia asserit, Dauid autem hæc se omnia non solùm nosse, sed etiam in labiis pronuntiasse testatur?

GREGORIVS.

Ad vtraq́ue hæc tibi superiùs sub breuitate respondi, dicens: quod sancti viri in quantum cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui deuotè Dominum sequuntur, etiam deuotione cum Deo sunt, & adhuc carnis corruptibilis grauati pondere, cum Deo non sunt, occultaq́ue Dei iudicia in quantum coniuncti sunt sciunt: in quantum disiuncti sunt, nesciunt: quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incomprehensibilia eius iudicia esse testantur. Qui verò mente ei inhærent, atque inhærendo vel sacris Scripturæ eloquiis vel occultis reuelationibus in quantum accipiunt agnoscunt, & nouerunt hæc & pronuntiant. Iudicia enim, quæ Deus tacet, nesciunt, quæ Deus loquitur, sciunt. *Iudicia Dei occulta, in. sti vt sciant, vtve ignorent.* Vnde & Dauid Propheta cùm dixisset: *In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia,* protinùs addidit, *oris tui,* ac si apertè dicat: Illa ego iudicia & nosse & pronuntiasse potui, quæ te dixisse cognoui. Psal. 118. Nam ea, quæ ipse non loqueris, à nostrâ proculdubio cognitione abscondis. Concordat ergo Prophetia apostolicaq́ue sententia: quia & incomprehensibilia sunt Dei iudicia, & tamen quæ de ore eius prolata fuerint, humanis labiis

CAPVT XVI.

labiis pronuntiantur, quoniam sciri ab hominibus, & prolata prodi possunt, & occultari non possunt.

PETRVS.

In obiectione meæ quæstiunculæ patuit caussa rationis. Sed quæso te, si qua sunt adhuc de viri huius virtute, subiunge.

COMMENTARIVS.

Aquinum.

1. QVINENSIS ECCLESIÆ.] *Aquinum*, vt Strabo lib. 5. ait, *Vrbs est magna, quam magnus præterfluit amnis Melpis.* Et Cicero Philip. 2. dicit *frequens esse municipium*, Silius lib. 4.

——— *Atque viris ingens exhaurit Aquinum.*

Ita olim, nunc verò, vt Cluuerius Italiæ antiquæ libro 3. cap. 8. ait: *Tenue oppidum, at Episcopali dignitate insigne.* Addo, & Angelici Doctoris S. Thomæ natalibus illustratum. Milletius ait, adeò destructum, vt quamuis episcopali gaudeat sede, non supersint tamen nisi septemdecim satis exiguæ domus, præter Ecclesiam Cathedralem, & sacellum ad fluuij ripam eo loci, quo natus est olim S. Thomas, exstructum; visuntur nihilominus hic ibi murorum, portarum & turrium ruinæ, veteris splendoris argumenta.

2. CLERICVS.] Mirum est, Antonium de Yepez appellare hunc Clericum *Presbyterum*, cui ait à S. BENEDICTO vetitum, ne Missæ celebraret sacrificium, quod & contra prohibitionem fecerit, cùm tamen tam ex Gregorij hac narratione, quàm Græca interpretatione planè constet, hunc tantùm Clericum fuisse, prohibitumque illi ne ad sacros ordines accederet: Quod manifestè etiam innuit Petrus collocutor.

Constantius Episcopus.

3. CONSTANTIO] Fuit hic Episcopus Aquinas, prophetiæ dono, multisque virtutibus clarus. De quo pulchra refert S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 7. Memoriam eius recolit Ecclesia Calend. Septemb. vt habetur in Martyrologio Romano, quod adi, & Baronij ibidem notas.

Dei in clarificandis sanctis adhuc mortalibus adinuentiones.

4. MARTYRES NOLVERVNT EI SANITATIS DONVM TRIBVERE.] Quis non miretur diuinæ bonitatis adinuentiones? Nam vt glorificantes se etiam in hac terrâ glorificet regnantibus iam secum sanctis videtur negare, quod in hoc exilio constitutis liberaliter impendit, vt quanti apud Deum sint meriti, mortalibus innotescat. Ita Gregorius hic ait, noluisse sanctos Martyres Energumenum hunc sanare clericum, vt quanta esset in BENEDICTO gratia demonstrarent. Eximium id prorsus est: sed tamen & aliis subinde concessum sanctis. In vitâ enim S. Hermelandi legitur, quemdam membrorum agitatione vexatum, Turones abiisse ad S. Martinum, ab eoque monitum, vt si velit ab illâ membrorum agitatione absolui, Antrensem insulam, sancti Hermelandi Confessoris suffragia petiturus, accedat. Quod vt fecit non difficulter impetrauit. Aliud simile ibidem narratur de eo, qui ab ipso primo ortu cùm cæcus & claudus fuisset, sanitatis obtinendæ causâ Romam profectus est ad corpus sancti Petri oraturus, qui illi apparens ait: *Abi Turones, & precibus S. Martini pedum ac manuum accipies sanitatem. Inde proficiscere ad Insulam Antrensem, & apud tumulum S. Hermelandi lumen consequeris.* Abiit homo, iussa impleuit, & vtramque accepit sanitatem. Sed hæc ad Sanctorum euenêre sepulchra.

Maiorem eum S. BENEDICTI exemplo similitudinem habet, quod de S. Eduardo Anglorum Rege Ealredus narrat: Contractum enim quemdam, qui sexies Apostolorum repens adierat limina, scribit à S. Petro missum ad Regem Eduardum, quem miraculi socium voluit habere. Cuius dorso cùm ad Ecclesiam delatus fuisset, sanitatem consecutus est. Paulò fusiùs id expensum in nostrâ *Regiâ Viâ Crucis* offendes lib. 1. cap. 10.

Prohibendi carnes, sacrosque ordines, veterum Patrum consuetudo.

5. CARNEM NON COMEDAS, ET AD SACRVM ORDINEM NVMQVAM ACCEDERE PRÆSVMAS.] Ex veterum Patrum consuetudine id factum videtur: S. Macarius enim, vt habet Paradisus Heraclid. cap. 6. Sacerdotem cancro laborantem curaturus, voluit, promitteret numquam se Sacerdotis officio functurum. Puerum quoque dæmoniacum sanauerat, quem proprio reddens Patri, præcepit, vt per quadraginta dies, nec carnes eum edere, nec vinum potare permitteret. Visus est sanctissimus P. Noster Ordinis sui obseruantiam aliquousque saltem præscripsisse. Ad humilitatem siquidem spectat sacris ordinibus abstinere, adeoque in infimo Clericatus subsistere gradu: carnium verò abstinentia Regulæ ipsius auctoritate demandata est. Adde quod Petrus collocutor hîc notet perspexisse S. BENEDICTVM, *hunc Clericum idcircò diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem auderet accedere.* In quo per superbiam fortè, aut aliam iniquitatem fuerat peccaturus. Vnde sicut Christus Ioan. 5. 14. triginta octo annis languido dicebat: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Ita S. BENEDICTVS peccandi materiam Clerico huic sustulit, cum ordinibus interdixit, & piam Regulæ suæ obseruantiam in aliquam grati animi declarationem, indixit.

Diabolus ad obsessos à quibus expulsus iterum redit.

6. IS QVI RELIQVERAT DIABOLVS TENVIT.] Videas hîc, quod lib. de Dæmoniacis cap. 50. tradit Petrus Thyreus, errare eos, qui asserunt semel ex hominibus expulsum dæmonem, secundò eosdem ingredi, & vexare non posse, quasi semel ab homine victus, ad eumdem iteratò tentandum accedere vereatur. Verùm vt infirmum hoc fundamentum, ità non firma satis assertio. Redire enim dæmonem eiectum semel, Christi Saluatoris docet oratio. *Cùm enim immundus spiritus*, inquit Luc. 11. 24. *exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam & orna-*

& ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. Idem significat Dominus Marci 9. 24. quando iam egressuro dæmoni præcepit, ne ampliùs hominem introiret. Si enim rursus ingredi non potuit, cur ne ingrediatur, præcepit? Quod Dominus docet, confirmant exempla. Sanctus enim Bernardus ab obsessâ muliere malignum spiritum bis expulit, & ne tertiò rediret, hunc collo eius appendit exorcismum: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, præcipio tibi dæmon, ne hanc mulierem ingrediaris.* Ita lib. 2. vitæ eius cap. 4. Saulem quoque verè obsessum fuisse, idem Thyræus tenet; quòd verò spiritus eum aliquando reliquerit, admodum est probabile, propter illud, quod in fine cap. 16. dicitur: *recedebat ab eo spiritus.* Et tandem ad eundem rediisse dæmonium, manifestum est ex cap. 18. vbi sic dicitur: *Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul.*

Quæq; huius reditus causa. Verùm quærat hic aliquis quænam fuerit causa huius reditus? fuisse huius Clerici peccatum certum videtur. Nam vt bene Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 22. *Potestas aeria neminem vincit aut subiugat, nisi societate peccati.* Et Cassianus collat. 7. cap. 24. *Constat*, inquit, *immundos spiritus non aliter posse in illos quorum obtenturi sunt corpora, penetrare, nisi priùs eorum mentes, cogitationesq; possederint. Quos, cùm timore ac memoriâ Dei, vel spiritali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præsidio ac munitione diuinâ, pòst facilè vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in iis veluti in possessione sibi traditâ præsumentes.* Ita Cassianus.

Etiam viri sancti à dæmone obsessi. Quæ quidem intelligenda sunt, quod ità vt plurimùm contingat. Nam interdum etiam viri sancti & amici Dei, ob leuem culpam, vel etiam absque culpâ, Deo permittente, corporaliter à dæmone fuerunt possessi, vt sequentibus capitibus Cassianus probat. Et Hieronymus epist. 25. & Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei

Infantes. cap. 22. aiunt paruulos baptizatos, quibus nihil est innocentius, aliquando à dæmone correptos fuisse & vexatos. Et Sulpitius Seuerus in dialogo de virtutibus sancti Martini, refert quemdam à Deo postulasse, & impetrasse, vt ad euitandam vanam gloriam, quinque mensibus à dæmone possessus vexaretur.

Quæ huius clerici obsessi culpa. Sed hunc Clericum ob propriam culpam rursus energumenum factum satis hic insinuari credo. Quænam autem illa? duplicem fuisse apparet. Prior fuerit superbia, quâ ægriùs tulit *minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus*, vt ait Gregorius, & hinc, scilicet ille, *qui est Rex*

Iob. 14. *super omnes filios superbiæ*, sedem in eo potestatemque accepit. Posterior, superbiæ pedissequa inobedientia fuit, *quâ verba Viri Dei quasi ex longo tempore oblitus, postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit.* Sic & quendam Monachum spiritus nequam ingressus dicitur, postquam Popponis Stabulensis Abbatis sui mandatum implere contempsit: quemadmodum in Popponis vitâ scribit Enerchelmus, Abbas Altimontensis cap. 18.

ADDITIO.

CAPVT XVI.

De Epistolâ S. BENEDICTI *ad S. Remigium Rhemensem Episcopum.*

OPportunum hîc fuerit inserere non dissimile miraculum, quo Deus duos Sanctos illustrauit B. scilicet BENEDICTVM, & S. Remigium Episcopum Rhemensem. Quod Hincmarus, & ex eo Flodoardus Ecclesiæ Rhemensis historiæ lib. 1. cap. 12. Petrus Diaconus lib. 1. de viris illustribus. Vincentius Belluacensis lib. 21. spec. histor. cap. 8. aliique commemorant. His autem verbis narratur à Flodoardo.

Quædam puella præclaris ab vrbe Tolosâ natalibus orta, maligni spiritus ab infantiâ tenebatur obsidione captiua. Quam cùm tenero genitores amore diligerent, ad sepulchrum sancti Petri Apostoli cum magnâ deuotione duxerunt. In eisdem namq; partibus emicabat tunc virtute venerabilis BENEDICTVS *plurimis effulgens virtutibus. Cuius comperta fama, puellæ parentes hanc ad eumdem ducere satagunt, qui multis ieiuniis & orationibus pro ipsius emundatione laborans, cùm diri serpentis virus ab eâ non valuisset eiicere hoc tantum responsi, nominis diuini obtestatione ab antiquo extorquere potuit hoste, quod numquam alterius de eodem habitaculo, nisi huius beatissimi Remigii Pontificis orationibus posset expelli. Tunc parentes eius, tam ipsius Beati* BENEDICTI, *quam etiam Gothorum Regis Alarici affatibus suffragati, eorumq; litteris ad Remigium datis (vt traditur) freti ad eumdem sanctum Antistitem cum deuinctâ sobole peruenerunt, virtutem deprecantes eius in purgatione prolis agnoscere, quam latronis iam præsciuerant confessione. At beatissimus Remigius cùm diuturnâ reluctatione se non esse dignum assereret, & humilitate solitâ repugnaret, precibus est populi supplicantes euictus, vt orationem pro ipsâ funderet, ac parentum lacrymis condoleret. Mettis itaque sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, vt iniquus prædo per quod ingressus fuerat discedens, Christi famulam relaxaret. Sicq; cum nimio vomitu & obscæno fœtore, per os quo fuerat intromissus abscessit.* Subdit posteà, vt eadem puella extincta S. Remigii precibus in vitam fuerit reuocata.

S. Benedictus Puellam, sibi vt à dæmone liberaret, oblatam, S. Remigio remittit.

A quo liberatur.

Litteræ verò S. P. N. BENEDICTI ad Sanctum Remigium datæ, ità recitantur ad calcem Chronici Cassinensis.

S. Benedicti ad S. Remigium littera.

Dominico sacerdoti Remigio Frater & conseruus in Christo Iesu Cœnobialis vitæ humilis [a] cultor BENEDICTVS, æternæ benedictionis munus. Sanctissimo tuo congratulans profectui Sacerdos Regis summi, quia summi capitis membra sumus, quod mihi deesse sentio in me, totum, laus Deo, possidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis sacerdotalia habent merita: [b] & desinant amodo circa me rumores hominum. Cùm apud te constet omnium esse perfectionem virtutum, hanc captiuam & ab antiquo hoste obsessam tuæ delego celsitudini, quatenus pro eius liberatione sacram

[a] alia lectio INSTITVTOR.

[b] alibi deest &.

CAPUT XVI.

hostiam offerre Deo debeas, & meam paruitatem victoria ipsa non minimum lætifices.

Vale sacerdotum Christi limpidissime calcule.

S. Remigij de S. Benedicto testimonium.

Cùm verò signatis idem litteris hospitibus valefaceret, proprium nuntium cum illis in Galliam destinauit: qui beato Remigio tanta humilitatis munus offerret. Cumq́, Rhemensium Vrbem intrarent, & sanctus Pontifex tanti Patris apices prouidisset, lacrymis vberrimis perfusus in hæc verba prosiluit. Gratias tibi Christe Redemptor clementissime, qui nostra tempora tantâ sublimasti gloriâ, vt in speciali famulo BENEDICTO *tota te per orbem magnificet Ecclesia. Surrexitq́, continuò gloriosus Archimandrita Remigius, & episcopali se infulâ more solito trabeauit. Cumq́, miserabilis illa parentum solatio in Ecclesiam venisset, versipellis, vafer ille per os Puellæ hæc verba inuitus protulit. O Sacerdos Remigi, noli aduersus* BENEDICTVM *gloriari: quia non per tuum imperium, sed per eius humilitatem exire cogor. His dictis liberata est mulier, & omnes qui audierunt, dederunt gloriam Deo, qui est mirabilis in Sanctis suis, & benedictus in sæcula.*

Dæmonis de S. Benedicto attestatio.

Recitat eandem hanc Epistolam Baronius tom. 6. anno Christi 507. sed illam totamque hanc historiam reuocat in dubium, aitque Hincmarum errore pro Benedicto puellæ istius Patre, homine prædiuite in Prouinciâ, posuisse S. BENEDICTVM, eo tempore monasticam vitam in Italiâ, apud Sublacum excolentem: probatque id primò, ex testamento sancti Remigij relato à Brissonio in Formulis, vbi ita scribitur: *& eas res, quas in Prouinciâ Benedictus quidam (cuius filiam mihi ab Alarico Missam gratiâ sancti Spiritus, per impositionem manus meæ peccatricis non solùm à diabolicæ fraudis vinculo, sed ab inferis reuocauit) ad vsum luminis tui, & loci vbi corpus meum iacuerit continuatim deseruire præcipio.* Hæc ibi. Lapsum igitur putat Baronius Hincmarum ex nominum similitudine, & standum potiùs testamenti verbis.

Historia prædicta reuocatur in dubium.

Primum Argumentum.

Secundum.

Secundò, ex inscriptione, epistolam de imposturâ in suspicionem vocat; insitatum quippe, ait, vt scribens inferior ætate & dignitate ad maiorem, se fratrem & conseruum appellet, benedictionem impertiatur. Addit noster de Yepez ex chronologiâ tertium argumentum, à Baronio etiam vtcumque insinuatum: quod scilicet hæc filia ad sanctum Remigium missa sit ab Alarico Gothorum Rege, qui mortuus est anno Christi 507. sed cùm isto tempore S. BENEDICTVS non nisi vigesimum septimum ageret ætatis annum, & in Sublacensi degeret solitudine, nec nisi longo post tempore Cassinum adierit, non fuit tanti tunc nominis, vt eius fama Franciam, aliasque regiones penetrauerit. Quibus accedat, quod vt, Gregorius refert, sancti Martyres diœcesis Aquinatis obsessum non liberauerint, vt sanctitas beati BENEDICTI, cui id reseruabatur, magis innotesceret. Quare credibile non videtur dæmonem ad sancti BENEDICTI imperium noluisse corpus energumenæ relinquere. Multis quoque ambagibus hoc iter impeditum est: oportuit enim primò Alpes transire, adire Romam; inde ad sanctum BENEDICTVM in Sublacensi eremo quærere: hinc Tolosam, vbi Alaricus erat, reuerti: denique ad sanctum Remigium pro remedio sanitatis accedere. Atque hæc sunt quæ contra hanc historiam facere videntur.

Tertium.

Tenent hanc historiam, & tuentur alij Scriptores.

Eam tamen vt veram amplectitur Petrus Thyræus libro singulari de Dæmoniacis, nec post edita Baronij scripta, quidquam insinuat dubitationis. Et tamen hanc historiam nouem diuersis citans locis, vbique sancti BENEDICTI meminit; atque ex eâ plures: quas asserit de obsessis, confirmat sententias. Exempli gratiâ; Primò, quosdam dæmones difficiliùs capelli, quia hic post omnes machinas à sancto BENEDICTO adhibitas eiici non potuerit, quod habet cap. 12. numer. 20. Secundò, voluisse Deum huic mundo celebrem reddere sanctum Remigium depulsione maligni spiritus, quem profligare sanctus BENEDICTVS non potuit cap. 36. numer. 9. Tertiò, Reuelationem occultorum prodere latentem in homine dæmonem, si obsessi per se nihil tale scire potuerint, vt hic qui ad imperium sancti BENEDICTI cedere noluit, sed ad Remigium quasi appellauit cap. 23. num. 14. Quartò, qui liberari à dæmone vellent, ad sanctos solere recurrere, vt hi ad S. BENEDICTVM cap. 39. num. 6. Quintò, non semper efficaces esse exorcismos, vt hic non fuère S. BENEDICTI cap. 47. num. 5. & cap. 49. numero 7. Alia vide cap. 9. num. 5. cap. 46. num. 8. cap. 52. num. 12.

Ex quibus videas narrationis huius fidem apud hunc Auctorem neutiquam vacillasse. Eandem defendunt Yepez in Chronico Ordinis, Balduinus Moreau in Opusculis sancti BENEDICTI, & Benedictini Collegij Vedastini, Duaci, annotatione ad Vincentij Belluacensis speculum historiale, & Georgius Coluenerius in scholiis ad Flodoardi historiam. Eis quibus ita contrariis argumentis respondendum.

Responsio ad primum.

Ad primum enim dicendum, Epistolam & narrationem Hincmari ac Flodoardi de sancto BENEDICTO, neutiquam pugnare cum testamento sancti Remigij: Nam vt habet historia vitæ sancti Remigij, iste Benedictus filiam suam primò ad limina Apostolorum, & ad sanctum BENEDICTVM adduxit, deinde sanctus BENEDICTVS cum hâc epistolâ, ipsos parentes in Gallias remisit. Quam epistolam non esse illius Benedicti, cuius vult esse Baronius, ex eo deducitur, quòd ipse in personâ, non per litteras ad sanctum Remigium venerit. Adde nec titulum, nec verba epistolæ, vllo modo quadrare posse in Benedictum huius puellæ Patrem. Neque verò quempiam moueat, quod Flodoardus ait, (*vt traditur*) quomodo loqui solemus, dum res non est planè comperta; quia id non est in Hincmaro, sed à Flodoardo adiectum, tum hoc loco, tum aliàs sæpe, vbi nulla subest dubitatio. Hincmarus autem planè assertiuè id refert, de litteris tam ipsius viri Dei BENEDICTI, (sic enim eum vocat) quàm Alarici Gothorum Regis vtrarumque pariter meminit, longè ante Hincmarum, Fortunatus Presbyter, in vitâ sancti Remigij,

migij, apud Surium, 1. Octobris, & ab antiquitate non est leuiter recedendum. Ità Coluenerius.

Alia obiectiuncula diluuntur.

Neque refert quod ipse S. Remigius miraculum hoc de curatâ filiâ, in testamento sibi adscribat: non enim incongruum aut insolens vnum, idemque miraculum pluribus adscribi; primò quidem & præcipuè sacrosanctæ Missæ sacrificio, deinde Remigij precibus ardentissimis, ac postremò S. Patris BENEDICTI profundissimæ humilitati, quam mirum in modum, hæc præfert epistola, sicut & ipsius vita & Regula. Sed nec errore factum credimus, vt in vitâ S. Remigij pro Benedicto puellæ Patre S. BENEDICTVS Monachorum Pater positus sit, sed nominum hanc conuenientiam aptissimam fuisse occasionem agnoscendi S. P. BENEDICTVM existimamus.

Ad secundum.

Ad secundum dicimus, non inusitatum prorsus videri debere, consideratâ præsertim priscorum Monachorum verè candidâ & Christianâ simplicitate, quod inferior, ætate & dignitate scribens ad maiorem se, fratrem & conseruum in Christo Iesu nominet, & æternæ benedictionis munus, non dico auctoritatiuè superiori impertiatur, sed humiliter exoptet: quomodo passim cuiuis scribentes, salutem, vitam æternam, vel aliud bonum, exoptamus. Et sanè in ipsâ sacrâ Scripturâ Ruth 2. Messores, serui vel mercenarij Booz à Domino salutati his verbis: *Dominus vobiscum*, responderunt, *benedicat, tibi Dominus*, quis tamen eos ob hoc reprehendit?

Digniorem ac minus digno fratrem dici ac benedici olim non insuetum.

Ad tertium.

Ad tertium argumentum ipse Yepez respondet, non obstare S. BENEDICTI ætatem annorum viginti septem, quin per Italiam nomen illius iam tunc celebre fuerit; cùm, Gregorio teste, à duodecimo anno miraculis clarere inceperit. Quamuis igitur in Sublacensi hoc tempore delituerit deserto sanctitatis tamen eius radij quaquauersum sese extendebant. Et fortassis ad Benedictum hunc filiæ illius patrem, gestorum eius fama perlata fuerit, illaque excitatus Sublacum petierit, litterasque à S. BENEDICTO obtinuerit: qui ex humilitate, suique diffidentiâ energumenos aliis maluerit Sanctis transmittere curandos, quàm suis id tentare precibus & meritis. Quare diuina bonitas & hunc ei vicissim honorem haberi voluerit, vt quibus sancti Martyres opem non contulissent, his ille salutem adferret; atque in hunc modum Yepez probabiliter existimat prædictam historiam posse defendi: cuius iudicium æquo lectori censet permittendum.

Sed ne quid antiquitatis studiosos maneat cælatum, ad adstruendam huic epistolæ fidem, inueni non ita pridem in antiquo manuscripto codice Bibliothecæ Monasterij S. Martini Tornaci, alteram epistolam Monachorum Rhemensium, post qningentos annos à S. BENEDICTI obitu, ad Cassinenses perscriptam: qualis qualis ea sit, totam hîc ad verbum reddimus.

EPISTOLA.

CAPVT XVI.

Fratrum Remensis Cœnobij ad Fratres Monasterij in monte Cassino constituti.

Epistola fratrum Remensium ad Cassinenses.

EXigui & permodici regularis vitæ sectatores, fratres qui sunt Remis constituti in Monasterio beati & gloriosi Confessoris Christi Remigij Archiepiscopi, sanctis ac Deo dignissimis fratribus Cassini summæ diuturnitatis normali rubricâ indefatigatis humeris cluentibus, sanctarum munuscula precum. Miramur admodum, Fratres gloriosi, quòd emensis annorum curriculis iam penè quingentis, ex quo pretiosus Deo & hominibus communis Pater S. BENEDICTVS mundum hunc nequam deuicit, atque sempiternæ iucunditatis delicias intrauit; epistolam illam memorabilem transcribere neglexistis, & hactenus, vt nuper comperimus, incognitam habetis; quam ille Sancti Paracliti familiarissimus Synergus composuit, superni nectaris rore respersit, ac Sancto Patrono nostro Remigio summæ humilitatis a indiclo direxit. Quapropter Sanctæ Charitati vestræ diutius eiusdem exemplar epistolæ non ferentes deesse, non eisdem per omnia verbis, eiusdem tamen rationis vestigiis innitentes plena deuotione b caracsauimus, ac tanti Patris titulis inserendam transmisimus. Occasionem autem eiusdem Epistolæ in primis placuit prælibare, * quasi in aliquo, quod absit, tantum Authoris thema interrumpatur, quod omnium Theosophorum iudicio ipsi Tulliano stylo iure meritoque præfertur. Contigit namque eodem tempore, quo idem incomparabilis Pater sole fulgidius Cassini miraculis coruscauit, vt antiquus humani generis inimicus, in Fresoniæ partibus nobilissimam puellam cuiusdam Comitis filiam peruaderet, eamque toto malignitatis suæ vigore vexaret. Cumque peruasor iniquus solita obstinantia diutiùs hoc ageret, parentes puellæ, qui nobiles erant, eam per diuersa sanctorum Martyrum loca ferre decreuerunt, quatenus eorum patrociniis pius ac misericors Dominus tam infestum de fragili vasculo prędonem excluderet. Transactoque iam quinquennio, quod spe illâ nequicquam laborare cæperunt, tandem Romana mœnia visitarunt. Ibidemq; cùm aliquamdiu per monasteria Sanctorum inutiliter conarentur, multorum ibidem relatu cõpertum illis est de sanctissimo Monachorum Patre atque signifero BENEDICTO. Quid multis immorandum? Romanis mœnibus otiùs dorsa dedentes, spe non cassanda Cassino sub omni agilitate redire subeunt, vdisque luminibus arreptitiam

a indicio, vel indiculo.

b CARACSAVIMVS siue CHARAXAVIMVS, id est scripsimus, vt apud Flodoardũ lib 1. ca. 16. & alibi, Prudentius Peristeph. hymno 14. vers. 557. Charaxat ambas vngulis scribentibus Genas, Vbi Georg. Remus exaravit, characteribus pingit.

** forte deest, Non.*

CAPVT XVI.

illam sancti Patris obtutibus sistunt, & vt solitas pro eius ereptione preces omnipotenti Domino sternere dignaretur, ad solum vsque fusi humiliter flagitarunt. Quos cùm Pater venerandus omni benignitatis dulcedine suscepisset, iussit eis omnia monasticæ deuotionis solatia exhibere, & ad triduum vsque demorari. Per ipsum namque triduum vir Domini instantissimè se precibus occupauit, quatenus illi captiuæ succurreret, & à maligno liberaret. Peracto autem triduo illo, more sibi insolito prædonem infestissimum resistere videns, lætâ mente, atque hilari facie egrediens nil contristatus contra Dominum, hospitibus suis hæc verba consolando intulit. Nolo vos ignorare, filioli, quòd peccatis meis obnitentibus nequaquam dignus sum obtinere, quo vestræ necessitati in præsentiarum valeam consulere, sed quia mihi in memetipso plura deesse conspicio, neque ad extremam vsque adhuc manum me vngue tenus peruenisse prænideo: perfectum & inerratum vobis suggero consilium, vt ad effectum vestræ voluntatis citatiùs Deo comitante possitis conuolare. Habeo, ni fallor, apud Remensem Galliarum Vrbem adhuc supereminentè fratrem meum Remigium, huius sanctæ ætatis Sacerdotum Carbunculum, ad quem oportet vos gnauiter properare, meis gratificari apicibus, quatenus ille sacerdotalibus orationibus, vestris procul dubio apud Dominum satisfaciat necessitatibus. Imparem quippe me ad hæc obtinenda censeo per omnia. Hæc postquam paucis perorauit, semetipsum intra cellæ secretum quasi dimidiæ spatio horæ recepit, atque in modum pitatioli hæc verba beato conscripsit Remigio.

Dominico Sacerdoti, &c. vt suprà.

Ità in libro illo manuscripto. Quæ quidem motas circa hanc historiam difficultates magis fortassis auxerint, quàm vt lucis aliquid attulerint. Nam quod ibi dicitur S. BENEDICTVM; in Cassino tunc temporis miraculis effloruisse, cum temporis ratione non subsistit. Sed fieri facilè potuit, vt circa vnam alteramque circumstantiam, Remenses Cœnobitæ, post tanti temporis interuallum, allucinati fuerint: subsistente nihilominus historiæ veritate, ex veterum traditione apud ipsos celebratæ. Nec quemquam moueat quod S. Remigius vocetur *Sacerdotum Christi limpidissimus calculus vel carbunculus*, illo enim æuo haud insolens videtur fuisse illa loquendi forma. Nam Iocelinus in vitâ S. Patricij cap. 22. eodem epitheto S. Martinum exornat: *Idem*, inquit, *sanctissimus sacerdotum carbunculus, monachus fuit*. Sed hæc aliaque lubens doctiorum iudicio expendenda relinquo.

Menda huius Epistolæ nihil derogant historiæ præfatæ.

CAPVT XVII.

DE DESTRVCTIONE MONASTERII VIRI DEI AB IPSO PRÆDICTA.

GREGORIVS.

CAPVT XVII.



VIR quidam nobilis [1] Theoprobus nomine, eiusdem BENEDICTI Patris fuerat admonitione [2] conuersus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quâdam die eius cellam fuisset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumque diu subsisteret eiusque non finiri lachrymas videret, [3] nec tamen vir Dei consueuerat orando plangere, sed mœrendo, quænam causa tanti luctûs existeret, inquisiuit. Cui vir Dei illico respondit, omne hoc monasterium quod construxi, & cuncta quæ fratribus præparaui, [4] omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus qui destructum modò à Longobardorum gente eius monasterium scimus. Nocturno enim tempore & quiescentibus fratribus [5] nuper illi Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, [6] ne vnum quidem hominem illic tenere potuerunt, sed [7] impleuit omnipotens Deus quod fideli famulo BENEDICTO promiserat, vt si res gentibus traderet, animas custodiret. Quare Pauli vicem video tenuisse BENEDICTVM, cuius dum

S. BENEDICTVS Cassini euersionem prædicit.

dum nauis rerum omnium iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium qui eum comitabantur, accepit. CAPVT XVII.

COMMENTARIVS.

1. THEOPROBVS] Proprium hoc viri nomen, Latino textui, quo vsus Zacharias, defuisse videtur. Ait enim: *vir quidam fuit nobilissimus eiusdem cum S.* BENEDICTO *nominis.* In quem errorem procliue fuisse incidere ablato *Theoprobi* nomine, facilè ex contextu patet. Sed cùm infra Gregorius dicit: *cuius vocem tunc Theoprobus audiuit.* Zacharias habet: BENEDICTVS *ille sanctum accedens.*

Theoprobus monachus fuit.

2. CONVERSVS] Monachum effectum, ex modo loquendi satis apparet, nam & sic sequenti capite, Exhilaratum conuersum nominat Benedictinâ phrasi. Sic enim S. Pater loquitur cap. 58. Regulæ: *Nouiter quis veniens ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus.* Et cap. 63. *Ordines suos in monasterio ita conseruent, vt conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit.* Proinde Theoprobum hunc nominat Ordericus Vitalis, Ecclesiast. histor. lib. 4. an. 1069. *Monachum nobilem seruum Dei.* In quo autem vixerit monasterio, non satis constat, non vixisse cum S. BENEDICTO, sed aliunde aduenisse apertè hic dicitur: *Cùm quadam die eius cellam* (monasterium) *fuisset ingressus:* magisque ex eo quòd apud Zachariam est: *Cum prophetiæ futurorum accepisset pignora, recessit ex domicilio admirans.*

3. NEC TAMEN VIR DEI CONSVEVERAT ORANDO PLANGERE, SED MOERENDO.] Gaspar Barthius Aduersariorum lib. 2. Cap. 1. *omninò legendum, ait, consueuerat morando plangere. Hoc & ipsa allusio inter mœrendo & morando consonantium syllabarum, affectata talibus arguit. Qui scriptores & gerundiis ita vti solent, vt alibi docemus.* Sic ille. Sed ORANDO legendum, consensus omnium suadet editionum: quamquam cum aliqua varietate. Surius enim tom. 2. & qui secundum Dialogorum librum commentariis Turrecrematæ, Parisiis anno 1514. impressis præfixit; & Matthæus Lauretus eumdem librum Chronico Cassinensi præponens, legunt: *Nec tamen vt vir Dei consueuerat orando plangeret, sed mœrendo.* Atque ita legisse videtur Zacharias Papa, qui ita vertit: *Hunc cùm non vidisset, sicut solebat hora orationis quietè lachrymantem, sed vlulatus & lamentabiles emittentem gemitus.* Atque id veritati omninò consentaneum. Quis enim dubitet, lacrymarum dono præditum fuisse, qui suis orationem cum lacrymis in Regulâ præscripsit? Nam cap. 20. sic habet: *In puritate cordis & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus.* Et rursus cap. 52. *Oret, non in clamosâ voce, sed in lacrymis & intentione cordis.* Et de ipso S. BENEDICTO Gregorius suprà, cap. 1. ait: *quod sesecum lacrymis in oratione dederit.*

S. Benedictus de Monasterij sui euersione reuelationem consolationemque accipit.

4. OMNIPOTENTIS DEI IVDICIO GENTIBVS TRADITA SVNT.] Diuinâ reuelatione didicisse S. Patrem futuram monasterij destructionem, satis innuit Gregorius, & pluribus tradit Faustus in prologo vitæ S. Mauri: *Cùm,* inquit, *Deus eidem sanctissimo Patri suum monasterium in loco superius iam dicto ab ipso constructum, occulto suo iudicio destruendum euertendumque, prodidisset, & Vir Domini inconsolabili pro hoc afflictione fletu indesinenter afficeretur, reuelatio illum cælestis tali reuelare & confortare est dignata oraculo. Noli, ait, probatissime ac electissime Deo* BENEDICTE *pro his, quæ huic euentura dedicasti loco, mœstum vllo modo gerere animum, quoniam quod semel præfixum atque decretum est, inscrutabili summa deitatis consilio, intransibile atque irreuocabile sine dubio patrabitur, solis tibi tuo merito cunctorum concessis habitantium animabus. Sed aderit Omnipotentis, quam nuperrimè diuina propitiatio & consolatio, quæ & locum hunc in pristinum, imo in ampliorem, quam nunc videtur tuis nihilominus meritis restituet gradum, & aliis perinde nationibus huius lumen religiositatis de hoc eodem irradiabit loco.* Hanc verò reuelationem, vltimo vitæ suæ anno, sancto Patri factam censent Yepez & Milletius.

5. NVPER ILLIC LONGOBARDI] Dicti ita sunt (vt ait Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 1. cap. 9.) ab intactæ ferro barbæ longitudine. Isidorus lib. 9. cap. 2. *Longobardos vulgo ferunt nominatos à prolixa barba & numquam tonsa,* nempe vox est Germanica, quasi dicas LANGHE-BAERDE, prius Vinnuli dicebantur, aliàs Winnuli, Orderico Vitali lib. 4. Ecclesf. histor. Guinnuli. Contigisse porrò hanc Longobardorum in Italiam irruptionem Anno Christi 568. Auctor est Leo Ostiensis lib. 1. Chronici Cassinensis, cap. 2. & Baronius tom. 7. quorum aduentus cælestibus etiam prodigiis præmonstratus fuit, de quibus hæc pro concione ad populum Gregorius homil. 1. in Euangeliâ: *Prinsquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsumque, qui posteà humani generis fusus est sanguinem, coruscantes.* Plura autem S. Redempto Ferentinæ Ciuitatis Episcopo præostensa sunt, quæ idem Gregorius tertio Dialogorum cap. 38. refert.

Longobardi vnde sic dicti.

Quo autem anno, sacrum Cassinense Monasterium à Longobardis fuerit euersum, etsi nonnihil varient sententiæ, probabilius tamen est accidisse anno 589. Colligitur id ex Leone Ostiensi, qui citato loco ait, contigisse tempore Pelagij Papæ II. & destructum permansisse per centum quadraginta vnum annos. Idemque cap. 4. dicit: Petronacem restaurare cæpisse Monasterium Cassinense anno septingentesimo trigesimo primo. Ab hoc verò anno, retrò numerando annos 141. incidet vastatio illa in annum 589. qui fuit Pelagij Papæ II. annus duodecimus & vltimus. Cui satis consonat hæc Gregorij Narratio, dicens nuper accidisse illam euersionem. Cùm enim Dialogorum libros scripserit euoluto anno tertio sui Pontificatus (vt manifestè colligitur ex cap. 36. 47. & 55. libro quarto Dialogorum, quibus ait: Pestem, quæ Romam eo anno, quo Pontifex creatus fuit, inuaserat, fuisse ante triennium) conficitur quatuor elapsos annos, ab illâ clade Cassinensis Monasterij vsque ad tempus, quo de illâ sanctus Gregorius scripsit.

Monasterium Cassinense quando destructum.

CAPUT XVII.

scripsit. Sequuntur hanc sententiam Carolus Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ ad annos 589. & 719. Arnoldus Wion lib. 1. Ligni vitæ cap. 3. Matthæus Lauretus annotat. ad cap. 4. lib. Chronici Cassinensis, vbi & alias pro hac chronologiâ subiungit rationes.

6. NE VNUM QVIDEM HOMINEM 'ILLIC TENERE POTVERVNT.] Hæc quomodò gesta sint, narrat Anastasius senior S. R. E. Bibliothecarius, in Chronico Cassinensi, citatus à Constantino Caietano pro Ioanne Diacono de S. Gregorij Monachatu, lib. 1. cap. 14. *Fugientes*, inquit, *ex Cœnobio* (Cassinensi) *fratres Romam profecti sunt: & librum Regulæ, quam P. BENEDICTVS manu suâ scripserat: & pondus libræ panis, & mensuram vini nec non & vestimenta, ac calciamenta eiusdem Patris eiusq; Sororis secum ferentes; atque ex concessione S. Pelagij Papæ II. & Tiberij Mauritij Imperatoris, iuxta Lateranense Patriarchium, monasterium construxerunt ad honorem Sanctorum Ioannis Baptistæ & Euangelistæ, & Pancratij Martyris.* Sic ipse. Similiter habet Leo Ostiensis in Chronico lib. 1. cap. 2.

Monachi Cassinenses fugâ euadunt, & Romæ morantur.

Illud porrò hîc addendum, non omnes Monachos cum Abbate tunc Romam profectos, sed quosdam timore perterritos, fugam arripuisse, atque diuersis in locis, sedes sibi ad Deo seruiendum quæsiuisse. E quorum numero fuit insignis ille Dei famulus Antoninus, de quo in Martyrologio Romano ad diem 14. Februarij hæc habentur. *Apud Surrentum S. Antonini Abbatis, qui è monasterio Cassinensi à Longobardis deuastato, in solitudinem eiusdem Vrbis secedens, ibidem sanctitate celebris obdormiuit in Domino, cuius corpus multis quotidie miraculis, & præsertim in liberandis energumenis effulget.*

Sed non omnes Romam petiere.

Relictos autem ibi aliquot fratres, qui corpus S. BENEDICTI custodirent, obseruat Baronius anno Christi 716. *Exploratissimum*, inquit, *est à tempore euersionis Cassinatis Monasterij à S. BENEDICTO constructi, vsque ad erectum à Petronace monasterium locum illum destitutum fuisse, sicut Monasterij habitatione, ita & monasticâ Regulari institutione, cùm tamen nunquam defuerint, qui illic habitauerint ferm Dei excubantes ad sepulchrum S. BENEDICTI.* Sic ille.

S. Benedicti sepulchrum in hac vastitate nunquam fuit derelictum.

Quemadmodum verò prima hæc Cassinensis Monasterij facta sit restauratio, ita narrat Ostiensis in Chronico lib. 1. cap. 4. *Cùm autem Omnipotens Deus memoratum S. BENEDICTI Cœnobium, miseratione illâ suâ omnipotentissimâ instaurare decreuisset, & cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, per orbem propagare: Contigit disponente Deo, vt Petronax quidam Brixianæ vrbis Ciuis valdè religiosus, diuino instinctu Romam pergeret. Quem Reuerendissimus Papa Gregorius tertius cælitus inspiratus, admonuit, vt hoc Cassinum castrum peteret: atque monasterium beati BENEDICTI, quod multis iam annis euersum iacebat, omni studio reficere ac resarcire satageret. Quo annuente, mox idem venerabilis Pontifex aliquot ex Lateranensi Monasterio fratres secum direxit: & alia quoque nonnulla sibi solatia contulit. Qui cum ad sacram beati BENEDICTI sedem peruenisset, vna cum his, qui secum venerant fratribus, aliquantisper simplicioribus viris, quos ibi dudum resedisse, cognouerat, habitare communiter cœpit, anno Domini septingentesimo atque vigesimo. Is autem ab eisdem fratribus Abbas constitutus, adiuuante Deo, & beati BENEDICTI suffragantibus meritis, constructis decenter habitaculis, ac multorum ibi fratrum congregatione statutâ, sub sanctâ Regula institutione viuere studuit.* Eadem paulò breuius habentur in priuilegio Zachariæ Papæ, Chronico Cassinensi subiuncto: & Paulus Diaconus lib. 6. cap. 40. hæc eadem narrans, ità concludit: *Multorum ibi Monachorum & nobilium & mediocrium, ad se concurrentium Pater effectus* (Petronax) *sub sanctæ Regulæ iugo, & B. BENEDICTI institutione, reparatis habitaculis, viuere cæpit, atque hoc sanctum Cœnobium in statu quo nunc cernitur, erexit.* Sic ille. Ex his obiter corrigendus Ordericus Vitalis lib. 4. Ecclesiast. hist. anno 1069. qui Petronacem, Brixiensem vocat Episcopum, contra aliorum fidem.

Monasterij Cassinensis restauratio.

Promouit porrò Petronacis studium Zacharias Pontifex; qui in ipsâ die dedicationis Ecclesiæ iam restauratæ (vt ipsemet in suo scribit diplomate) *obtulit libros sanctæ Scripturæ, & Librum Regulæ, quam pissimus Pater manu propriâ scripserat. Pondus etiam libræ panis & mensuram vini, nec non diuersa ad ecclesiasticum ministerium ornamenta, & possessiones Apostolicâ liberalitate concessit.* Eadem habet Leo Ostiensis. Idemque Pontifex monasterium Cassinense ab omnium Episcoporum iurisdictione exemit, auctorque fuit Carolo-manno, Caroli Francorum Regis filio, quem Clericum fecerat, vt ad beati BENEDICTI Monasterium, Domino sub regulari Magisterio seruiturus transiret. Eiusdem hortatu Rachis Longobardorum Rex, Perusinam soluit obsidionem, & non multò post relinquens regalem dignitatem, ab eodem Apostolicæ sedis Præside attonsus, & Clericus factus, Monachico etiam habitu simul cum vxore & filiâ est indutus. Moxque ad Monasterium S. BENEDICTI, eodem Apostolico transmittente perueniens, sub Regulari Magisterio instituendum se tradidit, vt citatus refert Ostiensis lib. 1. cap. 7. & 8.

Zacharias Papa liberalitas.

Regulam S. Benedicti offert.

Monasterij Cassinensis exemptio.

Carolomannus Franciæ Regis filius, & Rachis Longobardorum Rex, fiunt Monachi.

Quare non immeritò Illustrissimus Cardinalis Baronius anno Christi 716. hæc de hac monasticâ instauratione scribit: *Mirum*, inquit, *dictu, quanta mox ex nouâ plantatione Petronacis fuerint propagata eo in loco germina Monachorum, & aucta ipsorum examina, instar apum, quæ exturgentibus aluearijs prodeuntes, in diuersa loca ad fœtum multiplicationem volauerint. Sed & illud securè absq; trepidatione mendacij asseri iure potest, nullum vmquam toto Christiano orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrinâ, tantâ ac sanctitate numerositate ad regimen sanctæ Apostolicæ sedis adsciti fuerint, vt plane duo possit fuisse idem aliquando SEMINARIVM SACRORVM ANTISTITVM.* Hæc Baronius.

Cassinensis Monasterij fœcunditas, sanctitas, alias, laudes.

Sed non incongruum hîc fuerit alias celeberrimi huius Monasterij, quod Ordinis nostri caput est, clades & mutationes post Antonium de Yepez & Simonem Millietum compendio attexere. Anno 843. vt ex Leone Ostiensi, Baronius ait, *Siconulphus* (siue Sigenulphus) *Beneuenti Dux multas specie diuersis vicibus sacrilegè abstulit vniuersos ferè thesauros, quos Francorum Reges, aliiq; Principes Cassinensi Monasterio contulissent; videlicet in vasis aureis, centum triginta libras auri purissimi, in vasis argenteis, circiter nongentas argenti libras; in auro signatu, triginta & duo millia solidorum aureorum; in gemmis, tredecim millia eorumdem solidorum.*

Sigenulphus Cassinum expilat.

Anno deinde 884. Saraceni Campaniæ partes ingressi, cædeque & igne miscentes omnia, cùm ad Cassinense peruenissent Monasterium, illud totum

Saraceni incendio tradunt. Leo O-

Ostiensis lib. 1. cap. 41. in priore edit. cap. 46

totum combusserunt (exceptâ solâ Ecclesiâ Saluatoris, quæ diuinitùs incendium euasit), multosque perimentes, ipsum etiam Abbatem S. Bertharium, iuxtà altare beati Martini, gladio trucidauêre. Monachi verò quidquid suppellectilis surripere potuerunt assumentes, Theanum habitaturi proficiscuntur. Vbi cum aliquot annis resedissent, Monasterio illo Theanensi, occulto Dei iudicio, cùm omnibus suis opibus combusto, Leo Abbas, Cassinense Monasterium, per vnum & viginti annos habitatoribus destitutum, reædificare cœpit. Sed successoris eius suasu, Monachi Theani commorantes Capuam transmigrarunt, ibique per aliquot annos habitauêre. Sed Aligernus Abbas post septem & sexaginta circiter annos (à tempore scilicet quo à Saracenis sub Abbate Berthario incensum fuerat Monasterium) cùm illud ex integro restaurasset, Monachos Cassinum reduxit, floruitque deinceps magnâ religione & pietate.

Idem l. 1. cap. 47. & 50.

Idem l. 2. cap. 1.

Iterum restauratur.

Anno deinde 1045. à Normannis bona huius Monasterij plurimùm imminuta sunt. Eius enim vicos & oppida occupabant, sed à Monachis ope diuinâ, ipsoque S. BENEDICTO pro suis pugnante, retortis in eos suis ipsorum telis, debellati sunt, & omni Monasterij iurisdictione expulsi, quam rem gestam memoriâ dignam pluribus narrat Leo Ostiensis lib. 2. cap. 71. & sequentibus.

A Normannis rursum diripitur & ab aliis miserè affligitur.

Ad annum deinde Domini 1239. grauiora à satellitibus Frederici secundi Imperatoris sacrum hoc monasterium damna accepit. Aurea enim & argentea vasâ fregerunt, & in nummos conflauerunt, Monachisque eiectis illud ipsum incenderunt. Ità Bzouius, citato anno.

Non modicum porrò eidem posteà cœnobio Guelphorum & Gibellinorum factio obfuit, atque ad eam redegit miseriam, vt prioris fortunæ statusque nondum oblitis, commiserationem & lacrymas mouere potuerit.

Vt autem alias quasdam subdamus mutationes & metamorphoses, notandum ex Richardo Monacho Cassinensi, & quondam S. Iustinæ Abbate in cap. 21. Regulæ S. BENEDICTI; Cælestinum quintum anno 1294. venisse ad Monasterium Cassinense, vt illud suæ vniret Religioni. Et maiorem quidem Monachorum partê induxit, vt sui Ordinis reciperent habitum, qui erat coloris camelini vilissimi panni, & misit de Monachis suis quasi quinquaginta, & mutauit nomen Decani, qui post ipsorum aduentum vocatus est Prior. Sed Bonifacius VIII. omnia acta Cœlestini reuocauit.

Cœlestinus V. suæ illud Religioni vnire contendit.

Ioannes deinde Papa XXII. exstincto nomine Monasterij, Cassinum erexit in Ecclesiam Cathedralem, habuitque deinceps Episcopos nouem.

Vertitur in Ecclesiam Cathedralem.

Verùm Vrbanus V. considerans non leuia damna Monasterio accidisse ob Abbatialem dignitatem sublatam, eam, Episcopali exstinctâ, in integrum restituit anno 1365.

Iterum in Abbatiam.

Anno verò Domini 1454. de Scyllâ velut in Charybdim incidens, traditum est Monasterium illud in Commendam, vt loquuntur, Ludouico Scarampo, Patriarchæ Aquilegiensi, & S.R.E. Cardinali, Episcopo Albano; habuitque Commendatarios quatuor, quorum vltimus fuit Ioannes de Medices Cardinalis, qui iubente Iulio II. Abbatiam in manus eius resignauit, anno Domini 1540. die 22. Nouembris: quo ipso die Iulius Papa II. Cassinense Cœnobium vniuit Congregationi S. Iustinæ de Paduâ, cuiusque honorem huic Monasterio haberi voluit, vt deinceps ea *Congregatio Cassinensis*, aliàs *S. Iustinæ de Paduâ* nuncuparetur. Hanc porrò digressionem occasione primæ destructionis huius Monasterij diuinitus S. P. BENEDICTO reuelatæ, fecimus; nunc in viam reuertamur.

CAPVT XVII.

Vnitur Congregationi S. Iustinæ de Paduâ.

7. IMPLEVIT OMNIPOTENS DEVS, QVOD FIDELI FAMVLO BENEDICTO PROMISERAT, VT SI RES GENTIBVS TRADERET, ANIMAS CVSTODIRET.] Ex huius prærogatiuâ promissionis, asserunt Cassinensis Monasterij Cœnobitæ (vt eorum relatu, cùm illic esset, didicit R. D. Hieronymus Coquelin, nunc Luxouiensis Abbas) piâ vetustâque traditione quasi certum istic haberi, nullum ibidem mori in statu peccati mortalis, idque variis experientiis fuisse comprobatum. Nonnullos enim sæculares grauibus sceleribus irretitos, insigni dum istic essent, pœnitentiâ ad Deum sese conuertisse, priusquam è viuis excederent. Idipsum sacratissimi huius Cœnobij priuilegium saltem pro degentibus in eo Religiosis agnouisse videtur B. Petrus Damiani, Opusc. 36. cap. 16. Desiderio Abbati, totique conuentui ità scribens: *Beati qui vobiscum viuunt: beati qui inter vos & in sanctis operibus vestris moriuntur. Piâ nimirum fide credendum est, quia scala illa, quæ de Cassino Monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc palliis strata, lampadibusq; coruscat. Sicut tunc excepit Ducem, ità nunc exercitum transmittet ad cælestia subsequentem.*

Nullum ibi in mortali peccato mori traditur.

Meritò proinde iam olim magni habita fuit ad Montem Cassini peregrinatio, cuius amore ità reficiebatur idem Petrus Damiani, vt Desiderio Cassinensi Abbati, Opusculo 33. scribere non dubitauerit: *Si per tam longinqui itineris ductum B.* BENEDICTI *Patris nostri limen attingere licuisset, ego non parua mercedis cumulum deputarem. Et certum teneo, quia si in illius peregrinationis itinere me obire contingeret, non tam proprij reatus me grauaret exitium, quàm illius dignitas meritorum.*

Asserunt præterea Cassinenses, in sacrum illum Montem non decidere fulmina aut fulgura. Et sanè iam olim comprobata fuit diuina circà hunc locum meritis S. BENEDICTI protectio. Refert enim citatus anteà S. Petrus Damiani, sermone in vigiliâ S. BENEDICTI, graui iuxtà Cassinum excitato incendio, quo adiacentia Monasterio loca passim conflagrabant, subitò in aëris vastitate exilem apparuisse nubeculam, quæ paulatim in ampliora se porrigens, in pluuiam denique resoluta, incendij flammas extinxerit, ita ad Monasterij mensuram nubeculâ cohibitâ, vt finitima quælibet loca aquarum fluentis minimè perfunderentur.

Mons Cassinensis à fulmine immunis.

CAPVT XVIII.

CAPVT XVIII.

DE ABSCONSIONE FLASCONIS A BEATO BENEDICTO COGNITA.



VODAM quoque tempore Exhilaratus noster, [1] quem ipse conuersum nosti, transmissus à Domino suo fuerat, vt Dei viro in monasterium vino plena duo lignea vascula, quæ vulgo [2] flascones vocantur, deferret: [3] qui vnum detulit, alterum verò pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini, quem facta absentia latere non poterant, vnum cum gratiarum actione suscepit, & discedentem puerum monuit, dicens: vide fili, ne de illo flascone, quem abscondisti bibas, sed inclina illum cautè, & inuenies, quid intus habet. Qui confusus valdè à Dei homine, exiuit. Et reuersus volens adhuc probare quod audierat, cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino repent, expauit malum, quod fecit.

Furtum videt in spiritu.

COMMENTARIVS.

1. QVEM IPSE CONVERSVM NOSTI.] Ecce, & hîc superstitem oculatum testem, qui cum ipso S. BENEDICTO vixerit; & ex hâc propheticâ eius præmonitione, vt Yepez, & Milletius asserunt, vel tum vel posteà ad Monachatũ conuersus sit, vt proinde, quæ hic narrantur ab eius ore Gregorius fortassis acceperit, cùm scribat eum sibi & collocutori suo satis notum. Quinimò cùm dicat; *Exhilaratus noster*, in Monasterio S. Andreæ, vel alio Romæ tum vixisse videtur: vt eo titulo à Gregorio, *Noster* vocetur.

Flascones.

2. FLASCONES VOCANTVR] Vox est multis gentibus vsitata, quæ etiam occurrit apud Flodoardum lib. 1. hist. Rhem. cap. 15. *Cui vir sanctus* (Remigius) *vt & pridem fecerat, vas, quod vulgò* FLASCONEM *vocant, vini a se benedicti plenum dedit.* Græci dicunt, φλάσκη, φλάσκιον, & φλασκίον, quo postremo vocabulo hîc vsus est Zacharias, quem nomine Gregorij Dialogi, citat Meursius in Glossario, vbi plura de hâc voce videre licet.

3. QVI VNVM DETVLIT, ALTERVM VERÒ PERGENS IN ITINERE ABSCONDIT.] Prorsus simile est, quòd de Isaac seruo Dei, lib. 3. Dialogorum cap. 14. idem Gregorius narrat. Huic enim cùm duas sportas alimenti per puerum quidam transmisisset; vnam puer surripiens, in itinere abscondit: alteram verò cùm viro Dei detulisset, admonitus est, ne in itinere positam incautè tangeret. quod in eam serpens ingressus esset.

Sed prætermittenda hîc non videtur longiuscula annotatio, quam capiti huic adiecit Dominus Matthæus Lauretus, Abbas S. Saluatoris de Castellis, quæ talis est.

Sacellum sanctæ Crucis

Adscendentibus ad Monasterium Cassinense per viam S. Germani in medio ferè itineris, occurrit quoddam Sacellum, titulo sanctæ Crucis insignitum, super cuius altare visitur quædam vetusta scripturâ, in lapideâ tabulâ scripta, tenoris sequentis.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, Sanctissimus Pontifex Cælestinus quintus, cùm limina beati BENEDICTI deuotè visitaret, & ad Capellam sanctæ Crucis, quæ in viâ publicâ est constructa, euntibus ad Cassinense Monasterium peruenisset, & miracula quæ beatus BENEDICTVS operatus est ibidem, certâ relatione reperisset: ob reuerentiam almifici Patris, indulgentiam eidem Capellæ concessit, vt quicumque in prædictam Capellam sanctæ Crucis ingrederetur, & dominicam orationẽ cum Aue Maria diceret, centum annos & centum quadragenas, toties quoties inde transiret, misericorditer obtineret & haberet.

Indulgentia à Cælestino quinto donatum.

Sic ibi. quæ autem fuerint miracula, ob quæ summus Pontifex motus fuerit ad præfatam indulgentiam concedendam, videtur colligi posse ex subiectis litteris Roffredi Abbatis Cassinensis, & Cardinalis ad Ioannem de Salerno æquè Cardinalem datis, quarum tenor talis est.

DOMIMO
IOANNI DE SALERNO
PRESBYTERO CARDINALI

Roffredus tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, & Cassinensis Abbas.

Epistola Abbatis Cassinensis ad Ioan. Cardinalem.

CVM omnium quæ circa nos geruntur, non modica vos cura sollicitet, & vt verè diligens participem vos nostri,

& ex

& ex animo compassibilem in singulis offeratis: præter iuris ordinem incederemus vobiscum, & in lege amicitiæ quàm maximè peccaremus, si celaremus illud à vobis, quod compertum conferat gaudium, & de nostrâ calamitate deficientem quodammodò vestrum spiritum relaxaret. Ecce enim quia magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes: sepultis enim omnium gaudiorum organis, solam, quâ premebamur, miseriam pensabamus. Absorbuerat nos siquidem iam mœstitia vltra modum, & hinc rerum inopia, inde nos hostili metu prementibus, eramus iam, & de vitâ dubij, & de morte securi. Concluserat namque Dominus in gladio populum suum, depascebantur filij Belial vineam Domini, faciesque pauperum demoliebantur, & in tantum sæuitia processerat malignorum cuncta ferro flammisque vastantium, vt iam non tantùm corde, sed etiam ore insipiens diceret: Non est Deus, miserique pusillanimes, qui in miseriis non subsistunt, ignorantes, quia de humo non egreditur dolor: clamauerunt, & Dominus exaudiuit eos, quia cùm occideret eos, tunc inquirebant eum. Non sic generatio quærentium faciem Dei Iacob, qui in die tribulationis suæ requirunt Dominum manibus suis, id est operibus suis. Exquirunt & inueniunt: petunt & accipiunt: pulsant & aperitur eis: expertus est hoc sic esse, vt dicimus, claudus ille Ioannes de Variano, vobis & cunctis, qui domum nostram frequentant, notissimus. Hic etsi homo dictus sit ratione vtens, quod est hominis, in eo tamen minus homine putabatur, quia non pedibus gradiebatur, vt homo, sed vt reptile manibus, natibusque serpebat.

Claudus insigni miraculo gressui à S. BENEDICTO restituitur.

Dedit se hic talis Patri nostro Confessori permagnifico BENEDICTO ab eo tempore, quo Castrum Vairani nobis est munificentiâ imperiali collatum: & cæteris illius terræ incolis à nostrâ ditione recedentibus, non recessit. Exspectans exspectauit si fortè veniret tempus miserendi eius, si fortè ab illius impetu fluminis, qui totam lætificat ciuitatem Dei, aliqua misericordiæ stilla profflueret, quâ membris emortuis, neruisque ariditate nimiâ tenuatis, aliquis infusus vigor stupentes articulos viuacibus officiis ordinaret. Adfuit eius votis misericordia Creatoris, nec meritum defuit BENEDICTI, cuius in hâc causâ patrocinio vtebatur. Nam sextâ feriâ proximâ præteritâ, quæ Kalendas subsecuta est Iulij, excubans ante fores atrij, quod dicitur Paradisus, super triticum, quod ibi congestum erat ad desiccandum, reuerendi vultus senex, semel & secundò astitit, & vt resurgeret ac abiret, satis imperiosè mandauit. Excitatus est homo, & quasi in ecstasi positus, quid ageret, ignorabat: nesciebat enim senem, qui mandatum dederat, nesciebat ad quid surgeret, vel quò abire se vellet. Obdormiuit iterum, verùm visio priori similis, immò longè expressior, & efficacior est secuta. Idem namque senex in eodem habitu, scapulari videlicet indutus, & tunicâ; astitit homini, mandauit vt surgeret, fratrem BENEDICTVM se esse nominans, locum etiam in quem eum ire vellet designauit ex nomine. Vade, inquit, ad locum qui dicitur sanctæ Crucis, vbi in memoriam mei nominis Oratorium est constructum, illuc cùm iueris sanitatem, quam suspirasti diutiùs, consequêris. Est enim locus ille in memoriam signorum, quæ fecit ibi Dominus per merita Confessoris sui ab antiquis in multâ habitus deuotione, & à modernis de cætero plus habendus: vbi inter alia, quæ referuntur, gesta miracula, duo præcipua memorantur, quorum alterum ex Scripturâ, alterum relatione didicimus seniorum. De vasis, quæ vulgo dicuntur flascones, in quibus Viro Dei vinum fidelis cuiusdam deuotio destinauit, in dialogo suo beatus Gregorius refert, quod vinigerulus alterum sancto viro portauit, alterum, quod sibi nequiter retinere posse sperabat, illo in loco dicitur occultasse. Mox autem, vt altero allato, alterum sibi sumere vellet, serpens de vase, iuxta verbum Viri Dei, prodiit, & pro vino iniquè sublato, ipsum iniquitatis emisit auctorem.

CAPVT XVIII.

Lapis in quem corruit mula, cui Sanctus insidebat mollescit.

Ab antiquis etiam vsque ad nos processit opinio, quòd cùm vellet vir Dei, mulæ insidens, montem scandere, in scabrosum lapidem impingens, mula corruit: sed ne Vir sanctus, vel animal quo vehebatur læsionem aliquam pateretur, in ceræ mollitiem resolutus lapis, carnis teneritudini cessit duritia eius: & signi huius memoriam omnibus locum visentibus dereliquit. Est quoque non modicum medicinalis Febribus lapis iste, prout testantur multi, qui de illo in remotissimas deferunt regiones. Ad hunc locum (prout sibi Sanctus mandauerat) præfatus Ioannes manè surgens accessit, non absque multo desiderio, factæ sibi promissionis præstolans euentum. Adest Vir Sanctus, & quod dictu mirabile est, sicut eum imaginariè per visum nocte perspexerat, intuitu corporeo deprehendit. Stupet homo, colores, vultus varios induit: nunc ex gaudio rubicundus color exoritur, nunc ex timore pallescit: in sudorem totus resoluitur, atque inter spem metumque medius, quid ageret nesciebat. Vocat eum iterum sanctus ex nomine. Ioannes, inquiens, surge, ad domum concitus reuertere meam, porrectaque

CAPVT XVIII.


rectâque manu, viam quâ ad ecclesiam rediret suam, tam verbo, quàm ipsâ manus extensione monstrabat. Exiliens continuò claudus ambulauit, illudque modicum itineris, quod vix toto reptando corpore in montis descensu confecerat, tantâ rediens agilitate peregit, vt plures, qui eum habuerunt obuium non claudum, sed cursorem aliquem æstimarent. Vidimus & audiuimus hæc omnia, nos omnes, vidit etiam populus claudum ambulantem, & laudantem Dominum: cuius laudibus & nos nostras subiecimus, & vt vos vestras adiiciatis, oramus.

Fuit Roffredus iste Abbas Cassinensis quinquagesimus secundus, electus Anno Domini millesimo centesimo octogesimo septimo. Postmodù verò à Cælestino III. Cardinalis creatus anno 1189.

CAPVT XIX.

DE MAPPVLARVM RECEPTIONE A VIRO DEI COGNITA.

S. Benedictus videt absens mappulas dari Monacho.



NOn longè autem à monasterio [1] vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu BENEDICTI fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoque quædam [2] Sanctimoniales feminæ inerant, & crebrò illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere BENEDICTVS Dei famulus curabat. Quadam verò die misit ex more: Sed is, qui missus fuerat Monachus post admonitionem factam, à Sanctimonialibus feminis rogatus [3] mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est, eum vir Dei vehementissimâ amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? at ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vnde corripiebatur ignorabat. Cui ait: Numquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti? qui mox eius vestigiis prouolutus, stultè se egisse pœnituit, & eas, quas in sinu absconderat, mappulas abiecit.

COMMENTARIVS.

1. VICVS.] Zacharias vertit *emporium*, vt intelligas celebrem omninò fuisse vicum; vt etiam innuit Gregorius, dicens, non minimam multitudinē hominum in eo ad fidem conuersam.

Triplex olim Monialium institutum.

2. SANCTIMONIALES FEMINÆ.] Occasione harum Monialium explicandum hîc, quænam earum tempore S. BENEDICTI, & quod præcedit, viuendi fuerit forma; triplicem autem fuisse inuenio.

Primum, viuentium sub clausurâ.

PRIMÒ enim quædam viuebant in monasteriis sub Clausurâ, eo, quo hodieque per totam Ecclesiam fit modo. Augustinus enim lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. de illis agens, hæc ait: *Ad quas Iuuenum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum & probatissimorum senum, nisi vsque ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent, gratiâ.* De sanctissimo Monasterio, in quo vixit S. Euphraxia tempore Theodosij Imperatoris, scribitur in vitis Patrum lib. 1. *Nulla earum ianuas exibat. Erat autem ianitrix, per quam responsa omnia fiebant, matura.* De virginibus in Tabennâ S. Pachomij habitantibus, vbi erat Monasterium quadringentarum Sanctimonialium, Palladius in Lausiacâ cap. 39. ait: *Præter Presbyterum autem & Diaconum, nullus transit ad Monasterium feminarum, idq; die Dominico.* Viguisse autem Sanctimonialium clausuram ætate S. BENEDICTI, ex S. Cæsarij Arelatensis Regulâ colligitur, in câ enim numer. 1. dicitur: *Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare, & sanctum ouile voluerit introire, vt spiritualium luporum fauces Deo adiuuante possit euadere, vsque ad mortem suam de monasterio non egrediatur, nec de basilicâ, vbi ostium esse videtur.* Vide etiam art. 34. 35. 36. 38. eiusdem Regulæ. Reprehendit quoque S. Gregorius Iannarium Episcopum Calaritanum, lib. 3. Regist. epist. 9. quòd monasteria ancillarum Dei minùs tueretur, & cùm à Decessoribus Episcopis dispositum esset, vt quidam de Clero probati earum necessitatibus adhiberentur, nunc ipsi Deo dedicatæ feminæ per villas, prædiaque discurrere, atque virilibus incompetenter se immiscere negotiis compellerentur. *Quod malum*, inquit, *fraternitas tua facili correctione remoueat, vt vnum probatum virum vitâ moribusq;, cuius ætas atque locus nihil de se praua suspicionis inuciat, solicitè deputet, qui sic Monasteriis cum ipsis Dei timore possit assistere: quatenus vlteriùs eis pro quibuslibet causis priuatis vel publicis extra venerabilia*

Quales tempore S. Benedicti.

rabilia

CAPVT XIX.

rabilia loca CONTRA REGVLAM VAGARI NON LICEAT, *sed quidquid pro his agendum est, per eum quem deputauerit, rationabiliter peragatur. Ipsa verò referentes Deo laudes, atque coercentes semetipsas in Monasteriis suis, nullam occasionem vlterius fidelium mentibus praua suspicionis iniiciant.* Hæc Gregorius, qui S. BENEDICTI Regulam insinuasse videtur, cùm ait: *contra Regulam vagari non liceat.* Sanctus enim BENEDICTVS decreuit, *Monasterium ità debere construi, vt non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omninò non expedit animabus eorum.*

Reg. cap. 66.

Quæ si de Monachis statuerit, quid, quæso, de Monialibus decreuisset? Donatus sanè, qui Regulam S. BENEDICTI Monialibus accommodauit, omnia illa prætermisit, quæ de Monachorum egressu, & labore in agris S. BENEDICTVS scripserat. Benedictinas constat ad annum circiter Christi 713. sub perfectissimâ clausurâ in Monasterio Winburnensi vixisse. Rodulphus enim Hrabani Mauri discipulus, in vitâ S. Liobæ, hæc scribit: *Numquam virginum contubernia quisquam virorum intrare permittebatur: exceptis solummodo Presbyteris, qui in ecclesias earum ad agenda Missarum officia tantum ingredi solebant, & consummatâ solemniter oratione, statim ad sua redire. Feminarum verò quæcumque sæculo renuntians earum collegio sociari voluerat, numquam exitura intrabat, nisi causa rationabilis, vel magna cuiuslibet vtilitatis existens, eam cum consilio emitteret. Porrò ipsa Congregationis Mater, quando aliquid exteriorum pro vtilitate Monasterij ordinare vel mandare necesse erat, per fenestram loquebatur, & inde cernebat (aliter, decernebat) quæcumque ordinanda aut mandanda vtilitatis ratio exigebat.* Hæc ibi. Quæ attulimus ad probandam clausuræ in Ordine nostro antiquitatem.

Moniales Benedictinæ olim clausæ.

SECVNDÒ, Moniales olim è Monasterio ad templum egrediebantur. Hieronymus enim epist. 27. agens de Monasteriis à S. Paulâ constructis, ait: *Die Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere, & vnumquodque agmen Matrem propriam sequebatur.*

Secundum, Institutum subinde exeuntium.

TERTIÒ, vt ait Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 4. n. 2. Olim virgines priuatim in suis domibus vitam agentes, in manibus Episcopi profitebantur, & sacrum velum recipiebant. Sic enim S. Domitillam de manu Clementis sacrum velamen virginitatis accepisse, referunt historiæ, vt est apud Surium tom. 3. die 12. Maij, & Baron. tom. 1. ad annum 98. num. 6. at verò, illud velamen signum erat religiosi status; & ante Monasteria seu communitates virginum in vsu fuit: tunc autem huiusmodi virgines sacræ in domibus priuatis, vel parentum vel aliis honestis locis habitabant, vt clarè exponit Concilium Eliberitanum cap. 27. vbi has virgines tamquam religiosas, Deo dicatas appellat. Et de eisdem loquens Concilium Carthaginense III. cap. 33. præcipit, *vt virgines sacræ, si parentibus à quibus custodiebantur priuatæ fuerint, Episcopi prouidentiâ, vel Presbyteri, si Episcopus absens fuerit, in Monasterio virginum, vel grauioribus feminis commendentur.* Vbi obseruare licet, quod quamuis eo tempore iam essent Monasteria virginum in vsu, nihilominus non cogebantur virgines sacræ in Monasteriis viuere, si commodè poterant in priuatis domibus custodiri.

Tertium, in domibus suis habitantium.

Dices hæc posse intelligi de feminis virginitatem solam vouentibus. At non potest hoc vniuersim sustineri: quia virgines sacræ, & Deo dicatæ in primitiuâ Ecclesiâ, non dicebantur, nisi quæ sacrum velamen recipiebant, quod viduis & corruptis non concedebatur, etiamsi votum castitatis emitterent, vt constat ex Gelasio, epist. 1. & ex Leone epist. 87. & Augustino lib. de bono Coniug. cap. 26. erant ergo veræ Religiosæ, & ideò specialiter consecrati dicebantur. Præterquam quod verisimile non est, toto eo tempore, quo non potuerunt monasteria virginum ædificari, aut feminarum conuentus fieri, nullas fuisse in ecclesiâ feminas propriè ac verè religiosas. Hactenus Suarez, qui etiam lib. 6. cap. 2. de religiosâ agens professione, hæc addit: Sæpe videtur facta in Ecclesiâ religiosa professio sine tribus votis, sic enim olim virgines profitebantur in manibus Episcopi, à quo velamen nigrum aut rubeum recipiebant, vt sumitur ex Concilio Toletan. X. cap. 8. & ex Ambrosio ad virginem lapsam cap. 5. & de institut. virgin. cap. 8. & ex Hieronymo epist. 8. ad Demetriadem. Et epist. 48. ad Sabinam aliquantulum à principio, & tamen illæ vel nihil vouebant, vel ad summum solam virginitatem. Sic ille.

Hæ profitebantur in manibus Episcopi sine tribus votis.

Agnouit & Hieronymus similes sanctimoniales, epistolâ 47. reprehendit aliquam Deo consecratam virginem, quod relictâ Matre viduâ, & Monacho fratre, extraneo cohabitaret Clerico: *Inter Matrem atque Germanum*, inquit, *& Matrem viduam & fratrem Monachum, cur se alienus interserit.* Posteà, ait, eam furuas & pullas gestasse vestes, quod sanctimonialium erat signum. Talis fuit & Marcella, quæ, vt ait Hieronymus epist. 16. ad Principiam, *eo tempore nulla nobilium feminarum Romæ nouerat propositum Monachorum, vbi ab Alexandrinis sacerdotibus, Papaq; Athanasio vitam beati Antonij, Monasteriumq; in Thebaide Pachomij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam, non erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat.* Id autem fecit in maternâ domo, nam vt anteà dixerat idem Hieronymus: *Nusquam sine Matre nullum Clericorum aut Monachorum (quod ampla domus interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris.* Illa quoque Sanctimonialis Alexandrina, quam Pratum Spirituale cap. 70. refert oculos sibi eruisse, quos iuuenis quidam deperibat, scribitur in domo suâ vitam solitariam duxisse.

Sed arbitrabitur quispiam, has tales à monasticâ Regulâ extorres, liberiùs nonnihil vixisse. Verùm easdem etiam in paternâ domo Regulæ astrictas ex Sanctorum constat historiis. De amitis suis ità testatur Gregorius homiliâ 38. in Euangelia: *Vno ardore conuersa, vno eodemq; tempore sacratæ sub districtione* REGVLARI *degentes, in domo propriâ specialem vitam ducebant.* Erat ergo his peculiaris Regula, habitusque monasticus, nam vt deinceps ait Gregorius: Tarsilla & Æmiliana Gordianam tertiam sororem sensim tepescentem, *à leuitate morum ad grauitatem sui habitus reformare curabant.* Eademque posteà dicitur: *oblita consecrationis suæ, & à sanctimonialis habitus excellentiâ corruisse ad pœnam.* Vnde liquet, has sub Regulâ degentes non deuotas in sæculo fuisse virgines, sed sanctimoniales & consecratas. Talis & Redempta fuit iuxtà B. Mariæ virginis Ecclesiam in sanctimoniali habitu constituta, & binæ eius in eodem habitu discipulæ, de quibus Gregorius lib. 5. Dialog. cap. 15. Sic & S. Gudilam, & in Prædicatorum

Et Regula tamen astringebantur.

CAPVT XIX.

dicatorum ordine Catharinam Senensem in domo paternâ, sub Regulari disciplinâ vitam duxisse legimus.

Moniales, quibus Prædicatores S. BENEDICTVS mittebat, erant in monasterio.

Sed ad quodnam ex his tribus generibus Moniales, de quibus hîc sermo, spectabant? Simon Milletius postremis annumerat, talesque ait fuisse & illas de quibus cap. 12. & infrà cap. 23. agitur, quæ scilicet in propriis degebant ædibus, choro, aliisque Cœnobiticis functionibus non adstrictæ. Verùm meliùs Reuerendus Dominus vanden Zype Abbas S. Andreæ in tract. de Religioso statu Sanctæ Scholasticæ part. 1. cap. 4. censet has Moniales vixisse in Monasterio in communitate Religiosâ, quod colligi mihi posse videtur ex ipso Gregorij contextu. Ait enim, quod S. BENEDICTVS *eo crebrò pro exhortandis animabus fratres suos mittere curabat*. Et quod *quâdam die miserit ex more*. Quæ verba publicam ad omnes Moniales innuere videntur exhortationem: Nam si in proprus duæ vel tres vixissent ædibus, non videtur sanctissimum virum vel ex more & consuetudine; vel *crebro* istuc fratres missurum fuisse. Neque id de aliis affirmatur; nam de eâ, de quâ cap. 10. fit mentio, scribitur, *quod fratres religiosæ feminæ habitaculum intrauerint*, non autem quòd eò essent missi. Quæ verò cap. 23. in proprio conuersabantur loco, non videntur à S. BENEDICTO, aut eius discipulis crebrò visitatæ. Nam religiosus vir, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, cùm diu verborum contumelias ab iis tolerasset, perrexit ad S. BENEDICTVM, quantaque pateretur, enarrauit; quod forsitan non fecisset, si eò vel ipse Pater, vel crebrò eius venissent discipuli.

Accedit quod Zacharias non simpliciter, vt Gregorius dixerit, *Ibi quædam Sanctimoniales morans, sed, in ipso Emporio erat Asceterium Religiosarum, & venerandarum virginum, ob quarum excellentem sanctimoniam suos discipulos, ad illarum ædificationem & institutionem mittere solebat*. Et posteà *vnâ die secundum consuetudinem vir Dei Monachum quemdam ad virginum Asceterium misit*. Constat autem Asceterium pro Cœnobio & monasterio vsurpari in Pandectis Græcis, aliisque Auctoribus. Probabiliter ergo credi potest, in hoc virginum cœnobio sanctam vixisse Scholasticam, fundatumque illud à S. BENEDICTO. Nam si ante eius aduentum, incolæ vici illius erant idololatræ, & ab ipso ad fidem sint conuersi, quis credat ante eius aduentum vllas ibi fuisse Moniales? Nec apparet ab alio illic excitatum Cœnobium, quàm ab eo, qui fidem Dei illic plantauerat, præsertim cùm Cassinense territorium, ex Tertulli Patricij donatione, iuris esset S. BENEDICTI: vt proinde in eo alius, absque illius licentiâ Monasterium fundare non potuerit.

Mappula pro strophiolo.

3. MAPPVLAS ACCEPIT.] Vtitur Gregorius hîc, vt aliàs sæpe, voce à S. BENEDICTO in Regulâ vsurpatâ, quâ strophiolum siue sudarium designari diximus, in nostris *Disquisitionibus*.

4. NVMQVID EGO ILLIC PRÆSENS NON ERAM.] Absens corpore S. Pater, suis præsens erat spiritu; vnde Gregorius suprà cap. 12. ait, S. BENEDICTVM ignouisse Monachis, qui foris comederant, perpendentem, quòd *in eius absentiâ id vltrà non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent*. Vides autem, quod sæpius in hâc vitâ obseruare licet, & hîc Sanctissimo Patri nostro idem, quod olim Elisæo communicatum priuilegium.

S. BENEDICTVS vt Elisæus prophetiæ pollet spiritu.

Nam cùm Giezi ab Naaman Syro clàm accepisset duo talenta argenti, & duplicia vestimenta, factumque id negaret, increpans eum Propheta, ait: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui*. 4. Regum 5. Septuaginta, vt ait Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 29. legunt: *Nonne cor meum tecum ibat, & noui?* Eodem modo Sanctus Paulus, ex mente Chrysostomi 1. Corinth. 5. *absens corpore, præsens autem spiritu, indicauit vt præsens incestuosum*.

Tripliciter Prophetæ vident absentia.

Quod si quæras, quomodò Prophetæ & viri Sancti absentia videant? Respondemus breuiter, triplici modo fieri, secundùm triplicem in homine potentiam cognoscitiuam, sensum scilicet, imaginationem & intellectum. Vident ergo Prophetæ, vel per oculos corporis, vel per spiritum imaginarium, vel per intuitum mentis: de quibus vide Augustinum lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 7. & sequentibus. Idem verò, citato loco de Ciuitate Dei, de Elisæo agens, ait, eum oculis corporeis ad seruum suum absentem videndum non indiguisse, *sed corde suo se dixit hoc vidisse Propheta, adiuto quidem mirabiliter, nullo dubitante diuinitus*. Et Gregorius homil. 1. in Ezechielem, ait: *Est prophetia præsens, cùm res qualibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, qua tamen per spiritum denudatur, & ibi fit præsens prophetantis animus, vbi per præsentiam non est corpus*. Quod exemplo Elisæi absentem Giezi videntis confirmat. Fuerit ergo hæc visio imaginaria, vel intellectualis, vel ex vtraque mixta.

Ordinum Patriarchæ subditorum actiones è cælo intuentur.

Vlteriùs porrò hoc annotandum, S. BENEDICTO etiamnum viuenti concessum, quod Ordinum Fundatoribus iam cælo receptis, & cum Deo regnantibus probabiliter tribui solet. Hinc Ioannes Crombecius lib. 2. de studio Perfectionis cap. 2. num. 12. expedire ait, Religiosi vt omnes, sui Ordinis Patriarchas semper habeant præsentes, nec falsò id quidem: est enim admodum probabile, singulos Ordinum Fundatores, non modò actiones suorum alumnorum cognoscere externas, sed & totius Ordinis ac singularum personarum mutationes videre, cogitationumque secreta rimari: hoc enim Auctore B. Thomâ, aliisque Doctoribus, ad statum illorum pertinet, vt non tantùm Dei conspectu fruantur (quod omnibus beatis commune est) sed etiam quæ in Ordine à se fundato fiunt, singulari Dei priuilegio, tamquam & Ordinis totius Rectores, & tutores singulorum, perspecta habeant. Quare, etiamsi velimus tegere occulta conscientiarum nostrarum, ipsos latere non possunt. Sic ille. Quæ confirmari solent ex S. Gregorio lib. 4. Dialogorum cap. 33. sic dicente: *Quid est, quod ibi Sancti nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* Et lib. 12. Moral. cap. 14. ait, impios esse eos de quibus Iob 14. *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget; id est, mortui viuentium vitam ignorant. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est: quia, quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent*.

S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 4. ad 2.

Discant ergo Religiosi, Fundatores suos velut præsentes revereri, seque ab illis credant obseruari. Inculcauit hoc Lucilio suo Seneca lib. 1. epist. 11, vt suprà in præfatione ad hanc vitam retuli. Iuuerit nunc Bernardum, vel quisquis est Auctor Epistolæ ad Fratres de monte Dei, eadem præscribentem audire: *Donec, inquit, pleniùs addiscas diuinam*

cogitare

cogitare præsentiam, Pædagogum tibi procurabo. Elige tibi in ipse hominem consilio meo, cuius vita exemplar sic cordi tuo insederit, reuerentia inhæserit, vt quoties eius recordatus fueris, ad reuerentiam cogitati assurgas, & temetipsum ordines & componas, qui cogitatus ac si præsens sit in affectum mutuæ charitatis, emendet in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnum secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit quacumque volueris, occurrat sæpe & cum nolueris. Nam omnes cogitationes tuas cum ab eo videri cogitabis, ac si videat, ac si arguat, emendare cogeris. CAPVT XIX.

CAPVT XX.

DE COGITATIONE MONACHI SVPERBA A DEI VIRO COGNITA.



VADAM quoque die, dum Venerabilis Pater vespertinâ iam horâ corporis alimenta perciperet, eius monachus [1] cuiusdam defensoris filius fuerat, qui [2]. ei ante mensam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernæ ministerio astaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente suâ tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum ego, vt isti seruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens: Signa cor tuum frater; quid est quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque statim fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli: ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi horâ eâdem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quòd venerabilem BENEDICTVM latere nil posset, [3] in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent. CAPVT XX. *Videt occultas Monachi cogitationes.*

COMMENTARIVS.

1. CVIVSDAM DEFENSORIS FILIVS.] Hic lapis offensionis, & petra scandali est. Non defuit enim scriptor, qui hinc S. BENEDICTI, aut subuertere, aut imminuere voluerit nobilitatem. Ex eo enim quod indignabundus hic Defensoris filius, Patrem suum in corde contempsit, dicens: *Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum ego, vt isti inseruiam?* arbitratus est Auctor ille, sanctum BENEDICTVM, non tam nobili prognatum stemmate, atque passim fertur, & *Defensoris* dignitate (quam non admodum vult fuisse excellentem) natalibus minorem. Quasi verò, arrogantis Iuuenis præsumtio & superba immortificati animi cogitatio satis essent, ad iudicium de nobilitate S. BENEDICTI ferendum. Nec video, qualis hæc consequentia: putauit Iuuenis Monachus se S. BENEDICTO nobiliorem, ergo fuit. Ità quoque Roboam sapientissimi Salomonis filium, de quo Scriptura 2. Paralipp. 13. 7. *Porrò Roboam rudis & corde pauido erat*; aliquis concludat Patre fuisse præstantiorem, quia nimirum dixerit: *Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei.* Dicemúsne Patrem ideò minus fuisse prudentem, quia inconsiderato filio id in mentem & in buccam venerit: An Carolomannus Austrasiæ Rex ideò coquo inferior, quia ab eo depalmatus mancipij instar vapulauit? eiusdem farinæ argumentum est, quod à Defensoris filij cogitatâ arrogantiâ desumitur. Neque verò *Defensoris* officium tam humile aut vulgare fuit, ac nonnulli existimant, de quo lubet attexere, quæ de eo notata occurrunt.

Refellitur opinio S. Benedicti nobilitatem elevantis.

3. Reg. 12.

Prima autem mentio *Defensoris* Ecclesiæ, teste Baronio ad annum Christi 286. num. 4. inuenitur in actis S. Sebastiani Martyris, primæ Prætorianorum cohortis Ducis, cui munus hoc à Caio Papâ collatum esse tradunt. Qui magistratus in posterum in Ecclesiâ perseuerasse cognoscitur. Nam in Concilio Carthaginiensi V. Canone 9. decreta est legatio ad Imperatores *propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, vt Defensores eis aduersus potentias diuitum cum Episcoporum prouisione delegentur, atque vt reliquiæ idololatriæ deleantur.* Quæ quidem Patres obtinuisse videntur. Nam de Magistratu in Africâ, qui dicebatur *Defensor* Ecclesiæ, Possidius in vitâ S. Augustini cap. 12. meminit. Papias in Glossis: DEFENSORES *à Romanis Pontificibus constituti sunt Episcoporum adiutores, quibus honores inter Clericos, sicut & Regionariis concedimus.* Et hi quidem quatuor sunt, qui ἐκκλησιέκδικοι appellantur à Iustiniano in edicto XIII. & Nouella LVI. Vide de horum officiis Glossarium Meursij, verbo ἔκδικος. Præter Ecclesiasticos autem erant & alij politici, *Defensoris nomen officiumque.*

CAPVT XX.

quorum officium vt Garsias Loaysa ad Concilium Toletanum VIII. annotauit, in duplici erat ratione. Alij enim nomine Ciuitatis, causas, lites, & negotia curabant, vt Actores, Syndici, &c. Alij Defensores erant cum potestate & Magistratu, qui locorum Defensores dicebantur: de quibus leges Wisigothorum loquuntur; Leges etiam Romanæ lib. 1. & L. *Defensores Ciuitatum* 5. C. titulo 53. de *Defens. Ciuit.* Alij dicuntur Prouinciarum Defensores, quibus latior cura & plures res, & Ciuitates defendendæ commissæ fuit, & (vt inquit Iustinianus) paternâ voce ità dicti, vt eripiant à malis iniuriam patientes. Erat quinquennale hoc munus L. 4. C. de *Defens. Ciuit.* Ex Nouellis Iustiniani factum est biennale. §. *Iusiurandum* & §. fin. eodem titulo in Nouellis. Prædictorum singula declarat pulchrè, Lex 4. titul. 54. Codicis lib. 1. his verbis: *In Defensoribus vniuersarum Prouinciarum* (aliàs singularum Ciuitatum, vel vt alij, vniuersarum Ciuitatum) *erit administrationis hæc forma, & tempus quinquennij spatio metiendum, scilicet vt in primis Parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos, vrbanosq; non patiaris affligi: Officialium insolentiæ, & Iudicum procacitati, salua reuerentiâ pudoris occurras: ingrediendi cùm voles ad Iudices, liberam habeas facultatem: superexigendi damna vel spolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debet, excludas, nec patiaris quidquam vltra delegationem solitam ab his exigi, quos certum est remedio non posse reparari.* Ciuium electione ac postulatione constitui solere, ex Cassiodoro lib. 7. Variar. cap. 11. colligitur, qui in formâ *Defensoris* cuiuslibet Ciuitatis hæc habet. *Defensorem te itaq; illius Ciuitatis per indictionem illam, ciuium tuorum supplicatione permota nostra concedit authoritas.* An autem Monachi huius Pater *Defensor* fuerit Ecclesiæ, an Ciuitatis, an Prouinciæ quis dicet? nobis sufficerit ostendisse superbam Monachi cogitationem nihil de S. Patris imminuere nobilitate.

Duplex superbia.

Cæterùm, cùm duplex sit, vt S. Dorotheus serm. 2. annotauit, superbia; mundana scilicet & monachalis, siue vt Cassianus lib. 12. cap. 2. ait spiritualis & carnalis; eique consentiens Gregorius lib. 4. Moral. cap. 19. in hæc verba scribit: *Elatio alios ex rebus sæcularibus, alios verò ex rebus spiritualibus possidet: alter enim intumescit auro; alter eloquijs, alter infimis & terrenis rebus; alter summis cælestibusq; virtutibus.* Non difficilè fuerit colligere, vtronam superbiæ genere hic Monachus laborauerit. Mundanam enim & carnalem fuisse manifestum est. Declarat enim Cassianus cap. 27. libro citato, à detestabili tepore incipientem in deterius quotidie proficere, *vt nunquam possit in corde suo humilitatem Christi simplicem veramq; suscipere, cum sibi vel de nobilitate natalium gloriatur, vel inflatur de sæculi (quam corpore non mente deseruit) dignitate.* Et lib. 11. cap. 13. exponens quibus modis Cenodoxia Monachos pulset, inter cæteros recenset, *quod Parentes diuites aut nobiles habeat, vel quod militiam honoresq; contempserint.* Talis ergo erat hic noster gloriosus Defensoris filius, cui planè similis frater Leonardus de Assisio, qui S. Franciscum asello insidentem subsequens, *cœpit dicere intra se: Non de pari ludebant parentes eius, & mei. En ipse equitat, & ego pedester asinum eius duco. Hæc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus, & ait: Non frater, conuenit, vt ego equitem, tu venias pedes: quia nobilior & potentior in sæculo tu me fuisti. Obstupuit illicò frater, & rubore suffusus, deprehensum se recognoscens procidit ad ipsius pedes.* Auctor Bonauentura cap. 11. vitæ S. Franc. scr.

Aliud Exemplum simile.

2. EI ANTE MENSAM LVCERNAM TENEBAT.] Nota pœnitentiæ vel mortificationis formam à S. Patre vsitatam, ex veterum, sine dubio, Monachorum vsu, nam Pachomij Regula artic. 117. de eo, qui vestimentum ad solem expansum reliquerit, ait: *Pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicè in Collectâ, stabitq; in vescendi loco.* Notabile exemplum videre est apud Climacum gradu 4. vbi Abbas octogenarium quemdam, per horam, probationis causâ, ante mensam sine cibo stare permisit.

3. IN CVIVS AVRIBVS TACITÆ ETIAM COGITATIONIS VERBA SONVISSENT.] Quæres forsitan, quomodò S. BENEDICTVS, aliique Sancti mentium cogitationes penetrauerint, cùm solus ille nouerit abscondita cordis, qui finxit singillatim corda hominum, Spirituum ponderator & discretor cogitationum Deus. De quo 1. Paralipom. 28. 9. *Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelliget.* Respondetur: Sanctos arcana cordis cognoscere per lumen diuinum, quo aliorum ipsis cogitationes manifestantur à Deo, non quidem immediatè; sed per Angelos, quos Dionysius Areopagita cap. 4. cælest. hierarch. ait, per excellentiam cognomen illud meruisse, quia ipsi primò à Deo illuminantur, & per ipsos nobis nostræ reuelationes transmittuntur. Et Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 172. art. 2. ait: *Sicut Apostolus dicit ad Romanos 13. quæ sunt à Deo, ordinata sunt. Habet autem hoc diuinus ordo, sicut Dionysius dicit, vt infima per media disponat. Angeli autem medij sunt inter Deum & homines, vtpote plus participantes de perfectione diuinæ bonitatis, quàm homines. Et ideò illuminationes & reuelationes diuinæ à Deo ad homines per Angelos deferuntur.* Quod etiam probat ex eodem Dionysio, citato anteà loco, dicente: *Diuinas visiones gloriosi Patres nostri adepti sunt per medias cælestes virtutes.* Cognoscere porrò occulta cordium spectat ad discretionem spirituum, vt docet diuus Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 4. in corpore. Hinc Antonius Yepez, ex hoc exemplo, inter cætera probat S. BENEDICTVM habuisse etiam gratiam gratis datam, quam S. Paulus 1. Corinth. 12. discretionem spirituum appellat.

Psal. 43. 22.
Psal. 32. 15.

Quomodo Sancti cognoscant cordis arcana.

C A-

CAPVT XXI.

DE DVCENTIS MODIIS FARINÆ ANTE VIRI DEI CELLAM INVENTIS.



LIO quoque tempore in eâdem Campaniæ regione [1] fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque in BENEDICTI monasterio triticum deerat. Panes verò penè omnes consumpti fuerant, vt non plus quàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modestâ increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare, dicens: Quare de panis inopiâ vester animus contristatur? hodie quidem minus est: sed die crastinâ abundanter habebitis. Sequenti autem die [2] ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos Omnipotens Deus, quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, [3] didicerunt iam de abundantiâ nec in egestate dubitare.

Farina diuinitùs allata.

PETRVS.

Dic, quæso te. Numquid non credendũ est, huic Dei famulo semper Prophetiæ spiritũ adesse potuisse, an per interualla temporum eius mentem Prophetiæ Spiritus implebat?

GREGORIVS.

Prophetiæ spiritus, Petre, Prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de sancto Spiritu scriptum est, *vbi vult spirat*: ita sciendum est, quia & quando vult, aspirat. Hinc est enim, quod Nathan à rege requisitus, si construere templum posset, priùs consentit, & postmodùm prohibuit. Hinc est quod Helisæus, cùm flentem mulierem cerneret, causamque nescisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quod Omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit: quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt & accipientes Spiritum inueniant, quid de Deo sint: & rursum Prophetiæ spiritum non habentes cognoscant, quid sint de semetipsis.

Prophetiæ spiritus an Prophetis semper assistat.
Ioã 3. 6.
2. Reg. 7.
4. Reg. 4.

PETRVS.

Ita hoc esse, vt asseris, magna ratio clamat. Sed quæso de Venerabili Patre BENEDICTO, quidquid adhuc animo occurrit, exequere.

COMMENTARIVS.

1. AMES INCVBVERAT] Accidit hæc fames iuxtà Baronij calculum Anno Christi 539. Gothici belli 4. quæ Italiam mirum in modum vexauit. Nam vt Procopius, lib. 2. de bello Gothico, scribit, *ex his qui montes incolerent, frumenti in modum è glandibus commolitis confectum panem edebant. Vnde vulgatis velut in pestuâ morbis, vti par erat, multi mortales capiebantur, & pauci superstitibus interibant. In Picenis autem tradunt non minùs quinquaginta millia hominum præ inediâ interiisse, & longè plures extrà Ionicum sinum. Feminas duas tunc tradunt, quæ viros septemdecem interfectos absumpserint: Hæ namq;, vt ferunt, cùm solæ & resides domi, cæteris mortuis superfuissent, diuertentibus ad se peregrinis, noctúq; dormitantibus interfectis diuescebantur: septem itaq; & decem diuersis temporum spatiis in cibum absumptis, octauus ac decimus, qui ad has fortè diuerterat, somno tunc subitò experrectus, cùm in se eadem quæ & in cæteros fecerant, molirentur, cognitâ primum factis ab his ratione, vtrasq; obtruncat. Sed eò iam alibi euaserat famis necessitas, vt quidquid vbique herbarum esset, celeriùs nonnulli*

Quando hæc fames acciderit:

Illius calamitosi effectus.

CAPVT XXI.

adirent, & genu in terram nixi, cùm auellere has nitterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abscesserat) porrectas ad herbas solo moribundi procumberent, insepultiq; passim manerent, cùm has nemo humo contegeret: non enim erat, qui sepulturæ rationem haberet. Hactenus de fame Procopius, horum inspector ac deplorator.

Porrò Miscellæ Auctor coniungit famem hanc, cum eâ quam vrbs passa est, dum obsideretur: sed quàm atrox ista fuerit, testificatione S. Dacij Mediolanensis Episcopi, ità paucis describit. *Tanta siquidem per vniuersum mundum eo anno, maximeq; apud Liguriam fames excreuerat, (vt sicut vir sanctissimus Dacius Mediolanensis Antistes retulit, pleraq; matres infelicium natorum comederent membra.* Hæc ipse. Hoc igitur tempore cùm S. BENEDICTVS (vt infra cap. 28. loquetur Gregorius) *diuersis indigentibus Monasterij sui cuncta tribueret*, contigit triticum Monasterio deesse, eidemque diuinitus (vt hic narratur) annonam suppeditari.

2. DVCENTI FARINÆ MODII ANTE FORES CELLÆ IN SACCIS INVENTI SVNT.] Hosce saccos, diuinæ erga suos seruos prouidentiæ testes, reliquiarum instar Cassinates Monachi longo tempore asseruarunt, tandemque in Theanensis Monasterij conflagratione anno 897. cum pluribus aliis incendio consumpti sunt, vt refert Leo Ostiensis lib. 1. Chronici Cassinensis cap. 51. Sed quod largam hanc Dei spectat retributionem sæpiùs illa quidem viris sanctis exhibita legitur. Sic enim S. Iudocus (vt refert in vitâ eius apud Surium tom. 6. cap. 4. Florentius Abbas) Britonum Regis filius, cùm vnicum quem habebat ad quotidianum victum pauperibus, vel potiùs Domino in specie pauperis distribuisset panem, illudque Vuulmarus eius discipulus ægriùs ferret, vir sanctus respondit: *Volo totum tribuo esurienti, quia potens est Dominus etiam hodie nostræ prouidere necessitati. Vix recesserat Dominus, & interim dum consolaretur verus Dei amicus discipulum de panis erogatione commotum: ecce per fenestram visa sunt & inuenta in alueo fluminis quatuor nauicula victualibus onusta, de quibus quis eas adduxerit, vel quò iam victualibus exoneratas reuexerit, nescitur vsque in hodiernum diem.*

Deus corporalibus suorum necessitatibus prouidet.

3. DIDICERVNT IAM DE ABVNDANTIA NEC IN EGESTATE DVBITARE.] Cur enim dubitent serui Dei, ne desint iis terrena, quibus cælestia & diuina tribuuntur? *non potest*, inquit Augustinus, in orat. Dominic. *quotidianus cibus deesse iusto, cùm scriptum sit: Non occidet Dominus fame animam iusti: Et iterum: Iunior fui,* Prouerb. 10.
etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen Psal. 36.
eius quærens panem. Et iterum: Quærentibus regnum Luc. 12.
Dei & iustitiam eius omnia promittit apponi, & cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu, iussu Regis incluso prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fugâ, coruis ministrantibus, & volucribus cibum apportantibus in persecutione nutritur. Eadem breuiùs dicit Hieronymus in cap 6. Matth. *In promissis*, inquit, *veritatis nemo dubitet. Sit homo qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.*

Frequentia autem sunt in Sanctorum historiis diuinæ huius prouidentiæ exempla. Sic iunior quidam frater, vt habet Ruffinus, lib. 2. de vitis Patrum cap. 11. *cælestes sæpe percepit cibos, & fratribus ad se venientibus, cum nihil haberet, quod apponeret, adfuit quidam Adolescens, panes ei, & quæ erant necessaria deferens, eaq; cum ante speluncam eius deposuisset, nusquam comparuit.* Sic Apollonio Abbati (vt idem narrat, eodem lib. 2. cap. 7.) in die Paschæ per ignotos homines magna ciborum copia allata est, & in his *poma, vuæ, nuces, ficus, mala punica, & ante tempus omnia, fauus atque mellis, & lactis copia. Nicolai etiam ingentes* (palmulæ sunt Thebaicæ, vt ex Athenæo, Plutarcho, Plinio, & Isidoro probat Rosweidus) *& panes calidi & mundissimi, qui tamen peregrinæ esse viderentur prouinciæ.* Sed passim hæc talia legentibus occurrunt.

Huius prouidentiæ exempla.

CAPVT XXII.

DE DISPOSITIONE MONASTERII PER VISIONEM HABITA.

GREGORIVS.

CAPVT XXII.



ALIO quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio [1] iuxta [2] Taracinensem vrbem missis discipulis suis construere Monasterium debuisset. Qui roganti consentiens deputatis fratribus Patrem constituit, & qui ei secundus esset, ordinauit. Quibus euntibus spopondit, dicens: ite, & die illo ego venio & ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria ædificare debeatis. Qui benedictione perceptâ illicò perrexerunt, & constitutum diem magnoperè præstolantes, parauerunt omnia, quæ his qui cum tanto Patre

CAPVT XXII.

Patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte verò eâdem, quâ promissus illucescebat dies, eidem Seruo Dei, quem illic Patrem constituerat, atque eius Præposito vir Domini in somnis apparuit, & loca singula, vbi quid ædificare debuissent subtiliter designauit. Cumque vtrique à somno surgerent, sibi inuicem, quod viderant, retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes, Virum Dei sicut se venire promiserat, exspectabant. Cumque Vir Dei constituto die minimè venisset, ad eum cum mœrore reuersi sunt, dicentes: Exspectauimus Pater, vt venires sicut promiseras, & nobis ostenderes, vbi quid ædificare deberemus, & non venisti. Quibus ipse ait: Quare fratres, quare ista dicitis? Numquid sicut promisi, non veni? Cui cùm ipsi dicerent, quando venisti? Respondit? Numquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, loca & singula designaui? ite, & sicut per visionem vidistis, omne habitaculum Monasterij ita construite. Qui hæc audientes vehementer admirati, ad prædictum prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt.

S. Benedictus adhuc viuens in somnis apparet, & docet quæ promiserat.

P E T R V S.

Doceri velim, quo fieri ordine potuit, vt longè iret, responsum dormientibus diceret, quod ipsi per visionem audirent, & recognoscerent.

G R E G O R I V S.

Quid est quod perscrutans rei gestæ ordinem, ambigis Petre: liquet profectò, quia nobilioris naturæ est spiritus quàm corpus. Et certè, Scripturâ teste, nouimus quòd propheta ex Iudæâ subleuatus, repente est cum prandio in Chaldæâ depositus, quo videlicet prandio Prophetam refecit, seque repente in Iudæâ iterum inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum si BENEDICTVS Pater obtinuit, quatenùs iret per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret: vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret?

Viuens quomodo dormienti apparere possit.

Daniel. 14.

P E T R V S.

Manus tuæ locutionis, tersit meæ, fateor, dubietatem mentis: sed velim nosse, in communi locutione qualis iste vir fuit.

C O M M E N T A R I V S.

In solitariis locis ædificare Monachis vsitatum.

1. IVXTA VRBEM.] Non in ipsâ Vrbe, sed iuxtà eam in prædio fidelis viri constructum hoc Monasterium, vt enim à sæculi actibus Monachi se facerent alienos, ab hominum frequentiâ & conuersatione etiam putarunt declinandum: hinc in montibus, siluis, & remotissimis locis antiquitùs ædificata Cœnobia, malueruntque non longè extrà Ciuitates, quàm intrà illas sibi condere habitacula. De Essenis, Auctor est Philo de vitâ contemplat. eos vixisse EXTRA MOENIA, *in hortis aut villis solitarios, amantes solitudinem, non hominum odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus officere.* Et Augustinus lib. 8. Conf. cap. 6. scribit fuisse *monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia; sub Ambrosio nutritore.* Potitianus quoque eiusque contubernales iuxtà Muros Treuirenses inuenerunt quandam casam, vbi habitabant serui Dei; vt ibidem narrat Hipponensis Præsul. Cassianus Collat. 14. cap. 4. scribit, *Abbatem Ioannem in viciniâ Ciuitatis, cui nomen Thmius grandi cœnobio præfuisse.* Morem hunc S. BENEDICTVS, eiusque Discipuli vel maximè secuti sunt, vnde primi Cistercienses reiicientes à se, quidquid Regulæ refragabatur, & hoc inter cætera, vt Robertus de Monte, continuator Sigeberti annotauit, decreuerunt: *Quia,* inquit, *B.* BENEDICTVM *non in ciuitatibus, nec in castellis, aut in villis, sed in locis a frequentiâ populi semotis cœnobia construxisse sancti viri illi sciebant, idem se æmulari promittebant.*

Hinc Thomas Bozius lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 4. numer. 14. notans plerumque geminos in Ecclesiâ Dei excitatos Religiosorum cœtus, quorum alter contemplationi magis & solitudini deditus esset, alter verò actioni & frequentiæ, prioris quidem ducem facit Antonium, posterioris Basilium, Sanctum verò BENEDICTVM, Romualdum, Robertum, Brunonem, Antonij magis imitatos esse institutum. Augustinum verò, Euthymium, Studitas, Norbertum, Basilij sectatos iter. Sed Iacobus Aluarez de Paz tom. 1. de vitâ spirituali lib. 2. cap. 35.

Religiosorum Ordines gemini Actiui & contemplatiui in Ecclesiâ plerumque simul excitati.

CAPVT XXII.

S. BENEDICTVS suum Ordinem proximis lucrandis vtilem esse voluit.

Basilio æqualem facit BENEDICTVM, *qui (vt loquitur) Monachos anteà in eremo degentes, & sibi solis vacantes, in Cœnobiis propè oppida & Ciuitates coegerunt, vt alios secum in cælestem Patriam deferrent. Hoc autem fuisse à Deo inspiratum* S. BENEDICTO *consilium non obscurè colligitur, quod sanctissimus Patriarcha ad Monachos informandos, ad religiosam disciplinam propagandam euocatus non potuit aliud, cœnobia construens iuxta vrbes & oppida, quæritare: nisi vt commilitones suo exemplo, & verbo proximis essent fructuosi. Quod & hospitalitatis officium ab hâc sacrâ Religione susceptum, adhuc clarius euidentiusq; demonstrat.* Sic ille: Cuius quidem discursus, ex hoc iuxtà Taracinensem vrbem ædificato monasterio confirmari queat. Maius autem ab eo robur accipit, quòd ipse S. P. BENEDICTVS suo præiuerit exemplo. Nam postquam Cassinum venit, *commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat. In vico quoq;,* siue emporio, *non longè à Monasterio, non minima hominum multitudo ad fidem Dei ab idolorum cultu,* BENEDICTI *erat exhortatione conuersa.*

Cap. 8.

Cap. 19.

Ex quibus facile est colligere S. Patrem, cùm iuxtà Ciuitates monasteria ædificaret, vel cùm aliàs sese offerret occasio, non neglexisse verbi Dei prædicationem, siue per se, siue per suos, quos etiam dimittebat ad Sanctimonialium instructionem.

Idq; exemplo S. Basilij.

Æmulatus autem in hoc est magnum Basilium, de quo Nazianzenus, oratione in laudem S. Basilij: *Monachorum Cœnobia haud procul abiis, qui in hominum societate viuunt, ædificari iussit, nec omnino separauit, vt & propinquitate cùm opus charitatis exposceret, adesse possent: dissitis alioquin propriis terminis, ne quies eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi Monachi actionis merito, quod ex impendendâ aliis charitate existeret, priuarentur. Nec rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur: & alter alterum hoc modo iuuare posset, vt Monachorum vita per conuersationem eorum qui in communi agunt, fructuosa fieret, & ipsi à Monachis quietem, sapientiam, contemplationem discerent; quemadmodum terra & mare sese inuicem amplectuntur & iuuant.* Colebat ergo S. BENEDICTVS, æquè ac Basilius illud viuendi genus, quo non sibi, suisque tantùm, sed & proximis adeoque toti Ecclesiæ posset prodesse: quamuis negandum non sit potiorem instituti eius partem esse vacare vitæ contemplatiuæ exercitiis.

Benedictina monasteria in opidis vtiliter extructa.

Ex hoc autem zelo lucrandi Deo animas, euenit, quod Bonizo Sutriensis Episcopus, & Martyr, libro de Ecclesiasticis sacramentis scripsit, *quod multi æmulantes* S. BENEDICTI *vitam atque doctrinam, cœperint non solùm in villis & montibus, in syluis & in suburbiis, sed etiam in ipsis Ciuitatibus habitacula constituere Monachorum, & sub Regulâ beati Patris iugo se amica mancipare seruitutis, ex quibus multi admirabiles floruère Episcopi.* Nec primi in hoc genere Benedictini; nam & olim erecta intra vrbis mœnia fuisse monasteria, idque à Romanâ primum factum Ecclesiâ, testatur Baronius, anno Christi 328. num. 4. ex Augustino, qui libro de moribus Ecclesiæ cap. 33. ita ait: *Vidi ego diuersoria Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat, vir optimus & & sanctissimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate atque prudentiâ & diuinâ scientiâ præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt.* Sic ille. Ex his porrò colligere licet, licere Benedictinis vitæ mixtæ exercere officia. De quo plura in *Disquisitionibus.*

2. TARACINENSEM] Malè quidam libri, *Tartanosensem.* Est autem *Taracina,* oppidum Volscorum in Italiâ, anteà *Trachina,* vt est apud Strabonem lib. 5. id est aspera, à loci asperitate vocata. Alio nomine *Anxur* dicebatur à Ioue *Anxuro,* qui ibi colebatur (vt Seruius docet) imberbis & intonsus. Liuius: *quarto ab vrbe, Anxur fuit, quæ nunc Taracina sunt, vrbs prona in paludes.* Apud Ptolomæum lib. 3. cap. 1. nominatur *Tarrachina.* Ciuitas est Episcopalis antiqua Latij, in orâ littorali vltrà Pontinam paludem edito loco constructa, sed ægrè habitata, ab vrbe Româ sexaginta millibus passuum, à Fundis vrbe, primò in regno Neapolitano occurrente, decem millibus passuum. Ex aduerso Taracinæ in alto insulæ conspiciuntur Palmaria, & Pontia, S. Silucrij Papæ, & aliorum exilio memorabiles. Ita Ferrarius in Catalogo Sanctorum extrà Roman. Breuiarium 30. Octobris. De duobus nobilibus & eruditis germanis fratribus, qui se Regulæ S. BENEDICTI subdiderant, & ab eodem ad hoc Taracinense monasterium destinati sunt, vide Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 8.

Taracina situs.

3. NVMQVID VTRISQVE VOBIS DORMIENTIBVS NON APPARVI?] Opportunum hic fuerit, de viuorum apparitionibus, quæ aliis etiamnum viuentibus fiunt, nonnihil differere. S. enim Paulus cæcus *vidit virum Ananiam nomine introeuntem & imponentem sibi manus.* vbi ad verbum, *vidit,* in Græco additur, *ἐν ὁράματι, in visione, per visum.* Vitus quoque Episcopus, teste Zozomeno lib. 6. cap. 33. apparuit Constantino magno, qui vbi eum primò vidit, confessus est, Deum iam dudum illum hominem sibi in visionibus ostendisse, iussisseque, vt quod ille diceret, illi fidem adhiberet. Eidem Constantino adhuc viuens apparuit S. Nicolaus, minaciter eum terrens, vt tres tribunos condemnatos absolueret, vt habet Breuiarium Romanum, & Metaphrastes in vitâ. Meletius Antiochenus Episcopus Theodosio Magno apparuit, imperatoriam vestem illi iniciens, & coronam capiti imponens, quem numquam anteà visum in Episcoporum Synodo vltrò agnouit. Auctor Theodoretus lib. 5. cap. 6. & 7. Theodosius Cœnobiarcha sæpiùs cùm longissimè distaret, reuera apparuit opem suam petentibus. Metaphrastes in vitâ. Beatus quoque Petrus, Cauensis Monasterij prope Neapolim Abbas, negligentem quemdam fratrem, in somnis, absens licet, regulariter verberauit, qui deinceps studiosus fuit. Alteri quoque in viâ constituto, qui cum amicis carnes se sumpturum addixerat, similiter dormienti apparuit, & verbis increpauit. *Cumq; ille culpam agnosceret, & veniam precaretur, corporali indusio spoliari iussus est, atque flagellatus euigilauit.* Subdit Auctor: *Quibus nimirum indiciis claret, quia affectum dilectionis, quem impendere præsentibus consueuerat, absentibus spiritu impendere videbatur.* Hæc vitæ Auctor apud Surium tom. 2. 4. Mart. cap. 16.

Act. 9.

Alia viuentium in somnis apparitiones.

Ribadineira in vitâ S. Ignatij Societatis Iesu fundatoris, cap. 16. refert, Patrem Leonardum Kesselium Coloniæ degentem, magno quodam & inusitato desiderio optasse videre, & colloqui cum B. Ignatio, quare datis litteris petebat, vt sibi Coloniâ Romam pedibus ire liceret. *Respondit B. Pater, eius præsentiam Coloniæ necessariam, propterea Deum fortasse viâ magis facili & expeditâ sui videndi copiam daturum. Igitur die quadam P. Leonardo Coloniæ vi-*

gilanti

gilanti apparuit viuus adhuc & spirans B. Ignatius, cumeoq; satis longo sermone disseruit. Acta Canonizationis S. Teresiæ relat. 2. artic. 22. §. 5. simile quid referunt. *Cùm Pater Gaspar de Salazar, societatis Iesu distaret per plures leucas à loco in quo B. Teresia commorabatur, cognouit ipsa statum interiorem illius Patris, & ex particulari Dei ordinatione illi apparuit, realiq; præsentiâ, illius cubiculum clausis ianuis ingressa fuit, ac illi dedit quadam documenta ad salutares effectus animæ suæ.*

Sed quod S. BENEDICTI apparitioni magis affine est, ab Augustino lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 17. in hunc modum commemoratur. *Ioannes Monachus cuidam mulieri religiosissimæ impatienter eum videre cupienti, atque vt hoc impetraret: per maritum suum vehementer instanti, cùm ille nollet, quoniam id numquam permiserat feminis, Vade, inquit, dic vxori tuæ, videbit me nocte proximâ, sed in somnis. Et factum est. Monuitq; illam quidquid fidelem coniugatam moneri oportebat. Quæ cum euigilasset, talem se vidisse hominem Dei viro suo, qualem ille eum nouerat, & quid ab illo audierit, indicauit. Qui hoc ab eis comperit, retulit mihi, vir grauis & nobilis, & dignissimus credi.* Hæc Augustinus.

Quomodo hæ apparitiones fiant.

Si autem quæras, quomodo possint hæc fieri? Respondet Augustinus. *Si illum S. Monachum ipse vidissem, quæsissem ab eo: vtrum ipse ad illam feminam venisset in somnis, id est, spiritus eius in effigie corporis sui, sicut nos ipsos in effigie corporis nostri somniamus: an ipso aliud agente, vel si dormiebat aliud somniante, siue per Angelum, siue quocumque alio modo in mulieris somno talis facta sit visio: atque id futurum, vt ipse promitteret, prophetiæ spiritu reuelante præscriuerit. Si enim ipse interfuit somnianti, mirabili gratiâ vtique id potuit, non naturâ: & Dei munere, non propriâ facultate. Si autem ipso aliud agente, siue dormiente, & visis aliis occupato, eum mulier vidit in somnis: profectò tale aliquid factum est, quale illud est, quod Sanlus vidit Ananiam ad se venientem, cùm hoc Ananias ipse nesciret. Quodlibet horum mihi responderet ille homo Dei; pergerem ab illo quærere, an fortè aliquando per ipsam præsentiam ista fiant, aliquando per Angelorum: & vtrum possint, vel quibus signis possint à nobis duo ista discerni: an ea sentire ac indicare non valeat, nisi qui habeat illud donum, per Dei spiritum diuidentem propria vnicuiq;, prout vult.* Atque hæc dubia Augustinus circà hunc apparendi modum

1. Corinth. 12.

5. Augustini sententia.

CAPVT XXII.

mouet, magis tamen inclinat in illam partem, vt credat Angelicis operationibus illa fieri, per dispensationem prouidentiæ Dei, benè vtentis & bonis & malis, secundum inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum. *Visa igitur sunt ista,* inquit cap. 12. *quæ non præstantur in ipsis rebus vt sunt, sed in quibusdam rerum imaginibus adumbrantur,* atque ita ait visum etiam se nescientem, à quodam Curma longè absente, cum Clericis, & Presbyteris, Basilicâ, & Baptisterio. Similiter ait, se, cùm Mediolani esset constitutus, Eulogio Carthaginis Rhetori suoque discipulo in Africâ somnianti, locum Ciceronis, quem non intelligebat, exposuisse. *Imò,* inquit, *non ego, sed imago mea nesciente me, & tam longe transmare, aliquid aliud siue agente, siue somniante, & nihil de illius curis curante.* Ita Augustinus, qui sentit eodem modo fieri apparitiones mortuorum, & Sanctorum Martyrum.

Aliorumq; recentiorum

Eamdem sententiam sequuntur recentiores. Petrus Tyræus lib. 1. de Apparitione Spirituum cap. 12. ait: *In iis apparitionibus, in quibus viui quandoq; absentibus visi sunt, præter rerum imagines nihil fuit, quod ipsi spiritus vendicare sibi possint.* Et Martinus Delrio Disquisit. Magicar. lib. 2. quæst. 26. sect. 2. *Imaginaria,* inquit, *apparitio & spiritualis illa est, in quâ spiritus sui quasdam ideas in hominis phantasiâ efformant, & sic immutant atque afficiunt internum sensum: non suâ ipsi vi, neque per se, sed Angelorum vel dæmonum ministerio: nequeunt enim tales imagines, sine eximiâ quadam potestate & scientia præstantiâ, in hominum imaginatione effigiari.* Et paulò pòst: *Non ergo apparitiones imaginariæ sunt impossibiles; & modus iste facilis est apparendi etiam viuis.* Cornelius in cap. 12. Actuum Apostolorum v. 15. Nota, inquit, Angelos subinde induere speciem & personam suorum clientum, similiumve hominum, vt eorum res curent & negotia peragant. Subiicit deinde plura exempla.

Angelico igitur & incorporeo penicillo, S. BENEDICTI simulacrum, in tabulâ imaginationis dormientium fratrum depictum fuerit, quod ille Prophetiæ spiritu futurum prænoscens, promittere potuerit, aut sanè à Deo, vt ita fieret, quod promiserat, impetrauit, quod insinuat Gregorius dicens: *Quid mirum, si BENEDICTVS Pater obtinuit, quatenus iret per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret?*

CAPVT XXIII.

DE SANCTIMONIALIBVS FEMINIS POST MORTEM ABSOLVTIS.

GREGORIVS.

CAPVT XXIII.



IX ipsa, Petre, communis eius locutio à virtutis erat pondere vacua: quia, cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid verò vmquam non iam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubiè atque suspensè, sed iam per sententiam protulisset. Nam non longè ab eius Monasterio duæ quædam [1] Sanctimoniales feminæ, nobiliori genere exortæ,

CAPVT XXIII.

in loco proprio conuersabantur, [2] quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minùs se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt, [3] necdum prædictæ Sanctimoniales feminæ perfectè linguam suam sub habitus sui fræno restrinxerant, & eumdem Religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantasque pateretur verborum contumelias, enarrauit.

Minatur excommunicationem linguis procacium.

Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit, dicens: corrigite linguam vestram, quia si non emendaueritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intrà paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesiâ sepultæ. Cumque in eâdem Ecclesiâ Missarum solemnia celebrarentur, atque [4] ex more Diaconus clamaret: Si quis non communicat, det locum: nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, [5] eas de sepulchris suis progredi & exire videbat. Quod dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intrà Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est, qui manu suâ protinus oblationem dedit, dicens: Ite, & [6] hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt. Quæ dùm oblatio pro eis fuisset immolata, & à Diacono iuxtà morem clamatum est, vt non communicantes, ab Ecclesiâ exirent, illæ exire ab Ecclesiâ vlteriùs visæ non sunt. Quâ ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos, qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

Excommunicationis ipsius vis.

Excommunicationem dissoluit.

P E T R V S.

Mirum valde, quod dicis, quamuis venerabilem & sanctissimum Virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

G R E G O R I V S.

Vnde tanta in homine mortali potestas. Matth. 15. c.

Numquid nam, Petre, in hâc adhuc carne non erat, qui audiebat: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cælis?* Cuius nunc vicem ligando, & soluendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terrâ, Cæli & terræ Conditor in terram venit è cælo: atque vt iudicare caro etiam de spiritibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus Caro: quia inde surrexit vltrà se infirmitas nostra, vnde sub se infirmata est firmitas Dei.

P E T R V S.

Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

COMMENTARIVS.

1. ANCTIMONIALES FEMINÆ] Suprà cap. 19. egimus de variis, quæ S. BENEDICTI ætate erant, Monialibus. Has autem de quibus hîc agitur, Ribadineira vult in Monasterio, quod S. BENEDICTO suberat, habitasse: sed ex hoc contextu euidens est, non subsistere; quia, vt hîc dicitur, *In loco proprio conuersabantur.* Tales & tres Amitæ S. Gregorij: *quæ sub districtione regulari degentes* (vt ipse homil. 28. in Euangelia testatur) *in domo propriâ socialem vitam ducebant.* Quòd hæ autem in *propriâ domo* dicantur habitasse, non conuincit eas non fuisse Religiosas, *proprium* enim eo debet intelligi modo, quo Christus in Euangelio dixit: *Cæci vident,* hoc est, qui anteà fuerunt cæci. Vnde Glossa in capitulum *de viduis* 28 q. 1. vbi dicitur: viduas & puellas, quæ habitum religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quàm per se mutauerunt, nubere non posse, verbo (*propriis*) addit, *id est,*

Quales hæ Moniales.

id est, quæ fuerunt propria. Simili modo intelligendum decretum Eugenij Papæ II. in Concilio Romano, vt refertur 27. q. 1. cap. *Mulieres.* his verbis: *Mulieres obtentu religionis velata, aut in Monasterio regulariter viuant, aut in domibus suis susceptum habitum castè obseruent.*

2. QVIBVS QVIDAM RELIGIOSVS VIR AD EXTERIORIS VITÆ VSVM PRÆBEBAT OBSEQVIVM.] Ex totâ narrationis serie, apparet has Moniales S. BENEDICTO fuisse subditas, & ab eo Religiosum hunc virum, ad temporalium administrationem, iis fuisse præpositum. Nisi enim id ita sese habuisset, facile eis fuisset, cum ab hoc officio depellere, nec opus fuisset toties eum incautis sermonibus proscindere. Quod & inde conficitur, quia ad S. BENEDICTVM tamquam superiorem religiosus hic vir, de procacitate earum querelas deposuerit. Confirmaturque ex interminatâ à S. BENEDICTO excõmunicatione effectuque secuto. Hanc enim nisi in subditas, vir sanctus non tulisset.

Habitus religiosus tacitus quidam monitor.

3. NECDVM PERFECTE LINGVAM SVAM SVB HABITVS SVI FRENO RESTRINXERANT.] Ostendit Gregorius religiosam vestem, tacitum quemdam esse monitorem, & Pædagogum, qui religiosos mores exigat ab ijs, qui eâ fuerint induti. Quare Basilius, & Ambrosius virginem lapsam increpant, quòd virginitatis habitus fuisset oblita. Et Hieronymus ad Furiam: *Aut loquendum nobis,* inquit, *vt vestiti sumus, aut vestiendum, vt loquimur. Grande* igitur, vt cum Tertulliano loquar, *religiosi pallij beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores erubescunt.* Plura de his in *Disquisitionibus.*

Catechumenos è Missâ dimittendi antiquus ritus.

4. CVM EX MORE DIACONVS CLAMARET, SI QVIS NON COMMVNICAT, DET LOCVM.] Obserua Lector vetustum Ecclesiæ ritum, vsque ad S. BENEDICTI tempora in Missâ vsitatum: vnde & ipsum Missæ nomen quidam dictum existimant. Alcuinus de Diuinis Officiis, capite de celebratione Missæ. *Missa,* vt Isidorus dicit, *dicta est ab emittendo. Tempore enim quo Sacerdos incipit consecrare corpus Dominicum, dicendum est a Diacono post Euangelium: Si quis Catechumenus est, procedat foras.* Honorius Augustodunẽsis lib. 1. Gemmæ animæ c. 9t. *In hoc officio Catechumeni, excommunicati, Pœnitentes, foris Ecclesiam mittuntur.* Hinc prima pars Missæ ab initio vsque ad Offertorium, dici solet, *Missa Cathecumenorum.* Atque vt præsentem ritum illustremus, & ab ipsis Apostolis obseruatum ostendamus, lib. 8. Constitution. Apostol. Clementis Romani cap. 12. ita habetur: *Dico ego Iacobus Frater Ioannis Zebedai, vt statim edicat* Diaconus: *Ne quis ex Cathecumenis: Ne quis ex audientibus: Ne quis ex infidelibus: Ne quis ex hæreticis. Qui primam precationem fecistis, exite. Quæ Matres estis, pueros assumite. Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocrisi: stemus erecti Domino cum metu, & tremore ad offerendum.* Et in ipsâ Missâ S. Iacobi, hæc forma ita concipitur: *Nullus Catechumenorum, nullus eorum, qui nondum instituti sunt ad sacra, nullus eorum, qui orare nobiscum non possunt, ingrediatur. Recognoscite vos inuicem. Ad fores omnes recti. Deum rursus oremus.* Breuiùs porrò in Missâ S. Marci, sic præscribitur: *Videte ne quis Catechumenorum.* In Missâ Æthiopum, quæ, vti & superiores, habetur tom. 6. Bibliothecæ Patr. edit. Parisiens. Diaconus finito Euangelio, dicit: *Exite foras, qui non vultis accipere sacramentũ, siue Eucharistiam: Ite* Cathecumeni. Sic ibi.

Ite Missa est explicatum.

Sed & Ethnici nostro EXITE, vel, ITE MISSA EST, simile quid habuere, de quo Scaliger ad lib. 6. Varronis de Linguâ Latinâ. EXTEMPLO *verbum est sacrorum, sicut* ILICET *Iudiciorum. Vt enim hoc, dimisso Senatu; sic & illud, sacrificio patrato à Præcone pronuntiabatur. Quo significabatur, vt exirent ex templo. Quod quia citò fiebat, inde pro citò & properè sumi captum est.* Sic ille.

Cùm autem exissent Catechumeni, fores claudebantur, vt scribit Maximus Monachus in suâ Mystagogiâ cap. 16. qui spiritualiter hanc, aliasque cæremonias explicat. Fuisse autem & quoddam atrium, quod Græcè νάρθηξ dicebatur, vbi dum sacrificium solemne perageretur, stabant audientes Catechumeni, Competentes, Hæretici, Euergumeni, ex Græcorum Menæis annotauit Matthæus Raderus Viridarij Sanctorum part. 2. die 15. Octobris. Vide etiam Glossarium Meursij in verbo Νάρθηξ. Quæ vox cùm ferulam significet, inde ad locũm hunc translata est, quod illic quasi sub ferulâ essent censuræ Ecclesiasticæ. In eodem loco, in exequiis ponebantur funera simplicium Monachorum.

Alia eiusmodi exempla.

5. EAS DE SEPVLCHRIS SVIS PROGREDI ET EXIRE VIDEBAT.] Similem omninò historiam recitat Raderus citato loco, de Monacho à seniore ob contumaciam excommunicato, qui cùm Alexandriam venisset, à Magistratu comprehensus, & veste religiosâ exutus, cogebatur Diis sacrificare. Cùm autem nullâ vi adduci posset, vt immolaret, arreptum ceruice mulctarunt, corpore extrà vrbem canibus obiecto. Sed hoc Christiani in sequente noctu vnguentis delibutum, sindoneque inuolutum in sarcophago reposuerunt, & velut Martyrem in sacrario templi collocarunt. Vbi dum sacrosanctum perageretur sacrificij mysterium, sacro Præcone proclamante illud solemne: *Catechumeni egrediantur, Cathecumeni procedant:* omnibus spectantibus, Martyris tumba, suâ sponte, sine cuiusquam manu sublata, secessit in atrium: vbi, donec res diuina absolueretur, permansit: dein rursum in locũ suum, vbi collocata fuerat, rediit. Quo facto attoniti fuêre omnes, qui rem spectabant. Quod cùm ex sapientioribus quidam intellexisset, rogauit Deum huius facti causam, quam & mox accepit. Nam Angelus propè assistens: Quid, inquit, ad illum, super hoc facto percelleris? Nónne acceperunt Apostoli à Deo potestatem soluendi, & ligandi, & quicumque Apostolos discipuli sunt secuti? Hic ergo Frater, qui Christi nomine sanguinem suum profudit, & tempore sacrificij in sacrario seu altari quiescere non sinitur, ab Angelo vsque ad atrium exactus, commilitoni tuo, cuius erat in religione discipulus non obsecutus, anathemati merito ab illo subiectus fuerat. Inde est, quod vinctus pellatur, vt qui nexus ab eo discesserit. Vt Martyr ergo laureolam accepit, vt anathemati obnoxius, non permittitur tempore sacrificij intra sacrarium quiescere, quoad illum qui ligauit, soluat. Hoc cùm religiosus Presbyter cognouisset, scipione accepto profectus est ad Anachoretam, qui auditâ à Presbytero totâ facti causâ, cum eo descendit Alexandriam, ingressusque templum vbi Martyris corpus depositum erat, tumbam aperuit, vinculoque anathematis expediuit, atque inde expositum inter Sanctos celebrandum collocat. Exinde sacro Missæ celebrato mysterio, immotus perstitit Martyr in altari, hodieque persistit.

Huc etiam facit, quod eodem loco ex M. S. codice, & in Bauariâ sanctâ tom. 1. folio 109. Raderus subiicit, de aliis post mortem, à S. Gothardo Hildeshei-

CAPVT XXIII.

desheimensi Episcopo absolutis. Hic Pontifex contumaces quosdam & perduelles habebat inter subiectos, quos sæpè admonitos tandem anathemate ictos sacrificij tempore templo excedere iussit, qui tamen contempto Præsulis sui imperio restitabant, cùm ecce tibi ex dudum sepultis, quos anathematis vincula adhuc retinebant, de tumbis surgunt, templumque egrediuntur, Gothardus acri adhortatione ad contumaces, quibus ipsos mortuos obsequentiores haberet, adhibitâ, defunctos censurâ soluit, qui ceruicibus Pontifici suo inclinatis, ad suum quisque tumulum rediêre.

Anathemate innexi mortui tumulis suis exeunt.

Aliud exemplum de Milite anathematis fulmine percusso, & post mortem absoluto recitat Petrus Maffæus historiarum Indicarum libro 5. his verbis: *Anno Domini millesimo quingentesimo nono Albuquercio Indiæ Prorege, classe eius intra fauces Erithreæ constitutâ, vel ex intemperie cæli, vel ex insalubrium ciborum succo atrox morbus naualem turbam inuasit. In iis Miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippè infrà sentinam pulsus frequentes exaudiri cœpti, quem ad strepitum, cùm arreptâ scalâ vigiles descendissent, implexum carinæ sub ipso gubernaculo defuncti Militis corpus offendunt. Scilicet cunctis pilus inhorruit. Vbi ex pauore collegère sese, res ad Nauarchum delata: nec dubium fuit, quin cadauer translatum in littus humo contegerent; quo facto, postridiè super ipsum sepulchrum rursus inhumatus apparuit. Eâ re attonitis cunctis, cùm apud se causam exquirerent, Franciscus denique, incertum ex quâ familiâ, Monachus, qui Concionatoris munere fungebatur, sagaci coniecturâ suspicatus est hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo constrictum è vitâ excessisse: itaque in terram egressus, sanctissimi viri* Benedicti *Abbatis exemplo, & pontificiâ formulâ conceptis verbis, animam demortui ritè expiauit, eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu, ab eo mysterio reddita mortuo pax, & vaga ossa tandem in suo tumulo quieuère.*

6. Hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, et vlterius excommvnicatæ non ervnt.] Hæc vt intelligantur, notanda quædam sunt ex Gabriele Albaspinæo Aurelianensi Episcopo, Obseruat. lib. 1. cap. 5.

Primò, fideles priscis temporibus rarò ad altare, diebus dominicis & festiuis accessisse sine Oblationibus, quæ a Sacerdotibus paulò antè sacra Deo offerebantur, certisque precibus benedicebantur, quorum postea pars aliqua fidelibus, cætera in Sacerdotum, Clericorum, & pauperum alimentum erogabatur,

Oblationes olim ad altare offerri populoque dispensari solita.

Secvndò, viritim in Ecclesiâ ex his oblationibus buccellæ distribuebantur, vt hâc participatione significaretur, omnes fideles sub vno eodemque capite, & eodem corpore esse, quemadmodum omnes de eodem pane sumerent, & ederent; atque ita hoc mysterio aliquam vnionis Christianæ speciem ostenderent. Probat ex Cypriano lib. de Opere & Eleemosynâ: *Dominicum,* inquit, *celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem* de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Quæ de Eucharistiâ explicari nequeunt, cum eodem libello Cyprianus dicat: vniuersa, quæ dantur, pupillis & viduis conferri. Eodem facit illud Augustini serm. 215. *Oblationes quæ in altario consecrentur, offerte, erubescere debet homo idoneus, si de alienâ Oblatione communicet.*

Tertiò, per Parochias (quemadmodum ex Pij I. epistolâ dignoscitur) certis diebus Eulogiæ mittebantur, quæ ex ipsis oblationibus sumebantur, & ex frumentato conficiebantur; vt scirent, qui in agris & Oppidis degebant, se ab Episcopi, Matricisque Ecclesiæ communione non esse separatos, vt ait Innocentius. Quod cùm ita sit, necessè est fateamur, eâdem die, quâ ipsæ Eulogiæ mitterentur, ex iisdem omnes, qui erant in Matricibus Ecclesiis, particulam aliquam degustasse: alioquin nulla inter eos, & qui in agris morarentur, interfuisset societas & communio. Ex quibus, & præsertim Innocentio Epist. 1. cap. 5. constat, ius aliquod communionis per eiusmodi Oblationes & Eulogias quæsitum fuisse, nam ait: *Vt se à nostrâ communione, maximè illâ die non iudicent separatos.*

Eulogiarum distributio olim consueta.

Qvartò Pœnitentes post mortem, etiamsi nondum expleuissent pœnitentiam, in fidelium communionem reuocabantur & admittebantur (vt habetur in Concilio Arelatensi II. Can. 12.) per oblationes, quas eorum nomine parentes, offerebant. Ex quibus, cùm cæteri fideles partem aliquam delibarent, censebantur hoc pacto in communionem restitui, cùm alioqui Pœnitentium oblationes solerent repudiari, vt constat ex canone 28. Concilij Elibertini: *Episcopum placuit, ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.*

Pœnitentes post mortem fidelium communioni reiungebantur.

Cùm ergo S. Benedictvs oblationem pro Sanctimonialibus his offerendam daret, dicens: *Ite, & hanc* oblationem *pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt;* censetur eas fidelium communioni restituisse, quod apertè satis indicat Gregorius, dum subiicit: *Quâ ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos, qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.* Notricis porrò oblatione hoc consecutæ non sunt, quia voluit Deus energiam verborum S. Benedicti hâc ratione ostendere.

Hæ Moniales à S. Benedicto communioni restitutæ.

Ex his porrò exemplis satis colligitur, quamuis vitâ functi propriè excommunicari non possint, nec absolui, quòd non subsint iurisdictioni Ecclesiæ; quia tamen, quoad corpus sunt in visceribus terræ, aut super terram, Ecclesia ad terrorem quosdam excommunicat, vel absoluit. Cap. *A nobis* 1. de sentent. excom. Eiusmodi (vt ait Ioannes Viguerius de Sacramento Ordinis vers. 15. sed penes Auctorem sit fides) quantumcumque pœniteant & moriantur in gratiâ, non possunt ad cælum volare, nec visione beatificâ frui, donec fuerunt absoluti, & hoc expressè dixit Christus: *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælo,* hoc est paradiso. Ideò laudabilis est consuetudo in aliquibus diœcesibus, in quibus ad instantiam Procuratoris animarum, in die Cinerum singulis annis absoluuntur defuncti excommunicati, vt participent suffragiis Ecclesiæ. Hinc est, quod nostrâ ætate contigit in Diœcesi S. Pontij de Thomeris, de quodam Clerico excommunicato ab Episcopo Ruthenensi de Rhodes, qui post biennium reuelauit socio suo, vt exhumaretur è loco sacro, donec habitâ absolutione iterum sepeliretur. Cumque absolutus esset, iterumque sepeliretur in loco sacro, coram toto populo audita est vox clara & perceptibilis ab omnibus, qui aderant, gratias agentis & dicentis, tunc cælum illi patere. Vt ex actis publicis ipsius Diœcesis Ruthenensis patet.

Quâ ratione iam defuncti communioni restituantur.

Math. 18.

Cæterùm ad hoc, & quod sequitur caput tra-

ctari

ctari posset ea quæstio, quam S. Paulinus proposuit Augustino: Vtrum prosit cuique post mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepelitur? Ad quod lib. de curâ pro mortuis gerendâ tom. 4. respondet. *Primò*: Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis viuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. *Secundò*, Quòd ipsâ sepulturâ honorentur corpora defunctorum, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis, & annulus, ac si quid huiusmodi, tantò charius est posteris, quantò ergà Parentes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiariùs atque coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. *Tertiò*, Sepulturæ locus per se, mortuo non prodest, nisi ad hoc, vt dum viuentes recolunt, vbi sint posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam Patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent.

Iuxta Sanctorum corpora sepeliri an prosit.

Mouet eandem quæstionem lib. 4. Dialog. cap. 50. Gregorius noster, qui vltimam hanc Augustini responsionem amplexus, hoc insuper addit: quod hi, quibus peccata dimissa non fuerint, ad euadendum iudicium sacris locis non valeant adiuuari. Quos autem peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat, vt etiam de suâ præsumptione iudicentur; quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. Quod exemplis allatis confirmat, præsertim de corpore Valentini Defensoris ab Ecclesiâ post mortem proiecto, & de Tinctoris corpore in Ecclesiâ sepulto, & posteà non inuento.

CAPVT XXIII.

Ex quâ doctrinâ optimè refutat Illustrissimus Baronius anno Christi 604. vanum illud commentum, quod nomine Petri & Ioannis Diaconorum S. Gregorij adscriptum habetur ad finem in codice Dialogorum eiusdem S. Gregorij, qui extat in Bibliothecâ Vaticanâ, pluteo 3. numero 153. vbi scribitur sanctissimus hic Pontifex, peractâ consecratione Ecclesiæ S. Andreæ in Cliuo Scauri, Deum rogasse, vt quicumque deinceps in eius Ecclesiæ circuitu delegisset sepulturam, modò fidem tenuisset Christianam, à gehennâ liberaretur, & æternæ vitæ frueretur gaudiis. Angelum verò Domini apparuisse, & exauditam orationem denuntiasse. Sed hæc cùm eo nomine, quod tanti Pontificis repugnent doctrinæ, tum ex aliis multis rationibus meritò execratur Baronius.

CAPVT XXIV.

DE PVERO POST SEPVLTVRAM A TERRA PROIECTO.

GREGORIVS.



QVADAM quoque die, dum [1] quidam eius puerulus monachus parentes suos, vltrà quàm deberet, diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exiisset, eodem die, mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumque esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius inuentum est, quod rursus tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequenti die iterum proiectum exteriùs, atque inhumatum, sicut priùs, inuenerunt. Tunc concitè ad BENEDICTI Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu suâ protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc [2] Dominicum corpus super pectus eius, cum magnâ reuerentiâ ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit. Perpendis, Petre, apud Iesum Christum Dominum cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui BENEDICTI gratiam non haberet.

CAPVT XXIV.

Pœna inobedientiæ.

Effectus Corporis Christi.

PETRVS.

Perpendo planè, & vehementer stupeo.

COMMENTARIVS.



[1] QVIDAM EIVS PVERVLVS MONACHVS.] Eamdem historiam recitat Antoninus 2. part. tit. 15. c. 13. §. 5. Mirum autem est, Plessæum libro aduersus Missam pag. 93. lin. 25. primæ editionis, Monachum hunc in mulierem transformasse defunctam. Idem fecit Petrus Martyr, cum Stephano Gardinero obiectione 38. nititur imponere, quem BB. Gregorius & Antoninus puerulum vocant, Mulierem fuisse, & Eucharistiam in os inseri defunctæ mulierculæ iussam, cùm ex vtrinsque relatu habeamus, suprà pectus iussam poni. Sed solemne est hæreticis Patrum scripta peruertere.

2. Do-

CAPVT XXIV.

S. Euchariſtia olim mortuis conſepeliri ſolita.

2. DOMINICVM CORPVS SVPER PECTVS EIVS CVM MAGNA REVERENTIA PONITE, ET SIC SEPVLTVRÆ EVM TRADITE.] Frequens olim videtur fuiſſe conſuetudo, ſacram Euchariſtiam conſepeliendi mortuis. Nam Amphilochius Iconij Epiſcopus in vitâ Baſilij Cęſareæ Cappadociæ Archiepiſcopi, cap. 6. meminit beatum Præſulem hoſtiam conſecratam eleuatamque diuiſiſſe in tres portiones, vnam quidem ſuſcepit cum timore multo, aliam verò ſeruauit ad conſepeliendum ſibi, tertiam autem poſitam ſuper columnam auream ſuſpendit ſuper altare. Et fuiſſe hanc communem olim conſuetudinem, ex eo colligas, quòd eam Concilio ſuis decretis proſcripſerint. Carthaginienſe III. can. 6. ita habet: *Placuit, vt corporibus defunctorum Euchariſtia non detur: dictum eſt enim à Domino: Accipite & edite: cadauera autem nec accipere poſſunt nec edere. Cauendum eſt etiam, ne mortuos baptiſari poſſe fratrum infirmitas credat, cùm Euchariſtiam mortuis non dari animaduerterit.* Subſcripſit huic Concilio S. Auguſtinus, & idem canon repetitur in Concilio Hipponenſi can. 5. & in Cōcilio Antiſiodorenſi can. 12. & in Concilio generali 6. celebrato in Trullo anno Chriſti 680. vbi canone 83. ita habetur: *Nemo mortuorū corporibus Euchariſtiam cōmunicet. Scriptū eſt enim: Accipite & comedite. Mortuorū autem corpora non poſſunt accipere & comedere.*

Quod à Concilio proſcriptum.

Quid per hunc ritum intenderint.

Duo autem hîc quæri poſſent. Prius, quid ſibi voluerint, qui defunctis Euchariſtiam ingerebant, aut cum illis ſepeliebant? Reſpondet Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus, factum id, cùm quidam pœnitentes ante abſolutionem morerentur, alios ſimplicitate animi ductos, vt mandato Eccleſiæ obſequerentur, quo præcipitur, ne quis vacuus communione diſcedat, Euchariſtiam illis poſt mortem contuliſſe, quòd exiſtimarent ſcilicet, hoc modo ad communionem Eccleſiæ eos adoptari, & ius communionis illis reddi: itaque excogitatum hunc ritum, tamquam quoddam ſubſidium, quo mortui iuuarentur. Imperiti porrò illi & rudes, quamquam minimè mali, Euchariſtiam potiùs, quàm abſolutionem tribuendam credebant, quòd in abſolutione non tantum præſidij, quàm in Euchariſtia erat conſtitutum, vt Pœnitens inter fideles reponeretur. Quare, cùm talis premeret neceſſitas, ad potentiſſimum remedium confugiebant. His adde abſolutionem non niſi loquenti & peccata ſua confeſſione patefacienti, eaque deteſtaoti dari ſolitam.

Cur id à S. BENEDICTO, quod canones vetant, factum.

Alterum, quod quæri poterat, cur contrà canonum ſanctiones S. P. BENEDICTVS ſepulturæ includendam tradiderit ſacram Euchariſtiam? Ad quod aliud non occurrit, niſi quod veroſimiliter credere liceat, ſanctiſſimum virum ab hominum conuerſatione ſemotum Conciliorum hæc decreta ignoraſſe. Quod quidem non adeò mirandum, cum ipſi Auguſtino, eiuſque Prædeceſſori Valerio hæc etiam ignorantia obrepſerit, qui Epiſt. 110. ita ait: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Niceno prohibitum eſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat.* Adde, magnum Gregorium factum hoc non reprehendere, aut aliquo modo excuſare, ſed potiùs in commendationem meritorum S. BENEDICTI, laudibus proſequi; ita enim concludit: *Perpendis, Petre, apud* IESVM CHRISTVM *Dominum cuius meriti iſte vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui* BENEDICTI *gratiam non haberet.* Vt autem id faceret, S. Baſilij, cuius legerat vitam, exemplo fuiſſe permotum, credere licet. Neque enim, quod à tāto factum legerat viro, quem pręcipuum vitæ monaſticæ ſciebat, colebatque Legiſlatorem, credidit reprehenſioni vllatenus obnoxium. Et verò excuſari etiam poteſt magni huius Præſulis factum.

Epiſcopis olim cum Euchariſtia ſepultis.

Epiſcopis enim mortuis id fieri conſueuiſſe, apparet ex Theodoro Balſamone ad Canonem 83. Synodi in Trullo celebratæ, ita ſcribente: *Quod autem ſanctus panis Antiſtibus poſt mortem tradatur, & ſic ſepeliantur, exiſtima hoc fieri ad auertendos dæmonas, & vt per ipſum, tamquam viaticum deducantur ad cælum, qui magnâ & apoſtolicâ profeſſione dignus eſt habitus.* Sic ille. Quod ſi S. BENEDICTI 4
tempore talis circà defunctos Antiſtites ſeruata fuerit conſuetudo, accidere poterat, vt hoc circà quoſuis, qui in fide diſceſſerant, licere arbitraretur. Quidquid ſit, bonâ fide, piaque intentione id ab eo geſtum euentus ipſe edocuit, deinceps enim terra corpus defuncti non proiecit.

CAPVT XXV.

DE MONACHO QVI DE MONASTERIO DISCEDENS DRACONEM IN ITINERE INVENIT.

GREGORIVS.

CAPVT XXV.



VIDAM autem eius monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monaſterio nolebat. Cumque eum Vir Dei aſſiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipſe verò nullo modo conſentiret in congregatione perſiſtere, atque importunis precibus, vt relaxaretur immineret: quâdam die idem venerabilis Pater nimietatis eius tædio affectus, [1] iratus iuſſit vt diſcederet. Qui mox vt monaſterium exiit, contrà ſe aſſiſtere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumque eum idem draco, qui apparuerat,

Monacho fugitiuo draco obuiat.

ruerat, deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite, succurrite: quia draco iste me deuorare vult. Currentes autem fratres, draconem minimè viderunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit, numquam se esse à monasterio recessurum, atque ex horâ eâdem in suâ promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contrà se assistere draconem viderat, quem priùs non videndo, sequebatur. CAPVT XXV.

COMMENTARIVS.

1. IRATVS IVSSIT VT DISCEDERET.] Rarum hoc S. P. BENEDICTI exemplum suâ non caret difficultate & admiratione, quam tamen facilè, vt videtur tollit Alphonsus Rodericius in Exercitio perfectionis parte 2. tract. 4. cap. 19. dicens, Monachum hunc fuisse Nouitium, cuius instantiâ sanctus vir defatigatus consenserit vt abiret, & iusserit illi vestes dari. Sed hoc textui non satis consonum, qui habet, *iussit vt discederet*. De vestibus verò exhibitis, aut exhiberi iussis nullum verbum. Neque verò opus erat, si dumtaxat nouitius erat. Constat enim ex Regulâ, non nisi emissâ professione, veste monasticâ monachum indui. Deinde si solùm fuisset Nouitius, nihil opus fuisset, cùm liberum semper sit Nouitiis, si velint, discedere. Maiorem quoque crediderim mobilitatem mentis designare voluisse Gregorium, quàm eam, quæ fit solo egressu è nouitiatu. Nec propterea cum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, cùm Nouitiis dici voluerit: *Ecce lex sub quâ militare vis, si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede.* Quod præterea Gregorius dicat, importunis cum precibus petiisse, vt relaxaretur; arguit voto obstrictum: Non enim relaxari potest, nisi antea deuinctus. Quâ ergò ratione iussit S. Pater, vt discederet, præsertim stabilitatis voto obstrictus?

Monachus hic non erat Nouitius.

Cap. 58.

Quomodo discedere iussus, qui stabilitatem vouerat.

Respondeo *Primò*, tanti fortassè B. Patrem hoc mobilitatis crimen fecisse, vt propterea cum è Monasterio expellendum iudicauerit, præsertim cùm post frequentes admonitiones, & assiduas correptiones; nullo modo videret Monachum consentire, vt in Congregatione persisteret. Quod probabiliter dici posse, ait Suarez tom. 3. de Religione lib. 2. cap. 14. num. 22. vbi expendit, quod dicit hîc Gregorius. IVSSIT VT DISCEDERET, *non enim dicit tantùm, permisit, aut licentiam dedit, sed* IVSSIT, *quasi in pœnam inconstantiæ eum eiiciens, & ad exeundum cogens. Denique energiam habet verbum* RELAXANDI, *quod in proprietate suâ vinculi solutionem significat.* Sed quidquid de eo sit, probabiliter S. Pater timere potuit, ne si eum inuitum retineret, alios ipse verbis & malo exemplo ad instabilitatem pertraheret. Non difficulter id credet, qui considerauerit ob culpas, quæ hoc tempore non adeò graues iudicarentur, Monachos olim Cœnobiis expulsos.

Cassianus enim lib. 4. de Institut. cap. 16. quem S. BENEDICTVS plerumque imitatur, sequentia enumerat, quæ plagis vel expulsione purgantur. *Conuitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrænata processio, familiaritas apud feminas, ira, rixæ, simultates, & iurgia, operis peculiaris præsumptio, philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiua cibi refectio, & his similia.* Ibidem cap. 16. ait: *Si quoddam ex Monacho murmurationis vitium, vel paruæ cuiuslibet inobedientiæ culpam processisse deprehenderint, exuentes eum Monasterij, quibus indutus fuerat vestimentis, & antiquis reuestitum, quæ fuerint sequestrata depellunt.* Et ipse S. BENEDICTVS cap. 71. Regulæ statuit: *Vt si quis pro quâuis minimâ causâ, à quocumque Priore suo corripiatur quolibet modo, vel senserit animum eius quamuis modicè contra se commotum, & mox sine morâ tam diu prostratus in terrâ non iaceat ante pedes eius satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio; hic talis aut corporali vindictæ subiaceat: aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.* Ex quibus colligas, non defuisse forsitan sufficientes causas, cur hunc è monasterio S. Pater putauerit eliminandum. Quare Suarez etiam dicit, prudenter iudicasse Monachum illum non fuisse Monasterio aptum, quod satis esse credidit, vt illum à suâ Congregatione dimitteret, illius correctionem & emendationem diuinæ prouidentiæ committens.

Crimina plagis vel expulsione digna.

Respondetur *Secundò*, ex eodem Suarez. Non mirandum, quòd sanctissimus BENEDICTVS Monachum propter solam importunam petitionem eius, liberum mitteret: nam credibile est, instinctu Dei id fecisse, præsciens diuina & mirabili visione à viâ fuisse reuocandum, vt posteà quietus, & stabilis perpetuò maneret. Atque hæc procedunt iuxtà eam sententiam, quâ probabiliter idem putat hunc Monachum religionis votis absolutum.

Tertiò, idem respondet iuxtà aliam sententiam discessum hunc non fuisse sine Apostasiâ, nec fuisse concessum vt licitum, sed permissum, vel ad maius malum vitandum, vel quia Prælati tunc non habebant, aut existimabant se non habere tantam in subditos potestatem, vt illos cogere possent: vel certè licet possent, nolebant coactione vti, quòd non sperarent fructum ex coactâ detentione, aut maiorem metuerent perturbationem & Monasterij dispendium.

Et verò priscis illis temporibus non adeò insolens videbatur, Monacho discessionem à Monasterio petenti eandem concedere. Sic enim Malchus pessimâ victoriâ suum vicit Abbatem, à quo redeundi in patriam facultatem extorsit, vt Hieronymus in vitâ testatur. Ioannes quoque Calybita reditum ad parentes ab Abbate suo impetrauit. Et Augustinus epist. 76. scribens de Donato & fratre eius, qui vltrò à monasterio exierant, ait: *Sponte abierunt, sponte deseruerunt, nobis, quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus.* Vnde colligas, Superiores importunis subditorum precibus victos, consueuisse abeundi licen-

Monacho discessionem petenti concedere, olim non insuetum.

CAPVT XXV. licentiam impertiri. Vt fusiùs in *Disquisitionibus*. Scribit porrò Simon Millettius, hodieque ostendi locum in descensu montis Cassini ad S. Germanum, in quo Draco Monacho huic apparuerit, quem dæmonem Draconis specie transformatum fuisse ait.

CAPVT XXVI.

DE PVERO AB ELEPHANTINO MORBO CVRATO.

CAPVT XXVI. *Elephantiacum sanat.*

SED neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat patris sui puerum [1] morbo elephantino fuisse correptum, ita vt iam pilis cadentibus, cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

COMMENTARIVS.

Elephantiasis.

1. MORBO ELEPHANTINO.] Plinius lib. 26. cap. 1. vocat *Elephantiasin*, alibi sæpè *Elephantiam*. Morbus est, quem vulgus Medicorum *lepram* vocat, atque ita hîc vertit Zacharias Papa. Differt tamen à leprâ Græcorum, quæ scabiei species est, cutem manifestis crustis obducens. Ea verò, quam hodie lepram dicimus, Græcis est Elephantiasis, Leuit. 13. cap. V. 10. *lepra vetustissima* nomine indicata, vt ibidem Cornelius annotauit. Vide quoque Franciscum Valesium de sacrâ Philosophia cap. 19. *Elephantem* vocat Lucretius lib. 6.

Est Elephas *morbus, qui propter flumina Nili*
Gignitur Ægypti in medio, neque præterea vsquam.

Ex quo colligas, olim non adeò vulgarem fuisse hunc morbum, nam Plinius citato loco scribit, *Elephantiasin ante Pompei Magni ætatem non accidisse in Italiâ. Ægyptius peculiare hoc malum: & cùm in Reges incidisset, populis funebre, quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam.* Ex quo fortè colligere licet, Constantinum Magnum *Elephantiasi* laborasse, cùm ei ex Medicorum consilio, lepræ curandæ causâ, ex infantium sanguine balneum parari iussum est; adeoque posterioribus sæculis, vt & nostro, de quo agimus, Elephantiaco cognitam satis in Italiâ hanc lepræ speciem, quam vtcumque hîc describit Gregorius, pluribus autem Celsus lib. 3. cap. 25. *Ignotus*, inquit, *penè in Italiâ, frequentissimus in quibusdam Regionibus is morbus est, quem ἐλεφαντίασιν Græci vocant, isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita vt ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem conuertitur. Summa cutis inæqualiter crassa tenuis, dura mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt*, &c. Q. Serenus Samonicus:

Eius etymon.

Est Elephas *morbus tristis quoque nomine dirus,*
Non solum turpans nefandis ora papillis:
Sed citò præcipitans funesto fata veneno.

ἐλέφας ita accipitur à Dioscoride libro 2. Rationem autem huius nominis ad Elephanti cutem referunt, quæ vlcerosis quibusdam vallibus infestatur. Alij verò, quòd varium cutis colorem sicut in Elephante efficiat, partim album, partim nigrum. Aretæo Cappadoci ob insuperabilem mali vim, dicitur ἡράκλειον πάθος, quasi herculeus dolor: vocatur quoque λεοντίασις, λεόντιον, & λέων, à similitudine pellis supercilij, quæ vt leonibus iratisque contractior est, quàm vt oculos obtegat: ita & Elephantiacis non totum oculi bulbum operit. Est velut totius corporis cancer, atque ita ex iis morbis, qui ipsam corporis substantiam corrumpunt. Oritur ex atrâ bile retorridâ in hepate, vnde totum corpus vitiatur. Sed hæc plus satis; nam quæ Medicorum, depromant Medici.

Et variæ appellationes.

CAPVT XXVII.

DE SOLIDIS PER MIRACVLVM [1] PRESBYTERO REDDITIS.

CAPVT XXVII.



NEQVE illud taceam, quod eius discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueuerat: quia die quâdam, fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus: vnum sibi fore remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit: quia à creditore suo [2] pro duodecim solidis grauiter affligeretur, intimauit. Cui venerabilis Pater ne-

quaquam

CAPVT XXVII.

quaquam se habere duodecim solidos respondit, sed tamen eius inopiam blandâ locutione consolatus, ait: vade, & post biduum reuertere, quia deest hodiè quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is, qui necessitate debiti affligebatur, rediret, super arcam monasterij, quæ erat frumento plena, subitò tredecim solidi sunt inuenti. Quos vir Dei deferri iussit, & afflicto petitori tribuit, dicens vt duodecim redderet, & vnum in expensis propriis haberet. Sed ad ea nunc redeam, quæ eius discipulis, in libri huius exordio prædictis, referentibus agnoui.

Subuenit debiti grauato.

Quidam vir grauissimâ aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius ad hoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quamuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ita vt diffusa in corpore eius varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citiùs recepit: nam mox vt eum tetigit, omnem [3] cutis illius varietatem fugauit.

Veneno infectum sanat.

COMMENTARIVS.

1. PRESBYTERO REDDITIS.] Lemma hoc capiti præfixum erat in editione Antuerpiensi, ex Vaticanâ expressâ. Quod sanè mirandum, cum ex textu non pateat fidelem hunc virum sacerdotem fuisse, nec ab aliis eo nomine, quid sciam, compelletur.

2. PRO DVODECIM SOLIDIS.] Isidorus lib. 16. Etymolog. cap. 24. *Solidus nuncupatur, quia nihil illi deesse videtur. Solidum enim antiqui integrum dicebant & totum. Solidus apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quod de iis sex, vncia compleatur. Hunc vulgus aureum solidum vocat.* Atque ita æuo S. BENEDICTI vocatum constat ex Gregorio; qui lib. 1. Dialogorum cap. 9. referens *Constantium presbyterum equum suum duodecim aureis vendidisse,* eosdem posteà bis vocat SOLIDOS. Romanorum autem solidus aureus, sextulæ pondus æquabat, & pendebat Attica grana nonaginta sex, Romana octoginta quatuor. Vnde 72. solidi faciebant libram: hæc enim duodecim vncias continet. In Nouellis Iustiniani, & Glossis Basilicon, pro solido aureo, legitur *νόμισμα*, atque ita hîc vertit Zacharias. Citato autem loco Isidorus ita dictum putat *Nomisma, quod nominibus Principum effigiebusque signetur.*

Solidorum valor expenditur.

Sed quanta hæc tredecim solidorum summa? Respondetur, variè ex variis principiis hanc colligi posse.

PRIMÒ, cùm S. BENEDICTVS, vti hoc libro sæpius vidimus, eâ vixerit tempestate, quâ Longobardi Italiam infestabant, ex eorum legibus Solidi valor inquiri posse videtur. Barnabas autem Brissonius ex Legibus Longobardorum libro primo de quantitate Solidi, ait: *Solidus 40. denariis æstimatur, & in Lege Salicâ ita Solidus accipiendus est: vt ex eo patet quod 600 denarij in iis legibus 15. solidos facere dicuntur, & 120. denarij solidos tres.*

Si autem denarius æquipolleat Iulio Italico, regali Hispanico, & quinque stuferis Brabanticis, vt in Euangelia scribens, sæpius inculcat Cornelius à Lapide, iuxtà hanc supputationem, quilibet solidus esset decem florenorum Brabanticorum, qui faciunt Iulios vel regales Hispanicos ducentos: tredecim ergo solidi essent 130. floreni. Hadrianus autem Iunius in suo Nomenclatore denarium æstimat 4. stuferis brabanticis, itaque secundum ipsum solidus hîc esset octo florenorum, & tredecim conficerent 104. florenos. Sin autem accipias stuferum priscum, qui moderno est quadrante maior, solidus erit 8½. florenorum; & tredecim efficient 110. florenos cum dimidio: sed hîc videtur solidus fuisse duplex, vt mox amplius apparebit.

SECVNDÒ, iuxtà Isidorum sex solidi vnciam conficiunt: vncia autem (vt ait Cornelius à Lapide ad finem Commentarij in Pentateuchum) octo continet drachmas, quarum singulas æstimat coronato Francico, siue tribus florenis Brabanticis. Solidus ergo, sexta vnciæ pars, valeret quatuor florenos, & tredecim solidi, 52. florenos, siue 208. Iulios vel regales Hispanicos.

TERTIÒ, ad Iustiniani Imperatoris tempora, quibus S. BENEDICTVS vixit, respiciendo, examinandus erit aureus ab ipso Iustiniano cusus; de quo ita Franciscus Conn[illegible]us, libro secundo cap. 9. num. 3. *Valuit aureus veterum duos coronatos & vnum dimidiatum, id est quinque libras aris nostri, similes ferè Anglico nobili. At qui Iustiniani temporibus fuit aureus, sub se sculptus fuit ad antiquum & tertiâ parte minor, qui in Codice Iustiniani solidus vocatur, par ferè Angeloto Anglorum.* Angelottus autem nunc valet quinque florenos Brabanticos & duodecim stuferos: tredecim ergo solidi essent 72. floreni & sexdecim stuferi.

QVARTÒ, Hadrianus Turnebus lib. 5. Aduersariorum cap. 1. ita Solidi valorem colligit: *Aureus centum continet sestertios, vt ex his Dionis verbis lib. 55. intelligitur. Aureum enim ego quoque nummum qui drachmas viginti quinque valet, more nostro appello. Et Græcorum quidam, quorum libros, quod Attico dicendi genere scripti sunt, legimus, sic ipsum vocârunt. Hæc Dio. Quum igitur drachma denario Romano apertissimè à Plutarcho in Camilli vitâ æstimetur, apparet Dionem aureum pro cẽtum sestertiis vsurpasse: quum scilicet in vigintiquinque denariis tot sint sestertij: quod ex Taciti & Tranquilli duobus collatis inter se locis facile intellectu est. Nam quod hic Othonem scribit excubanti cohorti diuidere solitum, quoties cœna Principem acciperet, viritim vnum aureum: Tacitus idem commemorans centenos sestertios nominat.* Sestertius autem, Iunio Auctore, est

Aureus 100 sestertios facit.

Drachma denario Romano æquiualens.

CAPVT XXVII.

Stuferus, quos quatuor continet denarius; atque ità quilibet solidus fuisset quinque florenorum Brabanticorum, siue 20. Iuliorum Italicorum, & regalium Hispanicorum. Tredecim ergo solidi conficiebant sexaginta quinque florenos Brabanticos, siuę 260. regales Hispanicos, & Iulios Italicos.

Sestertius est stuferus noster.

QVINTÒ, ex eodem Turnebi fundamento, quod scilicet solidus 25. denarios, siue centum sestertios contineat, maior efficietur prædictorum solidorum æstimatio, si Cornelij à Lapide calculum sequamur. Is enim, vt iam dictum, denarium ait esse vnius drachmæ Atticæ, & æquipollere Iulio Italico, & regali Hispanico; quartam autem eius partem esse sestertium, siue stuferum priscum, qui modò valeat stuferum & quadrantem: atque ita tredecim solidi conficient summam 81. florenorum, & quinque stuferorum; siue 325. Iuliorum Italicorum, & regalium Hispanorum.

Sed quia vnum aurum altero præstantius est, & quòd in dies iisdem etiam locis nummorum pretia mutentur, hinc haud ita solidè hanc Solidorum summam assignare possumus, exactiorem supputationem peritioribus relinquentes.

Locus vbi leprosum curauit S. BENEDICTVS.

3. CVTIS ILLIVS VARIETATEM FVGAVIT.] Quo id contigerit loco, aperit, & velut digito indicat Simon Milletius, qui suprà ad caput 8. hæc ferè annotauit. Cassinus mons ad tria milliaria, satis magna in altitudine se extollit. In inferiori autem Montis parte, Capucinos inter & S. Germanum, pulcherrimum extat sacellum: vno deinde milliari superius, tria sub vno tecto coniuncta reperiuntur, quorum primo versus S. Germanum, locus is est, vbi quondam leprosum hunc S. P. BENEDICTVS curauit.

CAPVT XXVIII.

DE AMPVLLA VITREA IN SAXIS PROIECTA ET NON FRACTA.

CAPVT XXVIII.

Benignitas in egenos.

1. O quoque tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus Monasterij sui cuncta tribuerat, vt pænè nihil in cellario, nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam Subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terrâ tribuere, vt in cælo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, iussit petenti dari. [2] Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paululum, si id, quod iusserat, datum esset inquireret, respondit Monachus se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei iratus, aliis præcepit, vt hoc ipsum [3] vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proiiceretur, ne in cellâ aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est. Sub fenestrâ autem eâdem ingens præcipitium patebat, saxorum molibus asperum. Proiectum itaque [4] vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset: ita vt neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum, petenti tribui. tunc collectis fratribus, inobedientem Monachum de infidelitate suâ & superbiâ coram omnibus increpauit.

Vas vitreum saxis illisum, miraculosè integrum manet.

COMMENTARIVS.

1. EO TEMPORE, QVO ALIMENTORVM INOPIA CAMPANIAM GRAVITER AFFLIGEBAT.] Fuit hæc eadem fames, de quâ suprà egimus ad cap. 21.

Cellarium.

2. MONACHVS QVI CELLARIVM TENEBAT IMPLERE DISTVLIT.] De la Cerda Sacrorum Aduersariorum cap. 117. num. 45. ad hæc Gregorij verba annotat, in Cellario colligi ministeria mensarum, vel quæ necessaria victui supersunt. Distingui verò à Promptuario, quod Cellarium paucorum sit dierum, Promptuarium longi temporis, quæ à Seruio desumpta. Designatur ergò hic Cellarius Monasterij, vt loquitur S. BENEDICTVS. Notat autem Fulgentius Placiades in libello de Prisco Sermone, Promos & Condos appellatos Cellarios, eò quòd inde promant, & rursus condant. Plautus in Asinar.

Cellarius.

Ego sum promus condus, procurator pens.

Penum autem Cellariam dicimus. Hæc de hoc nomine, sed rem nunc spectemus.

Oeconomi & Cellarij, sicuti rei familiaris curam gerere ex officio tenentur, ita non raro accidit, vt humanæ plus industriæ, quàm diuinæ confidentes miseri-

Cellariorum erga pauperes tenacitatis damnosa, aliquot exempla.

misericordiæ, ergà pauperes tenaciores sint. Quos quidē de Dei misericordiâ sperare, & Patribus suis obedire, miraculis sæpius, vti & hic, Deus docuit.

Sic Ioannes Eleemosynarius cùm inopi quindecim libras auri iussisset dari, Oeconomi autem non nisi quinque dedissent, obtulit ei posteà opulenta quædam vidua quingentas; diuinitus agnouit mille quingentas daturam fuisse, si Oeconomus dedisset quindecim: vt habet Leontius & Metaphrastes in vitâ. Simile est quod accidit (vt notat Surius tom. 4. in vitâ lib. 2. cap. 11.) S. Germano Episcopo Antisiodorensi, cuius Diaconus, cùm quasi prouidus duos tantùm aureos pauperibus erogasset, iussus tribuere tres: agnouit Episcopus fraudem ex eo, quòd equites ei ducentos offerrent solidos, qui trecentos obtulissent, si Diaconus indigentibus tres aureos largitus fuisset. Sic (vt idem refert 29. Decembris) Marcellus Archimandrita Monasterij Acæmetarum, id est, non dormientium, pro nouem aureis donatur nouem talentis: Si Oeconomus dedisset decem, vt mandarat Abbas, decem data fuissent talenta.

Sed tristius est, quod in nostro accidit Ordine; atque ita narrat Guilielmus Malmesberiensis lib. 3. de rebus gestis Anglorum. *Eo*, inquit, *tempore* (anno scilicet Christi 1104. vt notat Vincentius in Spec. histor. lib. 26. cap. 604.) *in Cænobio Fuldensi exitialis lues grassata, priùs Abbatem corripuit, mox multos Monachorum extinxit. Superstites primò sibi quisque timere, orationes & eleemosynas largiores facere; sed processu temporis, vt est natura omnium, pedetentim, metu dempto omittere cœperunt: præsertim Cellerarius, qui palam clamitabat, non posse penum tot expensis sufficere: sperasse se semper aliquod alleuiamentum, pro tot elationibus funerum: nihil vltra spei esse, si quòd viui nequissent, mortui consumerent. Itaque cum quâdam nocte, propter necessaria, diu soporem distulisset, tandem elaqueatis morarum nexibus in dormitorium pergebat; & ecce videt in Capitulo, & omnes qui obierant illo anno, eò quo discesserant ordine, sedere. Tremens & effugere gestiens, retractus est, increpitus, & more monastico flagellatus, audiuit verba Abbatis in hanc sententiam: Stultum est de morte alterius, emolumento inhiare, cùm sors cuiusque sub eodem pendeat fato: impium est, cùm Monachus omnem vitam suam in ecclesiæ consumpsit obsequio, vt careat saltem vnius anni post mortem stipendio. Scito ergò te citissimè obiturum, sed quidquid pro te fiet, ad aliorum, quibus abstulisti, referetur commodum: modo & alios corrige exemplo, quos corrupisti verbo. Abiit ille, & nihil se vanum vidisse, tam recentibus plagis quàm morte proximâ demonstrauit.* Ita Malmesberiensis. Quæ notent horreantque Prouisores, Oeconomi & Cellarij, aliique ad rem plus satis attenti.

Cellarius lucro intentus castigatus.

3. Vas vitrevm per fenestram proicerent.] Præceptum hoc ex Cassiano lib. 4. Instit. cap. 25. S. Benedictvs discere potuit. Refert enim ille Abbatem Ioannem ad senioris imperium lenticulam olei, quæ sola in Eremo supererat, per fenestram proiecisse in terram, *parum retractantem præcepti ineptiam, diurnam necessitatem, infirmitatem corporis, penuriam sumptuum, Eremi squalentis angustias ac difficultates, in quâ etiamsi pecunia suppeditaret, nihilominus perditas species inueniri repararique, non posse.*

Atque hæc ipsa in hoc S. Benedicti facto vel omnia, vel pleraque locum habebant. Sed quod Senior ille præceperat ad exemplum promptissimæ obedientiæ, hoc S. Pater ad castigandam inobedientiam, & diffidentiam Cellerarij voluit imitari.

CAPVT XXVIII.

Erat porrò hæc fenestra, vt annotauit Milletius, altera earum, quæ S. Benedicti illustrabat cellam, in summâ contiguatione turris constituta, quæ nunc atrium efficit Monasterij.

4. Vas vitrevm mansit incolvme.] Addit Milletius, (quod miraculum auget) vitreum hoc vas non secus, ac si ferrum fuisset, ipsis saxis quasi in speciem ceræ mollitis suam impressisse figuram, quæ hodieque appareat.

Vasis vitrei in saxa proiecti & illæsi insigne miraculum.

Notat porrò Alanus Copus Dialog. 2. cap. 25. ex infinitâ S. Benedicti signorum copiâ, quæ Magdeburgenses Centuriâ 6. cap. 10. pag 768. quantâ possunt arte obscurare, deprauare, atque imminuere conati sunt, nihil eos inuenisse, nisi vas vitreum, cuius miraculum extenuarent, ridiculè exclamantes: O *ingens miraculum! Sed quid dicitis calumniatores? ait, cur non sit instar miraculi, vt vas vitreum inter saxa violenter proiectum, nihil tamen magis constringatur? Atque ò stupidum Optatum Milleuitanum, qui lib. 2. contra Parmenianum huiuscemodi quiddam pro miraculo contrà Donatistas refert. Ampullam, inquit, Chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt (Donatistæ) & cum casum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subuectione deduceret: protecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. Cur non clamant, vide ingens miraculum? Sed illud tanti homines ne recensere ausi sunt, cùm faciat ad confirmationem vsus Ecclesiastici, quo sacro Chrismate Christiani illiniuntur; & licet de ampullâ huius olei mentionem faciant, de miraculo tamen omninò dissimulant.*

Centuriatores perstringuntur.

Aimoinus sermone de S. Benedicto; hoc S. Patris nostri factum cum simili S. Martini conferens, ait: *Ampulla sanctificatum a Martino oleum continens, & in pauimentum marmore stratum decidens, nequaquam confracta est. Vas vitreum cum oleo propter inobedientiam a venerabili* Benedicto *per fenestram Cellarij super molem lapidum proici iussum, permansit illæsum.* Illud autem de S. Martino, haustum ex Seuero Sulpitio Dialog. 3. cap. 3. versu expressit Venantius Fortunatus lib. 4. de vitâ S. Martini.

Lapsa pauimento ampulla stat marmore tenso,
Sed nec saxa vitrum perdunt, nec vasa liquorem.

Affine huic est, & S. Benedicti meritis accensendum, quod ab Leone Ostiensi lib. 3. Chron. Cassinensis cap. 37. in hunc modum recitatur: *Nocte quam præcedebat transitus S. P. N.* Benedicti, *dum ad vigilias vnus è custodibus lampadem ante imaginem eiusdem beati Patris dependentem reficeret: lapsa subitò lampas in pauimentum cecidit; illæsaque permansit. Iterum eleuata, iterum cecidit: erecta tertiò, tertiò corruit: cum trino casu nec fracta lampas, nec effusum oleum, nec igniculus extinctus est. Cùm die quâdam vnus è custodibus, ante altare accensam lampadem vsque ad ipsa fermè eleuasset laquearia: repentè lapsa lampas in pauimentum cecidit. Mirabilis in sanctis suis Deus: miraculo simili, nec fracta lampas, nec effusum oleum, nec ignis extinctus est.*

CAPVT XXIX.

DE DOLIO VACVO, OLEO IMPLETO.

Precibus oleum impetrat.



VA increpatione completâ, sese cum iisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium & coopertum. Cumque Sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij, ¹ oleo excrescente, subleuari. Quo commoto atque subleuato, oleum, quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci, in quo incubuerat, inundabat. Quod BENEDICTVS Dei famulus, vt aspexit, protinùs orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientemque ² fratrem latiùs admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis Pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat, nec erat iam vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset, qui in vno eodemque momento pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

COMMENTARIVS.

1. 

LEO EXCRESCENTE SVBLEVARI.] Aimoinus in sermone satis prolixo de S. BENEDICTO, ostendere volens, *Sancti Prophetæ Elisei* gesta S. Patris nostri BENEDICTI gestis, pænè per omnia similia, inter cætera, & hanc olei multiplicationem ita exponit: *Mulier quædam, a creditore viri sui iam defuncti, calumniam patiens, virum Dei adiit Eliseum, consilium ab eo simulq; auxilium expetens. Cuius meritis, oleum quod mulier se professa fuerat habere, in tantum excreuit, vt & debitum creditori redderet, & ipsi, vnde cum filiis viueret, abundanter remaneret.* Eodem modo dilectus Deo BENEDICTVS *vase vitreo petenti clerico cum oleo dato,* oratione suâ *dolium vacuum ita repleuit, vt superexundans pauimentum madefaceret.* Hæc Aimoinus; qui ita lætatur beati Patris & Elisei comparatione, vt de eâ dicat: *Hæc idcircò retulimus, ostendere volentes, quàm magni meriti Sanctus iste Pater noster beatus exstitit BENEDICTVS, cuius opera, illi sunt per omnia similia, qui spiritu Eliæ, ac per hoc, Ioannis Baptistæ duplici emicuit gratiâ.* Quod iterum atque iterum aliis verbis refert.

S. Benedictus olei multiplicatione Eliseum imitatur.

S. Nonnosus oleum multiplicat.

Vtrumque porrò imitatus est S. Nonnosus, de quo ita S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 7. Parum olei in paruo vasculo *ante altare posuit, cunctisq; egredientibus, orauit; atque accersitis postmodum fratribus præcepit, vt hoc quod desuerunt oleum, leuarent, & per cuncta vasa Monasterij exiguè fundendo diuiderent; quatenus benedictione eiusdem olei omnia infusa conderentur; quæ protinus vt erant vacua, clausi fecit. Die verò alterâ aperta omnia plena reperta sunt.*

Cur Auctor comparet miracula aliorum SS. cum S. BENEDICTI.

Hanc verò miraculorum in diuersis Sanctis similitudinem, tùm hic, tùm alibi adferimus; quod id & ab aliis vsurpatum Auctoribus, & ipsi Gregorio, quem hoc Commentario nonnihil illustramus, inueniatur fuisse familiare. Nam de ipso Nonnoso tria referens miracula, primum simile ait, fuisse facto Gregorij Thaumaturgi, qui montem oratione mouit; secundum Donati; qui fractum calicem pristinæ incolumitati restituit. Tertium, quod diximus, facto Elisei, oleum multiplicantis. Et suprà 8. capite vidimus eumdem S. BENEDICTI quinque opera, conferre similibus à Moyse, Eliseo, Petro, Eliâ, & Dauide olim perpetratis.

2. FRATREM LATIVS ADMONVIT.] Vide mihi hîc industrium superiorem, & expertissimum animarum Medicum; qui post sectionem, emplastrum, post mordicans vinum, leniens infundit oleum. Præcedenti enim capite, *collectis fratribus inobedientem Monachum de infidelitate suâ, & superbiâ coram omnibus increpauit.* Hîc verò latiùs eumdem *admonuit, vt fidem habere disceret, & humilitatem.* Ibi, vt ipsemet in Regulâ docuit, *dirum Magistri, hic pium Patris* videtur *exhibuisse affectum.* Ibi cæpit euellere, & destruere infidelitatem & superbiam: hîc ædificare fidem, & plantare humilitatem. Congruè omninò. Nam cordis eius humo primæ increpationis sarculo effossâ, & vtriusque miraculi imbre cælitus irrigatâ, apta iam erat ad sanctæ humilitatis & fiduciæ in Deum semen suscipiendum. Nimirum, sic & Saluator noster Matth. 16. post multiplicatos nunc quinque, nunc septem panes, reprehendit modicam discipulorum fidem. Idemque eum Ioan. 9. cæcum à natiuitate, stupendo miraculo illuminasset: eumdem docuit veram in filium Dei fidem, eaque mentem illius interiùs illustrauit.

S. BENEDICTVS peritissimus animarum medicus.

Neque verò mirum censeri debet quod S. BENEDICTVS inobedientem Monachum de eâdem culpâ bis admoneat, priùs, scilicet publicè, ac deinde priuatim: studebat enim non tantùm eum corripere, sed & corrigere, non obducere vulnus, sed

Corripit, vt corrigat.

sed sanare. Nàm vtrectè Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 28. obseruat: Quod corpori medicina, idipsum animo præstat disciplina, per quam ipsius sanitas instauratur, *& quantum Scripturis ipsis diuinis colligi licet, in duo distribuitur, coercitionem & Instructionem. Coercitio timore, Instructio verò amore perficitur, eius dico cui per disciplinam subuenitur, nam qui subuenit, nihil horum duorum habet, nisi amare.* Amans salutis subditi sui vtramque hanc disciplinæ partem ei S. Pater BENEDICTVS liberaliter impendit: Coërcitionem quidem, vt doleret de præterito: Instructionem vt caueret de futuro. Et hoc animo subditum vtramque admittere oportet; vt cum Psalte Regio quasi gratulabundus dicat: *Disciplina tuâ correxit me in finem, & disciplinâ tuâ ipsâ me docebit.*

Psal. 17.

Optima in hanc rem est magni Basilij instructio. Ita enim ad interrogationem 52. in Regulis fusioribus, ait: *Eorum quibus medicina fit, partes existimari debent, Antistis in se animaduersiones, non ad odium accipere, neque impotentem dominationem existimare, curationem eam, quam misericordiâ quis adductus consulendi causa animæ ipsorum salute, ipsis adhibeat. Esset enim à decoro abhorrens, si, cùm qui aduersâ corporis valetudine laborant, ita vsque adeo magnam medicis suis fidem habeant, vt esto ipsos secent, esto amarissimis dividu medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter benemeritos de se illos numerent: nos non itidem quoque, in diuersis animarum nostrarum medicos, quandocumque, duriore imponenda nobis re aliquâ, salutem nobis efficiunt, fuerimus animati: Cum Apostolus dicat: 2. Cor. 2. Et quis est, qui me lætificat, nisi qui contristatur ex me? Et item: Ecce hoc ipsum quod contristati estis, quàm magnam in vobis solicitudinem operatum est. Proinde rei spectari exitus debet, & is bene de nobis meritus iudicari, qui nobis contristationem illam afferat, quæ est secundum Deum.* Sic ille.

Subditis quid agendum in correptione.

CAPVT XXIX.

Quando autem Superiores redarguunt dumtaxat & puniunt, vt muneri suo quoquo modo fecisse videantur, satis, parum de vlteriori instructione sollicitì, rarior tum existit emendationis fructus. Subditus enim increpationi acquiescens, non parum se præstitisse existimat, si patienter correptionem admiserit. At verò, si priuata posteà, ex magnâ charitate accedat instructio, illique ostendatur, & præuaricationis turpitudo, & quanti referat contrariam exercere virtutem, tum verò & ipse illius odium, & huius non rarò concipit amorem: adeoque fælicius succedit sperata emendatio. Quod in nostro exemplo euenisse Gregorius testatur.

Superiori obseruanda in correptione.

CAPVT XXX.

DE MONACHO A DÆMONE LIBERATO.



VADAM die dum ad [1] beati Ioannis oratorium, quod in ipsâ montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in [2] mulo-medici specie obuiam factus est, cornu & [3] tripedicam ferens, quem cùm requisisset, dicens: Quò vadis? ille respondit: [4] Ecce ad fratres vado, potionem eis dare: Itaque perrexit venerabilis Pater BENEDICTVS ad orationem, quâ completâ concitus rediit. Malignus verò spiritus vnum seniorem Monachum inuenit aquam haurientem, in quem statim ingressus est, eumque in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, [5] ei solummodò alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit, ità vt ad eum redire vlteriùs non auderet.

CAPVT XXX.

Dæmon sub medici specie monasterium petit.

Monachum inuadit.

à quo cum alapâ S. Benedictus expellit.

P E T R V S.

Velim nôsse, si hæc tanta miracula, virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

G R E G O R I V S.

Qui deuotâ mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cùm enim Ioannes dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri:* Qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant? Quia enim vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando suscitauit, Ananiam verò & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodò culpam, quam perpetrauerant, increpasse. Constat ergo, quòd aliquando hæc ex potestate, aliquando verò exhibentur ex postulatione, dum & istis vitam

Quod Sancti faciant miracula quandoque precibus, quandoque sine illis.

Ioan. 1. 6.

Act. 9. f.

Act. 5. a.

a 3. q. 8.

Petrus qui.

incre-

CAPVT XXX. increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei BENEDICTI facta nunc replico, in quibus apertè clareat, aliud hunc acceptâ diuinitùs ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

COMMENTARIVS.



1. AD BEATI IOANNIS ORATORIVM QVOD IN IPSA MONTIS CELSITVDINE SITVM EST PERGERET.] Ex hoc loco cap. 8. ostendimus Oratoria, quæ S. Pater extruxit, non fuisse Monachorum habitaculis contigua, sed aliquantò interuallo ab iis separata.

Mulo medicus,

2. IN MVLO-MEDICI SPECIE.] Plerique hæc ita interpretantur, & imaginibus exprimunt, quasi mulo insidens dæmon, Medicum se finxerit; atque ita accepit Ioannes Carpenteius, qui vitam S. BENEDICTI Tetrastichis heroicis exprimens, nu. 40. ita cecinit:

O medicum insignem! Strigosâ ficcine malâ
Vectus ades?

Sed vnâ voce legendum, *Mulo-medici specie*, hoc enim nomine Firmicus Maternus interpretatur eum, qui Græco vocabulo ἱππιατρὸς dicitur: *Centauro oriente*, ait, *qui natus fuerit, aut auriga erit, aut equorum nutritor, aut* MVLO-MEDICVS, *aut Equarius.*

Est curator iumentorum, & pecorum.

Est porrò *Mulo-medicus* iumentorum & pecorum curator, ac medicus, quem *veterinarium* Columella lib. 6. cap. 8. appellat, quòd veterina scilicet animalia, id est vecturæ idonea, soleat curare; vulgus Germanicè *Marescalcum* vocat, Gallicè *Mareschal*, & Italicè *Marescalco*. Maerschalck, ait Becanus, is dicitur, qui peritus est in equis curandis, & qui equestris rei cognitionem habet. Maer enim equus, schalck/ peritus, callidus, astutus in suâ arte appellatur. Hoc etiam nomine dicitur is, qui ferreos calceos adfigit, & iubas & caudam equorum comit. Zacharias hoc loco vertit, ἐν σχήματι ἱππιατροῦ, id est, in specie *Equarij Medici*, vt Valerius Maximus loquitur.

Tripedica quid.

3. TRIPEDICAM FERENS.] Varia hîc lectio, in ignoto, atque vt opinor barbaro vocabulo. Alij enim legunt *Trepedicam*, nonnulli *Terpidicam*, quidam *Tripetiam*, atque hæc vltima vox occurrit apud Sulpitium Seuerum Dialog. 2. cap. 1. *Sedebat*, inquit, *Martinus in cellulâ rusticanâ, vt est in vsibus seruulorum, quas nos rustici Galli* Tripetias, *vos Scholastici, aut certè tu, qui de Græciâ venis, Tripodas nuncupatis.* Idem sedile ligneum interpretatur, Dialog. 3. c. 20. Isidorus in Glossis M.S. *Tripoda, Tripedia*, id est scabellum habens tres pedes, &c. Zacharias Papa sine interpretatione posuit τριπέδιλον. Idipsum in Glossario suo Græco-barbaro citans Meursius, vt ignotum absque vllâ interpretatione reliquit. Ludouicus de la Cerda Aduersariorum Sacrorum cap. 126. num. 9. *Trepedicam* legit, additque, *quid sit ambigo, existimo esse potionis genus & medicamenti, dicerem potius vasculi, quo medicamentum continebatur.*

Coniectura nostra de Tripedica.

Verùm si diuinare fas sit, legendum putem *Tripedicam*, quasi triplex pedica, aut trium pedum pedica: id est, laqueus, quo tres pedes impediuntur & illigantur. Nam & Græca Zachariæ vox τριπέδιλον huic interpretationi fauet. Meursius enim, & de la Cerda in eisdem Aduersariis cap. 120. simplex Πέδιλον, Pediculam & Pedicam interpretantur. Hinc πεδιλοῦν, impedire, pedicas immittere. Solent enim Veterinarij equorum & mulorum pedes impedire, vt commodiùs eos tractare & curare possint. Nec malè hæc cacodæmoni conueniunt; vt Cornu quidem designet, quo astu diabolicas suggestiones hominum mentibus instillet: Pedica verò, quemadmodum vbique laqueos spargat ad irretiendas animas, iuxtà illud Iob 18. 10. *Abscondita est in terrâ pedicâ eius, & decipulâ illius super semitam*; dæmon enim velut robustus venator, vbique laqueos tendit & pedicas:

Vt rete fraudulentia
Incauta nectat pectora.

Hæc nostra de hac voce coniectura. Gallica versio habet *Trepan*, quod Chirurgorum est τρύπανον, terebra siue modiolus, quo cranium pertunditur.

Aliud diaboli sic apparentis exemplum.

4. ECCE AD FRATRES VADO POTIONEM EIS DARE.] Simile prorsus legitur de S. Macario, apud Ruffinum in Vitis Patrum lib. 3. num. 61. *cui apparuit dæmon vestitus tunicâ lineâ perforatâ, & per singula foramina vascula parua dependebant, & dixit senex. Quo vadis maligne? & respondit ei: vado commouere fratres hos, qui sunt inferiùs. Cui senex dixit, & propter quid tot vascula fers tecum? at ille dixit. Gustum fero fratribus, & ideo tanta fero, vt si vnum displicuerit, ostendam aliud, & si illud non placet, porrigam aliud, & fieri non potest, nisi vnum ex ipsis aliquod placeat eis: & hæc dicens discessit.*

S. BENEDICTI manibus dæmonem abigentis sanctitas: Aliorum Sanctorum manibus idem factum.

5. EI SOLVMMODO ALAPAM DEDIT.] Agnosce meritum & sanctitatem B. P. BENEDICTI, cuius sacris manibus ea vis diuinitus indita, solo vt attactu dæmonem pellant. Communicata & aliis Sanctis hæc gratia fuit. Sanctus enim Hubertus, vt habet Ionas Episcopus Aurelianensis in vitâ eius cap. 7. ab obsessâ muliere crucis signo atque alapâ impactâ dæmonem fugauit. Quibus addendus Monachus, qui ob inobedientiam à dæmone fuit occupatus, & per fratrum preces adiutus; postquam eidem suus Abbas Poppo *alapam* inflixit. Historiam recenset Enerhelmus Abbas Altimontensis cap. 18. vitæ Popponis, apud Surium tom. 1. Et ille quoque, quem ob stupri consuetudinem dæmon ingressus est; cuius in vitâ Simeonis Abbatis mentionem facit Leontius Neapoleos Cypri Episcopus, quem Abbas inflictâ *alapâ* expulit dicens: *Noli amplius mœchari, & dæmon ad te minimè accedet.* De alio quodam vide Krantzium lib. 5. historiæ Wandalicæ cap. vltimo. S. Philippum Nerium refert Ant. Gallonius in eius vitâ, multis se visentibus *alapas* impegisse, iisque dixisse: *Non vos percutio, sed diabolum.* Causa verò cur Sancti hoc vtantur modo, ea à Petro Thyræo libro singulari de Dæmoniacis cap. 46. traditur, quòd dæmones hâc contumeliâ egregiè confundantur, dum hæc tamquam contemptus sui argumenta assumi intelligunt. Affine porrò his est, quod Climacus narrat gradu 4. quemdam grauissimâ tentatione perculsum Superiori illam aperuisse, qui serenâ facie subridens, leuiterque maxillam illius feriens, abi, inquit, fili, ministeriumque tuum, vt priùs, exequere,

exequere, nil penitus metuas. Quo remedio ille curatus est,

6. VT MIRA QVÆQVE ALIQVANDO EX PRECE FACIANT, ALIQVANDO EX POTESTATE.] Similiter S. Pontifex loquitur homil. 34. in Euangelia: *Sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosq; virtute orationis, & vi acceptæ potestatis eiiciunt.* Non semel his S. Gregorij verbis, & allatis ab eo exemplis vtitur Angelicus Doctor, eademque nonnihil explicat: nam quod Gregorius dicit, *ex potestate* 1. parte q. 117. a. 3. ad 1. ait: *Sancti dicuntur miracula facere* ex potestate *gratia, non natura, vnde sequitur non posse hominem virtute sua anima materiam corporalem immutare.* 2. verò 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. cùm ex Gregorio iterum dixisset, Sanctos aliquando ex potestate miracula exhibere, aliquando ex postulatione, subiungit: *Vtrolibet tamen modo Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumentaliter, vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui. Vnde Iosue 10. cùm Iosue dixisset quasi ex potestate, Sol contra Gabaon ne mouearis, subditur posteà, non fuit anteà & posteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Vide eumdem lib. 3. contrà gentes cap. 103. & in quæstionibus disputatis de potentiâ Dei quæst. 6. art. 4. in corpore.

Quâ potestate sancti faciant miracula.

Quod & longè ante eum docuit Arnobius lib. 1. aduersus Gentes, qui cùm dixisset: *Christum sine vllis adminiculis rerum, sine vllius ritus obseruatione, vel lege, omnia illa quæ fecit nominis* (Fuluius Vrsinus & Godescalcus Stewechius legunt *numinis*) *sui possibilitate fecisse:* posteà ait: *istas virtutes non tantum ipse perfecit vi suâ, verùm (quod erat sublimius) multos alios experiri, & facere sui nominis cùm affectione permisit.* Deinceps verò probat, Apostolos *verbo, imperio iussionibus nudis*, non secus ac Christum, miracula fecisse. *Neque quidquam est ab illo gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod non omne donauerit faciendum paruulis illis, & eorum subiecerit potestati.* Subsannat deinde Gentiles, quòd *nulli mortalium Iupiter ille Capitolinus huiusmodi potestatem dederit, quod nec Curionem nec Pontificem Maximum, nec Dialem eius flaminem isto iure donauerit, vt vel pustulam, reduuiam, papulam aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret.* Agnoscit ergò Arnobius Sanctos ex potestate miracula facere, sed, vt dixit, cum affectione nominis Christi. CAPVT XXX.

His porrò aduersari videtur Athanasius, qui ait: *Numquid sua virtutis imperio curabat Antonius? numquid sua possibilitatis arbitrabatur esse, quod fecerat? Orationibus, non præceptis dæmones, morbiq; cesserunt.* Sed plana est responsio; excludere Athanasium præcepta quæ proprio fiunt nomine, non autem quæ fiunt in nomine Christi, vnde subdit: *Ad Christi Dei nostri nominationem semper vniuersa perfecta sunt. Nemo sapientium, sanitatũ admirationem adscribat Antonio, sed Domino Iesu.* Nimirum Deus Opt. Max. est, qui facit mirabilia magna solius.

CAPVT XXXI.

DE LIGATO RVSTICO SOLO ASPECTV VIRI DEI SOLVTO.



1. GOTHORVM quidam [a] Galla nomine perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ Regis eorum temporibus, contra Catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit, ità vt quisquis ei Clericus, Monachusque ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadam verò die auaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quemdam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diuersa laniaret, victus pœnis rusticus, sese, res suas BENEDICTO Dei famulo commendasse professus est, vt dum hoc à torquente creditur, suspensâ interim crudelitate, ad vitam hora repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticum tormentis affligere, sed eius brachia loris fortibus astringens; ante equum suum cœpit impellere, vt quis esset BENEDICTVS, qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens, duxit ad Sancti viri Monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit & legentem. Eidem autem subsequenti, & sæuienti Gallæ rusticus dixit? Ecce iste est, de quo dixeram tibi, BENEDICTVS Pater. Quem dum feruido spiritu, cum peruersæ mentis insaniâ fuisset intuitus, eo terrore quo consueuerat, acturum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinus oculos leuauit à lectione, eumque intuitus mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachiis lora deuoluere, vt dissolui tam

CAPVT XXXI. Ariani lericos Monachosq; persequuntur.

Ligatus solo intuitu solutus.

concitè

CAPVT XXXI. concitè nullâ hominum festinatione potuissent. Cumque is, qui ligatus venerat, cœpisset subitò astare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla, ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit: sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli, 4 vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insaniâ quiescere deberet, admonuit. Qui fractus, recedens, nil vlteriùs petere à rustico præsumpsit, quem vir Domini non tangendo, sed respiciendo soluerat. Ecce est, Petre, quod dixi: quia hi qui omnipotenti Deo familiariùs seruiunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gothi terribilis sedens repressit, lora verò nodosque ligaturæ quæ innocentis brachia astrinxerant, oculis dissoluit, ipsâ miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursum quoque quale quantumque miraculum orando voluit obtinere, subiungam.

COMMENTARIVS.

1.  OTHORVM QVIDAM] Quæ hoc capite narrantur, acciderunt ex Milletij calculo anno 543. cùm Totilâ ex Æmiliæ prouinciâ in Campaniam, Apuliam, & Calabriam transiret.

Galla, an Zalla,

2. GALLA NOMINE.] Sic nonoulli codices cum Baronio. Alij, & fortè meliùs, habent ZALLA NOMINE: atque ita est in translatione Græca Zachariæ. Ao inde forsan litteræ transmutatio, quod, vt Scaliger Animaduersionibus in Eusebium ait: *Antiquitus Latini antequam Z. admitterent G. pro eo vsurpabant. Martianus Capella: Z, à Græcis venit, licet etiam ipsi primo G. Græca vtebantur. Nam Getum quem nunc Zetum dicebant.* Sed vult Hugo Grotins non G. sed Sigma hoc modo formatum C. ibi legendum. Notum sanè Italos G. plerumque vt Z. exprimere, & Gothorum plurima nomina scribi per Z. videre est apud Procopium. Porrò ZALLAM hunc, ait Baronius fuisse vnum ex Totilæ Ducibus, & in indice vocat, Ducem Exercitus Gothorum: qualis & à Gregorio lib. 1. Dialog. cap. 2. fuisse scribitur Darida, qui S. Libertinum malè tractauerat.

Quis fuerit.

3. CÆPERVNT ILLIGATA BRACHIIS LORA DISSOLVERE.] Aimoinus lib. 2. de gestis Francorum cap. 22. primo loco statuit hoc miraculum ex tribus admirandis, nec sæculo anteà cognitis, quibus S. BENEDICTVS resplenduit, illique neminem putat conferendum Sanctorum. Non legerat, credo, Simeonem Stylitam solo aspectu lignum ex Draconis oculis eiecisse, vt refert Antonius eius discipulus in vitâ cap. 10. Illud enim huic non dissimile. In Gallicâ S. Coletæ vitâ lib. 1. cap. vlt. scribitur monialis in ignem collapsa, manum pedemque vstulatum retulisse: sed dum S. Coletæ hæc ambulta exhibet membra, solo eius aspectu, pristina rediit sanitas.

4. VT BENEDICTIONEM ACCIPERET] Caue intelligas nudam aliquam imprecationem, aut productionem signi crucis. *Benedictio* enim hîc accipitur, prout aliàs, pro Eulogia, siue cibo benedicto; & quia Christiani moris est, absque præuiâ benedictione cibum non sumere, hinc ipsa refectio benedictionis nomine appellatur. Ludouicus de la Cerda in Aduersariis Sacris cap. 24. num. 7. hunc locum citans, BENEDICTIONEM accipit pro Eleemosynâ, & cap. 66. num. 10. citat Sulpitium Dialog. de B. Martino: *Nihil verò ex his, quæ virgo venerabilis miserat, refutauit dicens,* BENEDICTIONEM *illius à Sacerdote minimè respuendam, quæ esset multis Sacerdotibus præferenda.* Innominatus Auctor inter opera S. Basilij: *Si quis mittit alicui* BENEDICTIONEM, *aut accipit aliunde, excepto Archimandritâ, careat* BENEDICTIONE: id est, non detur illi, in pœnam acceptæ eleemosynæ; quod nostræ interpretationi mirè consonat. Cibus enim Dei amore, & hospitalitatis titulo exhibitus vera est eleëmosyna. Confirmantur hæc à Zachariâ, qui vertit: *ὅπως μεταλάβῃ τροφῆς, vt alimentum acciperet.* Atque hoc sensu exponunt quidam, quod crebrò occurrit in pœnis incerti Auctoris inter opera S. Basilij: *careat benedictione,* id est cibo, nisi fortè pœna hæc intelligenda sit eo modo, quo explicat S. BENEDICTVS cap. 25. Regulæ, nimirum, *Vt cibi refectionem solus percipiat mensurâ, vel horâ quâ præuiderit Abbas ei competere, nec a quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.*

Benedictio idem quod Eulogia.

C A-

CAPVT XXXII.

DE MORTVO SVSCITATO.



VODAM die [1] cum fratribus ad agri opera fuerat egressus: quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æstuans, ad monasterium venit, BENEDICTVM Patrem quæsiuit. Cui cùm dictum esset, quia idem Pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante Monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus, ad inueniendum venerabilem Patrem, sese in cursum concitus dedit. Eâdem verò horâ vir Dei ab agri opere iam cum fratribus reuertebatur. Quem mox vt orbatus rusticus aspexit, clamare cœpit: Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce substitit, dicens. Numquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est, veni, resuscita eum. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valdè contristatus est, dicens: Recedite, fratres, recedite: hæc nostra non sunt, sed Sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in suâ petitione persistit, iurans, quòd non recederet, nisi eius filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisiuit, dicens: vbi est? Cui ille respondit: Ecce corpus eius ad ianuam Monasterij iacet; vbi cùm vir Dei cum fratribus peruenisset, flexit genu, & [2] super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens ad cælum palmas tetendit dicens: Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem huius hominis, qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculum animam, quam abstulisti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente animâ, ità corpusculum pueri omne contremuit, vt sub oculis omnium, qui aderant, apparuerit concussione mirificâ tremendo palpitâsse. Cuius mox manum tenuit, & eum Patri viuentem atque incolumem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petiit, vt exhibere potuisset.

S. BENEDICTVS Infantem mortuum resuscitat.

PETRVS.

Sic cuncta esse vt asseris, constat patenter: quia verba quæ proposueras rebus probas. Sed quæso te, vt indices, si Sancti viri omnia quæ volunt, possunt: & cuncta impetrant, quæ desiderant obtinere.

COMMENTARIVS.

Cum fratribus operi manuum insistit.

1. 
VM FRATRIBVS AD AGRI OPERA FVERAT EGRESSVS.] Considera hîc S. BENEDICTVM formam gregis, fratrum suorum interfuisse labori, nec spectatorem tantùm, sed & cooperatorem fuisse, facilè sibi persuaserit, qui Christum S. Birgittæ dicentem legerit lib. 4. cap. 127. BENEDICTVS *famulus meus quintuplicem habuit vestem. prima tunica aspera siue cilicium. Secunda Cuculla simplex, non accurata, nec rugosa. Tertia, scapulare quoad laborem manuum promptior & expeditior inueniretur. Quarta munimentum pedum, vt esset agilior. Quinta cingulum humilitatis, quo præcinctus restringeret superflua, & expeditus laboraret consuetum & iniunctum laborem.*

2. SVPER CORPVSCVLVM INFANTIS INCVBVIT.] Vide vt hîc Elisæum B. Pater exprimat; nam & ille iisdem ritibus paruulum resuscitauit. Ad portam autem Monasterij, vbi puer hic resuscitatus fuit, etiamnum apparent signa cubitorum S. BENEDICTI saxis impressa, & genuum patris pro defuncto filio supplicantis, vt refert hîc Simon Milletius. Cui fidem non denegabit, qui aliàs id pluribus concessum sanctis meminerit. De sanctâ Iustinâ Patauinâ, ita Breuiarium nostrũ Monasticum: *Venetiis in Ecclesiâ Iustinæ sacrâ in hodiernũ vsq; diem petra visitur fossulis impressa, quas ipsius genuum signa esse tradunt. Cum milites Præsidis fugiens, atque è carpento desiliens in silices prouoluta, castitatem suam Deo commendaret.* Anastasius Bibliothecarius scribit, Paulum I. Pontificem Romanum Ecclesiam extru-

Cubitorum genuumq; signa solo impressa.

Alia huiusmodi exempla.

CAPVT XXXII.

exstruxisse SS. Apostolis Petro & Paulo eo loci, quo martyrio coronandi, dum preces funderent, genua flectere visi sunt. *In quo loco vsq; hactenus eorum genua pro testimonio omnis in posterum venturæ generationis in quodam fortissimo silice noscuntur designata.*

Christi vestigia saxis impressa.

Sed & pedum Christi Domini vestigia saxis impressa, pluribus ostendi locis, auctor est Daniel Mallonius in explicatione sacræ Sindonis cap. 19. *In monte*, inquit, *Oliueti, vbi Christus orauit vt transferretur ab eo calix, adhuc cernuntur lapidi impressa manuum, genuum, & pedum Christi nuda vestigia; adeò vt etiam digitorum Christi pedum excauata vestigia conspiciantur; ita Borcardus in descriptione terræ sanctæ prima part. cap. 7. §. 46. Proximus eidem loco alius ostenditur lapis, in quo extremi digiti manuum ac pedum Christi, genua quoque marmori insculpta cernuntur, quo in loco Christum à militibus tradunt captum, & in terram prostratum.* Subdit ibidem Mallonius, in vrbe Tyri, & in littore maris Galileæ videri vestigia pedum Christi. Celebrius est, pluribusque Auctoribus annotatum, quòd Christus ad sui suæque Ascensionis monumentum, monti Oliueti petroso instar ceræ impressit, & impressa reliquit sacrorum pedum vestigia, quæ tot iam sæculis nullâ ratione deleri potuerunt, vt referunt Paulinus epist. 11. Hieronymus de locis Hebraicis, Seuerus Sulpitius sacræ histor. lib. 2. Beda de locis sanctis cap. 7. Christianus Adrichomius in descript. Hierosolymit. num. 192.

3. DOMINE NON ASPICIAS PECCATA MEA, SED FIDEM HVIVS HOMINIS.] Simili orandi formâ vtitur Ecclesia in oratione ante Communionem, quæ S. Gregorio à quibusdam adscribitur, quam ille fortè ab hac S. BENEDICTI didicerit.

Pueros S. BENEDICTVS amauit.

Notandum hîc, duos, quos à mortuis excitauit S. BENEDICTVS pueros fuisse, quos ille Christi exemplo peculiari semper prosecutus est amore. Hinc Antonius de Yepez primo Tomo Chronici Benedictini, alios duos pueros in Hispaniâ eiusdem Sancti meritis vitæ restitutos narrat. Priorem in Galleciâ; alterum iuxtà Burgensem ciuitatem.

CAPVT XXXIII.

DE MIRACVLO SCHOLASTICÆ SORORIS EIVS.

GREGORIVS.

CAPVT XXXIII.

Scholastica Soror S. BENEDICTI, sanctimonialis.



VISNAM erit, Petre, in hâc vitâ Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogauit, & tamen quod voluit, obtinere non valuit? Ex quâ re necesse est, vt tibi de venerabili Patre BENEDICTO narrem: quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. [1] Soror namque eius [2] Scholastica nomine, Omnipotenti [3] Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, [4] ad eum semel per annum venire consueuerat. Ad quam vir Dei, non longè extrà [5] ianuam, in possessione Monasterij descendebat. Quâdam verò die venit ex more, atque [6] ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater: qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis femina soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, vt istâ nocte me non deseras, & vsque mane [7] de cælestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris Soror? manere extra cellam nullatenus possum.

Tanta verò erat cœli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cùm verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus Omnipotentem Dominum rogatura, declinauit.

Precibus ipsius maxima tempestas excitata.

Cumque de mensâ leuaret caput, tantâ coruscationis & tonitrui virtus, tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis BENEDICTVS, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas [8] serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Nec paulò tardiùs post orationem inundatio illa secuta est: sed tanta fuit conuenientia orationis & inundationis, vt de mensâ caput iam cum tonitruo leuaret: quatenus vnum idemque esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere.

Tunc vir Dei inter coruscos & tonitruos, atque ingentis pluuiæ inundationem, videns

videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens. Parcat tibi omnipotens Deus, Soror, quid est, quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modò ergò, si potes, egredere, & me dimissâ ad monasterium recede. Ipse autem exire extrà tectum non valens, quia remanere sponte noluit, in loco mansit inuitus. Sicq; factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicariâ relatione satiarent. Quâ de re dixi, eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem adspicimus, dubium non est, quin eandem serenitatem voluerit, in quâ descenderat, permanere: sed contrà hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex feminæ pectore, miraculum inuênit. Nec mirum, quod plus illo femina, quæ diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Quia enim iuxtà Ioannis vocem, Deus charitas est, iusto valdè iudicio illa plus potuit, quæ ampliùs amauit. Ioan. 1. c.

PETRVS.

Fateor, multum placet, quod dicis.

COMMENTARIVS.

S. Scholastica.

1. SOROR] fuit S. SCHOLASTICA beatissimi Patris nostri BENEDICTI soror germana & vterina; vno enim partu Abundantia Mater, geminos hos edidit Ecclesiæ flores, & puerperij superatis molestiis ex hâc vitâ migranit.

Pleriq; Sanctorum Patrum habuere sorores sibi similes.

Notandum verò hîc, plerosque SS. Patrum (vt Miræus etiã annotauit in Chronico Cistertiensi, tractatu de origine Beginarum) sorores habuisse pietate illustres, adeoq; sacras, ac velatas virgines. Fuit in his Macrina DD. Basilij & Nysseni Gregorij soror, cuius & vitam frater Episcopus posteritati transmisit. Fuit & Gorgonia Gregor. Nazian. soror sancta, sed coniugata, quam idem funebri laudatione prædicauit. Marcellina item soror Ambrosij, ad quam varias epistolas exarauit. Magnus quoque Antonius, Athanasio in vitâ, cap. 27. teste, sororem vetulam virginẽ habuit, aliarum puellarũ magistram, quam etiam inuisit. Pachomio, vt in vitâ c. 28. soror Monacha fuit, & Monacharum præfecta, quibus ille Monasteriũ Regulamq; cõdidit. Meminit August. epist. 109. sororis suæ præpositæ, sub quâ aliæ virgines fuerint eruditæ, velatæ & multiplicatæ. SS. Leander, Fulgentius, Isidorus Hispalẽsis fratres, sororẽ habuêre Florẽtinam à primis annis in Cœnobio degentem. Quinquaginta Cœnobiis, in quibus mille virgines numerarentur, præfuisse scribit Prudentius Sandovallius. Sorori verò suæ S. Leander Regulam, siue librum de Institutione Virginum conscripsit. Sic & Gregorius Magnus, Bernardus, Thomas Cantuariensis, & Thomas alter Aquinas vnam pluresque sorores virgines Deo dicatas nacti sunt, easdemque piis adhortationibus informarunt.

Scholastica nomen: Scholasticus, titulus honoris.

2. SCHOLASTICA NOMINE.] Cur hoc ei Parẽtes indiderint nomẽ, non admodum difficile fuerit indagare. Honorificũ enim SCHOLASTICI fuit nomẽ, & à litterarũ scientiâ pluribus tributũ. Hieronym. Catalogo Scriptor. Ecclesiast. c. 99. *Serapion ob elegantiã ingenij, cognomen* SCHOLASTICI *meruit*. Palladius li. 8. c. 26. *Eulogius fuit disciplinarũ liberalium* SCHOLASTICVS. Walafridus Strabo de rebus Eccles. c. 25. *Prudẽtius* SCHOLASTICVS *Hispaniarum*. Posteriori autẽ sæculo SCHOLASTICVS est Aduocatus, vnde in Actis Dorotheæ virginis, Theophilus, nunc *Scholasticus*, nunc Aduocatus dicitur. Vitâ S. Sebastiani lib. 2. *Dum à beato Tiburtio viro* Scholasticissimo, *& nobili & sancto*, qui ante *Aduocatus* dicitur. Plura vide in Onomastico Heriberti Rosweydi. Sed & feminis hic titulus tributus. De Iulianâ Origenis hospitâ, Paradisus Heraclidis cap. 52. *Quædã virgo nomine Iuliana in Cæsariensi Cappadociæ Ciuitate* scholasticissima *ac fidelissima dicebatur*. Pro *Scholasticissima*, Palladij interpres habet doctissima. Ipso ergò nomine cæleste, quâ deinceps imbuenda erat, doctrinã expressit, quod ab aliis quoque obseruatũ. Nam (vt Venerabilis ait Beda serm. 2. inter varios, qui est de hac sanctâ: Scholastica *à* schola *derinatur, quæ est sapientiæ nutrix: ab ipsâ autem omnis doctrina sapiẽtiæ surgit, ab ipsâ virtutũ omnium norma concrescit. Ista non Philosophorum* schola Scholastica *facta, sed Christi, mundi ludibria; ab infantiâ fugiens, cælestem sibi sponsum aptauit. Fœlix Mater, quæ tali germine soboles mundo dedit, id est, benedictionis & sapientiæ.* Ita Beda.

S. Scholastica nomen cur hoc sortita.

Sanctus Bertharius in Sermone ab Antonio de Yepez ad annũ Domini 489. citato, ait, hoc nomẽ sanctã hanc virginẽ habuisse, quod *scholas* aperire deberet, in quibus infinita multitudo animarũ ad Dei seruitium instrueretur, & quia futurũ erat, vt multæ sanctæ & doctæ virgines quæ in Ordine S. BENEDICTI fuerũt, doctrinam cælestem & diuinam religiosæ vitæ, quam hæc Sancta doceret, addiscerent. Citatus porrò Yepez annũ Domini 532. agens de Plumbariolâ S. *Scholasticæ* monasterio, ita scribit: Sicut S. BENEDICTVS, proprio nomini inscriptam gerebat *benedictionem* cælestẽ, quâ plenus erat; ita & soror eius re & nomine erat *Schola* virtutum. Hæc *S. Scholastica*, non erat edocta in scholis philosophicis, & scientiis humanis, quas etiam frater eius deseruerat, à Ciuitate Romana profugiens sed ab infantiâ studuit in *Scholâ* Iesu Christi, quem elegit non solùm in Magistrum, sed etiam in sponsum: vnde se illi consecrauit, promittens virginitatem & perpetuam religionem.] Ita ille.

In monialium monasterio oblata & consecrata.

3. DOMINO AB IPSO INFANTIÆ TEMPORE DEDICATA.] Insinuat S. Gregorius sanctã hanc *Scholasticam* adhùc infantẽ, more & ritu in Ecclesiâ tunc vsitato, omnipotenti Deo in aliquo monialium monasterio fuisse oblatã & consecratã. Quæ puerorũ oblatio, cùm ex SS. Mauri & Placidi ad Ordinẽ admissione, tum etiã ex Regulæ cap. 59. euidẽter colligitur, æuo isto viguisse: de quâ & nos pluribus egimus in *Disquisitionibus Monasticis*. De Sanctâ verò *Scholasticâ* scribit R. D. Henricus vanden Zype Abbas Moosterij S. Andreæ iuxtà Brugas, facilè colligi oblationẽ eius factam, non ab ipsâmet, quia erat infans, sed à Patre, mater enim iam defuncta erat. Cuius obitus meritò existimari

CAPVT XXXIII.

potest patri causã dedisse, infantẽ vt hanc maternâ custodiâ destitutã, in Ecclesiâ alicuius Monasterij, corã testibua Deo cẽsuerit offerendam.] Sic ille. Sed quid vetat dicere, etiam propriâ volũtate dedicatam Deo, cùm etiã S. Eupbraxia septennis puella Christo se suâ sponte deuouerit? Et Cæsarius Arelatensis in Regulâ Monialiumnum. 5. præscripserit, *paruulam infantulã in Monasterio non suscipiendã, nisi ab annis sex aut septem, quæ iam & litteras discere, & obedientiæ possit obtẽperare.*

Vitæ Patrum lib. 2. in vitâ S. Euphraxiæ.

Ad religionẽ ergò, nõ ad scholam septẽnes hæ puellę suscipiebãtur: quod alio fine vetat fieri: vnde subdit: *Nobilium filiæ siue ignobilium ad nutriendũ, aut docendum penitus non accipiantur.*] Fuerit igitur septennis, aut octennis beata hæc virgo, cùm Domino dedicata fuit, à quo nõ multùm dissentire videtur Antonius de Yepez, qui in Chronico ad annum 532. ait, eam in paternâ domo per id tempus fuisse cõmoratam, quo S. BENEDICTVS studiorũ caussâ Romam missua fuit. Cùm autẽ Nursiæ fama detulisset S. BENEDICTVM solitudinem petiisse, fraterno exemplo incitatã *Scholasticam* patri supplicasse, Deo vt se consecraret, qui eam ab infantiâ vocasset. Filiæ precibus pater acquieuit, fuitque deinde religiosa in quodam Cœnob.o, cuius nomen incognitũ. Posteà verò, cùm celebre nomen fratris, eiusq; Regulæ & discipulorũ inaudisset, sedem fixit iuxtà Montem Cassinũ, vbi nouum excitauit Monasteriũ, Plumbariola appellatum, situm ad meridionalem plagã Monasterij Cassinensis, occidentem versus, ab eoque tribus, vt Wion ait, distans milliaribus.

Iuxta Cassinum, nouum extruxit Monasterium.

Destructo autẽ per Lõgobardos, iuxtà S. BENEDICTI vaticinium, Cassinensi Monasterio per centum & quadraginta annos, cùm illud reædificaretur, tandem etiam & hoc sanctæ Scholasticæ monasterium restauratum fuit, vt Leo Ostiensis lib. I. c. 8. Chronici Cassinensis Auctor est. Narrans enim Rachin Longobardorum Regem monitionibus Zachariæ Papæ conuersum monast. cum habitum suscepisse, & in Cassinensi Monasterio piè deinceps vixisse. hæc subiicit: *Vxor alius nomine Tasia, & filia Ratruda, concedente & adiuuante præfato Abbate, monasterium puellarum non longè à Cassino, in loco qui Plumbariola vocatur, propriis sumptibus exstruxerunt, multisq; ditatum opibus, ibi sub magnâ cautelâ & districtione regulari vitam agentes vltimum diem clauserunt.*] Sic ibi.

Hæc porrò cùm ita se habeant, mirum est fuisse nuperũ quemdam Concionatorẽ, qui refragante totâ antiquitate, dicere veritus non fuerit, S. *Scholasticam* non fuisse religiosã, quam proinde vt filiarum deuotarũ numero adscriptam statuebat illis in exemplum castitatis in sæculo seruandæ, cùm tamen Gregorius, præterquam quod scribat Domino dedicatam tertiò eam *Sanctimonialem* feminam nominet. Hanc porrò sententiam erudito calamo, & validis argumẽtis reuicit R. Abbas S. Andreæ Henricus vanden Zype, edito peculiari de hac quæstione libello, cuius argumenta hìc punctim Lectori exhibebo, additis prætereà quæ nobis de eodem argumento occurrerunt. Fuit igitur S. *Scholastica* verè & propriè dicta *Monialis*, non autem deuotaria inter sæculi homines degens.

Fuit S. Scholastica propriè dicta monialis.

PRIMÒ. Quia ab infantiâ certis cærimoniis, vt fieri solet, & ex Regulæ cap. 59. constat, in Monasterio Deo dicata fuit, quod deuotariis, quæ adultâ ætate, nullis publicis Ecclesiæ ritibus Deo incipiunt militare, non congruit. Monasterium autem illud traditur fuisse *S. Mariæ de Plumbariolâ*, in quo Monasticen exercuerit, idque sub Regulâ & regimine S. BENEDICTI: hac enim caussâ non longè à Cassinensi Monasterio videtur voluisse habitare, vt nimirum fratris directione & disciplinâ imbueretur. Fuisse enim non longè à S. BENEDICTI Monasterio in quodã vico Sanctimoniales feminas, quibus S. BENEDICTVS fratres suos exhortationis gratiâ mittere soleret, suprà cap. 19. Gregorius asseruit, in quo monasterio S. *Scholasticam* vixisse, probabiliter creditur. Ne enim credamus separatim habitasse Sanctimoniales illas, Zacharias Papa ait, in vico illo fuisse asceterium religiosarum & castarum virginum. Cùm autem ante S. BENEDICTI aduentum vigeret ibi idololatria, verosimile non est, vllas ibi fuisse moniales, nisi postquam incolæ S. Patris essent prædicatione conuersi. Erat proinde hoc monasterium S. BENEDICTO de iure subiectum, cui Tertullus Patricius ipsum montem Cassinum dederat.

Idq; in monasterio Plumbariolâ, sub S. Benedicti Regulâ.

SECVNDÒ. Quia cõstanter à Gregorio *Sanctimonialis* nominatur, quod nomẽ non nisi Religiosis & claustralibus feminis in Iure, & communi vsu tribuitur; quas Zacharias Põtifex in Græcâ versione, *Monastrias, Monachas, siue Ascetrias* vocat. Quibus nominibus deuotas filias nullus vocauerit. Scio equidẽ Isaacum Casaubonũ in exercit. ad Baron. ægrè ferre Monachos *Asceras* (& cõsequenter Moniales *Ascetrias*) dici; quod omnibus omninò Christianis hoc nomen competere velit; sed eum retudit P. Eudæmon Ioannes lib. 2. c. 6. Castigationum; & nos attigimus in *Disquisitionibus*.

Asceta Monachi.

TERTIÒ. Locum ad quem post colloquium se S. *Scholastica* recepit, Gregorius appellat, Cellam, quâ voce Monasteriũ passim intelligi, vt alibi annotauimus, & in hâc ipsâ narratione S. BENEDICTVS ait: *Manere extrà Cellam nullatenus possum*, id est Monasteriũ; quod adeò certum Petro Abailardo visum, vt epist. 8. ex his S. BENEDICTI verbis, & exemplo cõcludat, Abbates quasi assiduos in Monasterio esse debere, riusque egredi. Quibus adde, Gregorium scribere, die alterâ venerabilem feminam ad *cellam* propriam recessisse, vt videas ex hoc verbo habitationẽ illius in Monasterio fuisse. Notum autẽ est, deuotarias non in monasteriis, sed in parentũ, aut propriis habitare ædibus.

Cella pro Monasterio.

QVARTÒ. Cùm Gregorius asserat, BENEDICTO & *Scholasticæ* vnam semper in Deo fuisse mentẽ, quis dubitet, eosidem vitæ sectatos institutũ, & hanc studuisse fratrem per omnia imitari. Illum verò aliam viuendi rationem non præscripsisse sorori, quàm quæ sibimet placuisset hactenus, & in quâ tot habebat sectatores. Quod si Monasteria passim, quæ ante S. BENEDICTVM aliis parebant legibus, eius statim Regulam (vt alibi probauimus) susceperint, quis credat germanam sororẽ eam non fuisse sectatam; cum fratri & loco, & sanguine, & spiritu esset coniunctissima?

QVINTÒ. Idipsum colligi queat ex colore habitus ipsius S. SCHOLASTICÆ, seruatur enim in Monasterio Iuueny in Lotharingiâ ipsius manicâ, aut certè maior eius pars, cùm eiusdẽ cingulo. Est porrò hæc manica coloris nigri naturalis, siue nõ tincti, quem fuscũ siue brunũ appellant. Ita testatur P. Florentius Bonlenger Ordinis Minorum Recollectorum, in tractatu Gallico de clausurâ Monialium part. 3. c. 1. §. 1. Pullam autem, aut subnigram fuisse olim Monacharum vestẽ, testis est Hieronymus epist. 15. ad Marcellam, cum de Asellâ ait: *Tunicam fusciorem induta, se repente Domino cõsecrauit*. Idemq; epist. 12. docens, quomodo virginitati destinata Pacatula induenda sit, ait: *Solent quædam, cùm futurã virginem spopõderint, pullâ tunicâ eam induere, & furuo operire pallio.* Et Augustin. Epist. 199. reprehendens Ediciam, quod inconsulto viro Monachæ vestẽ sumpsisset, ait: *Expediret potiùs obtẽperare viro candidis moribus, quàm in nigellis vestibus repugnare. Quia etsi te indumentum Monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito obseruato, exoratoq; sumi.* Concilium in Trullo can. 4. Sanctimoniales iubet sine pompâ vllâ, citò vestibus atris amiciri, cùm vota faciunt.

Manica & cingulum S. Scholasticæ.

SEXTÒ. Accedat tot sæculorum constans & inuariata

riata traditio, & totius mundi cõsensus. Nusquam enim quod legerim, hęc sacra virgo Monacha fuisse negatur, vbique in Monastico depingitur schemate, & Sanctimonialis & Religiosa passim ab Auctoribus priscis & recentioribus nominatur. Volaterranus Antropologiæ lib. 21. de S. BENEDICTO agens, ait: *Sororẽ habuit Scholasticam Cœnobio virginũ eiusdem Ordinis præsidẽtem.* Petrus Episcopus Equilinus lib. 3. c. 110. *Scholastica virgo* B. BENEDICTI *soror ab ipso infantiæ tẽpore Domino dedicata in Monasterio fuit.* Hieronymus Platus lib. 1. de bono Status Religiosi c. 35. idem ceu indubitatũ supponit. Volens enim probare religiosorũ preces faciliùs à Deo exaudiri, quàm eorũ qui extra Religionẽ degunt, exemplum adfert S. SCHOLASTICÆ subitos imbres à Deo impetrantis. At frustrà hoc, si religionẽ professa non fuerit. Thomas de Trugillo tom. 2. Thesauri Cõcionator. eandẽ sententiam confirmat, dicens: *Habebat S.* BENEDICTVS *sororem quandam quæ vocabatur Scholastica, quæ sicut frater Deo deuotè seruiebat in quodam Monasterio religiosarum mulierum.* Thomas Stapletonus in Promptuario morali Dominica Paschæ textu 1. S. BENEDICTVS S. SCHOLASTICAM sororem habuit, non secus multarũ virginum matrẽ, quàm ille Monachorũ Pater fuit; hodieq; eius amplissimum Monasteriũ extat non longè ab illâ speluncâ, in quâ per triennium S. BENEDICTVS latuit, sicuti oculis nostris olim perspeximus. Ioannes Trithemius lib. 1. de viris illust. Ordinis S. BENEDICTI c. 1. agens de matre S. BENEDICTI: *Hæc,* inquit, *periclitata in partu geminos edidit: filium scilicet* BENEDICTVM, *& filiam nomine Scholasticam: qui ambo sæculũ Christi amori postponentes, Domino in monasticâ vitâ militarunt.* Guilielmus Gazæus in vitis Sanctorũ Gallicè editis 10. Februar. *Sancta,* inquit, *Scholastica mundo renũtians, & se totam diuino mancipauit obsequio. Quemadmodum autẽ* BENEDICTVS *frater eius religiosus effectus est, non secus & illa fecit in quodam Monasterio, in quo vt vera Dei filia contẽplationibus vacabat cælestibus.* Philippus quoq; Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ 10. Februarij, sic ait: *Scholastica virgo nobili loco Nursiæ nata,* S. BENEDICTI *Abbatis soror, fratris exemplũ secuta, vitã monasticam apud Montem Cassinum in loco qui Pumarola dicebatur, duxit, orationibus, ieiuniis, vigiliis, piisq; meditationibus addicta.* In annotatione subiicit: *Quam Abbatissam fuisse, hoc est multarũ virginum matrẽ tradunt, Patremq; illius Theodorum nomine, nobilissimum Nursiæ Comitem fuisse.* Sed de Patris nomine errat, vt constat ex iis, quæ alibi diximus. Idem rursus in Topographiâ ad Martyrologium Romanum, in verbo *Mons Cassinus* 10. Februarij, ita habet: *Scholastica virgo Abbatissa* S. BENEDICTI *soror. Corpus Cenomanis in Galliâ.* Iacobus Ferragius in meditationibus de festo huius Sãctæ, in titulo vocat eam *Matrẽ religiosarũ Benedictinarum.* Et puncto 1. Matrem, Magistram, Ducem & exemplũ religionis & obseruantiæ. Puncto 2. ait duos populos fuisse in vẽtre matris Abundãtiæ, quibus significaretur duplex sexus sub vnâ degens Regulâ; alter Ductore S. BENEDICTO, alter Ductrice S. Sholasticâ, cui, (vt habet pũcto 3.) successerũt, atq; etiamnũ tot succedunt Abbatissæ.

De eius monachatu testimonia.

Meditatione 2. puncto 3. ait, eam intrasse religionem & obseruasse Regulam S. BENEDICTI. Meditat. 5. puncto 2. ait, eam emisisse votum cõuersionis morum, vt fit in Ordine S. BENEDICTI. Intelleximus autem hunc Auctorem peculiari tractatu monasticam professionem S. Scholasticæ vindicasse, quem tamen hactenus videre non licuit.

Nouissimè eandem sententiam in Compendio vitarum Fundatorũ Ordinum Religiosorũ sæpius inculcat Stephanus Binet Societ. Iesu. Primò enim ait, S. BENEDICTVM vnà cum sorore, & pro illâ erexisse Monasteriũ Plumbariolæ iuxtà Montem Cassinum, quòd fuit primum filiarũ sui Ordinis. Et de S. Scholasticâ agens, ait: Fratrem tam propè imitata est, vt sicut ille Monachorum extitit Fundator, non secus hæc filiarum Dei *effecta est mater, virginum sui temporis speculum. Sub fratris Regulâ erexit domum S. Mariæ de Plumbariolâ, in quâ plures selectas filias & veras Iesu Christi Sponsas educauit. Religiosè admodum seruabatur ibi Regula, vt vera Angelorũ videretur hierarchia.* Nõnullis interiectis: *Qui vitam, ait, S. Scholasticæ nosse desiderat, Regulã legat* S. BENEDICTI *fratris eius. Hoc enim quod Sancta fecit, aliud non erat quàm quod Regula præscripsit: quas autẽ regebat, dignæ erant tanto Patre, taliq; Matre filiæ.* Denique concludit. *Sacra hæc virgo Mater fuit myriadum aliquot virginum, quæ eius exemplo S.* BENEDICTI *seruantes Regulam æternas obtinuerunt ex liliis rosisq; coronas.* Et hi quidem Auctores constanter asserunt Monasticum S. Scholasticæ statum, contraria verò sententia nullis, ne quidem apparentibus nititur argumentis, quare quàm temerè dicitur, tam facilè poterit explodi. Atque hæc hactenus, plura qui volet, legat prædicti Domini Abbatis tractatum.

CAPVT XXXIII.

4. AD EVM SEMEL PER ANNVM VENIRE CONSVEVERAT.] Accessus huius causam ipsa satis indicat Gregorij narratio. Beda tamen, qui totam hanc historiam pulchra illustrat paraphrasi, ait: *Sororem accessisse vt semel in anno bonus frater rore verbi cælestis fæcundaret mentium prata, ita vt hoc sufficeret ad incrementum salutis.* Hæc ille. Tam bonæ autẽ & optimæ terræ proculdubio satis erat, verbi Dei semen, semel quotãnis inspersisse, quod illa deinceps conseruans, & conferens in corde suo, fouebat & ruminabat, vt fructum plurimum adferret. Quamuis etiam credi possit S. BENEDICTI Monachos non rarò exhortationis gratiâ sororem Scholasticam, illiusq; Sanctimoniales accessisse. Quod ex eo colligas, quod suprà scribatur, in vico nõ longè à Monasterio fuisse Sanctimoniales feminas: *Et crebrò istuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere* BENEDICTVM *Dei famulũ curasse.* In hoc monasterio, vt diximus, probabiliter, degebat S. Scholastica: aut si forsan in alio, eidẽ iure merito tantũdem, & aliquid etiam amplius impẽsum fuerit: vt proinde nihil instructionis S. Scholasticę, eiusq; sororibus defuerit.

S. Scholastica annui ad S. BENEDICTVM accessus causa.

Verùm huius ad S. BENEDICTVM egressus dubium mouebit, num S. BENEDICTVS Monialibus exitum è monasterio permiserit, adeoque non obstrinxerit ad clausuram?

An exitus è monasterio monialibus à S. BENEDICTO concessus:

Respondemus: Quantum ex Regulâ Monachis præscriptâ colligi potest, clausuræ Legislator noster fuit amantissimus. Quid enim aliud hæc eius innuunt verba cap. 66. *Monasterium autem si fieri possit, ita debet constitui, vt omnia necessaria, vel artes diuersæ intrà Monasterium exerceantur, vt non sit necessitas Monachis vagandi foris, quia omninò non expedit animabus eorum:* Hæc si Monachis, quid infirmiori præscripsisset sexui? & facilè crediderim Moniales illas, quæ S. BENEDICTI imperio parentes in Monasteriis degebant, clausuram seruasse. Quod ex eo verisimile fit, quod cùm Gregorij tempore passim in Monasteriis recepta esset S. BENEDICTI Regula, reprehenderit ille lib. 3. Epist. 9. Ianuarium Episcopum, quod Ancillis Dei in Sardiniâ ob negotia egredi permiserit: monetque *vt vitâ moribusq; probatum virum deputet, qui sic Monasteriis possit*

CAPVT XXXIII.

assistere: quatenus vlteriùs Ancillis Dei pro quibuslibet causis, priuatus vel publicus extrà venerabilia loca contrà Regulam vagari non liceat. Vbi insinuari crediderim S. BENEDICTI Regulam, & citatum iam ante caput, quod pro monialibus ita intellexerint, vt eis exire non liceret.

Si non, quomodo S. Scholastica egressa.

Sed quæras, cur ergò egressa S. SCHOLASTICA? Respondemus. Clausuram non eo rigore tum temporis videri seruatam, atque posteà ordinauit Ecclesia: vt proinde eo tempore Superioribus, quibus Moniales parebant, licuerit aliquando & raro ex causis rationabilibus egressum concedere. Atque ita dicendum eum B. Scholasticâ dispensatum, vt semel per annum ad vnius diei cum S. BENEDICTO colloquium liceret excurrere; idque itinere non admodum longo, nam incumbentibus iam noctis tenebris voluit eam ad suum Monasterium remittere. Si enim nefas credebat, vt ipse extrà cellam maneret, multò magis id dedecebat Monialem. Deinde quod mortuæ corpus fratrum humeris ad suum transferri voluerit monasterium: quod minimè fecisset, si virginum Cœnobium abfuisset longiùs. Poterat autem hanc excundi gratiam S. BENEDICTVS indulgere, tum quia Ordinis erat Fundator & Generalis, ipsiusque Regulæ Conditor: tum quia talibus egressum hunc muniebat circumstantiis, nulla vt esset occasio sinistræ alicuius opinionis. Nam

5. EXTRA IANVAM IN POSSESSIONEM MONASTERII.] Mansit apud Cassinenses celebris huius rei memoria. Nam, vt quarto libro Chronici Cassinensis cap. 10. refertur: *Cùm statutum esset, vt duodecim fratres discalceatis pedibus Regis adirent Cancellarium,* subdit deinde: *Fratres qui missi fuerant ad Cancellarium, cùm ad locum in quo Pater* BENEDICTVS *semel per annum cum sorore suâ locutus fuerat, peruenissent, Decanus,* &c. Et extat hodieque exstructum hoc loco sacellum, colloquij huius inter S. BENEDICTVM & Scholasticam perpetuum monumentum; vt testis est Simon Millctius in Annotationibus ad hunc lib. 2. Dialog. S. Gregorij.

Cur ad eam cum fratribus descendit S. Benedictus.

6. AD EAM CVM DISCIPVLIS DESCENDEBAT FRATER.] *Quàm sanctus,* inquit Bedâ, *quàm pudicus, quam discretus accessus vt fragilis sexus non lassesceret, obuiùs frater occurrit, ne fortè labor itineris frangeret mentis deuotionem.* Sed alias duas potiores deinde assignat causas. Prior quòd illicitum cerneret, vt tanti limen Cœnobij femineo calcaretur pede. Mulieres igitur Cassino exclusæ. Quod in Fuldensi olim Monasterio tam rigidè seruatum, vt ne Imperatrici quidem in Ecclesiam permitteretur ingressus. Idipsum autem S. Bonifacius à Zachariâ Papâ priuilegij loco impetrauerat, & alij deinceps Pontifices confirmarunt. Cum autem Bonifacius IX. certis diebus feminis aditum ad templi atria indulsisset, cælesti igne Fuldensis Ecclesia conflagrauit, & totaliter consumpta est, vt pluribus refert Browerus Antiquit. Fuld. lib. 1. cap. 8.

Ipsi Imperatrici Monasterij Fuldensis ingressus negatur.

Similiter credendum à S. SCHOLASTICÆ monasterio exclusos viros, atque hinc fratrem & sororẽ in destinatam quandam Cassinẽsis Monasterij possessionem ad spirituale conuenisse colloquium. Alteram causam Beda assignat, vt sæculariũ scilicet vitarent latratus, qui bonos Monachorũ mores canino more deuastant. *Idcircò,* subdit, *non in secularium, sed in proprijs possessionibus descẽdebat Pater Almificus.*

Huius Colloquij materia congruensque.

7. DE CÆLESTIS VITÆ GAVDIIS LOQVAMVR.] Digna vtriusq; pietati sacrorũ colloquiorum materia, non minùs tempori, quàm personis conueniens. Quid enim aptius loquantur illi, *quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit,* quàm de perpetuis illius vitæ gaudiis? huc enim totius vitæ regularis tẽdit cursus, huc tota nos dirigit Regula, vt vel ipsius legislatoris constat sententia: *Quisquis,* inquit, *ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuãte Christo perfice.* Cùm autem S. Pater insigniter dotatus esset gratiâ priuati sermonis, siue talento spiritualiter & fructuosè colloquendi, atque hoc nomine ab aliis frequentaretur, videtur sæpiùs cùm iis de æternâ beatitudine, eiusque felicitate contulisse. Ita enim sequẽti capite audiemus Seruandum Diaconũ eius Monasterium frequentasse; *vt quia idem quoq; vir doctrinâ gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicẽ vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent.* Opportuna quoque erat hæc tempori, & colloquentium dispositioni materia, cùm enim esset hæc vltima inter eos conferentia, & SCHOLASTICA triduo pòst, esset moritura; S. verò BENEDICTVS trigesimo nono die eam subsecuturus, conueniebat omninò, vt de illius vitæ differerent gaudiis, ad quam celeri gressu properabant, & cui iam tum erant vicini. Quod quidem B. Patrem non latebat, qui obitus sui diem & præsciebat, & quibusdam suis discipulis denuntiauerat, & verisimiliter eundem dilectissimæ sorori suæ patefecit.

Reg. cap. 5.

Reg. cap. 73.

Miratur verò Iulius Nigronus tract. ascetico 15. §. 40. quàm vehemens in vtroque fuerit rerũ spiritualiũ fames, quæ vix colloquio saturari potuit, quod integrũ diem cum totâ nocte fruendo coniunxit. Quibus verò pietatis affectibus sacrum hoc colloquium fuerit intercalatum, quo fructu finitũ, quis valeat enarrare? Cõiicere tamen vtcũque licet ex simili colloquio, quod Augustinus cum matre suâ Monicâ, morti quoq; iam proximâ, apud Ostia Tiberina ad fenestram quandam incũbens habuit; describit ipse lib. 9. c. 10. *Colloquebamur,* inquit, *soli valdè dulciter, & præterita obliuiscentes, in ea quæ ante sunt extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem quod Tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui.* Narrat deinde copiosè, quàm multis affectibus spiritualibus colloquiũ illud esset aspersũ, desideriis, ardore, suspiriis, admiratione, gaudiis. Postremò prodit effectũ ex colloquio secutum in vtroque, his verbis, quæ rerũ ac delectationum humanarũ omnium despicientiam significant. *Domine tu scis, quòd illo die, cùm talia loqueremur, & Mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis, tunc ait illa: Fili, quãtum ad me attinet, nullâ iam re delector in hac vitâ.*

Colloquij spiritualis fructus.

Addendum hîc porrò videtur, nobile par Episcoporum, Deodatum & Hydulphum S. BENEDICTI Discipulos, hoc Magistri sui cum sorore colloquium visos fuisse imitari. Cùm enim abdicato Episcopatu in solitudinem secessissent, & loco vtcumque essent vicini; *statuerunt inter se dum in hac essent vitâ, semel in anno sese mutuo inuisere, & vnâ noctè simul manere; quàm noctem totam sanctis colloquiis & diuinis laudibus solebant insomnes transmittere: manè verò ab inuicem recedere.* Ita vitæ S. Deodati Auctor cap. 14. apud Surium 19. Iunij.

8. SERENITATEM AERIS AD PLVVIAM TRAXIT.] Quis non videat hîc, promptissimam Domini benignitatem, tam facilè amantis se famulæ audientis preces? Hoc nimirum erat, quod per Isaiam 58. iam olim promiserat dicens: *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adsum.* Et

Sanctitas S. Scholasticæ, & in Deum fiducia singularis.

quasi

quasi hoc parum esset, aliam maiorem atque liberaliorem addit etiam promissionem, apud eumdem Propbetam Isaiam 65. inquiens: *Eritq́, antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Miratur Ludouicus Granat. lib. de perfect. amoris Dei cap. 29. profusam hanc Dei clementiam, & recitatâ hâc de S. SCHOLASTICA narratione, subiungit: *Nescio profectò, quid hic primùm mirari debeam; celeritatémne, quâ cum infinita bonitas illa exaudiuit famulam suam, non tantum in re necessariâ, sed etiam in eâ, quæ ad solam eius consolationem spectabat: an verò fiduciam huius virginis, quæ tam breui tempore, tamq́, succincta oratione ausa est sperare Dominum cælos & elementa moturum, vt hanc consolationem virgini adferrent. Quantum, quæso, pignus superna illius bonitatis habebat anima illa sancta, & quæ amoris in illam indicia, cùm in tam breui temporis spatio, absque vlla hæsitatione sperauerit se accepturam, quod petebat? Quid amplius sponsâ posset à suo postulare sponso? aut filius a Patre dilectissimo?* Similiter ferè Iacobus Salianus lib. 5. de Amore Dei cap. 12. ex hoc miraculo probat S. SCHOLASTICAM suauiter admodum à Domino Deo fuisse dilectam: *Obtinuit,* inquit, *à Deo mulier, quod à fratre obtinere non potuit, dulcior nimirum ac facilior est in diuino pectore, quam in humano diuinus amor. Sed quid mirum, perturbatum diuinitus aerem, ad vberiorem ancillæ suæ consolationem. cum perturbatos sciamus, aut retardatos omnes cælestium orbium motus, ad primam Iosue imperantis vocem, obediente Domino voci hominis. integram optantis eo die de hoste victoriam, quam nihilominus postridiè obtinere potuisset: sed ita factum oportuit, vt clariùs intelligeretur, quàm lenis ac facilis sit diuinus amor in gratiam amicorum suorum. Scriptum est enim: Voluntatem timentium se faciet, numquid & amantium?* Sic ille.

CAPVT XXXIII.

Iof. 10. 12.

Psal. 144. 19.

CAPVT XXXIV.

DE ANIMA SORORIS EIVS VISA.

GREGORIVS.



VMQVE die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cùm ecce post triduum in cellâ consistens, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam, [1] in columbæ specie cæli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusque [2] obitum fratribus denunciauit. Quos etiam protinùs misit, vt eius corpus ad monasterium deferrent, atque [3] in sepulchro quod sibi ipse parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

CAPVT XXXIV.

S. Benedictus videt Sororis animam in columba specie cælum petere.

COMMENTARIVS.

1. IN COLVMBÆ SPECIE.] Notat S. Antoninus prima parte summæ Theologicæ tit. 1. cap. 1. §. 1. non esse intelligendum, animam esse talis formæ, vel cuiuscumque corporalis, sed ad ostendendum puritatem S. SCHOLASTICÆ, apparuisse tale animal ex aëre formatum. Gregorius quoque lib. 4. Dialog. cap. 5. & sequentibus, pluribus agit de inuisibili animarum è corporibus egressu, earumq́ue apparitionibus. Pulchrè autem, quæ Spiritus sancti habitaculum viuens fuerat, in illius volucris specie animam ad cęlum transmittit, in quâ super baptizatum Saluatorem Spiritus sanctus descendit. Quàm congruè, quæ instar Columbæ vixerat in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ, iam veluti pennis columbæ deargentatæ ad cælestem transuolat patriam. Ecce fidelis Columba cùm in huius sæculi diluuio non inueniret vbi requiesceret pes eius, regressa est in arcam regni cælorum.

Cur in specie columba.

Notandum autem pluribus animabus, quæ magnâ cordis nituissent puritate, concessum, vt in Columbæ specie emigrare viderentur; ita de Sancto Spe Abbate, Gregorius Papa lib. 4. Dialog. cap. 10. narrat, quod cùm animam redderet, fratres qui aderant, ex ore eius exisse COLVMBAM viderint, quæ mox aperto tecto Oratorij egressa, aspicientibus fratribus penetrauit cælum. Quâ Columbâ designari ait, quàm simplici corde vir ille Domino seruiisset. S. Amator, inquit Marulus lib. 5. cap. 10. in solio suo sedens animam efflauit, quam sub COLVMBÆ effigie in sublime volantem quidam conspexère. Sanctus Angelus Martyr Ordinis Carmelitarum, vt in eius officio legitur, sub COLVMBÆ candidissimæ specie animam visus est efflasse. Animam S. Alberti itidem Carmelitæ in specie candidissimæ COLVMBÆ de illius orę exeuntem, ac rectâ in cælum viâ euolantem, circumstantes fratres viderunt. De Sanctâ Eulaliâ, ita Prudentius Peristephanon carm. 3.

Plurium Sanctorum animæ in columbæ figura euolauere.

Virgo citò cupiens obitum
Appetit & bibit ore rogum,
Emicat inde COLVMBA *repens,*
Martyris os, niue candidior.
Visa relinquere, & astra sequi;
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, color, innocuus.

CAPVT XXXIV.

Sed & altera Eulalia Barcinonensis Cruci affixa, ad instar COLVMBÆ animam è corpore efflasse visa, vt scribit Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. 12. Februarij. Idem accidit Reparatæ Virgini & Martyri, vt dicit Martyrol. Rom. 8. Octob. Cùm sacra virgo exspiraret Teresia, inquit Ribera lib. 3. vit. cap. 16. soror quædam niueam *columbam* ex ore eius egredi vidit, vnde cogitauit cælestem Sponsum dilectæ suæ dicere illud Cantic. 2. *Surge, propera, amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni.*

Notat autem Simon Milletius per occidentalem fenestram cellulæ S. BENEDICTI (quæ nunc sacellum est) vidisse S. Patrem sororis suæ animam in cælum ferri, & hos iam ibi legi versus fenestræ subscriptos:

Virgo COLVMBINA *specie Nursina per æthram*
Migrat in Angelicos, fratre vidente, choros.

Quando hac anima S. BENEDICTO apparuerit, aliaq; circumstantia.

2. OBITVM FRATRIBVS DENVNTIAVIT.] Insinuat Hrabani Martyrologium emigrantem S. SCHOLASTICÆ animam, aut vesperi serò, aut ante nocturnas vigilias, quas oratione suâ S. Pater præuenerit, apparuisse; quam apparitionem ait B. BENEDICTVM fratribus, Matutinorum hymnis expletis intimasse, & Deo gratias inde retulisse. Distulerit ergò hoc citiùs indicare, vt seruandi post Completorium silentij se ipse formam præberet, qui aliter scribere non potuit, quàm vixit. Quod verò ait: FRATRIBVS DENVNTIAVIT; id, vt obseruauit D. Henricus vanden Zype, intelligendum de conuentu Fratrum, non autem de vno aliquo, vel altero fratre, volebat enim omnibus id innotesceret. Quod igitur subditur: QVOS ETIAM PROTINVS MISIT, manifestè indicat sanctum BENEDICTVM eosdem misisse ad deferendum corpus, quibus obitum significarat; nempe fratrum Conuentum, non autem aliquot particulares. Ex quo item colligit, Monasterium S. Scholasticæ Cassinensi fuisse vicinum, & S. BENEDICTO subiectum, & sacrum virginis corpus non naui, aut currui impositum, sed Monachorum humeris processionaliter, & funebri pompâ delatum.

SS. Benedictus Pachomiusq; par funeris officium suis sororibus exhibuère.

3. IN SEPVLCHRO QVOD SIBI IPSE PARAVERAT PONERENT.] Quæ hactenus de S. BENEDICTO & sorore eius legimus, similia prorsus sunt iis, quæ Magnus olim Pachomius cum suâ egit germanâ: & præcipuè vltimum hoc funeris obsequium, & corporis ad Monachorum cœnobium delatio. Nam de Pachomianis Monialibus ita scribitur. *Quòd si defuncta esset virgo, curantes funus eius reliqua, cunctaq; quæ ad sepulturam pertinent adimplentes, deferebant vsque ad ripam fluminis, quod vtraq; Monasteria diuidit, psalmos ex more canentes. Tunc transeuntes Monachi cum ramis palmarum, & oliuarum frondibus, psallentes transuehebant eam, & in sepulchris suis cum hilaritate condebant.* Ita in vitâ S. Pachomij. Ex communi porrò horum Sanctorum monumento, *contigit* (Gregorij sunt verba) *vt quorum mens vnà semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.* Addit Wion:

SS. Benedictus & Scholasticâ sepulchris coniuncti:

Vt sicut eodem die & partu nati, eodem spiritu & conuersationis modo fuerant coniuncti, ita & post mortem nec corpore separarentur. Adde, quod eodem anno ex hac vitâ ad cælestem commigrarint, quadraginta enim diebus ante fratrem Scholastica obiit, decima scilicet Februarij; cùm ille vigesimâ primâ Martij decesserit.

eodem anno defuncti.

Coronidis loco subiicere lubet, qui de hac Virgine aliquid scriptis prodiderunt, atque vt omittam Martyrologia Romanum, Bedæ, Hrabani, Vsuardi. Agunt de eâdem Ado, Galesinius, Felix, & Maurolicus. Petrus item Episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 3. cap. 110. Trithemius lib. 3. de viris Illustribus Ordinis S. BENEDICTI cap. 4. Locupletiùs gesta eius prosequitur Hilarion Veruncnsis Monachus, in supplemento historiæ de vitis Sanctorum ad Iacobum de Voragine, & Mombritius tom. 1. de Sanctis. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Ribadineira, & Guilielmus Gazæus in vitis Sanctorum. Stephanus Binet in Compendio vitarum Fundatorum Ordinum Religiosorum cap. 11. In eius festo homiliam habuit venerabilis Beda, aliquoties iam à nobis citatam, habeturque operum eius tomo 7. etsi de eâ nonnulla sit dubitatio. Albericus S. R. E. Cardinalis alteram de eâ homiliam habuit, quæ sic incipit: *Audistis fratres charissimi.* Aliam declamauit Anonymus quidam Monachus, hoc exordio: *Ab antiquis & maioribus.* Similiter & S. Bertharius Abbas & Martyr homiliam habuit hoc initio: *Lectio S. Euangelij fratres.* Cui adiunctus est sermo eiusdem, qui sic incipit: *Virginis Domini vitam.* Hæc omnia manuscripta reperiri in Monasterio Cassinensi Arnoldus Wion testatur. Negat tamen se reperisse sermonem S. Bruni Episcopi Signiensis, à Baronio ~~ex Petro Diacono~~ de Viris Illustribus Monasterij Cassinensis cap. 34. citatum. Iacobus Ferragins S. T. Doctor in Meditationibus de præcipuis anni festiuitatibus, de hac sacrâ Virgine octo exhibet meditationes. Versibus huius virginis vitam prosecutus est Paulus Diaconus Monachus Cassinensis, qui in tertio poëmatum libro D. Prosperi Martinengij Romæ excusi sunt. Eiusdem sanctæ encomium, eodem carminis genere, Elegiaco scilicet, idem Paulus secundò scripsit, quod Wion Martyrologio suo inseruit. Sed paulò prolixiùs idem reperitur sermoni venerabilis Bedæ subiectum: sed tam carmen hoc, quàm homiliam, de quâ suprà, Baronius ait reperiri alteri asscriptum Auctori, in antiquis manuscriptis bibliothecæ suæ codicibus, nimirum Berthario Abbati Cassinensi. Quod confirmat ex citato Petro Diacono cap. 11. de Viris Illustribus montis Cassini. Pulcherrimum de eâdem hymnum composuit prædictus Albericus Diaconus, vt citato libro refert Petrus Diaconus cap. 21. Alium Prosper Martinengius iambico metro tertio poëmatum suorum volumine panxit. Sed & Aldhelmus Episcopus eandem tàm solutâ oratione, quàm astrictâ laudauit, libro de virginitate.

Qui de S. Scholasticâ scripserint.

CA-

CAPVT XXXV.

DE MVNDO ANTE OCVLOS EIVS COLLECTO, ET. DE ANIMA GERMANI CAPVANÆ CIVITATIS EPISCOPI.



ALIO quoque tempore [1] Seruandus Diaconus atque Abbas eius *Seruandus Diaconus & Abbas.*
monasterij, quòd in Campaniæ partibus à [2] Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratiâ ex more venire consueuerat. Eius quippè monasterium frequentabat, vt quia idem quoque vir doctrinâ gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cùmque horâ iam quietis exigeret, [3] in cuius turris superioribus se venerabilis BENEDICTVS, in eius quoque inferioribus se Seruandus Diaconus collocauit: quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus. [4] Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant.

Cumque vir Dei BENEDICTVS quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans, & Omnipotentem Deum deprecans, subitò intempestâ noctis horâ respiciens, vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. [5] Mira autem res valdè in hac speculatione secuta est: quia, *S. Benedictus totum mundum sub solis radio contemplatur.*
sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam mundus, velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphærâ igneâ ab angelis in cælum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis terque eius nomine, cum clamoris ma- *Videt Germani Episcopi animam cælo inferri.*
gnitudine vocauit. Cùmque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, Vir Dei per ordinem, quæ fuerant gesta, narrauit, statimque in Cassinum castrum religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbem sub eâdem nocte transmitteret, & quid de Germano Episcopo ageretur, agnosceret & indicaret. Factumque est: & reuerendissimum virum Germanum Episcopum is, qui missus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius cognouit ascensum.

PETRVS.

Mira res valdè, & vehementer stupenda. Sed hoc, quod dictum est, quia ante oculos ipsius, quasi sub vno solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut numquam expertus sum, ità nec conjicere scio, quonam ordine fieri potest, vt mundus omnis ab homine vno videatur.

GREGORIVS.

Fixum tene Petre, quod loquor: quia animæ videnti creatorem, angusta est omnis *Totum mundum intueri, quâ ratione quis possit.*
creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aspexerit, breue ei fit omne, quod creatum est: quia ipsâ luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, vt superior exstat mundo, fit verò ipsa videntis anima etiam super

CAPVT XXXV. semetipsam. Cumque in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur, & dum se sub se conspicit, exaltata comprehendit, quam breue sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum, angelos quoque ad cælum redeuntes videbat, hæc proculdubio cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui sublenatus in mentis lumine, extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum & terra coniuncta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne, quod infrà Deum est. In illâ ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

PETRVS.

Video mihi vtiliter non intellexisse, quæ dixeras: quando ex tarditate meâ tantum creuit expositio tua. Sed quia hæc liquidè meis sensibus infudisti, quæso vt ad narrationis ordinem redeas.

COMMENTARIVS.

Seruandus Abbas, non Sacerdos.

1.  ERVANDVS DIACONVS ATQVE ABBAS.] En tibi, lector, Abbatem non Sacerdotem: quod obserues contrà eos, qui ex Abbatiali dignitate S. BENEDICTI, aliorumque, presbyteratum eorumdem se arbitrantur euidenter colligere.

Liberius Patricius, quis.

2. LIBERIO PATRICIO.] Lubet de hoc Liberio viro sanè præclarissimo, & in pijs causis admodum liberali, paulò accuratiùs pertractare, quod id mereri visus sit Monasterij illius constructione, cui tam familiaris & intimus S. Patris præfuit amicus. Hic igitur Liberius bis fuit Præfectus prætorio, rerum Gothorum in Gallijs: semel sub Theodorico, iterumque sub Athalarico; vt constat ex ipsiusmet Athalarici ad Liberium epistola apud Cassiodorum lib. 8. epist. 6. Eumdem verò Theodoricus Rex lib. 2. epist. 15. plurimum commendat, & gloriosi ac magnifici (vt loquitur) Patris meritis, Venantio eius filio Comitiuam domesticorum confert dignitatem.

Eius commendatio.

De Liberio verò ait; *Quod prudentia ratione flammatus sic fuerit ad repentina solicitus, quasi per moram crederetur instructus. Præfecturam enim, solicitudinum omnium nobilissimum pondus, quod vel solum fuisset expedire laudabile, cuncta exercitus nostri cura disposuit, vt nec prouincijs ordinatio deesset, nec exercitum se prouida solicitudo subtraheret. Superauit cuncta infatigabilis & expedita prudentia, traxit mores barbaros ad quietem, in votum nostrum cuncta moderatus est.* Hæc Athalaricus; commendans eum (vt in Appendice tom. 10. Annal. Ecclesiast. ait Baronius) ex eo potissimùm, quòd Italos Gothis consociarit, tertiâ agrorum parte illis concessâ. De eodem ista Cassiodorus ad Senatum vrbis Romæ, lib. 11. epist. 1. *Respicite namque* PATRICIVM LIBERIVM, *præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratissimum, meritis clarum, formâ conspicuum, sed vulneribus pulchriorem, laborum suorum munera consecutum.* Ita ille. Extant ad eumdem Liberium Ennodij Ticinensis binæ epistolæ.

Eius pietas.

Quam autem fuerit pietati & ecclesiasticis viris addictus, ex eo facilè patet, quòd durante hac Galliarum præfecturâ, nobilem construxerit Basilicam, ad cuius dedicationem cùm quatuordecim Episcopos, & septem illustres ac magnificos viros laicos inuitasset, occasionem dederit celebrandi Concilij Arausicani secundi, prout ipsimet Patres in præfatione testantur: *Cùm,* inquiunt, *ad dedicationem Basilicæ, quam Illustrissimus Præfectus & PATRICIVS filius noster LIBERIVS in Arausicâ ciuitate fidelissimâ deuotione construxit, Deo propitiante, & ipso inuitante conuenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinerent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio.* Eidem porrò Synodo post Episcopos, primus ipse inter seculares ita subscripsit:

Petrus Marcellinus felix LIBERIVS *V. C. & illustris Præfectus prætorij Galliarum, atque Patricius, consentiens subscripsi.*

Quatuor autem hæc vnius Liberij sunt nomina, vt ex fide Vaticani Codicis Baronius, & ex Lugdunensis, & Rhemensis restituit Sirmondus. Malè olim in Conciliorum exemplaribus hæc nomina ita diuellebantur, quasi quatuor Præfecti prætorij subscripsissent.

Nominum propriorum vsus in media ætate.

Neque enim insolens hæc nominum pluralitas mediæ ætatis personis fuit. Vt enim Sirmondus præfatione ad Notas in Sidonium obseruauit; & Romæ post euersam Rempublicam, & in prouincijs mos obtinebat, vt cùm multis ferè nominibus nobiliores vterentur, proprium tamen vnum cuique nomen esset, quod postremum semper collocarent. Probat id exemplis pluribus, & res per se patet. Sic enim dicitur C. Sollius Apollinaris Sidonius: & Venantium Honorium Clementianum, veriùs exprimimus Fortunatum. De quo vide Christophorum Browerium in vitâ Fortunati, operibus eius præfixa. Eodem modo Marcus Aurelius, Cassiodorus Senator dicitur; vbi Cassiodori vocabulum familiæ proprium asserit Sirmondus; verum autem propriumque illius nomen esse, Senator; quod annotasse visum est ad corrigendum eos, qui Senatoris nomen non proprium, sed epithetum esse suspicabantur; atque hæc occasione subscriptionis Liberij Patricij.

Fuit porrò post præfecturam Galliarum, & alijs deinceps officijs decoratus Liberius. Anno enim 534. Romæ munus præfecturæ Prætorianæ ab

Athala-

Athalarico consecutus est. Idem Senator & Legatus Theodati Regis ad Iustinianum fuit. Et anno Christi 537. ab ipso Imperatore factus Augustalis, missus est Alexandriam. Et hunc (vt ait Baronius ad Christi annum 526.) eumdem cum illo existimo, qui posteà in Campaniâ Monasterium extruxit, cui præfecit sanctum Seruandum Abbatem, cuius est mentio apud S. Gregorium in Dialogis.

Quo tempore locove monasterium construxerit Liberius.

Sed quo tempore & loco hoc monasterium constructum fuerit, aut cui Sancto dedicatum, quis nobis edisserat? In Actis S. Placidi cap. 7. scribitur S. BENEDICTVS, dum Cassinum peteret, iuxtà Ciuitatem Alaternam deuenisse, & in Monasterio S. Martyris Sebastiani hospitio susceptus; indeque recedens sancto Seruando Diacono valefecisse. En tibi (si horum Actorum constet fides) & locum & titulum huius Monasterij. Quo autem præcisè anno ædificatum fuerit, non vsquequaque liquet. Cardinalis Baronius post annum 530. vult fundatum, ad ea fortassis respiciens tempora, quibus Liberius Romæ præfectus erat prætorio, post annum scilicet 534. Verùm si iam inde à quinque annis, in eodem hoc Monasterio, ab hoc Seruando receptus sit S. BENEDICTVS, vt S. Placidi habet historia, antiquior proculdubio eius esse debet fundatio. Et ipsa Gregorij narratio satis insinuat, iam pridem fundatum hoc Monasterium; quod scilicet Seruandus ex more visitationis gratiâ monasterium S. P. BENEDICTI frequentaret. Familiaris enim hæc consuetudo longioris temporis spatio videtur coaluisse, adeoque ante annum 529. collocanda huius Monasterij fundatio. Eiusdem Monasterij meminit S. Gregorius lib. 7. Registri epist. 16. atque tum temporis ei præfuisse Theodosium Abbatem ex illo autem loco facilè colligitur Monasterium retinuisse Fundatoris nomen, vt appellaretur MONASTERIVM LIBERII PATRICII.

Vt porrò de LIBERIO, de quo fortè liberiùs, certè liberaliùs fuimus locuti, finem faciamus, Epitaphium ipsius, quod Arimini positum, eunctis olim perspicuum fuit, recitat Petrus Pithæus in suâ collectione antiquorum Poëtarum, & ex eo Baronius in addendis, tom. 10. Annalium subiunctis.

CAPVT XXXV.

Cellula in quâ sororis, Sanctæ, Germani animam vidit in cælum S. BENEDICTVS deferri.

3. IN CVIVS TVRRIS SVPERIORIBVS SE VENERABILIS BENEDICTVS COLLOCAVIT.] Turris hæc in cuius superiori tabulato S. BENEDICTI erat cellula, sola nunc superest ex Cassinensi Monasterij ruinis, eique à Septentrionali parte contiguum olim erat religiosorum dormitorium. In inferiori autem parte porta erat Monasterij. Exhibendam autem hîc putamus eiusdem Cellulæ descriptionem ex iis, quæ oculatus testis Simon Milletius scripta reliquit ad cap. 8. huius libri. Ait autem, in pulchrum eam deinceps transformatam sacellum, & habere quinquaginta palmas in longitudine, & viginti in latitudine: cum eoque S. P. BENEDICTI vitam vetusto more depictam, & subiectis expressam versiculis. Limen ostij disticho exornatur.

Hanc Pater excoluit cellam BENEDICTVS, *in ædem*
Nunc extructa nouam, ritè dicatur ei.

Binis illustratur fenestris, quarum altera Orientem, altera respicit Occidentem, per hanc, animam S. Scholasticæ, per illam S. Germani in cælum S. BENEDICTVS deferri vidit. Vni hoc subscriptum distichon:

Virgo columbinâ specie Nursina per æthram,
Migrat in Angelicos, fratre vidente, choros.

Alteri istud:

Præsulis, en, Germani animam, Pater aspicit astris
Inferri à superis, sub rutilante globo.

Vnicum est in hoc sacello altare: & ad portam duæ pendent tabellæ, quarum altera Bullam Gregorij XIII. exhibet impressam, quâ plenarias largitur indulgentias, qui hoc sacellum in festo S. BENEDICTI, & prima Octobris, quâ dedicatum fuit, visitauerint. Centum verò dies, qui idem quocumque anni fecerint die. Altera hexametris versibus præcipua celebrat miracula, ibidem à S. BENEDICTO patrata, quos hic subiungere visum fuit. Hunc autem præfert titulum.

De immensis huius sacræ Cellulæ laudibus, ac de his quæ in eâ dum viueret Monarcha noster Benedictus mirificè gessit.

HEROICVM ENCOMIVM.

Huius cellulæ Encomium.



CELLVLA quàm celebris! quàm sancta domuncula! tanto
Ac tali venerata olim Patre, non minor antro
Forsitan Orebi, cælesti vbi numen in aurâ
Perspexit tenui Helias, lare nec minor amplo,
Tres vbi suscepit iuuenes Abrahamus, & ynum
Pronus adorauit: Synai nec vilior arce.
Magnus vbi Moses, facie speculatus amicâ
Omnigenum Regem terra inter fulgura, nymbos,
Post pluuias, & post tonitrua, & horrida signa,
Nubila, clangoresque tubæ, montisque fragores,
Enthea, quæ coleret populus, monimenta recepit

Scripta

CAPVT XXXIV.

Scripta Dei digito, tabulisque insculpta petrinis.
Hic etenim noster clarus Patriarcha motatus,
Mente Deum purâ toties prospexit in aurâ
Non tantùm tenui, verùm maiore profusus
Flamine, Numen & vnum & trinum excepit in imo
Pectore, adorauit flexâ ceruice sub alâ
Cuius & ante & post obitum, tot mira peregit
Gesta, quod Hesperiæ canerent minus omnia Vates.
Hic aurâ afflatus superâ, prece supplice vitam
Exanimi infudit puero, ad vestigia strato
A misero genitore suo, à genetrice misellâ,
Saxo quod pandit moles, vbi ad ima videtur
Impressus Patris cubitus, cum clune rogantis.
Hic olei phialam speculâ deiecit ab altâ,
Vas neque frangendo, neque humi fundendo liquorem;
Cui lapis vt mollis subsedit cera per vstum,
Pauperis affectu ingluuiem protrusit auari
Fratris, & exhaustum viridi compleuit oliuo
Doliolum, decuplo pensauit munere munus.
Hic intempestâ speculatus nocte, Sororis
Ferri animam à superis, rutilum per inane, Columbæ
Albenti similem, cæli super astra locandam:
Manè eius sacrum deferri corpus in arcam,
Quam sibi condiderat solenni funere iussit.
O quàm fælix sors nostra! en quos vna gemellos
Edidit aluus, eos seruat tumba vna sepultos!
Vt quorum in terris veneramur corpora, eorum
E cælis animæ nobis sua dona refundant.
Hic manè ante fores, bis centum, orando, farinæ
Offendit modios, diuinâ fruge paratos,
Fratribus vnde famem sedauit polline diram;
Murmura demulsit, requiem cum pace ministrans,
Atque orare Deum docuit dum feruet egestas.
Hic Germani animam Capuani Præsulis almi
Sub flammante globo vidit super æthera tolli,
Cùm totum aspexit mundum fulgere sub vno
Ac tenui solis radio, distractus ab illo,
Cælituumque Patri nitido coniunctus amore.
Barbatus hic inopem, nodo quem vinxerat arcto,
Vidit ad intuitum patris (ô res mira!) solutum,
Ac si esset funis gladio truncatus acuto.
Hic secus ostiolum, regali nouit amictu
Indutum Totilæ ensiferum Nursinus, ab alto
Præmonitus, iussitque ostro, diademate, sceptro
Depositis, famulum regi sua reddere, & illum
Quo iuuet obsequio famulari veste decenti
Admonuit Totilam mitescere, & alta vereri,
Nil regale magis quàm se præbere benignum
Omnibus, infestum nulli, ore affatus aperto.
Hac ex æde Pater diuino affectus honore

Christi-

Christicolûmque salute piorum, non sua quærens,
Sed quæ sunt Christi, Gallas transmisit in oras,
Dilectum Maurum, sacri decus omne Casini,
Grande eius columen, monachisque insigne futurum,
Virtutum exemplar diui post funera Patris.
Hic Placidum magni Tertulli germen odorum,
Romulidum specimen, monachorum illustre leuamen,
Atque sui pupillam oculi, legauit in agros
Mox Siculos, Messenatûm prece victus honestâ:
Vt sacra quæ didicêre ambo rudimenta docerent,
Morte alter dulci moriturus, alter amarâ.
Hîc tandem Pastor senio confectus & æuo,
Quo decet ante Deum pietatis munere charus,
Atque graui fractus morbo, sic gratus Olympo,
Vt mundo acceptus capulo dum instaret ad aras,
Quas diuo extulerat Baptistæ, se citò fecit
Deferri, corpus Christi cum sanguine sumpsit,
Atque inter fratrum complexus brachia sanctam
Mox animam efflauit; tantò deuotiùs, imò
Sanctiùs, hanc quantò transegit alacriùs, atque
Puriùs in Christi obsequiis fratrumque salubri
Consilio, vel ope amplâ relligionis ab ortu.
Ergò quid est mirum, Gallis si Maurus in oris
Vidit ab hâc cellâ protendi iter vsque ad Olympum
Aulæis stratum, & lychnis hinc atque inde coruscis
Exculptum, sensitque modos resonare per auras;
Hoc facer ibit iter BENEDICTI spiritus, hoste
Deuicto, superis & ouantibus, aurea scandet
Atria, cælesti fruiturus rege per æuum!
O fœlix anima! ô BENEDICTI spiritus alme,
Quantò es in æthereâ regione beatior! esto
Oramus tantò miseris protector alumnis
Promptior: ac longè maior, quàm hîc antè fuisti,
Et quicumque tuam conantur visere CELLAM,
Quam summis tribuit Præsul Gregorius amplam
Peccati veniam obtineant te interprete plenam.

Abbas in communi dormitorio dormire debet.

4. ANTE EANDEM VERÒ TVRRIM LARGIVS ERAT HABITACVLVM, IN QVO VTRIVSQVE DISCIPVLI QVIESCEBANT.] Vide vigilantem super grege suo Pastorem, qui nec noctu quidem ab eo disiungi se passus est, nec à communi dormitorio fratrum voluit longiùs habitare. Quod & in Regulâ cap. 22. præscripsisse multorum sententia est. Cum enim dicit: *Omnes in vno loco dormiant*, ne Abbatem quidem excipiendum putant; quod Concilium Francofordiense cap. 13. expressè asseruit, dicens: *Vt Abbas cum suis dormiat Monachis, secundùm Regulam S.* BENEDICTI. De quo plura in *Disquisitionibus.*

S. Benedicti raptus, & S. Germani obitus, quando contigerint.

5. MIRA AVTEM RES VALDE IN HAC SPECVLATIONE SECVTA.] Raptus hic S. Patris BENEDICTI, & obitus S. Germani Episcopi, de quibus hoc capite, contigerunt anno 536. quo S. Placidus Siciliam petens Capuam transiuit, atque ab hoc Episcopo hospitio receptus est, vt habet vita, Gordiani nomine scripta. De gestis autem S. Germani, & duplici eius legatione Constantinopolim, tam sub Anastasio II. quam sub Hormisdâ, vide Baronium tom. 6. ad annum Christi 497. & 519. Verùm cùm Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex tabulis Episcoporum Capuanorum, & antiquo Breuiario Capuanæ Ecclesiæ annotet, Germanum anno 516. subrogatum esse Alexandro eiusdem sedis Episcopo haud potuit priorem illam legationem obiuisse anno 497. vt Baronius vult, & tamen in litteris Anastasij Papæ, & libello Apocrisariorum Alexandrinæ Ecclesiæ vocatur Legatus ille Germanus Episcopus, qui alius fortè fuerit ab hoc Capuano, quem Hormisdâ Pontifice & Iustino Imperatore ex hâc vitâ migrasse Ferrarius asserit. Sed cùm post tempora Hormisdæ S. BENEDICTVS Cassinatem adierit montem, in quo transeuntem ad cælum Germani vidit animam, diutiùs vixisse certum est. Antonius proinde Yepez, & Milletius transitum eius ex hâc ad meliorem vitam reponunt hoc anno 536. quod in tabulis ecclesiasticis

nulla

CAPVT XXXV.

nulla ampliùs de eo habeatur mentio. Celebritas eius tertio Calendas Nouembris Martyrologio Romano adscripta habetur. Corpus Ludouico iuniore Imperatore in Galliam translatum, ex Chronico Cassinensi lib 1. cap. 40. vel 27. in editione nouissimâ, apparet. Quod tamen Placentiæ in æde S. Xysti asseruari eiusdem ecclesiæ officia testantur. Ita Ferrarius.

6. ANIMÆ VIDENTI CREATOREM ANGVSTA EST OMNIS CREATVRA.] Ex hoc loco & totâ S. Gregorij deductione, disputant Doctores, num S. BENEDICTVS diuinam degens in terris viderit essentiam. Et quamuis Angelicus Doctor 2. 2. q. 80. a. 5. & Quodlib. 1. & passim id negent Commentatores, non desunt tamen, qui singulare hoc & eminentissimum priuilegium Patriarchæ nostro tribuunt, quorum verba hîc adscribam.

Diuina essentia visio S. BENEDICTO attributa. à S. Bernardo.

S. Bernardus in serm. super illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus*, sic habet: *Quemadmodum creatura cæli, id est, Angelica natura, sic creatura mundi, id est homo, post hanc vitam iam non per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videbit, & sapientiam eius in seipsa ad liquidum contemplabitur. Interim verò opus habet humana anima, velut quodam vehiculo, creatura, vt ad cognitionem Creatoris assurgat: cùm è contra longè beatiùs, perfectiusq́, Angelica natura in Creatore notitiam habeat creatura: ad quam nimirum excellentiam, licet ad modicum rapta fuisse videtur anima illa, quæ collectum sub vno solis radio mundum vniuersum conspexit. De quo miraculo beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum scribens: Videnti, inquit, Creatorem angusta est omnis creatura.* Hactenus Bernardus. Quibus verbis planè indicat D. BENEDICTVM Angelorum more, id est, sine vllo creaturæ vehiculo ac phantasmatum nutibus, mundum vniuersum conspexisse sub vno solis radio.

Ruperto:

Rupertus Tuitiensis lib. 12. de gloriâ & honore filij hominis distinctionem faciens inter eum modum, quo diabolus imaginario & phantastico modo IESV CHRISTO de monte ostenderit omnia regna mundi & gloriam eorum, & eum quo Deus S. BENEDICTO sub vno solis radio totum mundum ostendit collectum; ait, in prima visione mundum visum exterioribus & corporalibus oculis, in secunda verò interioribus, quod probat ex S. Gregorij verbis dicentis: *In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora rapuit, ei, quam angusta essent omnia inferiora, monstrauit.* Quibus mox subiicit: *Cùm, inquam, hæc dicit palam astruit, quia prospectus ille mentis magis quam oculorum fuit.* Adductis deinde aliis S. Gregorij verbis, ita demùm concludit: *Illud mirantes veneramur, quod cum homine fecit omnipotens Deus.* Hæc Rupertus in hac materiâ fide dignissimus, quia visionibus & reuelationibus diuinis fuit valdè assuetus.

S. Bonauentura.

S. Bonauentura lib. de Luminaribus Ecclesiæ serm. 20. exponens hæc eadem Gregorij verba, ait: *Mundus non fuit coangustatus in vno radio solis, sed eius animus dilatatus, quia vidit omnia in illo, cuius magnitudine omnis creatura angusta est, & parua & modica.*

Dionys. Carthus.

Dionysius quoque Carthusianus, vir sapientissimus, atque in materiâ raptuum exercitatissimus, in sermone de S. BENEDICTO, S. Gregorij verbis ista subiicit. *Sed & in diuitiis gloriæ Dei fuit vberrimè raptus, & in lumine Creatoris ita expansus, quod faciliter in eius luce conspicere quiuit quidquid sub illo fuit.*

Et aliis tam domesticis quàm externis.

Antonius porrò Yepez testatur nostros monachos Collegij S. Vincentij Salamanticæ ob prædicta testimonia, & tantorum Doctorum auctoritatem, in publicis vniuersitatis actibus, hanc de intuitiuâ Dei visione S. BENEDICTO concessâ defendere sententiam, Idemque facere Vallisoletanos, in publicis disputationibus tempore Capituli Generalis fieri solitis. Hinc P. Thomas à Iesu lib. 6. de Contemplatione diuinâ cap. 3. ait: De S. BENEDICTO multi eiusdem Ordinis filij diuinam essentiam vidisse piè suspicantur & credunt, eâ solùm ratione adducti, quòd D. Gregorius eum vniuersum mundum quasi sub vno solis radio collectum in Deo vidisse fateatur. Sed non solùm nostros in hâc sententiâ habemus patronos, verùm eam probabilem quoque pronuntiauit Maximilianus Sandæus in Theologiâ variâ lib. 3. Commentatione 42. Exercitat. 2. dicens, moueri se auctoritate magni Pontificis Gregorij, cuius fuit ista opinio: vt eius, inquit, responso ad quæsitum Petri collocutoris colligunt non infimæ notæ Auctores. Sciscitante enim Petro: Quo ordine fieri possit, vt mundus omnis ab vno homine in solis radio collectus videatur? Respondet Gregorius: *Fixum tene Petre, quod loquor, quia* ANIMÆ VIDENTI CREATOREM, ANGVSTA EST OMNIS CREATVRA. Proinde non obstat totius mundi moles, vastitas & amplitudo, quò minùs in Deo videri possit. Sed dices, An ergò mundi machina contracta est, vt parua appareat? Respondet Gregorius: *Non cælum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit, omne quod infra Deum est.* Non obstat proinde angustia humanæ mentis ad videndum totum mundum, quia, vt rursum Gregorius; *Ipsâ luce visionis, intima mentis laxatur sinus, tantumq́, expanditur in Deo, vt superior existat mundo.* Ex alto igitur humilem & infra iacentem mundum despicit. *Quid mirum*, ait Gregorius, *si mundum ante se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine extra mundum fuit?* Si quæras, quomodo hæc possunt fieri? Respondet Gregorius: *Hæc procul dubio cernere, non nisi in Dei lumine poterat:* Non vidit oculis corporalibus, nec viribus intellectus, nec lumine naturali, nec solâ fide, aut per speciem creatam, sed lumine gloriæ diuinam essentiam, in cuius Oceano cælum & terram simul contemplatus est.

Itaque D. Gregorius, ait Sandæus, existimauit omninò visionem illam spiritualem fuisse, & satis insinuat fuisse coniunctam cum visione essentiæ diuinæ. Quod nisi indicare voluisset, neque quæstioni proponentis satisfecisset: neque simpliciter propriè que fuisset locutus, neque denique confirmationis vice illud adducere potuisset, in quo robur responsionis consistit: *Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura,* Ita censent recentiores aliqui.

Obiectio:

Sed obiicies: S. BENEDICTVS testem visionis suæ aduocauit Seruandum Diaconum, qui exiguam partem luminis vidit. Non erat ergò huic vitæ funditus mortuus, aut à sensibus alienus, quod tamen multi requirunt ad hoc, vt quis diuinam videat essentiam, ita enim scribit Augustinus duodecimo de Genesi ad literam, cap. 27. *Neminem videntem Deum viuere vitâ istâ, quâ mortaliter viuitur istis sensibus corporeis. Sed nisi ab hâc vitâ quisque quodammodo moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue ita auersus, & alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut Apostolus ait, an in corpore, vel extra corpus sit, cum in illam rapitur & subuehitur visionem.* Augustinum sequitur S. Thomas 2.2.q. 175. a.4. Alphonsus à Castro V. Beatitudo Hæres.1. Abulensis 2. Paralip.cap. 1. q.18. Henricus Quodlib. 7. q. 6. Sed duplex est Responsio.

Responsio.

Prior absque speciali miraculo posse Viatorem sine abstractione animæ à corpore, & sensuum vsu præditum Dei essentiam videre, vt docet Suarez lib. 2. de attributis Dei cap. 30. Et Ludouicus Molina 1. part. q.12. tit.2. Ioannes Salas 1. 2. tract.2. disput. 10. sect. 4.

sect. 4. Gabriel Vasquez disput. 55 cap. 1. & Sandæus in Theologiâ variâ lib. 3. comment. 29. exercitat. 5. Et probant potissimùm exemplo Beatorum, qui post resurrectionem videbunt perfectè Deum sine abstractione à sensibus: imò erit in illis exquisitus illorum vsus. Quid ergò vetat idem contingere in puro viatore? Deinde visio essentiæ diuinæ non impedit naturales operationes animæ, aut intellectus: vt constat in Angelis, & animâ Christi. Ergo similiter non impediet operationes sensuum, si Viatori in corpore mortali concedatur. Non enim corporis mortalitas impedimentum præbet. Plura vide apud citatos Auctores.

S. Benedictus in hoc raptu duplicem habuit visionem.

Posterior responsio est, etiam S. BENEDICTVM in hâc visione à sensibus abstractum, quod satis ostendit Gregorius, cùm ait, eum superiorem extitisse mundo, & extra mundum fuisse, & animam eius super semetipsam fuisse exaltatam; quæ satis arguunt mentis à sensibus abstractionem. Vnde notandum, duplicem fuisse visionem. Prior erat corporalis, quâ vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse; quæ sine dubio rei sensibilis, & in oculos incurrentis fuit. Certè spiritualis lux, corporeis tenebris non opponitur, neque obscuritatem noctis pellit. Cui accedit quod Seruandus exiguam partem luminis vidit, quod de luce spirituali non potest intelligi. Sphæra quoque ignea, in quâ Germani animâ conspiciebatur, corporeæ fuit imaginis. Altera autem visio fuit spiritualis, quam Gregorius vocat *lucem Creatoris*, & *Dei lumen*, de vtrâque autem ait: *In illâ luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei, quàm angusta essent omnia inferiora monstrauit.* Quæ autem in hac spirituali luce abstractus à sensibus vidit, post cà illis redditus Seruando narrauit.

Diuinam essentiam cur viderit aliquot congruentia.

Etsi autem, vt benè Sandæus notauit, præter S. Gregorij auctoritatem euidens adferri nequeat ratio, quæ probet S. BENEDICTVM clarè Deum vidisse; ex eius tamen meritis coniecturam posse sumi, hanc illi à Deo gratiam fuisse factam. Prima autem congruentia sit: Sicut Moysi dicitur ostensa essentia diuina, quia erat legis veteris promulgator, & Paulo, quia Apostolus & Doctor gentium, ita credibile idem concessum BENEDICTO Monachorum Apostolo, *De cuius pectore*, vt inquit Vrbanus Papa, *quasi de paradisi fonte monasticus Ordo emanauit.* Secunda sit, cùm Dei amore BENEDICTVS totum mundum cum suo flore despexerit, voluerit vicissim Deus illi ostendere, quàm exigua sit omnis creatura in comparatione Creatoris. Tertia, ostenderit Deus in radio solis S. Patri totum mundum, vt in eo velut in chartâ quâdam geographicâ, videret tantam multitudinem Cœnobiorum, & Monachorum, qui sub eius signis militaturi mundum replerent vniuersum: nimirum sic olim semen Abrahæ dixit iuxta multitudinem stellarum multiplicandum. Cæterùm Aimoinus noster lib. 2. de gest. Franc. cap. 22. hoc miraculum tanti facit, vt illud nec sæculo anteà cognitum, nec vllum in eo sancto Patri nostro putauerit conferendum Sanctorum. Atque hæc ad honorem sancti Patriarchæ nostri attulisse suffecerit, quæ hanc sententiam vtcumque probabilem faciant, atque à temeritate non difficulter excusent. Seuera porrò

Bannezij de visione diuinæ essentiæ censura.

acerbaque est in hâc re censura Dominici Bannez 1. part. q. 12. a. 11. qui ita enuntiat. Non licet extendere priuilegium videndi essentiam diuinam in hâc vitâ, ad aliquem aliorum Sanctorum præterquam ad Mosen & Paulum: (de his enim id probabile adfirmârat, & consentaneum sacris litteris,) addit: Hoc dixerim propter quosdam Theologos, qui istud priuilegium extendunt ad beatum BENEDICTVM. Mouentur propter quoddam miraculum, quod refertur à D. Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 35. vbi refert mirabilem quandam visionem, quâ D. BENEDICTVS existimauit se videre mundum vniuersum. Hoc Bannezij assertum incautum vocat Ioannes Salas, 1. 2. trac. 2. disp. 10. sect. 4. atque in Auctore desiderat candorem, & modestiam. Putat enim irreuerenter, & sine vllo fundamento, ac contra aliorum expositionem, nec non contra Gregorij, aliorumque auctoritatem, dici, quod affirmat Bannez BENEDICTVM existimasse se videre. Ex quo colligas, non habuisse reuera visionem. Subdit deinde Salas, Falsum esse propter illam visionem asseri licitè non posse, beatum BENEDICTVM vidisse in hâc vitâ diuinam essentiam. Itaque nec illicitè nec temerariè id quis affirmârit. Quod, quia nihil habet à fide, morumque sanctitate alienum, quare BENEDICTI patronos temeritatis arguamus?

Vnde tantum S. Benedicto priuilegium.

Vlteriùs porrò quærenti, ex quo fonte tanta diuini fauoris prærogatiua in beatum Patrem BENEDICTVM profluxerit. Responderi probabiliter potest, euenisse id primùm ex eâ, quâ plurimum nitebat cordis munditiâ: *Beati*, enim *mundo corde*, inquit Saluator, *quoniam ipsi Deum videbunt*. Et S. Maximus cent. 1. de Charit. cap. 95. *Quemadmodum*, ait, *sol exoriens & mundum illuminans, cùm seipsum, tum res à se illuminatas demonstrat: ita quoque sol iustitiæ purgato animo exoriens & seipsum videndum exhibet, & rerum quæ à se factæ sunt, & deinceps fiunt, rationes demonstrat.*

Matt. 5.

Secundò, accidit hæc illi gratia ex indefesso orationis studio, quo Deo iugiter adhærere, & cum illo colloqui satagebat. Ita prophetauit Henoch omnium nostrûm parens, septimus ab Adamo, quia cum Deo ambulabat. Ita Moses factus est Propheta incomparabilis, quia in Sinâ cum eo colloquebatur. Ita S. Martinus illustrem prophetiæ spiritum hausit ex alloquio Dei, quia iugiter cum eo versabatur, vti testatur Sulpitius in vitâ.

Tertiò, donum hoc profluxit ex ardenti in Deum amore. Verè enim S. Bernardus lib. de inter. domo cap. 69. *Certum*, ait, *signum tibi sit quæcumque es anima, quod Dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem numquam sequi merueris. Vis nosse, quia sublimitas diuinarum reuelationum, sit manifestum diuinæ dilectionis indicium? Iam non dicam, inquit, vos seruos, sed amicos: quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis.* Basilius quoque procemio in Isaiam tradit; *Ex vehementissimâ in Deum intentione, & arcano amore animam Numine afflatam dignam prophetiæ dono reddi, Deo diuinam virtutem impertiente, animiq; oculos aperiente ad intelligendas quas velit speculationes.*

Cæterùm exemplo huius tam sublimis S. BENEDICTO concessi spectaculi, Mysticæ Theologiæ deditos instruit Ioannes Thaulerus Institut. cap. 12. *Vt spiritus intellectuali suâ consideratione Deum magis ac magis magnum, abyssalem, immensum comprehendat & intelligat; idq; non eum opinione, sed reipsâ ita esse sentiat: atque iuxta hoc suum dirigat intellectum, quantum potest, & quantum Deus illi hâc caliginosâ luce, & lucidâ caligine seipsum cum actuali bonitate exhibere dignabitur. In hoc*, inquit, *interiori spi-*

CAPVT XXXV.

ritus incremento omnis exteriua creaturarum cedit consideratio. Quanto namq; Deus spiritui fit magnus, tantò omnes ei Creaturæ decrescunt & euanescunt. Denique in hac luce gloriosus Pater BENEDICTVS *totum mundum, velut sub vno solis radio, ante se adductum vidit: Hic amor omnis creaturarum exuitur: atque in hoc supermirabili spiritus miraculo, vbi ipse supra omnem sensum ac intellectus capacitatem, à Deo in admirabilem lucem suam deducitur, rapiturq;, ita vt supra naturam & etiam supra seipsum, extra id quod factus est in quandam Deiformitatem eleuetur: ibi planè spiritus præ lumine absque luce, præ cognitione absque cognitione, & præ amore absque dilectione efficitur: non quòd absque dilectione fit, sed in suâ cognitione, vbi contemplationis oculum ad sese reflectit, omnis ei essentia, vita, vires, cognitio, amorq; suus nimis parua videntur ad summum Deum comprehendendum.*

Vocis Capua Etymologia quadruplex.

6. CAPVANI.] Quadruplex nominis *Capua* etymologia ab Auctoribus traditur. Primo à *Capys* Conditore. Virgilius Æneid. 10.

Et Capys, *hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.*

Maroni autem hic *Capys* est, qui cum Æneâ in Italiam venit, cuius sententiæ subscribit Suetonius in Cæsare dictatore. Liuius à *Capi* Samnitium Duce dictam existimat. Secunda est, quam tradit Pompeius Festus: *Capuam*, inquit, *in Campania quidam à* Capij *appellatum ferunt, quem à pede introrsus curuato nominatum, antiqui nostri Falconem vocant.* Iosephus Scaliger in eum locum: *Sanè*, ait, *Capis Græcum vel Tarentinum videtur, latinè expressum per Falconem.* Et Seruius ad citatum Virgilij locum, Capuam nominatam dicit: *Quoniam Capis linguâ Hetruscâ Falconem autem, cuius augurio condita est, significat.* Tertiam Isidorus Origin. lib. 15. cap. 1. tradens, ait, *quosdam à capacitate Capuam dictam putare; quod eius terra omnem vitæ fructum capiat. Inter tres maximas Romam, Carthaginemq; numerata: ex quâ & prouincia Italiæ Campania dicta est.* Quarta, Eustathius in Dionysium: *Cum duodecim sint Campanorum vrbes; in medio earum est Capua; Caput reuerà, vt Geographus ait, ex nominis etymo linguâ Latina.* Intelligit autem per Geographum, Strabonem lib. 5. ita loquentem: *In mediterraneo est Capua, gentis Caput; reuerà id existens, quod nomine eius significaretur.* Duodecim scilicet Campaniæ Vrbium caput, hoc est, quod ipsa duodecima reliquis vndecim præesset. Constat certè Campaniæ Vrbium potentissimam fuisse, & Punici belli tempore Romanæ vrbis æmulam, agri autem bonitate nulli terrarum posthabendam: vnde & diuitem *Capuam* vocat Virgil. 2. Georgic.

Capua potentia, fertilitas.

Talem diues arat Capua.

Sidonius Apollinaris:

——— *Non sic Bacchaus opimam*
Annibal ad Capuam *perijt.*

Consule Cluuerium Italiæ antiquæ lib. 4. c. 1. & 5.

Scribitur hîc S. Germanus Capuanus Episcopus: posteà autem, anno scilicet 971. Ioannes Papa *Capuam* in Archiepiscopatum erexit, vt Auctor est Leo Ostiensis Chronici Cassinensis lib. 2. c. 9. Quæ hodie Capua est, distat à veteri, duobus millibus passuum. In veteribus autem ruinis hodie tantùm exstat templum DIVÆ MARIÆ GRATIARVM, vt ex Leandro, Alberto, & Caraffâ, in suo Thesauro annotauit Ortelius.

7. ANIMAM IN SPHÆRA IGNEA AB ANGELIS IN CÆLVM DEFERRI.] Disquiri hîc posset, quod quarto Dialogorum libro, cap. 5. Petrus hîc interlocutor à S. Gregorio quæsiuit, an anima è corpore egrediens videri possit. Respondet autē Gregorius: *Natura animæ inuisibilis est, atque ita ex corpore inuisibiliter egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet, proinde corporeis oculis rem inuisibilem non posse videri. Sed multi*, inquit, *nostrûm mentis oculum fide purâ, & vbere oratione mundantes, egredientes è carne animas frequenter viderunt.* Quod hoc S. BENEDICTI exemplo, aliisque pluribus deinceps confirmat. Clarius S. Thomas parte q. 89. art. 8. ad 2. *Quod mortui viuentibus apparent qualitercumque, vel contingit per specialem Dei dispensationem, vt animæ mortuorum rebus viuentium intersint, & est inter diuina miracula computandum, vel huiusmodi apparitiones fiunt per operationes Angelorum bonorum, vel malorum, etiam ignorantibus mortuis.* Ita Doctor Angelicus. Petrus autem Thyreus libro singulari de appar. Spirit. cap. 12. ait: Animas plerumque vel in externâ specie & assumpto corpore agnosci à vigilantibus, vel interiori sensu conspici à dormientibus: Vtrouis autem fiat modo, Angelorum interuenire ministerium; neque enim possunt defunctorum animæ species in hominis imaginatione per se efformare, vti nec corpora, in quibus humanis rebus intersint, effingere. Neque enim vi suâ possunt elementa condensare, & suis aptare vsibus, neque sua valent in pristinam formam restituere cadauera. An verò in efformatis Angelorum operâ corporibus ipsi spiritus degant, solus is scit, qui ducit ad inferos & reducit, & cui data est diiudicatio spirituum. Factum id aliquandō testatur Augustinus lib. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 15. exemplo Samuelis & Moysi; quorum hic in transfiguratione Christi, ille Sauli apparuit. Exhibent autem se animæ hominum aspectibus aliquando in alienâ specie, vt quando S. Scholasticæ anima, aliæque complures in formâ Columbæ visæ sunt euolasse; aliquando in formâ proprij corporis, & eâ specie quâ inter homines vixerūt. Nouerat ita Saul adesse Samuelem; quando nondom visus à Pythonissâ describitur, Vir senex amictus pallio. Iudas Machabæus Oniam & Ieremiam cognouit. Petrum & Paulum sibi apparuisse affirmat Constantinus, quando eorum imagines à Syluestro fueruot exhibitæ. Atque hoc modo S. BENEDICTVS hîc vidit animam Germani Episcopi: eius enim esse ex consuetâ, quâ apparebat, agnouit formâ: nam statim (vt ait Gregorius) *religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbem sub eâdem nocte transmitteret, & quid de Germano Episcopo ageretur agnosceret, & indicaret. Factumq; est: & Reuerendissimum virum Germanum Episcopum is, qui missus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius agnouit ascensum.*

Anima à corpore egrediens an videri possit.

CAPVT XXXVI.

QVOD REGVLAM MONACHORVM SCRIPSERIT.

GREGORIVS.



IBET, Petre, adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereo: quia ad aliorum gesta voluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, [1] doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam [2] scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis vult subtilius mores vitamque cognoscere, [3] potest in eâdem institutione Regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.

S. Benedictus scripsit monachorum Regulam.

COMMENTARIVS.

1. DOCTRINÆ QVOQVE VERBO NON MEDIOCRITER FVLSIT.] Præclarum hoc sanctissimi Patriarchæ nostri elogium à magno Gregorio, illi non immeritò tributum deterere, & quoad potest obnubilare conatus Erasmus Roterodamus, qui in suo Ecclesiaste, seu de ratione concionandi lib. 3 fol. 339. Sanctos BENEDICTVM & Franciscum coniungens, de iis pariter pronunciat, quod fuerint *homines pij, sed quorum neuter eruditione scripturarum præcelluit.* Sed Aristarchus hic, qui sanctissimos hos viros suæ subiicit censuræ, neutrius videtur scripta, vel Regulam legisse. Dum enim eâdem periodo addubitat, an certum vllum BENEDICTVS, aut Franciscus suis præscripserit amictum, facilè ostendit, quàm in eorum scriptis sit peregrinus. Si enim Regulæ S. BENEDICTI caput 55. De *vestiariis & Calciariis fratrum,* & S. Francisci caput 2. legisset, inuenisset ibi statim peculiaria Monachorum indumenta. Quod verò eruditionem S. P. BENEDICTI spectat, eam ex ipsâ Regulâ, sanctarum Scripturarum citationibus, velut stellis quibusdam effulgente, colligit Gregorius: asseritque *discretione præcipuam, sermone luculentam.* Quemadmodum autem duos hosce Patriarchas, quorum doctrinam eleuaret, coniunxit Erasmus, ita quoque quod de S. BENEDICTO asseruerat Gregorius primus, id de S. Francisco in Bullâ Canonizationis repetiuit Gregorius IX. nimirum, *quod multos præuenerit scientiâ præditos,* SCIENTER NESCIVS, ET SAPIENTER INDOCTVS.

Erasmus frustra S. BENEDICTI doctrinam eleuare nititur.

S. Benedicti eruditio ex Regulâ & illustrium virorum testimoniis astruitur.

Sed vt nihil iam de diuinâ S. Francisci sapientiâ dicamus, quam eruditâ epistolâ Gabriel Cardinalis de Trejo, & Lucas Waddingus præfatione ad Opuscula eiusdem Sancti propugnant: constat sanè S. BENEDICTVM non sanctitatis tantùm, sed & eruditionis ac sapientiæ nomine celebratum. Hunc enim Zacharias Papa cap. 8. vitæ, non dubitauit appellare: *mente illuminatum, veritatis Magistrum.* S. Petro Damiani lib. 6. cap. 12. dicitur *Doctor insignis & Eremi cultor.* Venerabili Bedæ in serm. de S. Scholast. *Doctor omnium Monachorum, Pater sanctissimus Patrum. Doctor dulcissimus Doctorum.* S. Odo Cluniacensis serm. de S. Bened. *vocetur,* inquit, *& Stella non tamen qualiscumque, sed talis quæ erudiens multos ad iustitiam refulgeat, iuxta illud Danielis in perpetuas æternitates. Vocetur etiam Angelus, quia legem requirunt ex ore eius.* Carthusiani ordinis parens Bruno serm. de Confessoribus, de hoc nostro parente illud dicere non dubitauit: *Ecce plusquam Salomon hic. Quæris fortasse in quo maior sit ipse? in Sapientiâ: non dico de sapientiâ huius mundi, quæ stultitia est, apud Deum, ad quam iste numquam accedere voluit sed de illâ sapientiâ, quæ vera est, & quæ ducit hominem ad vitam æternam.* Eiusdem Ordinis Doctor Extaticus Dionysius, serm. 1. de S. Bened. ait, *eum ingressum abyssum sapientiæ increatæ.*

Quòd si fortè quæras, vnde ei hæc sapientia & doctrina? Respondet citato loco Cardinalis de Treio: *Multi ex sanctis Patribus absque sæculari Magisterio, profanorumq; librorum vsu in Dei lege docti euaserunt. Ita contigit Antonio, ita Arsenio, ita Paulo & aliis sanctis Monachis & Abbatibus, qui in desertis à pueritiâ viuentes, lectione solâ & contemplatione ad magnam scientiam peruenerunt. Ita didicerunt* BENEDICTVS, *Basilius, Ioannes Damascenus, & alij plures, qui nusquam leguntur in scholis versati, & quantò longiùs a Scholasticorum argutiis aberant, tantò citius intellectus illorum illuminabatur, igne vibrante ardentis voluntatis, & quo Deum, quem semper memoriâ retinebant, citò cognoscebant, & feruenter prædicabant.* Hæc ille. Imbutum porrò S. BENEDICTVM doctrinâ cælesti, & eruditum ab eo, qui docet hominẽ scientiam, satis insinuat ipse Gregorius, cùm suprà ca. 35. de eo dixit, quòd *doctrina gratia cælestis influebat.* Idẽque lib. 4. c. 4. in libros Regum, eumdem vocat *Arctissimæ vitæ Magistrum optimũ, summæ veritatis discipulum eruditum.* Ipsa igitur prima veritas, & vnctio Spiritus sancti S. BENEDICTVM de omnibus edocuit. Quod quidem luculentiùs in *Disquisitionibus* probabitur, cùm Regulam à Spiritu sancto profectam demonstrabimus.

Sed vnde illi hæc eruditio?

2. SCRIPSIT MONACHORVM REGVLAM DIS-

CAPVT XXXVI.

CRETIONE PRÆCIPVAM.] Zacharias habet. *Cōstituit Monachorum Regulas iudicio eximio & sermone claro.* Vnde intelligas, ex aliorum Patrum Regulis suam S. BENEDICTVM delibasse, atque instar argumentosæ apis ex singulorū floribus, regularis doctrinæ mel collegisse, & Regulæ suæ alueario intulisse. Quæ autem de hâc Regulâ eiusque præstantiâ, & auctoritate hîc dici possent, fusè prosecuti sumus in nostris *Disquisitionibus Monasticis.* Ne autē hunc locum absque aliquâ annotatione præteriisse videamur, Compendio, & velut summatim hîc dicimus; Sanctissimum Legislatorem nostrū *Regulam* suam propriis manibus in Cassinensi scripsisse monasterio, eamque in sua, vt nunc habemus, distinxisse capita. Quamuis autem ex summâ humilitate eam, vt *minimam inchoationis Regulam* S. Basilij postponat, fuit nihilominus illa Spiritu sancto inspirante dictata & conscripta: ex quo capite hoc consecuta est, vt sit maximè suauis, & discreta; omnibusque omninò hominum generibus accommodatissima; tam plena denique ac sufficiens, vt aliis constitutionibus & statutis minimè videatur indigere ad dirigendos Monachorum pedes in viam salutis æternæ.

S. Benedictus Regulam suam scripsit propriis manibus, in monasterio Cassinensi. Regulæ laus.

Omnibus quoque numeris est perfecta, valdè spiritualis & interna, vt minimè mirum sit, si Obseruatorē suum rectà perducat ad regna cælorum.

Summam eius vtilitatem agnoscit Ecclesia in vberrimis fructibus, quos hæc ei arbor protulit. Quòd autē multipliciter ab Ecclesiâ fuerit approbata, hinc tanta eius est auctoritas, vt summi Pontifices & generalia Concilia ex eâ non rarò sua deprompserint decreta & Canones, quibus religiosos quosuis in suâ dirigerent vocatione. Sensim porrò toto orbe promulgata fuit, & aliis quibusdam, quæ ante eam erant, prælata, sub eâque plures militant religiosorum Ordines. Nec suis contenta finibus, multum etiam profuit aliis posterioribus Ordinibus, quantumuis sub proprio Capite, & distinctâ viuentibus Regulâ. Quæ omnia citato libro pluribus comprobamus.

Omittendum hic non videtur, Oraculum illud celeberrimum, quod diuinitus S. P. N. BENEDICTO factum fuisse perhibetur; atque in hunc modum narratur à Prudentio Sandoual lib. de Fundat. Monast. in Castellâ parte I. §. 6. Dicit Auctor historiæ Sublacensis, & habetur in peruetusto codice eiusdem domûs (qui & alium citat, qui extat in Franciâ in Monasterio Lirinensi; & velut certissimum asseuerat) S. P. N. BENEDICTO in oratione existenti, in Monasterio Narrebotensi, apparuisse Angelum, eique dixisse: quòd Deus illum exaudisset, vtque eam, quam vellet, peteret gratiam aut beneficium. At Sanctus humilians se respondit, tanta beneficia sibi, tanquam indigno à Deo collata, seque tam ignorantem, vt propterea fortè minus exaudiretur petitio, faceretque Deus commiserando illius, quod sibi vtiliùs aut conuenientiùs foret.

Dixitque Angelus: Sunt quinque quæ tibi cōcedit Deus, cui propriū est audire & exaltare humiles.

Quinque promissa à Deo facta S. Benedicto.

1. *Quòd Ordo suus videlicet, vsque ad finem stabit.*
2. *Quòd in eius fine pro Ecclesiâ Romanâ stabit fidelissimè, & plurimos in fide confortabit.*
3. *Quòd nullus in eo morietur, nisi in statu salutis: & si malè incipiet viuere, & non desistet, vel confundetur, vel ab Ordine eiicietur, vel per se egredietur.*
4. *Quòd omnis qui Ordinē suum persequetur, nisi resipiscat, vita sibi abbreuiabitur, vel mala morte morietur.*
5. *Quòd omnes qui Ordinem suum diligent, bonum finem habebunt.*

Refert hoc Oraculum Arnoldus Wion; lib. I. cap. I. & ex eo Stengelius in Coronâ lucidâ, & Cornelius à Lapide in cap. 35. Ieremiæ. Non dissimilia sunt Priuilegia Ordini S. Francisci communicata, quæ libro singulari propugnauit R. P. Angelus de S. Francisco Anglus, Ordinis Fratrum Minorum strictioris obseruantiæ: cuius scuto & hæc nostra proteguntur.

3. POTEST IN EADEM INSTITVTIONE REGVLÆ OMNES MAGISTERII ILLIVS ACTVS INVENIRE.] Hoc verè Sanctorum est, plus factis quàm verbis docere, quorum, vt Ambrosius dixit lib. de S. Ioseph. cap. I. *vita cæteris norma viuendi est.* Ex quo capite & alios Sanctos à Patribus commendatos accepimus. Athanasius de S. Antonio: *Perfecta est siquidem ad virtutem via, Antonium scire quis fuerit.* Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum de vitâ Heliodori: *Normamq; vitæ eius, exemplum habere virtutum.* Idem epist. 15. ad Marcellam de Asellæ vitâ: *Conuersationem illius perfectæ vitæ normam arbitrentur.* De magno Euthymio Nicephorus lib. 14. cap. 52. *In tantum virtute enituit, vt canon esset & formula instituti monastici.* Idemque sequenti capite de Isidoro Pelusiotâ. *Ita in monasticis laboribus desudauit, vt euangelicam prorsus degeret vitam, & viua animataq; monastici instituti diuinaq; contemplationis Columna, & veluti primarium quoddam exemplum flagrantis æmulationis doctrinæq; spiritualis esset.* Eadem habet Euagrius lib. I. hist. Eccles. cap. 15. Itaque in hâc S. Patris BENEDICTI vitâ, altera Monachis (vt in præfatione dictum) exhibetur Regula. Quod & post S. Gregorium, de suo Patre S. Columbano Ionas in eius vitâ cap. 9. dixit. *His*, inquit, *in locis Monachorum plebibus constitutis; ipse vicissim omnibus intererat, Regulamq; quam tenerent Spiritu sancto repletus condidit: In quâ autem qualis, & quanta disciplina vir sanctus fuerit, prudens Lector vel Auditor agnoscat.* Idipsum de S. Teresiâ Carmeli restauratice asserere non dubitauit Franciscus Ribera lib. 2. vit. cap. 2. *Illius & prudentiam, & admirabilem sapientiam, & ingenij sublimitatem, & perfectionis magnitudinem quàm manifestissimè patescere: nam, vt de S. BENEDICTO Gregorius Pontifex asserit, qui eius & vitam, & vitæ rationes exactius scire voluerit, illius Constitutiones euoluat & consideret, neque enim tam sancta mulier aliter docere poterat, quàm vixerat.*

Sanctorum vita via est ad virtutem.

ADDITIO.

De transmissione S. Mauri in Galliam.

CVm vltimo quo S. Pater BENEDICTVS è viuis excessit anno, S. Maurum ad excitanda Ordinis sui Monasteria in Franciam transmiserit; inserenda hic historia transmigrationis eius, vt ea quæ circa illam S. P. BENEDICTVS egit, hic commodè repræsententur.

Transmittendi S. Maurum in Galliam causam dedisse scribitur Bertingrannus Cœnomanensis Episcopus, qui missis ad S. BENEDICTVM Legatis ac litteris, discipulos sibi rogabat destinari, qui Galliam sanctitatis exemplo illustrarent. Rem totam narrat oculatus testis, & itineris comes B. Faustus in vitâ S. Mauri, qui in præfatione refert S. BENEDICTO diuinitus reuelatam Cassinensis Monasterij destructionem, cumque ob hoc mœstus inconsolabiliter fleret S. Pater, cælesti recreatus fuit oraculo, quo ei promittebatur locum illum in pristinum, imò & ampliorem restituendum gradum,

S. Maurus quâ de causâ in Galliam missus.

S. Benedictus de Ordinis propagatione cælitus recreatur.

dum, & aliis quoque nationibus lumen suæ religionis de eodem inferendum loco. Vnde ei in eâdem reuelatione dicebatur; vt *quos probabiliores in suo haberet grege eò transmitteret, quo deposcerentur, sciens laboris eorum fructus vberrimos, qui & illi ad cumulum accederent præmiorum.*

Verùm antequam totam narrationem Fausti hîc subiiciamus, ad historiæ veritatem elucidandam præmittenda hic est annotatio R. P. Hugonis Menardi qui lib. 1. Obseruat. ad Martyrolog. Benedictin. die 15. Ian. scribit, non satis cohærere cum veritate historiæ, quod Bertingrannus Cœnomanensis Episcopus dicatur ad S. BENEDICTVM direxisse Legatos: *Nam longè,* inquit, *post obitum Theodeberti Regis, quo regnante venit D. Maurus in Galliam, hic Bertingrannus Cœnomanensis Episcopus renuntiatus est, anno videlicet vndecimo Childeberti filij Sigeberti Regis Austrasiorum; vt refert D. Gregorius Turonens. lib. 8. hist. Francor. ita vt inter aduentum S. Mauri in Galliam & promotionem Bertingranni tres intercesserint Episcopi Cœnomanenses: nempe S. Innocentius, seu Innocens, vt alij legunt, S. Domnoldus & Badegesilus, cui successit Bertingrannus, vt videre est apud eundem Gregorium lib. 6. & 8. hist. Franc. Ipse etiam S. Bertingrannus fuit longæuus; vixit enim septuaginta annos, & obiit regnante Clothario secundo, vt eius acta testantur, & vetera monumenta Monasterij Culturæ apud Cœnomanos, cuius fundator extitisse fertur, ad me delata id confirmant. Suspicor hunc errorem natum esse ex opinione eorum, qui obitum S. BENEDICTI ad annum sexcentesimum secundum reiecerunt, nec satis attenderunt tempus, quo obiit S. Bertingrannus, & hoc pacto ab eis vitiata esse acta S. Mauri. Nullum præterea antiquum Auctorem repereris, qui asserat eiusmodi legationem fuisse à S. Bertingranno. Aymoinus lib. 2. de gest. Francor. cap. 22. agens de eâdem legatione & Aduentu S. Mauri in Galliam, nomen Episcopi reticuit.* Hactenus Menardus. Cuius obseruatio confirmari potest ex Cœnomanensium Episcoporum syllabo, apud Claudium Robertum in Galliâ Christianâ, vbi Berthigrannus Comes ex Archidiacono Parisiensi, ponitur II. Cœnomanicæ sedis Episcopus, successitque Valdegisilo, qui obiit anno Christi 590. Non potuit ergo S. Maurus anno Christi 542. ex Cassino in Galliam euocari à Bertingranno Episcopo, qui aliquot demum annis post S. Mauri obitum episcopalem Cathedram adiit. Testamenti verò eius (vt hoc in transcursu dicam) fragmentum, vt & testamentum Hudoindi successoris eius, in quo & illius & ædificatæ ab illo Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli mentio fit, extat apud Barnabam Brissonium lib. 7. formularum. Hac verò muniti obseruatione, Faustum deinceps totum S. Mauri iter & discessum à S. BENEDICTO enarrantem audiamus.

Bertingrannus non videtur Legatos misisse ad S. BENEDICTVM.

Sed alius innominatus Episcopus.

Per idem, inquit, *tempus* (ad annum scilicet 542. vt annotat Yepez) *Legati ad nostrum aduenerunt Monasterium, missi à beatissimo Bertingranno Cœnomanicæ Ciuitatis Episcopo. Nam idem sanctissimus Pontifex, auditâ famâ sanctitatis eximij Patris nostri, Flodegarium Archidiaconum, & Harderadum vicedominum suum, strenuissimos scilicet atque clarissimos viros, à latere suo cum xenijs magnis ad eundem Patrem nostrum transmisit, omnibus eum exorans precibus, vt illi perfectissimos dirigeret fratres qui monasterium illi secundum regularis ordinem obseruationis in fundo Ecclesiæ, quam regebat, ædificare deberent. Perfectissimus verò Pater noster, iuxtà rationem & reuelationem, quæ in præfatione huius operis à nobis pleniter est exposita, quamquam finem dierum suorum iam iamque sciret imminere, secundum quod Spiritu sancto didicerat reuelante, Legatis supradicti Antistitis tam beatissimum Maurum, quàm nos quatuor Simplicium, Antonium, Constantinianum & me Faustum assignauit, præcipiens nobis vt non minùs ipsi beatissimo Mauro, quem nobis Magistrum constituebat, quam ei hactenus, in omnibus pareremus.*

Ad S. BENEDICTVM veniunt è Franciâ legati.

Petuntque ad fundandum monasterium illuc fratres dirigi.

CAPVT XXXVII.

S. Maurus aliique comites in Galliam destinantur.

Iam verò quis dignè explicet, quantus mœror, quantusque luctus totam sanctissimam nostram subitò corripuit Congregationem? Quia enim S. Pater eis iam obitus sui reserauerat diem, spes & consolatio totius congregationis in beatissimo Mauro pendebat, illum se patrem, illum se gaudentes post eius transitum habere Rectorem. Sanctissimus autem Pater noster tantis fletibus & suspiriis motus, omnem euocans congregationem, talem ad eos protulit orationem.

Fratres S. Mauri discessum grauiter dolent:

Si tristandum dilectissimi fratres ac filij, pro tali esset negotio, mihi magis, quàm vobis hinc esset mœrendum, qui quantùm ad præsens, magnis videor destitui solatiis. Sed quia dicente Apostolo: Charitas benigna est, benignitatem charitatis nostræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modo eâ indigere cognoscimus, nec nostra tantùm, quàm aliorum quærere. Quapropter vos amoris paterni solicitudine à fletibus & mœrore temperare deposcimus, quia potens est Deus meliores nobis post huius depositionem corporis huic sanctæ immittere Congregationi, quorum meritis & exemplis longè præstantiùs, quàm nostris ædificemini. Sed & illud summoperè nobis est procurandum, ne versutia antiqui hostis; vnde aliis salus acquiritur, inde nobis tristitiæ malo detrimentum in aliquo ingeratur: nos etenim quos vnitatis semel in sanctâ charitate iunxit concordia, numquam vel longissima diuident terrarum spatia: quoniam semper interioris hominis aspectu, qui renouatur secundum imaginem eius, qui creauit eum, nos quoad vixerimus tempore, inuicem intuebimur. Vos autem, fratres charissimi, quos ad opus Domini cōstruendum ad illas dirigimus partes, viriliter agite & confortetur cor vestrum in sancto proposito & religione: proculdubio scientes, quia quantò austeriora causa salutis aliorum in huius viâ sæculi pertuleritis, tantò maiora à Deo recipietis cælestium gaudia præmiorum. Nec vos vllo modo resolutio huius nostri mœstificet corpusculi, quoniam præsentior vobis, carnis deposito onere, ero, vestrique Dei per gratiam cooperator existam assiduus.

quos S. Benedictus consolatur.

S. BENEDICTVS post mortem se suis assistentiam spondet.

Et hæc dicens dans osculum nobis, prosecutusque nos cum omni congregatione, vsque ad ostium monasterij, osculatis rursum nobis, ac benedictione super nos traditâ, dedit sanctissimo discipulo Mauro librum Regulæ, quem ipse sanctus manu suâ scripserat, proferrique iussit pondus libræ panis, & vasculum æneum, vini heminam capiens, & ita nos fecit abire, dans mandatum missis supradicti Præsulis ad eundem Pontificem, vt suâ vice

S. Mauro abeunti Regulam, aliaque secum ferenda tradit.

 paterno

CAPVT XXXVI.

paterno affectu nos suscipiens, tractaret, ac nobis aptum locum ad ædificandum, sicut pollicebatur, cœnobium traderet.

S. Mauri iter describitur.

Igitur nos quintâ Epiphaniorum sabbati iter arripientes, primam mansionem in possessione nostri monasterij in villâ, quæ Encheia nuncupatur, habuimus. Quò aduenientes honorificè satis à duobus fratribus nostris, Probo videlicet & Aquino suscepti sumus, quos S. Pater noster huius rei gratiâ pridie illuc direxerat. Eâ nocte celebrantibus nobis nocturnale officium, aduenerunt illuc duo nihilominus ex fratribus nostris Honoratus beatæ recordationis vir, ac Felicissimus egregiæ indolis Adolescens, consobrinus S. Mauri, missi à sanctissimo Patre nostro BENEDICTO. *Quos, vt vidimus, gaudio non immodico gauisi sumus, certum tenentes apud nos, aliquid magni de parte eiusdem Patris nostri nos ab eis vel audituros, vel percepturos. Nec nostrâ frustrati sumus æstimatione. Nam vt completis hymnis matutinalibus in vnum conuenimus, Honoratus monachus magnifica à pectore suo B. Mauro protulit munera, capsulam scilicet eburneam, & paginulam epistolæ, breuia quidem continentem verba, sed amore prophetiæ, & sanctæ charitatis dilectionis grandia satis ac desiderabilia, quæ idem sanctissimus* BENEDICTVS *ipsi deportari antequam de loco egrederemur, perniciter iusserat.*

S. Benedictus S. Mauro S. reliquias mittit,

Scilicet tres portiunculas ligni salutiferæ Crucis, & reliquias sanctæ Dei genitricis, sanctiq; Michaelis Archangeli, ex palliolo sanctæ scilicet eius memoriæ, Stephani quoq; protomartyris, ac beati Christi Confessoris Martini, in ipsâ posuerat capsula. Palliolum hoc memoriæ S. Archangeli Michaelis, Naueus lib. 3. Chronici S. Michaelis cap. 15. interpretatur esse illud Palliolum, quod super altare in Gargano Monte ei dedicatum repertum fuit; vt inde S. P. BENEDICTVS portionem accipere meruerit, cum paulò post Apparitionem in Gargano, S. Maurum in Gallias transmiserit.

& Epistolam:

Textus verò epistolæ, quam & consepelire sibi amore Patris sui beatus iussit Maurus, hæc continebat.

Accipe, dilectissime, extrema Institutoris tui dona, quæ & longum nostrum testentur amorem, & tibi ac commilitonibus tuis contrà omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vicenorum decursionem annorum, ex quo monasterialem adisti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus; vt nobis Dominus hesterno die, postquam à nobis digressus es, ostendere est dignatus. Prædico etiam tibi, moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos pro his quæ & Deo ordinante perficientur, & quæ inimicus humani generis molimine calliditatis suæ in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordis Dei vobis deerit, sed potiùs, differendo licet, ac desiderium animi vestri in lõgum experiendo, aliorsum quam sperauimus, aptissimam dignabitur largiri mansionem. Iamque vales felix in profectione, fælicior futurus in peruentione.

in quâ reuelatum sibi illius obitum prænunciat.

His beatus Maurus recitatis, & abundantissimè pro his, quæ & merebatur, & præmonebatur, hilaris effectus, ad Patris BENEDICTI *præsentiam eosdem cum gratiarum actione remittit fratres, adolescenti iam dicto Felicissimo, quinquies siue septies perfectioris normæ religionis operam dare inculcans.*

Recenset deinde, vt confractum Harderadi brachium S. Maurus oratione integritati restituerit, & quintodecimo die Vercellis discedentes, Alpes transmiserint, & Agaunense S. Mauritij & sociorum eius visitauerint monasterium. Inde digressi appropinquante solemnitate Paschali, feriâ quintâ in Cœnâ Domini in pagum venerunt Antisiodorensem, ibi B. Romanum, qui S. BENEDICTVM olim in specu aluerat, quique per reuelationem Gallias petens, Cœnobiolum in eodem pago, in loco, qui Fons Rogi dicitur, ædificauerat, inuisit, vt ibidem sacrosanctum Pascha cum sociis celebraret. Apud quem existens, S. BENEDICTVM splendenti & ornatâ semitâ cælum vidit petentem, vt deinceps videbimus. Reliqua quæ spectant ad vitam S. Mauri, ex Fausti historiâ petenda sunt.

Quid in reliquo itineris factum.

CAPVT XXXVII.

DE PROPHETICA SVI EXITVS FRATRIBVS DENVNTIATIONE.

CAPVT XXXVII.

Mortem suam prædicit. Iubet sibi aperiri sepulchrum. Incidit in febrem: in oratorium deportari se facit: & S. Eucharistiâ muniri. Inter verba orationis exspirat.

1\. ODEM verò anno, quo de hâc vitâ erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus sanctissimi [2] sui obitus denunciauit diem, præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel [3] quale eis signum fieret, quando eius anima de corpore exiret. [4] Ante sextum verò sui exitus diem [5] aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingrauesceret, sextâ die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibique [6] exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus [7] stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Quâ scilicet die [8] duobus de eo fratribus, vni in cellâ commoranti,

moranti, alteri autem longius posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia [9] strata palliis atque innumeris corusca lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cellâ in cælum vsque tendebatur. Cui [10] venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: [11] *Hæc est via, quâ dilectus Domino cælum* BENEDICTVS *ascendit*. Tunc itaque sancti viri obitum, sicut præsentes discipuli viderunt, ità absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, agnouerunt: [12] Sepultus verò est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructâ arâ Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo priùs habitauit, nunc vsque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

CAPVT XXXVII. *De eius in cælum ascensu, insignis apparitio.*

Tumba miraculis coruscat.

COMMENTARIVS.

Quo anno S. Benedictus obierit.

1. EODEM VERÒ ANNO, QVO DE HAC VITA ERAT EXITVRVS.] Inquirendum hîc accuratiùs, quo Christi anno, quo mense, quâ die, & quâ ætate S. P. N. è viuis excesserit. Plures enim de hâc re referuntur sententiæ.

Prima sententia.

Prima est Mariani Scoti, qui S. Patrem obiisse vult anno Christi sexcentesimo tertio. Fundamentum eius est, quòd in Actis S. Mauri asseratur ex hâc vitâ migrasse eo anno, quo contigit celebrari Pascha duodecimo Kalend. Aprilis, & quòd ex tabulis astronomicis & paschali computu id non videatur accidere potuisse, nisi dicto anno sexcentesimo tertio. Verùm sequenti potiùs anno, sexcentesimo scilicet quarto, dictâ die celebratum Pascha in Ecclesiâ reperitur. Redarguitur autem hæc sententia ex eo, quòd S. BENEDICTVS hoc pacto vno tantùm vel paulò ampliùs ante Gregorium Magnum mortuus esset anno, cùm tamen testetur se vitam eius scribere ex discipulorum eius relatu, & inter illos Simplicij, qui congregationem illius post eum tertius rexit. Accedit, quod idem Gregorius Dialogorum libros Pontificatus sui anno quarto scripsit, anno nimirum Domini quingentesimo nonagesimo quarto, cùm autem vitam & obitum eiusdem sancti referat; quomodo anno sexcentesimo tertio mortuus traditur? & quonam pacto potuit eius scripsisse obitum, si post annos fermè decem ab eâ scriptione, ipse S. BENEDICTVS dicatur fuisse superstes? ita ferè Baronius anno Christi 494.

Secunda.

Secunda sententia est, quam insinuat Andreas Hoius in notis ad historiam Occidentalem Iacobi Vitriaci, qui S. BENEDICTVM obiisse ait anno Domini 545. hæ autem duæ sententiæ, vt ætatem eius nimis prorogant; sic aliæ nimis corripiunt.

Tertia.

Tertia enim *sententia*; quàm Christianus Massæus ait esse quorumdam, & annotatur in Chronico Sigeberti Gemblacensis, mortem S. BENEDICTI refert ad annum 509. eâ ratione, quòd tum Pascha inciderit in diem vndecimum Calend. Aprilis, siue 22. Martij. Sed tum Totilas nondum regnare inceperat, & S. BENEDICTVS tantùm erat 29. annorum.

Quarta.

Quarta ad annum 518. ita Raphaël Volaterranus Antropologiæ lib. 20. & Hector Boëtius hist. Scotor. lib. 9.

Quinta.

Quinta sententia Studiosi cuiusdam apud Bedam, præfatione in circulos B. Cyrilli & Dionysij Romani atque ipsius Bedæ, qui hanc difficultatem accuratè expendisse videtur, vixitque, vt apparet, ante 500. annos. Hic igitur talem instituit computum. *Mihi aliud occurrit, quod non debeo obliuioni tradere: Anno ab incarnatione Domini 529. imperante Iustino Imperatore, sanctissimus Monachorum Pater* BENEDICTVS *in Italiâ virtutibus claruit, vt testatur Victor Capuanensis Episcopus, seu Paulus Cassinensis Monachus, huiusq; Dionysij contemporalis extitit: qui videlicet* BENEDICTVS *Pater sabbato sancto Paschæ ex hâc vitâ migrauit 12. Calend. Aprilium, sicut legitur in gestis veracissimis. Requisitus talis annus in circulis sæpius nominandi Dionysij, in quo sabbatum sanctum contingat prædictis Calendis, tertiò in toto anno magno inueniri poterit: in tribus scilicet tantùm decennalibus cyclis, id est, 4. 22. & 27. Sed dum* BENEDICTVS *Pater post annum Domini 529. Cassini miraculis viuens coruscaret, constat quod nec 22. nec 27. ex hoc mundo discessit* (vigesimus enim secundus incipit ab anno Christi 399. & pertingit vsque ad annum 417. vigesimus septimus incipit ab anno 494. & terminatur 512.) *Quia verò vitæ eius mirabilis relator Papa Gregorius anno ab incarnatione Domini 605. obiit, certum est, quod nec quarto cycli ex huius vitæ ærumnis moriens transiit* (Quartus autem Cyclus incipit anno Christi 57. & pertingit vsque ad 75.) *Quippè eius monasterium à Longobardis eo mortuo iam fuerat peruasum. Quare nisi summa fides gestorum esset, prælibatus cyclus de serui Domini transitu calumniam induceret. Quâ calumniâ impulsus discutere cœpi, quid faceret controuersiam huiusmodi.* Et paucis interiectis ait: *Transierunt à passione Domini vsque ad transitum S. P.* BENEDICTI *497. anni.* Additis ergò iuxta eundem Auctorem annis 34. colligitur S. BENEDICTVM obiisse anno 531.

Sexta.

Sexta sententia ascribenda esset Philippo Ferrario, supposito enim eodem anno S. BENEDICTVM eiusque sororem Scholasticam obiisse (quæ historiæ veritas est) tradit ille, sanctam Scholasticam circa annum salutis 532. ex mortali hâc vitâ migrasse, ex quo sequeretur, eodem & S. BENEDICTVM decessisse.

Septima.

Septima sententia citati anteà Sigeberti Gemblacensis, quæ videns relatam tertio loco opinionem historiarum (vt loquitur) consequentiæ non conuenire ad annum 536. ita ait: *Hoc anno quidam dicunt S.* BENEDICTVM *obiisse, & Maurum discipulum eius in Galliam venisse.* In eundem annum consentit Hugo Floriacensis, & Matthæus Westmonasteriensis in Floribus historiarum. Et huc inclinat in Chronicis manu exaratis Balduinus Diaco-

CAPVT XXXVII. nus Niniuiensis, qui ad annum 535. ita scribit: *Totila Ostro-gothorum Rex Italiam inuadit, & à S. BENEDICTO in Cassino sibi ventura agnoscit; vbi sunt ergò, qui sibi de S. BENEDICTO contraria fabulantur? Qui prophetat viuus, frustra defunctus asseritur.* Vbi carpit eos, qui præmaturè nimis ante hæc tempora obitum sancti Patris describunt.

Octaua. *Octaua sententia* est Belforestij annalium Franciæ lib. 1. c. 14. Qui mortem eius anno 538. assignat.

Nona. *Nona*, Aubertus Miræus in Chronico Belgico citans Ægidium Bucherium; & rursus in Elencho Regularum, & in scholio ad Honorij Augustodunensis lib. de Scriptor. Ecclesiast. c. 30. cēset obiisse anno 539. sed cùm idem Auctor post tres annos ponat Totilam (cui S. BENEDICTVS locutus est, & decimo anno moriturum prædixit) ad regnum euectum, calculus hìc omninò vacillat: iam tum enim, vt vidimus, Rex erat Totilas, quando cum S. BENEDICTO sermonem conserebat.

Decima. *Decima sententia* in cōpilatione Chronologicâ, in tomo Illustrium veterum Scriptorum Germaniæ, à Ioanne Pistorio Nidano edito ponitur, qui obitum S. BENEDICTI adscribit anno Domini 541.

Vndecima. *Vndecima sententia*, ad veritatem magis accedens, ea est, quæ habetur in actis S. Placidi, & apud Trithemium lib. 2. & 3. de viris Illustribus Ordinis sancti BENEDICTI cap. 1. in quâ etiam fuit Onuphrius Panuinius lib. 2. de Ecclesiâ Lateranensi cap. 3. & in libello de septem vrbis Ecclesiis pag. 132. eamque aliquando secutus est Baronius. Hæc tradit S. BENEDICTVM ex hâc decessisse vitâ anno Christi 542. Sed, vt optimè ait Baronius ad annum Christi 542. *Si res ad calculum, quam exactissimè redigatur, nec ipsa probari potest. Etenim quomodo hoc anno mense Martio dicere aliquo modo possumus ipsum S. BENEDICTVM esse defunctum, cùm necdum creatus esset Totilas Rex Gothorum, quem hoc anno, occiso Theodebaldo, præcessit Alaricus? sed etsi eodem anno creatus sit Totilas, nondum in Campaniam duxisse copias constat ex iis, quæ de ipso Procopius scripsit, qui fermè singula eiusdem Regis vestigia est consectatus, cùm tamen satis ex S. Gregorio certum sit, notum fuisse eidem Regi S. BENEDICTVM, pluresq; cum eo miscuisse sermones, atque ab ipso sub eodem Rege miracula edita esse, vt ad minus ad annum Domini 544. oportuerit eundem S. BENEDICTVM peruenisse. Hæc autem dicta sunto ad redarguendos potius de tempore obitus S. BENEDICTI vulgatos errores, quàm ad certum annū nobis incertum eius ad Deum transitus statuendum.* Hactenus Baronius, cuius dedoctio præcedentes omnes sententias (si primam & secundam excipias) validè refutat. Dionysius quoque Petauius in Rationario temporum part. 2. lib. 4. cap. 13. optimè ostendit ex litterâ Dominicali & cyclo Paschali tam Nicæno, quàm Latinorum, non potuisse hoc anno Pascha incidere in 22. Martij, adeoque, si hoc anno 542. dicatur excessisse S. BENEDICTVS, falsam fore notam diei, & Paschatis à Fausto proditam. Siquidem Pascha isto anno cadit in Aprilis 20. vnde mortuus erit 13. Kalendas Maij, quod & Sigonius lib. 19. de Occidentali imperio amplexus est.

Duodecima, eaq; vera sententia: *Duodecima* tandem, eaque vera *sententia* est, mortuum S. BENEDICTVM anno sequenti, quingentesimo scilicet quadragesimo tertio, die 21. Martij in vigiliâ Paschæ. Hanc tenent Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, correctiùs edito Neapoli à Matthæo Laureto, anno 1616. Christianus Massæus, Arnoldus Pontacus, & Genebrardus in Chronographiâ, Arnoldus Wion, Antonius Yepez, & citatus Lauretus in annotationibus ad vitam S. BENEDICTI, Constantinus Bellottus colloq. 2. de S. Gregorio, Simon Millctius, Baronius in Annalibus & Notis ad Martyrologium Romanum in editione vltimâ, Sylucster Maurolicus lib. 1. Historiæ sacræ omnium Religionum, Iacobus Gordonus in Chronologiâ, Aubertus Miræus in Originibus Benedictinis cap. 1. licet posteà sententiam mutarit, Bernardus Hartfelder Prior Monasterij SS. Vdalrici & Afræ, in breui chronico descriptioni Basilicæ eiusdem Monasterij subiuncto. Georgius Garnefelt in elucidationibus Eremitarum, in Indice & Appendice 4. Auctor quoque Apostolatus Benedictinorum in Angliâ in præfat. ad Lectorem, & in ipso opere aliquoties. Stephanus Binet in compendio vitarum Fundatorum Ordinum religiosorum cap. 1.

Hæc autem sententia ita astruitur: Certum est *firmatur.* vixisse S. BENEDICTVM eo tempore, quo cum Totilâ sermonem habuit: Hic autem, vt ex Procopio lib. 2. de bello Gothorum docet Baronius, ad regni solium euectus est anno 542. Quod autem S. Pater annum 543. transgressus non fuerit, ita conficitur: B. Maurus & Placidus oblati sunt S. BENEDICTO anno Dominicæ incarnationis 522. vt tradidimus suprà ad caput XIII. Faustus verò asserit B. Maurum cum S. BENEDICTO vixisse annis 20. donec ab eodem mitteretur in Galliam; iam si ad prædictum annum 522. addas 20. incidet in annum Christi 542. post quem S. Maurus non ampliùs cum S. BENEDICTO vixit: nam in principio Ianuarij sequentis anni ab eodem discessit in Galliam, & eodem anno mortuus est S. BENEDICTVS. Quod si cum Baronio, Antonio Yepes, Matthæo Laureto, & aliis dicas S. Maurum receptum ad monasticum habitum anno 523. adiiciasque 20. quibus illi cohabitauit, peruenies ad 543. per aliquot tantum dies inchoatum. Sed prior sententia, quam aliàs amplexi sumus, magis nobis probatur. Simile omninò argumentum fieri potest ex anno mortis S. Mauri, quæ contigit ex Fausti asseueratione anno Christi 584. ab obitu S. Patris BENEDICTI, suique in Gallias aduentus anno 41. Quod si ab annis Christi quingentis octoginta quatuor, subducas quadraginta vnum, relinquitur quæsitus annus mortis S. BENEDICTI 543.

Hæc de anno. Nunc de die; de quo tria asserit *Quâ die obierit.* Faustus primum fuisse 21. Martij, siue duodecimo Kalend. Aprilis secundum fuisse Sabbatum. Tertium fuisse vigiliam Paschatis; verba eius hæc sunt: *Crastinâ die* (feriâ sextâ Parasceues, S. Maurus loquebatur ista Romano) *beatissimus Pater noster* BENEDICTVS *terreno deposito corporis onere cælestem gaudens, & hilaris scandet ad patriam. Noctem verò illam, qua duodecimo Kalendarum Aprilis habebatur, & quâ sacratissimum vigiliarum Pascha illucescebat Sabbatum, in oratione & psalmis traduxerunt. Transactâ autem horâ quasi tertiâ ipsius sacratissimæ diei, vidit S. Maurus* S. BENEDICTVM *in cælum tendentem.* Ità ille oculatus testis eorum, quæ scripsit. Quod si fortè non vsque adeò huic per omnia fides adhibeatur, aut luculentiori hæc probanda videntur testimonio, conabimur & hoc aliquousque præstare. Quod primum spectat, diem mortis incidisse in 21. Martij totius Ecclesiæ Latinæ videtur consensus. Nam eo die reponitur in Martyrologio Romano antiquo, & nouo: in Bedæ, Rhabani, Vsuardi, Adonis, aliisque Martyrologiis, & Kalendariis,

& Bre-

& Breuiariis, vt omittam in re notâ plures testes. Secundum verò, fuisse scilicet diem Sabbati patet, quia littera Dominicalis eo annò erat D. vt videre est in Canone Paschali Victorij Aquitani, apud Ægidium Bucherium pag. 68. & Cyclis Dionysij Exigui, & Venerabilis Bedæ. Et probari quoque potest ex ipso Fausto, qui ait, se eo anno quintâ Epiphaniorum Sabbati iter arripuisse. Quod si quintâ die Epiphaniorum, siue quintâ die infrà octauam, cui respondet littera C. fuerit Sabbatum, consequens est vt Dominicalis littera fuerit D. Sed de tertio non leuis superest difficultas, quæ Scriptorum quorumdam mentem diu torsit, quomodo scilicet, S. BENEDICTVS in Paschatis obierit peruigilio; cùm anno Christi 543. iuxtà prædictos Victorij, Dionysij & Bedæ Cyclos inciderit in Nonas siue diem quintum Aprilis.

Soluitur difficultas mota circa vigiliam Paschatis quâ obiit S. Benedictus.

Ad hanc difficultatem ita respondet Christianus Massæus: *Noueris ergò temporibus illis, quo die Pascha celebrandum esset, sæpe fuisse dubitatum; quod nouus Dionysij Cyclus, non esset receptus omnibus, & Cyclus Victorij, quo tunc vtebantur, ostenderet diem Paschæ incidere decimo nono Aprilis, & maluisse vigesimo secundo Martij celebrare, & voluisse pro Embolismo communem annum obseruare.* Sic ille. Non fuisse autem passim receptum Dionysij Exigui computum, & præsertim in Galliâ, satis patet ex Concilio Aurelianensi quarto, biennio ante obitum S. BENEDICTI celebrato, in quo Canone primo præcipitur, *Vt sanctum Pascha secundum Laterculum Victorij ab omnibus sacerdotibus vno tempore celebretur, de quâ solemnitate quoties aliquid dubitatur; inquisita vel agnita per Metropolitanos à sede Apostolica, sacra constitutio teneatur.* Bucherius verò in Commentario suo ad Victorij Canonem Paschalem, cap. 10. ait, *eum in Galliis per hæc tempora cum dubio receptum, quibus Romani Italiq; nouos Dionysij Cyclos Victorianis anteferre incipiebant.* Ibidemque Gregorium Turonensem allegat lib. 5. hist. Franc. cap. 17. dicentem, *Quosdam in Galliis cum Hispanis duodecimo Kalendas Aprilis Pascha celebrasse, se verò cum multis ciuitatibus decimo quarto Kalendas Maias.* Accidit id anno 577. Cùm igitur, S. BENEDICTI sæculo, non rarò dubitaretur, quo die Pascha esset celebrandum, & in dubio ad sedem Apostolicam Aurelianensis Synodus iuberet recurri, credendum asserenti Fausto 22. Martij celebratum, quocumque tandem vsi fuerint Cyclo. Atque hæc satis, ni fallor, fuerint de anno Christi, quo ex hâc vitâ S. BENEDICTVS migrauit.

Quo ætatis anno decesserit.

Ex his porrò difficile non fuerit eruere, quo id suæ ætatis contigerit anno. Si enim, vt initio libri diximus, natus sit anno Christi 480. obieritque anno 543. planè efficiuntur anni sexaginta tres; quos ei tribuit Yepez, & Franciscus Biuarius Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Cisterciensis, qui in Commentario ad Chronicon Lucij Dextri, anno Christi 48. ait B. BENEDICTVM, Bernardum, ipsamque sacratissimam Virginem Mariam anno climacterico, siue sexagesimo tertio ætatis suæ obiisse. Idipsum tradit Stephanus Binet loco superiùs citato. Christianus Massæus Chronicorum lib. 12. paulò aliter colligit ætatem S. BENEDICTI. *Suscepit*, inquit, *habitum religionis, anno ætatis suæ decimo quinto. Vixit Monachus annis fermè quinquaginta, non vltrà, quod quidam falsè putauerint.* Ex quo computu efficiuntur anni vitæ circiter sexaginta quinque. Subiicit deinde alium calculum, aitque; *Cùm S.* BENEDICTVS *esset annorum quadraginta duorum, Maurum annos natum duodecim Monachum fecit, anno dehinc vigesimo misit eumdem ad Gallias mense Ianuario.* Cùm autem eodem anno S. BENEDICTVS obierit, iuxtà hanc supputationem efficerentur anni sexaginta duo; quos si intelligas completos, vt quod à Ianuario ad Martium vsque excurrit, non veniat in computum, res efficeretur plana, si in anni exordio natus esset S. Pater: sed cùm id nemo prodiderit, non possumus hic planè exactum exhibere calculum. Longiùs porrò abit Marianus Scotus, qui anno Christi 603. ita scribit: *Nisi enim in anno 96. obiisse negetur, ante istum annum, obitus eius non habetur: quia tunc ætate valdè paruulus fuit: in hoc autem anno ætatis suæ plus minusue 90. obiisse posse videtur.* Sed hæc parum subsistere ex superioribus satis patet.

Quâ diei horâ.

Vlteriùs porrò quærat aliquis, quâ diei vel noctis horâ, idem sanctissimus Pater cælestem adierit patriam. Aperit hanc Faustus in vitâ S. Mauri, dicens: *Transactâ iam horâ quasi tertiâ ipsius sacratissimæ diei* (sabbati videlicet sancti) *beatissimus Maurus in Ecclesiâ consistens, & raptus in spiritu vidit sanctum* BENEDICTVM *in cælum tendentem.* Sic quoque Yepez, & Milletius.

Quo tempore de obitus die, edoctus.

2. SVI OBITVS DENVNCIAVIT DIEM.] Circà quod præcisè tempus sancto Patri obitus sui Deus reuelauerit diem, non omninò certum est. Yepez anno Christi 543. cap. 4. ait diuinam maiestatem inter cætera, quæ S. BENEDICTO indulsit priuilegia, & hoc vnum tribuisse, quòd ab anno mortis suæ præsciuerit horam, quodque in obitu S. Scholasticæ vltimum ei eius rei miserit nuntium, & iam tum ad portam pulsaret. Faustus in vitâ S Mauri refert iam tum cùm Legati Cœnomanensis Episcopi religiosos in Galliam mitti peterent, sciuisse *finem dierum suorum iam iam imminere, secundum quod Spiritu sancto didicerat reuelante.* Quodque S. Pater idipsum toti reserauerat Congregationi, quæ ob decretum S. Mauri decessum vehementer lugebat. Cùm autem Legati venerint sub finem anni 542. tribus, aut ad summum quatuor mensibus obitus sui diem fratribus intimauit, quem & S. Maurus, eiusque sodales tum præsentes, antequam in Galliam abirent, cognouerunt. Non videtur autem de suâ morte certiores fecisse discipulos, ne nimis forsitan eos contristaret.

3. QVALE SIGNVM FIERET, QVANDO EIVS ANIMA DE CORPORE EXIRET.] Explicat inferiùs hoc ipso capite Gregorius, signum hoc fuisse, stratam illam palliis, atque innumeris coruscam lampadibus viam, quâ S. BENEDICTVS cælum ascendit, aitque, *Sicut præsentes discipuli sancti viri obitum viderunt; ita absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, eumdem agnouisse.*

Sanus existens tumbam sibi parari iubet.

4. ANTE SEXTVM SVI EXITVS DIEM.] Malè Ribadeneira, eiusque interpretes habent, ante sex menses. Apertum enim fuerat sepulchrum, quod sibi S. Pater destinauerat, iam ab vno mense, cum eò scilicet illatum est corpus sororis suæ S. Scholasticæ: quod deinde clausum ante sextum obitus sui diem, Dominicâ scilicet palmarum, quæ tum in 15. diem Martij incidebat, iussit aperiri; sanus vt apparet & incolumis, mortis tamen ex diuinâ reuelatione præscius. Nam post apertum eo iubente sepulchrum, subiicit Gregorius: *Mox correptus febribus; acri cœpit ardore fatigari*; vt ita passioni Christi, quam illâ hebdomadâ Ecclesia solemniter recolit, per patientiam participaret.

Disceret & Christo cum moriente mori.

5. APE-

CAPVT XXXVII.

5. APERIRI SIBI SEPVLTVRAM IVBET.] Rectè ait, APERIRI, non enim tunc primum ei sepulchrum factum; nam vt suprà vidimus, corpus S. Scholasticę ad monasterium delatum in sepulchro, quod sibi ipse S. Pater parauerat, poni iussit. Obiit autem illa quadraginta ante S. BENEDICTVM diebus: præscius ergo mortis suæ, de sepulturâ sibi prospexit. Aut profectò iam pridem sepulchrum sibi parauerat, vt mortis memoriam, sibi suisque refricaret, qui in Regulâ præscripserat: *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.*

Cur id fecerit.

Cap. 4. Reg.

Semper aliquod sepulchrum apertum habere Benedictinis olim vsitatum.

Notat verò Auctor disceptationis historicæ de Antiquitate Benedictinorum in Angliâ tract. 1. sect. 1. §. 21. pag. 181. antiquissimam Ordinis fuisse consuetudinem, *Vt semper in Ecclesia aut claustro vnum haberetur sepulchrum apertum, quo memoria mortis fratribus iugiter imprimeretur, & hoc plerumq; sibi aperiri faciebant ipsimet Prælati*: quod probat ex S. Gregorio, qui Dialogorum lib. 4. cap. 46. narrat Monachum quemdam Merulum, in visione nocturnâ vidisse sertum floridum capiti suo cœlitus imponi, qui post paucos dies defunctus est: *Ad cuius,* inquit, *sepulchrum, dum Petrus, qui nunc monasterio meo præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, vt asserit, de eodem sepulchro fragrantia suauitatis emanabat, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata.* Ante mortem ergò de morte, & tumulo Abbas cogitabat, & sepulchri inspectione eiusdem se identidem commonefaciebat. Idem Gregorius lib. 3. Dialog. c. 23. refert Presbyterum monasterij B. Petri, apud Prænestinam vrbem, cùm exitûs sui per reuelationem factus esset certior, ab Abbate petiisse, quatenus ei concederet, vt sibi sepulchrum pararet, cui ille respondit: *Ante te quidem ego moriturus sum, sed tamen vade, & sicut vis præpara sepulchrum tuum.* Sic de Ioanne Eleemosynario narrat Leontius in eius vitâ, cap. 18. iussisse eum, dum adhuc viueret, sibi monumentum ædificari, imperfectum verò manere vsque ad obitum suum, & celebrioribus festiuitatibus præsente Clero à quibusdam sibi dici: *Domine monumentum tuum imperfectum est, præcipe ergò vt consummetur, eò quòd nescias quâ horâ fur veniat.* Non dissimiliter Maximilianus Imperator *sarcophagum cum omni supellectile libitinaria clam parari iussit, eumq; omnibus expeditionibus secum vexit, & quam diligentissimè singulis noctibus conseruari iussit. Arbitrabantur pleriq; Aulici, thesaurum aliquem illic conseruari: alij nonnihil librorum, quibus historiæ veteres continerentur. Cæsar verò subridendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissima vsum, deferri illum dicebat.* Ita refert Reinhardus Lorichius Hadamarius. Hoc autem, vt religiosum in Imperatore, ita minimè alienum à Religiosis Benedictinis, qui lugubri habitu mortis memoriam repræsentant.

Idem S. Birgittæ à Christo præceptum.

Vnde Christus Dominus in Regulâ S. Birgittæ traditâ cap. 27. tale hac de re præscripsit decretum. *Fossa quædam in monasterio instar sepulchri, loco debito habeatur quotidie aperta, ad quam post tertiam omni die egredientur sorores, & incipiente Abbatissâ modicum terræ duobus digitis, legant psalmum De profundis cum Collecta. Feretrum quoq;, cui modicum terræ superimponitur, ante ingressum Ecclesiæ iugiter statuatur, vbi ab ingredientibus semper videri possit, vt videntes hoc, memoriam mortis in mente habeant, & legant in cordibus suis, quod terra sunt, & in terram reuertentur.* Ita ibi. Quâ fortè mente & S. BENEDICTVS monumentum sibi ante obitum præparabat, & aperiri tempestiuè iubebat.

6. EXITVM SVVM DOMINICI CORPORIS ET SANGVINIS PERCEPTIONE MVNIVIT.] Quantâ id factum deuotione, à tanto præsertim viro, cogitari potest, explicari non potest. Fratrum quoque cum in illâ hora munitum fuisse precibus, dubitandum non est; imò id asserit Compilatio Chronologica, quæ habetur inter Scriptores Germaniæ editos à Ioanne Pistorio Nidano, in quâ dicitur; S. Pater *inter manus orantium & psallentium discipulorum acceptâ communione sacrâ, stans ante altare emigrasse.* Idipsum S. Maurum, Romanum, aliosque in Galliâ fecisse legimus. Postquam enim Maurus B. Romano dixit: *Crastinâ die beatissimus Pater noster* BENEDICTVS *terreno deposito corporis onere cælestem gaudens & hilaris scandet ad patriam, ilico in lacrymas Romanus est resolutus. Quem Beatus Maurus consolari cupiens, aiebat: Gaudere potius, quam flere de eius migratione debemus; quia & Patronum magnum præmittimus, & præsentiorem eum nunc, quàm si carne viueret, sumus habituri. Hæc tamen dicens, nec ipse à fletu se poterat cohibere. Noctem verò sequentem tam B. Maurus & nos* (inquit Faustus) *qui cum eo ibamus, quam S. Romanus cum aliquibus discipulis suis totam peruigilem duximus, vnusquisque nostrûm secreto apud se, vt in illis diebus in Ecclesiâ Romanâ mos erat, psalmos & orationum preces deuotè pro exitu eiusdem Patris nostri Deo dilectissimi* BENEDICTI *consummantes.*

S. BENEDICTVS inter fratrum orationes manusq; expirat.

7. STETIT, ET VLTIMVM SPIRITVM INTER VERBA ORATIONIS EFFLAVIT.] Memoriâ lapsus videtur S. Petrus Damiani, cùm in sermone in vigiliâ S. BENEDICTI dixit: *Vilis decumbens elicio inter paucorum discipulorum manus spiritum reddidit.* Non enim decumbens, sed erectis in cælum manibus, stans, vt hîc ait Gregorius, vltimum spiritum efflauit. Neque si decubuisset, vllo modo opus fuisset inter discipulorum manus imbecillia membra sustentari. Inuictus igitur Athleta, morbo, & morte fortior, illo non superatus, hanc stans excepit. Ita nimirum Flauiorum ille primus dicere solebat, Imperatorem stantem mori oportere. Ita quoque Rex Regum & Dominus Dominantium Christus Iesus stans expirauit. Moriturus Martinus supinus decumbere volebat, vt cælum intueretur, quò anima iam iam erat migratura. S. Amator (vt refertur in vitâ S. Germani) in episcopali sedens solio mortuus est. Pauli Eremitarum Principis corpus exanime ab Antonio inuentum est genibus complicatis, erectâ ceruice, extensisque in altum manibus, ita vt viuere crederetur. Idipsum accidit S. Homobono, qui genibus flexis, dum Missæ interesset officio, Spiritum reddidit Creatori. At gloriosus noster Patriarcha non iacens, non sedens, non genuflectens, sed erectus stetit, tamquam succinctus viator cælestem intraturus Ierusalem.

Dum expiraret, erectus stetit.

Non omittam hic attexere, quæ S. Gertrudis lib. 4. Diuinar. Insinuat. cap. 11. scribit: Cùm enim in eius festo videret in Spiritu ipsum Patrem gloriosum in conspectu fulgidæ Trinitatis, honorabiliter stantem, venustum formâ, aspectuque decorum, & responsorium cantaretur (*Grandis Pater fiduciâ, morte stetit pretiosâ*) ista dixit ad eum: *Quid Pater sancte obtines dignitatis, quod tam glorioso fine ab hoc transisti sæculo? Respondit: Hoc, inquam, quod adhuc ex eò quod vltimum spiritum inter verba orationis efflaui, tam suauiter spiro præ aliis sanctis, quod omnes in afflatu meo mirifice delectantur. Tunc orabat, vt propter gloriam pretiosæ mortis suæ dignaretur cuilibet de congregatione in horâ mortis suæ fideliter adesse.* Cui vene-

De gloriâ S. BENEDICTI insignis visio.

venerabilis Pater respondit: Quicumque me admonere studuerit illius dignitatis, quo me Dominus meus tam gloriosè fine dignatus est honorare ac beatificare, huic ego in horâ mortis suæ tali fidelitate volo adesse, quod certè opponam me illis ex omni parte, quà videro insidias inimicorum nocimini contra ipsum saure, vt meâ præsentiâ munitus, laqueos inimicorum euadat securus, ac cæli gaudia petat sine fine beatus.

Quis ille longiùs positus, cui S. Benedictus apparuit.

8. Dvobvs fratribvs vni in cella commoranti, alteri avtem longivs posito revelatio vnivs atqve indissimilis visionis apparvit.] Alterum hunc longiùs positum fuisse S. Maurum, Yepez & Milletius tradunt. Faustus tamen in vitâ S. Mauri tertium his addit, sanctumque Gregorium de duobus fratribus loquentem, non de S. Mauro, sed de sociis eius intelligit, sic enim ait: *Cùm transactâ horâ quasi tertiâ ipsius sacratissimæ diei (vigiliæ Paschæ) beatissimus Maurus in ecclesiâ consisteret, vt transitum eius* (S. Benedicti), *qualecumque eueniret horâ orando & psallendo præmuniret, longè licet positus, satageret, seq; pauimento in orationem dedisset, raptus spiritu subitò se transpositum in loco, de quo egressi fueramus, vidit; conspexitq; viam palliis stratam, ac innumeris coruscam lampadibus, rectò orientis tramite, ab eius cellâ in cælum vsque tendentem. In quâ etiam visione duos congregationis nostræ fratres socios habuit, cum quibus simul eandem visionem conspexit.* Et posteà subiicit: *Hanc visionem, vnus ex illis duobus fratribus nostris, qui eam simul cum B. Mauro viderunt in nostro morabatur cœnobio, alter verò, vt B. scripsit Gregorius, longiùs positus vidit.* Vbi vides illum longiùs positum à S. Mauro distingui.

Idem spiritus diuersis locis apparet.

Discimus hinc, quod Augustinus lib. de Curâ pro mortuis gerendâ cap. 16. docuit, sanctorum spiritus vno etiam tempore diuersis locis, & magnâ inter se longinquitate discretis aliquãdo apparere.

Quod autem dicat Faustus, Sanctum Maurum in spiritu raptum vidisse transpositum se in locum, de quo egressus fuerat, monasterium puta Cassinense, vt ita grandem hanc videret visionem, de more fuisse Prophetarum: sic enim & Ezechiel se translatum vidit de Chaldeâ in Iudæam: ait enim cap. 8. 3. *Ego sedebam in domo meâ, & senes Iuda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter terram & cælum: & adduxit me in Ierusalem in visione Dei, iuxtà ostium interius.* Aliâ autem translationis formâ Habacuc per Angelum in Babylonem transpositus fuit, ille enim corporaliter; Ezechiel, aliique tantum in spiritu & visione Dei. Commemoratâ porrò hâc visione, subiicit Faustus, vt eam S. Maurus aliis indicarit. *Mox*, inquit, *vt Beatus ad se reuersus est Maurus, ocyùs sanctum Romanum ad nos euocans, cuncta quæ viderat, lucidè nobis per ordinem retulit, diem ibi illam & sequentem Dominicam, quâ specialiter dies Resurrectionis Dominicæ celebratur, solemnem & celebrem omni cum gaudio & lætitiâ peregimus.*

S. Benedicti triumphalis in cælum ingressus describitur.

9. Strata palliis atqve innvmeris corvsca lampadibvs via in cælvm vsqve tendebatvr.] Animaduertis, credo, Lector triumphalem beatissimi Patriarchæ in cælum ingressum: quem admirans condigno elogio prosecutus est Aimoinus lib. 2. de Gestis Francorum cap. 22. *Gloriosus*, inquit, *in sanctis Deus, assiduè sibi placitos mirificans famulos, huic egregio Patri excellentius cæteris iure præbuit iter ad superueniendi: qui in conualle positus lacrymarum, ascensiones virtutum suo in corde disposuerat, scalam Iacob, per quam ascendentes Angeli monstrati sunt, suis proponens sectandam sequacibus. In cuius autem (vt pace omnium loquar Sanctorum) non dicam Martyris, verùm & Apostoli transitu, tam innumeris diuini fulgoris splendens apparuit via luminaribus, vestibusq; ornata nuptialibus. Neque enim in eo calle textile credendum est apparuisse pallium, quo æterna interruptionis migrabatur ad regnum. Nihil porrò mirandum hunc diuinæ latorem legis, hanc in assumptione Spiritus promeruisse gloriam: qui corruptibilis adhuc circumamictus tegmine carnis tantis effulsit miraculorum signis, vt nisi vir toto venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator, simulq; assertor eximius, profectò ab infidelibus tam mirandis derogaretur actibus.* Ita ille.

CAPVT XXXVII.

10. Venerando habitv vir desvper clarvs assistens.] Quis hic vir? Angelum fuisse citato loco, & in sermone de S. Benedicto asserit Aimoinus. Nec improbabiliter, sæpius enim in sacrâ Scripturâ, Angelis nomen viri tribuitur, quòd virili scilicet appareant specie; ita Genes. 18. Abraham tres *viros* vidit, qui Angeli fuerunt. Et 32. *Vir*, id est, Angelus, *luctabatur cum Iacob*. Et Daniel c. 9. ait: *Ecce vir Gabriel quem videram prius.* Zacharias quoque cap. 1. vidit *virum* stantem inter myrteta, quem ipse posteà nominat Angelum Domini. Denique & Christo in cælum sublato, duo *viri* iuxtà Apostolos astiterunt eis dicentes rediturum ita Iesum, quemadmodum vidissent eum euntem in cælum. Sed nos venerandum hunc siue virum, siue Angelum de nostro parente audiamus loquentem.

11. Hæc est via qva dilectvs Domino cælvm Benedictvs ascendit.] Confert, imò præfert hunc S. Benedicti ascensum Aimoinus, serm. de S. Benedicto, raptui Eliæ ad cælum: *Licet*, inquit, *in transitu Eliæ eum comparasse visi sumus, hoc tamen humanis sensibus excellentius fore creditur, quod hic amantissimus* Benedictvs, *non subnectus aut raptus esse, sed conscendisse perhibetur.* Ita ille.

Quid hæc via significet.

Illustrem porrò hanc & insulitatis ornatam tapetibus viam S. Bernardus in Declamationibus, nihil aliud esse ait, quàm vitæ formulam ab eo institutam, quam vt ille seruans ascendisset in cælum, sic omnes; qui eum sequerentur. *Ille*, inquit, *iustorum omnium spiritu plenus, & verè per omnia* Benedictvs *spiritualem nobis erexit scalam, cuius vtiq; summitas cælos tangit, quod in eius glorioso transitu euidenti legimus miraculo commendatum.* Allatâ autem S. Gregorij narratione, verbis tandem illis, *Hæc est via quâ dilectus Domini cælum* Benedictvs *ascendit*, subiungit: *Quæ est enim via ab eius cellâ progrediens, nisi Ordo quem idem vir beatus instituit, & forma vitæ, quæ ab eo sumpsit exordium? Quâ nimirum viâ Domini dilectus ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere, quam vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius vtcumque student inhærere vestigiis, ipsum Præceptorem præuiumq; sequuntur. Neque venire aliquatenus in dubium potest: quin omninò sit sacer modus conuersationis, & diuinâ magis inspiratione atque consilio, quam humanâ prudentia vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem* Benedictvs *obtinuit.* Ita Bernardus. Cui consentit piissimus Cardinalis Petrus Damiani Opusc. 36. cap. 16. *Piâ*, (inquit, *fide credendum est, quia scala illa, quæ de Cassino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc palliis strata;*

CAPVT XXXV.

strata, lampadibusq́; coruscat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem: nec ab eius glorioso tramite exorbitant declinantes iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viuerent, vestigia sunt secuti. Ita ille.

Per scalam religiosum institutum frequenter significatur.

Neque noua est horum Sanctorum hæc expositio, vt per *Scalam* Ordo religiosus, eiusve Regula & disciplina intelligantur: Nam & Basilius in Psal. 1. *Studium pietatis*, ait, *assimilari* Scalæ *illi, quam vidit Iacob.* Et Orsiesis Patris sui Pachomij Regulas *Scalam* appellauit, dicens: *Traditiones Patris nostri* Scalas *putemus ad cælorum regna tendentes.* Et Climacus opusculum suum varijs virtutum exercitijs seu gradibus instructum, *Scalam* appellauit. Huc spectat *Scala* S. Romualdo per visum ostensa, per quam homines in veste candidâ ascendebant & descendebant, eoque Camaldulenses Monachus designari mirabiliter agnouit.

Regula suis obseruatoribus est via scalaq́; ad cælum.

Glorientur igitur Benedictini in Domino, quòd in Regulâ S. BENEDICTI lucidam habeant ad supernam patriam viam, & erectam *Scalam*, per quam post Ducis sui vestigia in cælum ascendant. Liceat hic cum sancto Climaco Confratres nostros exhortari: *Ascendamus, quæso, promptè atque fideliter intellectualem nunc atque cælestem ascensum, cuius quidem initium est terrenorum omnium abrenuntiatio, finis verò charitatis Deus. Ascendite fratres, ascendite, ascensiones in corde promptè disponentes, eiusq́; memores, qui ait: Venite ascendamus ad montem Domini, & in domum Dei nostri: qui perfecit pedes nostros sicut ceruu, & super excelsa statuit, vt viuamus in viâ suâ.* Hactenus ille.

Hoc igitur pacto gloriosus mundi, carnisque triumphator BENEDICTVS per fulgidam hanc exornatamque viam, *Comitantibus*, (vt inquit S. Petrus Damiani) *hymnidicis Angelorum cætibus, ad cælestia regna migrauit. Quis verò explicet quantâ supernorum ciuium congratulatione gloriæ cælestis innexus est claritati? Quantâ exultatione ab Angelis in æterna tabernacula susceptus sit? Quid enim mirum si cælestis Curiæ Senator insignis post felicem obitum, Angelorum petat contubernium, quandoquidem & in carne adhuc corruptibili constitutus, eorum tam sæpè promeruit familiare colloquium.*

Verùm auet iam fortè animus partem aliquam illius spectare fælicitatis, ad quam Patriarcha sanctissimus est translatus, & de torrente voluptatis illius, quo æternum potatur, colligere stillicidia aliqua stillantia super terram. Excepit illa, nobisque propinauit beatissima Gertrudis, ex cuius Insinuationum diuinæ pietatis lib. 4. cap. 11. hæc cape. BENEDICTI, inquit, *Patris nostri sanctissimi festo præclaro, dum sub Matutinis sancta virgo Deo intenderet deuotiùs ob honorem & reuerentiam tanti Patris, vidit in spiritu ipsum Patrem gloriosum in conspectu fulgidæ semperq́; tranquillæ Trinitatis honorabiliter stantem, venustum formâ, decorumq́; aspectu. Ex cuius singulis articulis membrorum videbantur mirabiliter germinando prodire rosa pulcherrima, miræ virtutis & vernantiæ, fragrantiaq́; singularis, sicq́; quodlibet membrum ipsius vernabat velut amœnissimum rosetum, quia quælibet rosa de medio sui producebat aliam rosam, & illa vlteriùs aliam, sicq́; plurimæ prodibant de qualibet, quarum qualibet alteri venustate, virtute & varietate suâ præpollebat, & diuersa diuersas amœnitatis sua odorifero virore præcellebant, sicq́; totus floridus & amœnus sanctissimus Pater gratia & nomine* BENEDICTVS, *semper veneranda Trinitati, omniq́; militiæ cælesti miræ & inæstimabilis delectationis incitamentum ministrabat, & ad tanta beatitudinis suæ congratulationem prouocabat. Itaq́; per flores rosarum, quæ de singulis membris eius efflorebant, notabantur singula exercitia, quibus ipse carnem suam domando spiritui subiugauerat, & omnia opera virtutum, quæ peregerat per omnem conuersationem suam sanctissimam, & etiam opera omnium imitatorum suorum, qui eius exemplo & doctrinâ prouocati sæculo abrenuntiantes sub regularis discretionis tramite, viâ regiâ ipsum sequentes, iam ad portum patriæ cælestis peruenerunt, & adhuc vsque ad consummationem sæculi peruenturi sunt. De quibus singulis idem venerabilis Pater singularem obtinuit dignitatem. Pro qua vniuersitas omnium Sanctorum ipsius claritati & fælicitati congaudens Dominum sine fine collaudat. Gestabat quoq́; beatus* BENEDICTVS *velut pro baculo sceptrum quoddam decentissimum gemmis pretiosissimis mirè coruscantibus ex vtraq́; parte mirabiliter perornatum. Quod cùm manu teneret, à parte ad se versâ ex gemmis sceptri arridebat ei fælicitas omnium, qui per regularem discretionem Ordinis sui, vnquam sunt correcti & emendati, ex quâ etiam inæstimabili delectatione diuinæ pietatis afficiebatur. A parte verò alterâ, quæ scilicet versa videbatur ad Dominum, resplendebat decor diuinæ iustitiæ in hoc, quòd illos quos ad tanti Ordinis dignitatem gratuitâ sublimauerat dignatione, culpis eorum exigentibus iusto iudicio condemnando, supplicijs deputauit æternis. Quia quantò quis ad digniorem Ordinem à Domino sublimatur, eò iustiùs indignè viuens condemnatur.* Hactenus S. Gertrudis.

S. Benedicti cælis illata gloria.

Quòd autem ait S. BENEDICTVM singularem obtinuisse dignitatem ex singulis, qui eius vestigia per regularis vitæ tramitem sunt secuti, & quòd ex eorum fælicitate, inæstimabili delectatione diuinæ pietatis afficiebatur, cam nobis innuit sententiam, quæ tradit Sanctos in cælis eorum cingi corona, quos in terrâ ad meliorem vitam conuerterunt. Quod apertis verbis asserit S. Odo serm. de S. BENEDICTO, dicens: *Denique fidelis opinio est, quod vnusquisque Sanctorum cum illis surget in regeneratione, quos Domino acquisiuit.* Et ante eum Gregorius hom. 17. in Euangelia, ita ait: *Quale ei* (Deo) *animarum lucrum de nostrâ negotiatione monstrabimus? Quot eius conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Iudex veniet, & rationem cum seruis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. Ibi Petrus cum Iudæâ conuersâ, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Iudicis conuersam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt.* Sic ille.

Sanctorum accidentalis gloria ex animarum lucro.

Quo sensu fatetur Cornelius à Lapide accipi posse, quod Paulus Philippensibus cap. 4. dicit. *Gaudium meum & corona mea.* Et Thessalonicensibus. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius?* vbi *Corona* accipi potest pro ipsis Philippensibus, & Thessalonicensibus à Paulo conuersis; qui cum in die iudicij stipaturi sunt instar coronæ, de quâ gloriabatur coram Deo, Angelis, & hominibus. Si enim in hâc vitâ parens coronâ filiorum cingitur, &, vt Sapiens ait, Prouerbiorum 17. 6. *Corona senum filij eorum.* Si Princeps suorum coronâ stipatur, & vt de se sanctus Iob cap. 28. 25. ait. *Sedet quasi Rex circumstante exercitu:*

1. Thessal. 2. 19.

quid

quid ni Parentes spirituales, qui filios in æternum victuros cælo genuerunt, eorum vallentur & ornentur coronâ? Ita S. Amandus moriens, & ad cælum conscendens apparuit B. Aldegundi absenti & oranti, augustâ specie, cinctus coronâ albatorum; cumque illa percunctaretur, quis ille esset reuerendus, in quem albati omnes respicerent, ab Angelo audiuit: *Hic est amabilis Deo Amandus, qui à sæculo migrat ad cælum, stipatus sanctis animabus, quas verbo & exemplo ad omnem virtutem instituit*, ac proinde ab eis quasi Pater colitur, *& cum eis ad gaudia Domini tam gloriosus ascendit*. Testis est Auctor vitæ S. Gisleni cap. 12. & Auctor vitæ sanctæ Aldegundis cap. 17. apud Surium tom. 5. & 6.

Hâc porrò suppositâ sententiâ, expendit S. Odo magnam gloriam & dignitatem S. P. N. BENEDICTI. *Illius*, inquit, *laudes, non vna vox, non vna congregatio, neque vna vrbs vel prouincia proclamat: sed vbicumque sancta Ecclesia diffunditur per tribus, per nationes, per linguas laus* BENEDICTI *frequentatur. Si enim in multitudine populi dignitas Regis est, vt ait Salomon; quantam putamus esse dignitatem istius Regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus Monachorum. Quis vnquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperauit, aut ex tam diuersis nationibus sibi tantas legiones conduxit, quantas videlicet iste, cuiuslibet sexus & ætatis, in Christi militiâ, voluntariè iuratas disponit? Quem quasi præsentem intuentes, & vexillum institutionis sequentes, diabolicas acies viriliter infringunt. Quibus illud Propheticum coaptatur: Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Denique fidelis opinio est, quod vnusquisque Sanctorū cum illis surget in regeneratione, quos Domino acquisiuit. Cùm igitur vniuersi huiusce institutionis eius sequaces, in vnum coacti fuerint: quale signū Apostolatus* BENEDICTO, *tunc ille copiosus exercitus, seipsum exhibebit.*

Serm. de S. Bened.

Prouerb. 14. 28.

Isaiæ 30. 21

S. verò Petrus Damiani homil. 9. de S. Bened. eodem sensu, ita de suo Parente loquitur: *Hoc solum dixisse sufficiat, quia solus ille militarem manum excelso Principi cæteris abundantius præsentabit, & monachorum turmis, Angelorum more viuentibus, cælorum adimplebit palatia. Quàm igitur refulgent & splendidus miles astabit imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, consiliarius Regis, Iudicis amicus, vnicus hostis hostis antiqui.*

12. SEPVLTVS EST IN ORATORIO BEATI IOANNIS BAPTISTÆ.] Sic quoque Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. 1. cap. 1. vnde miramur Faustum in vitâ S. Mauri scripsisse sepultum in Oratorio S. Martini: ita enim ait: *Nam sicut sanctissimus* BENEDICTVS *in Oratorio eiusdem beatissimi Martini, in quo destructâ arâ Apollinis, eius memoriam posuerat, se sepeliri iusserat: sic perfectissimus eius discipulus, ne vel in sepulturâ ab eius videretur discrepare qualitate, in domo eiusdem orationis se præcepit tumulari.* Fuerat forsitan hic lapsus memoriæ, aut ita reuerà Faustus existimauit, vel acta eius postcà deprauata. Trithemius quoque lib. 1. de viris Illustr. Ordinis S. Bened. cap. 1. ait sepultum *in Ecclesiâ S. Martini, quam ipse in eodem cœnobio construxerat*. Lib. tamen 3. cap. 1. id corrigens, asserit sepultum in Oratorio suo, quod in laudem S. Ioannis ipse construxerat.

S. BENEDICTVS sepultus in sacello S. Ioannis.

Cæterum, vt alibi probauimus, erat tum hoc S. Ioannis Christi Prodromi Oratorium extrà Cassinensis Monasterij ambitum; nunc verò summum eò loci est altare, in ipso culmine montis: verùm sub ipso hoc altari spatiosa & illustris est crypta, habens fenestras orientem versus, in quam descenditur per duas portas, & vnum & triginta gradus, qui sunt hinc inde in extremitatibus suppedanei maioris Altaris. Dextræ autē portæ incisū hoc distichon:

Descriptio cryptæ in quâ S. BENEDICTI Sepulchrū.

Quisquis es ingredere, & BENEDICTI corpus honora,
Corde humili, flexo poplite, mente piâ.

Sinistræ verò istud:

Æde sub hac celebri Scolastica virgo quiescit,
Quam tibi fauturam solicitato prece.

Tria sunt in hâc cryptâ altaria, medium autem directè est sub sepulchro S. P. N. BENEDICTI, & sororis eius Scholasticæ. In ipso autem choro, qui retrò summum altare est, situm est S. P. N. sepulchrum, iuxtà posteriorem, siue aduersam altaris partem, estque instar parui cuiusdam altaris, binis marmoreis columnis sustentatum; sub quo duæ continuò lucent lampades. In pauimento ante hoc sepulchrum, marmoreæ tabulæ hæc insculpta verba: *Diui P.* BENEDICTI *eiusq; sororis sacræ virginis Scholasticæ sepulchrum, quorum mens vt semper in Deo vna fuit, ita eorum corpora nec sepultura separauit.* Hæc ex Milletio.

Sed quæret curiosior fortasse Lector, num antiquitus sepulchro S. Patris BENEDICTI nullum fuerit appositum Epitaphium, præsertim cùm ex discipulis eius non deessent eruditione præstantes, qui pro suo in communem Patrem affectu id facilè possent componere. Sed hactenus nullum mihi reperire contigit, nisi quod Syluester Maurolicus lib. 1. historiæ sacræ omnium Religionum, de sancto BENEDICTO agens, in lucem produxit, cui etiam fidem adstruere nititur, hoc ferè modo disserens.

An Epitaphio honoratus.

In vetustissimo codice, qui anno 1584. ad nostras manus deuenit, cùm multas prouincias de mandato Regis Catholici Philippi II. peragraremus ad conquirendum manuscriptos libros pro instruendâ Bibliothecâ S. Laurentij in Escuriali. In quo codice mentio fit dignitatis & magnificentiæ sacri Cœnobij Cassinensis transituśq; B. P. BENEDICTI *& sepulchri eius hoc Epitaphio exornati:*

NVRSIA ME GENVIT, SPECVS OBTVLIT ALTA, CASINI
ME RAPVIT VERTEX, AVLA BEATA TENET.

Mirum non est hoc Epitaphium cum aliis multis rebus scitu dignissimis hominum memoriæ excidisse; quod etiam non meminerit Cassinense Chronicon, quod locus destructus fuerit desertus nec inhabitatus, cùm se ad Lateranensem recepissent Basilicam. Hactenus ille.

DE
FORMA CORPORIS
S. P. BENEDICTI.

MOnumenti & Epitaphij vice lubet hîc appendere tabellam quandam, in quâ rudi mineruâ sanctissimi Patris effigies, animique dotes extremis veluti lineamentis spectanda proponantur; quam quidem eius honori & memoriæ dicatam, excitando quoque in filiis eius æmulationis studio optamus deseruire.

Primùm agam de corporis staturâ. Quamuis enim parum referre videatur, breuisne an longus aliquis fuerit Sanctus, in quo non corporis moles, sed animi præsertim spectantur dotes; quia tamen vt inquiebat ille:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus;

in externam quoque sancti Patris nostri speciem, aliorum exemplo inquirendum duximus. Com-

Q   muni

CAPVT XXXVII.

S. Benedictus procera fuit statura.

muni autem traditione proceræ fuisse dicitur staturæ, quæque ad longiorem accederet propius, vt mentis celsitudinem ipso præferre corpore videretur. Corporis autem magnitudo pulchritudinis magna pars esse dignoscitur. Aristoteles enim Ethicorum lib. 4. cap. 3. ait: *Magnanimitas in magnitudine consistit, perinde ac pulchritudo in magno corpore: nam parui elegantes & concinni, non autem pulchri dicuntur. Etiam barbaris hominibus*, inquit Curtius, *in corporum maiestate veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces putant, quam quos eximiâ specie natura donare dignata est.* Et iunior Plinius: *Proceritas corporis, honor capitis, & dignitas oris, longè latéq; Principem* (Traianum) *ostentabant.*

Eius rei indicia.

Proceritatem autem S. Benedicti, & dignam imperio formam probat Prudentius Sandoual parte prima Fundation. Monaster. Hispaniæ, ex signo rupi cuidam impresso. Declinãs enim Florentij inuidiam, cum Cassinum montẽ ascenderet, dæmon boni osor sanctum virum apprehendit, & magno impetu rupi cuidã allisit, quæ quidẽ seruo Dei adeò se mollem præbuit, vt corporis formam ceræ instar retinuerit impressam. Quod quidem ea loca inuisentibus, à Monachis passim ostenditur, & in veneratione habetur: spectare autem licet tibias, musculos, humeros, aliasque corporis partes ita distinctè expressas, quasi saxo forent insculptæ.

Alterum non dissimile signum Sublacensis populus, quem *Knytam* (vulgariter *Rosate*, oppidum mœnibus cinctum) vocant, ostendunt. Cùm enim hos sub vesperum S. Benedictus adiret, ceu contagio laborans ab illis reiectus est. In proximum igitur se conferens campum, in asperâ quâdam decubuit rupe, quæ mollem ei exhibuit lectulum, inditamque retinuit corporis figuram.

Quæ duo ne suprà fidem censeantur, simili Saluatoris nostri possunt illustrari exemplo. Daniel enim Mallonius in explicatione sacræ Sindonis c. 2. num. 17. refert Christum infantulũ in Ægyptum fugiẽtem, ad Nyli fluuium à Deiparâ virgine marmori fuisse superpositum, donec madidæ eius vestes exsiccarentur, eidem autem marmori corpusculi sui figuram insculpsisse, quæ ad hæc vsque tẽpora Ægyptum peragrantibus ostendatur. Idem cap. 19. hæc habet Borchardus in descriptione Terræ sanctæ part. 1. c. 6. §. 8. refert in vrbe Nazareth in deflexu supercilij collis, vnde impij Nazareth accolæ Christum præcipitem agere decreuerant, locum etiam nunc videri, vbi Christus, quod transiens per medium illorum ibat, se abscondit, contrahente se rupe, ei intra se suo opifici parante latibulum, in quo tuge vestimentorum, & pedum Christi vestigia impressa cernuntur. Sic ibi. Idemq; refert Petrus Comestor hist. Euangel. c. 72. De S. quoque Wolfango in solitudine degente, apud Raderũ Bauariæ Sanctæ volumine primo, ita cecinit Philippus Menzelius:

Forte fatigatos somnus tibi longior artus
Presserat, in festis iam clarum mane diei
Productus, cùm tu domitor, censorq; tuimet,
Ante alios asper, tibiq; ipse ignoscere durus,
Vt sua tam lentum multaret pœna veternum,
Hac ad saxa ruens; plantasq;, manusq; pedesq;
Feruidus aggrederis violento allidere pulsu,
Ecce autem (res mira) manus, plantasq; pedesq;
Accipis immersos, natiuum oblita rigorem,
Nuda silex: ceditq; locum mollissima tactu,
Ductilis in modum argilla ceræ te loquentis.

Sed vt ad S. Benedictum, cuius hac occasione inseruimus, reuertamur, limpidissimum hodieque posterior illa rupes, quæ eius refert figuram, desudat liquorem, quo in morbis, & oculorum præsertim imbecillitate vti consueuerunt. Vtraque hæc corporis forma saxo impressa septem pedibus paulò maior est.

Varro autem primo Hebdomadum, modum dixit summum adolescendi humani corporis, septem pedes. Et Einhardus staturam hanc censuit modum non excedere. Sic enim de Carol. Magno scribit: *Staturâ fuit eminenti, quæ tamen iustam non excederet. Nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse figuram.* Sidonius tamen Apollinaris, carmine 12. ad Catullinum *Septipedes patronos* vocat *Gigantes.*

Christi Domini & aliorum Sanctorum procera forma.

Laudantur autem à corporis proceritate etiam SS. Patres, Gregorius Magnus, Basilius, Augustinus: & quod caput est ipse hominum & Angelorum caput, Christus Iesus, quem fuisse staturæ mediocriter proceræ, ait Epistola Publij Lentuli, cuius ex Eutropio meminit Antoninus in Chronico. Consonat & altera epistola Pontij Pilati apud Hegesippum lib. de Excidio Hierosolymitano, & Franciscum Samarinum quartâ parte Sacerdotalis, quæ ait Christum fuisse *hominem præ cæteris mediocrem.* Beatissima Virgo apud S. Birgittam lib. 4. Reuelat. cap. 70. dicit *Christum inter medios moderni temporis fuisse magnum.* Nicephorus porrò lib. 1. historiar. cap. 40. ex antiquis monumentis tradit Christum fuisse septenûm palmorum, siue ternum cubitorum & semis, id est, staturâ satis procerâ: nam maxima non solet octauos palmos, siue quaternos cubitos excedere, vt ex Aben-Ezra tradit Genebrardus in Psal. 44.

Ad Saluatoris ergò nostri staturam S. Benedictus proximè accesserit, vel eam etiam modicè excesserit, de quâ Yepez noster ita ait: *Fuit S. Benedicti corporis staturâ procerâ, sed quia iustam non excederet proportionem, visus est grauis & seuerus, subinde tamen gratus & hilaris: crines tam capitis quàm barbæ albi, tam decenter compositi, vt non modicam ei conciliarent authoritatem, maiestatemq;.* Vultus ergò compositio, & totius corporis habitus, probitatem indicabant mentis: quod & indicat Ecclesia in Officio ita canens: *Erat vir Domini* Benedictus, *vultu placido, canis decoratus angelicis* (sic habet Breuiarium Cluniacense & Cassinense, nunc in Monastico legitur, *moribus decoratus angelicis*) *tantaq; circa eum claritas excreuerat, vt in terris positus, in cælestibus habitaret.* Sic & de S. Stephano, Hilarius Arelatensis in homiliâ ait: *Abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiasse, & cùm haberet in se Spiritum sanctum, os præ se gestasse Angelicum.*

Externa S. Benedicti species aliis solatio, aliis terrori fuit.

Iusti aspectus, ait Ambrosius in Psal. 118. oct. 10. *perfectioribus lætitia est, aliis verò admonitio correctionis.* Appparuit id in S. Benedicto, ad quem videndum plurimi accedentes, non modicam retulerunt consolationem, aliis porrò terrorem incussit. Nam qui solo aspectu ligata rustici brachia exsoluit, idem Zallam ad terrã prostrauit, & rigidæ crudelitatis ceruicem suis subiecit vestigiis. Totilæ quoque Regis Spatharius ad aspectum, & vocẽ viri Dei consternatus cum sociis in terram cecidit, nec vllus ad eum propinquare præsumpsit. Ipse Totila eminus sedentem intuitus, non ausus fuit accedere, sed in terram se prostrauit; è quâ nec surgere ausus fuit, nisi eum vir sanctus erexisset. Sed in his fatendum externam vultûs maiestatem morumque decentem grauitatem à diuinâ plurimùm gratiâ fuisse adiutam, Archebius Episcopus

apud

apud Cassian. Collat. 11. cap. 2. de Monachis quibusdam refert: *Quorum sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, vt vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam.* De Sereno idem Cassian. Collat. 7. cap. 1. ait: *omnes virtutes, non solùm in eius actu vel moribus, sed etiam in ipso vultu per Dei gratiam refulsisse.*

De sermone autem quid dicam? cum cõstet eum blandè & placidè fuisse locutum, cuius colloquium omnes passim ambiebant, & Gregorio teste: *vix ipsa communis eius locutio à virtutis erat pondere vacua, quia cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant.*

Curiosior quispiam interrogauerit, an S. BENEDICTO promissa fuerit barba. Variant hîc picturæ, etiam satis antiquæ, vt hîc vsurpare illud Venusini Vatis liceat:

——— Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

S. BENEDICTI barba non promissa, sed tonsa, aut rasa.

Quamquam verò crediderim similius, cum ritum æui sui secutum, & barbâ tonsum aut rasum fuisse, prout in Occidente passim Monachi, & præsertim in Italiâ & Romæ. Paulinus enim epist. 7. Monachos vocat *castâ informitate ad cutem cæsos & prærasos.* Vnde Prosper Stellartius lib. 3. de Coronis & tonsuris cap. 18. negat S. Augustinum incessisse barbatum, vt pingi communiter solet, & citatus ab eo Ludouicus ab Angelis lib. 4. de vit. & Laudib. S. Augustini cap. 2. ait: *Africani Ecclesiastici Romanam semper Ecclesiam imitati, barbam minimè prolixam gerebant. Barbam etiam gestauit* (Augustinus) *decenter abrasam more Latinorum, qui à Græcis & barbaris distinguebantur imberbes, etiam sæculares; nec enim vsum barbæ prolixæ susceperunt, nisi post Augustinum in Africâ celebrem.* Quin ipse Augustinus lib. de Opere Monachorum cap. 33. obiurgat intonsos Monachos: *Sunt alij quos isto sermone corripimus, illos autem qui vno* VITIO CAPILLORVM, *contrà præceptum Apostoli* DEMISSORVM, *offendunt & perturbant ecclesiam.* Et constat regnantibus etiam Gothis in Italiâ, (vt obseruatum à Baronio anno 58.) eundem morem esse seruatum: quamobrem Ennodius Ticinensis suis versibus vehementer exagitauit hominem, qui more Gothorum prolixam gestaret barbam, & secundum Romanorum consuetudinem lacernam indueret, hæc enim habet in Iouinianum.

Barbaricam faciem Romanos sumere cultus
Miror & in modico distinctas corpore gentes.

Ac iterum.

Romuleam segetem vox oris nubila fuscat:
Oppressit vestes tenebroso tegmine vultus.

Idemque rursus.

Nobilibus collis genium mala compta lacernis,
Discordes miscent nimis fœdere proles.

Hæc Ennodius in Iouinianum, quòd haberetur loco prodigij lacernatum hominem gestare barbam. Ennodius autem iste S. P. N. BENEDICTO contemporaneus fuit, & cum ista scriberet, iam tum maximam monachorum multitudinem, in ædificatis à se monasteriis S. BENEDICTVS collegerat; atque inter eos etiam Gothos ad conuersionem venientes iam susceperat, vt ex vitæ eius historiâ patet.

Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 6.

Sed & inde colligere liceat S. BENEDICTI barbam fuisse rasam, quod discipuli eius passim ita depinguntur, & ab illis monasticâ tonsurâ ad alios plerosque Ordines, qui deinceps in Ecclesiâ sunt instituti, translata sit. Vide plura in *Disquisitionibus*, vbi de Monachorum barbâ tractauimus.

De S. BENEDICTI vestibus. CAPVT XXXVII.

NON prætereunda hoc loco videtur disquisitio, de S. BENEDICTI indumentis: volupè enim filiis est, vel minima quæque Patrem concernentia cognoscere. Hinc tam accuratè ab aliis de habitu S. Augustini & S. Francisci disputatum inuenimus. Et sanè ipse Spiritus sanctus amictum Eliæ, & Ioannis Baptistæ, qui Monachorum, teste Hieronymo, fuerunt Principes, in sacris litteris iudicauit exprimendum. De illo enim 4. Regum cap. 1. scribitur. Quod fuerit *vir pilosus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus.* De hoc autē, qui in Spiritu & virtute Eliæ Saluatorē præcessit, Matthæus cap. 3. ait: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.*

S. BENEDICTVS vestibus quas in Regulâ præscripsit, vsus.

Vt igitur de S. BENEDICTI vestibus, quantum quidem cognoscere datum fuerit, agamus, illud ex Magni Gregorij testimonio supponimus, sanctum virum, *nullatenus potuisse aliter docere, quàm vixerit, omnesq; Magisterij illius actus, mores, vitamq; eius in institutione Regulæ inueniri.* Fuerit proinde, tot, talibusque indutus vestibus, quot, qualesque in ipsâ suâ Regulâ expressit. In eâ autem cap. 55. singulis Monachis assignat: *Cucullam, & Tunicam, & scapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules & caligas, de quarum omnium rerum colore, aut grossitudine non causentur Monachi.* Zonam autem siue cingulum his addendum ex cap. 22. vbi ait: *Singuli dormiant vestiti, cincti cingulis, aut funibus.*

Habuisse porrò S. Patrem hæc ipsa, quæ Monachis suis præscribit indumenta, apud S. Birgittam lib. 4. Reuel. cap. 127. Filius Dei his verbis declarauit: BENEDICTVS *famulus meus habuit corpus suum quasi saccum, qui habuit quintuplicem vestem. Prima fuit tunica aspera, quâ domuit carnem & motus inordinatos, ne lasciuirent, & non excederent metas suas. Secunda vestis fuit Cuculla simplex, non accurata, nec rugosa, quæ tegeret & ornaret, & calefaceret carnem, ne videntibus horror esset. Tertia fuit scapulare, quo ad laborem manuum promptior & expeditior inueniretur. Quarta vestis fuit, munimentum pedum, vt esset agilior, & humilior ad ambulandum in viâ Dei. Quinta fuit cingulum humilitatis, quo præcinctus restringeret superflua, & expeditiùs laboraret consuetum & iniunctum laborem.* Sic ibi.

Vestes S. BENEDICTI ex lanâ.

Circà hæc autem inquiri posset de earumdem vestium materiâ, formâ, & colore. Materiam supponunt passim fuisse ex panno laneo; hinc Glossa in Clementinam *Ne in agro*, exponens ea Pontificis verba: *Statuimus vt superior vestis ipsorũ habitus proxima, nigri, bruni, aut albi coloris existat: ait istos colores permissos, quia sine tincturâ ex lanâ possunt haberi.*

De formâ certiùs aliquid liceret adferre, si ipsum S. BENEDICTI habitum daretur inspicere, aut exactiùs ab antiquis esset descriptus. Exstabat ille tempore Petri Blesensis, qui Epistola 97. ait. *Attendit Dominus mentem non vestem, merita non colorem. In monte Cassino schema monasticũ quo B.* BENEDICTVS *est vsus, vsque hodie, sicut dicitur, perseuerat. Quis audeat tanti Patris habitum blasphemare in filiis? nam si delibutio sancta, & massa: si radix sancta, & rami.* Hoc igitur schemate destituti, formam monastici habitus beatissimi Patris nostri quibuscumque licet coniecturis deinceps inuestigemus. Verosimile autem arbitror eam talem fuisse, qualem nunc ferè conspicimus in antiquis picturis, quamuis non nesciam variè à va-

Qualis forma vestium S. BENEDICTI?

CAPVT XXXVII.

riis repræsentari. Extat porrò in sacrâ S. BENEDICTI specu, antiquissima, quantum apparet, pictura in pariete cuiusdam porticûs, iuxta Oratorium delineata. Ineâ (vt oculatus mihi & fide dignus ex Ordine nostro retulit testis) S. BENEDICTVS cum aliis pluribus cernitur Monachis. Habitus autem eius est lanæ nigræ non tinctæ, siue fuscæ; gestatque scapulare mediocris latitudinis, ad pedes vsque protensum: Caputium quod caput proximè ambit, & ferè stringit, est nonnihil acuminatum, instar Carthusianorum: sunt in eâdem picturâ Monachi plerique eodem modo induti. Videre tamen est & variè vestitos, nigro, tincto, albo, cæruleo, griseo, castaneo, aliisque quibusdam coloribus. Omnes autem scapulare & caputium habent, prout S. BENEDICTVS.

Vt autem de hoc scapulari & caputio, vnum atque alterum addamos verbum, scribit Syluester Maurolicus lib. 1. Oceani hist. sacræ omnium Ordinum in Ioanne Cassiano, fuisse se in Monasterio S. Victoris Massiliæ, ab eodem Cassiano fundato, in quo nunc degunt, vt ait, Benedictini cum antiquissimo illorum habitu, & scapulari largissimo, quod priscum Ordinis nostri affirmabant esse indumentum. Largius autem illud fuisse quàm Congregationis Cassinensis, manifestè satis insinuat, cùm dicit fuisse *largissimum*: quod respectu communium per Italiam scapularium dictum putem; illa enim Messanæ, vbi Syluester degebat, & aliis pluribus, vbi fuit locis, viderat frequentissimè. Non ausim tamen affirmare tale fuisse scapulare S. BENEDICTI. Nam Browerus lib. 2. cap. 16. in Antiquitatibus Fuldensibus, aliud delineat scapulare, ad genua tantùm protensum, & vndique clausum, cui supernè annexum caputium. Theodemarus autem duodecimus post S. BENEDICTVM Cassinensis Abbas, in epistolâ ad Carolum Magnum, aliud describit scapulare, his verbis: *Statuit autem venerabilis Pater vt scapulare monachi propter opera habeant: quod ab hoc scapulare dicitur, quod scapulas præcipuè tegat & caput. Quo vestimento penè omnes in hac terrâ rustici vtuntur. Pro quo tegumento ex grossiore textu ad melotum similitudinem operimentum habemus: nisi quod manicæ in hoc vsque ad manus pertingentes habentur.* Sed hæc alibi discutienda penitiùs.

Caputia veterum acuminata. Iam quòd Caputium dicebatur acuminatim in pyramidem ascendere, id iuxta priscorum Monachorum ritum existimem factum. Nicephorus enim lib. 9. histor. cap. 14. scribit Monachorum Cucullum fuisse acuminatum. Talia quoque fuêre caputia S. Maioli Abbatis Cluniacensis, & S. Bernardi, quæ vidisse se scribit in suâ Politiâ regulari, Parænesi 15. Laurentius Benard: Vtraque, ait, longa erant & larga pedem vnum in quadro, neque suprà tunicam, aut humeros acuminatam caudam reclinabant (vt Benedictinorum Reformatorum, aliorumque mos est) neque rotunda erant, vt caputia Episcoporum; sed acuminatim suprà caput attollebantur. Scribit verò Anastasius Bibliothecarius (vt citat Constantinus Bellottus in suo Gregorio Magno, colloq. 3. pag. 295.) agens de monasterio quodam in Galliâ ædificato à Carolomanno, *Reposuisse in illud Caputium sanctissimi Patris* BENEDICTI *ex villis nigris confectum.* Ex hoc autem, si cui videre concessum esset, certiùs omninò Caputij forma explicari posset.

Superest, vt & colorem habitus inspiciamus. *Clement. Nem agris.* Cùm enim varius ex Regulæ textu iuxtà Clementis V. expositionem concedatur, albus scilicet, brunus, & niger, incertum relinquitur quonam istorum vsus fuerit BENEDICTVS. Boërius ad cap. 55. Regulæ ait: Beatus BENEDICTVS *nigris vestibus vsus traditur in quibusdam antiquis Doctoribus Cassinensibus.* *S. Benedicti vestes nigri coloris.* Idipsum scribunt Declarationes Cassinenses nouissimæ: vti & Camaldulenses. In iisdem vestibus visus subinde in aëre fuit Nursiam patriam suam defendere. De Consaluo Ferdinandez Cordubensi magno militum Ductore traditur, cùm afflictus admodum, & Barulanâ obsidione à Gallis pressus esset; nocte eum ad S. BENEDICTVM (cui plurimùm addictus erat) confugisse: Eo autem dormiente, apparuit illi S. Pater eum confortans, & auxilij securum reddens; hanc tantùm beneficij accepti rédderet vicem, vt ad Cassinatem montem se conferret, idque ageret, monasterium vt illud vniretur inceptæ tum in Italiâ Reformationi S. Iustinæ de Paduâ. Postridie eius diei euocari monachos quosdã iussit, quibus visum explicauit. Verùm cùm duo Montis Oliueti, qui candido habitu sub Regulâ S. BENEDICTI militant, oblati fuissent; non hos, inquiebat se quærere, quod sanctus Pater tali amictu non apparuisset. Euocati deinceps alij fuerunt ex Monasterio S. Seuerini Neapolitani, congregationis S. Iustinæ, quos *nigris* indutos vt vidit: hic, inquit, est habitus quo se sanctus BENEDICTVS mihi videndum obtulit; iisque ex ordine totam visionem enarrauit. Ita refert Yepez in Chronico, ad annum Christi 523. cap. 5. Meminit eiusdem Marcus Antonius Sabellicus lib. 10. exemplorum cap. 6. §. vltimo, & Matthæus Lauretus de existentiâ corporis S. BENEDICTI in monte Cassino, lib. 1. c. 31. & victoriam Consalui ait accidisse anno 1503. Apparuit ergò S. BENEDICTVS in habitu nigro, vt se, suosque Duci Consaluo manifestaret. Quòd si beatæ Elizabeth Schoenaugiensi (vt ipsa refert libro primo Visionum suarum cap. 5.) apparuit aliquando Cucullâ candidissimâ indutus, acciderit id, vel vt animi candorem, & illibatam designaret virginitatem, vel vt cælestis gloriæ, quâ iam erat donatus, significaret claritatem. Ita enim & Ioannes in Apocalypsi cap. 7. *Vidit turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum amictos stolis albis.*

Nigrum autem S. BENEDICTI habitum fuisse, ex perantiquâ Ordinis nostri traditione confirmat Petrus Venerabilis, Cluniacensis Abbas lib. 4. epist. 17. vbi agens de Cluniacensium cum Cistertiensibus contentione, ait: *Habes & tu* (Cluniacensis) *probabilem Auctorem nigredinis tuæ, longissimè à Patribus traditum consuetudinis morem, quo tutior tibi videris sequendo vetera, quàm adinueniendo noua. Tuetur ergo nigredinem tuam paterna auctoritas, quæ omni rationi æquipollet, & quam inferiorem iudicari, ab aliquo sapiente sanum non decet.*

Patrem proximè secutus est primarius eius discipulus S. Maurus, de quo Constantinus Bellottus Colloq. 3. de S. Gregorij Monachatu, ita scribit: *In cœnobio sancti Michaelis Secusiæ cucullum nigri coloris S. Mauri eius discipuli seruari scriptum inueni.*

Sed quale fuit hoc nigrum? artificio tinctum, an naturale, prout scilicet ipsa lana exhibebat? Intelligunt quidam, indumenta S. BENEDICTI nigri coloris naturalis fuisse, & sine vllâ tincturâ: cùm enim voluerit vestium materias eligi, *Quales inueniri possunt in Prouinciâ in quâ degunt, aut quòd vilius comparari potest*, natiuus autem color aduentitio vilior, minorisque sit pretij; hinc probabiliter Reg. cap. 55

colligas

Habitus S. Benedicti fuit coloris nigri naturalis.

colligas vsum S. BENEDICTVM natiuo vellerum colore. Atque ita (vt suprà vidimus) eum repræsentabat pictura illa, quæ in sacrâ Specu visitur. Constantinus Caietanus lib. 2. cap. 3. pro Ioanne Diacono, ita scribit: BENEDICTVS ipse Monachorum parens, ac sacræ eius familiæ alumni, castanei coloris vestibus depicti multis in locis visuntur: ac in primis in Monasterio SS. Bonifacij & Alexij in monte Auentino (quod S. BENEDICTI Monachorum fuisse, nemo est qui ignoret) sub maiori Altari in Confessione, quam vocant, depicti cernuntur ante quadringentos ferè annos, vt inscriptio docet sub fornice altaris S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi sacri, à dextris S. BENEDICTVS Cucullâ coloris castanei indutus, à sinistris autem Gregorius Magnus, cum eiusdem coloris Planetâ, antiquo more cum pallio & Tiarâ pontificiâ. In antiquissimis quoque Hispaniæ monasteriis, ac præsertim in eo S. Æmiliani Abbatis, (quod ipso viuente S. BENEDICTO exstructum est) Item in altero S BENEDICTI Vallisoletani, tabulæ extant & picturæ, cæteraque eius generis monumenta vetustissima, in quibus Monachi cernuntur ante octingentos ferè annos, castanei coloris vestibus depicti. Huiusmodi ergò colorem cum antiquis Benedictinis in vsu fuisse appareat; Conuersi & Commissi nostri Ordinis tam in Italiâ, quàm Hispaniâ & Galliâ, hodieque in vestimentis retinent, antiqui moris vestigia haud dubiè iodicantes. Ita ille. Cuius dicta confirmationem accipiunt ex tunicâ S. Scholasticæ, de quâ Florentius de Bouleoger Ordinis Minorum Recollectorum in tractatu Gallico de clausurâ Sanctimonialium part. 3. cap. 1. §. 1. vbi sic ait: Inuenimus S. BENEDICTI ætate eiusdem Ordinis Monachorum & Monialium habitum coloris fuisse vilissimi, nigri scilicet naturalis, siue subfusci (quem vulgò brunum appellant) ad differentiam nigri artificialis per tincturam inducti. Talis coloris est tunica sororis eius S. Scholasticæ, ex quâ manicâ, aut satis longa eius pars, vnà cum cingulo asseruatur in celebri Monasterio de Inuigni in Lotharingiâ. Eiusdem coloris erat Cuculla S. Maioli Cluniacensis, & S. Bernardi, Laurentio Benard visa, itemque S. Ioannis Gualberti, quæ Florentiæ in Monasterio S. Saluij adhuc religiosè seruatur. Imò hic habitus est Ordinis eius Vallis Vmbrosæ, & Syluestrinorum: vt citato loco tradit Caietanus.

Tunicâ S. Scholasticæ eiusdem coloris, & aliorum Sanctorum.

Atque hæc de corporis specie, & externo S. BENEDICTI amictu satis. Nunc internum mentis habitum intueamr.

TABELLA PRÆCIPVARVM VIRTVTVM S. P. BENEDICTI.

S. Benedictus omni genere virtutum claruit.

PRæuentum in benedictionibus dulcedinis B. P. BENEDICTVM omnium gentium benedictione repletum, omnium virtutum effulsisse insignibus, haud quaquam inficias ibit, qui eundem Magni Gregorij elogio, *Omnium iustorum spiritu plenum* fuisse considerauerit. Quod enim de Simone Oniæ filio Siracides olim cecinit, id S. P. nostro non incongruè accommodauit Ecclesiasticum Officium, in quo sic canimus: *Ecce Confessor magnus, qui quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei.* Paulò post:

Eccl. 50.

Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Fuit enim STELLA MATVTINA IN MEDIO NEBVLÆ, quia in tetræ noctis profundâ caligine toto Christiano orbe sub hæreticorum Principum dominio constituto (vt prolegomeno XIII. diximus) cùm grauissima passim grassarentur scelera, clarissimum hoc sidus Pietatis, Sapientiæ, Discretionis, mundi Contemptus, Mortificationis, zeli diuini honoris, veluti sex præclarissimis radiis in medio nebulæ effulsit, & mundum illustrauit vniuersum.

CAPVT XXXVII.

Stellæ comparatur:

QVASI LVNA PLENA IN DIEBVS SVIS LVCET, quia vt illa totum lumen acceptâ sole, ita S. BENEDICTVS ad Christum iustitiæ solem continuò conuersus, eiusdem receptâ luce, in nocte huius sæculi resplenduit. Quod quidem apud S. Birgittam sanctissima Dei Mater luculenter satis insinuat, cùm ait: BENEDICTVS *etiam sine eremo obtinuisset cælum, quia mundus erat ei mortuus, & cor eius totum plenum Deo.* Sic nimirum à *Sole* suo illustrata spiritualis hæc *Luna*, plena omninò fuit, & lumen post se ambulantibus præbuit. Aliam comparationem instituit Iacobus de Voragine Episcopus Ianuensis: *Sicut*, inquit, *Sol occumbens dimittit nobis lucem in Lunâ, & Luna nos illuminat, sic B.* BENEDICTVS *occumbens post mortem corporis dimisit nobis Lunam, id est salutarem Regulam, quæ illuminat religionem monasticam.*

& Lunæ,

Lib. 2 Reuelat. cap. 20.

Iac. à Vorag. serm. 2. de S. Benedicto.

TERTIÒ, QVASI SOL REFVLGENS, SIC ILLE EFFVLSIT IN TEMPLO DEI. Etenim vt Sol suo splendore rebus omnibus lucem, calorem, lætitiam & vitam communicat, sic & B. P. BENEDICTVS Religionem Monasticam luce cælestis doctrinæ, & vitæ illuminauit, exhilarauit, amore diuino accendit, eique vitam aspirauit cælestem. Cælesti hoc planè dignum comprobare testimonio, quod Deus Pater apud S. Hildegardem lib. 2. Visione 5. ita extulit. *Sol discretam & benè dispositam viam in sermo meo* BENEDICTO *declarat.* Alibi eadem Virgo lucem & calorem huius Solis, ita commendat: *Lucidissima dona & mystica spiramina Spiritus sanctus in* B. BENEDICTO *operatus est, ita quòd mens ipsius in amore Dei rutilabat.* & Deipara Virgo apud S. Birgittam: *Anima S.* BENEDICTI *erat quasi Angelus, qui dedit ex se calorem magnum & inflammationem.* Quibus consentit Episcopus Ianuensis dicens: B. BENEDICTVS *habuit ignita eloquia, succensa desideria, & feruentia opera.* Denique Cardinalis Baronius: *Tantus*, inquit, *splendor ex viro Dei* BENEDICTO *ad Ecclesiam illustrandam diuinitùs emicuit, vt radios suos à solis ortu vsque ad occasum, à Septentrione in Austram longè lateq; diffuderit.* Sic igitur *quasi Sol refulgens, effulsit* B. Pater *in templo Dei.*

Soli:

Hildegard. in Exposit. Reg. S. Bened.

Lib. 3. Reuel. cap. 21.

Vorag. ser. de S. Bened.

Baron. anno 529.

Cùm autem hic progressio quædam lucis innuatur, *Stella* enim *matutina* lucis est initium, *Luna* quoddam lucis incrementum, *Sol* autem eiusdem plenitudo; non incongruè dicere posse videor S. BENEDICTVM *Stellam matutinam* fuisse in speluncâ, *Lunam* in Sublaco, *Solem* in Cassino. *Stella matutina* fuit in specu, quando, vt Gregorius loquitur, *nomen eius per vicina loca innotuit cunctis; cœperuntq; multi mundum relinquere, atque ad eius Magisterium festinare.* Fuit *Lunâ* in solitudine Sublacensi, vbi virtutibus signisque succrescentibus, *multi ab eo ad Omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic duodecim monasteria extrueret,* & Romanæ vrbis nobiles suos ei filios Omnipotenti Deo nutriendos darent. Fuit tandem *Sol* in mõte Cassino, vbi *cõmorantem circumquaque multitudinem*

CAPVT XXXVII.

prædicatione continuâ ad fidem vocabat. Ex quo etiam loco per totum terrarum orbem monasticus Ordo est dilatatus. Sed ad Ecclesiastici testimonium reuertamur.

Vasi aureo:

Quartò, fuit QVASI VAS AVRI SOLIDVM ORNATVM OMNI LAPIDE PRETIOSO. Fuit enim B. BENEDICTVS capacissimum vas, in quo diuitias gratiæ suæ diuina bonitas largissimè infudit, animi constantiâ & fortitudine *solidum*, diuino amore, *aureum, ornatum* insuper *omni lapide pretioso*, omnium omninò virtutum gemmis splendidè coruscans; quare à Gregorio *virtutum Magister* iure appellatur: Vnde autem ei virtutum omnium plenitudo, nisi à Deo, quo cor eius erat plenum? Vnde vitæ summa perfectio, nisi à Spiritu sancto, à quo omnium charismatum dona in electos emanant? B. autem P. BENEDICTVS, vt S. Hildegardis loquitur: *Gratiâ Spiritus sancti hoc modo perfusus erat, quòd in nullo opere suo velut in puncto momenti, & ictu oculi virtute Spiritus sancti careret.* Breuem porrò virtutũ omnium S. Patris statim subiũgit syllabum, ita scribens: *Beatus* BENEDICTVS *doctrinam suam in timore Dei mitissimè hausit, & in pietate præcepta Dei docuit, & in charitate murum sanctitatis Regula constituit, & in castitate omnibus pompis & delitiis terreni sæculi peregrinus fuit. Et quia filius Columbæ erat, sanctitate prædictarum virtutum plenus erat.* Noster quoque Trithemius lib. 1. de viris Illustribus Ordinis S. BENEDICTI cap. 1. Magni Patriarchæ virtutes compendio ita recenset: *Quantum ad conuersationem* S. BENEDICTI *pertinet, fuit fide firmus, spe robustus, geminâ charitate feruidus, mente purus, deuotione præcipuus, in oratione ardens, in meditatione accensus, in lectione sanctarum Scripturarum sedulus, in contemplatione altus: & vt breuiter concludam, omnium virtutum ornatu insignis. Ad exteriorem conuersationem totus erat igneus, totus exemplaris, humilis, charitatiuus, benignus, mansuetus, & ouium Christi pastor vigilantissimus: qui amori Dei nihil vnquam præposuit. Et tamen cùm ratio exigebat, Zelo disciplinæ accensus, peruersorum vitam constanter arguebat.* Sic ille.

Gregor. 2. Dialog. cap.

Hildegard. in expos. Relig.

S. BENEDICTI virtutes generatim ostensæ.

Verùm quia præstantissimarum exempla virtutum, non ita animos permouere solent, si generatim tantum oculis obiiciantur; vtiliùs ad particularia descendentes, præcipuas Fundatoris nostri virtutes deinceps considerabimus, quas, ne longiùs euagemur, duodenario comprehendemus numero. Visus enim est S. Pater numero hoc delectari, cum duodecim instituit Monasteria, & in singulis duodenos deputauit Monachos. In diuino officio duodecim instituit psalmos cum suis antiphonis, duodecim lectiones, duodecim responsoria. Etiam suprà audiuimus duodecim ei diuinitus transmissos solidos. Proinde & nos ex magno virtutum omnium, quibus ornatus fuit, numero, duodecim potissimùm expendemus, velut Ligni vitæ, cui non immeritò comparatur, fructus duodecim, aut totidem spiritualis Zodiaci signa, quæ magnus hic sol percurrit. An non licebit virtutes has, duodecim appellare gemmas Rationalis, quibus Legislatoris nostri sacratissimum pectus, vt olim Pontificis, exornatum fuit.

S. BENEDICTVS *duodenarium amat numerum.*

Prima Virtus.

Prima S. BENEDICTI *virtus Mundi contemptus.*

EST perfectissimus MVNDI CONTEMPTVS, quo in omni vita maximè excelluit, quem & in ipso narrationis de vitâ eius exordio spectandum Magnus exhibet Gregorius. Ita enim de eo ait: *Ætatem moribus transiens nulli animum voluptati dedit, sed dum in hac terrâ esset, quo temporaliter liberè vti potuisset,* despexit *iam quasi aridum* mundum *cum flore. Qui liberiori genere ex prouinciâ Nursiæ exortus Romæ liberalibus studiis traditus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: ne, si quid de scientiâ eius attingeret, ipse quoq; in immane præcipitium totus iret.* Ex quibus verbis liquet, quo fine mundum deseruerit, nimirum vt peccati illecebras fugiens, immaculatum se custodiret ab hoc sæculo. Quare S. Hildegardis scripsit, quòd *omnibus pompis & delicius terreni sæculi peregrinus fuit.* Eodem hoc fine eum parentes deseruisse Goffridus Vindocinensis tradit: *Ne amor,* inquit, *parentum, siue diuitiæ eorum vitæ melioris propositum immutarent, eos, tanquam odisset, fugiens, dum Christi diuitias paupere vitâ lucrari desiderat; vanum & quasi impium reputat, quod multis aliis carum & pium videtur.* Ita ille. Qui B. Patrem perfectum mundanæ imperfectionis contemptorem appellat, & quod in eius corde & corpore mundus, & flos eius, patriæ cælestis amore prorsus aruerat. Diua Virgo apud S. Birgittam lib. 3. Reuelat. cap. 20. ait eum *omne contempsisse quod transitorium erat,* quando carnem suam seruire cogit animæ: & mundus erat ei mortuus. Auctor vitæ S. Adalberti eundem nuncupat: *Magistrum mundo morientium, & totâ mente cælestia quærentium.* Nimirum, vt illis qui in altissimi montis consistunt fastigio, & inferiùs iacentia respiciunt, valdè exilia ac pænè nulla esse videntur, quæ aliàs notabiliter magna sunt: ita S. BENEDICTVS, qui à tantâ perfectione incepit, vt dicere cum Paulo posset: *Nostra autem conuersatio in cælis est;* cuncta quæ in mundo sunt, & à sæcularibus magni fieri solent, velut res nihili, & contemptibiles excelso animo despexit: & hinc fortè est, quod sub vno solis radio totum mundum collectum aspicere meruerit. Quò autem mundum fugiens se receperit, aperit.

Vindocinens. serm. de S. Bened.

Secunda Virtus.

Secunda S. BENEDICTI *virtus, Solitudinis amor.*

SOLITVDINIS scilicet AMOR, quo vitam Christi absconditam & solitariam cum primis honorauit & imitatus est. Nutricem enim suam occultè fugiens, deserti loci secessum petiit, & in specu arctissimo tribus annis, omnibus hominibus, excepto Romano Monacho, incognitus vixit. Vnde de eo Dionysius Carthusianus ait: *Fuit Eremita & Anachoreta soloq; pane contentus in eremo.* Cùm autem Carthusiani vitam ex solitariâ & cœnobiticâ mixtam degant, hinc S. BENEDICTVM, qui in vtraque excelluit, idem Dionysius *specialem, felicissimum & beatissimum Patrem Nostrum appellat.* Et ante eum S. Petrus Damiani lib. 6. Epist. 12. scribit: *Hoc præterea nouimus, quia B.* BENEDICTVS *eremi cultor exstitit, & hoc certè nos optauit esse, quod fuit.*

Dionys. Carthus. Ser. 2. de S. Bened.

Quâ autem mente Eremum petierit, beatissima Virgo Maria apud S. Birgittam lib. 3. Reuelat. c. 20. ita exponit: *Bonus ille Abbas* BENEDICTVS, *donum gratiæ quod acceperat multiplicauit, quando omne contempsit quod transitorium erat, quando carnem suam seruire coegit animæ, quando nihil præposuit diuinæ charitati, qui insuper timens ne aures macularentur auditu inani, oculi visione delectabilium, fugit in eremum, imitatus illum, qui nondum natus exultando intra*

Quâ mente eremum petierit.

viscera

viscera materna cognouit adueutum sui piissimi Redemptoris. Qui quidem BENEDICTVS *etiam sine Eremo obtinuisset cælum, quia mundus erat ei mortuus, & cor eius totum plenum Deo. Sed placuit Deo vocare* BENEDICTVM *in montem, vt cùm pluribus innotesceret, plures eius exemplo ad perfectionis vitam incitarentur.* Sic ibi. Vbi plura S. Patris virtutum indicantur insignia. Sed quod ad solitudinis amorem spectat, quantum in eius corde exarserit, vel inde apparet, quòd cùm Monachos, qui mortem ei machinati fuerant, desereret; *Ad locum dilectæ solitudinis* (vt Gregorius loquitur) *redijt, & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.* Postquam autem in Cassini arcem penetrauit, si Paulo Diacono credimus: *In magnâ se semper abstinentiâ coarctauit, sed præcipuè Quadragesimæ tempore inclusus & remotus à mundi strepitu mansit.*

Ex hist. Longobard. citat Adreuald. lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 4.

Rarissimè monasterio egreditur.

Ægrè autem, atque admodum rarò è monasterio egressus fuisse videtur. Cùm enim fratribus iuxtà Taracinensem vrbem monasterium constructuris addixisset venturum se, & loca singula, prout ædificari oporteret, designaturum, maluit in somnis illis apparere, & hanc designationem in visione facere, quàm è Monasterio egredi. Quod etiam ex eo patet, quod Sororem Scholasticam non longè à Monasterio suo degentem semel tantùm per annum inuiseret, & importunissimè rogatus, vt vel vnâ nocte remaneret, velut maximum allegans inconueniens, dixerit: *Quid est quod loqueris soror? manere extrà cellam nullatenus possum.* Nescio autem an maius recollectionis & solitudinis studium declarare potuerit, quàm quòd cellam, in quâ quiesceret, in superioribus cuiusdam turris (vt cap. 35. dictum) elegerit. Quid enim in eâ egerit, ibidem narratur; *Quiescentibus fratribus instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præueniebat, & Omnipotentem Deum deprecabatur.*

Tertia Virtus.

Tertia, diuinæ præsentiæ contemplationisq; exercitium.

Dialog. lib. 2. cap. 3.

QVid in solitudine præter iam dicta potissimùm egerit, exponit. Gregorius enim causam reddens, cur desertis discolis fratribus, dilectam sibi repeteret solitudinem; ait id eum fecisse, ne *sui vigoris vsum & modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinaret.* Declarans deinde illud, quod ante dixerat, *habitauit secum*, subdit: *Hunc venerabilem virum secum habitasse dixerim: quia in suâ semper custodiâ circumspectus, ante oculos Conditoris se semper aspiciens, se examinans, extrà se mentis suæ oculum non diuulgauit.* Et paucis interiectis: *Venerabilis igitur* BENEDICTVS *in illâ solitudine habitabat secum, in quantùm se intra cogitationis claustra custodiuit: nam quotiescunq; hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit.* Quibus verbis & quotidianum CONSCIENTIÆ EXAMEN, & DIVINÆ PRÆSENTIÆ, AC CONTEMPLATIONIS EXERCITIVM exprimitur. Voluit enim Dei, suique notitiam coniungere, vt eundem disceret & timere & amare; nam qui se ignorat, Deum non timet, qui Deum nescit, Deum non amat. Optimè proinde S. Pater & se aspiciebat, & Conditorem suum, vt humiliaret se, & hunc diligeret, cui soli desiderabat placere. Quare mirandum non est, si eum in hac vitâ angelico refocillatum alloquio asseramus, quod S. Petri Damiani verbis adstruitur, qui hæc habet: *Quid mirum, si cælestis curiæ Senator insignis, post fælicem obitum, Angelorum petiit contubernium: quandoquidem & in carne adhuc corruptibili constitutus, eorum tam sæpè promeruit familiare colloquium?*

Pet. Dam. serm. 8. in Vigil. S. Bened.

CAPVT XXXVI.

Potissimum ergò S.P.N. exercitium fuit, diuinam vbique cogitare præsentiam; quod pluribus nobis primo humilitatis gradu, & cap. 19. Regulæ suæ inculcauit. Sed annectamus hîc etiam aliud exemplum ab eodem commendatum, & diligentissimè vsurpatum, *studium* nimirum *imitandi Dominum nostrum Iesum Christum.* Discipulum enim suum docet: *Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. Nihil amori Christi præponere. Cogitationes malas cordi aduenientes ad Christum allidere. In Christi amore pro inimicis orare. Nihil sibi Christo charius existimare. Passionibus Christi per patientiam participare. Abbatem Christi vices agere credere. Christo in infirmis seruire. Christum in hospitibus adorare & suscipere. Denique credere omnes in Christo vnum esse.* Hæc non minùs moribus, quàm litteris Pater Sanctissimus expressit, cuius vnius vita cæteris est norma viuendi: perfectissimam enim Christi imitationem à Deo Patre, magistro optimo edoctus est, qui apud S. Hildegardem ait, docuisse se S. BENEDICTVM *in vestitu conuersationis suæ Incarnationem filij Dei colere, & in abnegatione voluntatis suæ Passionem illius imitari.* Quantum verò sub hoc diuino profecerit Doctore, quis verbis poterit explicare, cùm eum Magnus Gregorius dignissimo hoc decorauerit elogio, vt eum appellaret *Summæ veritatis discipulum eruditum.* De studio verò Christum imitandi, ita quoque scribit Vindocinensis Cardinalis: *Dei famulus inspiratione diuinâ repletur, eius adhuc tenera & delicata caro mentis constantiâ & vigore spiritus roboratur: & si violentia opus fuit, eam sibi inferre non distulit, vt crucifixus crucifixum Dominum sequeretur.* Accedat & testis S. Petrus Damiani Cardinalis Ostiensis, qui ait: *Currentem Christum cursu rapidissimo secutus est; nec destitit donec consequeretur.*

Imitatio Christi.

Cap. 4.

Cap. 5.

In Prolog.

Cap 2.

Cap. 36. 53.

S. Hildegard. lib. 2. vis. 5. n. 21.

Goffrid. serm. 11. In festo S. Bened.

Pet. Dam. serm. de S. Bened.

Quarta Virtus.

Quarta virtus: Studium orationis.

EST ORATIO, quæ Gregorio Nysseno tractatu de scopo Christiani: *Veluti chori virtutum Antista* quædam est, & per sanctitatem arcanam & spiritalem, & affectum inenarrabilem Deo coniungit eum, qui in prece perseuerat, qui desiderio feruens satietatem precationis non inuenit. Quam autem familiaris, aut potiùs quàm continua hæc S. Patri fuerit exercitatio, quis verbis cõsequi queat? Bernardus sanè Cassinensis firmiter credit, S. BENEDICTVM, psalterium die quolibet decantasse, ad imitationem Sanctorum Patrum, quorum eam fuisse consuetudinem ipse Legislator in suâ Regulâ cap. 18. scribit. At non vocaliter tantùm orasse beatissimum Patriarcham credimus, sed eum meditationi & contemplationi tribuisse arbitramur plurimum. Et meritò quidem existimare ita possumus; nam Gregorius commemorat eum frequẽtiùs orasse. Nocte enim cum Placido montis rupem ascendit, ibique diutiùs orauit. Dum fratres parietem erigerent, in orationis studio intrà cellæ suæ claustra morabatur. Consueuerat autem in psiatho siue mattâ, quam in cellâ habebat, orare, atque inter orandum plangere. Præueniebat quoque nocturnæ orationis tempora. Atque hæc de mentali oratione & contemplatione crediderim intelligi non incongruè posse. De quâ & hæc Gregorius: *Quotiescumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit. Ad Cassinum castrum* (vt habent Acta S. Placidi cap. 8.) *eum perue-*

Dialog. lib. 2. cap. 12.

Dialog. lib. 2. cap. 21.

Cap.

Cap.

CAPVT XXXVII.

peruenisset, per quadraginta dies non longè a templo Apollinis Deum Omnipotentem orans permansit.

Blesens. Epist. 123.

Addamus porrò his, quod Petrus Blesensis scribit S. BENEDICTVM, aliosque Eremitas non Sacerdotes certâ diei horâ de Christi passione meditatos & spiritualiter communicasse. *Sicut*, inquit, *B. Odilo Cluniacensis Abbas in exhortationibus scribit, istorum singuli vnâ horâ diei, Dominica passionis, nostraq; redemptionis beneficia, quasi in fasciculum memoria deuotè ac fideliter colligebant, & sic in timore & humilitate, hac ad fruendum suauiter, firmiter in suâ conscientiâ recondentes, corpus Domini spiritualiter manducabant.* Hæc ibi. Sed & Dionysius Carthusianus contemplationis altitudinem, quam B. Patriarcha habuit, his verbis: *Tam in speluncâ, quam extrà ingressus est B.* BANEDICTVS *sanctuarium Dei, id est, abyssum sapientiæ increata, contemplationis secretum, reuelationum altitudinem diuinarum, quia incerta & occulta sapientia sua patefecit ei Altissimus, cordiumq; arcana reuelauit, & spiritu prophetia ipsum repleuit.* Eodem ferè modo Ioannes Raulinus: *Bandquit*, BENEDICTVS *luculenter contemplabatur diuinam veritatem, & vberrim reficiebatur dulcedine suauitatis interna, experimento dicens: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* Quid porrò vltrà dicemus, cum vltimum spiritum inter *verba orationis* emitiens eandem velut testamento suis legauerit discipulis?

Dion. Carthus. ser. 1. de S. Bened.

Ioan. Raulin serm. de S. Bened.

Psal. 45.

Quinta Virtus,

Quinta virtus: Mortificatio.

EST MORTIFICATIO, indiuidua orationis comes, quæ illi etiam vires præbet, quò enim magis deprimitur caro, eò liberiùs se extollit Spiritus. Atque hæc causa est, cur thuri, quod orationem designat, in sacro epithalamio iungatur myrrha mortificationis symbolum. *Vadam*, inquit Sponsus, *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, Sulamitidis verò decor ex eo vel maximè commendatur, quod ascendat *per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Non neglexit hanc virtutum combinationem Pater noster beatissimus, qui mortificationis myrrhâ probatissimâ, orationes suas vitamque totam condiuit. Quod non obscurè indicatum à Magno Gregorio, qui antonomasticè eum vocat, *arctissima vita Magistrum optimum.* Nam quidquid austeritatis in eâ, quam præscripsit Regulâ inueniri potest, illud non modò seruauit exactè, sed plura etiam pro flagranti suo in Deum amore adiecit:

Cant. 4. 6.

Cant. 3. 6.

Edomans carnem subigensq; Christo
Tortor acerbus.

Quantâ enim districtione vsus est triennio toto, quo in Sublacensi speluncâ degit, cùm antrum ei angustissimum præ amplissimo placeret palatio, & rude saxum præ molli lectulo? De quo Vindocinensis Cardinalis: *Cultor Dei, & sui contemptor* BENEDICTVS, *ad locum, qui Sublacus vocatur, perueniens, inter petrarum scissuras, in quemdam arctissimum specum se contulit, vbi desideria carnis mentis ratione mortificans, tribus annis nulli hominum notus, excepto Romano monacho, mansit.* Quò respexisse crediderim S. Hildegardem, cùm lib. 2. visione 5. num. 21. hoc Dei Patris de eo refert testimonium: *Ipse* BENEDICTVS *est quasi alter Moses in lapideo foramine iacens, & corpus suum, in multâ asperitate ob amorem vita cruciens & constringens.* Dei Patris elogio accedat Deiparæ Matris, quæ apud S. Birgittam lib. 3. Reuelat. cap. 20. ita ait: *Bonus Abbas* BENEDICTVS *carnem suam seruire coëgit animæ. Huius B. viri corpus erat quasi saccus terræ, in quo claudebatur ignis Spiritus sancti, qui exclusit ab eius corde diabolicum ignem.* Iterumque sequenti capite: *Dixi tibi priùs, quòd corpus B.* BENEDICTI, *erat quasi saccus, qui disciplinabatur & regebatur, sed non regebat.* Rursumque: *De sacco B.* BENEDICTI *spirabat dulcedo Spiritus sancti, per quem multa monasteria innouantur.* Sic ibi. Ostendit autem S. Legislator mortificationis studium in continuâ cilicij gestatione; de quâ accipiendum quod eidem S. Birgittæ dixit filius Dei: BENEDICTVS *famulus meus habuit corpus suum quasi saccum, qui habuit quintuplicem vestem. Prima fuit tunica aspera, quâ domuit carnem & motus inordinatos, ne lasciuirent, & non excederent metas suas.* Sic ibi. De Cilicio autem, plura in Commentario primi capitis annotauimus. Corporalibus disciplinis sese afflixisse, ibidem ex S. Bertharij hymno asseruimus. Quàm rigidè autem sæuiente carnis tentatione corpus afflixerit, tum vel maximè demonstrauit, cùm nudum se in spinarum aculeis, & vrticarum incendiis diu volutauit. Quo nomine sanctissimo Papæ Gregorio dicitur *virtutum Magister, & spinis erutis exculta terra, quæ de virtutum segete feraciùs fructus dedit.*

Lib. 4. cap. 127.

Lib. 2. Dialog. cap. 2.

Sexta Virtus,

Sexta virtus, Abstinentia & Sobrietas.

ABSTINENTIA & SOBRIETAS est, mortificationi valdè affinis aut eius quædam filia, S. Patri BENEDICTO perquam familiaris: nam quod Regulâ suâ præscripsit; *Delitias non amplecti, Ieiunium amare*, atque ita corpus reficere, *vt numquam subrepat Monacho indigeries*, id ille seruauit exactissimè, & plura etiam abstinentiæ opera supererogauit. Qualis enim ei victus in specu fuit, cùm tribus annis aliud non gustauit, quàm modicum panis, quod certis diebus Romanus ei deferebat? Cùm autem hoc labore Romanus esset absolutus, quantâ premeretur inediâ, ipse Dominus testatus est, cùm presbytero refectionem sibi in paschali festiuitate paranti per visum apparens, dixit, *Tu tibi delitias preparas, & seruus meus, illo in loco fame cruciatur.* Deinceps verò, cùm per vicina loca nomen eius cunctis innotesceret, alio non videtur vixisse cibo, qvàm qui ei vltrò deferebatur ab iis, (vt loquitur Gregorius) *ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ.*

Cap. 4. instrum. 13. 14. cap. 39.

Lib. 2. Dialog. cap. 1.

Cum à Tertullo Patricio in Casinate monte inuiseretur, animaduertit ille (vt Gordianus in vitâ S. Placidi scribit) beatissimum Patrem BANEDICTVM corpore præ *abstinentiâ* exhaustum. Confirmari hæc etiam, ampliusque possunt illustrari ex iis, quæ S. Maurum ad imitationem Patris sui fecisse, Faustus condiscipulus refert. *Quis*, inquit, *austeriùs corpus proprium ieiuniis, abstinentiâ ac vigiliis, squaloribus quoque & nimiis edomuit frigoribus? Frequenter enim eum vidimus in diebus sanctæ quadragesimæ nec tunicâ, nec cucullâ, nisi solummodo sacco vti cilicino, & duabus tantummodo vicibus in hebdomadâ paruissimum potiùs prægustare, quam sumere cibum. Iste quippe mos in omni vitâ sanctissimo fuit* BENEDICTO: *cuius ille exemplo prouocatus, afflictione perualidâ carnem macerabat, in quantum illi eiusdem Patris sui permittebat licentia.* Hæc ibi. Auctor quoque Regulæ Solitariorum cap. 41. asserit sanctum BENANICTVM quotidie ieiunasse: *Si quis*, inquit, *voluerit omni tempore ieiunare, exceptis Dominicis & festiuitatum diebus, non prohibeatur eis, quia sic faciebant*

Faust. in vit. S. Mauri.

bant SS. Patres nostri, Antonius videlicet & Benedictvs, ac cæteri alij.

Septima Virtus,

Septima virtus, Humilitas.

HVMILITAS, virtutum cæterarum fundamentum est, de quâ pulchrè S. Cyprianus serm. de Natiuitate Christi: *Hic est primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus: vt quicumque piè vult, viuere, humiliter de se sentiat, neque suprà se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cælo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster paruulus attulit, & à cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vitâ, quod exhibuit in personâ.* Quantum autem in

Qua in Regulâ maximè elucet.

humilitatis profecerit scholâ, illa demonstrat Scala duodecim *Humilitatis* Gradibus instructa, quam capite septimo Regulæ suæ erexit. Nemini verò dubium est, quin omnes S. Pater ascenderit, cùm, Bernardo teste, *priùs eos in corde suo disposuerit*, & Christi exemplo priùs cœperit facere quàm docere. *Humilitas* autem S. Patris Benedicti vel ex ipsâ Regulâ elucet; cùm enim illa tota à Deo sit, atque ab eo, tanquam organo Spiritus sancti conscripta, eamque ipsemet ex hoc capite Sanctam semel iterumque nominauerit; eam tamen MINIMAM INCHOATIONIS REGVLAM appellat, vt EAM OBSERVANTES IN MONASTERIIS ALIQVATENVS VEL HONESTATEM MORVM, AVT INITIVM CONVERSATIONIS NOS DEMONSTREMVS HABERE. Aliorum verò Regulas, & Scripta Sanctorum adeò suis non præfert, aut confert, vt etiam eorum comparatione sua existimet minima; & eos, qui maioris perfectionis cupidi sunt, ad SS. Patrum doctrinas, & S. Basilij Regulam remittat. Obseruatum id ab Goffrido Vindocinensi, qui hoc modo discurrit, Serm. de S. Benedicto: *Per laudabilem Patrem* Benedictvm, *cooperante Spiritu sancto, est veritas reuelata. Ipse tamen pro magnâ suâ humilitate S. Basilij & præcedentium vitam & opera Patrum, vel sua tacens, vel quasi modica dicens, laudat & miratur. Bonus optimum discipulus Magistrum imitatus, qui taceri præcipiebat, cùm ea, quæ sine ipso nemo alius facere poterat, operabatur.* Vnde meritò

Bernard. tract. de gradu humilit. in fine.

Opusc. 13. de perfect. Monach. cap. 6. Zachar. lib. 2. Dialog. cap. 1. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 9.

à B. Petro Damiano vocatur, VIR SANCTVS, TANTAQVE CVLTOR HVMILITATIS. Et à Zachariâ Papâ, GLORIÆ OSOR. Quàm verò sola fuerit eius *humilitas*, non obscurè Gregorius innuit, cùm ait, eum plus appetiisse mala mundi perpeti quàm laudes; pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli. Zacharias quoque Pontifex in Græcâ suâ vitæ S. Benedicti metaphrasi cap. 3. ait, cum supplicationem religiosorum in Abbatem & Pastorem se postulantium reiecisse, quòd à pueris coadolescentem sibi diuinam *humilitatem* relinquere non ferret, seque peccatorem & indignum diceret. Ex humilitatis quoque fonte processit, quòd cùm ad eius mandatum obediens S. Maurus super aquas ambulasset, non suis id humilis Magister meritis, sed discipuli adscripserit obedientiæ. Cùm tamen in hac mutuæ *humilitatis* & amicâ contentione arbiter Placidus, id Patri suo tribuendum significauerit. Humilitatis quoque fuit, quod, vt ex S. Hildegarde, suo adduximus loco, hospitibus ante mensam aquam manibus eorum affuderit, & cùm ab illâ surrexissent, pedes eorum lauerit, Domini in hoc imitans exemplum, & Regulæ satisfaciens mandato. Rogatus porrò vt

CAPVT XXXVII. Gregor. lib. 2. Dialog. cap 32.

extinctum rustici puerum oratione suâ ad vitam reuocaret, quantâ *humilitate* respondit? valde enim contristatus dixit: *Recedite Fratres, recedite, hæc nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare?* Eius verò, quam in resuscitatione infantis fudit oratio, quàm demissa & *humilis* fuit: *Domine*, inquit, *non aspicias peccata mea, sed fidem huius hominis, qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculum animam, quam abstulisti.* Placuit hæc humiliantis se, Altissimo, deprecatio, & vitam mortuo impetrauit.

Octaua Virtus,

Octaua virtus: Mansuetudo.

MANSVETVDO est & animi lenitas, humilitatis soror germana, de quâ rectissimè Bernardus: *Collactanea sunt humilitas & mansuetudo: in eo confœderata germaniùs, qui dicebat: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Sicut enim mater præsumptionis elatio; sic mansuetudo vera non nisi ex verâ humilitate procedit.* In omni S. Patris Benedicti vitâ hæc virtus clarissimè effulsit, vt pluribus epithetis Papa insinuat Zacharias, qui modò *passionibus vacuum, Patrem insuperabilem*, modò *virum per omnia mitissimum Patrem patientissimum* & *lenissimum* appellat. Accedit & testis B. Hildegardis, quæ in Regulæ expositione, ita ait: *Beatus* Benedictvs *doctrinam suam in timore Dei mitissimè hausit, & in pietate præcepta Dei docuit.* Et post pauca: *Quia filius columbæ erat, ausculta, ô fili, præcepta Patris tui, dicebat, & etiam ideircò sanctitate, prædictarum virtutum plenus erat, quemadmodum Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terrâ.* Moysi sanè eum etiam S. Gregorius confert. Guarricus verò Igniacensis Abbas audet etiam anteferre, ac de mansuetudine eius hæc habet: *In fide & lenitate sanctum fecit illum. Hæc quidem de Moyse scripta sunt, sed beato* Benedicto *non incongruè, quantum arbitror, apta sunt: Qui cum omnium plenus fuerit spiritu sanctorum, multò magis de spiritu Moyse credendus est habuisse non minimum. Quid autem sanctius lenitate Patris nostri, qui nec malitiâ falsorum fratrum vitæ ipsius insidiantium, & pro vino venenum propinantium potuit exasperari? Moysen quidem Scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines, qui morabantur in terrâ, numquid tamen exacerbatum spiritum eius negat? numquid non iratum & valdè iratum aduersus æmulos memorat? Huius autem Magistri nostri* MANSVETVDINEM *non solùm erga maledicos, sed etiam ergà maleficos mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini.* Hæc Guarricus.

Bernard. Sign. magnum.

Cap. 2. Cap. 8. Cap. 11. 12.

Serm. 4. de S. Bened. Eccli. 45.

Cap. 3.

Sed hanc animi eius mansuetudinem expressiùs apud S. Gregorium intueri est, qui commemorato illo execrando malorum monachorum flagitio, subdit S. Patrem illicò surrexisse, & *vultu placido, mente tranquillâ*, conuocatos fratres ita allocutum fuisse: *Misereatur vestri, fratres, Omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis?* Quid lenius aut blandius respondere potuisset? Eluxit quoque aliàs spiritus Mansuetudinis in mitissimo hoc viro: Cùm enim sanctis eius studiis æmulus Florentius Presbyter, ei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmisisset, cum vir Dei (vt S. Gregorius scripsit) cùm gratiarum actione suscepit, licet, quæ pestis lateret in pane, eum non lateret. Quare miraculo etiam à coruo eum in incognitum locum deferri fecit. *Venerabilis autem Pater contra vitam suam inardescere Sacerdotis animum videns,*

CAPVT XXXVII. *videns, illi magis quàm sibi doluit.* Zacharias habet: *Pro illo magis quàm pro se orauit.* Quantæ verò illud Mansuetudinis exemplum est, quòd cùm idem Florentius, vt discipulorum mentes ad libidinem inflammaret, septem nudas puellas horto immisisset, B. vir lapsum tenerioribus discipulis pertimescens inuidiæ locum dederit, habitationem mutauerit, & iniqui hominis odia humiliter declinauerit? Deo porrò scelus illud vindicante, impiumque sacerdotem solarij ruinâ conterente, tantum abest vt inimici nece lætatus sit, vt potiùs Mauri discipuli lætitiam castigarit. Audito enim Presbyteri casu,
Cap. 8. *sese* (S. Gregorio narrante) *in grauibus lamentis dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Quâ de re factum est, vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.*

Nona Virtus,

Nona virtus, paupertas. EST PAVPERTAS rerumque pænè omnium inopia, à quâ suæ conuersationis perfectionem incepit. Nam, vt Goffridus Vindocinensis ait: *Christi diuitias paupere vitâ lucrari desiderabat;* & cùm omnibus derelictis, cum nutrice suâ fugeret; *in loco qui Effide dicitur, à quodam paupere viro, pro Christi amore, pauper Christi cum suâ nutrice hospes suscipitur.* Triticum verò pro quo purgando nutrix Capisterium mutuo acceperat, idem Vindocinensis ait, eis pro Dei amore collatum, vt intelligamus mendicatotum S. Patrem vixisse pane, quod & in specu fecit, ex modicâ, quam ei Romanus adferebat, viuens eleemosynâ. Ipsum porrò in monasterio posteà cum monachis degentem non rarò penuriâ laborasse, satis est manifestum. Aliquando enim triti-
Cap. 21. cum omne deerat, & ad refectionis horam non
Cap. 27. nisi quinque panes poterant inueniri. Tantâ aliàs laborauit inopiâ, vt duodecim solidos, quos debitis oppresso erogare volebat, non haberet. Quo tempore fames Campaniam affligebat, pænè nihil in Cellario, nisi parum olei in vitreo vase remanserat. Sed quis paupertatis eum negauerit fuisse studiosum, qui monachos suos voluit *omni vilitate & extremitate* esse contentos?

Decima Virtus,

Decima Virtus Benignitas in pauperes. EST LIBERALITAS, & BENIGNITAS IN PAVPERES; quam ipse pauper pro suo modulo aliis impendebat, vigente (de quâ statim diximus) ali-
Cap. 28. mentorum per Campaniam inopiâ, *Vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat. Et, qui cuncta decreuerat in terrâ tribuere, vt in cælo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat, olei, iussit petenti dari.* Cùm autem mandatum hoc negligeret Cellerarius, & vitreum vas ex mandato S. Patris è fenestrâ proiectum mansisset incolume, præcepit illud egeno dari, quod ideò fortassis seruatum fuerit, ne S. Patris in pauperes misericordia vllatenus impediretur. Nam & tredecim solidos, cùm anteà non haberet, diuinitùs oratione suâ impetrauit, vt eos afflicto tribueret petitori, *dicens, vt duodecim redderet, & vnum in expensis propriis haberet.* Largiebatur ergò plus, quàm ab eo petebatur. Nec dubito, quin aliàs sæpiùs in pauperes benignus fuerit, qui maximum ergà illos amorem & sollicitudinem se habuisse ipsâ Regulâ declarauit. Monasterium enim velut commune pauperum
Reg. cap. 66. asylum constituens, Portario præscripsit, vt pauperi clamanti benediceret: & de suscipiendis hospitibus loquens, nequaquam exclusit egenos, quos diuitibus tantum non prætulit, ita enim ait: *Pauperum & peregrinorum maximè susceptio omni curâ sollicitè exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem.* Ex Cap. 53.
quibus verbis apparet misericordissimum Patrem non potuisse satis suum ergà pauperes exprimere affectum: voluit enim eos & maximè, & omni curâ & sollicitè tractari. Nec his contentus, Cellerarium Cap. 31.
etiam monendum putauit, vt inter cætera, *pauperum cum omni sollicitudine curam gereret.* Sed & ve- Cap. 55.
stimenta vetera reponi voluit in vestiario *propter pauperes.* Solitum autem sanctissimum Patrem etiam pauperiores filios minoris ætatis, quique ex toto nihil haberent in monasterio suscipere, capite 59. Regulæ suæ ostendit, vbi agit de filiis nobilium qui offeruntur. Idemque inter instrumenta bonorum operum recensuit, *pauperes recreare, nudum vestire.* Quæ omnia quid, quæso, aliud, indicant, quàm misericordiæ viscera, quæ pro Christi amore Christi pauperibus semper aperuit?

Vndecima Virtus,

QVæ à charitate & in Deum religione profi- Vndecima. Zelus animarum.
ciscitur, flagrans est ZELVS ANIMARVM, gratissimum Omnipotenti Deo sacrificium, vt Gregorius homiliâ 12. libri primi in Ezechielem scribit. Quemadmodum autem Monachos suos bonum zelum feruentissimo amore excrecere voluit, & zeli huius commendatione, velut sigillo, Regulam suam obsignauit: ita eundem perfectissimo, vt credi fas est, modo omnibus exhibuit. Neque enim vllam lucrandi Deo animas prætermisisse videtur occasionem, quantumuis solitudini, vt vidimus, esset addictissimus. Primò enim in specu adhuc delitescens, cùm à Pastoribus esset inuentus: *Eorum* Cap. 1.
multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaq; eius per vicina loca innotuit cunctis. Factumq; est, vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset: qui cum ei cibum adferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ. Ista Gregorius, de primis quos B. Patris pia solicitudo ad Deum conuertit. Idemque enarratâ graui illâ carnis tentatione ab eo deuictâ, nouos commemorat, quos Deo genuerit filios. *Cœperunt*, inquit, Cap. 2.
postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum magister. Secundò, desertâ discolorum Monachorum præfecturâ, *Non tantos indociles* (Gregorij verba sunt) *deseruit, quantos in locis aliis à morte animæ suscitauit: Nam cùm vir sanctus in eâdem solitudine virtutibus, signisq; succresceret, multi ab eo in eodem loco ad Omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic duodecim Monasteria construeret.* Tertiò, postquam Cassinense adiuit castrum, maiora *boni zeli* exem- Cap. 8.
pla dedit; ibi enim Apollinis *contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, & commorantem circumquaq; multitudinem, prædicatione continuâ ad fidem vocabat.* Quod Apostolicum eius munus pluribus suo loco expendimus. His adde, quòd non longè ab eius monasterio vicus fuerit, *in quo non minima* Cap. 19.
multitudo hominũ ad fidem Dei ab idolorum cultu BENEDICTI *fuerat exhortatione conuersa.* Ibidem Sanctimonialium cœnobium sub eius directione & Regula, vt dictum superiùs, excitatum fuit, vt ita Dei honorem gloriamque promoueret. Quartò, eumdem zelum ostendit in corripiendo delinquentes, quasi non ferret quidquam contra Dei
gloriam

gloriam agi. Ita ei, qui quotannis ad eum ieiunus venire consueuerat, statim obiecit, quòd maligni hostis fraude seductus, in viâ comedisset. Quantâ verò libertate Regem Totilam de suis actibus increpauit? Quintò, quis tandem enumeret, quot, quantasque animas ipsâ suâ Regulâ, & monastico instituto Deo lucrifecerit? Cùm enim Nouitiorum Magistrum talem voluerit eligi, *qui aptus esset ad lucrandas animas*, nemo non videt eum in cœnobiorum fundatione, & monachorum susceptione, aliud non intendisse, quam vt animas perficeret, pluresque per eum saluarentur. Hinc apud S. Birgittam lib. 3. cap. 20. Dei Mater ait: *Vt ignis iste bonus, qui erat in* BENEDICTO, *igniret plures, vocauit Deus* BENEDICTVM *in montem, qui conuocatis ad se pluribus scintillis, fecit de eis per Spiritum Dei maximum rogum; & composuit eis Regulam de spiritu Dei, per quam multi perfecti facti sunt, sicut* BENEDICTVS. Testimonium hoc sanè amplissimum, statim ab ipsâ morte, Patri suo sanctissimo B. etiam reddidit Maurus, qui consodales suos, Fausto teste, ita allocutus est: *Itaq; & nos per omnia, vestigia Patris nostri sanctissimi* BENEDICTI *imitari satagamus, qui relictâ domo & rebus patriis, & ad vltimum nutricem suam occultè fugiens, ac soli Deo placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post beatos Apostolos vnquam fuerit secundus, sed potius Deo seminante, tot sanctorum extiterit fundator cœnobiorum, tantaq; Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum.* Tantus ergò, totque millium perfectorum Monachorum numerus, an non eximium, quo S. Pater flagrauit, arguit *animarum zelum*, & instituendi rationę longè perfectissimam?

Reg. Cap.

Duodecima Virtus.

D uodecima, Regulæ obseruantia. Cap. 36.

QVæ plures alias complectitur, REGVLÆ est OBSERVANTIA in tanto Legislatore planè singularis: de quâ ita Magnus Gregorius: *Scripsit* BENEDICTVS *Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitamq; cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.* Quibus verbis sanctissimus Pontifex planè innuit, S. BENEDICTVM omnibus illis ornatum virtutibus, quas in Regulâ suâ Discipulis suis præscripsit, aut commendauit. Atque hanc allegat S. Gregorius velut sufficientem causam, cur quædam de hoc venerabili Patre studiosè prætereat, quòd eius vita, virtutes, & mores in Regulâ tanquam lucidissimo quodam speculo clarissimè appareant. Verùm vt hoc in particularibus quibusdam actionibus videre liceat, considerandum hic est, eum tempus omne ita dispertiisse, *Vt certis temporibus occuparentur fratres in labore manuum: certis iterum horis in lectione diuinâ.* S. Patrem vtrumque præstitisse satis constat, nam ad agri opera cum fratribus egressum fuisse superiùs cap. 32. vidimus, & apud S. Birgittam lib. 4. cap. 127. Filius Dei dixit habuisse S. BENEDICTVM *scapulare, quo ad laborem manuum promptior & expeditior inueniretur, & cingulum quo præcinctus restringeret superflua, & expeditus laboraret consuetum & inutilium laborem.* Quæ innuunt quotidianum, aut saltem valdè frequens B. Patri fuisse opus manuum, in quo seipsum, vt & in aliis, fratribus præbuerit exemplum. Lectionis verò fuisse studiosissimum dubitari non potest, cùm digesta ab eo Regula satis euincat in sanctis Patribus legendis fuisse non indiligenter versatum. Nam

Cap. 48.

vitas, & Collationes Patrum, & scripta S. Basilij quæ citat, hæc ab eo lecta esse ostendit. Tot verò Scripturæ allegationes, quartum caput ex Clemente Romano ferè ex integro desumptum, aliaque quæ in Regulâ obseruari possunt, quid aliud, quàm continuum legendi indicant studium? cui aliquando ante monasterij fores sedens ita intentus fuit, vt propter crudelem Zallam ad eius vestigia prostratum à lectione minimè surrexerit. CAPVT XXXVII.

Ad Regulæ quoque obseruantiam spectat, non dissimulare peccata delinquentium, sed mox vt cœperint oriri, radicitus ea amputare. Quod in Regulâ præscriptum, strenuè ipse adimpleuit. Nam cum à dissolutis fratribus in Abbatem esset electus: *Regularis vitæ custodiam tenebat, nulliq;, vt prius per actus illicitos in dexteram læuamq; partem deflectere à conuersationis itinere licebat.* Quantâ sollicitudine egit, vt vagationi addictum monachum ad orationis reduceret exercitium? Primò enim ad virum Dei deductus, vehementer ab eo increpatus est, deinde ipse ad eum emendandum ad monasterium accurrit, præterea biduò eum obseruarunt, aliâ deinde die pro cœcitate cordis sui virgâ eum percussit. Vbi diligentis & patientis Medici officium exhibuit. Mauri lætitiam in morte Florentij, pœnitentiâ expiari voluit. Idem obseruantiæ zelus patuit in correptione eorum, qui contrà Regulæ vsum foris manducauerant, & eius qui mappulas à monialibus receperat. In defensoris filio non tulit superbam, licet occultam cogitationem. Procacioris linguæ monialibus excommunicationem interminatus est. Fratres omnes propter alimentorum indigentiam contristatos modestâ increpatione corrigere studuit. Quæ quidem arguunt, eum contrà Regulam & virtutum exercitia haud facilè quidquam tolerasse, sed in ipso ortu delinquendi ansas præscidisse. Quid porrò amplius de exactâ hac Regulæ obseruantiâ dicam, nisi quòd *hæc sit via, quâ dilectus Domini cælum* BENEDICTVS *ascendit? Quæ est enim via* (inquit in declamationibus Bernardus) *ab eius cellâ progrediens, nisi Ordo, quem idem vir beatus instituit, & forma vitæ quæ ab eo sumpsit exordium? Quâ nimirum via Domini dilectus ascendit, quia nō potuit vir sanctus aliter docere, quàm vixit.* Cap. 31. Cap. 22.

Hæc igitur sunt, non quidem omnes, sed præcipuæ S. Patris nostri virtutes, quas aliud esse non dixerim, quàm magni cuiusdam ignis exiguas scintillas, immensi Oceani pauculas guttas, & lucidissimi solis exiguos quosdam radios. Plura sine dubio, & maximè eximia licuisset proferre, si B. Gregorius enucleatiùs virtutes eius sibi sumpsisset enarrandas, qui ea videtur tantùm litteris mandasse, quæ miraculis & prodigiis erant illustrata, disertè in procœmio protestans, se non omnia eius gesta didicisse, sed pauca: & quod liberet *adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereat, quia ad aliorum gesta voluenda festinet.* Quòd si omnia S. Patris exercitia actusque virtutū cōscripta essent, absolutissimâ religiosæ perfectionis habuissemus ideam, & consummatæ sanctitatis speculum lucidissimū. Verè enim in Ecclesiastico cantamus officio: *Gloriosus confessor Domini vitam angelicam gerens in terris,* SPECVLVM *bonorum operum factus est mundo: & ideò cum Christo iam sine fine gaudet in cælis.* Lubet hanc de virtutibus S. Patris longam, etsi non inutilem digressionē versiculo concludere: Cap. 38.

Hoc Speculum Monachus BENEDICTI *de grege cernat,*
Et studeat similis filius esse Patri.

CA-

CAPVT XXXVIII.

DE INSANA MVLIERE IN EO SPECV SANATA.

Mulier amens in S. Benedicti Specu sanatur.



Vper namque est res gesta, quam narro. Quædam mulier mente capta, dum sensum funditus perdidisset, per montes & valles, siluas & campos, die noctuque vagabatur, ibi tantummodò quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quâdam verò die dùm vaga nimium erraret, ad beati viri BENEDICTI specum deuenit, ibique nesciens ingressa mansit. Manè autem facto, ità sanato sensu egressa est, ac si eam numquam insania capitis vlla tenuisset, quæ omni vitæ suæ tempore in eâdem, quam accepit salute permansit.

PETRVS.

Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoque patrociniis martyrum sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciant, vbi minimè per semetipsos iacent?

GREGORIVS.

Vbi in suis corporibus sancti Martyres iacent, dubium, Petre, non est, quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & purâ mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentiâ potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quantò illic eos nouit, & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit: *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cùm enim constet quia Paracletus Spiritus à Patre semper procedat & Filio, cur se Filius recessurum dicit, vt ille veniat, quià filio numquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet, ac si apertè diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor Spiritus, non ostendo, & nisi me desieritis carnaliter cernere, numquam me discetis spiritualiter amare.

Sancti se à nobis inuocari intelligunt.

Ioan. 16. 6.

PETRVS.

Placet quod dicis.

GREGORIVS.

Aliquantulum iam à locutione cessandum est, vt si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

COMMENTARIVS.

Specus S. Benedicti miraculis clara



X pluribus, quæ à morte sanctissimi Patris contigerunt, miraculis, vnicum hic recitat S. Gregorius, quo diuinæ placuit bonitati primum pœnitentiæ, & austerioris vitæ eius locum honorare; in quo hodieque (vt ait Yepez anno Christi 494.) plura contingunt miracula. Ex quibus hoc solum refert. Anno 1589. liquor quidam siue oleum gemmarum instar, quod Sublacenses Monachi manna vocant, spelunca distillauit, quod etiam aliis contigit temporibus. Hoc porrò stillicidium siue sudor diuersis temporum accidit interuallis, & quâlibet vice tribus continuis fluebat diebus; & deinde per decem cessabat stillare. Seruatur hodieque in sacristiâ liquor hic phialæ inclusus.

Obser-

Obseruatum porrò miraculum hoc prognosticon fuisse imminentis publicæ aduersitatis. Simon verò Milletius ait, liquorem hunc ex lapidibus, siue fornice sacræ speluncæ fluentem, esse instar olei, aut aquæ crassæ, admodum tamen perspicuæ, prout se vidisse, & inde phialam quandam in Franciam vsque detulisse testatur.

Non est porrò animus describere hîc miracula, quæ gloriosus Domini confessor post mortem variis locis patrauit: cùm tantum S. Gregorij textum hoc qualicumque Commentario mihi sumpserim illustrandum. Ne quid tamen piè curiosis, aut pro Patris sui honore sollicitis subtraxisse videar filiis, Auctores dabo qui hæc miracula litteris consignarunt. Ex Italis nominat Yepea Paulum Diaconum, Petrum Diaconum, Anastasium Bibliothecarium, Victorem Papam III. Leonem Ostiensem.

Qui de eius miraculis scripserint.

Ex Galliâ S. Bertharium, Petrum Mauritium, siue Venerabilem, Adreualdum Floriacensem, Adonem, Aimoinum: quos reperire est in Bibliothecâ Floriacensi, cui addere licet Anonymi Floriacensis librum quartum prioribus subiunctum, & Diederici Monachi librum de illatione redituve corporis S. BENEDICTI Abbatis, Aurelianis ad Floriacum.

Ex Germanis nominat Brunonem & Tritbemium. Quæ in Hispaniâ contigerunt ipse Yepez suo intexuit Chronico.

Inuocatio ipsius.

Sed iam à miraculis transeamus ad eius inuocationem. Quantæ enim sit apud Deum potentiæ, ipsa miracula declarant, vnde Bernardus ait: *Quomodo tibi appono* (S. BENEDICTI) *miracula, numquid vt miracula facere velit? Nequaquam, sed vt miraculis eius innitaris, videlicet vt confidas & gaudeas quod sub tali positus et Pastore, quòd tantùm meruisti habere Patronum. Omninò enim valdè potens est in cælis, qui tam magnus & potens extitit in terris, secundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & iuxta radicum quantitatem rami prodire noscuntur, & quot radicibus arbor innititur, tot ramis (sicut aiunt) decoratur. Sic ergò licet non habeamus nostra, consolatio magna nobis esse debent Patroni nostri miracula.* Sic ille verè & piè; nam & S. Maurus, & Ordinis nostri protomartyr Placidus, omnia pænè quæ fecerunt miracula, precibus & meritis sanctissimi Patris sui subnixi, ipsiusque inuocato nomine, operati sunt. Quare oblatis sibi plurimis infirmis, ita S. Placidus orasse traditur: *Domine Iesu Christe, qui Magistro meo* BENEDICTO *dedisti potestatem apud te impetrandi, quod vellet, super ipsius sanctam intercessionem omnibus languoribus istis salutem conferre digneris, vt sanitate perceptâ laudem referant nomini tuo sancto.*

Serm. de S. Bened.

SS. Maurus & Placidus inuocato S. BENEDICTO *pleraque miracula sua patrarunt.*

Cap. 43.

De Sanctissimi Patris Nostri BENEDICTI *Aureolâ.*

QVid actum sit in cælo, cùm gloriosus Monachorum Patriarcha BENEDICTVS, qui cælestem in terris vitam duxerat, in eo receptus est memoriæ tradere non incongruum foret, si quâ ratione illud cognoscere, aut eloqui imbecillitati nostræ concederetur. Attulimus iam nonnulla superiùs, quæ gloriam & magnũ decorem, quem in cælesti illâ Beatorum curiâ assequutus est, aliquousque adumbrent. Nunc de *Aureolâ* eius, siue accidentali præmio, quantum caligantibus oculis per angustas quasdam rimas licuit intueri, hîc repræsentabimus.

CAPVT XXXVIII.

Decretam esse Sanctis tanquam victoribus æternæ gloriæ coronam, pluribus sacræ Scripturæ instruimur auctoritatibus. *Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Et Christus dicit: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronã vitæ.* Et Iacobus Apostolus ait: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et Paulus in Domino gloriatur repositam *sibi iustitiæ coronam, quam reddat ei iustus Iudex*, nec ei solùm, *sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Sed vt nõ omnium Sanctorum æqualia sunt merita, ita nec præmia. Sunt in cælo peculiaria quædam Sanctorum gaudia, quæ Theologi *Aureolas* nuncupant, specialis dignitatis & excellentiæ, quæ illis ob illustrem competit victoriam, testimonia. Destinantur autem Martyribus, Virginibus, & Doctoribus. Nunc itaque videndum an Sanctissimo Patri BENEDICTO, ex accidentariis hisce præmiis vnum, aut duo, aut tria possint assignari.

Vincentibus æterna gloriæ corona promissa.

Timoth. 2. 5.
Apocal. 2. 10.
Iacob. 1. 12.
2. Timoth. 4.

Aureola quibus sanctis attribuatur.

Antonius Yepea anno Christi 543. in fine, ait S. BENEDICTVM in cælesti gloriâ duabus coronatum coronis, quarum altera *Virginitatis*, altera *Doctoratus* sit insigne, cumque eminenti loco Apostolis Iudicem super duodecim tribus Israël assidere. Quod quidẽ etsi nullo probet testimonio, credi tamẽ probabiliter potest. Quod enim *Virginitatis* spectat *Aureolam*, non videtur ambigendum, quin illâ fuerit decoratus; cùm iuuenis admodum Eremum petierit, & carnis tentationi tam heroicè restiterit, *vt ex eo tẽpore, sicut discipulis ipse perhibebat, ita in eo fuerit tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid minimè sentiret.* Vnde apparet eum perpetuâ mentis & corporis seruasse virginitatẽ; eiusdemque in cælo frui gloriâ. Quod quidẽ in albâ veste, in quâ subinde apparuit, designari, reuelatum est S. Mechtildi. Et S. Elisabeth lib. 1. Visionum suarum cap. 5. vidit beatissimam Virginem Mariam in aëre cum duobus comitibus gloriosis vno à dextris, & altero à sinistris. *Qui à dextris erat, cucullâ Monachi indutus esse videbatur, candidissimâ tamen; & baculum monastici Patris manu gestare visus est. Vnde*, inquit, *menti meæ incidit, hunc esse venerabilem Patrem nostrum beatum* BENEDICTVM. Hæc pro coronâ virgineâ.

S. BENEDICTVS aureolâ Virginitatis decoratus.

Mechtild. lib.

Doctoratus porrò *Aureola* eidem Sanctissimo Patri deneganda non videtur, cùm non suos tantùm docuerit Monachos, eisque velut Legislator & Doctor perfectionis monasticæ Regulã præscripserit; verùm etiam dæmonũ cultum destruxerit, *& commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocauerit*, vt S. Gregorius ait: Et in quodam *vico non minimam hominum multitudinem ad fidem Dei ab idolorũ cultu* BENEDICTI *exhortatione conuersam*, cap. 16 legitur. Prædicationi autem & Doctrinæ Aureolam deberi, sicut Virginitati & Martyrio docet S. Thomas in 4. distinct. 49. q. 5. a. 3. quæstiuncula 3. & a. 5. quæstiunc. 1. quo loco etiã tradit scribentibus sacram doctrinã deberi aureolam: *Quia scripta componere quidã modus docẽdi est:* quod cùm suâ Regulâ, vt dicebamus, abũdè præstiterit S. BENEDICTVS, quid ni *Doctoratus* insigni fulgeat in cælo, sicut stella in perpetuas æternitates?

Et Aureolâ Doctoratus.

S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 8.

Sed enim videamus, num & *Martyrum corona* ei aliquo modo cõpetat. Licet enim propriè & strictè loquendo Martyr non fuerit; fuit tamen per aliquã similitudinem; propter austeritatẽ vitæ, pœnitẽtiæ laborem, & multa quæ in vitâ passus est. Vnde Bernardus sermone in octauâ Paschæ: *Est Martyrij genus, & quædam effusio sanguinis, in quotidianâ corporis afflictione.* Idemque serm. 30. in Cantica ait: *Genus*

Aureola Martyrij num S. BENEDICTO *competat.*

Martyrium mortificationis:

R *martyrij*

CAPVT XXXVIII

martyrij est spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra caduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Et Hieronymus Epitaphio Paulæ: *Non solùm*, inquit, *effusio sanguinis in martyrio reputatur*, SED DEVOTÆ QVOQVE MENTIS SERVITVS IMMACVLATA, QVOTIDIANVM MARTYRIVM EST: *illa corona de rosis & violis texitur, ista de liliis.* Religiosam autem vitam esse spirituale quoddam Martyrium, docet Hieronymus Platus lib. 2. de bono status Religiosi cap. 12. Et fusiùs post illum Theophilus Raynaudus, in Disquisitione de Martyrio per pestē, parte 1. cap. 3. Huius ergò Martyrij gloriam tantò perfectiùs S. BENEDICTVS obtinuit, quantò acrioribus se ieiuniis, vigiliisque confecit. Quamuis autem in rigore theologico, & strictè loquēdo Martyrum Aureola ei tribui non possit, à martyrum tamen præmio non prorsus exclusum, S. Mechtildi reuelatum aliquando fuit. Vidit enim inter Confessores, peculiariter gloriosum S. BENEDICTVM, Patrem excellentissimum, indutum togâ candidâ, puniceo colore variegatâ. In candore, illius designabatur Virginitas: colore puniceo significabatur ipsū verum esse *Martyrem*, ob pœnalitates & labores in Ordinis rigore toleratos, & quòd gloriosè de omnibus difficultatibus triumphauerit. Sic ibi. Vnde in Bursfeldensi Breuiario, in hymno ad Nocturnum, ita de eo canitur:

Plus currit in certamine,
Confessor iste sustinens,
Quam Martyr ictum sufferens
Mucrone fundens sanguinem.

Quod exponens Iudocus Clichtoueus in Elucidatorio ecclesiastico, inter cætera ait: *Posset quispiam diutiùs afflictionibus pressus, quas æquo tolerat animo, pluris apud Deum haberi, & ampliore compensandus præmio, quam alter compendiariam pro Christo mortem sustinens. Quis enim dubitat sanctum Iob sublimiore apud Deum loco censeri, quàm plerosq; Martyrum breui morte consummatorum? Idcirco de S. Martino canit Ecclesia, quod etsi eum gladius persequentiū non tetigit, palmam tamen Martyrij non amisit.* Hæc ille. Quid? quod Alexander III. in Bullâ Canonizationis de S. Bernardo dicat: *In afflictione corporis sui vsque adeò sibi mundum, seq; mundo reddidit crucifixum, vt confidamus* MARTYRVM *quoque eum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimoniâ vitæ, tam longum constat duxisse* MARTYRIVM. Quæ eadem quoque & de SS. Patre BENEDICTO verè posse affirmari, nullus, vt arbitror, dubitauerit.

De S. BENEDICTI *Festiuitate.*

S. BENEDICTI *Festiuitas in Ecclesiâ Latinâ Græcaq; celebris.*

SOlennitatis eius memoria tam in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesiâ tabulis ecclesiasticis adscripta legitur. Romanum Martyrologium 21. Martij, non sine laude ita hoc festum recenset: *In monte Cassino, natalis* S. BENEDICTI *Abbatis, qui monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituit, ac mirificè propagauit.* Notat porrò Auctor Apostolatus Benedictinorum in Angliâ, in toto Martyrologio nulli alteri præterquam D. BENEDICTO hoc assignari elogium, quòd sit restitutor & propagator Monachismi per Occidentem. Menologium Græcorum die 14. Martij, his verbis festum hoc recenset: *S.P.N.* BENEDICTI *multorum monasteriorum Patris celeberrimi pietate & miraculorum multitudine illustris:* Eodem die adnotatur in Calendario Græcorū, quod expositioni in Psalmos præmisit Gilbertus Genebrardus. Et in Calēdario Ruthenorū, quod tam in Moscouiâ, quàm in reliquâ Russiâ est in vsu, & to. 2. Appar. sacri inseruit Anton. Posseu. Io Rom verò Martyrol. aliisque Latinis occurrit duodecimo Calendas Aprilis, siue vigesimâ primâ Martij. Quo die in calce libri Sacramentorum S. Gregorij Papæ assignatur Missa pro Natali S. BENEDICTI Abbatis. Et eo die, vel saltem in Martio celebratum tempore S. Bernardi constat ex eius sermone, in quo ait, in proximo celebrandam processionem: *Quando veniente Domino ad passionem & sedenti super asellum populi occurrerunt.* Celebratum verò olim fuisse hoc festum mense Iulio, auctor est Radulphus Tungrensis propositione 16. vbi ait: *Quia olim in quadragesimâ non celebrantur festa Gregorij, ac dies ordinationis eorum transferebantur, &* BENEDICTVS *ad diem translationis suæ in Iulio. Sed posteà Annuntiatione in Romanâ Ecclesiâ ad locum suum redeunte, similiter alij apud nos redierunt. Et exinde retenta est Translatio* BENEDICTI. Sic ille. Cuius verba an contrà translationem corporis S. BENEDICTI in Galliam militent, illis expendendum relinquo, qui de eâ accuratiùs iudicauerint disserendum. Obiter illud dixerim, si festum S. BENEDICTI ad diem translationis eius, vndecimum videlicet Iulij, sit translatum, ergò supponitur iam ante factam esse translationem. Cur enim festum hoc in illum potissimùm diem reiiceretur? In Antiphonario S. Gregorij post natalitia SS. septem Fratrum, quæ decimâ Iulij occurrunt, scribitur S. BENEDICTI NATALIS, sed posterius id esse Gregorio, ibidem Pamelius annotauit. Rabani Mauri Martyrologium quinto idus Iulij ponit: *Depositio Benedicti Abbatis*, quod tamen duodecimo Calendas Aprilis meminit S. BENEDICTI *Abbatis, qui Regulam scripsit Monachorum, cum magnâ discretione.* Similiter in Calendario Ecclesiastico generali Radulphi Tungrensis, quod Molanus Martyrologio Vsuardi primæ editionis subiunxit, ita habetur: 21. *Martij, vbique propter vitam,* BENEDICTI *Abbatis & Confessoris Patris Monachorum. Communiter 9. lect.* Idemque in libro de Canonum obseruantiâ, propositione 17. inter ea festa, quæ generali consuetudine cùm nouem celebrantur lectionibus, enumerat tertio loco S. BENEDICTI. Gauantus autem Commentario in Rubricas Breuiarij Romani sect. 7. cap. 5. ait, Radulphum per festum nouem lectionum intelligere *Semiduplex*, quod constat ex eius propositione 18. vbi ait: *Dies sanctorum nouem lectionum, qui festiuitates appellantur, sicut Dominica de vespera in vesperam officiari debent.* Probatque ex S. BENEDICTO, qui ait: *In sanctorum festiuitatibus, vel omnibus solennitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur.* Vnde festum S. Patris & Legislatoris nostri BENEDICTI olim fuit semiduplex; atque ita durasse, ait citato loco Gauantus, vltra annum 1521. vt ex Breuiario eodem anno impresso constat. Duplex verò est in Breuiario anni 1550. prout etiam hodie, atque hic est ritus vniuersalis Ecclesiæ, nàm apud Monachos solennissimum fuisse nemo dubitauerit. Eiusdem porrò solennitatem plurimùm auxit, & ad sæculares quoque extendit S. D. N. Vrbanus Papa VIII. qui ad instantiam Comitissæ de Monterrey, regni Neapolitani vice-reginæ, Marchionis Castri Rodrichi apud sedem Apostolicam Regis Catholici Oratoris, R. P. Augustini de Castro, monachi Benedictini, olim Comitis de Lemos, & R. P. Mauri de Villa Roel Ordinis S. BENEDICTI Abbatis Generalis: auctoritate Apostolicâ *Præcepit, vt deinceps perpetuis futuris tēporibus eiusdem* S. BENEDICTI *transitus,*

Radulph. Tungrens. lib. de Canonum obseruant.

Festum S. Benedicti quibusdam locis est de præcepto.

transitus, die XII. Kalend. Aprilis videlicet quolibet anno, in omnibus & singulis ciuitatibus, oppidis, terris & locis, in quibus adpræsens existunt Ecclesiæ Ordinis ipsius S. BENEDICTI *Congregationum Hispanarum, ad instar aliarum de præcepto Ecclesiæ celebrandarum Festiuitatum, recolatur & celebretur.* Vt patet in Bulla quæ incipit: *Sancta Mater Ecclesia,* data Romæ XII. Kal. Aprilis, anno 1632. Pontificatus sui anno decimo, vt refert Ascanius Tamburinius Tom. 2. de Iure Abbat. disputat. 24. Quæsito 5. Habet autem in Monastico Martyrologio apud Arnoldum Wion, & Hugonem Menardum, & hoc festum suam vigiliam: quam olim obseruari solitam docet sermo S. Petri Damiani octauus, qui incipit: *Vigilias egregij Confessoris, beati videlicet* BENEDICTI, *fratres charissimi hodie colimus.* De eâdem vigiliâ sermones plures habuit Laurentius Episcopus & Monachus Cassinas, vt refert Petrus Diaconus, de viris Illustribus montis Cassini cap. 6. Sed & Auctor Apostolatus Benedictinorum in Angliâ tract. 1. sect. 1. §. 15. pag. 53. tradit, in omnibus Anglorum & Germanorum monasteriis, iam inde ab ipsorum exordio festum S. BENEDICTI cum vigiliâ, eo modo quo & S. Gregorij Apostoli sui solemniter celebratum, idque sub titulo, *Patris ac Patriarchæ Monachorum.*

De cultu & inuocatione S. Benedicti.

S. Benedictus quo cultu honorandus.

QVo loco à nobis haberi, quo cultu & veneratione excipi debeat is, qui in Christo Iesu per Regulam suam nos genuit, vix equidem explicare sufficiens fuero. Maiores quidam nostri cum Apostolis, aut primo post illos loco venerandum censuerunt. Vnde Diedericus Monachus præfatione ad librum de Illatione S. BENEDICTI ad monasteriũ Floriacense: *Dignum,* inquit, *& æquum omninò fore censeo, vt post primos & beatos Apostolos sanctissimum Patrem nostrũ, cuius magisterio colla subiecimus, omni honore & gaudio veneremur præstantiùs.* Verùm, nonnullis Auctor hic profusior in sui parentis laudes videri forsitan queat, & ex affectu vltrà meritum suum extulisse patronum. Sed ne miremur, & alij his institêre vestigiis. S. Odo: *Constat,* inquit,

S Odo. ser. de S. Bened.

quod vnumquemque sanctorum christiana pietas tanto venerabiliùs colit, quantò celsiùs hunc à Deo decoratum cognouerit. Vnde & istum Patrem diuino quodam instinctu specialiùs amat, eiusq; memoriam dulciùs recenset: nimirum non nescia, quod illum Omnipotens Deus, inter summos & electos sanctæ ecclesiæ Patres, mirum in modum prouexit, & inter sanctæ fidei fundatores ac cælestis disciplinæ censores insigniter sublimauit. Quippe, quem sancti Spiritus charisma, tum miraculorum signis, tum virtutum exercitio adornauit: vt dignus in mundo appareret, per quem excelsioris ordinis multitudinem informaret. Sic ille, sanctus de sancto. Quam magnificè quoque gloriosus Carthusianorum Patriarcha Bruno de nostro locutus est Legislatore? *Quid*

S. Bruno serm. 4. de Confess.

dicam, inquit, *de beato* BENEDICTO, *qui tam egregium nobis puteum fecit: cuius aqua saluberrima atque dulcissima omnibus sitientibus, & bibere volentibus & refectioni proficit & saluti. Nullus post Apostolos & Euangelistas puteus factus est, qui tot homines satiasset, & à mortis periculo, cunctisq; animæ passionibus liberasset.*

Concludamus cum præcipuo S. Patris BENEDICTI discipulo sancto Mauro, qui præconio exhortationem admiscens, ita olim suos socios, & in iis nos omnes allocutus est. *Itaq; & nos per omnia vestigia Patris nostri sanctissimi* BENEDICTI *imitari satagamus, qui relictâ domo & rebus patris, & ad vltimum nutricem suam occultè fugiens, ac soli Deo placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post beatos Apostolos vnquam fuerit secundus, sed potiùs Deo se iuuante, tot Sanctorum extiterit Fundator Cœnobiorum, tantaq; Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum.*

CAPVT XXXVIII

Neminem credo offendent illustria hæc S. Patris elogia, neque enim in immensum gloriati sunt viri sancti, sed intrà mensuram Regulæ. Noui equidem Angelicum Doctorem in cap. 8. Epist. ad Romanos lect. 5. scripsisse, *quod Apostoli, sint omnibus aliis sanctis, quantácumq; prærogatiuâ præfulgeant, siue virginitatis, siue doctrinæ, siue Martyrij, præferendi, tanquam abundantiùs Spiritum sanctum habentes.* Idemque lect. 3. in cap. 1. ad Ephesios: infert, temerarium ac fortè erroneum esse comparare Apostolis quoad gratiam, aut gloriam, sanctos aliquos noui testamenti, nullo modo implicatos cum ordine vnionis hypostaticæ. Verùm in hanc censuram non impegerunt S. BENEDICTI Encomiastæ, quem Apostolis nec prætulerunt, nec contulerunt, sed post illos secundas ei putauerunt tribuendas. Nam & alij, alios sanctos secundùm aliquam analogiam Apostolis subindè æquarunt, quos in saeculâ ad Idiotam num. 3. ita recenset Theophilus Raynandus: Quâ ratione, inquit, S. Maximus homil. 1. de S. Laurentio, ait eum se Apostolorum consessui copulasse, fuisseque eorum supparem. Et S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. Magnum Gregorium Neocæsariensem, eodem, quo Apostolos, loco ponit; quod eodem cum eis spiritu vitam exegerit. Sed & S. Gregorius Nyssenus in ipsius S. Basilij Encomio, securè pronuntiat, secundas Basilio post Apostolos, partes, solum tempus dedisse. Et in Græcorum horologio ac veluti diurnali 22. Iulij S. Magdalena, & 24. Septembris S. Thecla nominatur, *ἰσαπόστολος, par & æqualis Apostolis.* Item 21. Maij adscripta ibidem habetur commemoratio *SS. Magnorum Regum, & Apostolis æqualium Constantini & Helenæ.* Vbi etiam Constantinus vocatur, *inter Reges Apostolus Christi, sicut Paulus; vocationem non ab Apostolis accipiens.* Nicolaus Cabasilas orat. in SS. Basilium, Gregorium, & Chrysostomum; vocat eos, *Theologorum trinitatem, secundam vocationem, Apostolos post Apostolos, Euangelistas post Euangelistas.* Multusque est in ostendendâ eorum cum primis Apostolis paritate, nempè proportionali & aliquali. Eodem sensu accipi deberent, si paria de S. BENEDICTO asserta forent: sed, vt diximus, modestiùs, & planè circumspectè elogia sua nostri extulerunt, adeòque nullam, vt arbitror, merentur censuram.

Quâ ratione Apostolis alij Sancti æquari possint.

Cultum autem & inuocationem magni huius & potentissimi apud Deum Patriarchæ, non Monachi tantùm suis inculcarunt discipulis, sed, quod mireris, Rex Francorum Hugo Capetus cum coniuge Adelaïde specialiter addicti erant venerationi S. BENEDICTI, in cuius honorem plura erexerant monasteria, de quo audiendus Helgaldus, sincerus (vt Baronius ait) historicus. *Fertur,* inquit, *dixisse moriens bonus Pater* (Rex Hugo) *O optime fili, per sanctam & indiuiduam Trinitatem te obtestor; ne quando animus subrepat acquiescere consiliis adulantium, vel muneribus, donisq; venenatis te ad vota sua maligna adducere cupientium ex iis Abbatiis, quæ tibi post Deum perpetualiter delego; neue animi leuitate ductus quolibet modo distrahas, diripias,*

Hugo Capetus & Adelais S. Benedicti cultores.

Baron. tom. 1. an. Christi 1029.

CAPUT XXXVIII

aut irâ excitante dissipes. Specialiter verò tibi inculeo, nullo pacto Ducem omnium, Patrem dico BENEDICTVM, *à te patiaris diuelli, illum apud communem Iudicem salutis adytum, tranquillitatis portum, postq; carnis obitum securitatis asylum.* Sic ibi. Quibus ista subiicit Baronius: *Vidisti, Lector, secundum illud Iob: Super quo bases illius regni solidatæ sunt, nempè super sanctos, vt de eo dici iure possit; fundamenta eius in montibus sanctis.* Hæc si rex suo moriens commendabat filio; quantò magis hæc audire & facere oportet proprios tanti Patris filios, qui tanto Duce, Magistro, & Pastore gloriantur? *Hunc igitur* (vt Gosfridi Vindocinensis vtamur verbis) *Beatissimum virum, præcordiales amici & fratres, corde & ore suppliciter exoremus, quatenus Pater, Pastor, Medicus, & Magister sic noster esse dignetur, vt piâ paternitate nos nutriat, animas nostras pascat pane virtutum, vulneribus peccatorum & criminum nostrorum medeatur, & suo Magisterio diligenter edoctis, quæ bona sunt operemur, & ad ipsum peruenire mereamur.*

Iob. 38.

Psal. 86.

Serm. de S. Bened.

S. Henricus Imperator S. Benedicti cultor eximius.

Illud postremò non omittendum; illustrem S. BENEDICTI cultorem fuisse S. Henricum Romanorum Imperatorem, qui eum inter præcipuos sibi apud Deum patronos reposuit. In templo siquidem Basileensi, ab eodem Augusto restaurato, multisque donariis condecorato, *eminet* (vt inquit Rhenanus rerum Germanicarum lib. 3. pag. 149.) *lamina illa aurea, ligneæ tabulæ adhærens, septem millibus florenorum æstimata, quâ ipse priuatim in larario suo, cùm viueret, vsus est. Vnde & tutelares Diuos refert, quos ille præcipuè coluit, nempè quatuor Angelos, Michaëlem, Gabrielem, Raphaelem, Vrielem, &* BENEDICTVM, *ac in horum medio stantem Christum, cuius pedibus ipse cum vxore Cunigunde aduoluitur.* Sic ibi. Quæ inde citat Nicolaus Serarius in cap. 12. Tobiæ quæstiunc. 14. Cur autem specialiter S. BENEDICTVM sibi delegerit patronum, ea refertur causa, quòd ab eodem miraculosè à calculi doloribus in monte Cassino fuerit curatus; quem pluribus etiam honorauit donis, vt fusiùs narrat Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. 2. cap. 43. Et ex eo refert Cardinalis Baronius ad annum Christi 1022.

Scio equidem non deesse, qui fidem huius miraculi eleuent, & suspectum habeant Leonis Ostiensis testimonium, quod translationi corporis S. BENEDICTI in Galliam aduersari videatur. Quamuis autem de eâ nobis scribendum non putauerimus, hoc tamen exemplum adscribendum duximus, quòd etiam in secundâ Chronici Cassinensis editione ex M.S. expressâ contineatur, inueniaturque in vitâ S. Henrici Imperatoris cap. 22. quam ex antiquis monumentis edidit Gretserus, de Diuis Bambergensibus, vbi narrato discessu S. Henrici, ista subiunguntur: *Ab eo autem tempore, & deinceps quâdam speciali dilectione & veneratione S.* BENEDICTO, *& omnibus monasticæ religionis cultoribus studuit deseruire, & in amplificandis ac protegendis rebus ecclesiasticis benignus ac deuotus Pater existere. Hæc in Cassino monte scripta inueniuntur, vt & moderni magnalia Dei in memoriâ habeant, & apud posteros per antiquitatem temporis in obliuionem non veniant.* Sic ibi. Videri autem queat Auctor huius vitæ ad Leonis Ostiensis scripta respexisse, illo enim posteriorem fuisse constat, quòd agat de canonizatione S. Henrici factâ ab Eugenio III. Anno Christi 1152. Leo autem ad initium anni 1110. obiit, vt notat Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptorib. Eccles. Sed ex Romano Breuiario nouissimè Vrbani Papæ VIII. auctoritate recognito, confirmationem hæc de S. Henrico historia videtur accipere. Nam in lectione, quæ de hoc Sancto est, dicitur sanitatem insigni miraculo in Cassinensi Monasterio impetrauisse.

Sed nec illorum hîc prætereundum studium, qui nostrâ ætate S. Patriarcham eiusque Sororem, pro instituto Sodalitio honorãdos curarunt. Laërtius sanè Cherubinus, & alij de terrâ Nursiæ, quæ S. BENEDICTO natalis est, Romano Pontifici Paulo V. Anno Christi 1615. supplicarunt pro erectione confraternitatis S. BENEDICTI & SCHOLASTICÆ; quorum precibus benignè Pontifex inclinatus, ad augendum S. BENEDICTI cultum, & Christi fidelium ergà eumdem deuotionẽ, postulatam confraternitatem in Ecclesiâ S. Eustachij de Vrbe instituit, Indulgentiis & priuilegiis exornat, vt in eius Diplomate, quod incipit, *Pastoris æterni*, videre est Tom. 3. Bullarij.

Lubet porrò hîc coronidis loco subiicere Orationem, & Præfationem de S. BENEDICTO, ex Missali Fuldensi, ante nongentos annos conscriptam, atque à Cornelio Schultingio editam; qui statim à Martyrio S. Bonifacij, Missale illud testatur conscriptum.

ORATIO.

OMnipotens æterne Deus, qui radiantibus beati BENEDICTI Confessoris tui exemplis, arduum tuis imitabile famulis iter fecisti, da nobis inoffensis per eius instituta gressibus pergere, vt eiusdem in regione viuentium mereamur gaudiis admisceri.

PRÆFATIO.

Hæc Præfatio habetur etiam inter præfationes antiquas per anni circulum Tom. 2. Liturgicorum Pamelij.

HOnorandi Patris BENEDICTI gloriosum celebrantes diem, in quo hoc triste sæculum deserens, ad cælestis patriæ gaudia migrauit æterna: qui sancti Spiritus repletus dono, decori Monachorum gregis diuinus pater effulsit, & quod sacris monuit dictis, sanctis impleuit operibus, vt quam diuinis inchoauerat oraculis, semitam, exemplis monstraret lucidis, & gloriosa Monachorum plebs, paterna intuens vestigia, ad perpetua lucis æternæ præmia venire mereatur, per Christum Dominum nostrum.

ORA-

ORATIO SVPER POPVLVM,

Quæ illis temporibus vſurpabatur, pro illis, qui non communicabant in ſacro, quod audiebant.

OMnipotens & miſericors Deus, qui beatum BENEDICTVM ad cælorum gloriam diſcipulis videntibus migrare feciſti, da nobis, vt ſicut ille egregius Paſtor extitit Monachorum, ita nos quoque orationibus eius adiuti, illius exempla ſectantes, te ampliante ad vitam peruenire mereamur æternam.

VT autem & nos, cum aliquâ ſanctiſſimi Patris Noſtri inuocatione, Commentarium hunc concludamus, non prorſus importunè hic ſubiicientur à nobis olim quali quali carmine concinnatæ LITANIÆ de ſanctiſſimo Patre Noſtro BENEDICTO. De quibus tamen, ne temeritatis forſitan arguantur, præmonendus mihi, atque etiam præmuniendus es, CANDIDE LECTOR.

I. *Nouum non eſſe has tales Eccleſiæ ſupplicationes metro complecti, iam inde ab octingentis annis ſuo exemplo docuit Rabanus Maurus; qui carmine* LXXI. *communes* SANCTORVM LITANIAS *Elegis incluſit, cuius æuo, (vt Chriſtophorus BroWerus annotauit) mos obtinuiſſe videtur, vt ad faciliorem cantum, & harmoniam,* LITANIAS *metro conciperent, cuiuſmodi Tomo V. Antiqq. Lect. à S. Galli duobus eruditis, & rarâ pietate Monachis, Rutperto, & Notkero elaboratæ afferuntur. Atque hanc rythmicam Litaniam Sangallenſis monaſterij ſui illuſtrator Iudocus Motzlerus, fatetur in Feriis Rogationum hodieq́, vti & Fuldæ vſurpari, eamque à Nicolao III. Pontifice probatam.*

II. *Priuatæ tantùm deuotioni, aut potiùs piæ ac honeſtæ Monachorum noſtrorum recreationi has* LITANIAS *concinnauimus; non autem vt in Eccleſiis, ſiue Oratoriis, aut proceſſionibus vllo modo recitarentur. Neque enim ignoramus Clementis VIII. Decreto id eſſe prohibitum; quòd, vt Pontifex loquitur,* Prætextu alendæ deuotionis iam propè innumerabiles formæ LITANIARVM circumferantur, & in nonnullis ineptæ ſententiæ, in aliis (quod grauius eſt) periculoſæ, & errorem ſapientes inueniantur. *Vt autem hanc erroris, quantum liceret, vitaremus foueam, ſingulas beati Patris inuocationes, ſiue Epitheta, ſuis ad marginalem oram muniuimus auctoribus, qui vel hæc ipſa, vel eis ſenſu æquipollentia ſcriptis ſuis vſurparunt, quæ ipſis eorum verbis ſuprà Prolegomeno XVII. ferè produximus.*

III. *Græcum præmiſimus diſtichon; nullâ ſanè affectatione, ſed vt vſitatiſſimum in Eccleſiâ Dei* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, *ſine vllâ immutatione retineremus. Exemplo præiuerunt Fuldenſes, qui ſuam itidem* LITANIAM, *Græco claudebant diſticho. Sed & Dominicus Lampſonius Horatiano metro vulgatas Sanctorum exhibens* LITANIAS, *eâdem, vt credo, ratione, primam ſtropham Græcè exhibuit.*

IV. *Conſultò S. Patris inuocationes ad* LXIII. *diſticha extendimus, vt ſingulis, ſingulos ætatis eius annos veneraremur. Ne autem prolixitate ſuâ faſtidium Lectori generarent, in VII. Enneades, per totidem hebdomadæ ferias diſtinximus, atque ita additis iis, quæ in initio præmitti, atque in calce ſubiungi ſolent, ſeptenas velut exhibemus* LITANIAS; *meliori, fortè an affectu, quàm verſu, ſed qui ab illo veniam mereatur.*

LITANIÆ DE S. BENEDICTO.


ΎΡΙΕ παντοκράτορ 'ΕΛ'ΕΗΣΟΝ, ΧΡ'ΙΣΤ' 'ΕΛ'ΕΗΣΟΝ,
Κ'ΥΡΙΕ, ω θεῖον πνεῦμ' 'ΕΛ'ΕΗΣΟΝ ἀεὶ.

Christe tuas, bone Paſtor, oues nos, quæſumus avdi,
Exavdi noſtras Christe benigne preces.
Cælestis miserere Pater, miſererier vſque
Cui proprium, & miſeris nolle negare Patrem.
Salvator mvndi, miserere, ter optime, Fili
De Genitrice hominis, de Genitore Dei.
Patris amor, natique Patris, ſed vtrique coæve,
Spiritvs alme Devs, fons, miserere, boni.
Sancta, hominum miserere, Trias, Devs in tribus vnvs.
O Pater! ô fili! ô Spiritus adfer opem!

Ora pro nobis } Sanctissima Virgo Maria,
Sancta Dei Genitrix.
Christi puriſſima Mater,
Virginitatis apex.

DOMINICA.

NOMEN ET SANCTÆ CONVERSATIONIS PRIMORDIA.

Ora pro nobis } O ſancte Pater Benedicte.[a]
Nomine digne tuo.[b]
Diuini nominis hæres.[c]
Nomine quod meritis.[d]
Nomen virtutibus æquans.
Dux nóve militiæ.[e]
Nurſinæ gloria gentis.[f]
Nobilitatis honos.
Tranſcendens moribus annos.[g]
Vir, puer, atque ſenex.[h]

a Officium Eccleſiæ.
b Gregorius hoc 2. Dialog. lib. vt & pleraque alia.
c Gauzbertus Floriac.
d Paulinus de S. Felice Nat. 2. & Odilo.
e S. Odo, S. Bernard. Turrecremata. Trithemius.
f Gregor. in præfat. & alij.
g Ibidem.
h Gregorius ibid.

Mun-

Ora pro nobis

'Mundum cum flore relinquens.[i]
Delicias fugiens.
Instaurans vas prece fractum.[k]
Vas cruce comminuens.[l]
Rigidâ sub rupe quiescens.[m]
Cui studium omne Deus.
Romani pauper alumne.[n]
Nil nisi Numen amans.[o]

[i] Idem, Petrus Damiani, Goffridus Vindocin.
[k] Gregorius cap. 1.
[l] cap. 3.
[m] cap. 1.
[n] cap. 1. & Goffridus Vindocinensis.
[o] Gregorius in præfat.

FERIA SECVNDA.

EXERCITIA MORTIFICATIONIS.

Ora pro nobis

Squalentis cultor eremi.[a]
Vas sine labe nitens.[b]
Abigens per vulnera vulnus.[c]
Cyprida vepre domans.
Rosa duris eruta spinis.[d]
Carni inimice tuæ.[e]
Sæcli calcator & hostis.[f]
Grandis amice Crucis.
Crucifixi in vulnere degens.[g]
Cui via trita Crucis.[h]
Excelsi culminis osor.[i]
Corde humili patiens.
Mundani pulueris expers.[k]
Simplicitate placens.[l]
Optans præ laude labores.[m]
Cui fauor omnis onus.
Morum præclare Magister.[n]
Plebis origo nouæ.

[a] Gregor. & Petrus Damiani, & S. Thomas.
[b] Breuiarium Monastic. ex cap. 50. Eccli.
[c] Gregorius, Zacharias cap. 2.
[d] Ibid.
[e] Breuiar. Monast. Goffrid. Vindoc. & Birgitta.
[f] Goffrid. Vindoc.
[g] Goffridus Vind.
[h] Hildegardus.
[i] Zachar. & Dionys. Carthus.
[k] Goffrid. Vindoc.
[l] Zacharias.
[m] Gregorius cap. 1. & Goffrid. Vindocin.
[n] Gregorius & Zacharias cap. 2.

FERIA TERTIA.

VIRTVTES.

Ora pro nobis

Spirans VIRTVTIS imago.[a]
Relligionis apex.[b]
O paupertatis amator.[c]
Sobrie, iuste, pie.[d]
Taciturni norma silenti.
Gemma pudicitiæ.[e]

[a] Zacharias & Trithemius.
[b] Zacharias.
[c] Goffrid. Vindoc.
[d] Trithemius.
[e] Aimoinus.

Ora pro nobis

Inimici funera plangens.[f]
Vincere docte malum.
Inopum qui factus asylum.[g]
Maxime spretor opum.
Verum solamen egentûm.[h]
Firma columna domûs.[i]
Altissime contemplator.[k]
In prece peruigilans.[l]
Dîo succense calore.[m]
Saucie amore Dei.[n]
Columen, lumenque tuorum,
Præsidium populi.[o]

f Gregorius cap. 8.
g Hugo Capetus apud Helgaldum.
h Gregorius cap. 28 & 29.
i S. Bertharius Martyr. Wern. Rolevinck, Baronius.
k Gregor. cap. 3. & 35. Dion. Carth. Trithem.
l Grego. cap. 35.
m Birgitta, Trithem.
n Zacharias, & Petr. Venerab. & Hilgardis.
o Hugo Capetus.

FERIA QVARTA.

GESTA, ET MIRACVLA.

Ora pro nobis

Pulsus cui cessit Apollo.[a]
Fana profana mouens.[b]
Tellus[c] cui paret, &[d] vnda.
Cui nigra paret auis.[e]
Totilæ formido tyranni.[f]
Colla superba domans.[g]
Venturi conscius æui.[h]
Cordis operta videns.[i]
Alapâ cacodæmona pellens.[k]
Quem stygis antra timent.[l]
Nummos cui misit Olympus.[m]
Qui capis æthre dapes.[n]
Obtutu vincula soluens.[o]
Multiplicans oleum.[p]
Morbi genus omne repellens.[q]
Mortua viuificans.[r]
Requiem dans carne solutis.[s]
Dæmona calce premens.[t]

a cap. 8.
b ibid.
c cap. 24. d cap. 7.
Hæc omnia ex Gregorio & Zacharia.
e cap. 8.
f cap. 14.
g cap. 15. & 31.
h cap. 15. & 17.
i cap. 20.
k cap. 30.
l cap. 8. 9. & 10.
m cap. 27.
n cap. 21.
o cap. 31.
p cap. 29.
q cap. 26. & 27.
r cap. 11. & 32.
s cap. 23. & 24.
t cap. 16.

FERIA QVINTA.

PRISCORVM IMITATIO.

Ora

Sacri bone Pastor ouilis.
Optima forma gregis.[a]

a Gregor. cap. 3. & 36.

Vete-

Veterum pius assecla Patrum.[b]
Prole Abraham referens.[c]
Ceu Moyses Legifer alter.[d]
Dux Gedeona sequens.[e]
Mitis Dauidis ad instar.[f]
Nec Salomone minor.[g]
Thesbitæ imitator Eliæ.[h]
Verbo operâque potens.
Elisæi facta reducens.[i]
Spiritualis homo.[k]
Renouans miracula prisca.[l]
In cruce victor ouans.[m]
Cœlestis tramitis index.[n]
Regulæ imago tuæ.[o]
Totus cui panditur orbis.[p]
Cui patet aula Dei.[q]

Ora pro nobis

b Goffrid. Vindoc.
c Missale & Breuiar. Monast.
d S. Odo, S. Bernardus, Hildegard. Goffr. Vindocin. & S. Thomas.
e Aimoinus.
f Gregorius cap. 8.
g S. Bruno Carthus.
h Gregorius cap. 8. Missale Monast.
i Aimoinus, Missale monast.
k S. Odo.
l Aimoinus.
m Gregorius cap. 3. & 9.
n Paulus Diaconus.
o Gregor. Zacharias cap. 36.
p Gregor. cap. 35.
q Idem cap. 37. Aimoinus Dionys. Carthus.

FERIA SEXTA.

COMPARATIONES VARIÆ.

Rutilans & amabile sidus.[a]
Lucifer exoriens.[b]
Face fulgens Cynthia plenâ.[c]
Sol noue, salque soli.[d]
Fuluo vas dignius auro.[e]
Fructuum oliua ferax.[f]
Rectissima regula vitæ.
Nardus odora nimis.
Speculum pietatis auitæ.[g]
Fons salientis aquæ.[h]
Vitaï nobile lignum.[i]
O Cyparisse virens.[k]
Spatioso palmite vitis.[l]
De Libano alta Cedrus.[m]
Myrrham redolens & aroma.[n]
Thuris odore fragrans.[o]
Lumen venerabile mundi.[p]
Gloria magna Poli.

Ora pro nobis

a Paulus Diaconus, Goffrid. Vind. S. Odo, & S. Odilo.
b Bonizo Sutriens. Episc. & Martyr. Gordianus in vitâ S. Placidi.
c Missale Monast. ex Eccli. 50.
d S. Odo, Baron.
e Missal. Monast. ex Eccli. 50.
f Ibidem.
g Breuiar. Monast.
h Missal. Monast. & Hildegardis.
i Bernardus & Antoninus.
k Missale Monast.
l Trithemius.
m Missale Monastic.
n Trithemius.
o Missale Monast.
p S. Odo, & Baron.

SABBATO.

SANCTORVM ORDINIBVS COLLATVS.

Ora pro nobis

Cherubim bene iuncte cateruis.[a]
Vir specie Angelicâ.[b]
Caput Ordinis, & Patriarcha.[c]
Magnæ Propheta Dei.[d]
Vitæ sectator IESV.[e]
Doctor Apostolice.[f]
O gloria Confessorum.[g]
Martyribus similis.[h]
Abbatum idea bonorum.[i]
Cœnobiale iubar.
Monachorum cincte coronâ.[k]
Inclyte Dux ouium.[l]
Non læse cupidinis æstu.[m]
Virginitate cluens.[n]
Iustorum pneumate plene.[o]
Numine plene Dei.[p]
Sanctissime Cœnobiarcha.
O BENEDICTE Dei.[q]

a Breuiar. Monastic.
b ibidem, Zacharias, Goffrid. Vindoc. Odo, & Birgitta.
c Missale & Breuiar. Monast. Beda, Wern. Roleuinck, Baron.
d Gregorius cap. 12. 13. 15. 17. 18. 19. Breuiar. Monast. Trithemius.
e Petrus Damiani, & Hildegardis. Stephanus III.
f S. Maurus apud Faustum. Goffrid. Vindoc. Petrus Damiani, Beda, Bonizo, Turrecremata.
g Breuiarium monast. Faustus, & S. Bernard.
h Breuiarium Bursfeld. S. Mechtildis.
i S. Bernardus, Stephanus Papa III.
k Missale Monastic.
l Trithem.
m Gregorius, Zacharias cap. 2.
n Hildegardis.
o Gregorius cap. 8. & Goffrid. Vindoc.
p Hildegardis, Birgitta, Dyonys. Carthus.
q Gregorius & alij passim.

Agne Dei, mundi qui tollis crimina, nobis
Parce reis, nostrum dilue quæso scelus.
Agne Dei, mundi qui tollis crimina, nostras
Exaudi facili mitior aure preces.
Agne Dei, mundi fuso qui sanguine tollis
Crimina, tu refugi nunc miserere gregis.

Vers. Liliolum veluti producet germina iustus,
Resp. Florebitque suum iugiter ante Deum.

ORATIO.

Excita Domine, &c.

OMnipotens, æterne Deus, nos Spiritus ille
Qui BENEDICTI olim corde refusus erat
Impleat, vt sancti Pastoris pneumate plenus
Grex, quod amauit, amet, quod Pater egit, agat.
Per Dominum nostrum Christum rogitamus IESVM
Per, Pater, Vnigenam Te Genitore satum.
Vnus qui tecum Deus, & cum Flamine viuens
Omnia sæclorum in sæcula regnat, Amen.

ALIA

ALIA ORATIO.

Intercessio, &c. Abbatis S. BENEDICTI quæſumus omnes,
Nos tibi commendent, ô Deus alme, preces,
Vt quod nos meritis non obtinuiſſe valemus,
Impetret hoc eius grande patrocinium.

CONCLVSIO.

Sancte Pater BENEDICTE, Deum quem conſpicis, ora,
Vt tibi poſt mortem conſociemur, Amen.

Sit nomen Domini Benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

FINIS.



ADDENDA

PAucula hæc manum mentemque scribentis subterfugêre, quæ hoc loco in gratiam Lectoris, apponimus.

Pag.34.col.2.linea 38. post illa verba, S. BENEDICTI *Confessoris non Sacerdotis.* Adde: Idipsum confirmari potest ex Breuiario Ambrosiano, siue Mediolanensi, quod cùm exhibeat triplex Commune Confessorum, nempe, *Pontificis, Sacerdotis, & Confessoris* absolutè; in Proprio Sanctorum XI. Iulij, quo festum S. BENEDICTI ibi reponitur, ita præscribit: S. BENEDICTI *Abbatis & Confessoris solemne. De communi Confessoris:* non secus quàm festis S. Antonij & S. Romualdi idipsum assignatur, & tamen in festo S. Bernardi, S. Galli Abbatum, expressè ponitur: *De Communi Confessoris Sacerdotis.* Ex quâ differentia colligas in Mediolanensi Ecclesia non haberi S. BENEDICTVM Sacerdotem; cui alioqui Commune Sacerdotum fuisset tribuendum.

Nonus testis.

Pag.86.col.1.lin.32. illis verbis, *alias Portiuncula*, intersere: ad cuius exemplar aliud eiusdem nominis ædificatum fuit in agro Assisinate, quod à nostris S. Francisco.

Pag.195.col.1.lin.25. Patris ac Patriarchæ Monachorum. *adde*: Nec stetit hîc nostrorum erga meritissimum Parentem affectus: nam & quotidianam Commemorationem, & hebdomadariam ei decretam venerationem reperias. Inter suffragia enim, quæ singulis diebus matutinis laudibus & vesperis subiunguntur, suum post Virginem Matrem & Apostolos S. BENEDICTVS sortitur locum, vt constat ex Breuiariis. Et quemadmodum singulis penè septimanis non impeditis, Romana Ecclesia celebrat Officium *B. Mariæ in Sabbato*, cum tribus lectionibus: non secus apud nostros viguit quot hebdomadibus peculiare de S. BENEDICTO Officium. In Capitulo enim Northamptoniæ in Angliâ anno 1444. celebrato, ita cap. 1. statuunt Abbates: *Decernimus, & strictè præcipimus temporibus futuris perpetuò duraturum; quatenus exceptis Aduentu Domini, Quadragesima, & octauis Sanctorum; singulis septimanis, si qua dies vacauerit, B.* BENEDICTI *specialis memoria in tribus lectionibus celebratur, dum tamen B. Mariæ Virginis ac Patronorum loci commemorationes solitæ præferantur.* Sic illi. Certam feriam alij velut S. BENEDICTO consecratam huic officio deputarunt. Hinc Constitutiones Vallisoletanæ in Hispania cap. 53. præscribunt, Feriis quartis festo trium lectionum (multò magis duodecim) non impeditis, recitari Officium de S.P.N. BENEDICTO. Quando autem Feriâ quartâ officium est trium Lectionum, secunda Oratio est de eodem S. BENEDICTO, vt habent Cærimoniæ eiusdem Congregationis cap. 6.

Romæ autem anno 1634. in Typographia R. Cameræ Apostolicæ excusum est hoc officium cum hac præmonitione: *Officium sanctissimi Patris* BENEDICTI, *tertiâ per hebdomadas Feriâ non impeditâ, in eius Ordine sacro antiquitus celebrari solitum; generali verò sacræ Rituum Congregationis decreto, contra abusus edito, iampridem intermissum; nunc accuratiùs recognitum, & emendatum, ad instantiam R. P. D. Gregorij à Perusio Congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, in Curia Romana Procuratoris generalis, eadem sacra Rituum Congregatio ex more pristino recitandi facultatem concessit, sub die prima April. 1634.*

Ceterùm & hoc ad Sanctissimi Patris Nostri celebritatem spectare videtur, quod olim in quibusdam Missalibus nomen eius in Canone ante consecrationem cum SS. Apostolis & Martyribus recitaretur. In Sacramentario enim S. Gregorij ex Missali MS. Sancti Eligij Bibliothecæ Corbeiensis, quod Menardus noster edidit, & doctissimis Notis illustrauit, post nomina *Cosmæ & Damiani*, subiicitur: *Hilarij, Martini, Augustini, Gregorij, Hieronymi, Benedicti, & omnium Sanctorum*, &c. Eodem ferè ordine in Codice Remensi, & apud Ratoldum Abbatem ita legitur: *Nicasij, Hilarij, Martini, Benedicti, Gregorij, Amandi, Remigij.* Sed hæc posteriorum quorumdam fuerit deuotio: haud equidem probanda, quod nonnisi Martyrum nomina in Canone exprimantur, nec præter Romanum Pontificem ei quispiam aliquid adiicere possit. Quare Clichtoueus *in Elucidat. Eccles. lib. 3.* scribit: *Aliquorum sententia est haudquaquam aspernanda, Canonem speciali inspiratione, ordinationeque diuina ita vt legitur compositum esse. In cuius rei signum memorant, quod aliqui patres quondam ex singulari quadam reuerentia & deuotione, quam ad certos sanctos habuere, ipsorum nomina studuerunt inserere Canoni, & quorumdam prius appositorum nomina submouere. Sed postridie inuenerunt sanctos, quos apposuerant deletos, & priores litteris aureis inscriptos. Quod dictum sit, ne quisquam suo arbitratu, aut singulari affectu vnquam attentet, aut Sanctos hic nominatos prætermittere, aut alios de nouo inserere, vt Vincentium, Nicolaum, Franciscum, vel quosuis alios. Nam huiusmodi temeraria permutatio, & circa rem tam sacram præsumptio, iudicium Dei non effugeret*, Sic ille.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
AD VITAM S. BENEDICTI.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat.

A.


BBAS *an S. Benedicti & post non necessariò Sacerdos*. 41.1.2. 42.1.2. *talis maior simplici sacerdote*. 49.2. *Eumq; praecedit* 50.2. *Benedicebat oblata esculenta & poculenta*. 82.1.2. *Dormire debet in communi dormitorio*. 167.1.

Abbatum S. Benedicti successorum series 61.2.62.1
Abstinentia S. Benedicti. 188.2
Abundantia Riguardata S. Benedicti mater. 24.2. *Nursini Comitis filia, non fuit Marchionissa Montis-ferrati.* ibid. *Benedictum & Scholasticam vno partu fundit.* ibid. *Rebecca assimilata.* ibid.
Actus heroici quanta vis. 78.2
S. Adalberti Pragensis Episcopi humilitas. 51.1
Adolescentes vltra vigesimum annum Romae olim habitare vetiti. 60.2
Adrenaldi Floriac. de S. Benedicti nobilitate testimonium. 25.2
Aelfredi operâ Pastorale & Dialogi S. Gregorij Anglicè versi. 15.2
Aemiliana S. Gregorij amita Sanctimonialis. 131.2
Aequitius S. Mauri Pater. 88.1. *Nomen eius variè scriptum.* ibid. *Maurum filium offert S. Benedicto.* ibid.
Aetas iuuenilis quorumdam praelatorum. 92.2. *humanae aetatis gradus.* 67.1
S. Aygulphus occiditur à subditis. 83.1
Aimoinus laudator S. Benedicti. 32.1. *eum Gedeoni & Samsoni comparat*. 102.2. *& alijs Sanctis.* 103.1
Alapâ fugatus daemon. 151.152.2
Albertus à Neapoli liberè corripit Ochinum Ordinis sui generalem. 90.1. *praedicit eius casum.* ibid.
S. Aldegundis Sabim traiicit siccis vestigiis. 94.2
Aligerius Abbas Cassinum restaurat. 127.1
Allocutio S. Benedicti Sublacenses deserentis. 100.2. *Placidum mittentis in Siciliam*. 114.1. *Et Maurum in Gallias.* 173.2
S. Amandus apparet S. Aldegundi. 181.1
S. Amator in columbae specie caelos petit. 161.2
S. Amatus in specu degens eodem quo S. Benedictus ministerio pascitur. 74.1.2
Ammon draconibus imperat. 99.2
Amor fraternus quis verus. 102.1
Ampulla in pauimentum lapsa non frangitur. 149.2
Anachoresis sine praeuio exercitio periculosa. 68.2. *Coenobitarum Patres plurimos producit.* ibid.
Anachoretae varias excogitarunt mortificationes. 101.2. *quàm validè à daemonibus oppugnati.* 108.2
Anathematis sacri vis. 141.2.142.1
B. Andreae Zoerardi in trunco arboris habitatio. 70.2
Angeli comites S. Benedicti. 101.1. *Clientum suorum personam subinde induunt.* 139.2
Angelus in viri specie apparet. 179.2. *An specie S. Benedicti Placidum ex aquis eduxerit*. 96.2. *S. Benedicto apparet.* 172.1.
S. Angelus in columba specie caelos petit. 161.2
Anicij quàm nobiles. 23.1.2. *Ex ijs ortus S. Benedictus*. 23.1. 24.1.2. *in senatu primò sententiam dicebant*. 23.2. *primi post Constantinum Christiani.* ibid. *Martyres Anicij*. 24.1. *Confessores & illustres feminae.* ibid.
Anima è corpore egrediens an videri possit. 170.2
Animalia Sanctis quibusdam familiaria. 99.1.2. *vt homini reddantur subiecta.* ibid.
Annus mortis S. Benedicti. 175.176
Antonia Aurelianensis in Francia fundat Congregationem B. Mariae in monte Caluariae, & S. Scholasticae. 72.1. *Singulariter colit specum S. Benedicti.* ibid.
S. Antonini elogium de S. Benedicto. 31.2
Antoninorum nomen olim summo in pretio. 27.1.2
S. Antoninus Cassinensis anachoreta insignis. 126.1
S. Antonius imperat bestiis. 99.2. *apparet illi spiritus fornicationis*. 77.1. *Eius cellula in rupe*. 70.1. *non fuit Sacerdos*. 34.1.2.35.1. *Arianis oppositus à Deo.* 22.1
Antonius Perez asserit S. Benedicto Sacerdotium. 33.2
Antonius de Yepez multis probare nititur S. Benedictum fuisse Sacerdotem, 33.2. *eius pro hac re argumenta*. 45.2.46.54.1.55.1. *Rectène S. Maurum Sacerdotem faciat*. 43.2. *emendatus.* 120.1
Antonius Molina computat S. Benedictum inter Monachos non Sacerdotes. 35.1
Anxur oppidum. 138.2
Apocrisiarius quis. 110.1
Apollo Cassini cultus. 98. *destruitur eius idolum à S. Benedicto.* ibid.
Apollonio cibi adferuntur ab ignotis. 136.2
Apostolis, quomodo quidam Sancti dicantur suppares. 195.2.
Apparitiones viuorum. 138.2. *Quomodo fiant.* 130.1
Aquas calcare an maius, quàm iisdem dimissis incedere. 95.1. *quomodo ijs quidam inambularint.* 94.2
Aquinum oppidum vbi situm. 120.1
Arausicani concilij celebrandi quae occasio. 164.2
Archidiaconus non sacerdos presbyteris superior. 45.1
Argumenta pro S. Benedicti Sacerdotio non prorsus euincunt. 55.1.2.
Ariani Monachos & Clericos persequuntur. 153
Armiger Totilae ob violatam virginem morte punitus. 117.2
Arnulphus piscem veneno infectum à coruo asportari curat. 99.1.
S. Arsenius non fuit Sacerdos. 34.1.35.1
Asceta Monachi. 158.2
Asceterium pro Coenobio. 132.1
S. Athanasius Monachos complures Sacerdotes & Episcopos ordinauit. 36.1
Auctores quidam à libris suis nomen sortiti. 10.1
Auctores qui S. Benedictum in pueritia mundum reliquisse asserunt. 66.1.2
S. Audomarus in vepribus se volutat. 78.2
S. Augustini de viuorum apparitionibus doctrina. 139.1.2. *Confirmatur à recentioribus.* ibid. *Ait se visum in Africa, se nesciente.* ibid.
S. Augustinus haereticis oppositus à Deo. 22.1. *monet Monachos ne Clericatum detrectent*. 36.2. *Sanctorum ordinibus* colla-

S

collatus. 102.1. Piusbarba an promissa. 183.1

Aureola quid, & quibus conueniat. 193.1.2. Quotuplex S. Benedicto obtigerit. ibid.

Aureus quanti olim æstimatus. 147.2

Aurifabri de S. Gregory scriptis impudens calumnia. 19.2

Ausbi ebertha necem tentant Moniales. 83.1

B.

BAnnez de visione diuinæ essentiæ censura. 169.1.2

Baradati in arca dura habitatio. 70.2

Barba S. Benedicti an promissa. 183.1

Baronius emendatus. 11.2. 100.2. Sententia eius de insignibus. 26.2. Elogia de S. Benedicto. 31.2. Reuocat in dubium epistolam S. Benedicti ad Remigium. 122.1. Soluuntur eius argumenta. ibid. 2. Sententia de ætate S. Benedicti eremum petentis. 66.1. respondetur ei. 67.1.2. Laudat Cassinense Monasterium. 105.1. Quid de anno mortis S. Benedicti sentiat. 176.1.

Barthy critica obseruatio refutata. 125.1

Basilius magnus Patribus comparatus. 102.1. Iuxta ciuitates Cœnobium ædificauit. 238.1. Arianis à Deo opponitur. 22.1

Baxea, quid. 116.1

Bedæ elogium de S. Benedicto. 32.1

Bellarminus negat S. Benedicto Sacerdotium. 35.1. Explicatur eius dictum de Abbatibus Sacerdotibus. 46.1

Benedictini Ordinis amplum encomium. 22.2. mirandi fructus in ecclesia Dei. ibid. & 23.1. à Sancto Benedicto benedictionis nomen hereditarunt Benedictini. 29.2. debent hinc Patrem suum imitari. ibid. Olim in locis solitariis cœnobia ædificabant. 137.1.2. iuxta oppida. 138.1. Et post vtiliter in ipsis oppidis. ibid. Saluti animarum licitè student. 138.1. Castaneo colore depicti. 185.1

Benedictini Hispaniarum defendunt sententiam de viso Deo à S. Benedicto. 168.1

Benedictio pro Eulogia. 154.2

Benedictione carere, quid. ibid.

Benedictiones, quas Abbates impendunt, non adstruunt S. Benedicti Sacerdotium. 47.2. possunt dari à non presbyteris. ibid. Episcopo inferior petat à secundo Chori. 48.1. Quæ exeuntibus dantur, non sunt necessariò sacerdotales. ibid. aliquando à minoribus impensæ. 49.1

S. Benedictus

Monachis proponitur imitandus. 2. Qui eius vitam scripserint. 5.1. Historici & Chronologi. 6.1. Martyrologia. ibid. Sermones de S. Benedicto. ibid. Poemata. 6.2. Hymni. 7.1

S. Benedicto gloria accedit à Scriptore vitæ eius Gregorio. 13.1.2. 14.1. quàm ea vtilis. 16.1. moralem doctrinam firmat. 18.1. 2. hæreses confutat ibid. 19.1.2. Natus Nursiæ. ibid. Non ex Vrsinorum genere. ibid. Nursiam ortu suo maximè illustrauit. 21.1.2. Eam defendit & protegit. ibid. Occidenti afflicto à Deo missus & datus. 22.1. Natiuitas felix vniuerso mundo. ibid. 2. Ex ipso diuersi Monachorum Ordines deriuati. ibid. Aniciorum genere ortus. 23.1. 24.1.2. Qui eius Parentes. 24.2. Cùm Scholastica vno partu editus. ibid. in vtero matris psallere auditus. ibid. Illustrior spreto Anicio stemmate. 25.2. Eius insignia. 26.1. Nomen suauissimum. 27. Benedictionis præsagium. ibid. eius excellentia. ibid. & 28. eius egressus & ingressus tropologicè explicatus. 29. Quibus à Deo præuentus Benedictionibus. 28. 29. eius epitheta & elogia. 30. 31. 32. Ab omnium ferè Ordinum hominibus laudatus. ibid. fueritne Sacerdos. 33. & seq. Non fuisse longè probabilius. 34. integro probatur tractatu. 39. Quinam ei Sacerdotium tribuant. 33. Quive negent. 34. 35. Quid mouerit eum abstinere Sacerdotio. 38.1. 39.1. 40.1.2. illud negare non illicitum. 55.2. gesta eius compendio narrantur. 56. Romæ studet. 59. 60.2. studia deserit. ibid. eius in pueritia maturitas. 60.1. domus. 61.1. Capisterium redintegrat. 62. Nutricem fugit, & Sublacum petit. 63. Habitu monastico donatur à Romano. ibid. Innotescit pastoribus, aliisq́; ibid. Diuino instinctu eremum petit. 65.2. Quando id factum. 66.1.2. Quoto ætatis anno. ibid. cur tam iuuenis Deo se dedicauerit. ibid. 67.1. S. Ioanni Baptistæ comparatus. ibid. à Spiritu sancto edoctus. 73.2. Non fuit inuentor vestis monasticæ. 70.1. In specu arctissimâ viuit. 71.1. Quid in ingressu fecerit. 72.2. Supellex eius. ibid. quo vsus libro. ibid. Cilicium semper gestauit. ibid. 73.1. flagris an vsus. 73.1. austeritas eius in specu. ibid. Nullam Regulam professus fuit antequam suam conderet. ibid. 2. Nihil intulit in eremum. 74.1. Diuinis intentus Pascha ignorat. 75.1. habitus eius in specu. ibid. 2. Tentationem carnis superat in vepreto. 76. ibidem se nudans defenditur à Nouatoris calumnia. 77.2. in exemplum proponitur. 78.1. eligitur in Abbatem. 79. veneno appetitur. ibid. Crucis signo vas venenatum frangit. ibid. dyscolos Monachos relinquit. ibid. Quoto ætatis anno factus Abbas. 81.1.2. vt rexerit. ibid. Prælatis, qui à suis vexantur, exemplum & solatium. 83.1. vt habitarit secum. 84.2. fuit Ecstaticus. 85.1. Immeritò pietatis arcessitur à Sectariis. ibid. 2. Quando & vbi duodecim Cœnobia erexerit. ibid. 86.1. Tanquam Generalis omnia moderatur. ibid. 2. Cur duodenos cuique Monasterio deputarit. ibid. Suscipit Patricios Romanos, & eorum filios. 88.2. vt pueros nobiles sibi oblatos erudierit. ibid. Monachum vagum virgâ cædit, & emendat. 89. fontem è rupe elicit. 91. ferrum ex aquis educit. 92. Ad Religionem admittit quoscumque capaces. ibid. 2. In electione ad officia non ætatem, sed virtutem spectari voluit. ibid. 2. S. Maurum constituit Priorem. ibid. Renouat miraculum coniunctionis ferri cum manubrio. 93.2. Agnoscit S. Placidum in aquas lapsum, mittit Maurum, adscribit miraculum obedientiæ discipuli. 94. recipit panem veneno infectum à Florentio missum. 97. imperat coruo vt deferat in locum incognitum. ibid. pascit coruum, & fratrem vocat. 99.1. declinat Florentij persecutionem. 97. illacrymatur morti eiusdem. 98. Maurum exultantem castigat. ibid. Omnium iustorum spiritu plenus. 98. 102. habuit ferè omnes gratias gratis datas. 102.1. 103.2. petit Cassinum. 98. quo anno. 99.1. Diuina reuelatione confirmatus. 100.1. valedicit Sublacensibus. 100.2. qua caussa locum mutet. ibid. Iter hoc describitur. 101.1. Comites habet Angelos & coruos. ibid. Marcius eremita locum ei cedit. ibid. Inimicos perfectè dilexit. 102. Comparatur Patribus antiquis. 102.1.2. 103.1. Cassini destruit idololatriam. 98. 105.1. prædicat, & conuertit plurimos ad fidem. 98. Diuinitus eligitur ad hoc munus. 105.1.2. supplet locum & vicem Episcopi Cassinensis. ibid. est verus prædicator Apostolicus. ibid. imo Apostolus. ibid. Construit oratoria S. Ioanni & S. Martino. 98. diabolum corporaliter videt frementem & sibi aduersantem. ibid. Quid egerit Cassinum appulsus. 106. 2. oratione à saxo dæmonem depellit. 107. Phantasticum incendium detegit. 108. Puerum à pariete confractum sanat. 109. Claret prophetico spiritu. 110. S. Placidum in Siciliam mittit. 123.1. gaudet eum martyrio coronatum, & coram fratribus perorat. ibid. 2. Alios Monachos in Siciliam ablegat. 114.1. Totilæ regis simulationem detegit. ibid. Ipsum increpat & emendat. 117. Episcopo Canusino quæ de Roma prædixerit. ibid. Sanat Clericum dæmoniacum. 118. conscius Diuinorum secretorum. 119. Energumenam remittit à S. Remigio sanandam. 121.2. Epistola eius S. Remigio scripta. ibid. reuocatur in dubium cum historia tota. 122.1. defenditur. ibid. Cassini euersione prædicta, impetrat à Deo animas. 124. Consolationem ab eodem recipit. 225.2. Orando lacrymari solitus. ibid. furtum pueri cognoscit. 128. Claudum sanat. 129.1. lapidi figuram sui corporis imprimit. ibid. 2. Mittit suos ad Concionandum. 130. videt Monachum recipere mappulas sine licentia. ibid. Elisæo similis. 132.1. videt superbam Monachi cogitationem. 233.

nobili-

nobilitas eius frustra in dubium vocata. ibid.1. fratres in magna fame consolatur, & Dei opem spondet. 135. Absens dormientibus designat loca ædificando Cœnobio. 137. Suos proximis lucrandis utiles esse voluit. 138.1. Minatur Monialibus loquacibus excommunicationem. 140. Tradit Eucharistiam mortuo consepeliendam. 143. Expenditur hoc factum. 144.2. Cur Monachum inconstantem discedere iusserit. 145.1.2. Elephantiacum sanat, subuenitq; debitis grauato. 147. Sanat veneno infectum. ibid. dat omnia pauperibus. 148. Castigat Cellarium parcum & inobedientem. ibid. Oleum precibus impetrat. 150. peritissimus animarum medicus. 150.2. Alapâ dæmonem pellit. 151. Infantem mortuum resuscitat. 155. & alios duos pueros. 156.2. Colloquitur cum Scholastica sorore. ibid. 157. Non solus. 160.1. videt mortuam Sororem in cælum ferri. 161. Sepulchro suo eam inferri curat. 162.1. An Moniales ad clausuram adegerit. 159.2. Mundum sub Solis radio contemplatur. 163. videt Germani Episcopi animam in cælum deferri. ibid. quomodo id factum. 169.1. viderit ne diuinam essentiam. 168.1. probatur. ibid. vnde tantum ei priuilegium. 169.2. Regulam scribit. 171. vbi, & quando. 172.1. quàm doctus fuerit. 171.1.2. Ordinis sui priuilegia & propagationem edocetur. 172.1.2. S. Maurum in Gallias mittit. 173.2. præuidet & prædicit obitum suum. 174. 177.2. Sanctissimè moritur. ibid. Sententia varia de anno mortis eius. 175.1.2. Adstruitur verior. 176.1.2. Quo die obierit, & cuius ætatis. 177.1. Cur sepulchrum suum aperiri iusserit. 178.1. Stans mortuus. ibid. 2. Triumphalis in cælum ingressus. 179.1.2. eius gloria. 178.2. 180.1.2. Sepultura & Epitaphium. 181.1.2. fuit procera statura. 182.1. An eius barba promissa. 183.1. quales eius vestes. ibid.2. Cuius coloris. 184.2. Comparatus stellæ, Lunæ, & Soli. 185.2. eius virtutes generatim ostensa. 186.1. Amat numerum duodenarium. ibid. Totidem præcipua eius virtutes. ibid. Mundi contemptus. ibid.2. Solitudinis amor. ibid. Diuina præsentia exercitium. 187.1. Studium orationis. ibid.2. Mortificatio. 188.1. Abstinentia & sobrietas. ibid.2. Humilitas. 189.1. Mansuetudo. ibid.2. Paupertas. 190.1. Liberalitas. ibid. Zelus animarum. ibid.2. Regula obseruantia. 191.1. Mulier amens in eius specu sanatur. 192. Miracula eius qui descripserint. 193.1. Quot aureolæ illi competant. 193.2. 194.1. fuit virgo. 193.2. Doctor. ibid. quo sensu & Martyr. ibid. 194.1. Eius festiuitas in Ecclesia Latina & Græca. ibid. Quibus in locis sit de præcepto. 195.1. Cultus & inuocatio S. Benedicti. ibid.2. Apostolis quo sensu æquiparetur. ibid. Sanat Henricum Imperatorem. 196.1.2. Sodalitas eius nomini erecta. ibid. Litania de S. Benedicto numeris inclusa. 198. & seq.

BENEDICTVS nomen suauissimum. 27.1. Eius excellentia. ibid.2. Christo peculiariter competit. 28.1. BENEDICTI martyres dicti. ibid. & Confessores. ibid.2. Hodie in Oriente BENEDICTI audiunt Ecclesiastici & Religiosi. ibid.

Bernardini Ochini apostasia ex neglecta oratione. 90.1

S. Bernardus vitam & doctrinam S. Benedicti deprædicat. 17.1.2. Vita eius martyrij instar. 194.1. Censet Deum à S. Benedicto visum. 168.1. reprehendit pretiosa ædificia. 107.1. Energumenam bis sanauit. 121.1

S. Berthary carmen de natiuitate S. Benedicti. 22.1. à Saracenis occiditur. 127.1

Bertingrannus Cœnomanensis Episcopus quis fuerit. 173.1. An Benedictinos in Gallias euocauerit. ibid.

Besarion aquas innoxiè calcat. 94.1

Birgittina fossam sepulchralem quotidie adeunt. 178.1

Blasius siccis plantis lacum transit. 94.1

Blandinus venit ad S. Benedictum. 114

S. Bonauentura negat S. Benedictum fuisse Sacerdotem. 33.1 quædam confirmat ex eius vita. 18.1.2. Tenet Deum à S. Benedicto visum. 168.1

S. Bonifacij Episc. Ferentini miracula in pueritia. 65.1.2

Bonifacius I. ab hæreticis vocatus Malefacius. 106.2

Bonizo Episc. S. Benedictum laudat. 31.2

Breuiarium Romanum Sancti Benedicti nobilitatem adstruit. 25.2.

S. Bruno amplissimo S. Benedictum effert elogio. 32.2. Eundem Salomoni confert & præfert. 102.1

C.

CAietanus Abbas quæ scribat de S. Benedicti domo. 61.1. & Enside. 64.2

Calces apud Romanos quales. 115.2

Caluini de S. Gregorio elogium. 18.1. Eiusdem in eum effrons calumnia. 19.2

Canusij oppidi situs. 117.2

Canusinati qui dicti. 118.1

Capisterium à S. Benedicto restauratum. 62. Quid illud. 65.1.

Capua etymon, situs & potentia. 170.1

Caputia veterum acuminata. 184.1. Sancti Benedicti quale. ibid.

Carnes quibusdam à morbis curatis interdicta. 120.2

Caroli magni versus ad Paulum Diaconum. 104.2. 105.1. laudat Cassinense Monasterium. ibid.

Carolomannus fit Cassinensis Monachus. 126.2

S. Carolus Borromæus anno 23. Cardinalis & Archiepiscopus creatus. 93.1

Casci populi. 104.1

Cassinense Monasterium vbi exstructum. 104.1.2. est caput totius Ordinis. ibid. Illius status modernus. ibid. Sedes pietatis, & à magnis viris hoc nomine celebratum. 105.1. Eius admiranda olim potentia ibid. Seminarium Sacrorum Antistitum. ibid. Monachorum manibus exstructum. 107.1. destruitur à Longobardis. 124. Quo anno. 125.2. quamdiu durauerit ea vastitas. ibid. restauratur à Petronace. 126.1. Eximitur à Iurisdictione Episcoporum. ibid. 2. Claret iterum & resurgit in pristinum splendorem. ibid. Eius mira fœcunditas. ibid. Siconulphus illud expilat. ibid. à Saracenis incenditur. 127.1. Iterum restauratur ab Aligerno. ibid. à Normannis iterum diripitur. & ab aliis miserè vexatur. ibid. Cælestinus V. illud Ordini suo vnire contendit. ibid. vertitur in Episcopatum. ibid. Iterum in Abbatiam. ibid. Traditur Commendatariis. ibid. 2. Reformatur, & vnitur Congregationi S. Iustinæ. ibid. Tradunt nullum Cassini in letali peccato mori. ibid. Laudatur à Petro Damiani. ibid.

Cassinenses Romam se receperunt destructo monasterio à Longobardis. 126.1. sed non omnes. ibid. Quidam relicti pro custodia sepulchri S. Benedicti. ibid. Petronacem sibi præficiunt, & Cœnobium restaurant. ibid. plurimi occiduntur à Saracenis. 127.1. Theani aliquamdiu habitant, & Capuæ. ibid.

Cassinensis Episcopatus in Abbatiam transit. 105.2

Cassinensium disputatio coram Lothario à Baronio reiecta. 44.1.

Cassinum an gemino SS scribendum. ibid. origo nominis. ibid. descriptio loci. 98. 103.2. olim dicebatur Harum. 104.1.

Cassiodori Cœnobium vt structum. 104.2

Castelli montis secreta Eremitis assignata. 104.2

Catechumeni olim à missa dimissi. 141.1

Cella duplex Religiosi. 84.2. Interior maximi facienda. ibid.

Cella pro Monasterio. 62.2. 158.2

Cellarius Monasterij. 148.2. Non sit auarus, & in pauperes restrictus. 149.1. quidam lucro nimis intentus castigatur. ibid.

Cellula, in quâ S. Scholastica & Germani animas in cælum deferri S. Benedictus vidit, descriptio. 165. Encomium heroico carmine. ibid.

INDEX.

Centuriatores refutati. 85. 2. Eorum in S. Gregorium calumniæ. 12. 1. perstringuntur. 149. 2. Pontificum nomina peruertunt. 106.2
Charitine calcat aquas maris. 94.1
Christiani quomodo olim inter se communionem seruabant. 141. 1.
Christus quomodo miracula fecerit & Sancti in eius nomine. 153. 1. 2. eius vestigia saxis impressa. 156. 1. In marmore figuram suam imprimit. 182. 1. Fuit procera statura ibid. 2.
Chronotaxis vitæ S. Benedicti. 56. & seq.
Cyrilla nutrix S. Benedicti. 61.2
Cilicium S. Benedicti. 72. 2. 73. 1. S. Mauri & S. Placidi. ibid.
Cisternæ Monachorum habitacula. 70.1
Cistertienses S. Benedictum strenuè æmulantur. 17. 1. in locis solitariis Monasteria extruxerunt. 137.2
Claudus gressui à S. Benedicto restituitur. 129.1
Clausura Monialium quam vetus. 130.1.2
Clemens Ancyranus Episcopatum iuuenis adiit. 93.1
Clementis VIII. decretum de Litaniis. 197
Clerico excommunicato & mortuo cælum non patet, nisi absoluto. 142.2
Clericus dæmoniacus à S. Benedicto sanatur. 118. Interdicit illi carnes & Ordinum susceptionem. ibid. rursus ob hæc neglecta à dæmone corripitur. 119.121.1. Non fuit Sacerdos. 120.1
Cælestinus Papa ab hæreticis vocatus Infernalis. 106.2.
Cælestinus V. Cassinum Ordini suo vnire satagit. 127.1. illud visitat. 128. 2. Indulgentias dat Sacello S. Crucis. ibid.
Cænobitarum patres extraordinariè ex solitariis producti. 68. 2.
Collationes Patrum S. Benedicto lecta. 39.2
Colloquij spiritualis fructus. 160.2
Colloquium S. Benedicti cum Totila quando acciderit. 117.2
Color vestium S. Benedicti. 284.2 185.1
S. Columbani Pænitentiale Regula dicitur. 82.2
Columbaria monasterium. 86.1
Columbæ specie qui ad cælos euolarint. 161.2
Columna cui imposita sæculares vestes S. Benedicti. 68.2
Comitum officia & dignitas. 116.2
Comparatio S. Benedicti cum priscis Patribus. 101.2.102.1
Communicandi ordo in primitiua Ecclesia. 37. 1. modus apud veteres. 52.2
Confessio qui fiebat in Monasteriis vbi Abbates non erant Sacerdotes. 47.1
Confraternitatem Religiosorum ambire quàm antiquum. 113.1
Constantius Episc. Aquinas, quis. 120.1
Contemplationis effectus. 85.1
Contentio amica inter S. Benedictum & S. Maurum, dirimitur à S. Placido. 95.2
Conuersatio interior elucidatur. 84.1
Conuersatio pro Monachatu. 69.2
Conuersio feruidè incipienda. 73.2
Conuersus pro Monacho. 125.1
Conuersus proprietarius flagris emendatus. 90.2
Cor domus nostra interior. 84.2
Cordis occulta quomodo Sancti cognoscant. 134.2
Corona quid significet apud S. Paulum. 180.2
Corona Monastica vsus an posterior S. Benedicto. 95.1
Corporis magnitudo commendata. 182.1
Corpus affligendum famente carne. 78.1
Correptio quomodo adhibenda. 151.1
Corui comitantur S. Benedictum. 101.1. Annonam à Cassinensibus petunt. ibid. obediunt S. Cuthberto. ibid. ministrant Eliæ. ibid. eorum encomium. ibid.
Coruus alitus a Benedicto. 97. Iussus venenatum panem auferet. ibid. à S. Benedicto frater nominatus. ibid. alter coruus S. Arnulfo obedit in simili caussa. ibid.
Crypta, in quâ sepulchrum est S. Benedicti, descriptio. 181.1.2
Crimina Monachorum plagis, vel expulsione digna. 145.1.2
Cruce signabant potum veteres Christiani. 82. 1. & cibum. ibid. 2.
Crux imposita basi Apollinis à S. Benedicto. 105. 1. Eadem in specu liber S. Benedicti. 72.2
Cubitorum genuumq; signa saxis impressa. 155.2
Cultus S. Benedicti. 195.1
Cuthbertus aquam è petra elicit, 91.2. phantasticum incendium prædicit & extinguit. 108.2

D.

DÆmon conatur auellere homines ab oratione. 89.2.90. 1.2. tintinnabulum frangit. 63. ioannis Eremitæ frustra insidiatur. 74.2. Tintinnabulum eius secundo frangit. ibid. Monachum inuadit, & alapâ fugatur. 151. vbiq; laqueos tendit. 152.2
Daniel puer Seniores increpauit. 92.1
Danielis Abbatis humilitas. 40.1
Dauid inimicos luget. 102.1
Decani non necessariò Sacerdotes. 45.2
Defensoris nomen officiumq;. 133. 2. 134. 1. Quomodo electi. ibid.
Dei erga Ecclesiam prouidentia. 22.1.2. 21.1. In clarificandis sanctis adhuc viuis admonitiones. 120.1
Dei Patris elogium de S. Benedicto. 30.1
Denarius quanti pretij. 147.1.2
Deus S. Benedicti austeritatem prædicat. 73.1. Eius curam gerit. 63. Se verè quærentibus de temporalibus prouidet. 74.2. Seruos suos in necessitatibus cibat. 136.1
Diabolus excitat phantasticum incendium. 108. S. Benedictum & discipulos eius oppugnat. ibid. Quæ loca potissimum infestet. ibid. 2. Ad obsessos à quibus expulsus subinde redit. 120.2 Exemplis monstratur. 121. 1. vti monachos ad Clericatum instiget. 40. 2. Monachum abducit ab oratione. 89. flagellis abigitur. 90. 2. vim patitur a S. Benedicto. 98. apparet eidem corporea & tetra specie. ibid. In forma Mulo-medici. 151. apparet S. Macario cum vasculis multis. 152. 2. lapidi insidet, & immobilem facit. 107. S. Benedicti precibus pellitur. ibid. Institutis ordinum Religiosorum semper infestus. 100.1
Diaconatu solo multi contenti. 43.1
Diaconis prædicandi munus committi potest. 52. 1. Cur humero sinistro stolam gestent. ibid. Olim SS. Eucharistiam porrigere iis licitum. 52.1
Dialogi S. Gregorij propugnantur. 12. 2. In varias linguas translati. 15. 1. Ex iis arma petita contra schismaticos Græcos. 15. 2.
Dialogistæ apud Zabarellam argumenta pro S. Benedicti Sacerdotio. 33.2. 44.2. 45.1. 46.2. 47.2. 48.2. 51.2. 54.2.
Dialogistico charactere qui vsi. 9.1
Dialogorum amœnitas. 9.2
Dies obitus S. Benedicti. 176.2
Digniorem à minus digno fratrem vocari, & benedici olim non insuetum. 113.1
Dionysij Carthusiani elogium de S. Benedicto. 32. 2. Tenet eum vidisse diuinam essentiam. 168. 1. Negat eiusdem Sacerdotium. 34. 2. & S. Mauri. 43.2
Doctoratus aureola S. Benedicti. 193.2
Doctrina vitæ conformis quàm efficax. 1.2
Domus S. Benedicti Romæ. 61. 1. consecratur in ecclesiam. ibid. Ex ea fit collegium Gregorianum. ibid.
Domus interior quæ. 84.2
S. Donati monasterium. 86.1
Donatus Monachus S. Placidum in Siciliam comitatur. 113.1
Dragma denario Romano æquiualens. 147.2
Ducum quæ olim dignitas. 116.2
Duodenarius numerus a S. Benedicto seruatus. 86. 2. quare. ibid.

Εκκλη-

E.

Ἐκκλησιέκδικοι qui. 133.2
Ecclesiæ status S. Benedicto nascente. 22.2
Ecclesia distincta ab oratoriis. 37.2. plures in vno Monasterio. 106.2
Eduardus Rex contractum quomodo sanarit. 120.2
Effusio in exteriora nocet. 84.2
Elephantiasis quis morbus. 146.1
Elephantinus à S. Benedicto sanatus. 146
Eliseus arguit Giezi ob accepta clam talenta & vestes. 132.2
Emmanuel Caleca Dialogis Gregorianis Græcos confutat. 15. 2.
Ensidæ nomen, & situs. 64.2
Enses gestandi mos. 115.2
Epiphanius indignum iudicauit Monasterium carere Sacerdote. 36.2
Episcopi Monachi facti Abbatibus se postposuerunt. 51.1
Episcopi cum Eucharistia sepulti. 144.2
Episcopi Cassinenses. 105.
Epistola S. Benedicti ad S. Remigium. 121. 2. reuocatur in dubium. 122.1. defenditur. ibid.2
Epistola fratrum Remensium ad Cassinenses è MS. S. Martini primum edita. 123.2. Iudicium de ea. 124.2
Epistola Roffredi Cassinensis Abbatis de quibusdam miraculis S. Benedicti. 128.2
Epitaphium S. Benedicti. 181.2
Erasmus notatus. 35.2. existimat S. Benedictum recusasse Sacerdotium. ibid. refutatus. 171.1
Espada. 115.2
Espeè. ibid.
Effusæ diuinæ visionem plures S. Benedicto tribuunt. 168.1.2. probatur eadem sententia. ibid. seq.
Euangelij lectio in Matutinis an solis Presbyteris & Diaconis competat. 42.2
Eucharistiæ veritas probatur contra sectarios ex S. Benedicti vita. 18.2. eius contactus non probat S. Benedicti Sacerdotium. 52. 2. 53. 1. olim viri manibus, fœminæ linteo eam sumebant. ibid. Eius effectus. 143. olim mortuis cum sepeliebatur. 144.1. quod posteà antiquatum. ibid. Quid per hunc ritum intenderint. ibid.
S. Eugendus recusat Sacerdotium. 39.1
S. Eulaliæ anima in columba specie visa. 161.2
Eulogiæ vt olim distributæ. 142.2
S. Euphrosyna à Monacho attonsa, & veste monachica donata. 69. 1.
Europius S. Benedicti Pater. 24. 2. Ductâ vxore Abundantia, Riguardati agnomen assumit. ibid. Eius insignia. 26. 1.
Eusebius in fossa degit. 70.1
Eusebius Corradus sensit S. Benedictum non fuisse Sacerdotem. 33.2
Excommunicati è tumbis visi exire. 141.2.142.1
Excommunicationem ferre, & ab ea absoluere possunt non sacerdotes. 54. 1. eius vis. 141.2.142.1
Exemplorum quanta efficacia. 16.1
Exhilaratus flascones S. Benedicto referre iussus vnum abscondit. 128. fit Monachus. ibid.
Extemplo in sacris vsurpatum. 141.2

F.

Falcastrum, quid. 92.1
Fames ingens in Italia. 135
Familia S. Benedicti etiamnum superstes Nursiæ. 20. 1. 24. 2.
Faustus laudat S. Benedictum. 31.2. emendatus. 181.1. propter obedientiam S. Benedicto carus. 87.2
S. Felix à Paulino commendatus. 27.2
Feminæ duæ septemdecim viros in magna fame comederunt. 135. 2.
Feminis olim Eucharistia in linteo data. 53.1
Festum S. Benedicti celeberrimum 194.1.2. quibus in locis sit de præcepto. 195.1
Flagellis quidam ad meliorem frugem reducti. 90.2
Flascones quid sint. 128.1
Florentius inuidet S. Benedicto. 97. mittit ei panem venenatum. ibid. Impudicis choreis discipulos eius perdere nititur. ibid. horribili morte à Deo punitur. ibid. qualis fuerit. 99.1
Fluuius mirus circa Nursiam. 20.1
Fons è rupe manat precibus S. Benedicti. 91. hodie superstes. ibid. 1.
Forma vestium S. Benedicti qualis. 183.2
Fortunatus Cassinensis Episcopus. 105.2
Franciæ Legati ad S. Benedictum pro fundandis Monasteriis. 173.1
S. Franciscus non fuit Sacerdos. 34.1.2. 35. 1. 2. Non desiderabat in Monasteriis suis multiplicari missas. 38. 1. Visione mira roboratus abstinet Sacerdotio. 39. 2. pergit in Syriam ad prædicandum Euangelium. 51. 2. Scienter nesciens. 61. 2. Humilitatis insigne exemplum præbet. 77. 2. Eius sapientia vindicata. 171. superbiam socij cogitationem quomodo castigarit. 134. 2. Corpus in niuem mergit. 78. 2. specum S. Benedicti inuisit. ibid. vepretum in quo se volutauit S. Benedictus, exosculatur, & in rosetum vertit. 79. 1. proprietarij cadauer exurit. 84.1
S. Franciscus de Paula in pueritia eremum petit. 67.1
Frater vagabundus septies flagellatur, & emendatur. 90.2
Fredrici II. satellites Cassinum diripiunt. 127.1
S. Frontonio monitu diuino cibaria deferuntur. 74.2

G.

Gabriel Pennottus refutatus. 36.2.37.1
Galliarum misera facies nascente S. Benedicto. 22.2
Gaspar Barthius notatus. 99.1
Gennadius Scholarius Gregorium I. cum II. confundit. 10.2 Græcos refellit ex Dialogis S. Gregorij. 15.2
Georgius Niger notatus. 106.2
Georgius Fabricius S. Benedictum Lupercum faciens, perstringitur. 77.2
S. Geraldus in vtero matris vocem emittit. 25.1
Germaniæ vastitas nascente S. Benedicto. 22.2
Germanorum propinandi mos vnde. 83.1
Germanus Episc. visus à S. Benedicto in cælum ferri. 163. Quis fuerit, & quæ gesserit. 167.1.2
S. Gertrudis visio de gloria S. Benedicti. 178.2.180.1
Getæ an ijdem cum Gothis. 115.1
Goffredi Vindocin. elogium de S. Benedicto. 31.1
Gonzalus Syluerìa materno in vtero vagit. 25.1
Gordianus sub S. Benedicto Græcis & Latinis litteris imbutus. 88.1. Scriptor vitæ S. Placidi. 112. 2. mittitur cum eodem in Siciliam. 113. 1. emendatur eius historia. 114.2
Gothardus Episcopus contumaces subditos excommunicat. 142.1 Quid miri tum acciderit. ibid.
Gothi qui, & vnde dicti. 115. 1. quamdiu steterit ipsorum regnum. ibid.
Gothorum reges quando regias vestes primum assumpserint. 116. 1.
Gothorum calcei quales. 116.1. vestes & arma plenius descripta. 116.2
Gothus à S. Benedicto recipitur. 91. vepres exscindens ferrum perdit. ibid. Accusat se. 92.1. recipit ferrum. ibid.
Gotten / Gorden / Gotten. 115. 1.
Gratiani sententia Benedictiones regulares dandas ab Abbatibus Sacerdotibus. 48.2. ab ea recessum. ibid. Ex Gratiano colligi potest S. Benedictum non fuisse Sacerdotem. 51.2

S. Gregorius Magnus
scripsit libros Dialogorum 7.1. & in ijs vitam S. Benedicti. 8.1.2. Eiusdem in Monachos affectus. ibid. Dialogos respersit iucunda varietate. 9.2. Dictus Dialogus. 10. Scribenti columba adpingitur. 11.1. Dialogos suos Theodolindæ dedicat. 12.1. Eosdem quanta fide conscripserit. 13.1. Laudatur. ibid. Eius scripta quanti æstimata. 15.1. Dialogi ipsius translati in linguam Græcam, Anglicam, & Gallicam. 15.1.2.16.1. se Græcè nescire fatetur. 15.2. Ex Anciana familia. 24.1. plures recenset Abbates non sacerdotes. 41.2. 42.1. Monasterio suo præfecit Probum hominem laicum. ibid. Existens Abbas non erat sacerdos. ibid. Non omnia S. Benedicti gesta scripsit. 54.2. 191.2. Nec ordine. 81.1. Mandat clausuram Monialium. 130.2. Apostolus Anglorum 105.2. Quid de eo quod fertur orasse pro sepeliendis in Ecclesia S. Andreæ, ut saluarentur. 143.2. Comparat miracula Sanctorum inter se. 150.1.2
Gregorius II. perperam Dialogus dictus. 10.1
Gregorius III. curat Monasterium Cassinense restaurari. 126.1
Gubba, quid. 70.1
Guelphi & Gibellini Cassinenses infestant. 127.1

H.

HAbitare secum quid. 80.84.2
Habitus Monasticus collatus olim à Sacerdotibus. 69.1. Et simplici Monacho. ibid. imò & à laicis. ibid.2
Harum olim pro Cassino positum. 104.1
Hebræi cur non super aquas ambulauerint. 95.1
Henricus Imperator S. Benedictum impensè coluit. 196.1.2. & quare. ibid.
Herba in fame quæsita. 136.1
Hierarchia Ecclesiastica adstruitur ex vitâ S. Benedicti. 18.2.
Hieromonachi qui. 37.1
Hieronymi Coquelini relatio de Cassino. 127.2
S. Hieronymus ex humilitate Missam non celebrat. 36.2.38.1. eius Monasterium. 86.1
Hieronymus à Politio negat S. Benedicto Sacerdotium. 35.1.
Hydria S. Placidi lapidi impressa. 95.2
S. Hilarion non fuit Sacerdos. 34.1. 35.1.2. adhuc puer eremum petit. 67.1. Imperat draconi. 99.2.
Hincmarus ab errore vindicatus. 122.2
Historia Plani Horatiani. 99.2
Homerum multi suum ciuem iactant. 20.2.21.1.
Honoratus Sublacensibus præficitur à S. Benedicto. 62.1. fuit Sacerdos. ibid.
Honoratus Episcopus à pueritia Sanctus. 67.2
Hora Canonica asserta ex vitâ S. Benedicti. 19.1
Hospitis gratia remissum à Monachis ieiunium. 75.1
S. Hubertus alapa dæmonem pellit. 152.2
Hugo Capetus rex Franciæ venerationem S. Benedicti inculcat filio. 31.2
Hugonis Episcopi humilitas. 51.1
Huldrichus Coccius perstringitur & refutatur. 7.2.8.1.2.
Humilitas S. Benedicti. 189.1.2

I.

IAcobi Breulij de S. Benedicti Sacerdotio sententia. 35.1. Negat & illud S. Mauro. 44.1
Iacobus à Marcia matrem solatur utero conclusus. 25.1
Ieiunium probatur ex S. Benedicti vita. 19.1
S. Ignatius Loyola quid de cæca Obedientia. 96.1. Apparet Leonardo Kesselio. 138.2
S. Ildefonsus Dialogos S. Gregorij laudat 13.2. eiusdem de magno Gregorio elogium. 13.2
Ilicet, quid. 141.2
Imaginariæ apparitiones quomodo fiant. 139.2
Imitator Christi S. Benedictus. 187.2
Imperatores Constantinopolitani insigne imperij in calceis habebant. 116.1
Imperatorum calcei purpurei. 116.1
Imperatrici negatus ingressus in Fuldense Monasterium. 160.1.
Infans mortuus à S. Benedicto resuscitatus. 155.
Iniuriarum memoria quando plenè sepulta. 102.1
Innocentius Papa ab hæreticis vocatus Nocentius. 106.2
Innotesco à quibus actiuè sumptum. 103.2
Inobedientiæ pœna. 143.
Insignium usus an recentior. 26.1. cui finidata. ibid.1. successerunt in locum imaginum. ibid.
Inuocatio S. Benedicti. 195.1
B. Ioanna cilicium suum vocat Benedictum. 73.1
S. Ioannes Euangelista gemmas fractas an solidauit. 65.1
Ioannes Eleemosynarius sepulchrum sibi parat. 178.1
Ioannes XXII. Cassinum erigit in Episcopatum. 127.1
Ioannes de Medicis resignat Abbatiam Cassinensem. 127.2
Ioannes Diaconus à censura Baronij vindicatus. 11.1. Eiusdem magna auctoritas. ibid.
Ioannes Picardus Dialogos S. Gregorij in linguam Gallicam vertit. 16.1
Ioannes Monachus apparet mulieri deuota. 139.1
Ioannes Abbas quid sentiret de Monachorum Sacerdotio. 40.2
B. Ioannes Eremicola in specu degit, & à matre sonitu tintinnabuli alitur. 74.2. dæmonis astum eludit. ibid.
S. Ioannis Monasterium. 86.1. eius Sacellum à S. Benedicto extructum. 98. ubi situm. 106.1
Isaac Monachus spiritu prophetiæ clarus. 128.1
S. Isidori de magno Gregorio elogium. 13.1
Isidorus Abbas Paulæ Romanæ occurrit cum Monachis. 36.2
Italiæ clades sub S. Gregorio. 118.2. calamitates nascente S. Benedicto. 22.2
Ite Missa est, explicatum 141.1
Iter S. Benedicti ad Cassinum à quibus descriptum. 101.2
Iube Domne benedicere, explicatum. 47.2.48.1.2
S. Iudoci liberalitas cœlitus remunerata. 136.1
Iulianus Sabas in antro degit. 70.1
[illegible] II. Cassinum unit Congregationi S. Iustinæ. 127.2
Iurisdictio quodam respectu Ordini præponitur. 45.1
Ius Canonicum explicatur. 85.2
Iustinianus S. Benedicti auus. 24.1. alius fuit à Iustiniano Imperatore. ibid. qui eiusdem S. Benedicti cognatus germanus. 24.1
Iustis, qui verè Deum quærunt, nihil deest. 136.2
Iustus Monachus S. Gregorij non est is, quem corripuit S. Benedictus. 89.1

L.

LAcernatus cum promissa barba irrisus. 183.1
Lacrymæ Sanctorum unde prodeant. 101.2
Lacus in quem cecidit S. Placidus. 95.2
Laici possunt fieri Guardiani. 47.1. qualis talium auctoritas. ibid.
Laici olim Eucharistiam tangebant, asseruabant, & aliis deferebant. 52.2. vestem Monasticam contulerunt. 69.2
Laicus quidam à dæmone tentatur ad comedendum. 111. consentit, & à S. Benedicto increpatur. ibid.
S. Lambertus Episcopus Abbati se subdidit. 51.1
Lampas vitrea in pauimentum cadens non frangitur. 149.2
Langhebaerde. 125.2
Lapis in quem corruerat S. Benedictus mollescit. 129.2
S. Laurentius Sublacensis. 86.1
Leonardus de Assisio S. Francisco se præferens deprehenditur. 134.2.
Liberalitas S. Benedicti. 190.1
Liberius Patricius construit Monasterium 163. ubi & quando. 165.1. Quis fuerit. 164.1. Eius commendatio ibid. Epitaphium. 165.1

Lymnaus

Limnaus sab diuo viuit inclusus. pag.70.col.2.
Litaniarum metricarum antiquitas.197. quanam in ijs obseruanda. ibid.
Litaniæ de S.Benedicto versu Elegiaco. 198
Locus Dialogorum correctus. 109.1. 110. 2. alterius lectio confirmata. 125.1
Longobardi Cassinam diripiunt. 124. vnde sic dicti. 125.2. Quando irruperint in Italiam. ibid.
Ludouicus Pius laudat S. Benedictum. 31.2
Ludouicus Alcasar non benè intellexit prophetiam S.Benedicti. 118.2.
Luperci quales. 77.2. An S.Benedictus se audans ad vepres eos imitatus. ibid.
Lutherus ridet S.Benedictum aliosq́, qui carnem domuerunt. 78.1. Eius impium dogma de corporis castigatione explosum. ibid. Missam detestatur. 18.1. Excommunicationem exsibilat. 19.1

M.

S. MAcarius non fuit sacerdos. 34.1.35.1.2. Se affligit in carnis tentatione. 78.1
Macedonius in fossa degit. 70.1
Macrinus Imperator creatus nominis Antonini titulo, 27.1
Maerschalck. 152.1
Maiella Eremitarum Benedictinorum sedes. 104.2
Mali bonos ferre non possunt. 97.
Mansuetudo S. Benedicti. 189.2
Mappula quid. 132.1
Marcella Monasticen profitetur in sua domo. 131.1
Marescbal. vnde deriuetur. 152.1
Marcus eremita S.Benedicto Cassinum reliquit. 101.1.2. secedit in montem Marsicum.ibid. Catena sibi pedem alligat. ibid. iubetur illam soluere à S. Benedicto. ibid. Faeritne Benedictinus. ibid.
Marcus poëta S. Benedicti discipulus. 101.1. Carmen eius de S. Benedicto. ibid.
Maria Ægyptiaca benedicit Sosimæ Sacerdoti. 49.1. Iordanem siccis plantis transit. 94.1
B.V.Maria de S.Benedicto testimonium.30.1. eius in Primerana Monasterium. 86.1
Mariambuli ante S.Maurum. 94.1
Maronituram mos celebrandi vnam Missam. 36.2
SS. Martyres dæmoniacum sanare nolunt. 118. & quare. 120.1.
Martyres sunt Religiosi. 194.1
Martyrij aureola an S.Benedicto tribuenda. 193.2
Martyrius Antiochenus episcopatui renunciat. 84.1
S.Martini oratorium à S.Benedicto ædificatum.98. vbi situm. 106.1.
S. Martinus remittit infirmum vt sanetur à S. Hermelando. 120. 1.
Matres dictæ actiuæ vitæ mancipati. 32.2
Matres filios comederunt. 136.1
Matta monachorum opus. 109.2
Matthæus Laureius S.Benedicto Sacerdotium tribuit. 33.2
S.MAVRI commendatio. 87.2. offertur S.Benedicto. 88.1. quo anno. ibid.2. Egregius S. Benedicti imitator. 87.1. 43.1. Anitij generis surculus. 24.1. Laudat S.Benedictum.31.2. 195.2. non fuit Sacerdos.43.1.2. probatur.44.1.2. fit Prior Claustralis in Sublaco. 92.1.2. quoto ætatis anno. ibid.2. Cassinensem Priorem egit.93.1.2. Innoxiè calcat aquas, & Placidum ex ijs educit.ibid. adscribit miraculum S. Benedicto. 94. quomodo primus post S. Petrum super aquas ierit.ibid.1.2. Insigne exemplar cæcæ obedientiæ. 95.2. Illustratur.96.1.2. Nunciat S. Benedicto Florentij interitum. 97. pœnitentiam ideò accipit. 98. non est comitatus S. Benedictum.100.1. Eum imitatus in dedicandis oratorijs.106.2. Clericum fermentarium vitæ reddit. 109. 2. Mittitur in Gallias.172.2.173.2. Accipit Regulam à S. Benedicto. ibid. Reliquias & epistolam. 174.1. Iter eius describitur. ibid.1.2. Peruigilat & precatur in morte S. Benedicti. 178.2. An visionem habuerit post eius transitum. 179.1
Maurilio venenum propinatur. 83.1
Maurolicus S.Benedicti Epitaphium edit. 181.2
Maximilianus I. feretrum sanm circumfert. 178.1
Melchioris Cani de Dialogorum fide sententia castigatur. 12.2
Meldense concilium illustratum. 84.2
S. Meletij nomen melleum.27.2. Apparet Theodosio Imperatori. 138.2
Melote quæ vestis. 96.2
Melotes vestis S. Benedicti in specu. 75.2
Membrana in sepulchro S. Mauri inuenta eum Leuitam fuisse. 44.1. quanta sit fides. ibid.
Merula quæ auis. 76.1.2
Messalinus S.Placidum Messanæ suscipit. 113.2
Miles excommunicatus eiicitur è terra. 142.1
Missalia MSS.S.Maurum vocant Leuitam. 44.1
Milletius Episcopus refractarios deserit. 84.1
Miracula S. Benedicti à quibus scripta. 193.1
Miraculum ingens meritis S.Benedicti factum. 93.2
Moysis mansuetudo. 189.2
Molanus S. Mauro titulum Leuitæ tantùm tribuit. 43.2. eiusdem auctoritas. ibid.
Monachi olim non erant omnes Sacerdotes. 33.2. 34.2. 41.2. Medij inter Clerum & populum. 36.1. postea Clerici facti, Sacerdotes, & Episcopi. ibid. Ad titulum Monasterij Sacerdotes ordinati. ibid.2. qua ratione olim communicarunt. 37.1.2.38.1.53.1. Illis olim non ita strictè vetitum dare & accipere Eleemosynam. 69.1.2. In sui mortificationem ingeniosi. 70.1. rigida habitacula elegerunt. ibid. Ita spiritualibus intenti, vt cibi obliuiscerentur. 75.2. ad omnia fercula & scyphos benedictionem petebant. 82.1.2. Quidam necem suis prælatis machinati. 83.1.2. quo casu non possint eligere Abbatem. 85.2. Olim non tonsurabantur ante professionem. 95.1.2. montes inhabitare gaudent. 104. Exire volentibus olim missio non negabatur. 145.2. foris contra Regulam comedentes à S.Benedicto arguuntur. 110.
Monachi qualis oratio secundùm S. Antonium. 85.1
Monachi superba cogitatio à S. Benedicto detecta. 133
Monacho fugitiuo fit obuius draco. 144. non erat Nouitius. 145.1. Cur ergo permissum illi discedere. ibid.2
Monachus fugere debet Episcopos & mulieres, dictum priscorum. 39.1. Credens se Diaconi officium agere falsò irrisus. 40.2. vagus à S.Benedicto increpatur. 88. ab eodem cæditur, & emendatur.89. Energumenus ab eodem sanatus.151. Inobediens à dæmone corripitur. 121.1. Orationem intermittens damnatum se proclamat. 90.1. frustra monetur, & desperans moritur. ibid. alter panes accipit è cælo. 136.2
Monachus Martyr excommunicatus tempore missæ è tumba exit. 141.2. Absolutus requiescit. ibid.
Monasteria Benedictina in montibus.104.2. extra oppida olim constructa 137.1. & in ipsis oppidis. 138. Prima Ordinis S. Benedicti Monasteria.85.2. quando & vbi exstructa.ibid. eorum series variè recensita. ibid. 86.1. fuerunt Abbatiæ non Prioratus. ibid.2. Cur olim à laicis frequentata.111.1. veterum Monasteria qualia. 87.2. Non fuere tantùm scholæ litterarum. ibid.
Monasterium vnum plures habebat Ecclesias. 106.2
Monastria sunt Moniales. 158.2
Moniales garrulæ à S.Benedicto monentur sub pœna excommunicationis. 140. Non habitabant in Monasterio. ibid. 1.2. Subdita S. Benedicto. 141.
Monialibus an clausuram præscripserit S.Benedictus. 159.2
Monialium triplex olim institutum. 130.1. Quædam viuebant sub clausura. ibid. Aliæ subinde exibant. 131.1. quædam in domibus suis habitabant. ibid. Hæ profitebantur in manibus Episcopi sine tribus votis. ibid. 2. Regula tamen adstringebantur. ibid. Quales fuerint quibus S. Benedictus concio-

concionatores mittebat. 132. 1. Earum clausura quam vetus. 130. 1 2. Pachomiana & S. Cæsarÿ nunquam exibant. ibid. Benedictinæ olim clausæ. 131.1
Montes a Monachis quæsiti ad inhabitandum. 104.2
Mortificatio S. Benedicti. 188.1.2
Mortificatio in minimis vtilissima. 112.1
Mortui absolui possunt ab excommunicatione, non à peccatis. 54. 1. Excommunicari non possunt. 142. 2. quomodo absoluantur. ibid.
Mulier amens in S. Benedicti specu sanata. 192
Mulieres a Fulda exclusæ. 160.1
Mulles quales calces. 115.2
Mulo-medicus, quis. 152.1
Mundi contemptor S. Benedictus. 186.2
Mundus totus qua ratione videri possit. 163.

N.

Νάρθηξ quid sit. 141.2
Nazareth Christi conceptu clarior. 21.1
Nazarius & Celsus super vndas ambulant. 94.1
Neapolitani à Totila deuicti. 117.1
Nicanum Concilium permisit Monachis clericatum. 36.1
Nicolat quid. 136.2
S. Nicolaus apparet Constantino. 138.2
B. Nilus Dominico sui esse seminare docet exemplo S. Benedicti. 17.1.75.2
Nobilitas generis haud inæstimatur à prudentibus. 23.1
Nominis imponendi quæ olim ratio. 27. 1. dabantur boni ominis indicia. ibid. quæ suauia. ibid. augusta & honorifica. ibid. Sanctiorum merita & virtutem signantia. ibid. 2. S. Benedicti nomen expensum.
Nominum propriarum vsus in media ætate. 164.2
Normanni Cassinenses diuexant. 127.1. à Monachis profligantur. ibid.
Nouatorum error de Monastico habitu. 70. 1. Male vertunt Monasteria in scholas. 87. 2. historiam de coruo, & pane inter fabulas habent. 99. 1.2. In Monachos maledicta iacientes dæmonem imitantur. 106.2
Nursia S. Benedicti patria. 19. 2. situs & alia qualitates. 20. 1. Cur episcopo careat. ibid. 2. Sancti & illustres Nursini. ibid. S. Benedicti ortu maximè illustrata. 21. 1.2. Eam defendit contra hostes. ibid.2
Nutricum conditio. 64.1

O.

Obedientiæ cæcæ illustre exemplum. 94.95.2.96.1
Oblationes olim ad altare offerri solitæ, populoq; distribui. 142.1
S. Odilo laudat Gregorium Magnum. 14.1
S. Odonis de Gregorio Magno eloquium. 14. 1. vt vitam S. Benedicti commendet. 16. 2. 195. 1. quæ epitheta illi tribuat. 32.1.181.1
Odo Fossatensis S. Maurum vocat Leuitam. 44.1
Oeconomi erga pauperes tenaciores notati. 149.1
Officia danda iuxta virtutem, non ætatem. 92.1
Oleum multiplicatum. 150.1
Oraculum pro oratorio. 106. 1. alia eius significatio. ibid.
Oratio mentalis an vsitata tempore S. Benedicti. 89. 1. non negligitur sine periculo. ibid. probatur exemplis. 90. 1. resistendum dæmoni, qui suadet negligere. ibid. 2. mentem eleuat. 85.1
Orationes de S. Benedicto. 196
Oratoria in Monasterio plura habebant Monachi. 106.2
Ordericus vitalis correctus. 126.2
Ordines gemini plerumq; à Deo excitati. 23.1.2.137.2
Ordinum Patriarchæ subditorum actiones è cælo vident. 132. 2.
Ordo Congregationis secundum Conuersionis tempus, & vitæ meritum spectatur à S. Benedicto. 50.1.2

P.

S. Pachomius crocodilo flumen traiicit. 99. 2. Non fuit Sacerdos. 34. 1. Nec suos esse voluit. 37. 2. 40. 2. Sororis suæ funus curat. 162.1
Panis veneno infectus S. Benedicto offertur. 97. vnanimitatis & vnitatis symbolum. 99. 1. olim panem sibi inuicem mittebant Christiani. ibid. Sumitur pro Eulogia. ibid.
Pascha in latus vsurpatum. 75. 1. Eius celebrandi diuersa ratio tempore S. Benedicti, & ante. ibid.2
SS. Patres quid sentiant de Sacerdotÿ excellentia. 40.1
Patriam suam illustrant excellentes viri. 20.2.21.1.2
Patriarchæ Religionum degeneres filios pro suis non agnoscunt. 83. 2.
Patricÿ quales. 88.2
Patricÿ Romani visitant S. Benedictum. 112.2
Patriciorum calces quales. 115.2
S. Patricius nutrici suæ mel impetrat. 65. 1. flumen traiicit sine nauigio. 94.1
Patris nomen imitationem exigit. 3.
Patroclus flumen transit siccis plantis. 94.1
Paulus Diaconus laudat S. Benedictum. 32.1
Paulus V. Confraternitatem S. Benedicti & Scholasticæ instituit. 196.2
Pauperes vt iuuerit S. Benedictus. 190. 1. paupertas quomodo seruata à priscis Monachis. 69.2
Πέδικλον. 151.1
Peregrinatio ad montem Cassinum olim celebris. 127
Perfectionem varÿ variè adipiscuntur. 65.2
Perones quales calcei. 116.1
S. Petri Ecclesia ad Ensidem cedit Collegio Gregoriano. 64.2
S. Petri Venerabilis de S. Benedicto elogium. 32.1
Petronax Abbas restaurat Cassinum. 126. 1. Non fuit Episcopus. ibid.2
S. Petrus cæcum & claudum remittit ab aliis Sanctis curandum. 120. 2. facilè ambulauit super aquas. 95.1
Petrus Blesensis negat Sanctum Benedictum fuisse Sacerdotem. 34.1
Petrus Boërius in eadem sententia. 34.2
Petrus Canensis pluribus apparet adhuc viuens. 138.2
S. Petrus Cælestinus ex humilitate non celebrans, iubetur sacrificare. 34. 2. Existimauit S. Benedictum non fuisse sacerdotem. ibid.1
Petrus Damiani Episcopatum dimitti posse probat ex vita Sancti Benedicti. 17. 2. laudat eundem sanctum. 31. 1. Episcopatui se abdicat. 84. 1. Memoria lapsus. 178.2
Petrus Diaconus Dialogorum interlocutor, fuit Benedictinus & Cardinalis. 10. 1. 2. S. Gregorio familiaris, & eo dilectus. ibid. Eius libros defendit contra æmulos. 11. 1. Moritur ex condicto pro eorumdem assertione. ibid. Sepelitur iuxta S. Gregorium. ibid. 2. Salutiolæ ei dicatur ecclesia, in qua miraculis claret. 12.1
Petrus Martyr notatus. 143.2
S. Philippus Nerius alapas impingit se visentibus. 152.2
Φλαωνίον. 128.1
Pictauiense Concilium explicatur. 45.1
Pierius insignium antiquitatem probat. 26.2
S. Pynuphius Abbas & Sacerdos latere desiderat. 40.2
S. Pyrminius in duodecim Monasteriis totidem deputat Monachos. 87.1
Pius II. Sublacum adit. 68. 1. Specum S. Benedicti inuisit. 71. 2. loca à S. Benedicto tacta exosculatur. ibid. Spiritúales gratias confert. ibid.
S. Placidus insignis S. Benedicti imitator. 17. 1. Anicÿ generis surculus. 24. 1. laudatur. 87. 2. S. Benedicto offertur. 88. 2. quo anno. ibid. 2. adest S. Benedicto aquam prodigiosè impetranti. 91. labitur in aquas. 93. extrahitur à S. Mauro. 94. cui adscribat miraculum. ibid. quomodo per capillos ex aquis eductus. 95. 1. 2. Mittitur in

Sici-

Siciliam. 113.1. Miracula patrat. ibid. 2. Messanam appellit. ibid. fit Martyr. ibid. Annorum vitæ eius periodus. 114.1. Quo anno obierit. ibid. 2
S. Plato à famulo in Monachum attondetur. 69.2
Plebeiorum calces olim albi. 115.2
Plebis malitia satis est ad prælaturæ renunciationem. 85.1
Plessaus notatus. 143.1
Plumbariola cœnobium S. Scholasticæ. 158.1
Pluuiam lacrymis impetrat S. Scholastica. 156
Pœna foris manducantium. 110.2
Pœnitentes post mortem fidelium communioni restituti. 142.2
Polydori Vergilij opinio de Monastico habitu reiecta. 70.1
Pompeianus Abbas vagum Monachum S. Benedicto sistit corrigendum. 88
Poppo venenum innoxiè haurit. 83.1. alapâ dæmonem fugat. 152.2.
Potestas clauium Sacerdotum propria. 46.2
Prædicare solis Sacerdotibus & Diaconis concessum. 51.1.2.52.1
Præfatio in Missa S. Benedicti. 196
Prælati in iuuenili ætate. 92.2.93.1. triplici de causa tales eligi possunt. ibid. quas ob caussas abdicare se possint. 85.1. Quinam à suis vexati regimen dimiserint. 84.1. Vide v. Abbas.
Præpositi ex mente S. Benedicti non necessariò Sacerdotes. 45.2.
Præsentiæ diuinæ exercitium. 187.1
Presbyter diuino monitu S. Benedicto cibum defert. 63. Quis fuerit. 74.2
Presbyter à Macario sanatur, sed cum conditione vt sacris abstineat. 120.2
Priuilegia Ordini S. Benedicti à Deo concessa. 172.1
Proba Faltonia S. Benedicti atauia. 24.1. Laudatur à sanctis Patribus. ibid. Græcè & Latinè doctissima. ibid.
Probus creatus Abbas antequam Monachus. 42.1
Professio facta sine tribus votis. 131.2
Prophetæ triplici modo vident absentia. 132.2. An prophetiæ spiritus illis semper assistat. 135
Proprietarius post mortem à S. Francisco crematus. 84.1
Psiathus quid. 109.1
Puer Monasterij desertor apud Parentes moritur. 143. alter à pariete confractus sanatur à S. Benedicto. 109
Pueri nomen quomodo accipiatur in Scriptura & S. Gregorio. 67.1.2. perfectionis capaces. 65.2. 67.1.2. moribus senes. 60.1
Pueros quot suscitarit S. Benedictus. 156.2

Q.

Quirinus Martyr super mare graditur. 94.1

R.

Rachis Longobardorum Rex Monachum profitetur Cassini. 126.2
Radbertus Corbeiensis Abbas, nec Sacerdos. 42.2
Rapa quadraginta librarum. 20.1
Raptus ad Deum orationis finis. 85.1
Reginaldus S. Benedicti exemplo delinquentes virga percutit. 18.2. Conuersum proprietarium flagris cædit & emendat. 90.2. Item alterum qui fugam meditabatur. ibid.
Regula accuratè à S. Benedicto obseruata. 191.1. est via ad cælum. 3. 180.1. qua seruata tempore S. Benedicti. 110.2. Sancti Benedicti vbi & quando scripta. 172.1. laudatur. 170.172.1. non tantùm laicis scripta. 37.1
Regula Monachorum non est Hieronymi, nec Eustochio scripta. 46.2
Religio spirituale martyrium. 194.1
Religiosi duplex cella. 84.2. tepido suadendum vt in ea sedeat. 85.1. boni sunt martyres. 194.1. Dyscoli describuntur. 83.2. vt fundatores suos præsentes existimare debeant. 132.2. possintne cessare à manuum labore, & eleemosynis viuere. 73.2. obiecta diluuntur. ibid. 74.1
Religiosos non sacerdotes necdum venisse ad perfectionem suæ vocationis, falsum est. 34.2
Religiosus status defenditur à Sectariorum calumniis. 19.2. Eius habitus tacitus monitor. 141.1
Reliquiarum veneratio adstruitur ex S. Benedicti vita. 19.1
S. Remigius Episcopus creatus anno 22. ætatis. 93.1. liberat Energumenam sibi à S. Benedicto missam. 121.2. Laudat eumdem. 123.1
Responsalis quis. 110.1
Responsum pro negotio. 110.1
Reuelatio S. Benedicto facta dum migrat è Sublaco. 110.1
Riggo Totilæ Spatarius regem se simulat. 114
Riguardatorum familia ex S. Benedicti stirpe. 20.1.24.2
Ritus duplex benedictionis mensæ. 82.1. propinandi ad mensam. 83.1
Romæ clades à S. Benedicto prædicta. 117. quomodo intelligenda. 118.1. quando acciderit. ibid. 2. Eius æternitas an ex S. Benedicti vaticinio colligatur. ibid. Romæ litterarum studia florent. 60.2. & vitia. ibid. 61.1
Romanus Monachus S. Benedicto habitum monasticum confert. 63. Eum in spelunca pascit. ibid. fuit Sanctus & Abbas. 68.1. qui de eo scripserint. ibid. S. Benedicto necessaria subministrans defenditur. 69.1.2. fueritne Benedictinus. 73.2.
S. Romaricus in septem Cœnobiis duodenas constituit Moniales. 87.1
S. Romualdus nunquam nouaculam admisit. 95.1
Rota Monachis pro cella. 71.1
Rudericus venit ad S. Benedictum. 114
Ruina terribilis orationem negligentis. 90.1
Runcones quid sint. 92.1
Rupert. Tuit. de Magno Gregorio elogium. 13.2. existimat S. Benedictum vidisse diuinam essentiam. 168.1
Rusticus ligatus solo aspectu S. Benedicti soluitur. 153

S.

S. Sabas ... S. Benedicti monasticen propagat in Palæstina. 23.2
Sabinus Episc. Canusinus visitat S. Benedictum. 117. Quis fuerit. 118.1
Sacci, quibus farina Cassinensibus diuinitus allata, conseruati. 136.1.
Sacellum S. Crucis. 128.1. Indulgentiis à Cælestino V. donatum. ibid. 2. aliud in loco vbi S. Benedictus habitum monasticum accepit. 68.2
Sacerdos Nouitius ex mente S. Benedicti probandus vt cæteri. 50.1. Concessum ei post Abbatem stare, dum sacris operatur & non aliàs. 49.2.50.1
Sacerdotes Monachi plures in vno Monasterio. 38.1. vnus tantùm Missam celebrabat. ibid.
Sacerdotij dignitas & excellentia. 33.1. exigit magnam sanctimoniam. ibid. An eo initiatus fuerit S. Benedictus fusè disputatum. 33. & seq. probabilior sententia negatiua. 34
Sacerdotium non est necessarium ad perfectionem religiosam. 55.2.
Samuel puer Heli redarguit. 92.2
Sancti non ex dignitatum gradu, sed meritis æstimati. 155.2. Quo sensu aliqui Apostolis æquiparati. 195.2. Qui siccis plantis aquas calcarunt. 94.1.2. Miracula sua supprimunt. 95.2. Quidam bruta habuerunt familiaria. 99.1.2. Eorum lacryma ex charitate fusa. 102.1. Vt iudicia Dei sciant & nesciant. 119. à dæmone etiam obsessi. 121.1. Vt cordium secreta cognoscant. 134.2. An prosit iuxta eorum corpora sepeliri. 143.1.2. Miracula quomodo patrent. 153.1. Quinam sorores sanctas habuere. Eorum vita via est ad virtutem. 172.2. Qui sepulchrum sibi præpararint. 178.1. Qui mortui erecto corpore. ibid. 2. Eorum accidentalis gloria

cx-ans-

INDEX.

ex animarum lucro. 180.2. Procera statura. 182.2. Aspectus ipsorum ad pietatem excitat. 183.1. Intelligunt se à nobis inuocari. 192

Sanctulus Presbyter Nursiæ colitur. 20.2

Saraceni Cassinum incendunt. 126.2. plures Monachos trucidant. 127.1

Saul verè fuit obsessus. 121.1

Scala Religiosorum Ordinem designat. 180.1

Scatebra fluminis iuxta Cassinum. 104.1

Schola an fuerint veterum monasteria. 87.2

S. SCHOLASTICA S. Benedicti soror. 24.2. 156. eius nomen expenditur. 157.2. In monasterio Deo oblata. ibid. fuit propriè dicta Monialis. 158.1. 159.1.2. & Abbatissa. ibid. Cœnobium exstruit. 158.1. 86.1. fratrem visitat, & tempestatem ciet. 156. Colloquitur tota nocte. 157. Cur quotannis fratrem accesserit. 159.2. Eius sanctitas & fiducia in Deum singularis. 160.2. 162.1.2. Moritur, & in columbæ specie ad cælos volat. 161. In S. Benedicti sepulchro condita. 162.1. Quinam de ea scripserint. ibid.2. vestes eius quales. 158.2. eius Tunica. 185.1

Scholasticus honoris titulus. 167.1.2

Scutis res bello gesta inscribebantur. 26.2

Sectarij in Religiosos & Ordinum institutores inuehuntur. 19.2

Senatores qui venerint ad S. Benedictum. 88.1

Senes moribus pueri. 60.2

Sententia 12. de anno obitus S. Benedicti. 175.1.2. probatur verior. 176.1.2

Sepelire iuxta corpora SS. an prosit. 143.1.2

Septipedes pueroni. 182.2

Sepulchri aperti visus apud Benedictinos. 178.1. & Birgittinas. ibid.

Sepulchrum S. Benedicti vbi. 181.1. semper fuit custoditum. 126.1.

Sepultura quid conferat mortuis. 143.1

S. Sequanus cæsariem volens secare punitur. 69.2

Sertorius Nursiæ ortus. 20.2

Seruandus Diaconus & Abbas visitat S. Benedictum. 163. 164.1.

Seruij frigida interpretatio. 20.1

Sestertius est sestertius noster. 148.1

Seuerus Cassinensis Episcopus. 105.2

Sibylla Nursina, eiusque antrum. 20.1.2

Siconulphus Cassinum expilat. 126.2

Silnia dotat Monasterium S. Scholasticæ. 86.1

Siluij Antoniani in S. Specum adscensus, & carmen. 72.1

Simbruini montes. 67.2

Simeon Priscus leonibus imperat. 99.2

Simeon stylita pedem catena illigat. 101.2

Simon Milletius S. Benedicti specum describit. 71.2. Dialogos Gallicè vertit, & illustrat. 16.2. ait S. Benedictum fuisse Sacerdotem. 33.2

Sodalitas S. Benedicti & Scholasticæ. 196.2

Solario obteritur Florentius S. Benedicti æmulus.

Soli comparatur S. Benedictus. 185.2

Solidi tredecim cælitus allati. 147

Solidus, quid. ibid. 1. quanti æstimetur. ibid.

Solitarius cum Abbate amicè disceptat. 95.2.

Solitudinis amator S. Benedictus. 186.2

Spada. 115.2. Spade. ibid.

Spatharius vnde dictus. 115.1. Eius officium, dignitas. ibid.2

Spatha quid. 115.2

Specuensis Monasterij descriptio. 71.2. Monachorum ibi degentium austeritas. ibid.

Specus S. Benedicti descriptio 71.1.2. Sanctitas. ibid. custodia. ibid. pietatis sensum in ea quidam experti. ibid. 72.1. Eam adit & veneratur Pius II. Carmine celebratur à Siluio Antoniano. 72.1. colitur ab Antonia Aurelianensi. ibid. Miracula in ea fiunt. 192.1.2

Spet. 115.2. Spiet. ibid.

Spirense horarium numerat S. Benedictum inter non sacerdotes. 34.2

Spiritus sanctus extraordinariè mouet iustos. 96.2. varia sua dona largitur. 98. 102.1

Spiritus vnus in variis locis apparet. 179.1

Spiritus fornicationis descriptus. 77.1

Stapletonus sacram Specum vidit & descripsit. 71.1

Stare ad mensam genus mortificationis. 134.2

Statura corporis S. Benedicti. 182.1

Stephanus III. amplissimo S. Benedictum afficit elogio. 31.1. Eidem commendat Ecclesiam & Romanum imperium. ibid.

Stylita. 70.2

Subditi quomodo correptionem excipient. 151.1.2

Sublaci situs, nomen. 67.2. eius plenior descriptio. 68.1

Supellex S. Benedicti in specu. 72.2

Superbia duplex. 134.2

Superiori obseruanda in correptione. 151.2

Suscepti qui dicantur. 82.1

T.

TAracina situs, & breuis descriptio. 138.2

Tarsilla S. Gregorij amita Sanctimonialis. 131.2

Temporum ordo historiæ anima. 55.1.2

S. Teresia corpus mirè affligit. 78.2. vixit vt scripsit. 172.2. Apparet Gaspari de Salazar. 139.1

Tertullus S. Placidi Pater. 88.1. Cassinum venit. 112. suscipitur a S. Benedicto. ibid. 88.1. Cassinensium confraternitatem expetit. 112. tradit eis multas possessiones. ibid. 113.1

Thalelaus in rotis suspensus anachoreticam excolit. 70.2

Theodati Regula quæ? 73.2

Theodebertus Francorum rex expetit societatem Monachorum 113.1

Theodelinda Longobardorum regina dedicati Dialogorum libri. 12.1. Eius laus & pietas. ibid.2

Theodorus Balsamon ostendit Abbates non necessariò esse Sacerdotes. 41.1.2

Theodorus Abbas Sacerdotium fugit. 39.1

Theodosio mulus submissus cum cibariis. 74.2

Theoprobus Monachus S. Benedicto familiaris. 124. Quis fuerit. 125.1

Thomæ Bozij sententia de suscitatis Religionibus in Ecclesiæ necessitatibus. 22.1. 23.1. dictum eius de S. Benedicti nobilitate eneruatur. 25.2

S. Thomas veritates aliquot confirmat ex vita S. Benedicti. 18.1.2. De incontinentia triumphat. 78.2. S. Benedictum Moysi comparat. 102.2

Timotheus creatus episcopus cùm esset 23. annorum. 93.1

Tintinnabulum S. Benedicti frangitur. 63

Totila explorat an S. Benedictus propheticum habeat spiritum. 114. Subornat Spatarium qui se regem simulet. ibid. De Totilæ nomine. 115.1. Quomodo ad regnum euectus. ibid. Quibus calceis vsus. 116.1. S. Benedictum veneratur. 117. Ab eodem increpatur & futura discit. ibid. Ex hoc congressu emendatur. ibid. 1. Clementiæ eius exempla. ibid. quando obierit. ibid.

Tripedica quid sit. 152.1

Τριπόδικλον. 151.1

Trithemij testimonium de S. Benedicto. 32.1. Spanheimenses reliquit ab iis vexatus. 84.1. Catalogum texit Abbatum, quos in hoc imitatus. ibid.

V.

VAlentiniani rescriptum pro studiis Romanæ vrbis. 60.2

Varronis villa sub Cassino. 104.1

Vas vitreum saxis illisum & illæsum. 148

Veneno infectus sanatur a S. Benedicto. 147. in quo loco. 148.2

Venerabilis an plus quam Reuerendissimus. 60.1

Vestes S. Scholasticæ. 158.2. S. Benedicti quales. 183.2. eius coloris. 184.2. 185.1

Veteri-

INDEX.

Veterinarius. 152.1

Via palliis strata, quâ in cælos tetendit S. Benedictus. 175.

Quid significet. 179.2

Viconerra Monasterium. 81.2

S. Victorini Monasterium. 86.1

Vigilia S. Benedicti. 195.1

Vincentius Ferrerius latrare auditus in vtero materno. 25.1

Virginitatis aureola. 193.2

Viri septemdecim à duabus feminis comesti. 135.2

Viris Eucharistia olim in manibus posita. 52.2

Virtus vera nobilitat. 26.2

Virtutes S. Benedicti in genere. 186. 1. *Speciatim describuntur.* ibid. 187 & seq.

Vinarsense Monasterium. 104.2

Viuens quomodo dormientis apparere possit. 137. 139.1

Vrbanus V. Abbates Cassino reddit. 127.1

Vrbanus VIII. vbi festum S. Benedicti de pracepto coli praceperit. 194.2

Vrsinorum origo Gallica. 19.2

Vulsericus venit ad S. Benedictum. 114

W.

WErefridus Episcopus Dialogos Anglicè vertit. 15.2

VVerners Rolevvinck elogium de S. Benedicto. 32.2

VVilhelmus Hirsaugiensis Monasterium à suis construi voluit. 107.1.

VVion S. Maurum indigitat Leuitam. 43.2

VVisigothi reges quando regalia assumpserint. 116.1

S. VVolfgangus saxo figuram suam imprimit. 182.1

Z.

Z pro G vsurpatum. 154.1


Zacharias Papa Dialogos in linguam Græcam conuertit. 15. 1. *fuit Benedictinus.* ibid. *promouet Cassini restaurationem.* 126.2. *Liberaliter quadam donat.* ibid. *Auctor est Regibus vt ibi Monasticen profiteantur.* ibid.

Zalla Monachos & Clericos persequitur. 153. *Rusticum affligit.* ibid. *humiliatur à S. Benedicto.* 154. *Quis fuerit.* ibid. 2.

F I N I S.

Menda sic emenda.

Pag. 16. col. 2. lin. 20. inspectus, lege *inspectis.* p. 20. c. 1. l. 17. typographia. *topographia*, ibid. l. 34. Nursinas. *Nursinos.* p. 22. c. 1. l. 9. machinantis. *machinamentis.* p. 23. c. 1. l. 6. Sanctissima & Sanctissima. *Sacratissima*, &c. ibid. l. 9. profecutionum. *persecutionum.* ibid. l. 30. æstimatores adeò, *æstimatores non adeò.* p. 25. c. 1. l. 9. quoniam. *quouam.* p. 26. c. 1. l. 3. nomen insignia. *nomen &.* ibid. l. 34. aquila. *aquila.* ibid. c. 1. lin. fin. 5. pontifice. *Pontice.* p. 28. c. 1. l. 18. voces. *vocis.* ibid. l. 29. putauerunt. *putauerint.* ibid. l. 68. Erga. *Ergo.* ibid. c. 2. l. 13. quam. *tuam.* p. 31. c. 1. l. 21. Manuscriptis. *Manuscripto.* p. 32. c. 1. l. fin. 4. ramitis. *tramites.* ibid. l. 3. tramtiis. *tramitis.* p. 33. c. 2. l. 1. intemerata. *interminata.* ibid. l. fin. 2. vindicatur. *vindicat.* p. 34. c. 1. l. 6. absurdum. *absurdam.* p. 36. c. 2. l. 25. qua. *quam.* p. 37. c. 2. l. 64. siue. *fine.* ibid. l. 70. monasteria. *monasterio.* p. 39. c. 2. l. 61. nouerit. *nouerat.* p. 40. c. 2. l. 13. pollectum. *pellectum.* p. 43. c. 1. l. 22. à præcedenti. *à se præcedenti.* ibid. l. 34. vitæ. *via.* p. 46. c. 1. l. 29. habitaot. *habitabant.* ibid. c. 2. l. 58. Conrardum. *Lotharium.* p. 51. c. 2. l. 63. dele, *non.* p. 53. c. 2. l. 21. quæ. *quia.* p. 54. c. 1. l. 36. ijsdemque. *iisdem.* p. 60. c. 1. l. 44. atque. *ante.* p. 61. c. 1. l. 28. eo. *&.* quod ibid. repetitur. l. 32. 39. p. 62. c. 1. l. 12. dele *enim.* p. 69. c. 2. l. 48. Timothæi. *Timothei.* p. 72. c. 1. l. 12. inuiserit. *inuiseret.* ibid. l. 65. dele *vt.* p. 78. c. 1. l. 21. perseuerauerit. *perseuerauit.* p. 84. c. 1. l. 22. episcopatu. *Episcopatus* p. 85. l. 51. sex hæc. *hac sex.* ibid. l. 64. Marina. *Maria.* p. 87. c. 1. l. 24. extandis. *excitandis.* p. 95. c. 1. l. 54. extrahit. *extraxit.* ibid. l. 58. forcipibus, *forficibus.* p. 98. l. 35. videtur. *videbatur.* p. 99. c. 1. l. 34. tuæ gratiâ, adde *vnitatis.* p. 104. c. 1. l. 32. sulmonum. *Sulmonem.* ibid. l. 51. diuersorum. *diuersorium.* ibid. l. 39. rura Cassini. *Casini.* vt & ibid. l. 66. & p. 105. c. 1. l. 27. p. 112. c. 1. l. 25. gratiam. *gratam.* ibid. l. 31. ab. *ad.* ibid. c. 2. l. 20. perquiret. *perquireret.* ibid. c. 2. l. 14. Alcuimis. *Alcuinus.* p. 116. c. 2. l. 45. enim. *eum.* p. 118. l. 58. Celricus. *Clericus.* p. 122. c. 1. l. 39. reuocauit *reuocans.* p. 137. l. 7. cum mœrore. adde, *cum.* p. 143. c. 2. l. 14. Gregorij. *Gregorio.* p. 147. c. 1. l. 7. quid. *quod.* ibid. c. 2. fin. l. 4. scribet. *scribit.* p. 152. c. 2. l. 16. mediolus. *modiolus.* p. 157. c. 2. l. 25. annum. *ad annum.* p. 172. c. 1. l. 2. indicio. *iudicio.* p. 175. c. 2. l. 8. fin. quæ. *qui.* p. 188. c. 1. l. 15. verbis. adde *extollit.* ibid. c. 2. l. 24. fin. ab ijs. adde, *qui.* p. 189. c. 1. l. 22. fin. sola. *solida.* ibid. c. 2. l. 13. leuitas. *lenitas.* p. 191. c. 2. l. 24. fin. hæc. *hæ.* p. 197. l. vlt. fortèan. *fortean.* p. 202. l. 6. magnæ. *magne.* Et alia leuiora subinde occurrent, vt litterarum, maximè n pro u metatheses, quæ Lectoris beneuolentiæ committimus.



MONA-

MONASTICARVM

DISQVISITIONVM

LIBRI XII.

QVIBVS

S.P. BENEDICTI

REGVLA,

ET

RELIGIOSORVM RITVVM

ANTIQVITATES

VARIE DILVCIDANTVR.

AVCTORE

DOMNO BENEDICTO HAEFTENO,

VLTRAIECTINO,

MONASTERII AFFLIGENIENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI

PRÆPOSITO.

(a)



ORDO ET SERIES
HORVM LIBRORVM.



Vos ad illuſtrandam S.P. N. BENEDICTI Regulam conſcripſi & inſcripſi *Diſquiſitionum Monaſticarum* libros,nō eo digeſſi ordine, vt ipſius Regulæ textum, & Capitum ſeriem mihi mordicùs propoſuerim ſequendam.Nam vt meliùs ordo conſtaret,ſimiles materias coniunxi, &vno veluti faſce colligatas ſimul explicaui: ne vnum idemque argumentum aut repetendum eſſet ſæpiùs,aut in partes diuulſum, integrè nuſquam repræſentaretur. Vnum aliquando caput vix integro libro exponeretur. Plura Capita vni vix Libro ſufficerent. Vt igitur aliquouſque eſſet conformis ſtructura totius Operis,ad magni cuiuſdam ædificij,ſeu potiùs *Monaſterij* formam, *Diſquiſitiones* noſtras compoſui,& in hunc non prorſus inconcinnum Ordinem redegi.

Operis totius ſeries.

Præfigitur Imago, ſeu vita S. Benedicti.

Nam,vt Romani olim maiorum effigies in atrijs collocabant,& nūc in templorum vel Cœnobiorum foribus aut faſtigijs tutelarium Sanctorum non rarò imponuntur ſtatuæ; ita pro frontiſpicio Patriarchæ noſtri imaginem Magni Gregorij cœlo ſculptam præpoſuimus, quam *Commentarij* & *Prologomenōn* noſtrorum limbo incluſimus, & quà licuit, ſtuduimus exornare.

Fundamentum eſt eius Regula.

Cui inædificati XII. Libri Diſquiſitionū.

Greg. Dialog. lib. 2. c. 36.

Deinde opus ipſum à fundamento aggredientes, Regulam ipſam atteximus,in qua alteram; ſed ab ipſius Legiſlatoris manu exhibemus effigiem,tam viuis expreſſam coloribus,*vt ſi quis*, teſte Gregorio,*velit ſubtiliùs mores vitamq́ eius cognoſcere,poſsit in eadem inſtitutione* REGVLÆ *omnes magiſterij illius actus inuenire* Fundamentum,inquam,eſt,hęc *Regula*, cui tota librorum & tractatuum noſtrorum moles ſuperædificata eſt. Hæc centrum, in quod omnes noſtrarum *Diſquiſitionum* tendunt lineæ. Hoc corpus, quod commentationum noſtrarum veſte amicimus.

Hinc iam per ſingula Cœnobij huius loca Lectorem meum ordine deduco.

1. *Porticus.* Portam itaque ingreſſis mox occurrit ſpatioſa PORTICVS, quæ vt ſacris ædibus, illuſtrium virorum domibus, & publicis ædificijs, ornamenti animique cauſsâ,addi ſolita; ita Monaſtico huic Operi minimè deeſſe debuit.

Agit de varijs Regulis.

Zeno ille Stoicorum Princeps, in PORTICV,ϛοὰ Græcis eſt,docuit, quæ *Piſianactæa* olim dicta,poſteà picturis variè à Polygnoto decorara, nomen illud ποικίλης ſiue *Varia* accepit.Noſtra quoque hæc *Porticus* varias omnis ætatis Regulas,earumque ſcriptores velut in tabula depictos

ctos exhibens, inambulantem Lectorem πολύγνωλον facilè reddet: multarum enim, ne dicam pænè omnium, Regvlarvm Notitiam oculis animiſque obijcit. Verùm ne quis obijciat, quid Monachis & Stoicis? dicam cum veteri Scriptore: *Noſtra inſtitutio de Porticu Salomonis eſt.* In quâ & Saluator noſter cum Iudæis diſputauit, & Apoſtoli Petrus & Ioannes populum docuerunt. Vt non immeritò Primum hũc Librum, ceterorum præambulum, *Porticum* licuerit nominare.

Tertull. lib. de præſcrip. cap. 7. Ioan. 10. Act. 3.

Sub ipſa Porticu ad læuam oſtium eſt, quo in primam venitur aulam, quæ nomen præfert, Schola divini servitii: tota enim Regula ſua, de quâ hîc agitur, S. Benedictvs Monachum docet Deo ſeruire: cuius quidem compendium exhibet Catechismvs Monasticvs, qui hunc locum ſubeuntibus paſſim expoſitus eſt, quo Monachi *Rudimenta* & *Officia* dilucidè breuiterque explicantur. II. *De Regula S. Benedicti.*

Scholæ huic adhæret amplum ędificium, Coenobivm dictum, quod in eo quatuor Monachorum genera, & communia eorum habitacula, Abbatis ſcilicet, Præpoſiti, Decanorum, Sacerdotum, Cellelarij, aliorumque ſuis diſtincta locis viſantur. III. *De perſonis Monaſticis.*

Hinc egredientibus patet quadrata quædam area, nouellis plantationibus vtrimque conſita, vnde Seminarii nomen traxit. Hinc enim Pveros Religioni traditos vel bonis artibus imbuendos, ceu monaſtici viridarij ſurculos; inde Novitios veluti arbuſta magis adulta ei proximè inſerenda ſpectantibus offert. IV. *Tractat de Pueris & Nouitijs.*

Proxima domus, Vestiarivm dicta, Monaſtica conſeruat & explicat Indumenta. V. *De Veſtibus.*

Vicino hinc pede tenditur in Asceterivm, in quo bonorum operum inſtrumentis & Virtutibus Monaſticam profeſſionem vel maximè decentibus, *Silentio, Obedientiâ,* & *Humilitate* animus imbuitur & exercetvr. VI. *De Virtutibus Monaſticis.*

Et hæc quidem vno ex latere diſpoſita habitacula: alterum porrò ea habet quæ quotidianis Religioſorum ſubſeruiunt vſibus. Vbi quod reliquis auguſtius ſeptem conſcenditur gradibus, Domvs Dei, & Domvs Orationis, ſiue Oratorivm appellari conſueuit: in eo Cœnobitæ ſtatis iuxta Monaſticum Canonem horis Divinvm diu noctuque celebrant Officivm. VII. *De Diuino Officio.*

Hinc leui flexu itur in Domvm Disciplinæ, ſiue Monaſticæ Reipub. Tribunal: Vbi & *Culpas* humiliter agnoſcunt; & impoſitas à Præſide ſuſcipiunt Poenas. VIII. *De Culpis & Pœnis.*

Contigua huic loco eſt Officina, tàm Marthæ quàm Mariæ officiis ex Regulæ præſcripto conſecrata: cum illa enim *manuum labori* ſollicitè inſudant Monachi; cum hac, velut ad Chriſti pedes ſedentes, *Lectionibus* vacant diuinis. IX. *De Labore & Lectione.*

Tenditur deinde in commune Triclinium, ſiue vt vulgo nuncupatur, Refectorivm, vbi cibo potuque corporis ruinæ quotidie inſtaurantur: frugaliter omninò, vt non minùs abſtinentiæ & ieiuniis hic locus ſit, quàm epulis. X. *De Cibis & Ieiunijs.*

XI. *De Hospitibus, Iter agentibus, & Infirmis.* Quod sequitur, Triædivm dicere liceat, tergemina enim complectitur cubicula, ijs qui à communi cœnaculo abfuerint, destinata. Hospitibus, inquam, Iter agentibus, Infirmis. Primis Hospitivm, secundis Itinerarivm, tertijs, donec conualuerint, assignatur Valetvdinarivm.

XII. *De quiete, & Cellis.* Fabricam totam claudit Dormitorivm, locus quietis, in quo ad nocturnum capiendum somnum, longo ordine singulorum prisco more, dispositi *Lectuli*, aut recentiori, *Cellulæ*.

Hac serie per duodenos libros, quibus singulis singula hæc descripsimus loca, decurrit hoc Opus. In quo vniuersa Regulæ exposita capita: quot autem & quæ singulis elucidentur libris, præfixum cuique declarat argumentum.

Quid circa textum Regulæ præstitum.

Exemplar Regulæ quã hic exhibemus. Cvm necessarium prorsus videretur *Disquisitionibus* hisce ipsam S. Benedicti, circa quam versantur, adiungere Regvlam; exemplar illud delegimus, quod ex varijs, quæ ad manum erant editionibus, nostro iudicio erat emendatissimum. Excusum illud olim in folio auctoritate Patrum vnionis Bursfeldensis, in Germania: cui ad amussim pænè respondet altera editio in quarto cum Martyrologio Benedictino, Cærimonijs siue Constitutionibus, & Ordinario diuinorum eiusdem Congregationis editum. Hunc porrò textum cum alijs quibusdam editionibus & MSS. exemplaribus comparauimus, & *Variantes Lectiones*, non omnes quidem, sed quæ alicuius essent momenti, annotauimus. *Cui additæ Variantes Lectiones.* Vbi à ceteris omnibus discrepabat, aut manifestum apparebat mendum Typographicum, veriorem lectionem substituimus; sed admodũ raro, ne temerè quid mutaremus, aut nostro tribueremus iudicio. *Ex codicibus Manuscriptis.* Auxilio nobis fuere MSS. Codices quinque, ex quibus vetustissimũ fuit, quod eruditissimus Hugo Menardus ex *S. Ebrulphi* Ordinis nostri in Normannia Monasterio, ad me ante aliquot annos transmisit. Proximè sequitur *Dionysianum*, probæ notæ ex Cœnobio S. Dionysij in Brocqueroia propè Montes Hannoniæ. Membranæ nostræ *Affligenienses* tertium suppeditarunt, nec alia domestica aduocare dubuit, quod ex hoc, vel iam editis, recentiori calamo exarata deprehenderim. R. D. Abbas *S. Andreæ* iuxta Brugas quartum exhibuit; quintum est Bibliothecæ *S. Hadriani* Martyris Gerardimonte, minùs correctum, quod capitum lemmata præfigit mutatque arbitratu, reclamantibus plerumque ceteris. Consuluimus & textum quem Commentarijs suis MSS. inseruit Petrus Boërius. Subinde etiam MSS. Regulas Donati, Magistri, & Solitariorum produximus, *Et alijs vetustioribus excusis.* & textum, quem Concordiæ suæ præposuit Benedictvs Anianæ Abbas, prout Menardus edidit. Smaragdi lectionem retulimus sæpiùs, adhibito Bibliothecæ nostræ MS. Commentario; vbi à vulgata diffidebar. Impressa habuimus exemplaria non pauca; sed

ex ijs

ex ijs potiſſimùm citauimus S. Dunſtani correctionem typis Aſcenſianis & Pariſienſibus olim vulgatam. Vti & Guidonis Iuuenalis editionem vtramque. Eam quoque quæ facta Pariſijs anno 1522. Florentiæ cum Statutis Caſſinen. 1520. Coloniæ apud Geruinum Calenium præfixam Commentario Turrecremata an. 1575. Auctores ſubinde inſpeximus, ex quibus ſua S. Benedictvs hauſit, vel qui eius verbis ſua ſcripta deinceps exornarunt.

Licuiſſet ſanè pluriuṁ codicum fide, vel conſonantiam cum noſtro textu, vel diſſonantiam adſtruere: Vix enim vllum eſt Ordinis noſtri Monaſterium, quod nō aliquot ſuppedirare potuiſſet exemplaria, cùm Nouitiorum apud quoſdam hoc fuerit ſtudium, vt eam iuxta quam viuere elegerant Regulam, ſua manu deſcriberent: ſed maluimus hîc parſimoniâ quadam vti, veriti ne copia peccaremus, nimiumque ad ſingula pæne verba citationum excreſceret numerus, quando & hæc ipſa quæ dedimus, pluſcula nonnullis videri queant.

Sed ad textum noſtrum reuertamur, in quo & capitum ſectionem à nobis non ſemel commendatam accuratè ſeruauimus, de eâ in Cærimoniali ſuo PP. Bursfeldenſes: *Ex tunc annus probationis currere incipiat; infrà quem legetur ei* (Nouitio) *Regula per ordinem ter in capitulo quotidiano, iuxtà diſtinctionem eiuſdem Regulæ Capitulariter factam & acceptatam.* Proinde quod illi diebus ſingulis Martyrologio annotarūr, quæ Regulæ pars legenda, idipſum nos imitati, ad marginem vnicuique ſectioni tres adſcripſimus dies, quibus iuxta eam conſtitutionem ſit recitanda: hæc enim methodus, cùm ſanctiſſimi Legiſlatoris noſtri decreto conformis ſit, vehementer optamus, vbi viget, conſeruari: aut in vſum, vbi exoleuit, poſtliminiò reuocari.

Capitum ſectiones appoſita. — Bursfeld. diſtinct. 3. cap. 1. — *Quò fine.* — Reg. cap. 58. & 66.

Adiecimus inſuper *Notas*, quibus locus & pagina deſignatur, quâ S. Benedicti verba in Diſquiſitionibus explicantur. Hoc enim neceſſarium videbatur, ne in longo opere diutius quęrendo tempus conſumeretur, & Lectori tædium & moleſtia afferretur.

Notæ etiam additæ.

Grammaticum nonnunquam egimus, vt S. Patris latinitatem aut adſtrueremus, aut aliorum exemplo excuſaremus. Quamquam ille, vt Gregorius loquitur, *ſcienter neſciens, & ſapienter indoctus*, pietatis maiorem, quàm ſermonis habuerit rationem: vnde nec omnes diſcuſſimus loquendi formulas, ſatis arbitrati S. Viri mentem quomodocumque intellexiſſe.

Greg. præfat. ad l. 2. Dial.

Denique & illud addendum, in conſcribendis Diſquiſitionibus nos huic textui minimè fuiſſe adſtrictos, ſed S. Benedicti verba, vel prout menti ſe ingerebant, vel ex eo, quod primum inter plura occurrebat exemplari, allegaſſe. Et hinc non vbique vniformis vnius ſententiæ citatio.

Citationes Regulæ ex varijs adducuntur exemplaribus.

Sed his iam præmonitus ſatis & pręmunitus, Regulam ipſam & Diſquiſitiones inoffenſo Lector decurrat pede.

INDEX CAPITVM
REGVLÆ
S. P. BENEDICTI.


PROLOGVS.
CAPVT I. *De generibus vel vitâ Monachorum.*
CAP. II. *Qualis debeat esse Abbas.*
CAP. III. *De adhibendis ad consilium fratribus.*
CAP. IV. *Quæ sint instrumenta bonorum operum.*
CAP. V. *De Obedientia.*
CAP. VI. *De Taciturnitate.*
CAP. VII. *De humilitate.*
CAP. VIII. *De officiis diuinis in noctibus.*
CAP. IX. *Quanti psalmi dicendi sunt in nocturnis horis.*
CAP. X. *Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.*
CAP. XI. *Qualiter Dominicis diebus vigilia agantur.*
CAP. XII. *Quomodo matutinorum solennitas agatur.*
CAP. XIII. *Qualiter priuatis diebus matutini agantur.*
CAP. XIV. *In natalitiis Sanctorum qualiter agantur Vigiliæ.*
CAP. XV. *Quibus temporibus dicatur Alleluia.*
CAP. XVI. *Qualiter diuina opera per diem agantur.*
CAP. XVII. *Quanti psalmi per easdem horas canendi sunt.*
CAP. XVIII. *Quo ordine ipsi psalmi dicendi sint.*
CAP. XIX. *De disciplina psallendi.*
CAP. XX. *De reuerentia orationis.*
CAP. XXI. *De Decanis Monasterij.*
CAP. XXII. *Quomodo dormiant Monachi.*
CAP. XXIII. *De excommunicatione culparum.*
CAP. XXIV. *Qualis debet esse modus excommunicationis.*
CAP. XXV. *De grauioribus culpis.*
CAP. XXVI. *De his qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis.*
CAP. XXVII. *Qualiter debeat Abbas sollicitus esse circa excommunicatos.*
CAP. XXVIII. *De his, qui sæpius correpti, emendare noluerint.*
CAP. XXIX. *Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de Monasterio.*
CAP. XXX. *De pueris minori ætate qualiter corripiantur.*
CAP. XXXI. *De cellerario Monasterij.*
CAP. XXXII. *De ferramentis vel rebus Monasterij.*
CAP. XXXIII. *Si quid debeant monachi proprium habere.*
CAP. XXXIV. *Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.*
CAP. XXXV. *De hebdomadariis coquinæ.*
CAP. XXXVI. *De infirmis fratribus.*
CAP. XXXVII. *De senibus vel infantibus.*
CAP. XXXVIII. *De hebdomadario lectore.*
CAP. XXXIX. *De mensura cibi.*
CAP. XL. *De mensura potus.*
CAP. XLI. *Quibus horis oportet fratres reficere.*
CAP. XLII. *Vt post Completorium nemo loquatur.*
CAP. XLIII. *De his qui ad opus Dei vel ad mensam tardè occurrunt.*
CAP. XLIV. *De his qui excommunicantur quomodo satisfaciat.*
CAP. XLV. *De his qui falluntur in oratorio.*
CAP. XLVI. *De his qui in leuibus rebus delinquunt.*
CAP. XLVII. *De significanda hora operis Dei.*
CAP. XLVIII. *De opere manuum quotidiano.*
CAP. XLIX. *De Quadragesimæ obseruatione.*
CAP. L. *De fratribus qui longè ab oratorio laborant aut in via sunt.*
CAP. LI. *De fratribus qui non longè proficiscuntur.*
CAP. LII. *De Oratorio Monasterij.*
CAP. LIII. *De hospitibus suscipiendis.*
CAP. LIV. *An debeat Monachus eulogias suscipere.*
CAP. LV. *De Vestiariis vel calceariis fratrum.*
CAP. LVI. *De mensa Abbatis.*
CAP. LVII. *De Artificibus Monasterij.*
CAP. LVIII. *De disciplina suscipiendorum fratrum.*
CAP. LIX. *De filiis Nobilium vel pauperum qui offeruntur.*
CAP. LX. *De Sacerdotibus qui fortè in Monasterio habitare voluerint.*
CAP. LXI. *De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur.*
CAP. LXII. *De Sacerdotibus Monasterij.*
CAP. LXIII. *De ordine Congregationis.*
CAP. LXIV. *De Ordinando Abbate.*
CAP. LXV. *De Præposito Monasterij.*
CAP. LXVI. *De ostiariis Monasterij.*
CAP. LXVII. *De fratribus in via directis.*
CAP. LXVIII. *Si fratri impossibilia iniunguntur.*
CAP. LXIX. *Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.*
CAP. LXX. *Vt non præsumat quisquam passim aliquem cædere.*
CAP. LXXI. *Vt obedientes sibi inuicem sint fratres.*
CAP. LXXII. *De Zelo bono quem debent Monachi habere.*
CAP. LXXIII. *De eo quod non omnis iustitiæ obseruatio in hac sit Regula constituta.*

SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI
BENEDICTI,
MONACHORVM IN OCCIDENTE
PATRIARCHÆ
REGVLA.

PROLOGVS.

AVSCVLTA, ô fili, præcepta Magiſtri, & inclina autem cordis 1. IANVAR.
tui,& admonitionem pij Patris libenter excipe,& efficaciter com- 2. Maij 1. Septemb.
ple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobe-
dientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur,
quiſquis abrenuntians proprijs voluptatibus, Domino Chriſto
vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque præclara arma
aſſumis. In primis, vt quidquid agendum inchoas bonum, ab eo
perfici inſtantiſſimâ oratione depoſcas; vt qui nos iam in filiorum dignatus eſt nume-
ro computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei
omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, vt non ſolùm iratus pater, non ali-
quando ſuos filios exheredet, ſed nec vt metuendus Dominus, irritatus malis noſtris, vt
nequiſſimos ſeruos, tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.

a Rom. 14. EXurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos Scriptura, ac dicente: [a] Hora 2. IANVAR.
eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attoni- 3. Maij. 2. Septemb.
Pſalm. 93. tis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox, dicens. Hodie ſi
Apocal. 2. vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Et iterùm: Qui habet aures audien-
Pſalm. 33. di, audiat quid Spiritus dicat Eccleſijs. Et quid dicit: Venite filij, audite me, timorem
Ioan 12. Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos compre-
hendant.

ET quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium ſuum, 3. IANVAR.
Pſalm. 33. iterùm dicit: Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Quòd ſi tu 4. Maij. 3. Septemb.
audiens, reſpondeas, Ego; dicit tibi Deus: Si vis habere vetam & perpetuam vitam, pro-
hibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, &
fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam. Et cùm hæc feceritis, Oculi mei ſuper
Iſai. 65. vos, & aures meæ ad preces veſtras: & antequam me inuocetis, dicam: Ecce ad ſum. Quid
dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos, Fratres chariſſimi? Ecce pietate ſua de-
monſtrat nobis Dominus viam vitæ.

Ephes. vlt. Succinctis ergo fide, & obſeruantia bonorum actuum, lumbis noſtris, & calciatis pe-
dibus in præparatione Euangelij pacis, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius:
vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno ſuo videre. In cuius regni tabernaculo ſi
volumus habitare, niſi illuc bonis actibus curratur, minimè peruenitur.

b Pſal 14. SEd interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes ei: [b] Domine, quis habitabit 4. IANVAR.
in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Poſt hanc interroga- 5. Maij. 4. Septemb.
tionem, Fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam ipſius

tabernaculi, ac dicentem: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Qui non fecit proximo suo malum, qui opprobrium non accepit aduersus proximum suum. Qui malignum diabolum, aliqua suadente sibi, cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respuens, *Psal.136.* deduxit ad nihilum: & paruulos cogitatus eius tenuit, & allisit ad Christum.

5 IANVAR. 6 Maij. 5. Septemb. QVi timentes Dominum, de bonâ obseruâtiâ suâ non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, *Psal.113.* illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens: Gratia Dei sum id quod sum. *1. Cor 15.* Et iterùm ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. *1. Cor. 1. 2. Cor. 10.* Vnde & Dominus in Euangelio ait: Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum supra petram. *Matth.7.* Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Hæc complens Dominus, expectat nos quotidie, his sanctis suis monitis factis nos respondere debere.

6. IANVAR. 7. Maij. 6. Septemb. IDeò nobis propter emendationem malorum, huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Rom 2.* Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. *Ezech.18.*

Cùm ergo interrogassemus Dominum, Fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed si compleamus habitatoris officium, erimus heredes regni cœlorum. Ergo præparanda sunt corda nostra & corpora, sanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minùs habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare. Et si, fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire æternam; dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.

7. IANVAR. 8 Maij. 7. Septemb. COnstituenda est ergo à nobis Dominici schola seruitij: in qua institutione nihil asperum, nihilq; graue constituturos speramus. Sed & si quid paululùm restrictiùs, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conseruationem charitatis processerit, non illicò pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipsius magisterio numquam discedentes, in eius doctrina vsque ad mortem in Monasterio perseuerantes, Passionibus Christi per patientiam participemur, vt regni eius mereamur esse consortes.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

AVSCVLTA.] Textus Boërij & Smaragdus legunt, *obscultа*, quod etiam propugnant, eo modo quo dicitur, *obaudi, obtempera, obsecunda*, & alia multa talia. Eâdem voce vtitur Magister. Imitari videtur S. BENEDICTVS Basilium, qui admonitionem ad filium spiritualem ita orditur: *Audi fili admonitionem patris tui, & inclina aurem tuam ad verba mea: & accommoda mihi libenter auditum tuum, & corde credulo cuncta quæ dicuntur ausculta.* Et ibidem mox subdit de militia spirituali, vti & hic noster Legislator. Porrò *hi auscultare*, iuxta Varronem lib. 5. de ling. Lat. dicuntur, *qui auditis parent*. Est autem *auscultare* amplius aliquid quàm audire; hoc enim est simpliciter sonum percipere, *Auscultare pro obedire.* illud autem obedire. Cæcilius. *Audire, ignoti quod imperant, soleo: non auscultare.* Pacuuius:

Hos qui auium cantum intelligunt,
Magisque ex alieno iecore sapiunt, quàm ex suo.
Magis audiendum, quàm auscultandum *censeo.*

Plauto familiarissima hæc phrasis, sed ferè semper cum datiuo. Ita Curcul. Act. 2. sc. 1.

Si rectè facias, Phædrome, auscultes *mihi.*

Idem Pœnulo & pluribus locis, quæ in Lexico Plautino citat Pareus, *Tibi auscultabo*, id est, obediam, morem geram. Explicatur porrò hæc Regulæ sententia In Disquisitionibus *pag.* 249.

MAGISTRI.] Dionysianus addit, *tui.* Quis autem hic magister, vide *pag.* 247.

INCLINA AVREM.] exposui pag 249 vti & quod sequitur. *Efficaciter comple.*

REDEAS A QVO RECESSERAS.] quo duce & itinere, dictum pag. 245.

ABRENVNCIANS.] Monachi dicti *Renunciantes*, eorumque hoc officium explicatur pag. 238

VOLVPTATIBVS.] Ita MSS. Monasterij S. Ebrulphi. Dion. Petrus Damiani opusc. 13. c. 6. cum alijs MSS. BENEDICTVS Anianæ in Concordia, Smaragdus, Boërius, & editi ferè omnes, *voluntatibus.*

MILITATVRVS.] Monasticam militiam fusè descriptam inuenies pag. 240.

ARMA ASSVMIS.] Enumerantur hæc & explicantur pag. 242.

INCHOAS

INCHOAS BONVM.] Dionyſ. & duo impreſſa, *bons.*

IRATVS PATER.] Dion.*ſicut*. Andræanum MS. *vt iratus.* quod impreſſi paſſim ſequuntur. Quia mox ſubdit; *Nec vt metuendus Dominus.* Noſtram lectionem habet Concord. Smarag. Ebrul. editio Calenij, atque ita euitatur nimia repetitio τῦ *vt.*

NON ALIQVANDO.] Dion. abſque negatione, *nos aliquando.*

TRADAT AD POENAM.] Pœnè omnes alij *perpetuam tradat.* deſumptum videtur ex Auguſtino, qui *ſerm. 251. de temp.* ait: *Non vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam.*

DEIFICVM.] His & ſimilibus adiectiuis delectari ea ætas viſa eſt: Euagrius Antiochenus vitæ S. Antonij interpres in epilogo: *Maluimus Græcum ſermonem hoc ſuſtinere, quàm fraudem pati eos lucri deifici.* Breuiarium Romanum in officio S. Martini: *Vt in virtute Trinitatis deifica.* Sic *Almificus* apud Flodoardum l. 2. hiſt. Rem. c. 3. *Dum hic igitur almifica conuerſatione decertat.*

CVPIT VIDERE.] Vulgata, *diligit dies videre.* Sed S. BENEDICTVS tum hic, tum alibi paſſim ſequitur Pſalterium Romanum, quod ſemel monuiſſe ſuffecerit.

PERSEQVERE.] Concor. *& Sequere.*

CALCIATIS.] Deeſt hoc vſque ad *per ducatum*, *&c.* Concord. MSS. Dion. Andr. editis Guid. Calen. & pluribus alijs. Ex Apoſtolo quidam fortè ſuppleuerint. Explicationem lege pag. 243.

IN PRÆPARATIONE EVANGELII PACIS.] Abeſt ab vno alteroque impreſſo, in quo tamen præcedentia, *& calceatis* &c. Quænam verò *præparatio Euangelij pacis*, docebunt à nobis dicta pag. 555.

PER DVCATVM EVANGELII.] Itidem deeſt aliquibus.

ACTIBVS CVRRATVR.] quædam, *operibus*, & pro *curratur*, quod eſt apud Boërium alioſque, Duoſtanus, alijque habent *currendo.*

TIMENTES.] Aliqua exemplaria, *qui timent.* Explanationem vide lib. IX. Tract. 2. diſq. 3.

MAGNIFICANT.] Dionyſ. *glorificant.*

SVPRA PETRAM.] Impreſſum quoddam vtrobique legit, *firmam petram.*

EXSPECTAT NOS.] Obelo configunt alterutrum *nos* quædam MSS. & impreſſa. Dunſt. & alia vtrumque retinent: Concordiæ deeſt poſtremum.

VT CONVERTATVR.] Concordiæ *magis conuertatur.*

PRÆPARANDA SVNT.] Tota hæc periodus ex epiſt. 1. Clementis Romani ad Iacobum fratrem Domini deſumpta.

GRATIÆ SVÆ, &c.] Ab Auguſtino hauſit, qui l. de nat. & Grat. c. 68. Chriſtianos monet, vt *ubi difficultatem aliquam ſentiunt, fideliſſimis & perſeuerantiſſimis precibus, & miſericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare perſiſtant.* Et mox: *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur Deum iuſtum & bonum, impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

MINISTRARE.] Latinius quædam impreſſa, *miniſtrari.*

AD VITAM VOLVMVS VELOCITER PERVENIRE ÆTERNAM.] τὸ, *velociter* omnibus pænè exemplaribus deeſt, quæ pro *æternam* habent, *perpetuam.*

LVCIS VITAM.] Sic MSS. Ebrul. Dion Andr. Concord. & multa impreſſa. Dunſt. Boer. Calen. & alij reponunt, *viam*: & ita exponit Bernardus Caſſinenſis, alijſque præponit Menardus; quia cùm lux hoc loco vitā ſignificet, ineptum eſſet dicere, *lucis vitam*, id eſt, vitæ vitam. Et ſanè hæc præſens vita via eſt ad vitam futuram, de qua via præclarè S. Columbanus epiſt. 1. *via es mortalium non vita, à peccato incipiens vſque ad mortem.* Et paulò pòſt: *Quid ergo es humana vita? non vita, vera es enim via: ſed non plena, alijs longa, alijs breuis, alijs lata, alijs anguſta. Via, inquam, es, via es. ſed non omnibus manifeſta es. Multi enim te vident, & pauci te viam eſſe intelligunt.* Sic ille Recentiorum correctorum eſt, quod hîc quidam ſubſtituant, *lucis vſuram.* *Vita hæc ad æternam via.*

SCHOLA SERVITII.] Scholæ huius magiſtros & diſcipulos, Claſſes & Lectiones deſcripſimus pag. 247. & hunc titulum ſecundo Diſquiſitionum noſtrarum dedimus libro. Cur autem Regula eſt *Schola Dominici ſeruitij*, leges pag. 129.

PARTICIPEMVR.] Sic MSS. Concord. & Duoſt. Impreſſa quædam reſcribunt, *participemus.* & hæc ex citata Clementis epiſtola excerpta.

CONSORTES.] Andr. cum excuſis quibuſdam addit, *Amen.*

C A P V T - I.

De generibus vel vita Monachorum.

MONACHORVM quatuor eſſe genera, manifeſtum eſt. Primum, Cœnobitarum, hoc eſt, monaſteriale, militans ſub Regula, vel Abbate. Deinde ſecundum genus eſt Anachoretarum, id eſt, Eremitarum; horum qui non conuerſionis feruore nouitio, ſed Monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio iam docti, pugnare: & benè inſtructi, fraterna ex acie ad ſingularem pugnam eremi, ſecuri, iam ſine conſolatione alterius, ſola manu vel brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, ſufficiunt pugnare. Tertium verò Monachorum teterrimum genus, eſt Sarabaitarum: qui nulla Regula approbati, experientiâ magiſtrâ, ſicut aurum in fornace, ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur. Qui bini, aut terni, aut certè ſinguli ſine paſtore, non Dominicis, ſed ſuis incluſi ouilibus, pro lege *8 Ianuar. 9. Maij. 8. Septemb.*

lege eis est desideriorum voluptas, cùm quidquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus, est Monachorum, quod vocatur Gyrouagum: qui tota vita sua per diuersas Prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & numquam stabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere, quàm loqui. His ergo omissis, ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino veniamus.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

MONACHORVM.] De Monachi etymo, alijsque nominibus & descriptionibus agitur toto Tract. 1. l. 3. p. 265.

GENERA.] An non plura, & qualia singula, vide eiusdem libri Tract. 2. quo totum hoc caput explicatur.

SVB REGVLA VEL ABBATE.] Copulatiuè hic sumit τὸ, *vel*, S. BENEDICTVS; quod obseruasse memini pag. 286.

MONASTERII.] Vocem hanc, aliasque Cœnobitarum habitacula significantes interpretamur p. 289.

DIDICERVNT.] Ita etiam Regula magistri. Dionys. *didicerint*. Concord. *qui didicerunt*, sed notat Menardus τὸ, *qui*, redundare.

EXPERIENTIA MAGISTRA.] Smarag. Calen. Magist. in Reg. habent *experientia Magistri*. quod non displicet Menardo, quia infrà dicuntur sine pastore esse.

IN FORNACE.] Concord. Dunst. & MSS. Dionys. & Ebrul. *fornacis*.

NATVRAM.] Concord. & alia. *Natura*.

TOTA VITA.] Boer. Dionys. legunt, *totam vitam*.

ET PROPRIIS.] Smarag. Dunst. *sed semper & vbique proprijs voluptatibus*.

C A P V T II.

Qualis debeat esse Abbas.

9. IANVAR. 10. Maij. 9. Septemb.



ABBAS, qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet quod dicitur, & nomen maioris factis implere. Christi enim vices agere creditur in Monasterio; quando ipsius prænomine vocatur dicente Apostolo: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. *Rom. 8.* Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere: sed iussio eius vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergat.

10. IANVAR. 11. Maij. 10. Septemb. MEmor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. Sciatque Abbas, culpæ pastoris incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias minùs vtilitatis potuerit inuenire. Tantùm iterùm liber erit, vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita: pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cùm Propheta Domino: Iustitiam tuam *Psalm. 39.* non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi. Ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis, præualens ipsa mors.

11. IANVAR. 12. Maij. 11. Septemb. ERgo cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est, omnia bona & sancta factis ampliùs quàm verbis ostendat, & capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde, & simplicioribus, factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur: ne, *1. Cor. 9.* quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamen- *Psalm. 49.* tum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post *Matth. 7.* te. Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti.

12. IANVAR. 13. Maij. 12. Septemb. NOn ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plus ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut in obedientia inuenerit meliorē. Non præponatur ingenuus

ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quòd si ita, iustitiâ dictante, Abbati visum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat; sin aliàs, propria teneant
1. Cor. 12. Rom. 2. Galat. 3. Ephes. 6. Colos. 6. Act. 10. loca. Quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus: quia non est apud eum personarum acceptio. Solummodò in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores alijs in bonis operibus, & humiles inueniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas: vna præbeatur omnibus, secundùm merita, disciplina.

IN doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in 13. IANVAR. 14. Maij. 13. Septemb.
1. Tim. 4. qua dicit: Argue, obsecra, increpa, id est, miscês temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum: id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere; obedientes autem & mites, & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare; negligentes autem & contemnentes vt increpet & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt cœperint oriri, radicitus ea
1. Reg. 2. (vt præualet) amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem & intelligibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat; improbos autem & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso
Prou. 23. initio peccati coërceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterùm: Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam eius à morte.

MEminisse debet semper Abbas, quod est, meminisse quod dicitur, & scire, quia cui 14. IANVAR. 15. Maij. 14. Septemb.
plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque, quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus: & secundùm vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.

ANte omnia, ne dissimulans, aut paruipendens salutem animarum sibi commissa- 15. IANVAR. 16. Maij. 15. Septemb.
rum, non plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, terrenis atque caducis: sed semper cogitet, qui animas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus est. Et ne
Matth. 6. causetur de minori fortè substantia, meminerit scriptum: Primùm quærite regnum Dei,
Psalm. 34. & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterùm: Nihil deest timentibus eum. Sciatque, quia qui suscepit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio addita & suæ animæ. Et ita timens semper futuram discussionem pastor de creditis sibi ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus. Et cùm de monitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

ABBAS.] Dionys. in recto habet *Abba*, quod expensum p. 310. De nomine autem Abbatis, qualitatibus & officio videantur lib. 3. Tract. 5. Disquisitiones quinque priores.

MEMINISSE.] Affligeniensis codex MS. Dionys. Andr. Boër. Concord. legunt *meminere*: & sic est apud Keronem in interpretatione Alemannica vocabulorum Reg. S. BENEDICTI, quam inter Ale-
Meminere, meminens, olim vsurpata. mannicas Antiquitates edidit Goldastus. Antiquis in vsu fuisse videtur *memino*, vnde participium *meminens*. Liuius Erotopegnion 4. *Meminens Varro corde volutat*. Priscianus lib. 11. de temporibus & naturis participiorum. Donatus arte 2. & Sergius: *Ab eo quod est memini artis nullum participium reperitur, si ad vsum, verum est, ad auctoritatem falsum: nam inuenimus in Plauto, meminens*. Sidonio autem frequentissimum est *meminens*. lib. 1. epist. 10. *Sisque oppido meminens, quod olim Martia Hortensio*, &c. vide lib. 4. ep. 3. lib. 6. ep. 3. l. 7. ep. 6. l. 4. ep. 12. Ausonius de profess. Burdigal. 1.

Viuis adhuc, aui quod perijt meminens.

MAIORIS.] Hoc etiam nomine censeri Abbates, ostensum pag. 311.

CONSPERGAT.] Regula Magistri Concord. Dionys. Ebrul. Andr. Calen. *conspergatur*. Boerius legit, *fermento diuinæ institiæ conspergatur*. Epistola Lobiensium circa annum 990. apud Baldericum Nouiomensem in Chronico Camerac. & Atreb. l. 1. c. 105. sic hanc periodum citat: *Cuius iussio vel doctrina, velut fermentum diuinæ iustitiæ, in discipulorum mentibus conspergatur*. Atque ita legitur in Apologia pro Henrico IV. Imp. circa eiusdem tempora scripta.

ET CAPACIBVS.] Dionys. & Ebrul. *Vt*.

DISCIPVLIS.] Epistola Lobiensium, *Discipulos docuerit*.

NISI ALIA.] Ebrul. interponit, *fortè*. Seruos non admittebat Basilius, vt patet in Reg. fus. disp. 9.

MELIORES

Meitores aliis.] Ebrul. Dionys. *ab alijs.*
Omnibus.] Concord. Dunst. Calen. *in omnibus.*
Hei.] Peccatum eius expendimus pag. 805.
Intelligibiles.] Concord. & Dionys. *intelligibiliores.*
Meminisse.] Concord. Reg. Mag. & Dionys. hîc repetunt *meminere.*
Quia qui.] Dunstano deest τὸ, *quia*, & quibusdam excusis, *qui.*
Pastor.] Concord. Dunst. Calen. & quædam alia *Pastoris.*

CAPVT III.

De adhibendis ad consilium Fratribus.

16 Ianvar. 17. Maij. 16. Septemb.



QVOTIENS aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse vnde agitur. Et audiens consilium Fratrum, tractet apud se; & quod vtilius iudicauerit, faciat.

Ideò autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpè iuniori Dominus reuelat quod melius est. *Matth. 11.* Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit; sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire Magistro, ita & ipsum condecet prouidè & iustè cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam.

17. Ianvar. 18. Maij. 17 Septemb.

NVllus in Monasterio proprij cordis sequatur voluntatem: neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intus aut foris Monasterio contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & obseruatione Regulæ omnia faciat; sciens, se proculdubio de omnibus iudicijs suis æquissimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterij vtilitatibus; seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. *Eccl. 32.*

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De adhibendis ad consilium.] Consultò hæc explicamus pag. 322.

Quotiens pro quoties. Quotiens.] Proba lectio, quam repræsentant MSS. nostra cum Dunstano, Guidone Iuuenali, nec veteres desiderantur. Plautus Curculione act. 5. scen. 2. *Quotiens dicendum est?* Et Epidico act. 2. sc. 1. *Cuius quotiens sepulchrum vides:* Quam scripturam veteribus libris, & Grammaticis tribuit Lud. Carrion. in l. 1. Val. Flacci eosque sequitur Caper in orthographia: *Totiens & quotiens cum scribitur per N. scribenda sunt.* Repugnant tamen Criticorum aliqui, licet non diffiteantur in vetustissimis tabulis æreis marmoreisq; sic legis. *Ideo amplio*, inquit doctissimus Lipsius, de pronuciat. c. 5. *nec temerè Damnem.* Bedam pro se allegant, qui lib. de metris ait: *Quoties, & toties sine N. licet veteres per N.* Sed quanti hæc sunt, vt accuratiorem mereantur notam? Nos supersedemus, & ad Grammaticorum tribunal isthæc remittimus.

Fratres consilium.] Quo modo id faciendum, dixi p. 326.

In omnibus igitur omnes, &c.] Vt non satis hæc sententia Benedictinis inculcari potest, ita eam non semel exponere visum. Occurret autem p. 204. 206. & alibi.

Declinetur.] Ebrul, *deuietur.*

Proterve intus aut foris Monasterio.] Concord. Dionys. & Boër. *Monasterium.* Smaragdus hæc annotat: B. Benedictus cùm dixisset, *neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè*, non dixit, *intus aut foris*, sicut aliqui codices habent: sed sicut in illo, quem manibus suis scripsit, *proteruè aut foris Monasterium*, reperitur positum. Vnde intelligitur quia foris nullam, intus autem esse contentionem permisit amicam. Sic ille. Significans redundare τὸ, *intus*, quod in MS. Smaragdo Afflig. textui deest, & in Concordia alio expressum charactere. Hanc autem phrasim *proteruè intus aut foris*, posteriores Ordines hinc mutuati suis inseruere Constitutionibus: Præmonstratenses *dist. 3. c. 4.* Carmelitæ sub Ioanne Soreth, *part. 4 c. 2.* Prædicatores, *part. 4. c. 18.* Eremitæ Augustiniani, *part. 6. c. 20.*

CAPVT IV.

CAPVT IV.

Quæ ſunt inſtrumenta bonorum operum.

INPRIMIS, Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute.	18. Ianv. 19. Maij. 18 Sept. *Deuter.6 7.*
Deinde, proximum tanquam ſeipſum.	*Matth.22.*
Deinde non occidere.	*Luc.18.*
Non adulterari.	*Matth.19.*
Non facere furtum.	*Leuit.19.*
Non concupiſcere.	*Deut.5.*
Non falſum teſtimonium dicere.	*Marc.10.*
Honorare homines omnes.	*1.Petr.2.*
Et quod ſibi quis fieri non vult, alij ne faciat.	*Tob.4.*
Abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum.	*Luc.9.*
Corpus caſtigare.	*1.Cor.9.*
Delicias non amplecti.	*1.Tim 5 & 2 Petr.2.*
Ieiunium amare.	*Ioel.1.& 2.*
Pauperes recreare.	*Eccleſ.4.*
Nudum veſtire.	*Iſai.58.*
Infirmum viſitare.	*Eccleſ.7.*
Mortuum ſepelire.	*Tob.1 & 2.*
In tribulatione ſubuenire.	*Eccleſ.6.*
Dolentem conſolari.	*1,Theſſ.5.*
A ſæculi actibus ſe facere alienum.	*Iacob.1.*
Nihil amori Chriſti præponere.	*Matth.10.*
IRam non perficere.	*Matth.5.* 19. Ianv. 20 Maij.
Iracundiæ tempus non reſeruare.	*Epheſ.4.* 19. Sept.
Dolum in corde non tenere.	*Pſal.14.*
Pacem falſam non dare.	*Rom.12.*
Charitatem non derelinquere.	*1.Petr.4.*
Non iurare, ne forte periuret.	*Matth.5.*
Veritatem ex corde & ore proferre.	*Pſal 14.*
Malum pro malo non reddere.	*1.Theſſ 5.*
Iniuriam non facere; ſed & factam patienter ſufferre.	*1.Cor.6.*
Inimicos diligere.	*Luc. 6.*
Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere.	*1.Pet.3.*
Perſecutionem pro iuſtitia ſuſtinere.	*Matth.5.*
Non eſſe ſuperbum.	*Tob.4.*
Non vinolentum.	*1.Tim.3.*
Non multùm edacem.	*Eccli 37.*
Non ſomnolentum.	*Prouerb.20.*
Non pigrum.	*Rom.12.*
Non murmurioſum.	*1.Cor.10.*
Non detractorem.	*Sap.1.*
Spem ſuam Deo committere.	*Pſal 72.*
Bonum aliquid in ſe cùm viderit, Deo applicet, non ſibi.	*1.Cor.4.*
Malum verò ſemper à ſe factum ſciat, & ſibi reputet.	*Oſe.13.*
Diem iudicij timere.	*Luc.12.*

(b) Gehen-

Gehennam expauefcere. *Matth.10.*
Vitam æternam omni concupifcentia fpiritali defiderare. *Philip.1.*
Mortem quotidie ante oculos fufpectam habere. *Matth.24.*
Actus vitæ fuæ omni hora cuftodire. *Deuter.4.*
In omni loco Deum fe refpicere pro certo fcire. *Prou.5.*

20. Ianv. 21. Maij. 20. Sept. COgitationes malas cordi fuo aduenientes mox ad Chriftum allidere, & feniori fpiritali patefacere. *Pfal.136.*
Os fuum à malo vel prauo eloquio cuftodire. *Pfal.33.*
Multùm loqui non amare. *Eccli.32.*
Verba vana, & rifui apta non loqui. *2.Timoth.2.*
Rifum multum aut excuffum non amare. *Eccli.21.*
Lectiones fanctas libenter audire. *Luc.11.*
Orationi frequenter incumbere. *Coloff.4.*
Mala fua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipfis malis de cetero emendare. *Pfal.6.*
Defideria carnis non perficere. *Gal.5.*
Voluntatem propriam odire. *Ecclefiaft.18.*
Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamfi ipfe aliter (quod abfit) agat, memores Dominici præcepti: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt facere nolite. *Matth.23.*
Non velle dici fanctum antequam fit: fed priùs effe, quo veriùs dicatur. *Matth.6.*

21. Ianv. 22. Maij. 21. Sept. PRæcepta Dei factis quotidie adimplere. *Ecclef.6.*
Caftitatem amare. *1.Tim.5.*
Nullum odire. *Leuit.1.*
Zelum non habere. *Iacob.3.*
Inuidiam non exercere. *Iacob.4.*
Contentionem non amare. *2.Tim.2.*
Elationem fugere. *Pfal.130.*
Seniores venerari. *Leuit.19.*
Iuniores diligere. *1.Tim.5.*
In Chrifti amore, pro inimicis orare. *Matth.5.*
Cum difcordantibus ante folis occafum in pacem redire. *Ephef.4.*
Et de Dei mifericordia numquam defperare. *Pfal.51.*

Ecce hæc funt inftrumenta artis fpiritalis: quæ cùm fuerint à nobis die noctuque inceffabiliter adimpleta, & in die iudicij confignata; illa merces à Domino nobis recompenfabitur, quam ipfe promifit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis afcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur, clauftra funt Monafterij, & ftabilitas in congregatione. *Efai.45.* *1. Cor.2.*

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE INSTRVMENTIS.] Titulum effe partem textus monuimus p. 109. De ipfis Inftrumentis lib.6. Tract.1. pag.559. actum eft. Cùm autem defumpta fint ex Clementis Romani epift.1. & tranfcripta in Capitulari Theodulphi Aurelianenfis, ex his quoque lectionum varietatem adfcribimus.

IN PRIMIS DOMINVM DEVM DILIGERE.] Ebrul. & Reg. Solitariorum. *In primis oportet*, &c. Impreffa quædam præmittunt: *Primum inftrumentum eft, inprimis*, &c.

ADVLTERARI.] Theodulphus in Capitul. Dionyf. Reg. magiftri & Solitariorum. *Adulterare.*

SEMETIPSVM SIBI.] Abeft ab Ebrul. τὸ *fibi*: nec legit magiftr, nec textus Euangelicus: reperitur tamen apud Clementem, in Regulis Donati, & Solitariorum c.25. Atque ita non femel extulit Ambrofius lib.2. de Pœnit. c.10 & offic. l.1. c.28. & in pfal.118. octoo.12. V. *Tuus fum ego: Si pro me fe ipfum fibi abneget.* Rufinus l.2. vit. Pat. c.31. *Secundum mandatum faluatoris obferuandum effe, vt ante omnia vnufquifq; abneget femetipfum fibi.* Cæfarius Arelatenfis in recapit. reg. Monial. n. 4. ita legit illud Matth.16. *Si quis vult venire poft me abneget femetipfum fibi. Qui femetipfum fibi iuffus eft abnegare, qua fronte præfumit fibi aliquid de impedimentis mundi iftius referuare.*

NVDVM.] Reg. Donati, *nudos, infirmos.*

INIMICOS DILIGERE.] Can. 6. ex S. Bauonis Gandauenfis MS. codice VI. Synodo fubiectus. *Inimicos diligere propter Deum.*

MALEDICENTES SE.] Reg. Donati legit *Sibi.* Maledicere cum accufandi cafu Latinè ponitur. Petronius.

Petroolus: *Maledic illam versibus, vt habeat pudorem.* Act.23. *Summum Sacerdotem Dei maledicis?*

Remaledicere. Remaledicere.] Clemen. Theodulph. Ebrul. habent *maledicere.* Illud tamen Latinis scriptoribus vsitatum. Suetonius Vespasiano cap.9. de iurgio quodam Senatoris equitisque Romani ita pronunciauit: *Non oportere maledici Senatoribus, remaledici ciuile fasq; esse.* Ambrosius l.1. offic.c.21. *Ipse Dominus cum malediceretur non remaledixit.*

Murmuriosum. Mvrmvriosvm.] Theodulph. Dunst. & alij *murmurosum:* sed *murmuriosum* vox est Bernardo etiam vsitata epist.73. & Blesensi epist.14. quod deductum à *murmurio.* Apud Clementem est, *non murmuratorem.*

Repvtet.] Dunst. *imputet.*

Devm se respicere.] Clementi deest τὸ, *se.* & post *respicere,* distinctionem ponit, & consequenter mox legit, *firmiter scire cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere.* S. Benedictvm sequuntur Theodulphus. Reg. Donati, Solitariorum. MSS. & edita exemplaria.

Christvm allidere.] Can.6. *ad petram Christum allidere.*

Excvssvm.] Can.6. *excelsum.*

Lectiones sanctas.] Exponitur lib.IX. Tract. 4. disq.4. pag.865.

Præterita.] Can.6. addit, *& præsentia.*

Emendare.] Can.6. *se emendare*

Memores Dominici præcepti.] Concord. Dunst. *illius Dominici præcepti.* Reg. Donati, Theodulph. Dionys. legunt, *Dominicum præceptum.*

Nvllvm odire.] Theodulph *odisse.*

Zelvm non habere, invidiam non exercere.] Theodulph. Smarag. Dunst. Ebrul. Dionys. Reg. Donat. Solitar. & Boër. *Zelum & inuidiam non habere.* Sed nostra lectio est Concordiæ, & Magistri in Regula.

Elationem fvgere. Iuuenal. & recentiores habent: *Elationem & iactantiam fugere.*

Ivniores diligere.] Interpunctionem tollunt, & legunt, *Iuniores diligere in Christi amore.* Donatus c.3. Reg. Can.6. Synodi VI. Iuuenal. Ebrul & aliquot excusa, consentiente Perez. Magis tamen placet alia lectio, quæ disiungit, estque Clementis, Concord. Smarag. Theodulph. Reg. Solitar. c.25. MSS. pluriumque vulgatorum.

Recompensabitvr.] Ita ferè omnia MSS. & edita, exceptis Smarag. & Dionys. quæ habent, *reconsignabitur.* S. Bernardus priore voce, licet minùs latinâ, etiam vsus, sic enim epist.144. loquitur: *Potens est si quid patimur, pro ipso, recompensare nobis in illa die misericors iustus iudex.*

C A P V T V.

De Obedientiâ discipulorum.

PRimvs humilitatis gradus est, Obedientia sine mora. Hæc conuenit his, 21. Ianv.
qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant, propter seruitium san- 21. Maij. 22. Sept.
ctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ
æternæ, mox vt aliquid à maiore imperatum fuerit; ac si diuinitus impe-
Psalm.17. retur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu oris obe-
Matth.10. diuit mihi. Item dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales, relinquentes
statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes; mox exoccupatis manibus, &
quod agebant imperfectũ relinquentes, vicino pede obediẽtiæ iubentis vocem factis se-
quũtur: & veluti vno momẽto & prędicta Magistri iussio, & perfecta discipuli operatio,
in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur: quibus ad vitã æter-
nam gradiendi amor incumbit; ideò angustam viam arripiunt. Vnde Dominus dicit:
Matth.7. Angusta via est, quæ ducit ad vitam; vt non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis &
voluptatibus obedientes; sed ambulantes alieno iudicio & imperio, in Cœnobijs degen-
tes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur senten-
Ioan. 5. tiam, quâ dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.

SEd hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus; si quod iu- 23. Ianv.
betur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum responso no- 24. Maij. 23. Sept.
lentis efficiatur: quia obedientia, quæ Maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim di-
Matth.10. 2. Cor.9. xit: Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hila-
rem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solùm
ore, sed etiam in corde si murmurauerit; etiamsi impleat iussionem, tamen acceptum
Eccli.35. iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur
gratiam: imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE Obedientia.] Dunst. Boër. Iuuenal. lemmati addunt, *discipulorum.* Reg. Magistri c.7. *discipuli.* Disertè ait Smaragdus capitis huius titulum esse prænotatum. *De Obedientia discipulorum.* Huic autem virtuti consecrauimus integrum Tractatum 2. lib.VI. p.564.

Hvmilitatis gradvs.] Vitiosus hic textus & rescribendum, *Obedientiæ.* discussimus p.564.

SIBI CHRISTO.] Reg. Donati & Magistri. Concord. *Sibi à Christo.*

CARIVS ALIQVID.] Dunst. & multis alijs impressis deest τὸ *aliquid*, & superfluum dicit Boerius. Reperitur tamen apud Donat. Magist. & in Concord.

EXISTIMANT.] Reg. Magistri, *existimantes*, quod sensum facit expeditiorem, vt opus nō sit periodum terminare ante *de quibus*, cùm aliqui id faciant ante *propter seruitium*, Dionys. ante *mox*.

OBAVDITV.] Iuuen. *In auditu*, vt est in vulgata Psal. 17. Perez legit, *ob auditum*. *Ab auditu* est in textu, quem exhibet Stellartius in fundam. Ord.

AVRIS.] Miror cur Balduinus Moreau, quem alij duo sequuntur, contra Scripturam & alia Regulæ exemplaria posuerit, *Oris*. Nisi mendum fortè sit Typographicum.

OBEDIVIT.] Reg. Donati & Magistri. *Obaudiuit*.

Exoccupatus. EXOCCVPATIS.] Proba lectio, quam exhibent Concord. Dunst. Boer. Iuuenal. & pleraque MSS. alij perperam duas voces faciunt. Vsus hac Ioannes Sarcsberiensis latinissimus sui æui scriptor in Policrat. l. 1. c. 8. *Exoccupatis etenim mentibus surrepunt tædia.* Gerardus Siluæ-Maioris in vitâ S. Adelardi c. 4. *Quandocumq; res eum occupabat mundialis, paullò post exoccupatus aderat totus in diuinis.*

VICINO PEDE OBEDIENTIÆ.] Reg. Donati, Concord. Dunst. Dionys. & alij legunt: *vicino obedientia pede.*

DISCIPVLI OPERATIO.] Reg. Magist. Concord. Dunst. Dionys. & plura impressa legūt, *discipuli opera.* Aliqua etiam exemplaria *discipulorum.*

EXPLICANTVR.] id est, exercentur. Ita vocem hanc à Cicerone lib. 3. de offic. sumi notatum Nonio Marcello.

QVIBVS AD VITAM ÆTERNAM.] Varia hic interpunctio: quidam enim cum superioribus coniungunt, & periodum absoluunt post τὸ *incumbit*. Ita præter nostrum textum Concordia & MSS. Afflig. Dionys. Andr. approbante Boërio, & tū construendum, explicantur ijs, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incubit; vt datiuus positus sit pro ablatiuo cum præpositione *à* vel *ab*. *Explicantur*, id est, expediuntur ab ijs, pronomine *ijs* subintellecto. Alij post *explicantur* punctum habent, & nouum sensum incipiunt ab illo, *quibus ad vitam*. Ita Ebrul. & S. Hadr. & sic legit Magister, qui inter *explicantur* & *quibus*, integrum pœnè interserit foliū. Smaragdus quoque satis disiungit, addens: *Hoc in loco* B. BENEDICTVS, Hi, *pronomē in subauditione reliquit. Quod si addideris, clariùs ea, quæ dicuntur, aduertis: id est si dixerit, hi, quibus gradiendi amor incumbit, ideo angustam viam arripiunt.*

ALIENO IVDICIO.] Dionys. *sub alieno iudicio.*

NON TREPIDE &c.] Has Obedientiæ conditiones enucleamus p. 581.

CVM MVRMVRE.] Reg. Donati. Mag. Concord. Smarag. Kero, Ebrul. Dionys. legunt, *murmurio*, voce S. Augustino alijsque non ignota. Et sic habere MSS. Regulæ codices, annotauit Goldastus Not. ad cap. 10. Ekkehardi iunioris de cas. Monast. S. Galli, ex eoque deductum *murmuriosus*, de quo nos suprà. *Murmurium.*

RESPONSO.] Reg. Donati, & plura edita scribunt, *responsione*; vnum etiam, *responsatione*.

OBEDIENTIA QVÆ MAIORIBVS &c.] Transcriptum ex Clemente, cuius hęc verba: *Obedientia enim & humiliatio, quæ magistris agitur, Domino exhibetur.*

OBEDIT.] Concord. Smarag. Dunst. Ebrul. & Boër. *obediat.*

NVLLAM CONSEQVITVR GRATIAM.] Quî sit, vt pœnam incurrat qui mandatum impleuit? Solutionem leges p. 581.

CAPVT VI.

De Taciturnitate.

24. Ianv. 25. Maij. 24 Sept. FACIAMVS quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Hîc ostendit Propheta, si à bonis eloquijs propter taciturnitatem debet interdum taceri, quantò magis à malis verbis, propter pœnam peccati, debet cessari. Ergo quamuis de bonis & sanctis & ędificationū eloquijs, perfectis discipulis, propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia; quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum. & alibi: Mors & vita in manibus linguæ. Nam loqui & docere Magistrum condecet, tacere & audire discipulo conuenit. Ideò si qua requirenda sunt à Priore, cùm omni humilitate & subiectione requirantur, ne plus videatur loqui quàm expedit. Scurrilitates verò, vel verba otiosa, & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus. *Psalm. 38. Prou. 10. Prou. 18.*

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE TACITVRNITATE.] Loqnimur de ea toto Tract. 3. lib. VI. p. 584.

ORI MEO CVSTODIAM.] Dionys. supplet ex Psalmo: *cum consisteret peccator aduersum me, obmutui;* quod meritò alijs deest. Expensa hæc scriptura, pag. 585.

INTERDVM TACERI.] τὸ *interdum* deest Concordiæ. Dunstanus singulariter: *debet tacere Monachus.* & postea, *cessare.*

ERGO QVAMVIS.] Ne hæreat sensus propter τὸ, *quamuis*, vult Boërius ita legi textum: *Ergo discipulus quamuis perfectus*, id est, quantumcumque perfectis, de bonis & sanctis &c. sed nulla MSS. aut vulgata fauent.

ÆDIFI-

ÆDIFICATIONVM ELOQVIIS.] Ita MSS.& Donatus,Iuuenal. & quędam impressa legunt, *ad ædificationem eloquijs.*

IN MVLTILOQVIO.] De hoc nos multa pag.587.

REVERENTIÆ.] MSS. Afflig. Andr. S. Hadr. Ebrul *& Subiectione & reuerentia.*

NE PLVS VIDEATVR LOQVI QVAM EXPEDIT.] Ita Boërius, & codices recentiores impressi. Tota verò sententia deest nostris MSS. Concord. Smarag. Dunst. Iuuenali, editioni Florentinæ & Parisiensi 1522. Glossema hoc è margine forsan in textum irrepserit.

SCVRRILITATES.] quid propriè, vide p.591.

AD TALIA ELOQVIA.] MSS. nostra,& quædam edita, *tale eloquium.*

CAPVT VII.

De Humilitate.

Lucæ 14. CLAMAT nobis Scriptura diuina, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, hu- 25 Ianv.
miliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Cùm hæc ergo dicit, ostendit 26 Maij. 25. Sept.
nobis, omnem exaltationē genus esse superbiæ. Quod se cauere Propheta
Psal. 130. indicat, dicens: Domine, non est exaltatū cor meum, neque elati sunt oculi
mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus super matre sua, ita retribues in animam meam. Vnde, Fratres, si summæ humilitatis culmē volumus attingere, & ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire; actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est,
Genes. 28. quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei ascendentes & descendentes Angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in sæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum. Latera enim eiusdem scalæ dicimus nostrum esse corpus & animam, in quæ latera diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ, euocatio diuina ascendendos inseruit.

PRimus itaque gradus humilitatis est, si timorem Dei sibi ante oculos semper po- 26. Ianv.
nens, obliuionem omninò fugiat, & semper sit memor omniū quæ præcepit Deus, 27. Maij. 26. Sept.
qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt; & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper reuoluat: & custodiens se omni hora à peccatis & vitijs, id est, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum pedum, vel voluntatis propriæ, sed & desideria carnis amputare festinet.

ÆStimet se homo de cœlis à Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni 27. Ianv.
loco ab aspectu Diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora renuntiari. Demōstrat 28. Maij. 27. Sept.
nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus nostris ita Deum semper præsentem osten-
Psalm. 7. dit, dicens: Scrutans corda & renes Deus. Et idem dicit: Dominus nouit cogitationes ho-
Psalm. 93. Psal. 138. minum quoniam vanæ sunt. Iterùm ipse dicit: Intellexisti cogitationes meas à longè. Et:
Psalm. 73. Quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam, vt sollicitus sit circa cogitationes suas
Psalm. 17. peruersas, dicat semper vtilis Frater in corde suo. Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea.

Eccli. 18. VOluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis: Et à 28 Ianv.
Matth. 6. voluntatibus tuis auertere. Et item rogamus Deum in Oratione, vt fiat illius vo- 29 Maij. 28. Sept.
luntas in nobis. Docemur ergo meritò nostram non facere voluntatem, cùm cauemus
Prou. 16. illud quod dicit sancta Scriptura, Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni demergit: & item cùm cauemus illud, quod de negligenti-
Psalm. 52. bus dictum est: Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis. In desiderijs verò carnis ita nobis Deum semper credamus præsentem, cùm dicit Propheta Do-
Psalm. 37. mino: Ante te est omne desiderium meum.

CAuendum ergo est ideò malum desiderium, quia mors secus introitum delectatio- 29 Ianv. 30. Maij.
Eccli. 18. nis posita est. Vnde Scriptura præcipit dicens: Post concupiscentias tuas non eas. 29. Sept.

Ergo ſi oculi Domini ſpeculantur bonos & malos,& Dominus de cœlo ſemper reſpicit
ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum; & ſi ab Angelis *Pſalm 11.*
nobis deputatis die noctuq; Domino factori noſtro,opera noſtra nũtiantur: cauendum
eſt ergo omni hora,Fratres,ſicut dicit in Pſalmo Propheta, ne nos declinantes in malũ, *Pſalm. 52.*
& inutiles factos aliqua hora aſpiciat Deus, & parcẽdo nobis in hoc tempore, quia pius
eſt,& expectans nos conuerti in melius,ne dicat nobis in futuro: Hæc feciſti,& tacui. *Pſalm. 49.*

30. IANV. 31. Maij. 30. Sept. SEcundus humilitatis gradus eſt; ſi propriam quis non amans voluntatem, deſideria
ſua non delectetur implere, ſed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: Non *Ioan. 6.*
veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Item dicit ſcriptura: Voluntas
habet pœnam,& neceſſitas parit coronam.

31. IANVAR. 1. Iunij. 1. Octobris. TErtius humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat
Maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus: Factus obediens vſque ad *Philip. 2.*
mortem.

1. FEBRV. 2. Iunij. 2. Octobris. QVartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa obedientia duris & contrarijs rebus, vel
etiam quibuſlibet irrogatis iniurijs tacita conſcientia patientiam amplectatur, &
ſuſtinens non laſſeſcat, vel diſcedat, dicente Scriptura: Qui perſeuerauerit vſque in finem, *Matth. 10.*
hic ſaluus erit. Item: Confortetur cor tuum,& ſuſtine Dominum. Et oſtendens, fidelem *Pſalm. 26.*
pro Domino vniuerſa etiam contraria ſuſtinere debere, dicit ex perſona ſufferentium:
Propter te afficimur tota die: æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Et ſecuri de ſpe retri- *Pſalm. 43.*
butionis diuinæ, ſubſequuntur gaudentes & dicentes: Sed in his omnibus ſuperamus *Rom. 8.*
propter eum, qui dilexit nos. Et item alio loco Scriptura, Probaſti nos, inquit, Deus: igne *Pſalm. 65.*
nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tri-
bulationes in dorſo noſtro. Et vt oſtendat, ſub Priore debere nos eſſe, ſubſequitur, dicens:
Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Sed & præceptum Domini in aduerſis & in in- *Ibid.*
iurijs per patientiam adimplentes, qui percuſſi in maxillam, præbent & aliam: auferenti *Matth. 5.*
tunicam, dimittunt & pallium; angariati milliarium, vadunt & duo; cùm Paulo Apo- *Luc. 6. 2. Cor. 11.*
ſtolo falſos fratres ſuſtinent,& maledicentes ſe benedicunt.

2. FEBRV. 3. Iunij. 3. Octobris. QVintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes malas cogitationes cordi ſuo aduenientes,
vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non cela-
uerit ſuo. Hortans nos de hâc re Scriptura dicit: Reuela Domino viam tuam,& ſpera in *Pſalm. 36.*
eum. Et item dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſe- *Pſal. 105.*
ricordia eius. Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci,& iniuſtitias meas *Pſalm. 31.*
non operui. Dixi, Pronunciabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino: & tu remiſiſti
impietatem cordis mei.

3. FEBRV. 4. Iunij 4. Octobris. SExtus humilitatis gradus eſt, ſi omni vilitate vel extremitate ſit contentus ſit Mona-
chus; & ad omnia quæ ſibi iniunguntur, velut operarium malum & indignum ſe *Pſalm. 72.*
iudicet, dicens ſibi cum Propheta: Ad nihilum redactus ſum, & neſciui: vt iumentum
factus ſum apud te,& ego ſemper tecum.

4. FEBRV. 5. Iunij. 5. Octobris. SEptimus humilitatis gradus eſt, ſi omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm ſua
lingua pronuntiet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, humilians ſe, & dicens
cum Propheta. Ego autem ſum vermis,& non homo: opprobrium hominum, & abie- *Pſalm. 21.*
ctio plebis. Exaltatus autem & humiliatus ſum, & confuſus. Et iterum: Bonum mihi *Pſalm. 87. Pſal. 118.*
quòd humiliaſti me, vt diſcam mandata tua.

5. FEBRV. 6. Iunij. 6. Octobris. OCtauus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Mo-
naſterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.

6. FEBRV. 7. Iunij. 7. Octobris. NOnus humilitatis gradus eſt, ſi linguam ad loquendum prohibeat Monachus: &
taciturnitatem habens, vſque ad interrogationem non loquatur, monſtrante Scri-
ptura, quia in multiloquio non effugietur peccatum: & quia vir linguoſus non dirigetur *Prou. 10.*
ſuper terram. *Pſal. 139.*

Eccli. 2. DEcimus humilitatis gradus est, si non sit facilis & promptus in risu, quia scriptum 7. Febru.
est: Stultus in risu exaltat vocem suam. 8 Iunij 8 Octobris.

VNdecimus humilitatis gradus est, si, cùm loquitur Monachus, leniter & sine risu, 8. Febru.
humiliter & cum grauitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur; & non sit 9. Iunij. 9. Octobris.
clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.

DVodecimus humilitatis gradus est, si non solùm corde Monachus, sed etiam ipso 9. Febru. 10 Iunij
corpore humilitatem videntibus se semper indicet, id est, in opere, in Oratorio, in 10. Octobris.
Monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbicumque sedens, ambulans, vel stans: inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari æstimet, dicens sibi in corde semper
Luc. 18. illud, quod Publicanus ille Euangelicus, fixis in terram oculis, dixit: Domine non sum
Psal. 118. dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum. Et iterùm cum Propheta: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque.

Ergo his omnibus humilitatis gradibus adscensis, Monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuersa, quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire: iam non timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum: quæ Dominus iam in operarium suum mundum à vitijs & peccatis, Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE HVMILITATE.] Scalam humilitatis cum suis gradibus vitijsque oppositis fusè descripsimus LVI. Tract. 4. 5. 6. & 7.

DICENS.] Desideratur id in Concordia.

ABLACTATVS SVPER MATRE SVA.] Concord. Smarag. Dunst. Dionys. cum editis tribus habent; *ablactatum super matrem suam*, iuxta textum Græcum.

RETRIBVES IN ANIMAM MEAM.] Quidam hîc vulgaram substituunt lectionem: *Ita retributio in anima mea.*

IN SOMNO.] Magister & Concord. *in somnio.*

LATERA ENIM EIVSDEM SCALÆ.] Concord. Smarag. Trithem. Dionys. *eius:* Ebrul. Hadr. & Florent. *huius.* Dunst. neutrum habet.

IN QVÆ LATERA.] Magist. Coocord. Kero, Dionys. *in qua latera.* Nostra lectio est Smaragdi & aliorum MSS. Dunstanus cum quibusdam recentioribus legit, *in quibus.*

ASCENDENDOS.] Trithemius singulariter, *ascendentibus.*

OBLIVIONEM.] Codex MS. Affligen. *Elationem omnino fugiat monachus.*

MEMOR OMNIVM.] Concord. *eorum.*

QVALITER CONTEMNENTES.] Concord. Smaragd. Calen. *vt qualiter*, Dunst. cum vulgaris. *& qualiter.* Nostra lectio est ferè omnium MSS.

IN GEHENNAM PRO PECCATIS INCIDVNT.] Ita membranæ nostræ omnes cum Dunstano & editis. Magister & Concordia *Gehenna de peccatis incendat*, quam lectionem probat, & alijs præfert Menardus.

REVOLVAT.] Magist. Concord. Dionys. *euoluat.*

AMPVTARE FESTINET.] Deest Regulæ Magistri, Concordiæ, Smaragdo, & amputandum censet Menardus: sed reperitur in MSS. nostris & Boërio.

OMNI HORA RENVNCIARI.] Ebrul. Dionys. Hadr. & vulgara addunt *Deo.* sed deest Magistro, Concord. Smarag. Dunst. nec videtur necessarium.

VTILIS FRATER.] Sic omnia nostra MSS. item Concord. Smarag. Dunst. Iuuenal. & alia vetusta. Recentior ergo est lectio quorundam vulgarorum *humilis Frater*, quæ forsan quod de humilitate agatur ad illud Iac. 1. alludere voluerit, *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.*

ET A VOLVNTATE TVA AVERTERE.] Legendum *voluntatibus tuis*, si fides omnibus codicibus impressis & chirographis versio LXX. habet: ἀπὸ τῶν ὀρέξεών σου, id est, *ab appetitibus tuis.* Vulgara Eccli. 18. *à voluntate tua.*

SVNT VIÆ QVÆ VIDENTVR &c.] Sequitur hîc S. BENEDICTVS textum LXX. & ex duobus locis prouerb. 14 & 16. vnam conflauit citationem. Prior sic habet: *Est via, quæ videtur apud homines recta esse, nouissima autem eius vadunt in fundum inferni.* Posterior: *Sunt viæ quæ videntur rectæ esse hominis, attamen nouissima eorum spectant in fundum inferni.* S. Cyprianus, notante Ciaconio, vtramque hanc scripturam quoque coniunxit, ita lib. de Singularit. Cleric. efferens: *Est via, quæ videtur apud homines recta esse, nouissima autem eius veniunt in profundum inferorum.* Eandem in plurali etiam legunt Ambros. in psal. 118. octon. 8. Hieronymus in Isaiæ c. 2. & l. 2. adu. Pelag. c. 1. Cassianus Coll. 1. c. 20.

IN VOLVNTATIBVS SVIS.] Ita Concord. Smarag. Dunst. Iuuenal. MSS. Dionys. Hadr. & quædam impressa. At MSS. Afflig. Ebrul. Andr. Trithem. Turrecrem. aliquot edita legunt, *in voluptatibus suis.* Romani & Ambrosiani Psalterij psal. 13. & Cassiodori prior lectio est in psal. 52. Vulgara editio psal. 13. habet, *in studijs suis.*

CAVENDVM ERGO EST MALVM DESIDERIVM.] Desunt hæc Regulæ à S. Dunstano recognitæ, & impressæ anno 1544.

MORS SECVS INTROITVM &c.] Sic etiam citat S. Bernardus serm. 3. de natiu. Dom. Ioannes quidam Monachus in MS. libello, quo contraxit sensus capitum Regulæ nostræ, exstatque in Bibliotheca S. Martini apud Neruios, ait S. BENEDICTVM desumpsisse hunc locum ex vita S. Sebastiani, cuius acta, auctore S. Ambrosio Episcopo, vt probabile asserit Bollandus, 20. Ianuar. sic cap. 4. habent: *Ipse*

enim ita creauit hominem vt viueret: & mortem iuxta introitum delectationis posuit, vt hi queis libet à mortis timore euadere vitam æternam quærant.

AB ANGLIS NOBIS DEPVTATIS.] Vide hanc doctrinam S.BENEDICTI à nobis vberiùs elucidatam p.629.

DIE NOCTVQVE.] Reg. Magist. Concord.MSS. Dionys.Hadr.Andr. & Turrec.sic legunt: *Cotidie die,vel,diu noctuq;*,Iuuenal.Bertels omittunt *die noctuq;*.

FACTORI NOSTRO.] Smarag.& Dunst.*factorum nostrorum*.

EXSPECTAT NOS.] Smarag.& Florent.*exspectans nos*. Ebrul.*exspectando nos*.

NE DICAT NOBIS.] Quibusdam deest τὸ *ne*,nec admodum necessarium.

VOLVNTAS HABET POENAM,&c.] Varias lectiones huius loci, & vbi is exstet, lector inueniet pag.635.

SICVT IGNE EXAMINATVR.] τὸ *igne* hîc repetitur in Afflig.Andr.quod alia omittunt, rectè.

FRATRES SVSTINENT.] Ebrul. Dionys. Hadr. Florent.interponunt,*& persecutionem*.

HORTANS.] Reponunt nonnulli,*hortatur*.

IMPIETATEM CORDIS MEI.] Concordia cum vulgata legit, *impietatem peccati mei*. Sed S.BENEDICTI lectio iuuenitur apud Ambrosium l. 1. de Jacob c.6.Hieronymum adu. Pelag.& ep.46. Augustinum.1. Confess.c.5. & in Psalterio Romano atque Ambrosiano,& Græcè est,τῆς καρδίας μου.

LENITER ET SINE RISV.] Non leuiter errant, qui legunt *leniter*, quod est in MS.Afflig. Dunst. & Iuuenali.

PRÆSENTARI.] Concord. Smarag. Ebrul.Dionys. Andr.legunt,*repræsentari*.

OPERARIVM SVVM.] Dunst. Ebrul. Dionys. Andr.& alia edita,non malè,*operario suo*.

CAPVT VIII.

De officijs diuinis in noctibus.

10 FEBRV. 11.Iunij. 11.Octobris.



IEMIS tempore, id est, à Kalendis Nouembris vsque ad Pascha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est, vt modicè ampliùs de media nocte pausetur, & iam digesti surgant. Quod verò restat post Vigilias,à Fratribus, qui Psalterij vel lectionum aliquid indiget, meditationi inseruiatur. A Pascha autem vsque ad supradictas Kalendas Nouembris, sic temperetur hora Vigiliarum agenda,vt paruissimo interuallo, quo Fratres ad necessaria naturæ exeant,custodito,mox Matutini,qui incipiente luce agendi sunt,subsequantur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

OCTAVA HORA NOCTIS.] Quænam hæc hora, diximus pag.776.

POST VIGILIAS A FRATRIBVS.] Expensus & hic locus pag 751.vbi & diximus quosdam textui hic addere τὸ,*nisi*.

MEDITATIONI INSERVIATVR.] Quid hic intelligendum per *meditationem*,vide p.752.

HORA VIGILIARVM.] Concord.Smarag.Ebrul. Dionys.Andr. Turrecrem. & pleraque vulgata legunt.*Hora vigiliarum agenda*.Dunst.*agendarum*.

PARVISSIMO.] Et hunc superlatiuum inter barbaras voces quidam reijcient, sed eo vsus Lucretius l.1. Arnobius l.5. qui & *minimissimum* dixit. Cælius sanè Aurelianus non vno loco *paruissimus* extulit:Et Varro l.7.de lingua lat.*bonissimus*, & *malissimus*.Cassianus coll.9.c.22. *Erga nostrarum verò vel paruissimarum offensionum debita exactores immites*.Idem Coll.6.c.17. *Stillicidijs primò paruissimis penetrantibus*,&c.Auctor vitæ S.Fulgentij c.12.*In ipso paruissimo hospitij quod acceperat habitaculo*.

INTERVALLO.] De hoc actum pag.751.

MATVTINI.] Id est,Laudes.Vide ibid.

CAPVT IX.

Quanti Psalmi dicendi sunt nocturnis horis.

11.FEBRV. 12.Iunij. 12.Octobris.



IEMIS tempore suprà scripto,præmisso in primis Versu,Deus in adiutorium meum intende. In secundo ter dicendum: Domine labia mea aperies,& os meum annuntiabit laudem tuam. Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria. Post hunc Psalmus nonagesimus quartus, cum Antiphona, aut certè indirectum decantádus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex Psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto Versu, benedicat Abbas.Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à Fratribus in codice super analogium tres Lectiones:inter quas tria Responsoria canantur. Post tertiam verò Lectionem, qui cantat,dicat Gloriam. Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedibus suis surgant ob honorem & reuerentiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur

legantur in Vigilijs tam veteris Testamenti, quàm noui, diuinæ auctoritatis: sed & expositiones eorum, qui à nominatissimis Orthodoxis, Catholicis Patribus factæ sunt. Post has verò tres Lectiones cum Responsorijs suis sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia canendi. Post hos Lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda, & Versus, & Supplicatio Litaniæ, id est, Kyrie eleison: & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Quanti pro quot Latinè dicitur.

QVANTI PSALMI.] Frustra est Laurentius Valla, qui hoc loquendi genus non infimæ notæ scriptoribus vsitatum improbat. Tertullianus ad Scapulam c.4. *Quanti honesti viri.* & postea: *Quantis ignibus, quantis gladijs opus erit.* De resurrect. c. 42. *Quantos enim licebit vel pridianos inuenire.* Ambrosius orat. de excessu Satyri: *Quanti tibi dixerunt aliquid, qui se nobis dixisse memorarent.* Augustinus serm. 229. *Quanti pauperes in locis vbi ipse habitat:* &c. Gregorius l.12. epist. 6. de Rustico Diacono, *Quantos psalmos minus teneat perscrutãdum est.* Sic & vulgata Luc. 15. 17. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Demus & profanos, quos ita extollit Valla, atque ipsos Pandectarum libros; è quibus solis, *l.3. Eleg.* dignitatem atque amplitudinem Latinæ linguę recuperari posse pronunciat. Ita autem in ijs lego l.2. C. de præf. pręter. Afr. §. si verò: *Et quanti limitanei, & in quibus locis* &c. Ibidem: *Milites pro custodia locorum quantos ibi magnitudo tua prouiderit.* Rursumque: *Quantos autem milites, siue pedites* &c. Vegetius l.3. c.5. ex correctione Stewechij. *Signorum militarium quanta sint genera,* & cap.9. *vt integrè suis, quantos possint hostes interimant.* Dicuntur autem *tantus, quantus,* pro *tot, quot,* more Græcorum, quibus *πόσος*, promiscuè significat *tot,* & *tantus.*

DOMINE LABIA.] Versum hunc explicamus pag. 739.

NONAGESIMVS QVARTVS.] Boër. Dionys. Hadr. addunt, *venite exultemus Domino.* De quo nos pag. 741.

CVM ANTIPHONA.] id est, Inuitatorio, vt exponimus ibid.

AMBROSIANVM.] Vocis huius elucidationi tributa Disq. 5. tract. 6. Lib. VII. Dionys. legit, *Ambrosianus Hymnus.*

ANALOGIVM.] Quid sit, vide pag. 746.

TRIA RESPONSORIA CANANTVR, POST TERTIAM VERÒ.] Ita omnia MSS. nostra, & quædam edita. Sed Concord. Dunst. & alia interponunt: *Duo responsoria sine gloria dicantur. Post tertiam* &c.

SEDIBVS SVIS.] Concord. Dunst. Affligen. Dionys. Andr. Hadr. & alia quædam impressa legunt *Sedilibus suis.*

CODICES AVTEM LEGANTVR.] Concord. Smarag. Dunst. Ebrul. Affligen. Andr. cum aliquot impressis periodum sic efferunt: *Codices autem legantur in vigilijs diuinæ auctoritatis, tam veteris testamenti quàm noui.*

EXPOSITIONES EORVM.] Ita Dunst. Hadr. & quædam excusa. Sed Concord. & reliqua MSS. cum plerisque vulgatis habent, *earum.*

NOMINATISSIMIS ORTHODOXIS, &c.] Variè hæc transponunt quæ vidi exemplaria. Concord. Smarag. & Dionys. legunt: *Nominatis.* Dunst. & plura impressa sic: *Quæ à nominatissimis doctoribus orthodoxis & Catholicis Patribus.*

EX CORDE RECITANDA.] Quid hoc sit diximus pag. 747.

C A P V T X.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.



A PASCHA autem vsque ad Kalendas Nouembris, omnis (vt suprà dictum est) Psalmodiæ quantitas teneatur: excepto, quòd Lectiones in codice, propter breuitatem noctium, minimè legantur: sed pro ipsis tribus Lectionibus vna de veteri Testamento memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur; id est, vt numquam minùs à duodecim Psalmorum quantitate ad Vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio & nonagesimo quarto Psalmo.

12. Febr. 13. Iunij. 13. Octobris.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

CAPVT hoc præcedenti adiungit vtraque editio Iuuenalis. Explicamus nos illud ex parte pag. 746. 777.

QVAM BREVE RESPONSORIVM SVBSEQVATVR.] desideratur totum in Concordia.

NOCTVRNAS DICATVR.] Smarag. Dunst. Hadr. cum veteris editionis codicibus, legunt, *dicantur.*

C A P V T XI.

Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur.



DOMINICO die temperiùs surgatur ad Vigilias, in quibus Vigilijs teneatur mensura, id est, modulatis (vt suprà disposuimus) sex Psalmis, & Versu, residentibus cunctis dispositè & per ordinem in subsellijs, legantur in codice (vt suprà diximus) quatuor Lectiones cum Responsorijs suis, vbi

13. Febr. 14. Iunij. 14. Octobris.

tantùm

tantùm in quarto Responsorio dicatur à cantante Gloria. Quam cùm incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas Lectiones sequatur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores; & Versus. Post quos iterùm legantur aliæ quatuor Lectiones cum Respôsorijs suis, ordine quo suprà. Post quas iterùm dicantur tria Cãtica de Prophetis, quæ instituerit Abbas: quæ Cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiam Versu, & benedicente Abbate, legãtur aliæ quatuor Lectiones de nouo Testamento, ordine quo suprà. Post quartum autem Responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas Hymnum: Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore, tam æstatis quàm hiemis, æqualiter in die Dominico teneatur: nisi fortè (quod absit) tardiùs surgant, aliquid de Lectionibus breuiandum est, aut Responsorijs. Quod tamen omninò caueatur ne proueniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat Deo in Oratorio, per cuius euenerit neglectum.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DOMINICO DIE.] Lucem dedimus huic capiti p.747.

TEMPERIVS.] Explicatum inuenies ibidem, vt & reliqua obscuriora, quod semel monuisse satis erit.

SICVT ANTERIORES.] Deest Concordiæ & aliquot vulgatis.

DICANTVR TRIA CANTICA.] Dunst. & alia impressa *dicantur iterum tria* &c.

DE PROPHETIS.] Afflig. & Andr. legunt, *Cantica prophetarum*, quæ sic etiam indigetat Augustinus. epist. 119.

CVM HONORE ET TREMORE.] Smaragd. Afflig. Turrec. *cum honore & timore*.

INCIPIANT MATVTINOS.] Duo hîc obseruanda: Primum, codicem MS. Afflig. & Boër. legere, *incipiat*, scilicet Abbas. Quam lectionẽ ex alijs MSS. etiam probat Menardus. Alterum, *Matutinos* hîc à S. BENEDICTO efferri in masculino genere, ex more veteri. Rufinus vit. Pat. l. 3. n. 165. *Postquam verò expleuerunt Matutinos, egressus Macarius.* Sic & post S. BENEDICTVM Gregorius Turon. l. 2. hist. Franc. c. 7. & l. 10. c. 44. Baldericus in Chron. Camerac. l. 2. c. 3. *Matutinos* dixerunt, subaudi psalmos vel hymnos, vt benè intellexit Kero noster, qui vocabula Regulæ S. BENEDICTI Alemannicè interpretãs, *Matutinos*, inquit, **Morgenlob**, sc. *Psalmos seu hymnos*. *Matutini.*

TARDIVS SVRGANT.] Ita Concord. Andr. Hadr. Dunst. cum aliquot editis, reliqui codices legunt, *Tardius surgatur*.

CAPVT XII.

Quomodo Matutinorum solemnitas agatur.

14 Febru. 15 Iunij. 15 Octobris.



IN Matutinis Dominico die, imprimis dicatur Psalmus sexagesimus sextus sine Antiphona indirectum. Post quem dicatur quinquagesimus, cum Alleluia. Post quem dicatur centesimus decimus septimus, & sexagesimus secundus. Inde Benedictiones & Laudes: Lectio de Apocalypsi vna ex corde, & Responsorium & Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litania, & Completum est.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

IN MATVTINIS.] Subintelligit Laudes, vt etiam vulgo loquuntur. De his actum pag. 754.

INDIRECTVM.] Deest Concordiæ.

BENEDICTIONES.] Canticum trium puerorum, ex Danielis 3. cap. vide disquisitiones ibid.

LAVDES.] Intellige psalmum centesimum quadragesimum octauum, cum duobus sequentibus.

LECTIO DE APOCALYPSI.] Concord. legit: *Lectio de scriptura*. Omnia alia exemplaria constanter retinent nostram lectionem, licet aliter paulò periodum totam interpungant.

LITANIA.] De huius vocis significatione actum pag. 763. Ceterùm, vt hoc obiter notem, mendosè in quibusdam codicibus, & aliorum libris, vt S. Gregorij Magni, Gregorij Turonensis, ordine Romano scribitur, *Latania*, & *letania*, pro *Litania*, cum sit iota Græcum. *Litania, non Letania.*

CAPVT XIII.

CAPVT XIII.

Qualiter priuatis diebus Matutini agantur.

DIEBVS autem priuatis Matutinorum solemnitas ita agatur, id est, vt sexa- 15. Febr.
gesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona, subtrahendo modicè, sicut 16. Iunij. 16. Octobris
Dominica, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur Post quem alij duo Psalmi dicantur secundùm consuetudinem, id est, secunda Feria quintus & trigesimus quintus, tertia Feria quadragesimus secundus & quinquagesimus sextus, quarta Feria sexagesimus tertius & sexagesimus quartus, quinta Feria octogesimus septimus & octogesimus nonus, sexta Feria septuagesimus quintus & nonagesimus primus, Sabbato autem centesimus quadragesimus secũdus, & Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias: nam ceteris diebus Canticum vnumquodque die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequentur Laudes: deinde Lectio vna Apostoli memoriter recitanda; Responsorium, Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litania, & Completum est.

PLanè agenda Matutina, vel Vespertina, non transeat aliquando, nisi in vltimo ordi- 16. Febr. 17. Iunij.
ne Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, propter scandalorum 17. Octobris.
spinas, quæ oriri solent, vt conuenti per ipsius Orationis sponsionem, quâ dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab huiusmodi vitio. Ceteris verò agendis, vltima pars eius Orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur, Sed libera nos à malo.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

SICVT DOMINICA.] Concord. Turrecrem. Calen. *Sicut in dominica.*

SEQVANTVR LAVDES.] Concord. *Sequẽtur.* Smarag. *dicantur.*

AGENDA.] Quid agenda? egimus pag. 693.

NISI IN VLTIMO ORDINE.] Concord. Smarag. & quædam edita legunt. *Nisi in vltimo per ordinem.*

ORATIO DOMINICA.] Locus hic elucidatur pag. 763.

VT CONVENTI.] MS. Ebrul. cum alijs, quæ recitat, Menardus, legit, *conuersi.*

DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA &c.] Smarag. & omnia MSS. nostra excepto Dionysiano, omittunt *debita nostra.* Sed Dionysiano deest, *debitoribus nostris.*

CAPVT XIV.

In natalitijs Sanctorum qualiter agantur Vigiliæ.

IN Sanctorum verò Festiuitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut dixi- 17. Febr. 18. Iunij.
mus Dominico die agendum, ita agatur: excepto, quòd Psalmi, aut Anti- 18. Octobris.
phonæ, vel Lectiones, ad ipsum diem pertinentes, dicantur: modus autem suprà scriptus teneatur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

IN NATALITIIS.] Egimus de his pag. 750. de voce p. 790.

QVALITER AGANTVR VIGILIÆ.] plures sic totum lemma legunt: *Qualiter in Natalitijs Sanctorum agantur vigiliæ.* Quidam ex hoc præcedente & subsequente capite vnum conflant.

CAPVT XV.

Quibus temporibus dicatur Alleluia.

A SANCTO Paschâ vsque ad Pentecosten, sine intermissione dicatur Alle- 18. Febr.
luia, tam in Psalmis quàm in Responsorijs: à Pentecoste autem vsque ad 19. Iunij. 19. Octobris
caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cum sex posterioribus Psalmis tantùm ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadragesimam,

mam, Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque cum Alleluia dicantur, Vespera verò iam cum Antiphona; Responsoria verò numquam dicantur cum Alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

ALLELVIA.] De hac voce est disquisitio 1.lib. 7 Tract.8.pag.759.

A PENTECOSTE AVTEM.] Codices nostri MSS. cum Smarag.& editis aliquot, legunt, *A Pentecosten autem.*

VESPERA IAM CVM ANTIPHONA.] Desideratur τὸ, *iam* in Concordia, alijsque quàm plurimis, nec admodum necessarium.

CAPVT XVI.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

19. Febr. 20. Iunij. 20. Octobr.



T ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorijque tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus: quia de his diurnis Horis dicit Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Vigilijs idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

Psal. 118. Ibid.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

VT AIT PROPHETA.] Burchardus decret.l.2.c. 105.sic habet: *Propheta dicente.* Dionys. *Et ait scriptura.*

SACRATVS NVMERVS.] Burchardo deest τὸ, *sacratus.*

SI MATVTINO.] Duost.Iuuenal.& aliquot vulgata. *Si matutina.*

QVIA DE HIS DIVRNIS HORIS.] Concord. Burchard.Ebrul.cum aliquot excusis & MSS.omittunt τὸ, *diurnis.*

SEPTIES IN DIE, &c.] Hoc testimonim oon repetitur apud Burchardum, & satis subiotelligitur.

SVPER IVDICIA IVSTITIÆ SVÆ.] Deest totum in Concordia, sed alij omnes codices habent.

CAPVT XVII.

Quanti Psalmi per easdem Horas canendi sunt.

20 Febr. 21. Iunij. 21. Octobris.



AM de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem psalmodiæ, nunc de sequentibus Horis videamus. Prima Hora dicantur tres Psalmi sigillatim, & non sub vna Gloria, Hymnus eiusdem Horæ post Versum, Deus in adiutorium meum intende, antequam Psalmi incipiantur. Post expletionem trium Psalmorum, recitetur Lectio vna, Versus, Kyrie eleison, & Missæ sint. Tertia verò, Sexta, & Nona, eodem ordine celebretur Oratio, id est, Versus, Hymni earumdem Horarum, terni Psalmi, Lectio, Versus, & Kyrie eleison, & Missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis; si verò minor, in directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur: post quos Psalmos lectio recitanda est. Inde Responsorium, Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litania, & Oratio Dominica, & fiant Missæ. Completorium autem trium Psalmorum dictione terminetur. Qui Psalmi directaneè sine Antiphona dicendi sunt: post quos Hymnus eiusdem Horæ, Lectio vna. Versus, Kyrie eleison, Benedictio, & fiant Missæ.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

CANENDI SVNT.] Concord. Afflig. Andr. *dicantur.*

SEQVENTIBVS HORIS.] Membranacei Afflig.& Hadr.non habent τὸ, *horis.*

MISSÆ SINT.] Smarag. *missæ sunt.* Hadr. *Missa est.* Nominis huius varias significationes & expositiones quærat eruditus lector pag.693.

EODEM ORDINE CELEBRETVR ORATIO.] Sic ferè omnia nostra chirographa. Sed Concordia & alia MSS.apud Menardum ita legunt: *Tertia verò & sexta.*

& sexta & Nona eodem ordine celebrantur: oratio, id est, versus &c. singulariter Dunst. *celebretur, id est, oratio, versus* &c.

CVM ANTIPHONIS.] Smarag. Ebrul. Andr. Turrec. & Florent. addunt *dicantur.*

LECTIO RECITANDA EST.] Ita MSS. nostra omnia & impressa, præter Concord. & Calen. quæ addunt, *Apostoli lectio.* Hæc autem lectio est Capitulum. Ordo Romanus in Sabbato sancto: *Ante Magnificat verò Lectio non dicitur, vel versus, sed Antiphona, vespere autem Sabbati.*

DIRECTANEE.] Melior est lectio Concordiæ, omnium MSS. & excusorum quæ habent, *directanei.* Hadr. legit, *indirectum.*

ET FIANT MISSÆ.] Concord. Calen. & Ferragius, *Post missa fiant.*

CAPVT XVIII.

Quo ordine ipsi Psalmi dicendi sint.

INPRIMIS semper diutnis Horis dicatut versus, Deus in adiutotiũ meum 21. FEBRV.
intende, & Gloria. Inde Hymnus vniuscuiusq; Hotæ. Deinde prima Ho- 22. Iunij 22. Octobris.
ra Dominica dicenda quatuor Capitula Psalmi centesimi octaui decimi. Reliquis verò Hotis, id est, Tertia, Sexta, & Nona, terna Capitula suprascripti Psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Ad Primam autem secundæ Feriæ dicantur tres Psalmi, id est, primus, secundus & sextus. Et ita per singulos dies ad Primam, vsque Dominicam dicantut per ordinem temi Psalmi ad nonumdecimum Psalmum; ita sanè, vt nonus Psalmus, & septimus decimus diuidantut in binas Glorias: & sic fiat, vt ad Vigilias Dominica semper à vigesimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam, vel Nonam secundæ Feriæ nouem Capitula, quæ residua sunt de centesimo octauo decimo Psalmo, ipsa terna per easdem Horas dicantur.

EXpenso ergo Psalmo centesimo octauo decimo duobus diebus, id est, Dominica, 22. FEBRV.
& secunda Feria; tertia Feria iam ad Tertiam, Sextam, & Nonam psallantur ter- 23 Iunij. 23. Octobris.
ni Psalmi, à centesimo nonodecimo vsque ad centesimum vigesimumseptumum, Psalmi nouem. Quique Psalmi semper vsque ad Dominicam per easdem Horas itidem repetantur, Hymnorum nihilominus, Lectionum vel Versuum dispositione vnifotmi cunctis diebus seruata: & ita scilicet, vt semper Dominica à centesimo octauodecimo incipiatur.

VEspera autem quotidie quatuot Psalmorum modulatione canatur. Qui Psalmi 23. FEBRV.
incipiantut à centesimo nono, vsque ad centesimum quadragesimum septimum, 24. Iunij. 24. Octobris.
exceptis his, qui in diuersis Horis ex eis sequestrantur, id est, à centesimo decimoseptimo, vsque ad centesimum vigesimum septimum, & centesimo trigesimotertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minùs veniunt tres Psalmi, ideo diuidendi sunt, qui in numero suprascripto fortiores inueniuntur, id est, centesimus trigesimus octauus, & centesimus quadragesimustertius; & centesimus quadragesimusquartus. Centesimus verò sextus decimus, quia paruus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur. Digesto ergo otdine Psalmorum Vespertinorum, teliqua, id est, Lectiones, Responsoria, Hymni, Versus, vel Cantica, sicut suprà taxauimus, impleantur. Ad Completotium verò quotidie ijdem Psalmi repetantur, quotidie id est, quartus, & nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius.

DIsposito ergo ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt, æ- 23. FEBRVARII, si fuerit bissextilis, aliàs iungitur præcedenti.
qualiter diuidantur in septem noctium Vigilijs, partiendo scilicet qui inter eos
prolixiores sunt Psalmi: & duodecim per vnamquamque constituantur noctem. Hoc
præcipuè commonétes, vt si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si
meliùs aliter iudicauerit: dũ omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Psalterium 25. Iunij. 25. Octobr.
ex integro numero centumquinquaginta Psalmorũ psallatur, & Dominico die semper à capite incipiatut ad Vigilias. Quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendũt Monachi, qui minùs Psalterio cũ Canticis consuetudinarijs per septimanæ circulũ psallunt,

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE REVERENTIA ORATIONIS.] Capitis huius expositio petenda p.224. Iuuenalis illud copulat cum præcedenti.

ET PVRITATIS DEVOTIONE.] MS.Hadr. *& puritate deuotionis.*

DIVINÆ GRATIÆ.] Ebrul.deest τὸ *gratia.*

CAPVT XXI.

De Decanis Monasterij.



Act. 6. SI maior congregatio fuerit, eligantur de ipsis Fratres boni testimonij, & *16.Febr.* sanctæ conuersationis, & constituantur Decani, qui sollicitudinem gerant *18. Iunij. 18.Octobr.* super Decanias suas in omnibus secundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus Abbas securus partiatur *Exod.18.* onera sua. Et non eligantur per ordinem, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quòd si quis ex eis, aliqua forte inflatus superbia, repertus fuerit reprehensibi*Matth.11.* lis; correptus semel, & iterùm, atque tertiò. si emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE DECANIS MONASTERII.] Horum nomen & officium elucidamus lib.3.Tract.6.p. 332. & seq.

DE IPSIS FRATRES.] Concord.*fratribus.*

PARTIATVR ONERA SVA.] Allusio ad illud Exodi 18. *Leniusque sit tibi, partito in alios onere.* Quo loco de Decanis à Moyse instituendis agitur.

QVOD SI QVIS EX EIS.] Concord. Smarag. legunt; *Quisque Decani, si ex eis,* nec improbat Menardus.

SVBROGETVR.] MS. Hadr. Iuuenal. & aliquot edita habent, *Succedat.*

CAPVT XXII.

Quomodo dormiant Monachi.



SINGVLI per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conuersatio- *17.Febr.* nis secundùm dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in *19. Iunij. 19.Octobr.* vno loco dormiant. Sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus, qui super eos solliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadem cella ardeat vsque manè. Vestiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus: & cultellos suos ad latus non habeant dum dormiunt, ne fortè per somnum vulnerentur dormientes; & vt parati sint Monachi semper, & facto signo, absque mora surgentes, festinent se inuicem præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modestia. Adolescentiores Fratres iuxta se non habeant lecta, sed permixti cum senioribus. Surgentes verò, ad opus Dei inuicem se moderatè cohortentur, propter somnolentorum excusationes.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

QVOMODO DORMIANT MONACHI.] Illustratur huius capitis doctrina, Lib. XII. tract. 2.

PER SINGVLA LECTA.] Quidam legunt seu potiùs corrigunt, *per singulos lectos,* reclamantibus licet MSS. & Concordia. Nam *lectum* neutro genere *Lectum in neutro genere.* protulit Vlpianus *in §. fin. Librorum de legat.3. Vt lectum,* inquit, *legatum continet & fulcra.* Brissonius quoq; Parergon lib.singul. qui Lexico Iuris Schardij subiungitur num.52. inter ea, quæ in Pandectis ambigui generis reperire est, enumerat *Lectus & Lectum,* in leg.19. §. item Celsus, *ff.de aur.& argent.*

IN VNO LOCO.] Vetera MSS. *in vnum locum.*

SIN AVTEM.] Sic legunt Concord. Smarag. & Afflig. reliqua omnia, *si.*

PAVSENT.] Vocem hanc alij ante & post S.BENEDICTVM vsurparunt. Cassianus coll.2.c.5. *Oblatione pausantium indicaretur indignus.* Aldhelmus c. *Pausare, pauso.* 12.de Ambrosio dormiente: *Ex improuiso examen apum ora labraq; sine periculo pausantis compleuit.* Nonius: *Pausa est quies alicuius rei.* Accius Epigono: *Sed iam Amphilochum huc vadere cerno, & nobis datur bona pausa loquendi.* Lucillius Satyr.l.1.

Hac vbi dicta dedit. pausam *facit ore loquendi.*

Plautus in Poenulo act. 2. *Ego pausam feci.* Idem Trinummo act.1. *Pausa, vicisti castigatorem tuum.* Vbi τὸ *pausa* est imperantis.

VESTITI DORMIANT.] Quomodo, & qua obligatione, explicatum p.519.

CVLTELLOS SVOS.] Abest *τὸ suos* à pluribus excusis & manu exaratis codicibus, nec est apud Smarag. & Boër.

PER SOMNVM.] Dunst. MS. Dionys. Iuuenal. Turrec. & alia quædam, *somnium*.

HABEANT LECTA.] Dunst. Smarag. & MSS. plura etiam excusa. *Habeant lectos*.

PERMIXTI CVM SENIORIBVS.] Afflig. Ebrul. Hadr. Andr. legunt, *mixti cum Senioribus*. Dunst. *mixtim*. Boër. Turrec. vnum MS. *permixtim*.

CAPVT XXIII.

De excommunicatione culparum.

18. Febr. v. 30. Iunij. 30. Octobris.



SI quis Frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, aut in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ & præceptis seniorum suorum, contemptor repertus fuerit; hic secundùm Domini nostri præceptum admoneatur semel, & secùdò secretè à senioribus suis. Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit; si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat: si autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

SI QVIS FRATER CONTVMAX.] Explanationem huius capitis quære pag. 817.

CONTRARIVS EXISTENS, SANCTÆ REGVLÆ.] Varietas lectionum huius loci expenditur, ibid.

SECVNDVM DOMINI PRÆCEPTVM.] Ita Afflig. Hadr. Andr. reliqua MSS. & Concord. cum vulgatis, *Secundum Domini nostri præceptum*.

A SENIORIBVS.] Dionys. à *Maioribus*

SI AVTEM IMPROBVS.] Concord. & nonnulla exemplaria legunt, *Sin*.

CAPVT XXIV.

Qualis debet esse modus Excommunicationis.

1. Martii. 1. Iulij. 31. Octobris.



SECVNDVM modum culpæ excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Qui culparum modus, in Abbatis pendet iudicio. Si quis *Deuter. 25.* tamen Frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur. Priuati autem à mensę consortio, ista erit ratio, vt in Oratorio Psalmum aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet vsque ad satisfactionem. Re- *1. Cor. 5.* fectionem cibi post Fratrum refectionem solus accipiat: vt si. verbi gratia, Fratres reficiant sexta hora, ille Frater nona: si Fratres nona, ille vespera, vsque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

IN ABBATIS PENDET IVDICIO.] Omnia chirographa & vulgata, *pendeat*. Lectio nostra reperitur in Concordia.

PRIVATI AVTEM.] Boërius cum Hadr. & aliquo impressis legit, *priuatus*; additque, aliam litteram habere, *priuatis*, quam Bernardus Cassinensis reputet planiorem: *vel priuatis, vt legi in expositione Smaragdi, quæ littera est amicabilior constructioni.* Vide autem ritum hunc explicatum pag. 816.

REFICIVNT HORA SEXTA.] *τὸ reficiunt* desideratur in Concordia.

CAPVT XXV.

De grauioribus culpis.

2. Martii. 2. Iulij. 1. Nouemb.



IS autem Frater qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul & ab Oratorio; nullus ei Fratrum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: Traditum huiusmodi *1. Cor. 5.* hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura, vel hora, qua præuiderit ei Abbas competere. Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

VARIÆ

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

GRAVIORIS CVLPÆ.] De hac non pauca attulimus pag. 818.
Concilium Duziacense 2. cap. 7. ait hoc Regulæ capitulum *sententia Pauli Apostoli, & Canonum definitioni concordare.*

IN VLLO IVNGATVR CONSORTIO.] Smarag. Afflig. Dionys. & Andr. *in nullo.* minus rectè.

IN INTERITVM CARNIS.] Smarag. & tria MSS. *interitu.*

CAPVT XXVI.

De his qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis.



SI quis Frater præsumpserit, sine iussione Abbatis, Fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam. 1. MARTII. 3. Iulij. 2. Nouemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

SI QVIS FRATER.] Vide explicationem pag. 814.
LOQVI CVM EO.] Hadi. omittit *vi, cum eo.*

MANDATVM EI DIRIGERE.] Concordia non habet *vi, ei. Mandatum* hic est nuncium, insinuatio. Virgilius l. 8. Æneid.
Multa patri mandata dabat portanda.

CAPVT XXVII.

Qualiter debeat Abbas sollicitus esse circa excommunicatos.



OMNI sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres, quia non est opus sanis Medicus, sed malè habentibus. Et ideò vti debet omni modo, vt sapiens Medicus, immittere quasi occultos cōsolatores sempectas, id est, seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem: & consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur; sed, sicut ait Apostolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnoperè enim solicitudinem debet Abbas gerere, & omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crassum videbatis, assumebatis: & quod debile erat, proijciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem, quæ errauerat, quærere: cuius infirmitati in tantum compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem. 4. MARTII. 4. Iulij. 3. Nouemb.

(Marginal references: Matth. 9. — 2. Cor. 2. — Ezech. 34. — Luc. 15.)

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

QVALITER DEBEAT &c.] Elucidauimus singulari disquisitione capitis huius doctrinam, pag. 816.

SEMPECTAS.] Quinam hi, & quod eorum munus, leges ibid. Vbi etiam probabiliter docemus legendum *Sympectas*, non *Sempetas*.

SED SICVT AIT APOSTOLVS, &c.] Omnes Membranæ cum Dunstano & alijs, *aut idem Apostolus*. Concordiæ deest tota periodus.

SIBI CREDITIS.] Concord. *Sibi subiectis.* Bonauentura citans hunc locum l. 1. Pharet. c. 31. legit, *creditam.*

DICIT DEVS.] Afflig. Andr. Turrecrem. legunt, *Dominus.*

VIDEBATIS, ASSVMEBATIS.] Afflig. Andr. Calen. interijciunt *vi, vobis.*

CAPVT XXVIII.

De his qui sæpiùs correpti emendare noluerint.



SI quis Frater frequenter correptus fuerit pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correptio, id est, vt verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec ita correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiā elatus, etiā defendere voluerit opera sua, tunc faciat Abbas quod 5. MARTII. 5. Iulij. 4. Nouemb.

ſapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, ſi vnguenta adhortationum, ſi medicamina diuinarum Scripturarum, ſi ad vltimum vſtionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & iam ſi viderit nihil ſuam præualere induſtriam; adhibeat etiam quod maius eſt, ſuam & omnium Fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum Fratrem. Quòd ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc iam Abbas
1. Cor. 5. vtatur ferro abſciſionis, vt ait Apoſtolus: Auferte malum ex vobis. Et iterùm: Infidelis ſi
1. Cor. 7. diſcedit, diſcedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De iis qui sæpius correpti.] Lemmatis huius varia apud varios occurrit lectio. Sed nullus codex æquè titulos mutat atque S. Hadriani, qui id iuris in omnia pænè Regulæ capita vſurpat.

Correptiò.] Ebrul. Dunſt. & vulgata paſſim legunt, *Correctio*.

In svperbiam elatvs.] Concord. & Ebrul. *ſuperbia*.

Etiam si viderit.] Concord. Hadr. *Etiam ſi viderit*. Alij omittunt τὸ, *iam*.

Ferro abscissionis.] Quodnam illud, & quando exſerendum, exponimus pag. 821.

CAPVT XXIX.

Si debeant iterùm recipi Fratres exeuntes de Monaſterio.

6 Martii. 6 Iulij. 5 Nouemb. FRATER, qui proprio vitio egreditur aut proijcitur de Monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpondeat priùs omnem emendationem vitij pro quo egreſſus eſt, & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd ſi denuò exierit, vſque tertiò ita recipiatur. Iam verò poſteà ſciat ſibi omnem reuerſionis aditum denegari.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Si debeant iterum recipi Fratres.] Capitis huius elucidationi tributa Diſquiſitio 8. Lib. VIII. tract. 4. p. 822.

Si denvo exierit.] Vetera impreſſa legunt, *demum*. Recentiora, *quia ſi demum*.

Ita recipiatvr.] MSS. tria, & aliquot edita non habent τὸ *ita*.

Iam verò postea sciat.] Deeſt τὸ, *verò* apud Smaragdum. Dunſt. & Concordiam, quæ etiam habet *ſciens*.

CAPVT XXX.

De pueris minori ætate, qualiter corripiantur.

7 Martii. 7. Iulij. 6. Nouemb. OMNIS ætas vel intellectus proprias debet habere menſuras. Ideoque quotiens pueri, vel adoleſcentiores ætate, aut qui minùs intelligere poſſunt quanta vel qualis pœna ſit excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, vt ſanentur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De pveris.] Vt olim puniti, & puniendi ex mente S. Legiſlatoris, vide p. 363. & ſeq.

Acribvs verberibvs.] Concord. Smarag. Dionyſ. Caſſinen. edit. anni 1509. & 1544. cum alijs legunt, *acris verberibus*. Ebrul. *acrius*.

CAPVT XXXI.

De Cellerario Monaſterij.

8. Martii. 8. Iulij. 7. Nouemb. CELLERARIVS Monaſterij eligatur de Congregatione ſapiens, maturis moribus, ſobrius, non multùm edax, non elatus, non turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus, ſed timens Deum, qui omni Congregationi ſit ſicut pater. Curam gerat de omnibus: ſine iuſſione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur cuſtodiat: Fratres non contriſtet. Si quis Frater ab eo fortè aliquid irratio-

irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humili-
1.Tim 3. tate malè petenti deneget. Animam suam custodiat; memor semper illud Apostolicum, quod qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantum, hospitum pauperumque cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio,
Matth. 25. quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Omnia vasa Monasterij, cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum: neque auaritiæ studeat: neque prodigus sit aut stirpator substantiæ Monasterij: sed omnia mensuraté faciat, & secundùm iussionem Abbatis.

HVmilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo 9. Martii. 9. Iulij. 8. Nouemb.
Eccles.18. responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæcumque ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: à quibus eum prohibuerit, non præsumat, Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel mo-
Matth.18 ra offerat, vt non scandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur qui scandalizarit vnum de pusillis. Si Congregatio maior fuerit, solatia ei dentur: à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt; vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE CELLERARIO MONASTERII.] Concord. Dunst. Afflig. Dionys. Andr. alijque addunt, *qualis sit*. Id nos expendimus prolixa Disquisitione. p.343.

MATVRVS MORIBVS.] Concor. Smarag. & MSS. tria, *maturis*.

SI QVIS FRATER.] Ita omnia MSS. sed Concord. omittit τὸ *Frater*. Impressa omnia & Boër. habent: *Si quis autem Frater*.

MEMOR SEMPER ILLVD APOSTOLICVM.] Proba lectio, quam habent Concord. Kero, & alij codices à Menardo citati. In impressis habetur, *Memor illius Apostolici*, Membranæ quatuor addunt *praecepti*. Hadr. *sermonis*.

INFANTIVM.] Desideratur in aliquibus vulgatis.

AC SI ALTARIS VASA.] Concord. Smarag. *quasi altaris vasa*.

STIRPATOR.] Actum de hac voce p.344.

CVI SVBSTANTIA NON EST QVÆ TRIBVATVR.] Concord. Ebrul. *quod tribuatur*. Menardus ex MSS. locum sic legendum contendit: *Et cui non est ex substantia, quod tribuatur*. Ita etiam Turrecrem. nec malè.

IPSE HABEAT.] Concord. cum MSS. omnibus, *ipsa habeat*.

SINE ALIQVO TYPHO.] Adi Disquisitiones p. 345. vbi pluscula de hac voce.

QVID MEREATVR.] Concord. *meruerit*.

CONGREGATIO MAIOR.] Quænam hæc, explicui pag. 293.

SOLATIA.] Quid hæc apud S. BENEDICTVM, diximus fusè p. 347.

C A P V T XXXII.

De ferramentis vel rebus Monasterij.



SVBSTANTIÆ Monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet 10. Martii. 10. Iulij. 9. Nouemb.
rebus, prouideat Abbas Fratres, de quorum vita & moribus securus sit, & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat, vt dum sibi ipsa assignata Fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE FERRAMENTIS.] Nonnulla diximus pag. 855.

SVBSTANTIA MONASTERII.] Smarag. Ebrul. & melioris notæ codices legunt, *Substantia*.

BREVEM TENEAT.] Vide quæ de hac voce notauimus p.856.

VICISSIM.] Concord. & Hadr. *Vicibus*.

DISCIPLINÆ REGVLARI SVBIACEAT.] Ioannes Monachus l.2. vitæ S. Odonis, hæc citans legit, *correptioni reg. sub.*

CAPVT XXXIII.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

11. Mart. 11. Iulij. 10. Nouemb.



RÆCIPVE hoc vitium radicitùs amputandum est de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium: nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à Patre sperare Monasterij, nec quidquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est; nec quisquam suum aliquid dicat, vel præsumat. Quòd si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum. Si non emendauerit, correctioni subiaceat. Act. 4.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

PROPRIVM HABERE.] De voce hac & re Monachis interdicta non pauca obseruauimus pag. 424.

AMPVTANDVM EST.] Ita Concord. & omnia MSS. cum aliquot excusis, recentius ergo est quod impressa habent, *amputetur*.

TABVLAS.] Expositio petatur pag. 851.

GRAPHIVM.] Cur hæc scriptoria supellex Monachis danda, vide ibid.

QVIPPE QVIBVS NEC CORPORA &c.] Explicatur p. 426.

ALIQVID DICAT.] Sic Concord. Smarag. Dionys. & Turrecrem. reliqua tam excusa, quàm MSS. *aliquid esse dicat*. Consule Disquisitiones p. 427.

HVIC NEQVISSIMO VITIO.] Dunst. Afflig. & duo vulgata legunt, *Hoc nequissimo vitio*. Cur autem proprietas vitium nequissimum dicta? Respondemus p. 432.

ADMONEATVR SEMEL.] Concord. Smarag. Dionys. *admoneatur semel*.

CAPVT XXXIV.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

12. Mart. 12. Iulij. 11. Nouemb.



ICVT scriptum est: Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit; sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minùs indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat. Quòd si quis deprehensus fuerit, districtiori disciplinæ subdatur. Act. 4.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

NECESSARIA ACCIPERE.] Quænam illa, & quî distribuenda, docuimus p. 435.

VBI QVI MINVS.] Ebrul. *vt qui minus*.

NON EXTOLLATVR.] Ita Smarag. Dionys. Hadr. & quædam vulgata. Concordia cum reliquis, *Et non extollatur*.

ANTE OMNIA NE MVRMVRATIONIS.] Dunst. & duo impressa, *Ante omnia admonemus, ne* &c.

SI QVIS DEPREHENSVS.] Concord. Ebrul. deest τὸ, *quis*.

CAPVT XXXV.

De Septimanarijs Coquinæ.

13. Mart. 13. Iulij. 12. Nouemb.



RATRES sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundùm modum Congregationis, aut positionem loci. Si maior Congregatio fuerit, Cellerarius excusetur à coquina, vel si qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupantur. Ceteri sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, Sabbato munditias

ditias faciat. Linteamina, cùm quibus sibi Fratres manus pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quàm ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda & sana egrediens Cellerario reconsignet. Qui Cellerarius iterum intranti consignet, vt sciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem, vt hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruiant Fratribus suis. In diebus autem solemnibus vsque ad Missam sustineant. Intrantes & exeuntes Hebdomadarij, in Oratorio mox Matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana, dicat hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur, ab omnibus: & accepta benedictione, ingrediatur. 14. Mart. 14. Iulij. 13. Nouemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De Septimanariis Coqvinæ.] Horum munus expendimus pag. 885.

Fratres sic sibi invicem.] Concord. Smarag. Dunst. Ebrul. Hadr. & quædam impressa omittunt τὸ, *sic*.

Maior merces et charitas acqviritvr] Afflig. Andr. Turrecrem. Calen. Iuuenal. & alij non habent, *& charitas*. Est tamen in Concord. Smarag. & alijs.

Celerarivs excvsetvr.] Concord. Smarag. *Cellararius*. Hadr. *Cellarius*.

Vel si qvi.] Dunst. Iuuenal. & vetustæ aliquot editiones, legunt in singulari, *vel si quis*.

Mvnditias faciat.] Quid hoc sit, Plautus docebit in Sticho 2.3.

Munditias volo fieri. Adferte huc scopas simulq́; harundinem:
Vt operam omnem araneorum perdam, & texturam improbem.
Deijciamq́; earum omnes telas.

Linteamina.] Ebrul. Dionys. Hadr. Dunst. & aliquot vulgati codices legunt, *lintea*.

Cellerarivs itervm intranti consignet.] Concord. Ebrul. Iuuenal. Turrecrem. & quædam alia, *item intranti*. Afflig. Andr. *reconsignet*.

Singvlos biberes.] De his nonnulla obseruauimus pag. 916.

Egrediens avtem de septimana.] Afflig. Andr. Iuuenal. Calen. & aliæ vetustæ editiones legunt: *Egredientes*, &c. in plurali.

Accipiat benedictionem egrediens.] Cōcord. Smaragd. *Accepta benedictione egrediens*.

Et hoc idem tertió repetatvr.] Ebrul. Dunst. & duo edita: *Et hoc idem tertiò dicto, repetatur*. Atque ita habet monastica praxis.

C A P V T XXXVI.

De infirmis Fratribus.

Matth. 25. Ibid.



INFIRMORVM cura ante omnia & super omnia adhibenda est; vt sicut reuerà Christo, ita eis seruiatur: quia ipse dicturus est: Infirmus fui, & visitastis me. Et: quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent, in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent Fratres suos seruientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens ac sollicitus. Balnearum vsus infirmis, quotiens expedit, infirmis offeratur: sanis autem, & maximè iuuenibus, tardiùs concedatur. Sed & carnium esus infirmis omninoque debilibusque, pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellerarijs aut seruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur. 15. Mart. 15. Iulij. 14. Nouemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De Infirmis.] Capitis huius explicationi tribuimus Tract. V. lib. XI. pag. 1018.

Ipse dictvrvs est.] Concord. Ebrul. & omnia chirographa præter Afflig. & Andr. *Ipse dixit*.

Vni ex minimis meis.] Concord. Smaragd. & MSS. Pleraque *Vni de his minimis*.

Copiosior merces acqviritvr.] Caussas aliquot dedimus pag. 1020. Dionys. legit: *Copiosior merces & charitas acquiritur*.

Cella

CELLA SVPER SE DEPVTATA.] An Italicismus hic? vel error? Constanter tamen sic omnia MSS. Sed Dunst. cum recentioribus *per se* legit. Nec prior lectio inusitata. Ipse S. BENEDICTVS c.53. *Coquina super se sit*. id est, seorsum. Gregorius lib.9. epist.22. *Disposueram in cellula mea super me solitarius habitare*.

SERVITOR TIMENS DEVM.] Descripsimus eius officium pag.1024.

Balnea. BALNEARVM VSVS.] Sic omnes Membranæ, antiquæ editiones. Recentiores rescribunt *balneorum*. Sed veterum vsu magis tritæ balneæ. Plautus Asinaria: *Ille in balneas iturus est, inde huc veniet postea*. Cæcilius Vmbris: *Quid mihi non sunt balneæ?* Cicero pro Sexto Roscio: *Occisus est ad balneas palatinas*. Ceterùm, an, & quomodo Religiosis adeundæ balneæ, dictum pag.1025.

SED ET CARNIVM ESVS.] Adi disquisitiones pag.915.

INFIRMIS OMNINOQVE DEBILIBVS.] Concord. *Infirmis omninò debilibus*. MSS. Dionys. And. Smarag. S. Hildegardis, & alia quædam legunt: *Infirmis omninò debilibusq́;*. Nostra lectio proba est, & conuenit cum ijsquæ cap.39. S. Legislator scripsit: *Præter omninò debiles & ægrotos*. Plura suppeditabunt disquisitiones, pag.915.

A CARNIBVS OMNES ABSTINEANT.] De hac abstinentia scripsimus Tractatum libro X. pag. 627.

CVRAM AVTEM MAXIMAM HABEAT ABBAS.] Dunst. Iuuenal. Calen. cum aliquot excusis legunt: *Cura autem maxima sit Abbati*.

CAPVT XXXVII.

De senibus vel infantibus.

16. Mart. 16. Iulij. 15. Nouemb.



LICET ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantum; tamen & Regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, & præueniant Horas Canonicas.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE SENIBVS VEL INFANTIBVS.] Quanta horum habenda cura, quæve illis piè indulgenda, discutimus pag.1033. Notandum autem *vel* hic sumi copulatiuè, vt & cap.63. *Pueri paruuli*, vel *adolescentiores*.

LICET IPSA NATVRA HVMANA.] Guido Iuuenalis caput hocce superiori coniungit, sed distinctum esse probauimus p.1032. Afflig. & Andr. omittunt hic *in, humana*.

CAPVT XXXVIII.

De hebdomadario Lectore.

17. Mart. 17. Iulij. 16. Nouemb.



MENSIS Fratrum edentium lectio deesse non debet, nec fortuito casu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi; sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & Communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic Versus in Oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque fiat silentium ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi vicissim ministrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potiùs petatur, quàm voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio: nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem lector hebdomadarius accipiat mixtum, priùs quàm incipiat legere, propter Communionem sanctam: & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Posteà autem cum coquinæ hebdomadarijs & seruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE HEBDOMADARIO LECTORE.] Eius munia describuntur pag.894.

Fortuitu. FORTVITO CASV.] Concord. Kero. Afflig. Ebrul. Andr. habent, *Fortuitu casu*. Rectè, si copula interijciatur, quam excidisse librariorum incuriâ suspicatur Menardus, & legit *Fortuitu, & casu*. Quam loquendi formam ex Tullio, auctore ad Herennium, & ipso Prisciano idem probat. Quibus adde alios Ciceronis locos Philipp.10. l.1. de offic.c.19. vbi *fortuitu* occurrit pro fortè.

TOTA

TOTA HEBDOMADA.] Dionyſ. *totam hebdomadam.*

SVMMVMQVE FIAT SILENTIVM AD MENSAM.] Smaragdus non habet, *ad menſam*, cuius loco Hadr. habet, *ibi*. De hoc ſilentio vide quæ diximus pag. 896.

SIBI VICISSIM MINISTRENT.] Smaragd. Afflig. Andr. Turrecrem. Iuuenal. & alia legunt *inuicem miniſtrent*. Hadr. *vicibus*.

SONITV CVIVSCVMQVE SIGNI.] Ex hoc loco Signorum vſum, priſcis etiam vſitatum, noſtri ſibi vendicarunt, vt pluribus oſtendi pag. 606. quibus hîc adiecerim Monachos S. Amandi hoc nomine Abbati ſuo dicam dixiſſe apud Stephanum Tornacêſem Epiſcopum epiſt. 211. quod *in loquela digitorum neſciret exprimere ſabam, caſeum, vel oua, vel in talibus errantes corripere, vel corrigere negligeret, vel contemneret.*

REQVIRERE.] Dunſt. Turrecrem. cum quibuſdam vulgatis, *referre*.

NE DETVR OCCASIO.] Ita Concord. Smaragd. & MSS. excepto Ebrul. quod habet, *nec detur*. Dunſtanus verò, Turrecrem. Iuuenal. & alij legunt: *Ne detur occaſio maligno.*

FRATER AVTEM LECTOR.] Ita Smarag. Dunſt. Afflig. Ebrul. Andr. ſed Concord. cum reliquis non habet τὸ, *Frater*.

AVT CANTENT.] Non extat in MS. Hadr. nec apud Iuuenal. & tres alias editiones.

CAPVT XXXIX.

De menſura cibi.



SVFFICERE credimus ad refectionem quotidianam tam Sextæ quàm Nonæ, omnibus menſibus cocta duo pulmentaria, propter diuerſorum infirmitates, vt fortè qui ex vno nõ poſſit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus omnibus ſufficiant. Et ſi fuerit vnde poma, vel naſcentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propenſa ſufficiat in die, ſiue vna ſit refectio, ſiue prandij, & cœnæ. Quòd ſi cœnaturi ſunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario referuetur, reddenda cœnaturis. Quòd ſi labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio vel poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere, remotâ præ omnibus crapulâ, vt numquam ſubripiat Monacho indigeries. Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut ait Dominus noſter: Videte ne grauentur corda veſtra crapulâ & ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem ſeruetur quantitas: ſed minor quàm maioribus, ſeruatâ in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum omnino ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omninò debiles & ægrotos.

(Margin: 11 Mart. 15. Iul. 17. Nouemb. — Luc. 21.)

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

OMNIBVS MENSIBVS.] Lectio hæc, quæ eſt Concord. Smaragd. Dunſt. & omnium MSS. præferenda recentioribus, quæ legunt, *omnibus menſis*. Notat Boërius quandam litteram habere, *Menſis*, ſed refutari à Bernardo Caſſinenſi.

PVLMENTARIA.] Lege quæ de his notauimus pag. 906.

ETSI FVERIT VNDE POMA.] Proba lectio, ſi ſubaudias, *haberi poſſint*. Eſtque Concord. & omnium MSS. Plauto nota hæc phraſis in Truculento act. 1. ſc. 2.

Vbi non eſt, Scripturam vnde dent, incuſant publicanos.

Vulgò legunt. *Et ſi fuerint inde poma.*

PANIS LIBRA PROPENSA.] Expendimus hunc locum pag. 900. vbi quædam rariora, nec paſſim obuia.

ALIQVID AVGERE.] Omnes codices noſtri MSS. excepto Hadr. legunt, *augeri*.

SVBRIPIAT.] Smaragd. Ebrul. Dunſt. & quædam alia, notante Boërio *Subrepat*. Sed S. BENEDICTVS hîc & cap. 40. ac 57 *ſubripiat* ſcripſit, pro *ſubrepat*, veterum more. Rufinus vit. Pat. lib. 2. c. 15. *Huic quodam die ſatanas ſubripere volens.* pro *ſubrepere*. Et l. 3. *Ego autem timeo, ne fortè diabolus malignus mihi ſubripiat.* Auguſtinus enarrat. 2. in pſal. 31. *Quale poteſt ſubintrare iuſto homini, quale poteſt ſubripere bona ſpes.* Facundus Hermianenſis præfat. ad lib. 12. pro defenſ. 3. capit. Conc. Chalced. *Cùm in præiudicium ſancti Concilij Chalcedonenſis impugnatores eius Acephali per quoſdam ſubriperent.* Poſt S. BENEDICTVM verò Ioannes Epiſcopus Arelatenſis in Statuto quod Regulæ Aureliani ſubiecit: *Ne cor veſtrum contraria cogitatio ſubripiat.* Iſidorus Hiſpal. 3. ſent. c. 19. *Ne fortè mentem otio deditam ſpiritus fornicationis ſubripiat.* S. Leodegarius in canon. Auguſtodunenſibus: *Iuſtum eſt, vt ſubripientia vitiorum ſemina falce iuſtitiæ reſecentur.*

(Margin: Subripiat pro ſubrepat.)

OMNI CHRISTIANO.] Deeſt τὸ, *omni* Afflig. & Andr. codicibus.

CRAPVLA ET EBRIETATE.] Concord. Smaragd. Ebrul. Hadr. legunt, *in crapula*, omiſſo, *& ebrietate*, quod eſt apud Dunſtanum & alia vulgata.

CARNIVM VERÒ QVADRVPEDVM, &c.] Expendimus hunc locum pag. 927. & ſeq.

PRÆTER OMNINÒ DEBILES ET ÆGROTOS.] Ebrul. non habet, *omninò*. Dunſt. cum duobus editis legit: *Debilibus omninoq; ægrotis exceptis.*

CAP. XL.

C A P V T XL.

De mensura potûs.

19. Mart. 19. Iulij. 18. Nouemb.



VNVSQVISQVE proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. 1. Cor. 11. Et ideò cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victûs aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus abstinentiæ tolerantiam, propriam se habituros mercedem sciant. Quòd si aut loci necessitas, aut labor, aut ardor æstatis ampliùs poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus ne subripiat satietas, vel ebrietas. Licet legamus vinum omnimodò Monachorum non esse; sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parciùs: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec supraescripta mensura inueniri possit, sed multò minùs, aut ex toto nihil; benedicant Deum qui ibi habitant, non murmurent: hoc autem ante omnia admonentes, vt absque murmurationibus sint. Eccli. 19.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

HEMINAM VINI.] Plenior huius mensuræ notitia petatur ex dictis pag. 911.

AVT LABOR, AVT ARDOR ÆSTATIS.] Concord. cum nonnullis, *Vel labor.* In Smaragdo desideratur *vè, æstatis.*

CONSIDERANS.] Dunst. & edit. anni 1544. *considerantis.*

VINVM NON ESSE MONACHORVM.] Vbi hoc scriptum? Indicat pag. 909.

NON VSQVE AD SATIETATEM BIBAMVS.] Elucidatur hæc doctrina pag. 913.

SED MVLTÒ MINVS.] Concord. non habet vocem *multò.*

VT ABSQVE MVRMVRATIONIBVS SINT.] Smaragd. Turrecrem. *murmuratione.* Iuuenalis & alij addunt, *Fratres.* Quàm prudenter & bene hoc à S. BENEDICTO cautum, ostendimus pag 923.

C A P V T XLI.

Quibus horis oportet Fratres reficere.

20. Mart. 20. Iulij. 19. Nouemb.



A SANCTO Pascha vsque ad Pentecosten, ad Sextam reficiant Fratres: & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta Feria ieiunent vsque ad Nonam; reliquis diebus ad Sextam prandeant. Quæ prandij Sexta, si opera in agris habuerint, aut feruor æstatis nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter animæ saluentur, & quod faciant Fratres, absque vlla murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris, vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant. In Quadragesima verò vsque ad Pascha, ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes: sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore, siue cœnæ, siue refectionis, hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

A SANCTO PASCHA &c.] Exponitur hoc caput pag. 882.

Sera, vespera. AD SERAM COENENT.] Concord. *serâ cœnent.* Vetusta apud Monachos locutio. Vit. Pat. l. 5. interprete Pelagio libell. 16. n. 18. *Ille fratri adferebat tantummodo modicum panem ad seram.* Glossæ Cyrilli ἑσπέρα, *sera*, vespera, crepusculum βραδεῖα *sera*, remoratrix. βραδύς, *serus*, βραδέως, *sero*. Hispanis & Italis *La Sera* est extrema diei pars.

QVARTA ET SEXTA FERIA IEIVNENT.] Legenda quæ de ieiunijs Monasticis adducuntur pag. 961.

QVALITER ANIMÆ SALVENTVR.] MSS. aliquot & impressa legunt: *Qualiter & animæ saluentur.* Sed nobiscum legit Concord. Smaragd. Ebrul.

ABSQVE MVRMVRATIONE FACIANT.] Concord. *Absque iusta murmuratione faciant*, quod probat Ruthardus à Menardo citatus, sic & Smaragd. Turrecrem. Calen. Alij codices tam excusi quam MSS. exceptis Andr. & Hadr. habent: *absque vlla murmuratione.*

LVMINE LVCERNÆ NON INDIGEANT.] Cur vetet S. Legislator ad lucernam refici, exponitur pag. 884.

CAPVT XLII.

Vt post Completorium nemo loquatur.



OMNI tempore silentio debent studere Monachi, maximè tamen nocturnis horis. 21 MART. 21. Iulij 20. Nouemb. Et ideò omni tempore, siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum: & legat vnus eorum Collationes vel Vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes, non autem Eptaticum aut regum, quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc scripturam audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit, dicta Vespera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus: & lectis quatuor aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus, per hanc moram lectionis: si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum positi compleant: & exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quòd si inuentus fuerit quisquam hanc præuaricari taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat: excepto, si necessitas hospitum superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissimè fiat.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

OMNI TEMPORE SILENTIO &c.] Illustratur hic locus p.230.& 599.

SEDEANT OMNES IN VNVM.] Afflig. Andr. addunt, *locum*. Sed Hadr. Calen. & aliquot legunt, *in vno loco*.

LEGAT VNVS COLLATIONES &c.] De lectione Collationis videndus totus Tractatus 5. libri 9. pag.869.

Vitaspatrum. VITASPATRVM.] Ita Cod. MS. Afflig. & Bertels. Reliqua sub duabus vocibus legunt, *Vitas Patrum*. Vnde autem orta nomenclatura *Vitaspatrum*, vide sis quæ annotauit Rosweydus Prolegom. 1. in hunc librum.

AVT CERTE' ALIQVID.] Dunst. Iuuenal. & alij, *aliud*.

Heptaticum. EPTATICVM.] Recentiora impressa imponunt *Heptateuchum*. Antiqua autem MSS. & quædam edita legunt, *Heptaticum*; atque ita credo S. BENEDICTI æuo fuisse locutos: nam S. Leander Hispal. in Regula virg. cap. 7. ad hunc Regulæ locum alludens, ait: *Merito & a veteribus isti libri prohibiti sunt. Eptaticum & Cantica Canticorum, ne dum eos spiritualiter nesciunt, libidinis ac voluptatum incitamento soluantur.* Browerus verò ad marginem & in notis legit *Eptatichum*, additque: atque hunc librorum syllabum S. Leandrum ex vsu sui tēporis existimem appellasse ἑπτάτυχον, ea forma, qua veteres dixere Δίπτυχον. *Heptaticum* legit S. Gregorius *lib. 7. epist.* 48. *& lib.* 10. *epist.* 22. Et Rabanus præfatione in Ieremiam, & Ordo Romanus cap. de Septuagesima, quos vix dubitem S. BENEDICTI loquendi modum imitatos, prout etiam Guigo V. Carthusiani Ordinis Præfectus cap. 4. stat. ita loquens: *Ab ipsa autem Dominica vsque ad Dominicam de Passione Domini, Heptaticum tam in Ecclesia, quàm in refectorio legimus.* Hieronymus epist. 7. *Mandet memoriæ Prophetas, Heptateuchum & Regum & Paralipomenon libros.* Vbi Marianus Victorius annotauit: Mediceum & alterum ex Florentia exemplar, *Heptateuchum*, seu *Heptaticum* habebant. Quo nomine alibi vtitur D. Hieronymus Hincmarus de diuortio Lotharij & Tetbergæ ad Interrog. 12. *Quæ vtraq; per se perpetrata in* HEPTATICO, *morte, Domino præcipiente, multantur.* Hæc de voce, de re ipsa vide Disquisit. pag. 876.

IEIVNII DIES FVERIT.] Smaradg. Dionys. Calen. legunt, *fuerint*.

IN VNVM POSITI.] Smaragd. *compositi*. Dunst. Iuuenal. & aliquot edita, legunt, *congregati*.

COMPLEANT.] Eandem phrasim vsurpat Fructuosus reg. cap. 3.

EXEVNTES A COMPLETORIO.] Concord. Smaragd. & tria MSS. cum Dunstano, & quibusdam vulgatis, habent, *à Completorijs*.

NVLLA SIT LICENTIA DENVO CVIQVAM LOQVI ALIQVID.] Decreti huius caussas, aliaque eò spectantia persequimur latiùs p. 600. & seq.

GRAVITATE ET MODERATIONE.] Afflig. & Andr. omittunt, *& moderatione*.

GRAVIORI VINDICTÆ.] Quid per hanc intelligatur in Regula nostra, memini dixisse p. 610.

CAPVT XLIII.

De his, qui ad opus Dei vel ad mensam tardè occurrunt.

22 Mart. 22. Iulij. 21. Nouemb. D hotam diuini officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur; cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quòd si quis ad nocturnas Vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo & morosè volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet: aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas: vt videatur ab ipso, vel ab omnibus, vsque dum completo opere Dei publica satisfactione pœniteat. Ideò autem eos in vltimo aut seorsum iudicauimus debere stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris Oratorio remaneant, erit fortè talis, qui se aut recollocet, & dormiat, at certè sedeat sibi foris, vel fabulis vacet, & detur occasio maligno. Sed ingrediatur intus, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post Versum & Gloriam primi Psalmi, qui post Versum dicitur, occurrerit, lege, qua suprà diximus, in vltimo stet: nec præsumat sociari choro psallentium vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc.

23 Mart. 23. Iulij. 22. Nouemb. AD mensam autem qui ante Versum non occurrerit, vt simul omnes dicant Versum & orent, & sub vno omnes accedant ad mensam; qui per negligētiam suam, aut vitium non occurrerit, vsque ad secundam vicem, pro hoc vitio corripiatur. Si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à consortio Fratrum, solus reficiat, sublata ei sua portione de vino vsque ad satisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum Versum non fuerit præsens qui post cibum dicitur. Et ne quis præsumat ante statutam horam aut posteà quidquam cibi aut potûs percipere. Sed & si cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit: hora quâ desiderauerit, hoc quod priùs recusauit, aut aliud omnino nihil accipiat, vsque ad emendationem congruam.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

AD HORAM DIVINI OFFICII.] Egimus de tempestiuo ad horas occursu tract. 3. lib. 7. p. 703.

SI QVIS AD NOCTVRNAS VIGILIAS.] Concord. *in nocturnas.* Smaragdus addit *vigilijs.*

PROTRAHENDO.] Smaragd. *subtrahendo.* id est, inquit Boërius, qui & ita legit, *magis tractim dicendo.* Vide dicta p. 741.

SI FORIS ORATORIO REMANEAT.] Ita Concord. Ebrul. Dionys. sed reliqua MSS. & vulgata legunt, *foris*, vel *foras Oratorium remaneant.*

SEDEAT SIBI FORIS.] Ita Concord. Ebrul. Afflig. Dionys. Hadr. & Calen. reliquis deest τὸ, *sibi.*

ET DETVR OCCASIO.] Concord. Smaragd. Afflig. Andr. Hadr. *Et datur occasio.* Aliqui: *Ne detur occasio.*

INGREDIATVR INTVS.] Dunst. Ebrul. Andr. *Ingrediatur intrò.*

IN VLTIMO STET.] Dunst. Iuuenal. & aliquot edita addunt, *loco.*

PERMISSIONE SVA.] Smaragd. & Afflig. *remissione sua.*

AD MENSAM AVTEM.] Dunst. Iuuenal. & recentiora impressa legunt: *Ad horam verò refectionis.* Explicamus locum pag. 889.

VSQVE SECVNDAM VICEM.] Interdum absolutè *vsque*, valet, *vsque ad.* Cicero in Verrem: *Erant accepta pecunia à C. Verrutio, tamen, vt vsque alterum V. littera constarent integra.* Terentius Andr. act. 1. sc. 5. *Qui me tam leni passus est animo vsque huc.* Florus l. 1. *Populus Romanus à rege Romulo vsque Cæsarem Augustum.* *Vsque.*

Non ergo necessum addere huic loco S. BENEDICTI, vt faciunt omnia pœnè exemplaria, præpositionem *ad.* Et si vetustatem nostræ lectionis requiris, in hac parte suffragium petet à Concordia, quæ disertè habet, *vsque secundam vicem.*

PRO HOC VITIO CORRIPIATVR.] Quibusdam vulgatis & MSS. deest τὸ *vitio.* Dunst. cum alijs: *propter id corripiatur.*

PORTIONE DE VINO.] Corrigunt & rescribunt vulgata: *portione vini.* Sed reclamant omnes membranæ cum Concord. Smarag. Dunst.

ET NE QVIS PRÆSVMAT.] Dunst. Ebrul. Hadr. & pleraque impressa habent: *Nec præsumat quis.* Concord. *Nec quisquam præsumat.*

ANTE

Ante statvtam horam &c.] Iustissimas huius statuti rationes lege, si non grauat, pag. 922.

Percipere.] Smarag. Dunst. Iuuenal. Calen. & alij legunt, *Sumere.* Concord. & MS. Hadr. *præsumere.*

Sed et cvi offertvr.] Ita Afflig. Andr. reliqua: *Sed & si cui.*

Nihil accipiat.] Quidam habent: *non accipiat.* Ebrul. Dunst. & alij: *Non percipiat.*

CAPVT XLIV.

De his qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.



Vi pro grauiori culpa ab Oratorio & à mensa excommunicatur, horâ quâ opus Dei percelebratur in Oratorio, ante fores Oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantùm posito in terram capite prostratus pronus omniû de Oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tamdiu faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Qui dum iussus ab Abbate venerit, prouoluat se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium vestigijs fratrum, vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro vel ordine quo Abbas decreuerit: ita planè, vt Psalmum aut Lectionê, vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterùm Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei, proijciat se in terram in loco in quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum ei iterùm iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantùm à mensa; in Oratorio satisfaciant vsque ad iussionem Abbatis hoc perficiant, vsque dum benedicat, & dicat, Sufficit. 14. Mart. 14. Iulij. 13. Nouemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Qvi pro graviori cvlpa.] Concord. Dionys. Boer. & aliquot impressa legunt: *Qui pro grauioribus culpis:* In alijs tam MSS. quàm vulgatis mira est varietas. Capitis huius explicationi Disquisitionem dedimus pag. 818.

In terram capite.] Ita duo MSS. & quædam excusa. Concordia cum alijs habet: *in terra capite.*

Prostratvs.] Concord. Smaragd. & Calen. *stratus.*

Pedibvs.] Iuo in Decret. p. 14. c. 73. addit, *conculcetur.*

Provolvat.] Melior hæc lectio, quâ Concord. Smarag. & quorundam MSS. quæ habent, *voluat.*

Proiiciat se in terra.] Sic fecit Paphnutius apud Cassian. coll. 18. c. 15.

In loco in qvo stat.] Ita quatuor impressa. Reliqua cum Concordia: *In loco quo stat.*

Hoc perficiant.] Sic Concord. Dionys. Afflig. Andr. alij. *Hoc semper faciant.* Quidam omittunt *τὸ, semper.*

CAPVT XLV.

De his qui falluntur in Oratorio.



I quis, dum pronuntiat Psalmum, Responsorium, aut Antiphonam, vel Lectionem, fallitur, nisi per satisfactionem ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat; qui noluit humilitate corrigere, quod negligentiâ deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent. 15. Mart. 15. Iulij. 14. Nouemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Nisi per satisfactionem.] Concord. Smaragd. *Nisi satisfactione.* Alij adijciunt *τὸ, cum.*

Vindictæ svbiaceat.] Concord. *Emendationi subiaceat.*

Qvi noluit.] Concord. cum aliquot exemplaribus addit. *Quippe qui noluit.*

Negligentia deliqvit.] Andr. *per negligentiam deliquit.*

CAPVT XLVI.

De his qui in leuibus rebus delinquunt.



I quis, dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbi vbi, & non veniês continuò ante Abbatem, vel Congregationem, ipse 16. Mart. 16. Iulij. 15. Nouemb.

vltrò fatisfecerit, & prodiderit delictum fuum; dum per alium cognitum fuerit, maiori fubiaceat emendationi. Si verò animæ peccati caufa fuerit latens, tantùm Abbati, aut fpiritalibus feniotibus patefaciat: qui fciant curare fua & aliena vulnera, non detegere & publicare.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE HIS QVI IN LEVIBVS DELINQVVNT.] Mira eft codicum varietas in huius lemmatis lectione, quam minutatim deducere, vix eft operæ pretium.

Vbi ubi pro vbicumque. VBI VBI.] pro *vbicumque*, elegantiffima loquendi forma. Plautus Afinaria act. 1. fc. 2. *vbi vbi eft gentium.* Id. Bacchid. act. 5. fc. 1. *Quicumque vbi vbi funt.* Id. Rudente 4.6. *Vbi vbi erit, tamen inueftigabo.* Terentius in Andria: *Iam vbi vbi erit, inuentum tibi curabo.* Et in Eunucho: *Vbi vbi eft, diu celari non poteft.*

TANTVM ABBATI AVT SPIRITVALIBVS SENIORIBVS.] MS. Andr. *Tantùm Abbati, aut fpiritualibus Fratribus, aut fenioribus.*

QVI SCIANT CVRARE SVA ET ALIENA VVLNERA NON DETEGERE.] Concord. Dionyf. *Qui fciant curare, & fua & aliena*, &c.

CAPVT XLVII.

De fignificanda hora operis Dei.

27. Mart. 27. Iulij. 26. Nouemb. NVNTIANDA hora operis Dei die noctuque fit fub cura Abbatis. Aut ipfe nuntiet, aut tali follicito Fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur. Pfalmos autem aut Antiphonas poft Abbatem ordine fuo, quibus iuffum fuerit, imponant. Cantare autem & legere non præfumat, nifi qui poteft ipfum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore fiat, & cui iufferit Abbas.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

NVNCIANDA HORA OPERIS DEI.] MS. nofter Smaragdus: *Nunciande hora operis Dei*, Elucidatur hoc caput pag. 699.

SIT SVB CVRA ABBATIS.] Concordiæ deeft τὸ, *fub.* Membranæ omnes præter Ebrul. legunt cum Smaragdo Boërio & vulgatis aliquot: *Sit cura Abbatis.* Sic & Petrus Venerab. l. 1. epift. 28. Alij habent cum Dunftano, *Sit cura Abbatis.*

AVT IPSE NVNCIARE.] Smaragd. Afflig. Dionyf. Andr. *Aut ipfi nunciare.* Boër legit: *aut ipfe enuntiare curet.* Ebrul. *Aut ipfe nunciet.* Dunft. & quædam edita prima reiecta littera habent: *vt ipfe nunciet.*

IMPONANT.] Id eft, incipiant, præintonent, vt probatum p. 718.

OFFICIVM IMPLERE.] In Dionyf. interijcitur *benè.*

CAPVT XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

28 Mart. 28 Iulij 27 Nouëb. OTIOSITAS inimica eft animæ. Et ideò certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterùm horis in lectione diuina. Ideoque hac difpofitione credimus vtraque tempora ordinari: id eft, vt à Pafcha vfque ad Kalend. Octobris, manè exeuntes à prima vfque horam pænè quartam laborent quod neceffarium fuerit. Ab hora autem quarta vfque ad horam quafi fextam lectioni vacent: poft fextam autem furgentes à menfa, paufent in lectis fuis cum omni filentio: aut fortè qui voluerit fibi legere, fic legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs, mediante octaua hora: & iterùm quod faciendum eft, operentur vfque ad vefperum. Si autem neceffitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per fe occupentur, non contriftentur: quia tunc verè Monachi funt, fi de labore manuum fuarum viuunt: ficut & Patres noftri & Apoftoli. Omnia tamen 1. Cor. 4. Ioan. 21.
menfuratè fiant, propter pufillanimes.

29. Mart. 29. Iulij. 28. Nouemb. A Kalendis autem Octobris vfque ad caput Quadragefimæ, vfque in horam fecundam plenam lectioni vacent: hora fecunda agatur Tertia, & vfque ad horam nonam omnes in opus fuum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo figno horæ nonæ,

nonæ, disiungant se ab opere suo singuli: & sint parati, dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus à mane vsque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis: & vsque ad decimam plenam, operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant: qui codices in capite Quadragesimæ dandi sunt.

ANte omnia sanè deputetur vnus aut duo seniores, qui circumeant Monasteriũ horis quibus vacant Fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur Frater acediosus, 30. Mart. 30. Iulij. 29. Nouemb.
qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni: & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel & secundò: si non emẽdauerit, correptioni regulari subiaceat, & taliter, vt ceteri timeant. Neque Frater ad Fratrem iungatur horis incõpetentibus. Dominico autem die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt. Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut nõ possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, aut delicatis, talis opera aut ars iniũgatur, vt nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur, vt effugẽtur. Quorũ imbecillitas ab Abbate cõsideranda est.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

OTIOSITAS INIMICA EST ANIMÆ.] Illustratur hæc sententia pag. 834.

CERTIS TEMPORIBVS.] Andr. *Certis horis ac temporibus.* Quot, & quibus horis vacandum Lectioni & labori, expositum inuenies pag. 781.

A MANE EXEVNTES.] Ita Concord. Dunst. Boër. & editio 1544. Reliquis deest τὸ, *à*.

VSQVE HORAM.] Omnes codices tam excusi quàm membranacei exceptis Ebrul. Dionys. & Andr. legunt, *vsque ad horam.*

QVI VOLVERIT SIBI LEGERE, SIC LEGAT.] Concord. Ebrul. Andr. Calen. omittunt τὸ, *sibi.* Smaragdus & alij: *Qui voluerit legere, sibi sic legat.*

ET AGATVR NONA.] Concord. & membranæ nostræ omnes non habent particulam, *Et.*

TEMPERIVS.] Ebrul. Florent. *Temporius.*

MEDIANTE OCTAVA HORA.] Explicuimus pag. 780.

VSQVE AD VESPERVM.] Concord. cum nonnullis: *vsque ad vesperam.*

VERI MONACHI SVNT.] Concord. cùm pluribus impressis & tribus MSS. legit: *verè Monachi sunt.*

VSQVE AD HORAM NONAM.] Concordiæ deest τὸ, *horam.* Ebrul. Afflig. Dionys. Dunst. & alijs τὸ, *ad.*

DISIVNGANT SE AB OPERE SVO.] Smarag. Dionys. Afflig. Dunst. & alij habent, *disiungantur ab opere suo.* Andr. *Discedant ab opere.*

IN QVADRAGESIMÆ.] MSS. Dion. & Hadr. ante hanc periodum claudunt caput, & quæ hìc deinceps habẽtur, ponunt post sequens caput, præmisso hoc titulo: *De opere manuum in quadragesima.* Quod inde contigerit, quia initio quadragesimæ sequenti capiti lecto subiungi solet.

VSQVE AD DECIMAM PLENAM.] Concord. *vsque ad vndecimam plenam.* Smarag. Ebrul. Turrecrem. interserunt, *horam,*

ACCIPIANT SINGVLOS CODICES &c.] Ritum distribuendi libros ineunte quadragesima illustramus pag. 980.

IN CAPITE QVADRAGESIMÆ.] Ita Concord. & quinque edita. Reliqua cum membranis legunt: *In caput quadragesima.*

DEPVTETVR VNVS &c.] Sic habent omnia nostra MSS. cum Dunst. & Boër. sed Concord. Smaragd. Iuuenalis Turrecrem. & alia quædam legunt, *deputentur vnus* &c.

QVI CIRCVMEANT MONASTERIVM.] Circitores hos describimus pag. 864.

ACEDIOSVS.] Vulgata passim, *accidiosus*, sed veram lectionem demonstrat Græcum *ἀκηδία.*

VACAT OTIO.] Quædam legunt, *vacet otio.*

ALIOS EXTOLLIT.] Afflig. *alios distollit*, id est, inquit Smaragdus MS. qui etiam ita legit, *segregat vel disturbat.* Sed quid in communiori lectione est *extollit?* Audi Menardum: Extollere hoc loco est auferre, amouere: Id clarum est ex Plauto in Mercatore. *Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.*

VT CETERI TIMEANT.] Ita Concord. Smarag. Afflig. Dionys. Andr. Hadr. Turrecrem. reliqua habent: *vt ceteri metum habeant.*

LECTIONI VACENT OMNES.] Ebrul. præmittit, *Item.* Hadr. *vacent fratres.*

QVOD FACIAT, VT NON VACET.] Desideratur totum in Concordia.

VT EFFVGENTVR.] Ordericus Vitalis l. 8. Eccl. hist. an. 1094. legit, *Et effringantur.*

CAPVT XLIX.

De Quadragesimæ obseruatione.

LICET omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debet obseruationem 31. Mart. 31. Iulij. 30. Nouemb.
habere; tamen quia paucorum est ista virtus, ideò suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, & omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si

fit, si ab omnibus vitijs temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum & potûs abstinentiam: vt vnusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propriâ voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritalis desiderij gaudio sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen, quod vnusquisque offert Abbati suo suggerat; & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod sine permissione Patris spiritalis fit, præsumptioni deputatur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE QVADRAGESIMÆ OBSERVATIONE.] Vide Tract. 8. lib. X. pag. 969.

LICET OMNI TEMPORE.] Bernardus Cassinensis & Nic. continuat cum §. præcedentis capitis. *In quadragesima verò diebus*. Sed Boërius ait idem dici posse de §. *In quadragesimæ*, & quod est c. 41. *In quadragesima verò vsque ad pascha*.

DEBET.] Ita Smarag. Ebrul. Sed Concord. cum reliquis, *debeat*.

ET OMNES PARITER.] Smarag. Dunst. & alij septem editi legunt, *id est, omnes* &c. Concord. cum alijs, *omnes pariter*.

TEMPEREMVS.] Concord. Smarag. MS. Afflig. Hadr. *temperamus*. Alij addunt *nos temperemus*. Ebrul. *Intus temperemus*.

PENSVM.] Italici, inquit Boërius, communiter habent, *solito penso*. Prout etiam legit Smarag. & ita citant Bursfeldenses. in *Ordin. diuin. cap.* 31.

ABBATI SVO SVGGERAT.] Smaragd. non habet *vt, suo*.

PERMISSIONE PATRIS SPIRITALIS.] Dionys. & Hadr. *Patris spiritalis fit voluntate*. legenda quæ de his obseruamus pag. 975.

DEPVTATVR.] Concord. & alij, *deputabitur*, & sic citat S. Bonauentura *Spec. Disc. p.* 1. *c.* 4.

OMNIA AGENDA SVNT.] Andr. *Omnia fiant*. Locus hic explicatur pag. 576.

C A P V T L.

De Fratribus qui longè ab Oratorio laborant, aut in via sunt.

1. Aprilis. 1. Augusti. 1. Decemb.



FRATRES, qui omnino longè sunt in labore, & non possunt horâ competenti occurrere ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit quia ita est, agât ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant Horæ constitutæ; sed vt possunt, agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

LONGÈ SVNT IN LABORE.] MS. Afflig. *longè sunt ab oratorio*. Hadr. *longè sunt*. lucem dedimus huic capiti, pag. 689.

AD ORATORIVM.] Smarag. *ad Monasterium*.

AGANT SIBI.] Alij, *ibi*, quod expendimus pag. 690.

SIMILITER QVI IN ITINERE DIRECTI.] Vide ibid.

C A P V T LI.

De Fratribus qui non longè proficiscuntur.

2. Aprilis. 2. Augusti. 2. Decemb.



FRATRES, qui pro quouis responso proficiscuntur, & ea die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant manducare foris, etiamsi omnino à quouis rogentur: nisi fortè ab Abbate suo eis præcipiatur. Quòd si aliter fecerint, excommunicentur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

FRATRES QVI PRO QVOVIS RESPONSO.] Smaragd. totum hoc caput legit in singulari, vt & MS. Afflig. Explicationem pete ex Disquisit. pag. 1016. De *responso* egimus suprà in Comment. ad vit. cap. 12.

PROFICISCVNTVR.] Concord. *diriguntur*.

SPERANT.] Concord. & Smaragd. excusus, *Sperantur*.

ETIAMSI OMNINO A QVOVIS ROGENTVR.] Desideratur totum in Concordia, & in quatuor MSS. *vt omnino*.

AB ABBATE SVO.] Ebrul. addit, *vel priore*.

CAP. LII.

CAPVT LII.

De Oratorio Monasterij.


RATORIVM hoc sit quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur, aut 3. Aprilis.
condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & aga- 3. Augusti.
tur reuerentia Deo: vt Frater, qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impe- 3. Decemb.
diatur alterius improbitate. Sed & si alter sibi vult fortè secretiùs orare, simpliciter intret & oret, non in clamosa voce, sed in lacrymis & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in Oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

ORATORIVM HOC SIT.] De hac voce consulat Lector Disquisitiones, quarum Liber 7. hoc titulo insignitus. pag. 678.

AVT CONDATVR.] Quid alij his addant, notauimus pag. 680. Dunstano deest.

EXPLETO OPERE.] Smarag. Dionys. & quædam exemplaria legunt, *Expleta opere*.

CAPVT LIII.

De hospitibus suscipiendis.


MNES superuenientes hospites tamquam CHRISTVS suscipiantur, quia 4. Aprilis.
Matth. 25. ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor 4. Augusti. 4. Decemb.
exhibeatur, maximè domesticis fidei, & peregrinis. Vt ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore vel à Fratribus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, & sic sibi socientur in pace: quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus siue discedentibus hospitibus, in-
Matth. 18. clinato capite, vel prostrato omni corpore in terram, Christus in ijs adoretur, qui & suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem: & posteà sedeat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina, vt ædificetur; & post hæc ei omnis exhibeatur humanitas. Ieiunium à Priore frangatur propter hospitem, nisi fortè præcipuus sit dies ieiunij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det; pedes verò omnibus hospitibus tam Abbas, quàm cuncta Congregatio lauet: quibus lotis, dicant hunc Versum:
Psalm. 47. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Pauperum autem, & peregrinorum maximè susceptionis cura sollicitè exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem.

Matth. 18. COquina Abbatis & hospitum super se sit, vt incertis horis superuenientes hospi- 5. Aprilis.
tes, qui numquam desunt Monasterio, non inquietent Fratres: in quam coquinam 5. Augusti. 5. Decemb.
ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipsum officium benè impleant. Quibus, vt indigent, solatia ministrentur eis, vt absque murmuratione seruiant. Et iterùm quando minorem occupationem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera. Et non solùm in ipsis, sed & in omnibus officijs Monasterij ista sit consideratio; vt quando indigent, solatia accommodentur eis: & iterùm, quando vacant, obediant imperanti. Item & cellam hospitum habeat assignatam Frater, cuius animam timor Dei possidet, vbi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei sapienter à sapientibus administretur. Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur: sed si obuiauerit, aut viderit, salutatis humiliter, vt diximus, & petita benedictione, pertranseat, dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

OMNES SVPERVENIENTES HOSPITES.] Capitis huius elucidationi tribuuntur Tractatus tres Libri XI. pag. 982.

OCCVRRATVR EI A PRIORE.] Quis hîc *Prior* dictum pag. 1008.

HOSPITIBVS INCLINATO CAPITE.] Ritum explicamus pag. 992.

CORPORE IN TERRAM.] Ita Dionyſ. Hadr. & Turrecrem. Reliqua habent *in terra.* Concordia omittit.

EXHIBEATVR HVMANITAS.] Vbi, à quibus, quove modo, dixi pag. 986. 991.

IEIVNIVM A PRIORE FRANGATVR.] Adi diſquiſitiones pag. 982.

AQVAM IN MANIBVS.] Cauſſæ huius decreti adferuntur pag. 999.

PEDES VERÒ.] Pedilauij ritum & cauſſas allegamus pag. 996. 997.

SVSCEPTIONIS CVRA SOLICITE EXHIBEATVR.] Concord. Ebrul. Afflig. *Suſceptioni* &c. Dionyſ. Andr. & Hadr. *Suſceptionum.* Smaragd. *Suſceptio exhibeatur.* Alij inſerunt *omni cura.*

QVIA IN IPSIS MAGIS CHRISTVS SVSCIPITVR.] Non extat in Concord. & Smarag.

COQVINA ABBATIS &c.] Non pigeat legere Diſquiſitiones pag. 1000. & ſeq.

SOLATIA MINISTRENTVR.] Concord. & quatuor MSS. habent, *adminiſtrentur.* Quid verò *Solatia,* notatum pag. 347.

VBI EIS IMPERATVR.] Membranæ, Ebrul. & Andr. *vbi eis imperatum fuerit.*

ET NON SOLVM IN IPSIS.] Concord. Ebrul. Afflig. Hadr. omittunt *& in.*

FRATER, CVIVS ANIMAM.] Deſcribit Curatorem hoſpitum, de quo vide quæ nos ſcripſimus pag. 995.

TIMOR DEI POSSIDET.] Ita quatuor MSS. Sed Concord. cum reliquis legit: *poſſideat.*

HOSPITIBVS AVTEM CVI NON PRÆCIPITVR &c.] Agitur de hoc decreto pag. 989.

CAPVT LIV.

An debeat Monachus eulogias ſuſcipere.

6. Aprilis. 6. Auguſti. 6. Decemb.



NVLLATENVS liceat Monacho neque à parentibus ſuis, neque à quoquam hominum, nec ſibi inuicem litteras vel eulogias, aut quælibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis. Quòd ſi etiam à parentibus ſuis ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi priùs indicatum fuerit Abbati. Quòd ſi iuſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate cui illud iubeat dari: & non contriſtetur Frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occaſio diabolo. Qui autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ Regulari ſubiaceat.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

NVLLATENVS LICEAT MONACHO, &c.] Totum hoc caput extatur in Conc. Duziacenſi 2. cap. 2.

LITTERAS.] Nec ſcribendas, nec recipiendas ſine Superiorum venia benè inſtituêre vitæ Spiritualis magiſtri. Vide pag. 428.

EVLOGIAS.] Dunſt. & quædam vulgata legunt: *Eulogia,* minus rectè. Quid autem ſint *Eulogia,* oſtendimus pag. 429.

IN ABBATIS SIT POTESTATE.] MS. Hadr. *in eius ſit poteſtate.*

IVBEAT DARI.] Smarag. Hadr. Turrecrem. Iuuenal. & alij legunt, *dare.*

OCCASIO DIABOLO.] Afflig. MS. *maligno.*

CAPVT LV.

De veſtiarijs vel calciarijs Fratrum.

7. Aprilis. 7. Auguſti. 7. Decemb.



VESTIMENTA Fratribus ſecundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aërum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem eſt. Nos tamen mediocribus locis ſufficere credimus Monachis, per ſingulos cucullam & tunicam, cucullam in hieme villoſam, in æſtate puram aut vetuſtam, & ſcapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum omnium rerum colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi, ſed quales inueniri poſſunt in Prouincia qua habitant, aut quod viliùs comparari poteſt. Abbas autem de menſura prouideat, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtentibus eis, ſed menſurata. Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in veſtiario, propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas & duas cucullas habere, propter noctes, & propter lauare

uare ipsas res. Iam quod superfuerit, superfluum est, amputari debet. Et pedules, & quodcumque est vetustum, reddant dum accipiant nouum. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes, lota ibidem restituant. Et cucullæ & tunicę sint aliquantò his, quas habere soliti sunt, modicè meliores: quas exeuntes in via accipiant de vestiario, & reuertentes restituant.

STramenta autem lectorum sufficiant, matta, sagum, læna & capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare, ne inueniatur: & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non accepit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellum, acus, graphium, mappula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, quia dabatur singulis prout cuique opus erat. Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis Dei retributionem cogitet.

9. Aprilis. 9. Augusti. 8. Decemb.

Act. 4.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE VESTIARIIS VEL CALCIARIIS FRATRVM.] Ita Concord. Rupertus Tuitiens. Dionys. sed Ebrul. Afflig. legunt in singulari. *De vestiario.* &c. vulgo: *de vestimentis & calceamentis fratrum.* *Vestiarium* autem & *calciarium* non solùm pro loco accipiuntur, sed etiam pro ipsis vestibus, & calceis, vt docet Perottus. Vnde Vlpianus de alim. leg. *Diarijs vel cibarijs relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calceariùm deberi palam est.* vbi *vestiarium* & *calcearium* tantùm significat vestium & calceorum, quantum corpori pedibusque honestè tegendis fuerit satis. Joannes auctor vitæ S. Odonis l. 2. circa finem: *Quid sentiendum est de calcearijs, quæ sunt pro pretio cara, & pauimento ecclesiæ adhærenda.* Ceterum capitis huius doctrina solidum argumentum dedit toti libro V. qui *vestiarium* dicitur p. 451.

Vestiarium. & calciarium.

VEL AERVM TEMPERIEM.] Rescribunt quidam cum S. Hildegarde, *vel aeris.* Verùm omnes membranæ nostræ cum excusis habent *aerum.* Sic etiam Regula Solitar. c. 48. Rupert. l. 2. in reg. S. BENED. c. 16. Ordericus Vitalis l. 18. hist. an. 1094. & ita loquitur Cassianus l. 4. c. 11. quem fortè S. BENEDICTVS descripserit. Idem Cassian. præfat. ad lib. Instit. *pro asperitate aerum,* dixit.

MONACHIS PER SINGVLOS.] Ebrul. non habet *ñ, Monachis.*

CVCVLLAM.] Quid hæc sit docent quæ dicta p. 472.

TVNICAM.] Consule Disquisitiones, p. 485.

SCAPVLARE.] De eius forma adferuntur non pauca p. 480.

PEDVLES.] Sunt socci lanei, vide p. 500.

CALIGAS.] Non vnus in hac voce caligauit, dum *caligas* inter tibiarum aut crurum tegumenta retulit. Sed propiùs ad verum accessisse arbitror, qui calcei genus esse dicunt, adeoque soleam vel sandalium: quod aliquantò prolixiùs probaui p. 501. & seq.

NON CAVSENTVR.] Augustinus l. 1. de Ciuit. c. 28. *Nec permissum hoc esse causentur.* Vbi Lud. Viues: non in eo significatu quo nunc Philosophi in scholis, id est, causa sint, sed causam adferant: vt apud Virgilium:

Causando *nostros in longum ducis amores.*

Causari.

Sic Rom. 3. *Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* Pro conqueri legitur Deuter. 30. *Ne, ne trans mare positum, vt causeris.* Et ita fortè sumit S. Legislator.

IN QVO HABITANT.] Smaragd. Dunst. Afflig. & Andr. legunt, *qua degunt.*

COMPARARI POTEST.] Smaragd. & Affligen. *possit.*

DE MENSVRA PROVIDEAT, &c.] Quæ in habitu vitanda, notantur p. 521.

VTENTIBVS EIS.] Concord. Smarag. Ebrul. Dionys. & tria excusa habent: *vtentibus ea.* Nec quemquam moueat accusandi casus, nam veteres ita vsurparunt. Plautus Pœnulo 5. 2.

Profectò vtêris, vt voles, operam meam.

Idem Rudente 4. 7.

Dimidiè ei vti benè licet partum.

Et alibi sæpiùs.

Vtor cum accusatiuo.

VETERA SEMPER REDDANT.] Caussæ huius decreti petantur pag. 471.

LAVARE IPSAS RES.] An hoc Benedictinis conueniat, examinauimus p. 467.

IAM QVOD SVPERFVERIT.] Ita Andr. cum duobus excusis. Reliqua cum Concordia legunt: *Id quod supra fuerit.*

FEMORALIA.] An hæc Benedictinis domi concessa, vide p. 495.

REDDANT.] Membranæ, Ebrul. Afflig. & Andr. *Semper reddant.*

DVM ACCIPIVNT NOVVM.] Smarag. *noua.*

ET CVCVLLÆ &c.] Deest tota hæc periodus Concordiæ.

MATTA, SAGVM, LÆNA &c.] Harum vocum interpretationem dedimus p. 1041.

QVÆ TAMEN LECTA.] Lege quæ de hoc scrutinio annotamus pag. 1039.

DISCIPLINÆ SVBIACEAT.] Smaragd. *Disciplinæ regulari subiaceat.*

VITIVM PECVLIARE.] Concord. Dunst. Iuuenal. rectiùs legunt, *vitium peculiaris.*

NECESSARIA.] Exponitur hic locus pag. 435. Inter hæc autem S. Hildegardis etiam legit, *Zona.* Quod abest ab omnibus MSS. & editis exemplaribus. Sed nos de zona nonnulla posuimus p. 490. & seq.

BRACILE.] Id est, subligaculum, succinctorium, vt probatum pag. 495.

ACVS.]

Acvs.] Non frustra *Acum* Monachis assignari, leges p.470.

Graphivm.] Est stilus ferreus, vel æreus, quo in ceratis tabulis litteras exarabant. Nos de illo pag. 852. qui plura requiret, Parci Electa Plautina adeat, mihi p.373. vbi & graphiorum figuras repræsentat. Quas & accuratè expressit Hermannus Hugo lib. de prima scribendi origine.

Mappvla.] Intelligit sudarium, seu strophiolum. Consule disquisitiones p.493.

Tabvla.] Ad scribendum vide pag.853.

CAPVT LVI.

De mensa Abbatis.

9. Aprilis
9. Augusti.
9. Decemb.



Ensa Abbatis cum peregrinis & hospitibus sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites, quos vult vocare de Fratribus, in ipsius sit potestate. Seniores tamen vnum aut duos semper cum Fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Mensa Abbatis cvm peregrinis &c.] Lucem accipit hic locus ab ijs quæ p.1000. & seq. fusè scripsimus.

Dimittendvm procvret.] Smarag. & omnes membranæ nostræ, excepta Dionys. leguot, *dimittendos procuret*. Sed Concord. & alia edita nostram retineot lectionem.

CAPVT LVII.

De artificibus Monasterij.

10. April.
10. Augusti.
10. Decemb.



Rtifices si sunt in Monasterio; cum omni humilitate faciant ipsas artes, si tamen permiserit Abbas. Quòd si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eò quòd videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis diuellatur ab ipsa arte, & denuò per eam non transeat: nisi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venumdandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc ipsi, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretijs non subripiat auaritiæ malum; sed semper aliquantulum vilius detur, quàm ab alijs sæcularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus. *Act. 5.*

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Artifices si svnt.] Dunst. & quædam edita: *si sint.*

Cvm omni hvmilitate.] MS. Ebrul. & aliquot excusa addunt, *& reuerentia*. Vide pag.849.

Si tamen.] Concord. Dunst. Dionys. Turrecrem. omittunt *vi, tamen*.

Permiserit Abbas.] Ita Concord. & omnia nostra MSS. Recentior ergo vulgata lectio: *Iusserit Abbas.*

Erigere pro suspendere. Divellatvr.] Smarag. Boër. Dionys. Ebrul. legunt, *erigatur*, quod Smaragdus expooit, *Suspendatur*: quia *erigere* & suspendere vnum esse intelligunitur. Bernardus Cassin. *Erigatur, id est euellatur, vt non exerceat eam.* Boërius ait: Alia littera habet *ejciatur*, quam puto planiorem. Excusa cum Concord. legunt. *Euellatur.*

Venumdandvm est.] Quomodo Monachorum opera distrahenda vidimus pag.858.

Transigenda svnt.] Smaragd. & Reg. Solitar. c.38. habent *transeunda*, minus rectè.

Ananiæ et Saphiræ.] Quod horum coniugum peccatum, quâve pœnâ punitum, colligere licet ex dictis pag.859.

Non svrripiat.] Dunst. & excusa. *Subrepat.*

Sæcvlaribvs datvr.] Ebrul. Dunst. Iuuenal. non habent, *vi datur*. Smarag. Afflig. Andr. legunt: *dari potest.*

CAP. LVIII.

CAPVT LVIII.

De disciplina suscipiendorum Fratrum.

1. Ioan. 4. NOVITER quis veniens ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingres- 11 April.
sus. Sed, sicut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt. Ergo si veniens 11. Augusti 11. Decemb.
perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultatem ingressus
post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere
petitioni suæ; annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus. Posteà au-
tem sit in cella Nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et senior ei talis
deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiosè intendat,
& sollicitus sit, si reuera Deum quærit, si sollicitus sit ad opus Dei, ad obedientiam, ad
opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum: & si promiserit
de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc Re-
gula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis, si potes seruare, ingredere; si
verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam No-
uitiorum, & iterùm probetur in omni patientia: & post sex mensium circulum relega-
tur ei Regula, vt sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses relega-
tur ei iterùm eadem Regula. Et si, habita secum deliberatione, promiserit se omnia cu-
stodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se sub
lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec col-
lum excutere de sub iugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit aut ex-
cusare vel excusare.

SVscipiendus autem, in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & 12. April.
conuersione morum suorum, & obedientia, coram Deo & Sanctis eius, vt si aliquan- 12 Augusti. 12 Decemb.
do aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet. De quâ promissione sua fa-
ciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsen-
tis. Quam petitionem manu sua scribat; aut certè, si non scit litteras, alter ab eo rogatus
scribat; & ille Nouitius signum faciat, & manu sua super altare eam ponat. Quam dum
Psal. 118. posuerit, incipiat ipse Nouitius mox hunc Versum: Suscipe me Domine secundùm
eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem Versum
omnis Congregatio tertiò respondeat, adiungens, Gloria Patri. Tunc ille Frater noui-
tius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa die in Congrega-
tione reputetur. Res, si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta solemniter do-
natione conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec
proprij corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus
proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta qui-
bus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda: vt si aliquando, suadente diabolo,
consenserit vt egrediatur de Monasterio (quod absit) tunc exutus rebus Monasterij, pro-
ijciatur. Illam tamen petitionem eius, quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat, sed
in Monasterio reseruetur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

NOVITER QVIS VENIENS, &c.] De Nouitiorum receptione agit Tract. 2. lib. 4. p. 365.

NON EI FACILIS TRIBVATVR INGRESSVS.] Petrus Damiani opusc. 16. c. 9. legit: *Non tam facilis*, &c. vide dicta p. 378.

PVLSANS.] Exsculpimus hinc nomenclaturam Nouitiorum qui *pulsantes* dicti. p. 366.

PETITIONI SVÆ.] In alijs est: *In petitione sua.*

POSTEA AVTEM SIT IN CELLA NOVITIORVM &c.] Dunst. & edit. 1544. Louan. sic hanc periodum legunt: *Postea autem manducet & dormiat in cella nouitiorum vbi & meditetur.*

NOVITIORVM.] De voce egimus p. 366. De ipsis toto libro 4.

SENIOR EI TALIS DEPVTETVR.] Describit magistrum Nouitiorum, de quo legendus Tract. 4. lib. 4. p. 390.

AD LVCRANDAS ANIMAS.] Sic de S. Pachomio c. 25.

c.25. vitæ refertur; *Constituit Præpositos, qui sibi ad lucrandas animas quæ ad eum quotidie confluebant, adiutores existerent.*

Si reverà.] Recentiores contra fidem MSS. omnium, Concord. Smarag. Bernardi Cassin. Boerij, & 4. editorum rescribunt: *Si verè*. Rem explicamus p.384.

Ad opus Dei.] Hausit ex Basilio, interprete Rufino c.8. reg.

Dura et aspera.] De his pag. 386.

Stabilitate sua perseverantiam.] Concord. Smarag. Ebrul. Andr. *stabilitatis suæ perseverantia.*

Ecce lex. &c.] Regulæ Benedictinæ cum lege analogias expendimus p.119.

Servare.] Concord. Smarag. & Boër. *observare.*

An quin ingreditur.] Ita Concord. Dunst. Reliqua MSS. habent: *ad quod ingreditur.*

Relegatur ei iterum.] Sic omnia MSS. excepto Dionys. Concordia habet: *Iterum ei legatur.*

Se sub lege.] Sic etiam Boër. alij omittunt τὸ, *se*, Concord. τὸ. *sub.*

De sub iugo Regulæ.] Iugi & Regulæ analogias dedimus pag. 120. Quod phrasim spectat, Grammaticorum regula est, quam tradunt Priscianus l. 14. & 15. Seruius in 7. Æneid. Donatus in Andr. Terent quod præpositio seorsum non præponatur præpositioni vel aduerbio: in quam locutio hæc *De sub iugo*, videtur peccare, vt & illæ in sacris litteris. Psal.77. *De post fœtantes accepit eum.* Sophon.1. *De post tergum Domini*, & quod in Ecclesiastico officio S. Clementis legitur: *De sub cuius pede fons viuus emanat.* Verùm Ioan. Despauterius, insignis Grammaticus, minimè barbaras censet eiusmodi locutiones, quia similiter loquuntur, ait, nonnulli magnæ auctoritatis viri Florus de bello Ligustico: *Sic de sub alpibus, idest de sub ipsis Italiæ faucibus gentes* &c. Hincmarus de diuortio Lotharij & Tetbergæ interrog.12. *Nec de sub illo cælo in scriptura veritatis est lectum.*

De sub iugo.

Sub tam morosa.] A mora deriuatum adiectiuum, eoque etiam vsus Terentianus, vt notat Barthius aduers. l.35. c.9. Hericus Altisiodorensis Monachus vocat spondeos *morosos* prima correpta ex carminis lege. Et alibi: *Iam dimisio quarta, non morosa.* Qua notione Theologi delectationem vocant morosam, cui immoratus aliquis sit.

Suscipiendus autem.] Incipit agere de ritu professionis, quem peculiari tractatu illustramus p. 403. & seq.

De stabilitate sua.] Quid voto *stabilitatis* significetur, explicaui p.417.

Et conversione morum.] In quo hæc sita, disputauimus p.421. & seq.

Et obedientia.] Vide p.415.

A Deo se damnandum.] Smarag. Turrecrem. & 4. excusa, legunt. *Ab eo se damnandum.*

Faciat petitionem.] Quid hæc? pete ex pag.406.

Manu sua scribat.] Quàm vetus hæc consuetudo, scripsi p.407.

Faciat signum.] Subscribendo, quod fiebat per formam crucis, vt vidimus p.411.

Adiungens Gloria Patri.] Ita Dunst. cum duobus; excusis. proinde à Nouitio dicendus esset hic versus. Reliqua cum Concordia. *Adiungentes*, vt à choro recitetur versus, quod vsu obtinuit.

Ex illa die.] Dionys. Afflig. Andr. & Turrecrem. habent: *Ex illa hora.*

Res si quas habet.] Quomodo de temporalibus bonis Nouitium disponere conueniat, docui p.400.

Exuatur rebus propriis &c.] Patet ex hoc loco Nouitios annum probationis decurrisse in veste sæculari, & demum in professione donatos habitu Monachorum. Sed plura de his p.463.

Reponatur in vestiario.] Exponitur p.467.

Petitionem eius.] Ita Smarag. Ebrul. Dionys. Hadr. Turrecrem: Sed Concord. cum reliquis omittunt τὸ. *eius.*

Reservetur.] Concord. *Seruetur.* Smarag. *Conseruetur.*

CAPVT LIX.

De filijs Nobilium vel pauperum, qui offeruntur.

13. April. 13. Augusti. 13. Decemb.



SI quis fortè de Nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam suprà diximus, & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri inuoluant in pallà altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis aut in præsenti petitione promittant sub iureiurandó, quia numquam per se, numquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè, si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleëmosynam Monasterio pro mercede sua; faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio, donationem, reseruato sibi, si ita voluerint, vsufructuario. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

Offert filium suum.] Smarag. *offerat.* An hæc oblatio licita sit, disseruimus p.354.

Si iste puer minori ætate est.] Dunst. & quædam edita legunt, *minor est ætate.* Conueniátne pueros ad Religionem admitti, examinamus p.351.

Cvm

CVM OBLATIONE.] Guido Iuuenalis legit. & Gallicè interpretatur, *obligatione*.

ET MANVM PVERI INVOLVANT.&c.] Totus hic ritus explicatur p.357.

EVM OFFERANT DEO.] Formulas huius oblationis adscripsimus ibid.

PER SVFFECTAM PERSONAM.] Ita Concord. Smarag. Afflig.& Andr. Reliqua *per suspectam*, quod tanquam recentius de vitio suspectum.

IN ELEEMOSYNAM.] Concord. Smaragd. Afflig. Dionys. Andr. Hadr. *In Eleemosyna*.

VSVFRVCTVARIO.] Smarag. *vsufructuum*, aitque: *vsumfructuum dicit, quod nos dicimus vsumfructuarium*. Sic in cap. *non liceat* 12.q.2. vbi Symmachus ait: *Non licebit Papæ prædium ecclesiæ alienare, nec in vsumfructum rura dare*. In quibusdam Conciliorum editionibus legitur: *Sed nec in vsufructuario iure aliquibus dare liceat*. Et in vetusto MS. est: *Sed nec vsufructuario aliquibus dari liceat*. Magnus Gregorius & hanc phrasim à S. BENEDICTO mutuatus videtur. Scribit enim l.2. Epist.9. *Retento sibi vsufructuario diebus vitæ suæ*.

Vsufructuarius.

EXPERIMENTO.] Concord. *Experientia*: Explicatur hæc periodus cum præcedente p.359.

SIMILITER AVTEM ET PAVPERIORES &c.] MS. Andreano deest hæc periodus.

CORAM TESTIBVS.] Non est in MS. Hadr. De his testibus p.358. aliquid diximus.

CAPVT LX.

De Sacerdotibus qui fortè in Monasterio habitare voluerint.

SI quis de Ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit, non ei quidem citiùs consentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare & benedicere, aut Missas tenere, si tamen iusserit Abbas. Sin aliàs, nullatenus præsumat aliquid, sciens se disciplinæ Regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Et si fortè Ordinationis, aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est in Monasterium, non illum qui ei pro reuerentia Sacerdotij concessus est. Clericorum autem si qui eodem desiderio Monasterio sociari voluerint, loco mediocri collocentur, & ipsi tamen si promiserint de obseruatione Regulæ, vel propria stabilitate.

14. April. 14. August. 14. Decemb.

Matth. 26.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE SACERDOTIBVS &c.] MS. Hadr. *De Episcopis*. Elucidatur capitis huius doctrina p.372.

CONSENTIATVR.] Ita Smarag. in reliquis est, *Assentiatur*.

AMICE AD QVID VENISTI?] Suppeditauit hæc formula materiam 2. parti Catechismi Monastici, quam ibi explicatam vide p.237.& seq.

Missas tenere.

MISSAS TENERE.] Aliqui legunt *Missas canere*. Phrasis porrò illa *Missas tenere*, occurrit in Conc. Agathensi can.21. & 47. Et in Indiculo qui directus est à Ioanne Episcopo vel Epiphanio presbytero ad Hormisdam Papam, qui habetur tom.2. Conc. inter epistolas: *Ne quis missas foras ciuitatem teneret*.

IVSSERIT ABBAS.] Ita MS. Hadr. alij inserunt *ei*.

LOCVM ATTENDAT.] Exponitur prolegom. 18. ante vitam S. BENEDICTI §. 12. p.50. & in Disquisit. p.373.

SI QVI.] Ita Afflig. sed Concord. cum reliquis legit in singulari, vt & sequentia.

CAPVT LXI.

De Monachis peregrinis, qualiter suscipiantur.

SI quis Monachus peregrinus de longinquis prouincijs superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci quam inuenerit, & ne fortè superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua sanè rationabiliter & cum humilitate reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè pro hoc ipso eum Dominus direxerit. Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas; & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci.

15. April. 15. August. 15. Decemb.

QVòd si superfluus aut vitiosus inuentus fuerit tépore hospitalitatis, non solùm non debet sociari corpori Monasterij; verùm etiam dicatur ei honestè, vt discedat, ne

16. April. 16. August. 16. Decemb.

eius miseriâ etiam alij vitientur. Quòd si non fuerit talis qui mereatur proijci, non solùm, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus, verùm etiam suadeatur vt stet, vt eius exemplo alij erudiantur: & quia in omni loco vni Domino seruitur, vni Regi militatur. Rom. 10. Quem si etiam talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solùm autem Monachum, sed etiam de suprà dictis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum, stabilire potest Abbas in maiori quàm ingrediantur loco, si eorum talem perspexerit esse vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis eius, aut litteris commendatitijs, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Tob. 4. Matth. 7.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De Monachis peregrinis.] Locum ijs dedimus inter Nouitios pag. 373.

Voluerit habitare.] Codex noster Afflig. *voluerit hospitare, vel habitare.*

Contentus est quod inuenerit.] Est ellipsis, subauditur enim *eo*, vt sic efferatur: *Contentus est eo, quod inuenerit.* familiare id Græcis, qui pronomina ἐκεῖνο, αὐτῷ, sæpius reticent per ellipsin, quod & hîc obseruat Menardus.

Cum humilitate.] Ita Concord. in reliquis additur, *Charitatis.*

Ne forte pro hoc ipso &c.] Concordiæ deest *in ipso.* Afflig. verò & Andr. legunt: *Ne forte ad hoc ipsum.*

Aut vitiosus.] Omittitur in Concord.

Suadeatur vt stet.] Smarag. Dunst. Afflig. Turrec. *Suadeatur ei vt stet.*

In superiori aliquantulum constituere loco.] Quibus de caussis vnus alteri præponi aut postponi possit, discussimus p. 296.

Quam ingrediantur loco.] Concord. Smarag. Ebrul. & aliquot excusa legunt: *Quam ingreditur loco.*

Caueat autem Abbas &c.] Exponitur p. 373.

CAPVT LXII.

De Sacerdotibus Monasterij.

17 April. 17. August. 17. Decemb.



I quis Abbas sibi Presbyterum vel Diaconũ ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem, caueat elationem, aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ Regulari subditum. Nec occasione Sacerdotij obliuiscatur Regulæ obedientiam & disciplinam; sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò semper illum attendat, quo ingressus est in Monasterium, præter officium altaris: etsi fortè electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis vel Præpositis constitutam sibi seruare sciat. Quòd si aliter præsumpserit, non Sacerdos, sed rebellio iudicetur. Et sæpè admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quòd si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis proijciatur de Monasterio: si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi aut obedire Regulæ nolit.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

De Sacerdotibus Monasterij.] Tractatum de ijs satis prolixè in Isagor. p. 336.

Diaconum.] Smarag. Ebrul. Dionys. Hadr. Boer. & Turrecrem. veteri more scribunt, *Diaconem.* Diacones. Miratur autē Erasmus, Diaconem quis primus dixerit. Arguit & Budæus, qui *Diacones* & *Diaconibus* dicunt, quasi *Diacon* in recto, vt dracon & solon diceretur. Sed non infimæ notæ Scriptores ita locuti. Cyprianus epist. 35. & alijs sic præfigit: *Cyprianus Presbyteris & Diaconibus, fratribus carissimis salutem.* Pontius in eiusdem vita: *Dalmaticam verò tradidit Diaconibus*, Conc. Arausicanum I. c. 22. *Vt deinceps non ordinentur Diacones coniugati.* Isidorus c. 13 de vir. Illust. *Eugippius Abbas ad quemdam Paschasium Diaconem* &c. Quin & Interpres vulgatæ editionis Philipp. 1. habet: *Cum Episcopis, & Diaconibus.* Cur autem ita dixerint veteres, caussam adfert Barthius l. 42. aduersar. c. 14. Notat verò Meursius in Glossario Græco-barbaro, posteriores Græcos velut tertiæ declinationis extulisse Διάκων, prout ijdem, & præsertim ICti Græci dixerunt: Πάτρων, πάτρωνος, *patronus, patroni.*

Caueat elationem.] Lege quæ dicta p. 338.

Occasione Sacerdotij.] Afflig. Andr. *occasione sacerdotis.*

In Deum proficiat.] Quidam: *In Domino proficiat.* Explicationem quære p. 339.

Sed rebellio iudicetur.] A manu recentiori est, quod in vulgatis habetur: *Sed rebellis iudicetur.* Rebellio, rebellis. Lectio nostra reperitur in Concord. Smarag.

Kerone

Kerone & omnibus membranis nostris, eamque pluribus adstruit Menardus. Mirum autem à Melchiore Goldasto notis ad Ekkehardi c.7.de cas. S. Galli Latinam hanc vocem trahi ad Rhætismum. Rhætis, inquit, atque adeo Italis omnibus *Rebello* dicitur rebellis. Sed meminisse debuerat, vti dicitur perduellio & perduellis, sic etiam *Rebellio* & rebellis.

REGVLÆ NOLIT.] Ebrul. Dunst. & duo excusa legunt, *Regulæ noluerit.*

CAPVT LXIII.

De ordine Congregationis.



ORDINES suos in Monasterio ita conseruent, vt conuersionis tempus aut vitæ meritum discernit, vtque Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera vtens potestate, iniustè disponat aliquid; sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundùm ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi Fratres, sic accedant ad pacem, ad Communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos (vt diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes vt conuertuntur, ita sint. Vt (verbi gratiâ) qui secundâ horâ diei venerit in Monasterium, iuniorem se nouerit illius esse, qui primâ diei horâ venit, cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Iuniores igitur priores suos honorent, priores iuniores suos diligant. 18. April. 18 Augusti. 18. Decemb. 1. Reg 7. Dan. 13.

IN ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine, sed priores iuniores suos Fratres nominent, iuniores autem priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur, paterna reuerentia. Abbas autem quia vices Christi agere creditur, Domnus & Abbas vocetur; non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Vbicumque autem sibi obuiant Fratres, iunior à priore benedictionem petat: transeunte maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi: nec præsumat iunior consedere, nisi ei præcipiat senior suus, vt fiat quod scriptum est: Honore inuicem præuenientes. Pueri parui, vel adolescentes in Oratorio, vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur; foris autem vel vbiubi custodiam habeant & disciplinam, vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant. 19. April. 19. Augusti. 19. Decemb. Rom. 12.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

ORDINES SVOS IN MONASTERIO &c.] Capitis huius elucidatio petenda ex Disquisitionibus p.294.

VT CONVERSIONIS TEMPVS.] Ex his verbis, & ijs quæ paulò inf. à habentur, *vt conuertuntur ita sint*, probauimus pag. 297. ordinem Religiosorum inter se desumendum à tempore ingressus in Monasterium, non Professionis.

VTQVE ABBAS] Concord. *atque Abbas.*

VTENS POTESTATE.] Smarag. deest τὸ, *vtens.*

QVOS CONSTITVERIT.] Dunst. Affl̄ig. Andr. addunt, *Abbas.*

NON DISCERNATVR IN ORDINE.] Ita in omnibus chirographis nostris, & excusis. Concordia & Smarag. *Non discernat ordines.*

SAMVEL ET DANIEL PVERI &c.] De his quædam scripsimus Comment. ad vit. S. BENED. c.6. n. 3. p.92. vide etiam Disquis. p. 297.

IVNIOREM SE NOVERIT ILLIVS ESSE.] Ebrul. *alio esse.* Quidam legunt, *illo esse.*

DISCIPLINA TENEATVR.] Smarag. *conseruetur.* Afflig. *Adhibeatur.*

PVRO NOMINE APPELLARE.] Quam hoc dedeceat Religiosos, quibusue modis hic peccent, obseruatum à nobis p.299.

FRATRES NOMINENT.] Concord. *Fratrum nomine*, subaudi *appellent*, inquit Menardus. Caussas huius nomenclaturæ inuestigamus p.300.

NONNOS VOCENT.] De voce & varia lectione actum p.302.

AGERE CREDITVR.] Concord. & Ebrul. *videtur.*

DOMNVS ET ABBAS.] Lectionum varietas expenditur p.303. vbi plura de voce *Domnus.*

IVNIOR A PRIORE BENEDICTIONEM PETAT.] Quomodo petenda hæc benedictio, exposui p.307.

NISI PRÆCIPIAT EI SENIOR SVVS.] Spectat id ad religiosam morum ciuilitatem, vt probant scriptores quà sacri, quà profani à nobis allati p.307. vbi & nonnulla de vocabulo *Senioris.*

PVERI PARVI.] Alij legunt *pueri paruuli.* explicatur hic locus p.361.

FORIS AVTEM, VEL VBIVBI.] Smaragd. Dionys. Andr. non habent τὸ, *vel.*

CAPVT LXVI.

De ordinando Abbate.

20. April. 20. Augusti 20. Decemb.



N Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundùm timorem Dei, siue etiam pars, quamuis parua, Congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine Congregationis. Quòd si etiam omnis Congregatio vitijs suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit: & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi (ad cuius diœcesim pertinet locus ipse) vel Abbatibus aut Christianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum præualere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè & zelo Dei faciant, sicut è diuerso peccatum, si negligant.

21. April. 21. August. 21. Decemb.

ORdinatus autem Abbas cogitet semper quale onus susceperit: & cui redditurus est rationem villicationis suæ: sciatque sibi oportere prodesse magis, quàm præesse. *Lucæ 16.* Oportet ergo eum doctum esse lege diuina, vt sciat & sit vnde proferat noua & vetera, castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltet misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne, dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque, calamum quassatum non conterendum. *Esai. 42.* In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia; sed prudenter & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut iam diximus, & studeat plùs amari, quàm timeri. Non sit turbulentus & anxius, non sit nimius & obstinatus, non sit zelotypus & nimis suspiciosus: quia numquam requiescit. In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus: siue secundùm Deum, siue secundùm sæculum sint. Opera quæ iniungit, discernat & temperet, cogitans discretionem sancti Iacob, dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. *Genes. 33.* Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt sit quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, vt præsentem Regulam in omnibus obseruet: vt dum benè ministrauerit, audiat à Domino, quod seruus bonus, qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo; Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum. *Matth. 25.*

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

CONCORS CONGREGATIO.] Smarag. cum quatuor excusis: *Cohors congregationis.* Sed retinenda nostra lectio, quæ est omnium Membranarum & Concord. Dunst. aliorumque impressorum. Sic & ante 800. annos Ludouicus Pius Fuldenses alloquens, de electo Abbate ita ait: *Iste ne est ille frater, quem sibi tota* CONCORS CONGREGATIO, *secundum Dei timorem, & S. Regulæ auctoritatem vno ore probat ac postulat?* Huc & allusisse crediderim S. Gregorium, cuius hæc verba l. 7. epist. 17. *Quem sibi propria voluntate* CONCORS *fratrum societas elegerit.* Sic & hunc locum citaot Gratianus dist. 61. c. *in ordinatione* Flodoardus hist. Rhem. l. 3. c. 27. ex epistola Hincmari.

LOCVS IPSE.] Ascensij editio & quædam hîc interserunt, *peruenerint*, sed nullo vetustioris membranæ suffragio.

ABBATIBVS AVT CHRISTIANIS.] Apud Gratianum ex emendatione Gregorij XIII. *Ad alios vicinos Præpositos vel Christianos claruerint.* Concord. Smarag. legunt: *ad Abbates aut Christianos vicinos.* Locus autem hic totus exprimi videtur c. *Si quis Abbas*, 18. quæst. 1. cap. 15. ex Conc. Tiburicosi.

SICVT E' DIVERSO.] Multa habent: *sicut è contrario.*

REDDITVRVS EST RATIONEM.] Hanc inter alias boni pastoris conditiones posuimus p. 319.

DOCTVM ESSE LEGE DIVINA.] Vide Disquisitiones p. 313.

VT SCIAT, ET SIT VNDE PROFERAT &c.] Smarag. Afflig. Andr. non habent, *& sit.*

MISERICORDEM.] Iuuenalis & quædam edita adducit, *humilem.*

SVPEREXALTET MISERICORDIAM IVDICIO.] Smarag. Ebrul. Afflig. Andr. Turrecrem. & Cajen. *Superexaltet misericordia iudicium* Quę lectio magis placet, eamque sic extulit S. Bonauentura l. 1. Pharet. c. 31

DILIGAT FRATRES.] Charitatem Abbati commendat, quæ vna ex qualitatibus, quam in ipso requirimus. p. 315.

ÆRVGINEM.] In quibusdam scribitur; *rubiginem.*

PROVT

Provt viderit.] Concord. Smarag. Andr. Hadr. *vt viderit.*

Non sit tvrbvlentvs, non anxivs.] Hæc vitia remis velisque Abbas fugiat: quò faciunt quæ ad harum vocum explicationem adduximus p. 313.

In ipsis imperiis.] Discretionem Abbati perquam necessariam ex his verbis exsculpsimus p. 319.

Sæcvlvm sint.] Ebrul. Turrecrem. & alia Impressa: *Saculum sit.*

Et temperet.] Ebrul. *contemperet.*

Vt et sit qvod fortes cvpiant.] Ita etiam Concord. sed Smaragd. Afflig. Andr. habent: *Vt & sit quod Fratres cupiant.* Alij codices mirè variant.

Vt dvm bene ministraverit.] Concord. & omnes membranacei codices, quos vidi, *Et dum* &c.

CAPVT LXV.

De Præposito Monasterij.

SÆpivs quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi, scandala grauia in Monasterijs oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, existimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facilè aduertitur: quia ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi: dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, iræ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes: & dum contraria sibi Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari: & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. Ideoque nos præuidemus expedire propter pacis charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui: & si potest fieri, per Decanos ordinetur, vt ante disposuimus, omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit: vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat.

22. April. 22. August. 22. Decemb.

QVòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire; quemcumque elegerit Abbas cum cõsilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens: quia quantum prælatus est ceteris, tantò eum oportet solicitius obseruare præcepta Regulæ. Qui Præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsque quater: si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ Regularis. Quòd si neque sic correxerit, tunc deijciatur de ordine Præposituræ; & alius, qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd si & postea in Congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas, se de omnibus iudicijs suis Deo reddere rationem: ne fortè zeli aut inuidiæ flamma vrat animam.

23. April. 23. August. 23. Decemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DE Præposito.] Officium eius nomenque descripsimus p. 327.

Existimantes.] Ebrul. Dunst. Iuuenal. & quædam excusa habent: *Æstimantes.* Concord. Smarag. Dionys. Andr. Hadr. *Et æstimantes.* vulgo: *qui æstimantes.*

Ab ipsis ordinatvs est.] Concord. hæc refert, quasi in secunda persona dicerentur: *Ab ipsis ordinatus es.*

Invidiæ, iræ, rixæ.] Ita Dunst. Turrecrem. Iuuenal. & quædam edita. Reliquis deest τὸ, *iræ.*

Illos respicit.] Ita Concord. Ebrul. Dunst. Boer. Sed alia nostra manu exarata, & quædam typis expressa legunt: *Illis respicit.*

Qvi talibvs in ordinatione.] Dunst. & quædam vulgata: *Qui talis ordinationis.* Iuuenal. Turrecrem. Calen. & alia: *Qui talibus inordinationibus.* Sunt & qui legunt: *Qui talis inordinatione.*

Ideo nos prævidemvs.] Sic membranæ nostræ cum Dunst. Sed Concord. habet, *videmus.* Reliqua: *Ideóque nos.*

Ante disposvimvs.] Dunst. & duo impressa: *Ante diximus.*

Petierit.] Dionys. *expetierit.*

 Admo-

ADMONEATVR.] MS. Afflig. præmittit: *Hic secundùm Domini præceptum admoneatur.*

IN LOCO EIVS SVBROGETVR.] Abest à Concord. *in, in.*

REDDERE RATIONEM.] Ita Concord. Smarag. & omnia nostra MSS. In reliquis est: *reddituri sunt rationem.*

CAPVT LXVI.

De ostiarijs Monasterij.

24. April. 24 Augusti 24. Decemb.



AD portam Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere: & cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam: vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant. Et mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat: & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter, cum feruore charitatis. Qui portarius si indiget solatio, iuniorem Fratrem accipiat. Monasterium autem, si potest fieri, ita debet constitui, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur: vt non sit necessitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum se de ignorantia excuset.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

PONATVR SENEX SAPIENS.] Officium & qualitates Ianitoris describimus p.346.

ET CVIVS MATVRITAS.] Ita Smaragd. & Andr. Reliqua non habent *τὸ, &.*

DEO GRATIAS RESPONDEAT.] Actum de hac salutandi formula p.308.

AVT BENEDICAT.] Quomodo hîc accipiendum *τὸ, benedicat*, habes p.347.

MONASTERIVM ITA DEBET CONSTITVI.] Ita Codices nostri membranacei cum Concordia, Synodo Moguntina sub Carolo Magno c.20. Guilielmo Gemmeticensi lib. 6. cap. 23. de gest. Normann. In reliquis legitur *debet construi.* De modo autem exædificandi cœnobia quædam annotaui pag. 291.

HORTVS.] Boërij textus in neutro legit, *Hortum*: addita in Commentario hac glossa: *Licet noua & antiqua Grammatica dicat, hic hortus; neutrius tamen vel masculini generis esse potest, cum sexum discretum non habeat iuxta Priscianum.* Citatque S. BENEDICTVM eâdem formâ dicentem, *lecta.* Sed *hortum* nescio vbi legerit.

ARTES DIVERSÆ.] Monachis quæ artes conueniant, quæve olim ab ijs exercitæ, retulimus pag.846.

INFRA MONASTERIVM.] Concord. Dionys. Dunst. & alij quidam legunt: *Intra Monasterium.*

VAGANDI FORAS.] Chirographa nostra habent, *vagandi foris.* Sed Lectionem nostram retinent Concord. Smarag. Dunst. & alij excusi.

REGVLAM VOLVMVS SÆPIVS LEGI.] Quàm vtile hoc decretum, dixi p.196.

CAPVT LXVII.

De Fratribus in via directis.

25. April. 25. August. 25. Decemb.



DIRIGENDI Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis se orationi commendent, & semper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de via Fratres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas Horas dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus: ne quid fortè surripuerit in via visus aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Nec præsumat quisquam alij referre, quæcumque foris Monasterio viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamuis parum, sine Abbatis iussione facere.

VARIÆ

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

DIRIGENDI FRATRES IN VIA.] De his est tractatus 4. libri XI. quo tota huius capitis doctrina explicatur. pag 1009.

COMMEMORATIO OMNIVM ABSENTIVM FIAT.] Quomodo, & quo ritu, dictum pag. 1014.

NE QVID FORTE SVRRIPVERIT IN VIA VISVS.] Concordiæ singularis nec contemnenda lectio: *Ne qui fortè surripuerint in via visus*, &c.

ALII REFERRE.] Concord. & Smarag. *Alio referre* constitutionis huius æquissimas caussas vide, pag. 1017.

FORIS MONASTERIO.] Ita Smarag. & Hadr. Sed Concordia habet: *foris Monastery*. Ebrul. & Andr. *foras Monasterium*.

VINDICTÆ REGVLARI.] Dionys. *vindictæ corporali*.

QVOCVMQVE IRE.] Vetat S. Pater discursum per Monasterium, de quo nos nonnulla attulimus pag. 231. 1057.

QVAMVIS PARVVM.] Ita Concord. Turrecrem. & aliquot impress. In alijs est: *quamuis parum*. Locum elucidauimus p. 576.

CAPVT LXVIII.

Si Fratri impossibilia iniunguntur.

SI cui Fratri aliqua fortè grauia aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quòd si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quòd si post suggestionem suam, in sua sententia prioris imperium perdurauerit; sciat iunior sibi ita expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei, obediat. 26. April. 16. August. 16. Decemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

SI CVI FRATRI ALIQVA FORTE GRAVIA &c.] Quomodo vsque ad impossibilia se extendat obedientia, ex hoc toto capite ostendi p. 573.

Impossibile. IMPOSSIBILIA.] Quidam hanc vocem inter minùs latinas ponunt. Impossibile, inquit Rhodiginus, non Latinum verbum malè feriatis videtur: quo tamen vtitur Boëtius, & Quinctil. l. 5. & Ambros. l. 4. de fide c. 3. Cassianus sæpe.

PONDVS ONERIS.] Sic legit Concordia cum nostris membranis. Vulgatis ferè deest τὸ *oneris*.

POST SVGGESTIONEM SVAM.] MSS. Hadr. & Andr. non habent *suam*.

EX CHARITATE OBEDIAT.] Vide quæ annotamus p. 569. & 576.

CAPVT LXIX.

Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere

PRÆCAVENDVM est, ne quauis occasione præsumat alter alterum defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri: etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur: quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coërceatur. 27. April. 27. August. 27. Decemb.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

PRÆCAVENDVM EST.] Dunst. & Vulgata legunt: *Summopere præcauendum est*. Sed lectio nostra reperitur in MSS. Concord. & Smarag.

ALTER ALTERVM.] MS. Afflig. & quædam edita: *Alius alium*.

DEFENDERE AVT TVERI.] Malum id in Congregatione, à qua peculiares illæ amicitiæ & familiaritates, tanquam diuisionis seminaria, procul arcendæ. Hinc tam seuerè à Monasterijs eam labem proscripsêre maiores. Pachomius in reg. art. 99. *Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima.* Regula Patrum c. 5. *Si quis de fratribus errori fratris consenserit, culpabilis erit, atque excommunicatione dignissimus.* Et meritò. *Siquidem*, vt à Magno Basilio in *reg. breu.* 7. scribitur, *non tam obiurgationem ad correctionem, sed defensionem ad confirmationem peccati accipit ille qui peccauit. Ex quo fit, vt nisi fructus pœnitentiæ dignos ediderit, qui alium defendit in eum conueniat illud, quod à Domino dictum est: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proyce abs te: Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Hæc obiter, quod in disquisitionibus hic locus memoriam nostram subterfugerit. Vide etiam annotata in Catechismo pag. 234.

Monachis vetitum alium defendere.

ETIAMSI QVAVIS CONSANGVINITATIS &c.] Sic &

Ne quidem consanguineum. Sic & S. Columbanus in Regula: *Defendere proximum vel consanguineum in Monasterio nullo modo permittimus.* Iustam autem huius Decreti caussam allegat S. BENEDICTVS: *Quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest.* Per *scandala* intelligit hîc, vt & cap. 13. rixas, contentiones, iurgia, quæ ex mutuæ defensionis fomite, tanquam ex silicum attritu strictura, elici solent.

CAPVT LXX.

Vt non præsumat quisquam passim alium cædere.

18. April. 18. August. 18. Decemb.



VETETVR in Monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare, aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt ceteri metum habeant. *1. Tim. 5.* Infantibus verò vsque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia adhibeatur, & custodia sit ab omnibus: sed & hoc cum omni mensura & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ Regulari subiaceat: quia scriptum est: Quod tibi non *Tob. 4.* vis fieri, alij ne feceris.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

VETETVR.] Ita Concord. Smaragd. Duost. & membranæ nostræ omnes præter Hadr. quæ legit: *vitetur*. Impressa recentiora habent: *vt vitetur.*

PECCANTES CORAM OMNIBVS ARGVANTVR.] Qualiter id agendum breuiter dixi p. 805.

INFANTIBVS VERO &c.] Concordia sic totam periodum exhibet: *Infantum verò vsque quindecim annorum ætates disciplinæ diligentia adhibeatur ab omnibus, & custodia.* In alijs exemplaribus variè postrema hæc leguntur. Rem examinauimus p. 361.

ALII NE FECERIS.] In Concordia & Smaragdo legitur: *Alio ne feceris.* Impressa aliquot habent: *Alijs ne feceris.*

CAPVT LXXI.

Vt obedientes sibi inuicem sint Fratres.

19. April. 19. August. 19. Decemb.



OBEDIENTIÆ bonum non solùm Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi inuicem obediant Fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi; de cetero omnes iuniores Prioribus suis cum omni charitate & sollicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem Frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocumque Priore suo corripitur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscumque contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè; mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut, si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

SIBI INVICEM OBEDIANT.] Concord. Dionys. Hadr. Dunst. & quædam excusa legunt: *Ita obediant*. Explicationem huius loci quære p. 572.

AVT PRÆPOSITORVM.] Concord. Singulariter, *vt Præpositorum*, approbante Menardo.

CVM OMNI CARITATE.] Ita Ebrul. reliquis deest præpositio, *cum.*

SI LEVITER SENSERIT ANIMVM PRIORIS &c.] Concord. Dionys. Hadr. *Animos Prioris contra se iratos vel commotos.*

PROSTRATVS IN TERRA &c.] De hoc Satisfaciendi ritu legenda, quæ p. 799. adduximus.

QVOD SI QVIS CONTEMSERIT.] Concord. Ebrul. Smarag. Afflig. & Hadr. *Quod quis contempserit.*

CAP. LXXII.

CAPVT LXXII.

De zelo bono, quem debent Monachi habere.



Iacob.3. SICVT est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infer- 30. April.
num; ita est & zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vi- 30. August. 30. Decemb.
Rom. 12. Ephes. 4. tam æternam. Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant Monachi,
Galat. 5. id est, vt honore se inuicem præueniant. Infirmitates suas, siue corporum,
Philip. 2. siue morum patientissimè tolerent: obedientiam sibi certatim impendant. Nullus quod
Rom. 15. sibi vtile iudicat, sequatur; sed quod magis alio. Charitatem fraternitatis casto impen-
Ephes. 5. dant amore, Deum timeant, Abbatem suum sincera & humili charitate diligant; Chri-
sto omninò nihil præponant: qui nos pariter ad vitam æternam perducat.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

INFIRMITATES SVAS SIVE CORPORVM, SIVE MORVM.] Lege dicta in Catechismo, p. 233. & Bernardum serm. 12. in Cantica. & serm. 1. ad fratres de altitudine & vastitate cordis.

NVLLVS QVOD SIBI VTILE IVDICAT SEQVATVR.] Obseruabant id accuratè Monachi illi Hermopolitani, de quibus S. Onuphrius: *Quidquid vni placebat, cunctis placebat.* Ita *vit. Patr. l. 1. in* Onuphrio c. 3.

SED QVOD MAGIS ALIO.] Ita Concord. & Dionys. in reliquis habetur, *magis alij.*

ET HVMILI CHARITATE DILIGANT.] Ebrul. *Sincera humilitate diligant.*

CHRISTO OMNINO NIHIL PRÆPONANT.] Desumptum videtur ex S. Cypriano, qui in orat. Domin. ait voluntatem Dei esse, quam Christus fecit & docuit: *Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est: Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit.*

ÆTERNAM PERDVCAT.] Ita Smarag. Dionys. Ebrul. Hadr. & quædam edita. Concord. cum reliquis addit *tò, amen.*

CAPVT LXXIII.

De eo, quòd non omnis iustitiæ obseruatio in hac sit Regula constituta.



REGVLAM hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasterijs, vel 1. Maij.
honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus ha- 31. August.
bere. Ceterùm ad perfectionem conuersationis qui festinat, sunt doctri- 31. Decemb.
næ sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ auctoritatis veteris ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum? Nec non & Collationes Patrum, & instituta, & vita eorum, sed & Regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium Monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confusionis est.

Quisquis autem ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ suprà commemorauimus, doctrinæ virtutumque culmina Deo protegente peruenies. Amen.

Facientibus hæc regna patebunt æterna.

VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ.

REGVLAM AVTEM HANC.] En tibi humilem Benedictinæ Regulæ epilogum, quæ tamen qualis quantaque sit, ex dictis libro 2. satis superque constabit, vbi & S. Patris humilitatem ex hoc loco commendamus p. 115. Ceterum de Regula, quid sit, quî differat à Constitutionibus tractaui pag. 3. 5. & seq. peculiariter autem de ipsa Regula S. BENEDICTI disserui toto libro II. pag. 97.

DESCRI-

DESCRIPSIMVS.] Quando, quo loco, quo modo, & quoties Regula à S. BENEDICTO exarata, ibidem nobis scriptum. An autem quæ passim exstat, & hîc exhibetur, ea ipsa sit, quam Gregorius Papa scriptam à S. BENEDICTO asserit, non disquirendum nobis, sed vt certissimum, & tot iam sæculorum consensu confirmatum cum vniuersa Dei Ecclesia recipiendum putamus. Ioachimus interim Vadianus, auctor hæreticus, lib. 1. de Collegijs Monasterijsque Germaniæ veteribus, tom. 3. Alemannic. rerum apud Goldastum, dubitationem ingerit, & magnam eius partem succedentibus temporibus ab alijs adiectam. Atque en eius verba: *Simul tamen magno errore, & salutem docet ex obseruatione doctrina hominum, & operum fiduciam fortiter inculcat multis in locis, vt vel hac vna caussa negari non possit, Regulam illam, quam hodie* BENEDICTO *adscribunt, nec vno aliquo tempore, nec ab vno scriptam, sed dogmatum & cæremoniarum accessione subinde ab alijs atque alijs mutatam & auctam fuisse.* Sed enim scire est animus, quo tempore, & à quibus aliqua Regulæ inserta aut ei adiecta fuerint. Nam ex Smaragdi Commentario, BENEDICTI Anianæ Abbatis Concordia Regularum constat, ab octingentis & amplius annis eam, quæ nunc habetur, S. BENEDICTO adscriptam Regulam. Nec, tum primum pro ea habitam Donati Vesontini Archiepiscopi Regula ante annum Christi 670. scripta conuincit. Magnam enim eius Regulæ partem de verbo suæ ad virgines inseruit. Quid, quod & ipse Magnus Gregorius non obscurè indicet quænam sit illa Regula, quam eum Dialog. lib. 2. cap. 36. scripsisse asserit? Nimirùm illa ipsa est ex qua lib. 4. Comment. in lib. 1. Reg. cap. 4. refert: *Arctissimæ vitæ Magistrum optimum, summæ veritatis discipulum eruditum dicere: Probate spiritus si ex Deo sint. Et item: Nuncientur ei dura & aspera per quæ itur ad Deum, vt sciat ad quid intrat.* Hæc autem habentur Regulæ S. BENEDICTI cap. 58. Illam Gregorius intellexit Regulam, in quam lib. 9. epist. 42 Catellum Monachum offendisse ait, qui ex parua Eulogia, quam Bonus Monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minimè timuerit: *quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, poterit tua dilectio scire, si* REGVLAM MONACHORVM *nosse voluisset.* Nimirùm de Eulogijs his agit S. BENEDICTVS reg. cap. 54. Illam denique Gregorius intellexit Regulam, de quâ lib. 2. Dialog. cap. 12. ait: *Mos cellæ fuit, vt quoties ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potumque extra cellam minimè sumerent. Cumque hoc de vsu Regulæ solicitè seruaretur.* Hoc autem habetur Regulæ S. BENEDICTI cap. 51. Omitto rariores Regulæ nostræ voces à Gregorio vsurpatas, vt in Disquisitionibus passim notauimus.

Ioachimi Vadiani opinio de Regula S. Benedicti.

Refutatur.

Ex S. Gregorio, qui eam sæpius citat.

Sed quâ caussâ suspicatur Vadianus Regulam S. BENEDICTI dogmatum & cæremoniarum accessione ab alijs & alijs subinde auctam? Nimirùm quod *salutem*, vt ait, doceat *ex obseruatione doctrina hominum, & operum fiduciam fortiter inculcet.* Sed hæc Nouatores in totam Romanam deblaterant Ecclesiam. Quamquam mirari liceat eum operum fiduciam obijcere, cùm in ipso Regulæ, quem citat prologo, S. BENEDICTVS dicat: *Timentes Dominum de bona obseruantia sua non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant.* Et vide mihi acumen hominis, ne cogatur Monasticorum rituum & obseruantiarum admittere antiquitatem, mauult fingere hæc eorum scriptis postea ab alijs, infarta, quàm, quia ab ipsis verè scripta sint, credere hodiernum Monachismum à vetere illo non distare. Eadem operâ Hieronymi, Basilij, Chrysostomi & Cassiani reijciat libros, vel quidquid in ijs Monasticam sapit disciplinam, hoc postea dicat, vel additum vel assutum.

Alia Vadiani impostura refellitur.

INITIVM CONVERSATIONIS.] Rectè omninò: quia Cœnobitas instruit. Anachoretæ enim non initium tantùm, sed perfectionem conuersationis habere debent. Hieronymus ad Rustic. epist. 4. *De ludo Monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, qui specimen* CONVERSATIONIS *suæ multo tempore dederint.* Idem in c. 3. Thren. *Speciem* CONVERSATIONIS *boni Eremita imitari contendunt.* Sed & Magnus Gregorius Benedictinam pro more exprimens phrasim l. 4. Dialog. c. 8. ait duos nobiles viros *eius* (S. BENEDICTI) *se Regulæ in sancta* CONVERSATIONE *tradidisse.* Vides Monasticam vitam vocari *Conuersationem.* Adi Commentarium nostrum ad c. 1. Vitæ S. BENED. num. 13. pag. 69.

Conuersatio pro vita Monastica.

NOS DEMONSTREMVS.] Notat Boërius, quosdam legere *demonstremur.*

QVI FESTINAT.] Ita Ebrul. Afflig. Hadr. Calen. cum duobus vulgatis, reliqua habent: *Qui festinant.* Deducere Regulam ad cœlorum regnum, innumerus probat Sanctorum numerus de quo pag. 153.

RECTISSMA NORMA VITÆ HVMANÆ.] Sic & vocari posse Regulam S. BENEDICTI, ostendebamus pag. 130.

ET INSTITVTA ET VITA EORVM.] Deest Concordiæ, Ebrul. Afflig. & Hadr. *vita eorum.*

REGVLA S. PATRIS NOSTRI BASILII.] Frustra esse, qui ex his verbis scribunt S. BENEDICTVM militasse sub signis Magni Basilij. probauimus pag. 501. quod & operosè iuxta ac eruditè præstitit Hispaniarum Ordinisque nostri magnum lumen *D. Ioseph de la Cerda,* Pacensis Episcopus doctissimis suis commentarijs in Iudith, Academ. 23. litter. mihi p. 252. quem antea non videram. De varijs autem Basilij Regulis vide lib. 1. pag. 35. Quænam verò, cuius hic cum laude meminit, & quare suæ eam anteponat Noster Patriarcha, declaraui p. 115. & seq.

S. Benedictus non fuit Basilianus.

QVID ALIVD SVNT.] Concord. *amplius.*

INSTRVMENTA VIRTVTVM.] Hoc Epitheto Regula S. BENEDICTI etiam decorari potest. Vide Disquisit. p. 130. Ceterùm ante hæc verba in quibusdam codicibus additur: *Exempla & instrumenta virtutum.*

MINIMAM INCHOATIONIS REGVLAM.] Cur ita humilitatis Doctor & cultor egregius suam indigitet Regulam, vidimus p. 126.

DEO PROTEGENTE PERVENIES, AMEN.] An hæc vltima Regulæ verba, an quæ in quibusdam sequuntur, *Facientibus hæc regna patebunt æterna,* discussimus pag. 117. & à Legislatoris nostri manu menteque non esse aliena declarauimus.

MONA-

QVÆDAM
HVIVS REGVLAE ELOGIA.

Ex cod. MS. Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis.

DICEBAT *S. Fulgentius*: Iuxta Regulam Patrum viuere semper stude, maximè autem secundùm S. Confessoris BENEDICTI: non declines ab ea in quoquam, nec illi addas quippiam: totum enim quod sufficit habet, & nusquam minus habet: cuius verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia.

Testimonium hoc Lib. II. Tract. III. Disq. V. produximus, ambigui de Auctore, quem Parisiensis editio Regulæ anni 1641. *facit S. Fulgentium Astigitanum Episcopum, qui vixit anno* 600. *de quo vide Prudentium Sandoualium in Commentario de Vita & natalibus SS. Leandri, Fulgentij, & Isidori, editum à Brovvero inter* Sidera SS. Illustrium Germaniæ.

Ex Concilio Augustodunensi sub S. Leodegario *Episcopo & Martyre, Canone XV.*

DE Abbatibus verò vel Monachis ita obseruare conuenit, vt quidquid Canonicus Ordo, vel REGVLA S. BENEDICTI docet; & implere, & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates, vel Monasteria conseruata; & numerus Monachorum, Deo propitio, augebitur: & mundus omnis per eorum orationes assiduas, malis carebit contagijs. *Celebratum hoc Concilium anno 670.*

Ex commendatione REGVLÆ S. BENEDICTI *quam Cardinalis Ioannes à Turrecremata Expositioni suæ præmisit.*

HVius REGVLÆ S. BENEDICTI amplitudine dignitatis, & excellentiâ sanctitatis ac perfectionis pensatâ, audacter dicere valemus, quod

QVICVMQVE HANC REGVLAM SECVTI FVERINT,

PAX

SVPER ILLOS.

ad Galat. 6.

VRBA-

VRBANVS
PAPA VIII.

VIDQVID in Vitâ Sanctorum mirabile est, quidquid altum sub lumine fidei; ad vestram vocationem pertinet. Spirituales gratiæ, quæ alios Ordines sanctificant varietate incomprehensibilis earum diuisionis, vnam partem constituunt plenitudinis earum, quæ ORDINI VESTRO communicantur: quandoquidem ILLIVS INSTITVTOR plenus erat Spiritu omnium Iustorum.

In Bulla ad Sanctimoniales Xanctonenses.

MONA-

MONASTICARVM DISQVISITIONVM LIBER PRIMVS: PORTICVS, SIVE NOTITIA REGVLARVM.

Omnes quos Monasterij septa concludunt, tam PATRVM REGVLAS, quàm Præceptoris proprij iussa seruate, & libenter præceptis salutaribus obedite. *Cassiodorus diuin. Lect. cap. 32.*

ARGVMENTVM.



RIVSQVAM te, *Benigne Lector*, in Monastici huius Ædificij inferas penetralia, in hâc quæ prima occurrit, PORTICV paulisper obambula. Tuo id fiet emolumento, & aliquâ etiam, vt auguror, oblectatione. Nam in decem illis quibus innixa est Columnis, totidem, inquam, proëmialis huius Libri *Tractatibus*: Quid *Regula* sit, quæ eius Diuisiones, quod à Constitutionibus discrimen, quæ deinde ab ipsis Religiosæ vitæ incunabulis ad nostra hæc vsque tempora singulis pænè Seculis scriptæ sint *Regulæ*; qui etiam singularum *Regularum* sint Conditores, veluti in tabulâ expressa spectare licebit. Vt enim illi, qui Ciuitatis alicuius moliuntur descriptionem, nonnihil de Regione in quâ sita est, finitimisque limitibus delibant: & qui Sanctorum, vel Illustrium Virorum exhibent historiam, de eorumdem Maioribus, prosapiâ, natali solo, & his coniunctis, non pauca prælo-

 quuntur:

quuntur: ita mihi non abs re videbar facturus; si antequam ipsam S. P. N. BENEDICTI aggrederer REGVLAM, hanc REGVLARVM omnium præmitterem NOTITIAM. Vt ita intelligeremus, qui in eodem aliquando versati essent scribendi argumento: simulque constaret quos Legislator noster Sanctissimus in hoc itinere habuisset Duces; quos sequaces. Sed & reliquo Operi non parum subseruit hæc NOTITIA. In quo dum variarum REGVLARVM passim aduocantur testimonia, & Monasticarum Legum consensus, aut aliqualis diuersitas; & quo tempore aut loco vnaquæque exarata sit, non difficulter colligitur.

Hæc proinde huius Libri Synopsis. *Tractatus Primus* agit de Regulâ in genere. *Secundus* de Regulis eorum, qui in veteri Lege Religiosum Statum adumbrarunt. *Tertius*, de Institutis Regulisque Monasticis à Christo Domino vsque ad Constantinum Magnum. *Quartus*, de Regulis quarti Seculi. *Quintus*, *Sextus*, & *Septimus*, de Regulis ijsdem Seculis conscriptis. *Octauus*, de Regulis à seculo octauo vsque ad duodecimum scriptis. *Nonus*, de Regulis duodecimo Seculo exaratis. *Decimus*, de residuis posteriorum Seculorum Regulis.



TRA-

TRACTATVS I.

DE REGVLA IN GENERE.



NTEQVAM *particularem* Regularum *exhibeamus* Notitiam, *Priùs de ipsâ Regulâ generatim, iuxta communem disciplinarum Ordinem,hoc* Tractatu *agendum.*

In quo de hisce VI. Capitibus disquirimus. Primò, *Quid Regula?* Secundò, *An Cuilibet Congregationi Religiosæ sua sit Regula?* Tertiò, *Quod discrimen inter Regulam,& Constitutiones?* Quartò, *Quàm variæ Monachorum Regulæ?* Quintò, *Quænam Regularum diuisiones?* Sextò, *An plures in vno Monasterio aliquando seruatæ Regulæ?*

DISQVISITIO I.

Quid Regula?

Regula etymon.

I. REGVLARVM NOTITIAM ab ipsâ Regulæ notione & etymo lubet exordiri; & in hoc *Vestibulo*, PRIMÒ omnium disquirere, quid REGVLA sit. Explicat hoc Isidorus, dicens: *Canon Græcè, Latinè Regula nuncupatur. Regula autem dicta quòd rectè ducit; nec aliquando aliorsum trahit. Alij dixerunt Regulam dictam, vel quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat; vel quia distortum prauumque corrigat.* Alibi verò hanc tradit etymologiam: *Regula dicta, quod sit recta, quasi rectula, & impedimentum non habeat.*

Isidor. lib. 6. Orig. cap. 15.

Idem lib. 19. Orig. cap. 18.

Acceptiones

Propriè autem loquendo, Regula instrumentum est Architecturæ; quo rum Cæmentarij in ædificando, tum Architecti in recognoscendâ fabricâ vtuntur: cuius officium est, vt admota parietibus, eorum longitudinem dirigat & æquet. A Cicerone, & Vitruuio, subinde Linea nuncuparur: fortasse quia primùm è lino, quod facilè ac longè deducitur, fieri cœpit: posteà verò è solidiore materiâ æris, ferri, ligni, constructa est, ne in vsu torqueri possit. In proprio hoc sensu accipitur in sacra Scripturâ: *Operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad Regulam.*

Cicero lib. 3 Epist. 1. ad Q. Frat. Vitru. lib. 7. de Architect. cap. 3.

3. lib. Reg. cap. 6. 35.

II. SECVNDÒ, acceptâ hinc metaphorâ, sumitur pro breui & compendiosâ præceptione rerum, vt colligitur ex cap. *Quæro*, & sentit Archidiaconus. Iuxta quam acceptionem, vniuersales quædam propositiones, eæque omninò certæ, præcepta continentes, quibus in scientijs, artibus, & moribus dirigimur, Regulæ nuncupari solent. Hinc existũt Grammaticorum Rhetorum, Dialecticorum, Iuris, Sacræ Scripturæ, & quarumuis disciplinarum Regulæ; quas

cap. Quæro 11. q. 1 Archid dist. 3. cap. Regula.

A benè describit Venerabilis Beda: *Regulæ*, inquit, *dicuntur à regendo, eò quòd nos regant docendo, quid vitare, quid facere debeamus.* In hac significatione accipiendum est illud, quod S. Paulus dixit: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos.* Eodem quoque sensu Leges Ciuiles, Ecclesiasticæ, Monasticæ, Canones & Regulæ nuncupantur. *Lex enim*, Tullio teste, *est iuris, & iniuriæ Regula.* Hoc modo documenta singula, quæ S. Basilius Monachis tradit, vocãtur *Regulæ*, vel fusiùs disputatæ, num 55. vel breuiores, num. 313. Sic Regulæ communes Societatis Iesu.

Beda tom. 6. Cõment. in Boetium de Trinitate.

Galat. 6. 16.

Cicero lib. 1. de legib.

B III. TERTIÒ, Regula accipitur collectiuè, significans normam viuendi secundùm perfectionem Euangelicam, plures speciales in se Regulas complectens: sic religiosè viuendi præcepta, quæ Angelus S. Pachomio tradidit, S. Hieronymus *Regulam* nominauit. S. Pater noster BENEDICTVS S. Basilij Canones Regulam appellauit: eodemque nomine, quàm suis Discipulis præscripsit legem, Regulam aliquoties nominauit; vt capite 58. *Legatur ei hæc Regula per ordinem.* Et cap. 60. *Sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum.* Cap. 73. *Regulam autem hanc descripsimus.* Et vniuersim ait Cœnobitarũ genus *militare sub Regulâ, vel Abbate.* Eodem nomine suas Institutiones vocant S. Isidorus, S. Fructuosus, S. Franciscus, alijque Religiosorum Ordinum Patres. Monasticam autem Regulam breuissimè descripsit Innocentius VII. dicens, esse *formam religiosè viuendi.* Paulò pluribus Guilielmus Parisiensis, cui dicitur *vel doctrina, vel ars, vel prudentia, quâ scitur vel docetur qualiter sit viuendum professoribus ipsius.* Propriam autem & accuratam definitionem, ita tradit Tho-

C

Innoc. 7. in confirmat. tertij Ord. S. Domin. Guilielm. lib. de virtute cap. 11.

quuntur: ita mihi non abs re videbar facturus; si antequam ipsam S. P. N. BENEDICTI aggrederer REGVLAM, hanc REGVLARVM omnium præmitterem NOTITIAM. Vt ita intelligeremus, qui in eodem aliquando versati essent scribendi argumento: simulque constaret quos Legislator noster Sanctissimus in hoc itinere habuisset Duces; quos sequaces. Sed & reliquo Operi non parum subseruit hæc NOTITIA. In quo dum variarum REGVLARVM passim aduocantur testimonia, & Monasticarum Legum consensus, aut aliqualis diuersitas; & quo tempore aut loco vnaquæque exarata sit, non difficulter colligitur.

Hæc proinde huius Libri Synopsis. *Tractatus Primus* agit de Regulâ in genere. *Secundus* de Regulis eorum, qui in veteri Lege Religiosum Statum adumbrarunt. *Tertius*, de Institutis Regulisque Monasticis à Christo Domino vsque ad Constantinum Magnum. *Quartus*, de Regulis quarti Seculi. *Quintus*, *Sextus*, & *Septimus*, de Regulis ijsdem Seculis conscriptis. *Octauus*, de Regulis à seculo octauo vsque ad duodecimum scriptis. *Nonus*, de Regulis duodecimo Seculo exaratis. *Decimus*, de residuis posteriorum Seculorum Regulis.



TRA-

TRACTATVS I.

DE REGVLA IN GENERE.



ANTEQVAM *particularem* Regularum *exhibeamus* Notitiam, *Priùs de ipsâ Regulâ generatim, iuxta communem disciplinarum Ordinem, hoc* Tractatu *agendum.*

In quo de hisce VI. Capitibus disquirimus. Primò, *Quid Regula?* Secundò, *An Cuilibet Congregationi Religiosæ sua sit Regula?* Tertiò, *Quod discrimen inter Regulam, & Constitutiones?* Quartò, *Quàm variæ Monachorum Regulæ?* Quintò, *Quænam Regularum diuisiones?* Sextò, *An plures in vno Monasterio aliquando seruatæ Regulæ?*

DISQVISITIO I.

Quid Regula?

Regulæ etymon.

I. REGVLARVM NOTITIAM ab ipsâ Regulæ notione & etymo lubet exordiri; & in hoc *Vestibulo*, PRIMÒ omnium disquirere, quid REGVLA sit. Explicat hoc Isidorus, dicens: *Canon Græcè, Latinè Regula nuncupatur. Regula autem dicta quòd rectè ducit; nec aliquando aliorsum trahit. Alij dixerunt Regulam dictam, vel quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat; vel quia distortum prauumque corrigat.* Alibi verò hanc tradit etymologiam: *Regula dicta, quòd sit recta, quasi rectula, & impedimentum non habeat.*

Isidor. lib. 6 Orig. cap. 15.

Idem lib. 19. Orig. cap. 18.

Acceptiones

Propriè autem loquendo, Regula instrumentum est Architecturæ; quo tum Cæmentarij in ædificando, tum Architecti in recognoscendâ fabricâ vtuntur: cuius officium est, vt admota parietibus, eorum longitudinem dirigat & æquet. A Cicerone, & Vitruuio, subinde Linea nuncupatur: fortasse quia primùm è lino, quod facilè ac longè deducitur, fieri cœpit: posteà verò è solidiore materiâ æris, ferri, ligni, constructa est, ne in vsu torqueri possit. In proprio hoc sensu accipitur in sacrâ Scripturâ: *Operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad Regulam.*

Cicero lib. 3 Epist. 1. ad Q. Frat. Vitru. lib. 7. de Archi. tect. cap. 3.

3. lib. Reg. cap. 6. 35.

II. SECVNDÒ, acceptâ hinc metaphorâ, sumitur pro breui & compendiosâ præceptione rerum, vt colligitur ex cap. *Quæro*, & sentit Archidiaconus. Iuxta quam acceptionem, vniuersales quædam propositiones, eæque omninò certæ, præcepta continentes, quibus in scientijs, artibus, & moribus dirigimur, Regulæ nuncupari solent. Hinc existũt Grammaticorum Rhetorum, Dialecticorum, Iuris, Sacræ Scripturæ, & quarumuis disciplinarum Regulæ; quas

cap. Quæro 11. q. 1 Archid dist. 3. cap. Regula.

A benè describit Venerabilis Beda: *Regulæ*, inquit, *dicuntur à regenda, eò quòd nos regant docendo, quid vitare, quid facere debeamus.* In hac significatione accipiendum est illud, quod S. Paulus dixit: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos.* Eodem quoque sensu Leges Ciuiles, Ecclesiasticæ, Monasticæ, Canones & Regulæ nuncupantur. *Lex enim*, Tullio teste, *est iuris, & iniuriæ Regula.* Hoc modo documenta singula, quæ S. Basilius Monachis tradit, vocãtur *Regulæ*, vel fusiùs disputatæ, num. 55. vel breuiores, num. 313. Sic Regulæ communes Societatis Iesu.

Beda tom. 6. Cõment. in Boetium de Trinitate.

Galat. 6. 16.

Cicero lib. 1. de legib.

B TERTIÒ, Regula accipitur collectiuè, significans normam viuendi secundùm perfectionem Euangelicam, plures speciales in se Regulas complectens: sic religiosè viuendi præcepta, quæ Angelus S. Pachomio tradidit, S. Hieronymus *Regulam* nominauit. S. Pater noster BENEDICTVS S. Basilij Canones Regulam appellauit: eodemque nomine, quam suis Discipulis præscripsit legem, Regulam aliquoties nominauit; vt capite 58. *Legatur ei hæc Regula per ordinem.* Et cap. 60. *Sciat se omnem Regulæ disciplinam* C *seruaturum.* Cap. 73. *Regulam autem hanc descripsimus.* Et vniuersim ait Cœnobitarũ genus *militare sub Regulâ, vel Abbate.* Eodem nomine suas Institutiones vocant S. Isidorus, S. Fructuosus, S. Franciscus, alijque Religiosorum Ordinum Patres. Monasticam autem Regulam breuissimè descripsit Innocentius VII. dicens, esse *formam religiosè viuendi.* Paulò pluribus Guilielmus Parisiensis, cui dicitur *vel doctrina, vel ars, vel prudentia, quâ scitur vel docetur qualiter sit viuendum professoribus ipsius.* Propriam autem & accuratam definitionem, ita tradit Tho-

III.

Innoc. 7. in confirmat. tertij Ord. S. Domin.

Guilhel. lib. de virtute cap 12

NOTITIA REGVLARVM.

mas à Iesu: REGVLA *Monastica est quædam Euangelica viuendi norma ab Ecclesiâ approbata, quæ tradit viam tendendi ad perfectionem, secundum tria substantialia vota, & alias obseruantias propria Religionis.* Analogias verò materiatæ Regulæ cum Religiosâ, benè explicauit Humbertus, quas pluribus illustrat Iulius Nigronus; quorum hîc vestigia subsequar.

Thom. in Reg. Carmelit. p. 2. dub. 1. Humb. in proœm. S. Aug cap. 7. Nigron. in expl. tit. Reg. Soc. p. 1 nu. 23.

Regulæ materiatæ cum Religiosâ analogia. I. Rectitudo.

Prima autem est, quòd sit omninò rectissima & effectrix rectitudinis in rebus prauis ac distortis, quibus applicatur: quæque per eam, atque ad eam dirigitur. *Regula*, inquit Romanus Sapiens, *quâ rectū probari solet: quam si flectis, quidquid ex illâ mutaueris, iniuria est recti.* Cui consonat Chrysostomus: *Regula*, dicens, *nec addi sibi quidquam, nec demi sustinet; alioquin hoc ipsum, quod Regula est, amittit ac perdit.* Absit rectitudo, Regula fallet artificem, fabricam corrumpet, ædificium corruet. Optimè namque cecinit Lucretius:

Sen. Epist. 71. Chrysost. hom. 12. in Epist. ad Ephes.

Lucret. lib. 4.

Denique vt in fabricâ, si praua est Regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit;
Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum;
Omnia mendosè fieri, atque obstipa necessū est;
Praua, cubantia, prona, supina, atque absona tecta;
Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantq;
Prodita iudicijs fallacibus omnia primis.

Monasticis Regulis conuenire has, aliasque conditiones, nemo sapiens, credo, negabit. Exempli tamen causâ, de vnâ S. Patris nostri BENEDICTI, cuius occasione hæc scribimus, cōprobabimus. Eam autem esse rectissimam cōstat; quia est *lex, sub quâ* (vt ipse Sanctus loquitur) Religiosus *militare* cupit. Leges autem omninò rectæ esse debent nec vllam recipere flexuram. Hinc Ciceroni, *Lex est recta, & a numine Deorum tractata ratio honesta imperans, & prohibens cōtraria.* Deinde quis dubitet eam Regulā esse rectissimam, quæ *diuinâ magis inspiratione atque consilio, quàm humanâ prudentiâ, vel adinuentione formata est*, vt mellifluus dixit Bernardus; & peculiari Disquisitione posteà probabimus. Præterea, approbata est hæc Regula à summis Pontificibus, Sacris Concilijs, totâque Ecclesiâ; vt deinceps videbimus.

Cicer. Phil. lipp. 11.

Bern. serm. Ecce nos reliq.

II. Cognitio praui.

Secunda proprietas est, vt per eam rectitudo prauitasque illius rei, cui applicatur, cognoscatur. *Regula*, ait Aristoteles, *est quâ rectum & obliquum cognoscimus, verum & falsum, bonum & malum discernimus.* Monastica autem Regula cogitationibus, verbis & operibus adhibita, optimè ostendit an rectè, an verò distortè surgat ædificium spirituale: imò illa ipsa est mensura, quâ nos tùm Superiores, cùm alij homines metiuntur. Et quod maius est, ipse Deus ad hanc Regulæ mensuram opera nostra in die iudicij exiget; & si quidem inuentus quis fuerit minus habens, audiet illud: *Non inuenio opera tua plena.* Meritò proinde vult S. P. BENEDICTVS Monachos quotidie *diem iudicij timere.*

Arist. lib. 1. de anim. text 85. dist. 3. cap. Reg.

Apocal 3. Instr. 44.

III. Correctio distorti.

Tertia proprietas, est corrigere distorta: quod triplici fit modo. Primò, si operi facto Regula adhibeatur, vt deprehensâ in eo, si quæ forsan sit, prauitas auferatur. Facit id Religiosus, si ita vitam instituat, vt Regulâ operibus eius adhibitâ, manifestè appareat eum, *honestatem morum, & initium conuersationis aliquatenus habere:* ob quam caussam inter cæteras, se Regulam conscripsisse S. Pater noster asseruit. Idem quoque facit Abbas, cùm deprehensas contra Regulam præuaricationes *non dissimulet; sed mox, vt cœperint oriri, eas, vt praualet, amputet.* Deinde quod prauum est, corrigitur, si dum opus ipsum exercetur, Regula ante oculos collocetur; itaque distortio omnis, quæ irrepere posset, præuertatur. Id exsequentur Monachi, si illam Legislatoris nostri vocem factis adimpleant, quâ dicit: *In omnibus omnes magistram sequantur Regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam.* Quisquis id diligenter fecerit, aut numquam, aut rarò opus reficere vel emendare cogetur. Tertiò denique, ad Regulam aliquid fit, si dum illa abest, cōsideretur imago quædam illi per omnia similis, & æqualis rectitudine. Ita lignarius Faber funiculo rubricato, qui amussis dicitur, lineam imprimir asseri secando: Librarius stylo plumbeo lineas ad Regulam in chartâ ducit, vt scribat quam rectissimè. Quomodo autem id Religiosus faciet? si nimirum exactè obseruet illud, quod Regula præscribit: *Nihil, scilicet, agat, nisi quod communis Monasterij Regula, vel maiorum cohortātur exempla.* Hæc enim Maiorum & Superiorū bona exempla, velut lineæ sunt iuxta Regulæ normam ductæ; quas si sequatur, nihil contra illam committet. Quamquam & Maiorum nomine intelligere liceat Sanctos eos, qui nos in Ordine præcesserunt, quorum impressa vestigia viua quædā sunt lineamenta Regulæ; quæ praxim eius ad oculum ostendunt. *Sermo enim viuus & efficax* (vt ait Bernardus) *exemplum est operis; plurimum faciens suadibile quod dicitur, dū monstrat factibile quod suadetur.* Et hoc quidem modo examinantur ad Regulam opera nostra, qualia nimirum illa sint.

Cap. 73.

Cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 7. grad. 8.

Bern. serm. de S. Benedicto.

Modus seu corrigendi ad Regulam.

Quid verò facto opus sit, si distorta inueniatur, explicat Gregorius his verbis: *In funiculo artis Cæmentarij, hoc agi solet, vt cognoscat an æqualitas vel rectitudo surgentis parietis debeat; vt si lapis intus est, foras eijciatur, si exteriùs prominet, interiùs reuocetur.* Id ipsum S. BENEDICTVS Abbati, tanquam petito Cæmentario præscribit; cùm modò dirum Magistri, modò pium Patris in eo requirit affectū. Cum autem

Greg. hom. 13. in Ezec. Cap. 2.

Cap. 23. autem contumacem, inobedientem, superbum, murmurantem, vel in aliquo contrarium existentē Sanctæ Regulæ, vult semel & secundò admoneri; publicè obiurgari, excōmunicari, aut vindictæ corporali subdi; quid aliud videtur exigere, quàm vt prominentes nimiùm lapides intrò trudantur?

Cap. 27. Cùm verò Seniores, sapiētes fratres secretè submittendos monet, qui consolentur fluctuantem fratrem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem; quid aliud hoc est, quàm retrusum nimis lapidem ad æqualitatē exterioris superficiei euocare? Cùm obedientes, mites & patientes, vt in melius proficiant, censet obsecrandos: cùm blandimentis & suasionibus, secundū vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam, vtēdum monet; aliud sine dubio non præscribit, quā vt latentes lapides foras prouocentur.

DISQVISITIO II.

An cuilibet Congregationi Religiosæ sua sit Regula?

Respub. nulla sine legibus. RESPVBLICA quęlibet suis constat gubernaturque legibus; nam vt Paulus Orol. lib 7. cap. 41. dixit Orosius: *sine legibus Respublica nō est Respublica.* Hinc leges Reipublicę salutem, neruos & animam dixerūt. *Vt corpora nostra,* in- Valer. Max. lib. 5. cap. 9. quit Valerius Maximus, *sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus & neruis, ac sanguine & membris vti non potest.* Status Religiosus monastica quędā est atque exactissima Respu- Hieronym. Plat. lib. 1. de bon. stat. Relig. cap. 35. blica, vt ex professo tradit Hieronymus Platus: quare leges quoq; habeat, quibus subditos suos regat, necesse est. Leges autem monasticæ, *Regulæ*, siue quod idem est, *Canones*, vocari solent nomine Aptissimè prorsus, cùm vnum per alterum definiri soleat. Lib. 2. ff. de leg. Chrysippus enim, referēte Marciano Iurisconsulto, *legem* dixit *esse Regulam iustorum & iniustorum.* Et Tullius: *lex est iuris & iniuriæ Regula.* *Quæ leges Monasticæ.* Cicer. l. 1. de leg. Nyssen. Orat. ad diff. bapt. S. Gregorio Nysseno lex ciuilis *est certa Regula vitæ hominum.* Regula quoque vice versâ à S. Patre N. BENEDICTO Lex S. Bened. ca. 58. Reg. dicitur; agens enim de nouitio suscipiendo, *legatur*, ait, *ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex sub quâ militare vis, si potes obseruare, ingredere: si vero non potes, liber discede.* Et paulò pòst: *Sciens lege Regulæ cōstitutum.* Omnes proinde Religiosi suis religātur & obligantur Legibus, nullusque Ordo vel cœtus est, qui ijs careat: quæ communis omnium est sententia. A *Regulâ* enim ipsi Religiosi *Regulares, vnde.* *Regulares* sunt appellati: quia nimirum, ad viuendū secundūm aliquam Regulā astringuntur, vt cōstat in Rubricâ *de Regularibus:* vbi Panormitanus, & alij, id annotarūt. Atque hæc iam olim S. BENEDICTI doctrina Cap. 1. Reg. est, qui *primum & præcipuum Monachorum genus* ait esse *Cœnobitarū; hoc est, monasteriale, militans sub Regulâ vel Abbate.* Idemq; Pseu- NOTITIA REGVLARVM. domonachos, & Sarabaitas esse ait, *Qui nullâ Regulâ approbati, adhuc operibus seruantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur; quibus pro lege sit desideriorum voluptas.* Hos Isidorus *Renuitas* vocat; *quia*, vt S. Odo ait, Isidor. lib. 2. de offic. Eccl. c. 15. S. Odo lib. 3. collat. *iugum Regularis disciplinæ renuunt.* Regularis proinde non est, qui Regulę alicui non subest: quod optimè confirmatur ex Innocentio II. dicente: *Perniciosam & detestabilem consuetudinem quarumdam mulierum (quæ licet neque secundum Regulam B. BENEDICTI, neque Basilij, aut Augustini viuant: Sanctimoniales tamē vulgò censeri desiderant) aboleri decernimus.* Ex *Ordini cuilibet sua Regula.* quo constat, verè Moniales non esse (idemque iudicium est de Monachis) nisi sub aliquâ degant Regulâ. Vtor autem hîc laxè nomine *Regulâ*, vt simul comprehendam *Vel Constitutiones.* etiam Constitutiones, siue Statuta. Quidam enim Ordines solis reguntur Constitutionibus. Adhæc, Regulæ nomine intelligo, tam eam quæ scripto est tradita, quàm quæ viuâ voce, vel solâ consuetudine in aliquo Religiosorū cœtu, fuerit obseruata. Primis enim sæculis, vix vllæ litteris consignatæ Regulæ; & ipsimet Regularum conditores, antequam eas scriberent, communi tantùm traditione, consuetudine & vsu suos regebant; eratque ijs Superioris imperium instar viuæ cuiusdam Regulæ, sicut Regula mutus quidam est Superior.

DISQVISITIO III.

Quod discrimen inter Regulam & Constitutiones?

QVÆ Religiosis prescribūtur rectè viuendi formulæ, nō Regularū tantùm *Regula dicta Constitutiones.* nomine, sed & Cōstitutionum appellari solitæ sunt. Nec immeritò, nam & B. Clemens Romanus, Apostolorū præceptiones, Constitutiones nūcupauit. In Iure quoque tàm Ciuili, quàm Canonico, agitur de Constitutionibus. Et quod Religiosos spectat, S. Basilius non Regulas tantùm, sed & Constitutiones scripsit Monasticas. Plerique autem Religiosi Ordines præter Regulam, etiam proprias habent Constitutiones: Nonnulli autem solis reguntur Constitutionibus siue Statutis: quales sunt Carthusiani, & Clerici Regulares, quos Theatinos vocant. Hinc nata, pluribusque nota quæstio, Quomodò à Regulâ Constitutiones distinguantur?

Potest autem discrimen hoc ex quatuor *Discrimen inter eas.* I. capitibus desumi. Primò, ab vtrisque Auctore: Regulæ enim à SS. Patribus, Ordinū Fūdatoribus, aut aliquibus Episcopis, plerumque præscriptæ sunt: Constitutiones verò à Capitulis generalibus, aut Ordinū Congregationibus, vt plurimū emanarunt.

II. Secundum discrimen desumitur à latitudine

NOTITIA REGULARUM. tudine extensionis siue generalitate. Vna enim Regula pluribus Ordinibus, aut vnius Ordinis, pluribus Congregationibus communis est: Singulis autem Cōgregationibus propriæ plerumque sunt Constitutiones. Vnde Ioānes Nider ait: *Sicut species apud Logicos integratur ex genere & differentiâ, ita forma cuiuslibet Religionis vel confirmati Ordinis, vel plurimùm ex duabus principaliter integratur partibus: ex Regulâ scilicet per Ecclesiam approbatâ & ex Constitutionibus. Regula se habet per modum generis, & Constitutio loco differentiæ. Exempli gratia: Regula B. Augustini est communis Ordinibus Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, Præmonstratensium, Paulitarum, & similium; qui omnes profitentur eandem Regulam, nec in hoc differunt. Sed pro singulis Ordinibus præfatorum Religiosorum sunt formatæ Constitutiones quædam, in incessu, in victu, amictu, ritibus & cæremonijs, quibus inter se causant differentiam. Et ita dici potest de Regulis approbatis alijs Patrum Beatorum, Basilij,* BENEDICTI, *& Francisci.* Sic ille

Nider lib. 2. de reform. Relig. cap. 2.

III. Tertium discrimen desumi potest à duratione, vel perpetuitate. Regula enim vix, aut ne vix quidem mutari solet: Constitutiones verò pro temporum & locorum varietate non rarò mutantur. Vnde S. Antoninus, ex Ioanne Andreâ scribit, quòd Regulæ mutari nō possint, nisi à Summo Pontifice: Constitutiones verò mutari queant per Prælatos Religionum, qui tantæ sunt auctoritatis, quantæ fuerunt eas instituentes. Sed hæc differentia non probatur per omnia Francisco Suarez Primùm, quia non constat, inquit, Regulas ita confirmatas à Summis Pontificibus, vt non possint à Religionibus, quæ illas profitentur, communi consensu & auctoritate mutari, saltē quoad aliquas eius partes; nam mutare totam, esset mutare ipsam Religionum substantiam. 2. nequit Religio suâ auctoritate mutare omnes Constitutiones simul sumptas, quibus quasi constituitur in esse talis Religionis: quia hoc esset destruere suam specialem professionem; non videtur ergo in hoc magna differentia. 3. Approbatæ à Sede Apostolicâ Constitutiones mutari possunt, quando ab eâdem Sede Religio potestatem accepit ad mutationem aliquam faciendam: posset ergo Pontifex idem concedere qnoad Regulam. Ita ferè Suarez. Si tamen eam, quæ modò in Ecclesiâ viget, attendamus praxim, veram existimo S. Antonini sententiam. Passim enim Religiosi Ordines potestatem habent mutandi suas Constitutiones, non autem Regulam. Nam ex Statutis Carthusianorum constat penes Capitulum generale esse potestatem demendi, addendi, vel alterandi aliquid in ijsdem Statutis. Et in prologo nouorum Statutorum expresse dicitur: *Post nimeditam*

Antonin. p. 1. tit. 16. cap. 1. §. 4.

Suarez tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 1. nu. 5.

Constitutiones mutantur.

Cap. 1. primæ part. Antiquor. §. 1 & cap. 3. secundæ part.

A *compilationem Statutorum ac Consuetudinum tripartitam, generale nostrum Capitulum Constitutiones, Declarationesque multas consultè & rationabiliter ordinauit, quarum quasdam pensatâ vtilitate euidenti, consultiùs oportet & rationabiliùs reuocari, seu in melius commutari.* Similiter in Præfatione ad Constitutiones Theatinorum, dicitur, *Penes Capitulum generale per Summorum Pontificum priuilegia esse auctoritatem nouas condendi leges, & veteres abrogandi.* Idipsum confirmatur ex praxi eorum Ordinum, qui nolunt quidquam Constitutionum nomine haberi aut recipi,
B nisi per tria Capitula generalia fuerit approbatum. Ita PP. Prædicatores, Eremitæ S. Augustini, Carmelitæ Discalceati. Bursfeldenses quoque nostri, dum vetant in suo Cæremoniali propriâ voluntate cuiuspiam quidquam mutare, addere, vel minuere; satis declarant, id auctoritate communi totius Capituli licere. De Regulâ autem non legi ab aliquibus vmquam mutationem factam, aut quod hanc auctoritatem vllum Capitulum, aut Congregatio se crediderit habere: licet Summus Pontifex eam possit
C communicare.

Prolog. cōstit. Prædic. num. 6. Augustin. in Prolog. Discalc. part. 1. const. cap. 5. num. 4. Non Regulæ.

IV. Quartum discrimen, quoad aliquos saltem Ordines, desumi posset ex vi & modo obligandi, quàm Regula vel Constitutiones habēt. Ita apud Patres Discalceatos declaratum Regulam, exceptis votis & Officio diuino, ad culpam tantùm venialē obligare: Constitutiones autem nō ad culpam, sed ad pœnam impositam, vel à Superiore imponendam; nisi contemptus adsit, aut contrarium eius, quod statuitur, ex naturâ suâ aut aliūdè culpa sit. Vt autem hîc transf-
D eamus nostræ S. BENEDICTI Regulæ obligationem, de quâ alibi suo loco; declararunt Bursfeldenses, transgressores Statutorum & Ordinationum suarum, duntaxat ad pœnam, & non ad culpam, nisi ex contemptu, obligari. Prædicatores verò, & Eremitæ S. Augustini, nec Regulam, nec Constitutiones volunt obstringere ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, & contemptū. Suarez proinde, generaliter ait Regulam & Constitutiones per se non differre, ex obligatione quam inducunt. Vtra-
E que enim esse potest, vel ad culpam mortalem aut venialem, vel ad solā pœnam, iuxtà intentionem Institutentium, aut acceptantium talem Regulam vel Constitutiones; & secundùm vtramque debent Prælati vniuscuiusque Religionis subditos gubernare.

IV. Discrimen. Constitut. Discalc. p. 1. cap. 1. nu. 4. Constitutionū obligatio. Prolog. ad Constitut. Prædic. & Erem. Suarez to. 4 de Relig. lib. 1. cap. 1. num. 5.

DISQVISITIO IV.

Quàm variæ Monachorum Regulæ?

RELIGIOSVS status cum in veteri lege vatie fuerit adumbratus, & in nouâ iam

iam inde ab Apostolorum temporibus, sæculis singulis, à diuersis fundatoribus, diuersis regionibus & locis propagatus; non vno tamen modo & Regulâ semper & vbique gubernari potuit, aut debuit. Quamuis enim ad vnam Charitatis perfectionē principalis Ordinum quorumcumque tendat destinatio & scopus; diuersâ nihilominus viâ & ratione ad eum ferè nituntur. Et hinc ea, quam vel legimus, vel etiamnum cernimus, existit non Ordinum tantùm, sed & Congregationum eiusdem Ordinis multiplicitas; quarum concinnâ varietate Ecclesia Dei circumamicta. Et iam olim prisci illi Ascetæ (vt Claudius Hemeræus, Sorbonæ Doctor annotauit) pro ingenio suo atque arbitrio conscribebāt sibi traducendæ vitæ singularem quandam rationem; alij à maioribus acceptam excolebant exercebantque seuerissimè. Sic enim Macarium Alexandrinum scribit Sozomenus, nullum non esse Philosophiæ Monasticæ modum expertum, *& instituta alia ipsum excogitasse; alia, quæ didicisset à Magistris, diligenter subegisse*. Et in Sciti, ac Nitriâ, Monachorum olim sibi priuatam Regulam imposuisse pro sensu quemque suo, idem testatur lib. 3. c. 13. hactenus Hemeræus. S. Basilius epist. 79. scribit inuenisse se multos Monachos apud Alexandriam, & reliquam Ægyptum; deinde & alios in Palæstinâ, & in Cælosyriâ, & Mesopotamiâ. Omnes autem hos, pluresque alios vnâ & eâdem, in tam diuersis regionibus vixisse Regulâ, non est admodum verisimile. S. Ephrem Basilio paulò senior, deplorans *relaxationem instituti Monastici suâ ætate nimis inualescentem*, veterum adducit in eâdem Regulâ constantiam. *Sola, inquit, institutio, quæ Patrum nostrorum temporibus vigebat, rectè seruabatur.* Ac deinde: *Sancti, probatissimique olim Patres, iactis firmiter vnius viuendi Regulæ fundamentis perfecti euaserunt; siquidem illum Canonem ac Regulam, quam semel arripuerant, ad finem vsque vitæ sine impedimento aliquo retinuerunt. Nam alij quinquaginta annis, alij pluribus vno continentiæ atque abstinentiæ suæ gradu indefessi cucurrerunt, numquam vitæ Ordinem immutantes.* Similia habet tom. 2. in serm. parænet. de secundo Domini aduentu, & alibi. Epiphanius libr. tertij tomo secundo, varias Monachorum conuersationes & abstinentias recenset; & credibile est, Anachoretas sibi ipsis plerumque viuendi formam, & continentiæ mensuram præscripsisse. In diuersis quoque Monasterijs, diuersæ erant viuendi Regulæ; neque, vt nunc fit, generalem aliquam toti Ordini communem sequebantur.

Regularum multitudo & varietas. — *Hemer. Carthus. peregrin. die 3. cap. 3.* — *In Oriente.* — *Sozom. Hist. Eccl. lib. 3. cap. 13.* — *Ephrem tom. 1. sect. ascetico de vitâ Relig. & monasticâ.*

Cassianus agens de horis Canonicis, & psalmorum numero, ait in Orientis partibus multos *super hâc re diuersos typos ac Regulas sibimet constituisse: totque, ait, propemodum typos ac Regulas vidimus vsurpatas, quot etiam Monasteria cellasque conspeximus.* Et paulò pòst, ait per vniuersam Ægyptum, & Thebaidem vniformem Regulam custodiri. Sed *diuersitates, inquit, typorum ac Regularum per cæteras prouincias cernimus vsurpatas, quòd plerumque Seniorum institutionis expertes Monasterijs præesse audemus, & Abbates nos antequam discipulos professi, quod libitum fuerit, statuimus; promptiores nostrorum inuentorum exigere custodiam, quàm examinatam Maiorum seruore doctrinam.* In præfatione quoque ad Castorem Episcopum, indicat mitiorem fuisse disciplinam Monasteriorum, quæ per Palæstinam vel Mesopotamiam habentur, quàm fuerit Ægyptiorum Regula.

Cass. instit. lib. 2. cap. 2. — NOTITIA REGVLARVM. — *Idem cap. 3.*

In Occidente similem fuisse Regularum institutorumque Monasticorum varietatem, plures testantur. In primis verò ipse Cassianus, qui non obscurè insinuat æuo suo in Gallicanis partibus plerosque Abbates pro suo arbitrio Regulas statuisse; aut iam ante traditis aliquid adiecisse vel ademisse. Nam ad citatum Castorem Episcopum Aptensem, qui vnus est ex Suffraganeis Aquensis siue Taurinensis Archiepiscopi in Galliâ, ita scribit: *In eo quoque præceptis tuis satisfacere studebo; ut si quid fortè non secundum typum Maiorum antiquissimâ constitutione fundatum, sed pro arbitrio vniuscuiusque instituentis Monasterium, vel diminutum, vel additum in istis regionibus comprobauero, secundum eam quam vidimus Monasteriorum Regulam, per Ægyptum, vel Palæstinam antiquitus fundatorum, fideli sermone, vel adijciam vel recidam.* Ita ille. Cæterùm Iacobus Sirmondus notis ad Epist. 17. lib. 7. Sidonij Apollinaris annotauit, Primis illis sæculis ante receptam S. BENEDICTI Regulam, singulorum fermè cœnobiorum proprias fuisse leges & statuta; quòd veritati consentaneum esse, plures attestantur. S. enim Hildegardis huc, vt credo, spectauit, cùm in expositione Regulæ, ita locuta est: *Ante tempora Beati Patris huius* BENEDICTI, *nullâ certâ Regulâ Monachi confirmati, diuersè incertitudine & instabilitate hac & illoc vagabantur, certo Magisterio & certâ locatione carentes.* Quæ ita forsitan intelligi queant, vt significauerit nullam fuisse vniuersalem Regulam, omnibus aut pluribus Monachis præscriptam, sed pro Monasteriorum diuersitate, diuersa fuisse Monachorum instituta, & magnam hinc ortam instabilitatem; cùm ab vno ad aliud Monachi transirent cœnobium, & aliud subinde appeterent institutum. Goffridus Vindocinensis idipsum testari videtur, cùm ita scribit: *Fuerunt ante S.* BENEDICTVM *Abbates & Abbatum institutiones, sicut ante Christum Legisla-*

Et Occidente. — *Etiam ante S. BENEDICTI.* — *Vindocin. serm. de S. Benedicto.*

NOTITIA REGVLARVM. *Legislator extitit Moyses.* Et aliquibus interiectis: *Antiquorum sanctio Patrum quasi veteris legis cultores habuit. Post autem & discretus Pater* BENEDICTVS *illorum statuta tanquam dura legis austeritatem temperans, nos noua gratia filios procreauit.* Ita ille. Sed & viuente S. Patre BENEDICTO, & aliquot etiam post eius obitum annis, autequam passim in monasterijs eiusdem esset recepta Regula, varias extitisse viuendi formas, patet ex Epistolâ Bernardi Abbatis Monasterij Fundani ad Simplicium, tertium à S BENEDICTO Cassinensem Abbatem, circa annum 550. datâ; quam Constantinus Bellottus ex Cassinensi Bibliothecâ publicauit, in quâ ita dicitur:

Italia monasteria quando Benedictinorum facta. *Experientiâ compertum est, multorum rectorum mores varias viuendi normas in monasterijs peperisse. Hinc factum est, vt iam omnia monasteria Campaniæ, Samnia, Valeria, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum prouinciarum Italiæ, certâ & rectam Regulam viuendi, quam Sanctissimus & Deo acceptissimus* BENEDICTVS *Magister tuus instituit, seruare decreuerint: vt iuxtà illam viuentes neque ad dexteram, neque ad sinistram declinare præsumant.*

Sed quàm variæ fuerint Religiosorum hominũ leges, in particulari magis poterit cognosci, cùm ex eo quòd de diuersis admodum Regulis apud plerosque Authores mētio fiat; tum quòd iam inde ab octingentis annis notæ fuerint complures Patrum Regulæ. Benedictus enim Anianæ Abbas, qui obijt anno Christi 821. composuit ex illis suã REGVLARVM CONCORDIAM, quam Trithemius, & alij eum secuti, tribuunt S. Benedicto Biscopio, Anglo. Sed eius nō esse, probat Hugo Menardus, qui hanc *Concordiam* edidit. In eâ autem citantur viginti sex Regulæ, videtur autem ipsemet primus eas variè sparsas collegisse, & in vnũ corpus redegisse: nam Ardo vitæ eius Author, ita scribit: *Fecit denique librum ex Regulis diuersorum Patrum collectum, ita vt prior beati* BENEDICTI *Regula cunctis esset, quem omni tempore ad collectam matutinã legere iussit.* Ex hoc autem concinnatum ab eo esse REGVLARVM CONCORDIAM, ibidem mox subdit. Dubitat verò Menardus, an liber ille adhuc extet, & an idem sit, cuius mentio fit in Testamento S. Gennadij Episcopi Asturicensis, inter libros, qui ab eo dautur Monasterio S. Petri de Mōtibus: hoc titulo, LIBER REGVLARVM VIRORVM ILLVSTRIVM. Ego verò eũdem esse vix dubito; Chronographus enim noster Antonius de Yepez, agens de monasterio Lirinensi, ait se in monasterio S. Petri de Arlancâ, in Asturicensi diœcesi, inuenisse Gothicis litteris exaratũ librum: titulo, REGVLÆ PATRVM; in quo Regulæ hoc ordine erant dispositæ: S. Macarij, S. Pachomij, S. Basilij, S. BENEDICTI, S. Fructuosi, S. Isidori & Cassiani. Liber hic, ait, penes me est; quem vt monile præteriti temporis magni facio, & Deo iuuante omnes has Regulas, & alias quasdam, quæ supersunt, ad communem Religiosorum vtilitatem prelo subijciam. Idemque ferè repetit tomo 2. tractans de Monasterio S. Petri de Montibus, aitque librum fuisse scriptum per Herencum Presbyterum, regnante Rege Ordonio. Hic ergo liber à Gennadio Episcopo Monasterio S. Petri de Montibus datus, à Monachis S. Petri de Arlancâ facilè potuit describi; atque ibidem vsque ad hæc nostra tempora asseruari.

Concordia Regularum XXVI.

Hispanis cognita.

Tom. 1. ad ann. Christi 558. cap. 2.

Tomo 2. Anno 646. cap. 3.

Verùm in Germaniâ non paulò minùs nota videtur fuisse hęc Regularũ collectio; plerasq; enim citat Trithemius lib. de proprietate Monachorum. Habuit porrò R. P. Heribertus Rosweydus MS. codicem vetustum ex Treuirensi S. Maximini, Ordinis nostri monasterio, & alium Monasterij S. Pantaleonis inde descriptum, in quo omnes hæ Regulæ (exceptâ S. Valerij) & aliæ nonnullæ habētur, & publici iuris, vt mihi non semel dixit, aliquando facere meditabatur. Easdem mihi communicatas curaui describi, ijs tantum exceptis, quæ typis sunt expressę. Tertium porrò libri huius exemplar ex Treuirensi expressum asseruatur Coloniæ in monasterio SS. Corporis Christi Canonicorum Regularium.

Et Germanis. Trithem. de propriet. Monach. cap. 9.

His porrò si adijciantur, quæ alibi reperiuntur Regulæ, & quæ sequētibus deinde sæculis post eam collectionem sunt editæ: non exiguus earum apparebit numerus, simulque varietas. Concinnaram ab aliquot annis omnium, quas reperire potui Regularum Catalogum, quem cum Viro amico communicassem; & exscripsit, & suum inde Elenchum concinnauit: ratus fortassis, adeò Monachis nihil esse proprium, vt tutò etiam eorum labores liceat delibare. Hîc verò plures exhibemus Regulas, & de singulis, pro modulo nostro, paulò accuratiùs inquirimus.

DISQVISITIO V.

Quænam Regularum *diuisiones?*

EX tot tamque multiplicibus Regulis non difficile fuerit earumdem differētias, & *Diuisiones* quasdam annotare; quarum non inutilis Lectori notitia.

PRIMA DIVISIO.

PRIMò itaque, à loco in quo scriptę, vel in quo degebant illi, quibus præscriptæ sunt Regulæ, diuidi possunt in Oriētales, & Occidentales. Factâ enim diuisione Romani Imperij, duobus videlicet Imperatoribus in partes succedentibus; Ecclesia Occidētalis dicta

dicta est, quæ Imperio Occidentali continebatur: Orientalis verò, quæ Orientali. Illa Italiam, Germaniam, Galliam, Africam complectebatur. Vnde & Romana, & Latina, siue Latinorum Ecclesia dicta est. Hæc Illyricum, Syriam, Ægyptum, Græciam, aliasq; regiones versus Orientem solem sitas. Cæterùm ista Ecclesiarum distinctio (vt annotat Baronius) non ex situ orbis, secundum exactam Cosmographorum descriptionem facta est, sed pro ratione partiti Romani Imperij, vt dictum est. Vnde illud accidit, vt interdum quæ in meridie potiùs collocandæ essent, inter Orientales reperiantur adnumeratæ; & contrà Occidentales item dicantur, quę spectant ad meridiem, aut Septentrionem: nō alia quidem ratione, quàm quòd illæ Orientalis, hæ Occidentalis partes essent Imperij. Vt autem Orientales ab Occidētalibus in Ecclesiasticis ritibus sępè differebant, ita varia quoque erat, nec vniformis monastica disciplina Regulis descripta. Orientales Regulæ sunt, Basilij, Pachomij, Macarij. Item Regula S. Serapionis, Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij Abbatis, & aliorū triginta quatuor. Regula Posthumij, Oriesis, & illa quæ proprio nomine vocatur Regula Orientalis. Item Regula Acœmitarum, & Theodori Studitę, &c. Occidentales Regulæ sunt pleræque omnes præter enumeratas. Eodem modo à loco in quo Auctores vixerunt, distingui possunt Regulæ, vt aliæ sint Italicæ; vt Adeodati, Regula S.P.N. BENEDICTI, S. Petri Damiani, Ordinis S. Marci de Mantuâ, S. Francisci, Clarissarum. Aliæ Hispanicæ; vt S. Leandri, S. Isidori Hispalensis, Valerij, Ioannis Gerundensis, Fructuosi Episcopi, & alterius Fructuosi. Aliæ Gallicæ; vt Cassiani, Lirinensium, Agaunensium, S. Cæsarij Arelatensis, S. Aureliani, S. Ferreoli, S. Columbani, Donati Archiepiscopi Vesuntionensis. Aliæ Hibernicæ; vt S. Patricij, S. Aluei Imlechensis Abbatis, & Episcopi, S. Columbæ, siue Columbani, Pictorum & Scotorum Apostoli, S. Congelli, Brendani, Kierani, Brigidæ Virginis, Adamnani, Molassi &c. Atque ita à Patriâ, quam Regularum Conditores inhabitarunt, multiplex potest esse Regularum diuisio: in quâ hoc notandum, quòd eiusdem regni & prouinciæ Regularum Scriptores, inter se vtcumque conueniāt, & posteriores subinde priorum inhæreant vestigijs.

Romani Imperij diuisio.

Baron. anno Christi 431.

Regulæ Orientales.

Occidentales.

Italicæ.

Hispanicæ.

Gallicæ.

Hibernicæ.

SECVNDA DIVISIO.

SECVNDÒ, distinguuntur Regulæ, quòd aliæ viris, aliæ fœminis sint scriptæ: Credidit quidem, olim Heloissa Petri Abaëlardi prius coniunx, deinde facto diuortio, prima Paracletensis Monasterij Abbatissa, nullam à Sanctis Patribus Sanctimonialibus ad sua vsque tēpora præscriptam Regulam: quare Petro Abaëlardo ita scribit: *Alterum verò est, vt aliquam nobis Regulam instituas & scri ptam dirigas, quæ fœminarum sit propria, & ex integro nostræ conuersationis statum habitumque describat, quod nondum à Patribus sanctis actum esse conspeximus. Cuius quidem rei defectu & indigentiâ nunc agitur, vt ad eiusdem Regulæ professionem tam mares quàm fœminæ in monasterijs suscipiantur, & idem institutionis monasticæ iugum imponitur infirmo sexui æquè vt forti. Vnam quippe nunc Regulam beati* BENEDICTI *apud Latinos fœminæ profitentur æquè vt viri. Quàm sicut viris solummodò constat scriptam esse, ita & ab ipsis tantùm impleri posse tam subiectis pariter quàm Prælatis.* Sic illa.

NOTITIA REGVLARVM.

Heloissæ hallucinatio.

Epist. 6. inter Petri Abaëlardi.

Sed ignorantiâ laborauit mulier doctissima, & in SS. Patribus egregiè versata. Cōstat enim Pachomium habuisse subditas sibi Sanctimoniales quadringentas, trans fluuium Nilum, ex aduerso Monasterij Tabēnensis, vt refert Palladius, degentes. Quamuis autem hoc monasterium haberet eandem viuendi formam, & idem cum viris institutum, præter pellem ouillam; præscripsit tamen ipsis Pachomius, quæ peculiariter seruare deberent. Regulæ enim eius articulus 82. præfixum habet titulum, DE PVELLARVM DISCIPLINA. Et Hieronymus scribit S. Marcellam ab Alexandrinis Sacerdotibus, & S. Athanasio didicisse *Monasteriorum in Thebaide Pachomij, & Virginum, ac viduarum ab eo institutarum disciplinam, nec erubuisse profiteri quod Christo placere cognouerat.* Qualis Regula seruata fuerit in Virginum Monasterijs, à Paulâ Romanâ conditis, idem Hieronymus exponit. Verùm, vt propiùs ad rem veniamus, certissimum est, B. Augustinum suam ad Sanctimoniales à se institutas scripsisse Regulam. S. Cæsarius Arelatensis peculiarem Sanctimonialibus scripsit Regulam, vbi statim in exordio ait: *Quia multa in monasterijs Puellarum, aut Monachorum instituta distare videntur; elegisse se pauca de pluribus, quæ specialiter huic sexui apta esse perspexerit.* Imitatus eundem est Successor eius Aurelianus, conscriptâ itidem ad Virgines Regulâ. S. Leander Hispalensis Florētinæ Sorori suæ, & quæ eidē parebant, Monialibus, Regulam Constitutionemque præscripsit. Regula etiam Cuiusdam ad Virgines, siue, vt vocat Trithemius, *Serui Dei ad Sorores*, præcedit ętatem Heloissæ & Abaëlardi. Citata enim inuenitur à Smaragdo in Commentario ad Regulam S. BENEDICTI. Nec est quod Heloissa cōqueratur, ad Regulam S. BENEDICTI viris tantū pręscriptam, viuere moniales; idemq; institutionis monasticę iugum imponi infirmo sexui æquè ac forti? Illud enim SS. Patribus neutiquā absonum videba-

Monialibus scriptæ olim Regulæ.

Pallad. in Lausiac. cap. 39.

Hieronym. Epist. 16. ad Princip. Virg.

Idem Epist. 27. ad Eustoch.

Trithem. lib. de propriet. Monach. cap. 5.

Smaragd. ad cap. 36. Reg. S. Bened.

NOTITIA REGVLARVM. *Quædam viris & fœminis communes.* Aug.

videbatur: & mox vidimus eamdem fuisse Tabennensium Virorum, ac Virginum disciplinam. Augustinus quoque postquam de Monachorum egerat vitâ, subdit deinde de Monialibus, quæ cisdem Legibus & Institutis viuebant: *Hæc est, inquit, etiam vita fœminarum Deo solicitè casteque seruientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris, quàm longissimè decet, piâ tantùm illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis ad quas iuuenum nullus accessus est.* Et ipsa S. Augustini Regula Viris, ac mulieribus communis est. Vnam candemque S. Alberti Regulam profitentur tam Fratres, quàm Sorores Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo; vt minimè iam mirandum sit, sub S.P.BENEDICTI Regulâ, tot sæculis, iam inde à S. Scholasticâ vsque ad hæc tempora, tot vixisse, atque etiamnum viuere Ordinis nostri Sanctimoniales; quarum ingens numerus cælitibus adscriptus est. Nec operæpretium putauerunt, aut Summi Pontifices, aut Concilia, alijve Superiores, aliâ monialibus Benedictinis præscribere Regulam. Quòd si in eâ S.BENEDICTI Regulâ quædam occurrant fœmineo sexui non satis accommodata; ea facile est agnoscere, & transilire. Sed iam olim huic incommodo occurrendum censuit S. Donatus Archiepiscopus Vesontionensis, qui Christi anno 661. vixit. Is enim ex S.Cæsarij Arelatensis Episcopi, beatissimorum BENEDICTI, & Columbani Abbatum vnam coaceruauit Regulam; & quæq; specialiùs fœmineo competeret sexui, promulgauit. Alij per specialia monialibus præscripta statuta, satis superque specificauerunt, quæ earum sexui magis conuenirent. Ex hoc fonte emanauit, quæ Parisijs Gallicè impressa est *Magna Regula Sanctimonialium Ordinis* S.BENEDICTI *reformatarum per Stephanum Pouchier Parisiensem Episcopum*; in quâ constitutiones ipsiusmet Regulæ textui sunt permixtæ.

Vt autem hîc prætereamus Petri Abaëlardi Regulam Paraclctensibus Monialibus scriptam; magnus ille Minorum Pater Franciscus Sororibus S. Claræ Regulam scripsit. Extat quoque Regula Sororum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paulâ, vti & Annuntiatarum à Leone X. confirmata.

Regul. Salnat.cap.12. Reuelat. lib.8.

Adiungere hîc licet, non deesse Regulas vtrique sexui promiscuè scriptas; qualis in primis est Regula Saluatoris, data diuinitus ab ore Iesu Christi Sanctæ Birgittæ, quæ inter eius opera habetur; in eâ autem præscribitur monialium numerus sexaginta, Sacerdotum tredecim, Diaconorum quatuor, laicorum octo, ac deinceps tam de Fratribus, quàm Sororibus mixtim Regula loquitur. Sed quod non parum mireris, Regula S. Fructuosi Bracarensis Archiepiscopi non tantùm de viris, & fœminis, sed & de vxoribus & filijs agit. Capite enim 6. ita decernitur: *Cùm venerit quispiam cum vxore vel filijs paruulis, id est, infra septem annos, placuit sanctæ communi Regulæ, vt tam parentes quàm filij in potestatem se tradant Abbatis.* Præscribitur deinde: *Nullam corporis sui potestatem habeant: Et neque parêtes solliciti sint pro filijs, neque filij pro parentibus, neque communem confabulationem habeant, excepto si non authoritas Patris preceperit. Illos tamen paruulos quos adhuc in* [d] *repudia videmus tenerulos propter misericordiam concessam, habeant licentiam quando voluerint ad patrem aut ad matrem pergant, ne fortasse parentes pro ipsis in vitio murmurationis cadant, quia solet pro eis grandis in monasterio murmuratio euenire, sed inter vtrosque foueantur quousque quantulumcumque Regulam cognoscant, & semper instruantur siue sint pueri siue puellæ, monasterio pronocentur, vbi habitare futuri sunt.* Capite tamen 15. præscribitur, ne Monachi cum Sororibus simul degant, aut in vno sint conclaui. De his verò vtriusque sexus monasterijs ita scribit Ambrosius Morales: *Hic notandum est in omnibus monasterijs tunc temporis Monachos & Moniales simul habitasse. Dico simul, quia numquam repe-riebatur Monasterium virorum, quin simul esset & fœminarum; & hi, prout ait S. Eulogius, solo muro distinguebantur. Tunc temporis sic fiebat, sed postea maior sequestratio facta est, vt fit modò.* Ordo quoque à Gilberto de Sempingham institutus, ex viris & mulieribus constat, quæ tamen ita erant conclusæ; vt nemini ad eas accessus *solaque fenestra pateret, per quam* (vt Nicolaus Harpsfeldius ait) *cibaria eis inferebātur. Ad quod munus puellæ quadam pauperiores, quas Laicas appellant, inseruiebant. Quæ & ipsæ postea monastico voto illigatæ sunt. Adiecit deinde & viros quosdam, qui exteriores rusticasque monasterij res obirent, qui & ipsi tandem toti ex monastico præscripto, cui se palam solemni contestatione deuouebant, viuebant.* Eugenij Papæ III. authoritate, *& S. Bernardi consilijs animatus piè cœpta feruentiùs prosecutus est. Addidit etiam & Canonicos viros & sacro sacerdotio & litteraturâ insignes; qui nouæ huius multitudinis mentes sacris concionibus reficerent, acuerentq; ad omnem pietatis feruorem, qui sacra obirent, & sacramenta, cùm res postularet, ministrarent.*

Coniuges cum filijs in eodem monasterio.

d Fortè repudia.

Ambr. Moral lib. 14. cap.7.

Duplicia monasteria.

Harpsfeld. hist. Anglic.sæcul. 12. cap.37.

Notandum verò in hisce duplicibus monasterijs duplicē olim fuisse regiminis formam: aliquando enim fœminæ viris; aliquando contrà, viri fœminis erant subiecti. Sancta enim Hildegardis in monte S. Disibodi, vbi Monachorum erat cœnobium, inclusa vixit sub obedientiâ Abbatis & monachi cuiusdam, quem sibi magistrum proposuerat. Scribitur autem ex illo suæ reclusionis habitaculo cum decem & octo puellis Deo sacratis ad montem S.Roberti propè

Viris fæminis præsunt.

Theodor. Abb lib.1. vit.S Hildegard.

propè Bingam commigrasse, quæ omnes moniales anteà Abbati S. Disibodi subfuerant.

Fœmina viris.

Contrà. In Ordine Fontis-Ebraldi Uiri Religiosi æquè ac Moniales Abbatissæ subsunt, quæ in omnes tùm viros, tùm fœminas, ius summum obtinet: vt viri S. Ioannis Euangelistæ exemplo, virginibus seu mulieribus parerent, & hæ vicissim B. Virginis exemplum sequentes, Religiosos tanquam filios amplecterentur. De quo Ordine vide Baroniū, & Miræum in Originibus monasticis. Scribit verò Chrysostomus Henriquez in primâ Ordinis Cisterciensis fundatione vsitatum fuisse, vt multi ad statum Monachorum, seu Conuersorum in ipsis fœminarum monasterijs admitterentur; vt in vitâ beatæ Beatricis de Nazareth apertè habetur, & passim apud antiquos Scriptores legitur. Quòd præsertim in Camerâ B. Mariæ familiare fuit, vbi præter conuentum Virginum, non pauci viri Religiosi residebant: è quibus aliqui diuinis ministerijs vacabant, alij rerum temporalium administrationi incumbebāt: de quibus expressam mentionem facit Henricus, Henrici primi Ducis Brabantiæ filius, in Priuilegio eidem Cœnobio concesso, & extat inter Donationes Belgicas Miræi lib. 1. cap. 99. In hoc monasterio Cameræ B. Mariæ, habitum Cisterciensem induit B. Bonifacius Lausanensis Episcopus. In Hispaniâ quoque Monachos alicubi Abbatissæ subiectos, auctor est Yepez, ita loquens: In antiquâ chartâ fit mētio monasterij S. Iuliani de Pedrenales, quod erat Sanctimonialium Era 464. in quâ hæc habebantur verba: *Hostiā Abbatissā regente ibidem Monachorum cateruam.* Sed & Heraclides in Paradiso, scribit se Romæ nouisse Asellam Christi Virginem, *multorum curam illic gerentem, vbi viros etiam cum coniugibus suis vidi, Monachorum eo tempore vitas & instituta discentes.*

Baron to. 12. an. Christi 1117.
Miræus lib. 1. Origen. monast. c. 10. Henriq. in menolog. Cister. 19. Februa.
Yepez ann. Christi 537.
Heraclid. cap. 29.

TERTIA DIVISIO.

Vt duplex bonorum Monachorum apud priscos Auctores inuenitur genus, Cœnobitarū scilicet, & Anachoretarum; ita possunt totidem Regularum constitui differentiæ, vt aliæ dicantur Cœnobiticæ, quæ eos dirigant; qui, vt Cassianus loquitur: *In Congregatione pariter consistentes vnius Senioris iudicio gubernantur.* Aliæ Anachoreticæ, vel Eremiticæ ijs scriptæ, *qui prius in Cœnobijs instituti, iamque in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegēre secreta.* Vt autem vtriusque professionis diuersus est finis, ita quoque distinctas possunt habere Regulas. *Finis* enim *Cœnobitæ est omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, ac secundùm Euangelicæ perfectionis salutare mandatum nihil de crastino cogitare. Eremitæ verò perfectio est exutam mentem à cunctis habere terrenis, eamque quantum humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo.* Et quidem vt à Cœnobitarum disciplinâ ad Anachoreticam vitam benè probati transmigrare solent Monachi: ita Regulæ pœnè omnes vitæ Cœnobiticæ sunt directrices; rariores autem vitæ Anachoreticæ, quòd illis scilicet, vt iam fermè perfectis, vix vlla videretur constituēda lex; vel quòd Eremitæ ipsi sibi pro ingenio suo atque arbitrio traducendæ vitæ singularem conscriberent Regulam. De Celliotis enim ab aliorum cœtu secretis Sozomenus ait: *Has, inquit, cellulas incolunt hi, qui ad id quod in monasticâ disciplinâ summum est peruenerunt; seq; ipsos ritè instituere & soli vitam degere possint: propter quietem ab illis seiuncti.* Non desunt tamen Anachoretis peculiariter conscriptæ Leges. Magnus enim Basilius Monasticas scripsit *Constitutiones, tam ad eos qui in societate cum cæteris, quàm ad eos qui solitariam ipsi seorsum vitam agunt*, pertinentes: & horum quidem viuendi normam prioribus capitibus septemdecim; Illorum verò totidem sequētibus explicat. Quâ Regulâ Anachoretæ vixerint in maximâ Laura S. Gerasimi, qui Iordanis solitudinis incola fuit & patronus, summatim explicat in vitâ S. Euthymij Cyrillus monachus. Sed & S. Sabas, vt habet Metaphrastes, *Lauram extruxit maximam eorum qui sunt in Palæstinâ, & ab omnibus, qui vitam elegerant Anachoreticam, Pastor est agnitus, eis effectus Regula ad sanctitatem, nam & mores eis tradidit & LEGEM imposuit.* Iam vt prætercam quæ de Anachoretis nō vno loco habet Cassianus; Eremitarū Regulas, & viuendi instituta, optimè digessit S. Petrus Damiani Opusc. XV. quòd inscripsit Stephano, amore supernæ claritatis Incluso. Extat quoque Regula Inclusorum in Bauariâ Sanctâ Raderi. In MS. Regularum Codice monasterij S. Maximini Treuiris bene longa est Solitariorum Regula capitibus 67. distincta, de quâ infrà hoc ipso Libro. Nota & antiquis hæc Anachoretarum fuit forma, vt duo simul eandem incolerēt cellam; vnde inter Monachorum culpas à Cassiano refertur: *Si cum illo qui cellulæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcum que præsumpserit.* Idemq; alio loco ait, vnumquemque Monachum, finito Officio, recurrere *ad cellulam quam aut solus, aut cum alio tantùm inhabitare permittitur, quem scilicet societas operationis, vel discipulatus & disciplinæ imbutio copulanit, vel certè quē similitudo virtutum cōparem fecit.* Hos autem vnius cellæ cohabitatores Collatione 20. cap. 2. *Syncellitas* vocat; Sidonius *Concellitas*; Eunomius *Concellaneos*. Quamuis autem hæc de Cœnobitis quis velit interpretari, crediderim tamē Anchoretis fuisse cōmunia. Climacus enim triplex bonorum Monachorum constituit genus:

Regula Cœnobitica.
Cassia. collat. 18. c. 4.
Ibidem.
Cassia. collat. 19. c. 8.
NOTITIA REGULARUM.
Sozom. lib. 6. cap. 31.
Anachoretica.
Cyrill. monach. apud Surium to. 1. 20. Ianua. Metaphr. in vita.
Tractat. 8. Disquisit. 2.
Duo in vna cella habitantes.
Cassian lib. 4. cap. 16.
Idem lib. 2. cap. 12.
Sidon lib. 8. Epist. 14.
Gradu 1.

NOTITIA REGULARUM. genus: *In tribus*, inquit, *maximè principalibus statibus monastico continetur vita. In Anachoreseos. In vnius vel duorum contubernio. In cœnobij cum tolerantiâ commoratione.* Medium autem illum vitæ statum, nimirum vt cum vno, vel duobus degas, multis ait maximè conuenire. Scriptum siquidem est: *Væ Soli, quoniam cum* vel in socordiam, vel somnum, vel ignauiam, vel desperationem *ceciderit, non habet* inter homines, *sublenantem se. Vbi* verò, *duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum*, dicit Dominus. Hæc Climacus.

Eccl. 4.

Matth. 18.

Carmelita inter Eremitas.

Sed vt ad Eremiticas redeamus Regulas. B Primitiua Carmelitarum Regula, prout ab Alberto Patriarchâ Ierosolymitano præscripta est, Anachoreticam cōplectitur vitam; vt ex ipso satis patet textu. Capite enim secundo dicitur: *Loco autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint ad vestro religionis obseruantiam apto & commodo.* Et capite tertio: *Praterea iuxta situm loci quem inhabitare proposueritis, singuli vestrûm singulas habeant cellas praporatas.* Hanc porrò Regulam ait Thomas à Iesu, solam & vnicam esse ex Regulis ab Ecclesiâ approbatis, quę eremiticam vitam decernat.

Thom. à Iesu in Regul. Carm. part. 1. dub. 7.

Ad Anachoreticæ vitæ institutum spectant quoque Carthusianorum, & Camaldulensium Constitutiones.

QVARTA DIVISIO.

Regulæ Oeconomicæ.

Regularū aliæ sunt œconomicæ, aliæ politicæ. Oeconomicas voco, quę vnam dumtaxat domum siue cænobium dirigunt: & tales sunt omnes antiquorum Patrum Regulæ, etiam S. P. N. BENEDICTI. Quamuis enim in eâ diuersarum fiat mentio prouinciarum; &, *Secundùm locorum qualitatem, vel aëris temperiem* vestimenta danda: *quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus*; non tamen eam fecit monasteriorum subordinationem, vt vnus esset Generalis, & summum Caput, à quo reliqui ceu membra dependerent; vt factum in Ordinibus posterioribus. Quod autem mētionem facit diuersarum regionum, id inde factum; quòd sciret in Monachismi propagatione, vnum Monasteriū ab altero plerumque Regulam accipere, vel illius formam imitari; atque ita secundùm locorum qualitatē vestimenta, & si quæ sunt alia, iubet attemperari; vt ex eo capite Regula ipsius tanquam vni loco nimis præcisa & stricta, in alijs forsitan non possit introduci.

Regul. cap. 55.

Politica.

Politicas voco, quæ integrum dirigunt Ordinem in varia membra sub vno Capite diuisum: & in his Regulis describūtur non tantùm domesticorum Officialium munia; verùm etiā totius Ordinis Generalis, Prouincialium, Visitatorum, Definitorum, Cōsultorum &c. Tales sunt, Regula Ordinis A Sāctissimæ Trinitatis, in quâ agitur de Ministro Maiore, & Capitulo generali: Regula quoque vtriusque Francisci, Minorum scilicet, & Minimorum, fundatorum; & Regula Societatis Iesu.

Regul. SS. Trin. n. 60.

Quamuis autē alij plerique Ordines Regularem hanc habeant politiam, & sub vno Capite in varias Classes diuisi sint; illam tamen subordinationem magis à Constitutionibus, vel summorum Pontificum institutione habent, quàm ab ipsâ Regulâ.

QVINTA DIVISIO.

Desumitur hæc ex approbatione; vt aliæ dicantur Regulę approbatę, alię nō approbatæ. Rursus approbatæ diuidi possunt in eas, quas Summi Pontifices, & in eas, quas particulares Episcopi suo calculo cōfirmarunt. Quin & inter approbatas à Sede Apostolicâ, hęc est distinctio: quòd quarumdam approbatio Corpori Iuris Canonici inserta sit, aliarum verò in particularibus dumtaxat Diplomatibus inuenitur.

Hæc quò meliùs intelligantur, notādum: vt alicui hominum cœtui certa pręscribatur viuendi formula, quæ cum substantialibus Religiosi status votis eos dirigat ad perfectionem; requiratur iudicium, & approbatio Ecclesiæ: ne fideles decipiantur, sequentes aliquam Regulam, quæ præscribat modum viuendi saluti contrarium, vel perfectionem fortassis impedientem, aut ad illam nihil omninò conducentem. Hinc in Concilio Lateranensi decretum, vt *qui voluerit Religiosam domum de nouo fundare, Regulam & institutionem assumat de Religionibus approbatis.* Et hoc modo Ordines Mendicantes à Sede Apostolicâ approbari fuerunt. S. Franciscus Primam quam scripsit Regulam, Innocentio III. & Secundam Honorio itidem III. confirmādam obtulit; vt auctor est S. Bonauentura. Antiquiores verò Regulæ, vt docet Suarez, non à Summo Pontifice immediatè fuerunt approbatæ; *sed initium eius ad illum Episcopum spectabat in cuius Diœcesi primum Monasterium incipiebat: quod si aliud simile in aliâ diœcesi erigendum erat, ad eius Episcopum approbatio spectabat. Qui non tenebatur alterius iudicium sequi, cum non esset in hoc Superior, nec eius approbatio esset canonica, seu vniuersalis, & ita procedebatur donec tam generalis fieret Religionis approbatio, vt tacito consensu vniuersalis Ecclesiâ approbata censeretur; & hoc modo veteres Religiones Monastica & Clericorum approbationem meruerunt, & obtinuerunt.* Sic ille. Quod etiam confirmatur ex eo, quod in Capitul. *Abbates* 18 q. 2. & 3. dicitur: *Monasteria & Monacharum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituto.* Affert deinceps Suarez loco suprac it. c. 17. Religiones (siue Regulas) S. Basilij, S. Augustini, S. BENEDICTI,

Regulæ approbari debent.

Concil. Lateran. cap. vlt. de Relig. domib.

A Summo Pontifice.

Bonauentura cap. 3. & 4. in vitâ S. Francisci

Suarez tom. 3. de Relig. lib. 1. cap 13. num. 17.

Olim quædā ab Episcopis approbata.

NEDICTI, folâ Epifcopi approbatione primùm fuiffe introductas, & Bafilium & Auguftinum tanquam Epifcopos fuâ auctoritate pro fuis monafterijs approbaffe: quod & de alijs Epifcopis, S. fcilicet Martino Turonenfi, Cæfario Arelatẽfi, Aureliano eiufdem Sedis, Ifidoro Hifpalenfi, Fructuofo Bracarenfi, dici poteft. De Regulâ S BENEDICTI ex profeffo agemus alibi. Regula S. Antonij, vel modus ipfius viuendi, Regula S. Pachomij, Macarij, aliorumque Orientalium, approbatæ, vt credo, fuerunt à S. Athanafio, qui Antonij vitam defcripfit, & Tabennam Pachomij inuifit. Regula S. Columbani approbata eft in Concilio Matifconenfi. Probabile denique eft, nullas vfpiam in monafterijs feruatas fuiffe Regulas, quæ non tacito, vel expreffo Epifcoporum confenfu & iudicio fuerint approbatæ.

Infrà lib. 1. Tract. 4. difq. 1.

Regula reprobata.

Non approbatæ Regulæ, quæ necdum legitimâ Ecclefiæ authoritate confirmationis robur acceperunt, ficuti illæ, quæ ad experimentum tantùm in principio propofitæ fuerunt. Qualis videri queat Regula Sanctimonialium, quam Paracletenfi Monafterio præfcripfit Petrus Abaëlardus. Quamquam hæc Regula inter opera ipfius Parifijs edita, plurimum commendetur. Maximè autem inter non approbatas recenfendæ, quæ vel hæreticos habuerunt auctores, vel pofitiuo Ecclefiæ iudicio funt reprobatæ: Quo nomine reijcienda fcripta Euagrij Pontici Origeniftæ, de quo Hieronymus: *Euagrius Ponticus Hyperborita, qui fcribit ad Virgines, fcribit ad Monachos &c.* Vide Rofweydum Prologomeno 4. ad vitas Patrum §. 5. Et in notis ad librum 2. num. 45. & ad Paradifum Heraclidis numer. 26. In Concilio Gangrenfi damnatus eft Euftatius, fiue, vt Baronius exiftimat, Eutactus, qui monachifmo adeò fauebat, vt reliquos Chriftianorum ordines fperneret, matrimonium & efum carnium damnaret, pallioque cum fuis vtens, tanquam ex eo inftitiam habens, defpiciebat eos, qui communibus, & folitis vtebantur veftibus; aliofque plures docebat errores. Scribit quoque Paulus Æmilius: *Per idem tempus* (circa annum 1212.) *Ordines duo facri exorti funt, Prædicatorum, Minorumque: duoque abrogati, Humilium (ita fe vocabãt) & Pauperum à Lugduno, cõditore huius fuperftitionis Waldone Lugdunenfi. Illi humilitatis nomine munia quibus Curatores animarum Sacerdotes iure funguntur, fibi arrogabant, confeffiones arcanas audiebant; ac velut ipfi expiandi ius haberent, noxas foluebant. A liberalibus artibus cum abhorrerent, concionabantur tamen, regimen animorum fibi vendicabant. Pauperes à Lugduno (ita enim vocitabantur) neque fundos fui iuris neque certas fedes habere volebant, Lucius Pontifex maximus vtramque fectam damnauerat.* Hactenus ille.

Hieronym. Epift. ad Ctefiphontem.

Paulus Æmil. lib. 6. de geftis Franc.

Quemadmodum autem Ordines Templariorum, & Humiliatorum Sedis Apoftoli cæ authoritate extincti funt; ita minimè dubium, quin Pontifex abrogare quoque poffit Regulas, cùm ità expedire vifum fuerit.

NOTITIA REGVLARVM.

Hîc prçtereà annotandũ, non effe vfquequaque verum, quod poft S. Antoninum communiter dici folet; quatuor tantùm effe Regulas ab Ecclefia approbatas, Bafilij fcilicet, Auguftini, BENEDICTI, & Francifci; quamuis enim hoc de folâ Summi Pontificis approbatione intelligeretur, nihilominus facillimũ fuerit quatuor alias, fortè etiam plures, Summi Pontificis authoritate confirmatas inuenire. Regula enim Sanctiffimæ Trinitatis confirmata eft ab Innocentio III. Regulam Carmelitarum ab Alberto Ierofolymorum Patriarchâ cõfcriptam, Innocentius IV. alijque Pontifices approbauerunt. Regula ex fcriptis S. Hieronymi à Lupo Oliuetano collecta, confirmationem accepit à Martino V. vti Regula Annuntiatarum, à Leone X. Regulam Minimorum ab ipfo S. Francifco de Paulâ reformatam, & aliam pro Tertiarijs editam, Alexander VI. approbauit, vt refertur diplomate 10. Iulij II. §. 5. quæ incipit: *Dudum ad facrum Ordinem Minimorum*, apud Laertium Cherubinum. Societatis IESV probata eft à Paulo III. anno 1540. & à Iulio III. Gregorio XIII. Gregorio XIV. & Paulo V. vt refert Nigronus: qui & hoc addit: *Legi quoque approbationem Regulæ noui ordinis Clericorum, qui miniftrant infirmis, factam à Gregorio XIV. Anno 1591. Nec dubito, quin alia multa fint Regulæ probatæ; cùm videam in Ecclefiâ Dei Religiofos Ordines planè diuerfos ab illis quatuor, quorum Regulæ probatæ feruntur, non habitu folùm, fed etiam inftituto.* Ita ille. Proinde, fi cuipiam fortaffe videatur retinenda communis illa opinio de quatuor Regulis approbatis; ea hoc fenfu intelligenda: nimirum, effe tantùm quatuor Regulas approbatas Iure communi, fiue quarum mentio vel confirmatio in Corpore Iuris Canonici, vt diximus, reperitur.

Regula IV. tantùm probata, quo fenfu.

Laërtius to. 1. Bullarij.

Nigron. in Com. Tit. Soc. IESV part. 1. nu. 6.

DISQVISITIO VI.

An plures in vno Monafterio aliquando feruatæ Regulæ?

SVB vnâ eâdemque Regulâ plures militare Congregationes, quin imò diuerfos Ordines, notiffimum omninò eft. an autem in vno monafterio plures aliquando feruatæ Regulæ, hîc difquirendum putauimus. Non ignoramus hâc tempeftate id mirum, neque fortaffis confultum videri: conuenit enim, vt quifque fui inftituti, & non alterius fequatur leges. Olim tamen, ficut

Plures Regulæ vnius monafterij.

NOTITIA REGVLARVM.

Monachi facilè de vno ad aliud transibant
Monasterium, in quo diuersâ plerumque
viuebant Regulâ; ita in vno eodemq; Cœ-
nobio, plures habebant quas sequerentur
Regulas: quamuis verosimile omninò sit,
vnam semper fuisse præcipuam, quæ reli-

Vna principalis.

quis præferretur; cujus etiam comparatio-
ne illæ Constitutionum, siue statutorum
suppleuerint vicem: non secus atque nunc,
cùm Regula S. BENEDICTI seruantur Cas-
sinensium, Camaldulensium, Cistertien-
sium, Bursfeldensium, aliarumque Con-
gregationum, Constitutiones. Veterem au-
tem illum morem insinuat, primò Regula
secunda à Sanctis Patribus probata, quæ
capite 1. ait: *Cùm in nomine Domini vnà cum
Fratribus nostris conuenissemus, in primo pla-
cuit, vt Regula & instituta Patrum per Ordi-
nem legerentur.* Et mox de suscipiendo ait:
*Si aliquam in cellulam voluerit inferre substan-
tiam, in mensa ponatur coram omnibus Fratri-
bus velut Regula continet.* Et rursus Regulam
citat capite 2. & 4. quo agit de familiaritate
mulierum vitandâ, & non frequentandis
Monasterijs puellarum, *sicut Regula docet.*
Quæ cùm in illâ non reperiantur Regulâ,
euidens est, cum illâ & aliam fuisse obser-

Reg. Paul. & Stephan. cap. 41.

uatam. In Regulâ quoque Pauli & Stepha-
ni præscribitur; *Vt & Patrum Regula legan-
tur assiduè.* Ibidemque dicitur: *Plenitudo au-
tem sanctæ conuersationis, & spiritalis vitæ per-
fecta doctrina in eorum Sanctorum Patrum Re-
gulis nobis quotidie recitātur.* Similiter S. P. N.
BENEDICTVS in calce Regulæ suæ commē-
dat lectionem Regulæ S. Basilij, & Scripto-

Cassiodor. diuin. Institut. c. 32.

rum Cassiani. Cassiodorus quoque Viua-
riensibus suis loquens, ita ait: *Quapropter
omnes, quos Monasterij septa concludunt, tam
Patrum Regulas, quàm Præceptoris proprij iussa
seruate.* Vbi vides manifestè de pluribus agi

Greg. Turon. lib. 10. de gest. Fran cap. 9.

Regulis. Gregorius Turonensis agens de
Aredio Abbate, ait: *Cœnobiumque fundauit, in
quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij &
reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam
instituerunt, celebrantur Regulæ, beatâ muliere
victum atque vestitum singulis ministrāte.* Do-

S. Benedicti & B. Columbani simul formata.

nati Regula Sanctimonialibus præscripta,
ex S. BENEDICTI, Cæsarij Arelatensis, & S.
Columbani est compilata. Sed & de ipsis S.

Order. Vit. lib. 8. hist. Eccles. sub

Colūbani discipulis, scribit Ordericus Vi-
talis, quod à socijs, & discipulis beati Mau-
ri, *Sancti Normam suscepère* BENEDICTI; *ita*

A *tamen vt non abhorrerent sui statuta Magistri,
almi videlicet Columbani.* Quod pluribus ex-
emplis cōfirmari potest. Theodoricus enim
Rex in priuilegio dato Cœnobio, Cella S.
Leobardi dicto, siue Mauri monasterio, ann.
724. ita ait: *Liceat Monachis secundùm normam
Patrū Domini* BENEDICTI, *& Domini Colum-
bani quietos residere atque securos.* Et Flodoar-

Flodoard. hist. Rhemens. lib. 2. cap. 7.

dus de Altumuillari loquens, inquit: *Vbi
construxit Monasterium, quod dicitur Altumuil-
lare, petente Berchario Abbate, vbi cum Fratri-
bus suis Monachis sub Regulâ Patrum* S. BENE-
DICTI, *& S. Columbani viuere posset.* In testa-
B mento quoque Leodebodi Abbatis, & fun-
datoris monasterij Floriacensis, vt refert

Sausæus in Annal. Eccles. Aurel.

Carolus Sausæus, ita scribitur: *In quo Mona-
chi iuxta Regulam* S. BENEDICTI, *& D. Co-
lumbani solemnia consistere debent.* Similiter in
Monasterio Corbeiensi Betfridus Ambia-
norum Præsul, in priuilegio eidem Mona-
sterio concesso, ait: *Illud etiam addi placuit, vt
ipsi Monachi sub Regulâ* S. BENEDICTI, *vel S.
Columbani conuersari, & viuere debeant.* Idip-
sum constat ex chartâ S. Eligij pro funda-
tione Monasterij Solemniacensis, in quâ di-
citur: *Vt vos vel successores vestri tramitem Re-*
C *ligionis Sanctissimorum virorum Luxouiensis
Monasterij cōsequamini, & Regulam beatissimo-
rum Patrum* BENEDICTI, *& Columbani firmi-
ter teneatis.* De S. Philiberto (qui successori
suo iam mortuus apparens, Regulam S. BE-
NEDICTI tradidit) ita scriptum accepimus:

Surius 20. Augusti.

*Legebat studiosè Basilij præclaras Constitutio-
nes, Macarij Regulam,* BENEDICTI *Decreta,
Columbani Instituta sanctissima, atque ita onu-
stus virtutum aromatibus, sectatoribus suis egre-
giè de se exempla præbebat.* Scripserat S. Theo-

Studita suam, aliorumq; Regulas inculcat.

dorus Studita Monastica Instituta, vt Mi-
chaël eius discipulus testatur, ipseque iam
D moriturus de ijs Præpositum ita admonet:
*Mandata hæc quæ tibi do, obseruare necessariò
debes. Non igitur immutabis absque vrgente ne-
cessitate formam & Regulam, quam ab humili-
tate meâ in omnibus accepisti.* Et tamen eidem
lectionem, & obseruantiam Regulæ S. Ba-
silij commendat: *Non transilies,* inquit, *leges
& Regulas Sanctorum Patrum, præcipuè ante
omnes diuini & magni Basilij.* Plura fortè ex-
empla alibi occurrent. Ex his autem satis
constat, consueuisse olim Monachos varias
legere, & sectari Regulas; ex suorum etiam
iudicio & voluntate Superiorum.

TRA-

TRACTATVS II.

DE REGVLIS EORVM,

Qui in veteri lege Religiosum Statum adumbrarunt.



FAMILIARE *est architectis, cùm magnificum aliquod palatium, aut sacram exstruere meditantur ædem, primò omnium ædificij ichnographiam, aut delineationem aliquam exhibere; in quâ futuri operis partes omnes & perfectionem aliquousque liceat contemplari. Ita Rex Dauid, cùm à filio suo sciret ædificandam domum Domini;* dedit Salomoni (*vt sacer textus inquit*) descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cænaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, nec non & omnium quæ cogitauerat atriorum & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini. *Non secus erga Religiosum statum se diuina bonitas gessisse videtur. Cùm enim tanta eius excellentia Euangelio reseruari debuerit, vt eam Dei filius in plenitudine temporum, & gratiæ secum è cælo deferret; voluit tamen ad eam ornandam & illustrandam etiam in veteri testamento aliquam eius imaginem, & quidem certam & expressam existere. Non desunt qui ab ipsâ mundi infantiâ, hæc Monasticæ vitæ simulacra venantur; & ab Enos, qui, vt Scriptura ait*, cœpit inuocare nomen Domini, *Religiosæ vitæ præludia deducunt. Hæc sententia Bellarmini, Tornielli, & Cornelij à Lapide. Alij alias in veteri lege Religiosorum adumbrationes inuestigant. Nos tantùm de ijs, qui euidentiora eius vitæ præbuerunt exemplaria, hic agemus; I. de* Nazaræis. *II. de* Rechabitis. *III. de* Eliâ, Elisæo, *&* filijs Prophetarum. *Et IV. de* Essænis.

[Margin notes: 1 Paralip. 28. — Genesis 4. — Bellar. lib. de Monast. cap. 5. Torniel. ann. mund. 116. A Lap. in cap. 4. Gen.]

DISQVISITIO I.

Quænam Nazaræorum REGVLA?

[Margin: *Nazaræi Monachos figurarunt.*]



NAZARÆOS nostrorum gessisse typum Monachorum, ex Catholicis asserunt non pauci; Iacobus Latomus lib. de Institutis Monasticis, cap. 2. Bellarminus lib. de Monachis, cap. 5. Hieronymus Platus lib. de bono Status Religiosi. cap. 19. Cornelius à Lapide, & Leonardus Marius in cap. 6. Numerorum, Serarius lib. 3. Trihæresij, cap. 8. & amplissimè in caput 13. libri Iudicum q. 5. & seqq. Stellartius in Fundaminibus & Regulis Ordinum cap. 1.

[Margin: *Probatur contra Nouatores.*]

Sed hæretici duo, Petrus martyr Vermilius, libro de votis, & Rodolphus Hospinianus lib. de Origine Monachatûs cap. 6. aiũt *Nazaræos* nihil commune cum Christianorum Monachis habere. Verùm quanta sit, quamq; illustris inter vtrosque conuenientia, ex varijs parallelis facilè ostendi potest.

1. [Margin: *Ex nomine.*] PRIMÒ conueniunt in nomine. נָזִיר *Nazir* enim, siue *Nazaræus*, significat, vt Cornelius annotauit, primò separatum Deo, secũ- A dò consecratum, tertiò coronatum, quartò Cæsarem, siue comatum. Quæ in Religiosos etiam conuenire, quis nõ videat? Sunt enim separati à cõmuni hominum vitâ, Deo consecrati, itemque coronati in capite, vt tonsurâ suâ ostendunt; vnde S. BENEDICTVS de Sarabaitis ait, quod *Deo mentiri per tonsuram noscuntur*: aluntque cæsariem, cùm bonas & cælestes cogitationes, crinibus mysticè designatas, nutriunt. Expositione huic fauet Suidas, ita definiens: Ναζηραῖος, ὁ θεῷ κεχαρισ- B μένος, ἢ ἀφιερωμένος, ὁ μοναχός. Quod Portus vertit: *Nazaræus Deo gratus, & consecratus Monachus.* Meursius in Glossario, pro κεχαρισμένος, legit κεχωρισμένος, id est, *Separatus*; quod magis cõuenit *Nazaræorũ* conditioni. Quod autem Suidas addit, *Monachus*, eò indicat, ait Matthias Martinius in Lexico philologico, Monachos, qui dicuntur in Ecclesiâ Christianâ, veteribus *Nazaræis* in aliquibus rebus similes esse: *Nazaræos* porrò peculiare Monachorum esse genus apud Turcas ex

[Margin: Benedict. cap. 1. Reg.]

NOTITIA REGVLARVM. Laonici Chalcondylæ lib. 7. ait Meursius. Non dubitauit sane Gregorius Nazianzenus, Monachos sui téporis *Nazaræos* appellare, eosque ita alloquitur: *Valete Nazaræorum chori, psalmodiarum concentus, nocturna stationes.* Per *Nazaræos* autẽ eum ibi intelligere Monachos, & Elias Cretensis, & Iacobus Billius testatur; quòd ipsi scilicet totos sese colendæ pietatis studio deuoueant, atque à terrenis rebus animum prorsus abducẽtes, ad beatam illam vnitatem se transferant. (Nazianz. orat. 9. nu. 18. & 32.)

II. *Ex vocatione.* SECVNDÒ. Quemadmodum *Nazaræi* speciali diuinæ gratiæ beneficio ad illum statũ suscitabantur; vnde Deus recensens beneficia populo Iudæorum præstita, commemorat inter cætera: *Ego suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris* NAZARÆOS: ita quoque Religiosam vitam Monachi suscipiũt ex Spiritus sancti instinctu; de quo quidem ille qui ad Religionem accedit, vt ait S. Thomas, dubitare non potest, diuini enim Spiritus est ducere hominem in terram rectam. (Amos 2.) (S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 10. ad 1.)

III. *Ex Voto.* TERTIÒ. Tam *Nazaræi*, quàm Monachi, ad quædã supererogationis opera voti religione se obstringunt: vnde Angelicus Doctor, ex *Nazaræorum* voto concludit ad perfectionis statum requiri votum. Nam ex Gregorij sententiã, per *Nazaræos* significantur illi, *qui ad perfectionis summam pertingunt.* (2. 2. q. 186. art. 6.) (Gregor. lib. 2. Moral. cap. 26.)

IV. *Ex Perfectione.* QVARTÒ. Quòd ex precedẽti consequẽs est, propter voti excellentiam ambo constituuntur in statu perfectionis: Nazaræatus enim vocatur status perfectionis & sanctificationis, scilicet legis veteris: nam Numerorum 6. 21. dicitur: *Iuxta quod mente deuouerat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis sua.* Monachatus in nouã lege acquirendæ perfectionis quoque status est; vnde Christus Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, vende qua habes, & veni, sequere me.* Perfectionem hanc expendit Origenes: *Alij, inquit, vitulos, aut arietes, aut domos aut alia huiusmodi ratione carentia, vota offerunt Deo. Ille vero qui appellatur* NAZARÆVS, *semetipsum deuouit Deo. Hoc est enim votum Nazaræi quod est super omne votum. Nam filium offerre vel filiam, aut pecus, aut prædium; hoc totũ extra nos est. Semetipsum Deo offerre, & non alieno labore, sed proprio placere; hoc est* PERFECTIVS ET EMINENTIVS *omnibus votis: quod qui facit, imitator est Christi. Ille enim dedit homini terram, mare & omnia quæ in eis sunt, ad obsequium, dedit & cælum, Solem quoque, & Lunam, ac stellas, hominum ministerio cõcessit: pluuias, ventos, & omne quidquid in mũdo est, hominibus largitus est. Sed post hæc omnia semetipsum dedit. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitũ daret pro mundi huius vitâ. Quid ergo magnum faciet homo, si semetipsum offerat Deo, cui ipse se prior obtulit Deus?* (Matth. 19. 21.) (Orig. homil. 24. in lib. Num.) (Ioan. 3.)

V. *Ex Fine.* QVINTÒ. Conueniunt quoque in fine: vtrique enim vota sua ad Dei gloriam & A honorem, maiorem virtutem, spiritualem profectum meritumque retulerunt.

VI. *A Simili.* SEXTÒ. Similitudo quoque est ex parte eorum, qui ad hæc vota admittebantur. Quemadmodum enim erant *Nazaræi*, & *Nazaræa*, vt patet Numerorum 6 ita in Ecclesiã sunt Monachi, & Sanctimoniales. Et sicut inter *Nazaræos* non adulti tantùm, sed & paruuli admittebantur; vt videre est in Samuele ex voto Matris consecrato: ita ad monachatum suscepti olim pueri, pro quibus parẽtes, vt habet Regulã S. BENEDICTI, faciebant promissionem, eosque coram testibus offerebant Deo. Rursus Nazaræi alij B erant ad certum tempus, alij totã vitã, vt Samuel, Samson, S. Ioannes Baptista; sic inter Religiosos nouitij qui egrediuntur, ad tẽpus tantùm monasticis institutis obstricti sunt: tales quoque sunt Donati & Oblati, & in altero sexu Beguinæ, & illi, qui per vota simplicia Religiosi effecti, ab ijs postea absoluuntur. (S. Bened. cap. 59. Regulæ.)

VII. *A Dignitate.* SEPTIMÒ. Vt veteris Synagogæ ornamẽtum & decus erant Nazaræi; vnde magnifica de eis apud Ieremiam commemoratio: C *Cãdidiores* NAZARÆI *eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores;* non secus de Religiosis affirmat Hieronymus, quod *Flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, Monachorum & Virginum chorus* sit; & verè illi sunt cãdidiores niue, propter castitatem: nitidiores lacte, propter innocentiam: rubicundiores ebore antiquo, propter obediẽtiæ laborem: sapphiro pulchriores, quia tota eorum conuersatio in cœlis est. Sed videamus ex ipsis *Nazaræorum* Regulis & statutis, quam aptè D cum Monachis nostris consentiant. Igitur (Ierem. Thren 4.) (Hieronym. Epist. 17. ad Marcellam.)

VIII. *Ex Regulis.* OCTAVÒ. Abstinebant *Nazaræi* à vino, & ab omni potu, qui inebriare potest; itemq; ab aceto, & vuis tam siccis quàm recentibus. Per vinum, ait Hieronymus, id omne intelligitur, quod mentis statum dimouere potest. Hoc autem nihil est aliud, quàm amor cuiuslibet creaturæ rei.

IX. NONÒ. Alebant comam toto tempore separationis suæ, vel, vt Scriptura loquitur; *Nouacula non transibat per caput eorum.* Intonsam autem cæsariem nutrire in arcano ser- E monealiud non est, quàm sanctas cogitationes fouere; quod proprium Religiosorum, qui quotidie orationi, meditationi & rerumdiuinarum contemplationi incumbũt. (Numer 6.)

X. DECIMÒ. Non accedebant *Nazaræi* ad funus vel cadauera, ne quidem patris aut matris: ita Religiosi à carne & sanguine prorsus debent esse alieni, & omnes erga propinquos truncare affectus; quasi singulis diceretur: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* (Matth 8.)

XI. VNDECIMÒ. In fine voti, seu separationis (quod intelligendum est de temporarijs) offere-

offerebant ad ostium tabernaculi tres victimas, Agnum anniculum in holocaustum, Agnam anniculam in sacrificium pro peccato, Arietem in hostiam pacificam. In Religiosis voti tempus cum ipsâ exspirat vitâ: proinde cùm quotidie sisti possint ad ostiū tabernaculi, in quo Deus habitat; totâ vitâ illis prouidendum est, vt triplicem illam hostiam summo Numini offerant: Quàm aptè explicat Philo Iudæus: *Vouenti*, inquit, *conueniunt hæc omnia holocautomata, quia non sua solùm, sed se quoque Deo dicat: pro peccato victima, quia homo cùm sit quantumlibet perfectus, peccato non caret: pro salute autem, qui a salutem suam acceptam fert non homini medico, sed seruatori vero Deo.*

Philo lib. de victimis.

XII. *Ex Tonsurâ.*

DVODECIMÒ, tandem *Nazaræi* radebātur ante ostium tabernaculi, & capilli eorum, qui Deo erant consecrati, in ignem conijciebantur; sed eum ignē qui suppositus erat sacrificio. Ecce hîc adumbratam tonsuram monasticam; & audi de eâ Isidorum disserentem: *Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, nisi fallor, exortus est, qui prius crine seruato, denuo post vitæ magnæ continentiam, deuotione completâ, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt hi qui in diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innouentur.* Et paulò pòst, *quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi mens noscitur habitare.* Sic ille. Ciratus verò Philo insinuat ideò capillos mitti in ignem, vt, quoniam seipsum homo sactificat, quem inferre in altare non licet; saltem aliqua eius pars, quæ detracta nec dolorem afferret nec noxam, auferretur & consumeretur.

Isidor. lib. 2. de Eccl. off cap. 4.

Vide autem has aliasque *Nazaræorum* & Religiosorum analogias pleniùs explicatas apud Hieronymum Platum, Nicolaum Serarium, & Cornelium à Lapide.

Nec refert, quòd in his comparationibus inueniri etiam possit notabilis differentia, & quòd perfectio status monastici lōgè excedat Nazareatum; neque enim figura per omnia figurato respondet, alioqui iam nullus esset Christi Saluatoris, aut sacratissimæ Deiparæ typus; cùm quæ eos præfigurant veteris legis simulacra, ipsâ veritate longè superēt, & suo splendore velut obnubilent. Deinde, & in ipsis monasticis institutis quanta diuersitas? Et tamen in genere omnia conueniunt.

DISQVISITIO II.

NOTITIA REGVLARVM.

De Regulis & Institutis Rechabitarum.

NON minùs nobile monasticæ vitæ specimen in veteri lege exhibuerunt Rechabitæ, quos Abulensis dicit fuisse *viros Religiosos in veteri testamento, sicut nunc sunt Monachi.* Et S. Hieronymus: *Nostri duces*, inquit, *filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis. De his sunt illi filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur.* Noster quoque Hrabanus; *Isti Rechabitæ*, ait, *significant eos qui desiderio perfectionis arctiori vitâ transcendūt legis mandata: iuxta id quod sibi Euangelij dogmata & Apostolica insinuant exempla. Iusti enim quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, vt iustitias legis non solùm implere, verùm etiam superare contendant.* Et Liranus: *Ab isto Ionadab incipit modus viuendi Religiosus.* Omitto Recentiores, Serarium, Cornelium à Lapide, Martinum Becanum, Stellartium, aliosque in eâdem sententiâ.

Rechabitæ Religiosorum typus.
Abulens. in 1. Paralip. cap. 2 q. 12.
Hieronym. Epist. 13.
Hraban. lib. 13. in Ierem. cap. 35.
Liran. in Ierem. 35.

Vt autem de eorum institutore & instituto hîc paucis disseramus; sciendum eos originem duxisse, vt nomen ipsum insinuat, à Rechab; qui fuit filius Hæmath, ducens originem ex socero Moysis Raguele, qui alio nomine dictus est Iethro & Cinæus, vnde sæpè pro eodem vsurpantur hæc duo nomina Cinæi & Rechabitæ, vt 1. Paralip. cap. 2. *Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.* Vel vt Hebræi, & Septuaginta dicunt; *Qui venerunt de Hamath patre domus Rechab*, id est, familiæ Rechabitarum. Vnde Serarius notat Cinæorum duo fuisse genera. Vnum verus, veteri cum instituto ac nomine. Alterum recētius, Rechabicum scilicet à Rechab; cuius filius Ionadab ad veterem disciplinam quædam addiderit, eumque instituerit cœtum, qui apud Ieremiam Rechabitarum dicitur. Quod institutum spectat, de Cinæis hæc citato loco Scriptura. Primò, fuisse *Scribas*, quòd diuinarum scilicet rerum periti, sacrorū librorum, legumque peramantes ac studiosi essent. Secundò, habitasse *in Iabes*, non vrbe, sed solitarijs ac nemorosis Iabessæ locis; fuisse enim nemus iuxta Iabes constat ex lib. 1. Regum cap. 31. Tertiò, erant *Canentes atque Resonantes, & in tabernaculis commorantes*, quia in precibus maximè versabantur: assiduas Deo laudes ac hymnos canebant, illustrique iubilo ac voce depromebant; aliosque, quod canebant, audire faciebant. *In tabernaculis commorantes.* Quia vel extra vrbes & vicos fixis alicubi tentorijs degebant, vel in vrbibus, & vicis, tanquam in taberna-

Eorum Auctor.
Serarius Trihær. lib. 3. cap. 9.
Ieremiæ cap. 35.
1. Paralip 2.
Institutum.

NOTITIA REGVLARVM. bernaculis, non habitaculis: tanquam in hospitijs, nō domicilijs. Quid verò ista nisi sanctum quendam, pium, secretumque à communi consuetudine viuendi modum significant? hæc carptim ex Serario.

Quænam autem fuerint Rechabitarum Regulæ, siue constitutiones à Ionadab per modum corollarij adiectæ; ita ipsimet apud Ieremiam declarāt: *Ionadab filius Rechab, Pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri, vsque in sempiternum: & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in quâ vos peregrinamini.* (Ierem 35. Auctum à Ionadab.)

(Abulens. in lib. 1. Paralip. cap. 5. q. 21. Planè ad formā Monasticæ.) Tostatus porrò scribit, Ionadab per hæc filios suos ad quatuor perfectiones voluisse deducere. Prima, erat paupertas voluntaria: nam si non ædificarent domos, nec fererent semen, nec plantarent vineas; non poterant acquirere magnas diuitias, imò vix sustentari poterant in vitâ pauperrimâ. Secunda, contemptus rerum sæculi. Tertia, eleuatio rationis, & dispositio corporis ad obediendum virtuti, & hoc in eo quia non bibebant vinum, vnde Salomon dixit: *Cogitaui carnem meam abstrahere à vino, vt animum meum transferrem ad Sapientiam.* (Ecclesi. 2.) Abstinentia quoque à vino iuuat ad seruandam castitatem. Quarta, abstractio à delectabilibus secundum communicationem vitæ, quia delectabile est possidere domos & agros, & pulchras inhabitare ædes.

Sed cuilibet facillimum ex his imaginem vitæ monasticæ delineare. Obediētia enim Rechabitarum ab ipso Deo in exemplum proponitur, & commendatur. (Id ostensum.) Castitas in abstinentiâ à vino, *in quo*, vt ait Apostolus, *est luxuria*, vtcumque præfiguratur. (Ephes. 5.) Paupertas iam satis expressa est in eo, quòd non haberent domos, non negotiarentur, non fererent, nec meterent. Deinde monachorum instar degebant extra vrbem, & populi frequentiam, nec deerat chorus & psalmodia, quia erant *canentes atque resonantes*: Vnde ab eis scriptus dicitur Psalmus 70. cuius titulus: *Filiorum Ionadab, & priorum captiuorum.* Vt proinde non immeritò dixerit Dionysius Carthusianus: *Ionadab iste fuit Religiosus mundanorum contemptor, qui Religiosa vitæ modum posteris suis ostendit, præfixit, reliquit. Siquidem ita viuendo testabantur se terrena despicere, aliamque patriam semper mansuram inquirere, & peregrinari in sæculo isto.* (Carthus. in cap. 35. Isai.) Concludamus cum Sancto Theodoreto: *Quod si tempore legis quæ continebat imperfectionem, propter infirmitatem eorum, quæ lege cauebantur, summam Philosophiam amplexi sunt isti, quales esse debuerunt qui legem Euangelicam audierunt?* (Theodor. in idem.)

A

DISQVISITIO III.

De religiosâ viuendi formâ ab Eliâ, & Elisæo institutâ, & à filijs Prophetarum obseruatâ.

EXIMIVM illud Prophetarum, veterisq; Testamenti decus Elias Propheta, qui præter naturæ ordinem factus est Paradisi colonus, & in mortali corpore immortalitatis candidatus; Religiosorum omniū inre merito Dux & Patriarcha est appellandus. (Elias Religiosorum Patriarcha.) De quo, ne sine teste loquamur, ita Hieronymus: *Noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis.* (Hieron. Epist. 13.) Sozomenus plura prælocutus de monasticæ vitæ laudibus ac perfectione, ait: *Hanc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant, instituit Propheta Elias, & Ioannes Baptista.* (Sozomen. Eccles. hist. lib. 1. cap. 12.) Eadem habet Nicephorus lib. 8 cap. 39. Cassianus verò agens de cingulo Monachi, ait: *Hoc enim habitu etiam alios ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundauêre primordia, Eliam scilicet, & Elisæum, diuinarū Scripturarum auctoritate* monstratur. (Cassian. lib. 1. Institut. cap. 1.) Chrysostomus quoque Monachorum vestes præparatas ait instar Eliæ, Elisæi, & Ioannis, qui fuit alter Elias, de quo Angelus dixerat: *Ipse præcedet ante illum* (Deum) *in spiritu & virtute Eliæ.* (Chrysost. homil. 69. in Matth.) (Luc. 1. 17.)

B

C

Cùm autem Thesbites ille Elias absconditus esset Dei iussu in torrēte, siue spelunсâ iuxtà torrentem Carith; conuenêre ad eum viri pij, Deumque timentes, quos, vt Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus ait, *Secundum formam sibi à Deo traditam, habuit suæ Monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, id est, ad laudem Dei cantica, hymnos & Psalmos, cum instrumentis musicis, decantare.* (Eliæ discipuli.) (Ioan. Ierosolymit. de Instit. mon. cap. 10.) Postquam autē Elisæum in discipulum sibi cooptasset, in mōtem Carmelum instituto suo monastico cōmodiorem, se recepisse, idem author tradit: alios preterea discipulos collegisse, eosq; ad vitam religiosè traducendam, nominatimq; ad laudes Deo iugiter decantandas, vnde & prophetare dicebantur, instituisse; habitu à profanis hominibus, cultu, conuersatioue q; distinctâ. (Elisæus.) (Cap. 11. & 19.) Idq; minus nouum videri necesse est, si cuneos Prophetarū, qui à Samuele in Naioth domo doctrinæ erudiebātur, recordemur. Fuêre & alibi pluribus locis Prophetarum filij, magni huius Patriarchæ in monasticâ disciplina discipuli, quorum collegia, antequam tolleret eum Dominus, tanquam Pater generalis visitauit, instruxit, & consolatus est. (Prophetarum Filij.) Elisæum quoque, qui eos suo loco regeret, successorem designauit. Quare cum eo venit in Galgalis, deinde in Bethel, & deinde in Iericho, quibus locis (vt ex Scripturâ constat) habitabant (4. Reg c. 2.) filij

D

E

filij Prophetarum, Eliæ discipuli.

Regula ijs tradita. Trithem. de laudib. Carmel. cap. 4. Sed quænam horum viuendi fuit Regula? Respondet Trithemius l. de laudibus Carmelitarum: *Sancti fratres qui in monte Carmelo iuxta fontem Eliæ ante Christi natiuitatē habitabant, Regulam conscriptam habuisse non legitur, sed ipsi norma & Regula sibi fuerant, qui exemplo Eliæ concorditer viuebant.* Cyrillus, montis Carmeli quondam Prior lib. de peculiaribus gestis Carmelitarum, & in Epistolā ad Abbatē Joachim, agens de Regulis, quibus Carmelitarum Ordo olim Deo famulabatur, sic ait: *Sacræ huius Religionis professores institutionem suam in diuinā Scripturā tanquam in amœno paradiso speculabantur; vbi & fundatorum dictæ Religionis virtuosa exemplaria ab eis imitanda intuebantur, à Prophetis commendata, & multis sacrorum voluminum testimonijs approbata.* Sic ille. Joannes Patriarcha Ierosolymitanus lib. de institut. Monachorum cap. 16. & 21. ait, Eliæ sectatores eā securos formam à Deo acceptā, quam Elias in Eremo Carmeli montis residēs verbo & exemplo discipulis tradidit.

Eius forma. Cap. 2. Sed quænam est hæc forma à Deo accepta? Prodit eam idem Patriarcha: *Deus ei (Eliæ) apparens mādauit, vt communem hominum habitationem fugeret, & se à turbis in deserto absconderet, atque deinceps in Eremo monasticè secundum formam ei indictam viueret: quòd euidenti sacræ Scripturæ testimonio comprobatur. Le-*
3. Reg. 17. *gimus enim de hoc ita scriptū in libro Regnorum: Factum est verbum Domini ad Eliā dicens, recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi vt pascant te ibi.* Quam sententiam deinceps ita exponit, vt ostendat in eā contineri monasticæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ præceptū, Monacho conuenire solitudinem, eiusque scopum esse perfectionē Charitatis. Eumdem porrò æmulatus est, sed breuiter, Ioannes Soreth, Ordinis Carmelitarum quondam Generalis in Expositione parænetica Regulæ; qui prædictam sentētiam vocat *Regulam huius sacræ Religionis, & Regulam cælitus Patri nostro Eliæ datam,* aitque, *Spiritus sanctus paupertatem, & terrenorū expropriationem* PRIMARIA HVIVS RELIGIONIS REGVLA *tam tū apertè prædicabat.* Deinceps vocat *Regulam nostræ professionis diuinitus Eliæ traditā,* & Essenos Eliæ Regulam & Ordinem seruasse.

An ad veram rationem Religionis. Thom. à Iesu in expofit. Reg. Carm. p. 1. cap. 1. Ex his autem videtur colligi posse Eliam non tàm vmbram, quàm corpus, nō typum, sed veritatem, non figuram, sed ipsam substantiam monasticæ Religionis exhibuisse. Vnde Pater Thomas à Iesu probabiliter sustinet, Eliam, eiusque successores, professionem Monasticam triplici (ferè vt nūc fit) votorum vinculo obseruasse. Nec dubito quin vberius pro suā eruditione id præstiterit Eximius Pater Petrus Wastelius S. Theologiæ Doctor, qui in Auctario libri 2. Vindiciarum pro Ioanne Ierosolymitano, inter cætera quoque defendit, Eliam, Elisæum, ac filios Prophetarum, veri nominis Monachos fuisse, & non solùm Monachismi præfiguratores. Ante actualem aduētum Christi inueniri professionem cōsiliorum Euangelicorum, quæ superet legem. Prædicationem Euangelij vitam monasticam non concepisse, sed formasse, stabiliuisse, dilatasse tanquā verum cultum Dei. Horùm probationē ex illo opere proximè exspectamus. *NOTITIA REGVLARVM.*

Verùm, cùm *lex*, vt Apostolus ait, *nihil ad perfectum* adduxerit; vereor vt hæc sententia omnibus probetur, quòd Iesu Christo gratiæ authori tantæ perfectionis institutio videatur reseruata: Sic enim Iacobus Latomus differit: Quemadmodū cætera in lege inchoata per gratiam consummantur, sic & Monachatus. Et sicut cæterorū, quæ in lege adumbrata, figurata, delineata, & inchoata sunt, ita & ipsius monasticæ perfectio & absolutio Christo implenda seruata est. Rectè hoc Tertullianus libr. de resurrectione carnis: *Christo,* inquit, *seruabatur, omnia retrò occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicta repræsentare.* Vnde Bernardus ait: *Res est antiquæ Religionis, perfectè fundata in Christo pietatis, antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei, à tempore Prophetarum præmonstrata; iamque nouæ gratiæ sole exorto in Ioanne Baptistā instaurata & innouata.* *Ad Hebr. 7. Tribuenda in id Christo. Latom. lib. de instituт. monast. cap. 2. Cap. 2. Bernardus ad fratres de monte Dei.*

DISQVISITIO IV.

Qualis Essenorum vita & Regula?

VIVAM Religiosæ vitæ imaginem, si nō ipsam rē, exhibuere Esseni; de quibus Philastrius: *Esseni sunt, qui Monachorum vitam exercent escas delitiosas non sumētes, nec studium in vestimentis gerentes, nec possidentes aliquid: lectioni autem & bonis operibus insistētes, & locis etiam separatis habitantes.* De his porrò pluribus egerūt Matthæus Galenius lib. de Orig. Monast. cap. 5. Ill.mus Baronius tom. 1. Anno Christi 64. Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 5. Suarez to. 3. de Religione lib. 3. cap. 1. nu. 11. & alij ex Iosepho, & Philone Iudæis. Omniū verò accuratissimè, nostro iudicio, hæc excussit Nicolaus Serarius Trihæresij lib. 3. ex quo compendio excerpam, quæ ad eorum aliqualem faciunt notitiam. *Philastr. contra hæreses.*

Notandum igitur, Philonē Iosepho fuisse seniorem (vt c. 13. probat Serarius) vtrumq; autem duplex constituisse Essenorū genus. Iosephus quidē vnum *Coniugatorum,* alterum *Cælibum:* Philo autem, initio libri de vitā cōtemplatiuā, vnum *Practicorum* genus facit, quos & Cœnobitas vocat; alterum *Theoreticorum,* qui solitariam singuli vitā agebant in ædiculis, quas Semnea vocāt, siue monasteria, ipsiq; appellari sunt μονίζοντες, ἢ μονάζοντες *Essenorum duo genera.*

NOTITIA REGVLARVM. Agit verò Iosephus de solis Essenis *Practicis*, siue Cœnobitis, tam Coniugatis, quàm cælibibus. Philo verò de iisdem Essenis practicis, vitæque communis sectatoribus, iis tamen solis, qui essent cælibes; agit in Apologiâ Iudæorum, & in libro; *Quod omnis probus liber*: De aliis verò, qui præstantiore modo *Theoretici*, vitæq; solitariæ cultores fuerunt, tractat in libro de vitâ contemplatiuâ: quod ex ipsius libri patet exordio, vbi sic ait: *Postquam de Essæis disseruimus, qui vitam actiuam exercent, omnibus, aut quod minus inuidiosum dictu est, plerisque feticius: Ordo postulat vt deinceps dicamus, quæ dicenda sunt de contemplationi deditis*. Sic ibi.

An Esseni fuerint Christiani? Quæstin autē est, an fuerint Esseni Christiani? Constat autem *Practicos*, ante Christi Domini, & Apostolorum extitisse prædicationem; nec tamen, prout à Philone, & Iosepho describuntur, fuisse Christianos: quāuis post Christi, & Apostolorum prædicationem eorum plurimi, etsi non omnes, salutarem Christi fidem amplexi sint. *Theoretici* porrò *Esseni* videtur omnes fuisse Christiani; vt asseuerant vetustissimi, optimique Authores, Eusebius lib. 2. hist. cap. 15. 16. 17. & Epist. ad Marinum apud Cedrenum, S. Epiphanius hæresi 29. D. Hieronymus lib. de Scriptor. Ecclesiast. in S. Marco, & Philone bis, Cassianus lib. 2. Institut. cap. 5. Sozomenus lib. 1. cap. 12. Venerabilis Beda Præfat. in S. Marcum, Nicephorus lib. 2. cap. 15. Deinde huiusce modi Essenorum fuisse ante Christi Domini Euangelium aliquos, nullus omninò vel testatur, vel innuit, neque Philo, neque Iosephus: licet eum Practicis habuerint hi communia non pauca.

Iam quod vtrorumque institutum, & viuendi spectat REGVLAM, suorum quidem ad longum describit Iosephus lib. 2. cap. 7: quod lucis maioris causa modicè interrupit, & explicat Serarius cap. 4. Philo verò *Practicorum*, siue Cœnobitarum *Essenorum* REGVLAM repræsentat in Apologiâ, & libro, *quod omnis probus liber*. *Theoreticorum* verò REGVLAM exhibet libro de vitâ contemplatiuâ, & ex eo Serarius. *Eorum Regula.*

TRACTATVS III.

DE INSTITVTIS REGVLISQVE

Monasticis à Christo Domino, vsque ad Constantinum Magnum.



VT *aptiori methodo omnium, quas reperire licuit*, REGVLARVM *exhibeam* NOTITIAM; *lubet eas in sua, quibus scriptæ vel obseruatæ sunt, digerere sæcula: atque ita ordinatam quandam concinnare catenam continuati iam inde à Christo Domino vsque ad nostra hæc tempora Monachismi; ex quâ eiusdem quoque in varias orbis regiones propagatio; & successio vtcumque poterit elucescere. Hoc igitur Tractatu, à Christo Domino vsque ad Constantinum Magnum, trium scilicet priorum sæculorum* Instituta, Regulasque Monasticas *inuestigabo.*

DISQVISITIO I.

Vt Religiosum Statum Christus expresserit, *&*, an REGVLAM *præscripserit?*



AB aurorâ ad diem, ex vmbrâ ad Solem, à veteri Testamento ad nouum, à lege ad gratiam, gratiæq; Auctorem Iesum Christum, transitum facimus. A quo enim salutis nostræ, inde quoque Euangelicæ perfectionis, & Monastici Status sumpsit exordiū. Virginis enim filius Castitatem amauit, & docuit; Paupertatem, filius hominis non habens vbi caput reclinaret, coluit, & verbis prædicauit; docens omnibus renuntiandum, omnia vendenda ei, qui eum vellet sequi. Obedientiæ Magister *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, Parentibus quoque in Nazareth subditus fuit. *Christi religiosa vita.* *Philip. 2.*

An autem ad harum virtutū exercitium se voto, Religiosorum instar, obstrinxerit; dubitari possit. Quā in re, Franciscus Suarez ait probabile esse Christum in primo instanti *An votis firmata.* *Suarez to. 2. in 3. part. disput 18. sect. 2.*

instanti conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo ad redimendos homines, & in hunc finem omnes actiones, ac passiones vitæ suæ voto obtulisse: ac proindè etiã perpetuæ Virginitatis votum nũcupasse. Cùm enim Virginitas Christo sit digna; cur non & eius perfectio, ac consecratio? Matrem sanè Virginitatem vouere voluit, idemque nobis consuluit: quid igitur obstat, quò minùs præiuerit exemplo, cùm nullam id, quę Christum dedeceat, imperfectionem includat? Idemque de Paupertate dici posse affirmat. Tandem verò totam quæstionem ita concludit: *Si loquamur de statu Religionis, qui per tria vota essentialia constituitur, manifestè constat Christum Dominum hoc sensu Religiosam vitam professum non esse. Quia neque illa tria vota emisit, nec satis constat an aliquod eorum nuncupauerit. Si verò consideremus id quod perfectionis est in statu Religionis, & Religiosum vocemus eum, qui se totum ab affectu humanarum rerum abstraxit, ac diuino cultui perpetuo, & immobiliter consecrauit; sic certum est Christum instituisse vitam habentem excellẽtiori modo quidquid perfectionis est in vitâ Religiosâ, seclusis imperfectionibus.* Hactenus Suarez.

Christus Religiosus quomodò fuerit.

Statum Religionis instituit.

Suarez to. 3 de Relig. lib 3. cap. 2.

Iam verò, Saluatorem nostrum statum Religionis secundum se, suamque substantiam immediatè instituisse, idem Doctor alibi tradit; aitque esse sententiam omnium Catholicorum rectè sentientium. Plures autem producit authores: Eademque veritas à Patribus confirmata est. Basilius in Constitutionibus Monasticis ità ait: *Hi* (Regularem vitam degentes in Cœnobio) *liberatoris, eiusque vitæ, dum inter nos versaretur, institutorum, veri perfectique imitatores existũt. Quemadmodum enim ille coacto discipulorum choro communia cuncta, seque ipsum communem Apostolis præbuit, item hi quoque Antistiti suo obtemperantes (qui modò vitæ suæ præscripta rectè conseruant) genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur.* Et cap. 23. *Hanc,* inquit, *obedientiam is qui secundùm Deum verè est Monachus, Antistiti suo præstet, oportet. Siquidem, vt iam diximus, discipulos Christus in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem secuturæ posteritati.* Et sermone 1. de abdicatione sæculi, docet Christum verbis istis: *Venite ad me omnes, qui laboratis,* hortari nos ad Monachorum vitam accedere. Sed & Chrysostomus Religiosam vocat *Philosophiam à Christo introductam.* Idemque alibi: *vis ô Monache esse discipulus meus, imò vis discipulorum meorum esse discipulus? Fac tu, quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus & Ioannes.* Cui consonat Epiphanius: *Quinam,* inquit, *hi fuerint, quam generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, & deinceps Virgines, Ioannes quidem & Iacobus filij Zebedæi. Post ipsos verò quot millia in mundo solitariam vitam degentes, & à monasterijs, & à Virgineis*

Basil. in cõstitut. monast. c. 19.

Matth. 11.

Chrysost. homil. 17. ad popul. Homil. 17. in Matth.

Epiphan. hæresi 58.

A *conuentibus huius certaminis gloriam abstulerunt.*

NOTITIA REGVLARVM.

Suarez loco citato. *Etiam particularem cum Apostolis.*

Addit porrò Suarez, Christum etiam Religionem quamdam in particulari instituisse, ad quam Apostolos congregauerit; quibus proprium & particularem modum Religiosæ vitæ tribuerit. Apostolos autem verè ac propriè tria Religionis vota emisisse, & quidem vt pertinentia ad statum perfectionis. Quæ est expressa sententia S. Thomæ 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. & docet Augustinus his verbis: *Dixerant potentes illi, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, hoc*
B *votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis nisi ab illo, de quo dictum est, dans vocem vouenti? non enim Domino aliquid ratum voueret, nisi ab illo acciperet; quod voueret.*

August. lib. 17. de ciuitate cap. 4.

Si quęras, quænã fuerit REGVLA à Christo Domino Apostolis præscripta, & ab illis seruata? Respondet Iordanus de Saxoniâ, Ordinis Eremitarum S. Augustini: *Ipse Christus conuentum Apostolorum instituit,* REGVLAM *Euangelicam illis tradens; quam sanctissimam communionem Apostoli post Domini resurrectionem semper retinuerunt, & tunc etiam*
C *cohabitare in vnum corporaliter inceperũt.* Suarez verò respondet in hunc modum: *Non fuit necesse in illâ Religione aliquam specialem* REGVLAM *describi, aut statui quoad alia quæ sunt secundaria, vel cæremonialia in Religionibus, quia Christum habebat præsentem, qui erat* REGVLA VIVA *sufficiens; post illum autem non poterant esse huiusmodi cæremonijs, aut speciali Regula astricti, qui per vniuersum mũdum spargendi erant: nec etiam illâ indigebant, quia erant perfectissimi, & Spiritu sancto potissimum regendi erant, & ex parte hominum viuus etiam Petri*
D *influxus satis illis futurus erat.* Hactenus ille.

Christi Regula, quæ?

Iordanus de Saxon. lib. 1. vit. Fratr. cap. 2.

DISQVISITIO II.

Quæ primo Sæculo Religiosæ vitæ REGVLA?

QVAM à Christo Domino viuendi formam Apostoli accepêre, eam statim Primis Christianis verbo & exemplo tradiderunt; vt in ipsis nascentis Ecclesiæ exordijs vitæ communis dignitas effulserit. Vnde S. Lucas ait: *Omnes etiam, qui credebant,*
E *erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et rursus: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid* SVVM *esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Ex quibus locis infert S. Hieronymus: *Talem apparet primam in Christum credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt; vt nihil cuiusquam sit proprium, nullus inter eos diues, nullus pauper: patrimonia egentibus diuidantur; orationi vacetur & Psalmis, doctrina quoque & continentiæ,*

Primi Christiani instar Religiosorum.

Act. 2.

Cap 4.

Hieron. de vir. Illust. cap. 10.

NOTITIA REGVLARVM.

nentiæ, quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes.

Quam Regulam seruârint. Possid. in vit. S. Aug. cap. 5.

Ex quibus vtcumque constat quænam tunc téporis fuerit seruata REGVLA, Quam etiam innuit Possidius in vitâ S. Augustini, de quâ ait: *Cum Dei seruis viuere cœpit secundum modulam & REGVLAM SVB SANCTIS* APOSTOLIS CONSTITVTAM: *maximè vt nemo quidquam proprium in illâ societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur vnicuique prout cuique opus erat.* Ipse porrò Augustinus sermone 50. de Diuersis, Apostolicæ huius Regulæ mentionem facit: *Quomodo*, inquit, *viuere velimus, quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de Scripturâ sanctâ multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Apostolorum lectio recitabitur; vt videatur vbi descripta sit* FORMA, *quam desideramus implere.* Legit Lazarus Diaconus quæ in Actis Apostolorum scripta sunt, & inter alia: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum* &c. A principio porrò Apostolicæ prædicationis duplex Religiosorum fuit genus; alterum Clericorum, alterum Monachorum. Quinam autem fuerint primi, non vsquequaque inter Auctores conuenit. Clericis primatum tribuit Suarez tom. 3. de Religione lib. 3. cap. 3. & ab his ortos vocat Canonicos & Clericos Regulares. Pro Monachis est testimonium Cassiani, qui ait: *In primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi Monachorum nomine censebantur, qui ab Euangelistâ Marco, qui primùm Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit, normam suscepêre viuendi.* Et S. Bernardus in Apologiâ ad Guilielmum Abbatem, idem apertè insinuat, dum ait: *Heu me miserum qualemcumque Monachum, cur adhuc viuo, videre ad id deuenisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesiâ imò à quo cœpit Ecclesia?*

Act. 4.

An Clerici Monachis antiquiores.

Cassian. lib. 2. Institut. cap. 5.

Monachi à S. Marco instituti. Euseb. Eccles. hist. li. 2. cap. 16. Epiphan. hær. 20. Hieron. de Scriptor. Eccles. in Philone. Cassian. lib. 1. de institut. cap. 5. Nicephor. Eccles. hist. lib. 2. c. 15.

Primò hoc sæculo viguerunt etiam Cœnobitæ, à S. Marco Euangelistâ iuxta Alexandriam instituti; de quibus Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Cassianus, & alij. Nicephorus verò Callistus suam, aliorumque sententiam ita profert: *Dicunt diuinum hunc Marcum primum in Ægyptum & Alexandriam Euangelium, quod conscripsit, prædicasse, Ecclesias ordinasse, atque ei qua ibi est, Christianorum Monachorum solitariæ vitæ leges dedisse.* Horum Institutum, & REGVLAM Philo, vt suprà diximus, libro de vitâ contemplatiuâ expressit. Adeò quidem luculenter, nihil vt propemodùm in nostris Monachis inueniatur, quod ibi similiter non legatur: Nam & τῶν μοναζόντων nomen Monachorum, & τὰ μοναστήρια, reperiuntur. Scribit quoque ad hoc vitæ institutum suaptè eos sponte accedere, facultates omnes relinquere, fratres, liberos, parentes & vxores deserere, extra mœnia degere in hortis ac villis solitarijs, vigilijs, ieiunijs, orationibus, ac medi-

A tationibus operam dare. Et alia quæ apud ipsum videre est. Dionysius quoque Areopagita, qui hoc vixit sęculo, mysterium monasticæ cõsecrationis describens, abrenuntiationis & professionis formam repræsentat. Negant quidam Nouatores hos libros ab Areopagita conscriptos, sed ijs iam pridem responsum à Bellarmino, Matthæo Galeno, Martino Delrio, Petro Halloix, Petro item Lanssélio. Quod autem hos Monachos spectat, obijcit Iosephus Scaliger: *Ante Paulum nullus Eremita fuit, nulli κοινόβιοι μονάζοντες in Christianismo. Eos sanè non tacuissent, quotquot à Iustino Martyre viri Ecclesiastici ad Cyprianum vsque scripserunt. Neque tot examina Monachorum potuerunt esse, quin (vt Tertullianus loquitur) aliquam contesserationem cum Ecclesijs atque Episcopis haberent. Denique multa de illis apud Scriptores Ecclesiasticos testimonia extarent. At nulla extant. Et vetustissimus Scriptor Tertullianus satis aperit, suo aeuo nullos Eremicolas fuisse. Non sumus*, inquit, *siluicolæ & exules vitæ. Monachatus igitur ignotum vita propositum prisco Christianismo.* Ita ille.

Dionys. Areopag. de Eccle. Hierarch. cap. 6. part. 1. 3.

Nouatorum de ijs opinio. Scaliger in Elencho.

B

Refutatur. Primò.

Sed his ordine respõdeamus; primò enim, C vt ante Paulum primum Eremitã non fuerint alij Eremitæ aut Cœnobitæ eo prorsus viuentes modo, quo posterioribus sæculis Antoniani, alijque; Fuêre tamen Monachi, qui inter laicos recenserentur, & vel priuatim in ædibus suis, vel communiter in Collegijs vitam puram & castam ducerent, quibus denique in templo primus inter laicos locus, & Ordini Ecclesiastico proximus esset assignatus (vti ex Epistolâ ad Demophilum liquet) tales (inquit Petrus Halloix) Monachi, neque Antonij tempore, neD que pôst leguntur extitisse. Sed enim in Theoreticis, à Philone descriptis Essenis, quis non Eremitas agnoscat? Habebant enim, vt ipse ait, *domicilia admodum frugalia, parata contra æstum tantummodò & frigora, non cõtigua vt in vrbibus: Non enim placet id amantibus solitudinem: Nec tamen longè remota, quia societatem diligũt, vt sibi possunt inuicem succurrere contra latronũ incursus fortuitos.* In his per sex dies seorsum degebant, septimo die in cœtum communem conueniebãt. Hoc autem instituti esse Anachoretici, constat ex E Ruffino, qui de ijs ita ait: *Die tãtùm sabbati & Dominicâ in vnum ad Ecclesiam coëunt, & ibi semetipsos inuicem tanquam cœlo redditos vident.* Fuisse autem Monachos, qui in parentum, aut priuatis degerent ædibus, post Antonij tempora, significant quæ scripsit Hieronymus ad Heliodorum, Rusticum, Paulinum. Hi enim Monachi erãt, & tamen apud Matrem aut sororem degebant. Qualescumque tamen hi fuerint Monachi, de quibus Dionysius agit, siue in vrbibus, siue ruri degentes, & ad Ecclesiam conuenientes; negari non potest eos tum extitisse.

Ruffin. in vit. Patrum lib. 2. c. 22.

Secundò.

Quòd

Secundò.

Quod secundo loco obijcit Scaliger, eorum non meminisse viros Ecclesiasticos à Iustino martyre ad Cyprianum vsque; nihil obstat: nam cùm in primitiuâ Ecclesiâ cælibem vitam eligerent plurimi, & quidam ex illis multò etiam sublimiora sectarentur, externo habitu & professione Monachum agerent: horum cælibum tantùm non pauci meminerunt secundi sęculi Scriptores, non ità autem Monachorum, quòd Gentilium, contra quos scribebant, nihil interesset, eos, vel eorum viuendi formam agnoscere.

Tertiò.

Tertiò. Quòd ait non potuisse eos esse, quin aliquam contesserationem cum Ecclesijs atque Episcopis haberent; mirum est ab eo dici, cùm ex ipso Dionysio satis constet, hos Monachos populi partem fuisse, *traditosque perficienti Pontificum ordini, cuius diuinis illustrationibus Pontificijsque institutis eruditi ab eorumdem sacrâ scientiâ ad perfectissimam pro suo modulo perfectionem euehantur.* Consecrabātur autem à Sacerdotibus, quibus sine dubio subditi erant.

Dionys. de Eccl. Hierarch. c. 6.

Quartò.

Quartò. Dictum Tertulliani: *Non sumus siluicolæ & exules vitæ*, non de Monachis, sed de totâ natione Christianâ intelligendum; atque etiamnum verum est, licet non pauci in Siluis & solitudine degant. Ita S. Basilius, quāuis suâ ætate permultos sciret esse Monachos, negat tamen hominem esse animal μοναστικὸν, siue agreste: ex quo non rectè inferas Basilij ætate nō fuisse Monachos, quos inuitis Nouatoribus primo huic sæculo, Areopagitæ testificatione, asserimus.

Sanctimoniales primi sæculi.

Nec deerant hoc tempore Sanctimoniales, ac velatæ Virgines: nā Matthæus Iphigeniam; Paulus Theclam, & Petrus Petronillam, Virgines consecrarunt. De Marthâ etiam legimus Massiliæ collegium Virginū congregasse; cùm quibus vsque ad mortem sanctissimè vixit. Fuisse Antiochię collegia Virginum, Ignatio ibidem Pontifice, clarum est ex eius ad Philippenses Epistolâ, cùm dicit: *Saluto collegium Virginum.* Sed an Ignatius primus instituerit, vt professę Virginitatem simul cohabitarent, an aliquis alius antiquior; non satis liquet, vt Petrus Halloix annotauit. Certè erant nonnullæ Ignatij æuo, quæ profitebantur perpetuam Virginitatem: quas proinde in Epistolâ ad Smyrnæos in fine, vocat *degentes in perpetuâ Virginitate*, quas & salutari iubet: itaque supponit eas Ecclesiæ notas esse. Meminit autem consecrationis ipsarum in Epistolâ ad Antiochenos, his verbis: *Virgines intelligant, cui se consecrauerint.* Et in Epistolâ ad Heronem Diaconum, dum salutari iubet Mariam pudicissimam fœminam, & quæ in domo illius est, Ecclesiam: probabile est eum intelligere cœtum Virginum, cuius illa fuerit moderatrix.

Petr. Halloix ad cap. 7. vit. S. Ignatij.

DISQVISITIO III.

NOTITIA REGVLARVM.

Vt secundo sæculo Monastica viguerint Instituta?

SECVNDA Spiritus sancti velificante aurâ ad Secundum Sæculum appulimus; quo etiam Monasticam viuendi formam, siue ab Anachoretis, siue à Cœnobitis fuisse continuatam, hoc loco demonstrādum est. Primò autem loco occurrit S. Telesphorus ex Anachoretâ (vt habet Liber de Romanis Pontificibus, Damasi nomine scriptus, verè autē Anastasij Bibliothecarij) summus Pontifex creatus, anno Christi 142. Sed & idem Liber Monachas nobis suppeditat: nam Soter, qui Christi anno 175. & sequentibus Petri Cathedram obtinuit; *Constituit vt nullà Monacha pallam sacratam contingeret.* Vide Epistolam Soteris secundam ad Episcopos Italiæ, in quâ ità legitur: *Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere &c.* quod etiam à Gratiano citatum.

S. Telesphorus Papa, Monachus.

Gratian. 23. cap. Sacratas.

Eodem sæculo, anno scilicet 13. Imperij Antonini, qui est Christi annus 152. in Ægypto S. Frontonius Abbas, quem alij Frontonem appellāt, cum septuaginta Fratribus in Eremo vixit: cuius viuendi Regula ex vitæ historiâ, quæ habetur lib. 1. de vitis Patrum, vtcumque patet. Legere enim est, eos orationi, manuū labori, ac ieiunijs cumprimis vacasse: cùmque in eâdem Eremo longo tempore morarentur, & contra Instituti rigorem fratres murmurarent, eos oratione suâ sedauit.

S. Frontonij Monachatus.

Ex hoc secundo occurrit monasterium S. Heleni Episcopi, cui prefuit Theodorus, illique successit Eugenius, siue Eugenia, Virgo enim in virili habitu monachum agebat. In eo autem monasterio die noctuque psallentes audiebantur. Porrò cùm ad monasteriū S. Helenus accederet; comitabātur eum ampliùs quàm decem millia virorum psallentiū. Nā, vt in vitâ S. Eugeniæ dicitur; *Mos est apud Ægyptum, quādo circumeunt monasteria Episcopi, psallētium eos sequatur exercitus.* In eâdem vitâ scribitur Helenus *ab infantiâ Christianus, & dum infātulus in monasterio cresceret*, ardentes prunas illæsâ veste detulisse.

Monasterium S. Heleni.

Monasterij autem Regula in ipsius Eugeniæ virtutibus, vtcumque conspicienda traditur: nam in Superiorem electa, *Ante omnes opus monasterij, quod infima solebat exercere persona, suscepit: in omnibus aquam portare, ligna concidere, munditias adhibere. In eodemque loco habitaculum sibi elegit, vbi ostiarius monasterij manebat, ne vel ipso se superiorem ostenderet. Sanè refectionem Fratrum sollicitè curabat, & psallendo Deo ordinem fortiter custodiebat: & tertia, sexta, nona, vespertinus vel nocturnus atque matutinis horis tam cautissimè insistebat, vt videre-*

Qualis eius Regula.

NOTITIA REGVLARVM.

videretur iam perisse Deo, si horarum vel quidpiam spatij absque diuinis laudibus aliqua pratertisset. Hæc ex vita illius Sanctæ.

DISQVISITIO IV.

De Monachis, ac Monasterijs tertij sæculi.

Monachi tertio sæculo vigent.

VIGVISSE hoc sæculo Monachos, & Sanctimoniales, Monasteria & Asceteria, etsi negēt Nouatores; antiquæ tamen adstruunt historiæ. S. Callistus, qui martyrio coronatus est anno 226. Monachorum mentionem facit, cùm in Decreto ait: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus.* Eodem sæculo S. Dionysius ex monacho Papa eligitur. Et Hyppolitus martyr in oratione de cōsummatione mundi, inter lugendas temporis illius ærumnas hunc numerat; quòd *Monachi rerum mundi huius cupidi sint futuri.* S. verò hunc Martyrem, & Portuensem Episcopum, S Petrus Damiani opusculo 19. cap. 7. scribit etiam NONNVM fuisse appellatum. Quod etiam probat Baronius in Annalibus anno Christi 229 aitque: *Porrò* NONNVS *erat illi cognomentum, quod idem est quod Monachus.* Monachus ergò Monachorum mentionem fecit. Sed pergamus vlteriùs. Tempore Maximini, septem Monachos in carcere detentos Varus miles visitans atque reficiens, vno ex ipsis defuncto, in eius locum subrogatur, vt est in martyrologio Romano 19. Octobris. Addit Baronius: *Complures Monachos sub Maximino martyrio coronatos esse, non tantum ex Martyrologijs & Menologijs expressum habes, sed apud Eusebium.* Refert autem Eusebius martyrium Petri Abselami, qui fuit ἀσκητής, *id est Religiosus, vel Monachus, vitam solitariam & meditationi deditam secutus.* Capite 22. agit de Seleuco, qui *militia munere spoliatus, eorum qui ἀσκηταὶ, id est pietatis cultores, vel Monachi, qui dies noctesque diuinis meditationibus se exercent, æmulum se & imitatorem effecit.* Sed & sub Maximiano Monachi, & Martyres fuēre; ita enim Romanum martyrologium: *Apud Sirmium beati Sireni Monachi & martyris, qui, iubente Maximiano Imperatore, tentus, cum se Christianum esse confiteretur, capite cæsus est.*

Apud Gratia. dist. 27. can. Presbyteris.

Vari vit. Sur tom. 5.

Et Martyres sunt.

Euseb lib. 8. cap. 10.

Martyrol. die 23. Feb.

In Hispania, anno Domini 283. passi sunt sancti Martyres Fabricianus & Philibertus, de quibus in Breuiario S. Isidori Hispalensis ita legitur: *Sanctorum Fabriciani & Philiberti Abbatum & Martyrum; omnia dicantur plurimorum Martyrum, nouem lectionum;* vt ad Chronicon Lucij Dextri, anno Christi 308. annotauit Franciscus Biuarius, aitque fuisse ex illo Monachorum genere, quod à S. Marco sumpsit initiũ, & de quo S. Dionysius scripsit in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ. *Vnde habemus,* inquit, *in Hispaniâ inductum fuisse Monachorum genus antequam S. Antonius Monachos colligere, & instruere cœpisset.*

Monachatus in Hispaniâ antiquitas.

Ad hoc sæculum referendus quoque videtur S. Chariton, qui Iconij in Isauriâ, verbo reque se dignum exhibens conciuis suæ S. Theclæ imitatorem, supplicia acerbissima pertulit, vt refert Baronius Christi anno 275. Sed Dei vindictâ sublato Aureliano, & redditâ Ecclesiæ pace, ipse pariter liberatus, perinde ac Paulus & Antonius, in Eremum concessit: ibique sublime vitæ genus accipiens, alios ad idem Institutum vitæ studium capessendum prouocauit. Nam sub Tacito Aureliani successore liber dimissus, cùm Ierosolymam peteret, in latrones incidit, qui diuinitus veneno extincti, Charitonem speluncæ suæ, & pecuniarum, quas illic congesserant, reliquerunt hæredem. Quas ille (vt habent eius acta apud Metaphrastem) partim pauperibus, *& Patribus in solitudine degentibus distribuit,* partim ad sacram LAVRAM ædificandam impendit. Cuius Ecclesiâ Macarius Ierosolymorum antistes dedicauit. Cùm autem per miracula omnibus manifestus euaderet, innumerabilis multitudo Gentilium & Iudæorum non modò ad fidem, sed ad vitam quoque cōuersa est monasticam. Præfecturam porrò vni discipulorum suorum cùm demandasset, ad partes Hierichuntinas in aliâ speluncâ solus victurus commigrauit. Sed & illuc concurrentibus pluribus, qui vitam illius statuissent imitari, alteram hîc excitauit *Lauram*, quam Elpidius posteà amplificauit. Quoniam autem & hîc, multis accedentibus, interrumpebatur eius quies; cùm istis quoque Monachis dedisset CONSTITVTIONES, & præcepisset quomodo oporteat viuere, eumque designasset, qui esset præfuturus; hinc rursus recedit, & accedit ad aliam partem solitudinis, quæ quatuordecim stadijs paulò plus aut minus distat à regione Thecoorum; vbi cùm multi fratres congregarentur, tertiam quoque illic ædificat *Lauram*, quam nonnulli linguâ Syrâ, *Sucam* vocat, alij voce Græcâ veterem *Lauram*: à quâ non longè distantem in præcipiti & prærupto monte speluncam, quæ *Cremastos*, id est, pensilis dicebatur (non enim poterat adiri nisi scalis) inhabitauit. Mortis suæ præscius, omnes trium monasteriorum Pastores & greges ad se accersit, & cum ijs primam Lauram, Pharum dictam, petijt, vbi egregio ad illos sermone habito, suauiter in Domino obdormiuit.

S. Chariton illustr. Confessor,

& Monachus.

Lauras ædificat.

Et Regulis informat.

De Elpidio fit mentio in vitâ S. Sabæ cap. 8. fuitque Euthymij discipulus.

De Sucâ & Thecuoo in vitâ S. Sabæ c. 47.

Piè moritur.

Syluester Maurolicus in Oceano historiæ sacræ Religiosorum Ordinum, scribit, eum tribus supradictis monasterijs Instituti sui tradidisse *Regulam*, quâ CONSTITVTIONVM nomine Metaphrastem designasse credo.

Quòd

NOTITIA REGVLARVM.

Quòd autem illâ siue *Regulâ*, siue *Constitutionibus*, præscriberetur, Religiosus forsitan Lector requirat; sed prompta est responsio, fuisse pleraque talia, qualia in alijs Monachorum passim occurrunt Regulis; ex quibus hæc peculiariter recitat Metaphrastes.

*Metaph. apud Sur. 28 Sept. *Charetonis Constitutiones.*

De omnibus quidem, suis mandat Discipulis ea, quæ statui Monastico conueniunt, tempus cibi sumendi statuens, quod quidem est die desinente: & non vesci ad satietatem, sed ventre adhuc postulante cessare: esse autem alimentum panem solum, & salem, qui impleat locum condimenti: potum autem aquam, quæ ipsa quoque modicè & parcè sumatur. Deinde cùm de psalmodiâ mandasset & oratione, tam diurnâ, quàm quæ noctu fieret, iubet eos odio habere otium, vt causam multorum malorum: opus autem tradere manibus, quod sacris psalmis irrigetur. Si qua verò mala cogitatio, veluti quadam mala zizania, communi hoste omnium sata fuerit in terrâ cordis, ieiunio & assiduæ orationis ense eam exscindere. Præterea autem docebat non oportere assiduè procedere: silentio verò & quiete gaudere vt plurimum, quæ est mater virtutum. Hæc ibi.

An scripto tradita.

An autem *Constitutiones* hæ scripto, an viuâ dumtaxat voce traditæ, & vsu consuetudineque sint obseruatæ; non adeò facilè est affirmare. Vero enim simillimum est, quod Ludouicus Miranda in Manuali Prælatorum tradidit, vsque ad tempora S. Basilij non vixisse Religiosos vllis determinatis, aut scriptis *Regulis*: sed vitam instituisse secundùm perfectionem Euangelicam, & prout vnicuique vnctio Sancti Spiritus suggerebat, aut iuxta id quod viuâ Prælatorum voce præscribebatur. Sed reuertamur ad Monastica, quæ supersunt, huius sæculi *Instituta*.

Mirand. quæst. 4. artic. 5.

Iulianus & Basilissa Monachos congregant. Metaphr. apud Surium 9. Ianuarij.

Fuit Antiochiæ temporibus Diocletiani & Maximiani par nobile Coniugum, par Virginum, Iulianus & Basilissa. Hi pari animo & concordi sententiâ, vt Metaphrastes narrat, *Constituerunt Monasteria, in quibus animarum messem ex huius mundi spinis atque ærumnis ereptam colligerent. Erat autem Beatus Iulianus sacri illius gregis, ferè decem millium Monachorum Pater. Nam quicumque ad cælestem vitam animos suos conuertebant, apud Iulianum* A *ipsum ad Deum se transferebant. Eodem modo & Beata mulier Basilissa, Virginum & mulierum animas ab huius mundi sordibus liberatas, ad cælum dirigebat.* Habebat autem chorum sacrarum Virginum ferè mille.

Monasteria tertij sæculi. Metaphr. 26. Decembris.

Sed & in Actis Sanctorum Martyrum Indes & Domnæ, qui sub eisdem Imperatoribus Diocletiano & Maximiano passi sunt, monasteriorum illustris inuenitur memoria. Nam decollato Inde, *iussit Imperator Virginem, Domnam, quæri in Monasterijs, & dijs illius seruari. Hæc cum resciuisset ea, quæ Mo*B*nasterio præerat, in quo erat Sancta; in primis virili suscepta cogitatione, virili tonsu & veste ornatâ virgine, & preces cum lachrymis ei præbens viæ custodes & duces, eam clam emittit ex sacro thalamo.* Monet hic Baronius anno Christi 301. nouum videri non deberi, si de Asceterijs siue monasterijs hoc tempore mentio habeatur; quandoquidem iamdiu antè & S. Ignatius Apostolorum discipulus meminerit de Collegijs Virginum suo tempore existētibus. Quonam pactò verò Maximianus post hæc sæuierit in sacras Deo dicatas Virgines, eadem Acta sic narrant: *Sed* C *sceleratus non cessabat quærere: & cùm eam non inueniret, furebat communiter in omnia Asceteria. Atque sacra quidem Asceteria omnia crudeliter diruebantur, Virgines verò turpiter probris afficiebantur: Virgines (proh dolor!) quas ne masculorum quidem oculis videri erat vmquam tolerandum.*

Ignat. ad Philip. Epist. 8.

Maximianus in eas desæuit.

Monasterium Sibapolitanum. Metaphr. 25. Iunij apud Surium.

Denique quo tēpore Diocletianus Romanis imperabat, erat Sibapoli in finibus Assyriorum (vt refert Metaphrastes) *Monasterium mulierum quinquaginta, quæ monasticæ vitæ studio seipsas exercebant. His præerat mu*D*lier quædam nomine Brienna, quæ magistram habuerat Platoniam, diaconatus officio ante se functam, cuius traditionem & CANONEM ad finem vsque optimè seruauit.* Huius monasterij alumna erat Sancta Febronia illustri martyrio perfuncta.

Ex his ergò iam satis superque, ni fallor, contra Nouatores ostensa est Monasticæ Vitæ antiquitas; Et quemadmodum ante Paulum, Antonium, Hilarionem, & Macarios, varijs locis viguerint Monastica Instituta.

NOTITIA REGVLARVM.

TRACTATVS IV.

DE REGVLIS QVARTO

sæculo conſcriptis.

POST ſæuas perſecutionum procellas; poſt ventos & tempeſtates, quibus ſuperioribus ſæculis Petri nauicula variè quaſſata eſt, quarto hoc ſæculo, quo Magnus Cõſtantinus Imperium tenuit; Imperauit Dominus vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Redditâ proinde Eccleſiæ pace, adeò multiplicata fuêre Monachorum examina, tantumque monaſtica Inſtituta ſumpſerunt incrementum; Vt propterea Heterodoxi ſcribant, tum primum cœpiſſe Monachiſmi natales. Rariores anteà erant Monachorum cœtus, qui deinceps tam copioſo prouentu excreuerunt; vt eorum numerus haud facilè iniri potuerit. Tunc ſanè impleta videtur illa Iſaiæ Prophetia: Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei. decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Ad quem locum Ruffinus iſta annotauit: Quamuis hæc de Eccleſiâ dicta ſint, tamen in Ægypti deſertis hæc etiam hiſtoricâ relatione completa ſunt. Vbi tantæ per vrbes multitudines veniunt ad ſalutem, quantas Ægypti deſerta protulerunt? quanti populi habentur in vrbibus, tantæ penè habentur in deſertis multitudines Monachorum, vt vbi ſuperabundauit peccatum (idololatriæ) ibi ſuperabundet & gratia. Similia habet Palladius. Meritò proinde exclamat Hieronymus: ô deſertum floribus Chriſti vernans! ô ſolitudo in quâ illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni Regis extruitur! ô Eremus familiaribus Deo gaudens.

Matth. 8.

Monachiſmus floret regnante Conſtantino.

Iſaiæ 35.

Ruffin. l. 2. de vit. PP. cap. 7.

Pallad. in Lauſiac. c. 52.

Hieron. Epiſt. 1. ad Heliod.

Cùm autem idem Hieronymus, Monaſticæ vitæ auctorem faciat Paulum, illuſtratorem Antonium; de Paulo hoc breuiter nobis aliquid annotandum. Quamuis enim hic qui primus Eremita dictus eſt Paulus, ſub Decio & Valeriano perſecutoribus deſertum petierit, ibique omnibus ignotus, vixerit; ab Antonio tamen anno ætatis ſuæ centeſimo decimo tertio, quo & mortuus eſt, cognitus fuit. Porrò hic obitus eius annus, vt oſtendit Roſweidus, fuit Conſtantij Imperatoris quartus, qui eſt Christi 344. calculo Pontaci, vel 342. calculo Scaligeri. Proinde & huic ſæculo annumerari poteſt. De eius porrò Inſtituto, vix quidquam dicendum; cùm diſcipulos habuiſſe non legatur. Ordo enim Monachorum S. Pauli celeberrimus & ditiſſimus in Hungariâ, vt ſcribit Miræus, viciniſque prouincijs per Euſebium Strigonienſem circa annum Domini 1215. inſtitutus eſt in Hungariâ; & poſteà à Paulo Veſprimienſi Epiſcopo anno 1263. auctus, & Conſtitutionibus quibuſdam ſtabilitus.

Idem Epiſt. 22. ad Euſtoch.

S. Paulus Eremitarum auctor.

Roſweyd. Not. ad vit. Pauli primi Erem.

Miræus lib. 1. orig. Monaſt. c. 20.

Eſt & Congregatio Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ anno 1553. inchoata, quæ multa habet Monaſteria in Hiſpaniâ, & Italiâ. Sed tam hæc Congregatio, quàm Ordo prædictus, S. Paulum Eremitam Patronum potius, quàm Fundatorem agnoſcit. Militant autem ſub Regulâ S. Auguſtini, vti n Chronologiâ Monaſticâ annotat Stellartius.

Stellartius anno Chriſti 353.

Tranſeuntes igitur primum hunc, vt dici ſolet, Eremitam, Expendemus hoc Tractatu eorum REGVLAS & Inſtituta, qui quarto hoc ſæculo Monaſticam vitam opere & ſermone potiſſimùm illuſtrauerunt: In his principem facilè locum ſibi vendicat S. Antonius, quem deinde conſecuti ſunt Pachomius, Orſieſius, cui ſubiungimus Diſquiſitionem de

Regula

Regulâ Orientali, *& quæ dicitur* Serapionis, Macarij, Paphnutij, *& alterius* Macarij. *Iterumque de* Regulâ S. Macarij *seorsim. De* Regulis Patrum, *& quæ* Hermopoli *seruata. De* Monachismi *per Occidentem propagatione. De* Regulis *Monachorum* S. Martini, S. Basilij, S. Hieronymi, *de cuius etiam Monachatu disquiritur. De* Regulâ Ioannis Ierosolymitani, *eorumque* Monachorum, *de quibus agit Chrysostomus.*

NOTITIA REGVLARVM.

DISQVISITIO I.

An Monachis REGVLAM *præscripserit* ANTONIVS?

S. Antonius Cœnobitarum Institutor.

MONASTICVM viuendi Institutum, quod vrgentibus persecutionum procellis, non adeò publicè ac frequẽter exercebatur, plurimùm auxit propagauitque Magnus Antonius; vt Cœnobitarum Monachorum idem Institutor sit habitus, vel potiùs restitutor. Nam vsque ad eius tempora, vt scribit Athanasius, *Necdum tam crebra erant in Ægypto Monasteria: neque omninò quisquam auiam solitudinem nouerat, sed quicumque in Christi seruitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à suâ villulâ separatus instituebatur. Erat igitur in agello vicino senex quidam, vitam solitariam à primâ sectatus ætate: hũc Antonius cùm vidisset, æmulatus est ad bonum. Et primò quidem incipiens etiam ipse, in locis paululum à villâ remotioribus manebat.* Deinde annorum iam triginta quinque factus, Eremũ petijt, & in monte solitarius per viginti annos vixit: verùm cùm plurimi ad eum vndique confluerẽt, quibus humanarum rerum contemptum persuadebat; *multosque magisterio suo Fratres confirmaret:* factum est, *Vt breui tempore plurima fierent Monasteria. Nouos antiquosque Monachos pro ætate vel tempore Paterno* C *moderabatur affectu.* Quibus etiam *Institutoria præcepta* tradidit. *Erant igitur*, vt posteà subditur, *in monte monasteria tãquam tabernacula, plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium: tantumque ieiunandi & vigiliarũ ardorem cunctorũ mẽtibus sermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate, ad charitatem mutuam & misericordias indigentibus exhibendas iugi studio laborarent: qui infinitam regionem quamdam, & oppidum à mundanâ conuersatione seiunctum, plenum pietatis & iustitiæ videbantur incolere.*

Athanas. in vitâ Antonij cap. 3.

Athanas. cap 14.

Cap. 21. Monasteria ædificat.

Monasticam vitam propagat.

Baron. to. 3. anno Christi 328.

D Itá ergò Sãctissimus hic vir intermissum aliquousque Monachismum non tantùm restituit; verùm etiam (vt Baronij verbis vtar) longè latèque in Christianum orbem copiosissimo fœtu propagauit. Nam ex ijs qui se eius subiecêre disciplinæ, alij in eisdem cum illo montibus monasticam exercuere disciplinam: alij verò eâdem ex plantâ palmites succidentes, & in diuersis prouincijs complantantes, breui tempore factum est, nempè hoc ipso sæculo, vt replerint terrarum orbẽ tam sanctâ propagine, nimirùm Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales regiones, vsque ad latrones Bessas & Dacos.

An Regulam suis tradiderit.

Sed quænam Monachorum S. Antonij viuendi fuit REGVLA? Gregorius Nazianzenus ait S. Athanasium, *Diui Antonij vitam conscribẽtem, Monasticæ vitæ præcepta sub narrationis specie tãquam latâ lege promulgasse.* Affirmant verò Rodolphus Hospinianus, & Abrahamus Scultetus hæretici, non reperiri in vitâ S. Antonij ab Athanasio scriptâ vitæ Monasticæ leges; ac proinde librum hunc B esse Athanasij negant. Respõdet verò Rosweydus: *Sanctorum vita* (vt ait Ambros. lib. de S. Ioseph. cap. 1.) *cæteris norma viuendi est.* Et de ipso Antonio ait in præfatione Athanasius: *Perfecta est siquidẽ ad virtutem via, Antonium scire, quis fuerit.* Vel vt in Græco ad verbum habetur: *Est enim Monachis Antonij vita idonea ad Religiosam exercitationẽ formula.* In cuius rei confirmationem in vitâ S. Pachomij dicitur: *Erat per id tempus beati Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè proposita.* Et Barlaam apud Damascenum, Monachorum viuendi institutum exponere volens, C ait: *Si vnius ipsorum, hoc est Antonij, qui etiam Monasticæ vitæ Auspex ac Princeps extitisse dicitur, vitam tibi sigillatim exponerem, nimirum ex vnâ arbore fructum eorum, qui eiusdem generis ac speciei sint, dulcedinem prorsus intelligeres.* Nicephorus quoque ait Athanasij de vitâ S. Anthonij librum, *Monastici Instituti ceu finem quemdam esse.* Ruffinus verò S. Antonium ait, *Institutionis suæ præclara vsque in hodiernum Monachis exempla reliquisse.* Viua ergò erat ipso Antonius suorum & posterorum REGVLA. Quod nouissimè quoque Gaspar D Barthius luculenter testatur: *Beati Antonij*, inquit, *Principis Vitæ Asceticæ, siue Exercitatoriæ, Vitam descripsit Athanasius ille celeberrimus Alexandrinæ Antistes; insistens rerum simul veritati, & Monasticæ vitæ simul* PRÆCEPTA *tradens.* Mox autem allato Naziãzeni testimonio, probat, *eumdem* REGVLAM *Vitæ solitariæ voluisse scribere;* & à Deo ipso dicendũ & credendum Antoniũ in specimẽ & exemplum Monasticæ perfectionis præstitutũ. *Nec paucas*, ait Rosweydus, *S. Antonius Monasticas Leges exhortationibus suis, quæ in eius vitâ habentur, exprimit.* Quod ipsum Romanũ insinuat

Nazianz. orat. 20.

Hospin. de Orig. Monach. lib. 3. cap. 1.

Scultet. medul. Theolog. Pat. part. 2.

Rosvveyd. notis ad prælud. vit. S. Antonij lib. 1. de vit. Pat.

Assertum contra hæreticos.

Vit. Pachomij cap. 1.

Damascen. cap. 12.

Nicephor. lib. 8. c. 40.

Ruffin. lib. 1. hist. Eccles. cap 8.

Barthius aduersario. lib. 37. c. 2.

NOTITIA REGVLARVM. Breuiarium, dicens: *Cùm innumerabiles sui Instituti imitatores haberet, conuocatis Monachis, & ad perfectam Christianæ vitæ Regulam instructis, sanctitate & miraculis clarus migrauit in cœlum.*

Monachi Antoniani in Æthiopiâ. Quod spectat S. Antonij discipulos; plerique in Æthiopiâ Monachi dicuntur esse Ordinis S. Antonij, flauo habitu, ex crassiori gossipio, aut pellibus caprinis induti, vt habetur in Gallico libro de Statibus Imperiorum & Principatuum totius mundi per D. T. V. Y conscripto. Possevinus quoque in Apparatu Sacro, agens de Maronitis in Oriente populis, & Libani montis in Syriâ incolis, aut Patriarchæ sedem esse in Monasterio seu cœnobio; in quo paulò plus quàm viginti degunt Monachi, qui dicuntur S. Antonij, viuètes valdè parcè, obsonijs enim vix vtuntur alijs præter oryzam, iuscula & herbas: vinum autem bibunt tantummodò *Et Syriâ, qui viuant.* festis, aquam profestis, humi edunt: noctu verò & interdiu cùm matutinas & reliquas horas diebus festis recitant, confluunt populi. Sacerdotes castè ac cælibes viuunt, sed nullis studijs litterarum addicti, quod reliquum habent temporis, id præstant culturæ in agris, siue vt operas ad laborem hortentur, fitque vnde & cibus percipi, & *Hospitalarij.* tributum persolui possit. Ordo autem Hospitalariorum S. Antonij, per Gastonem Virum nobilem circa annum Domini 1121. excitatus, pauperibus, mutilis, sacro igne contactis, cæterisque ægris sublenandis, operam in primis per id tempus impendebat. Bonifacius porrò VIII. Regulam S. Augustini illis præscripsit. De quo Ordine legendus Aubertus Miræus Originum Monasticarum lib. 1. cap. 5.

S. Hieron. in vit. Hilarion. Cap. 2. Magno Antonio coronidis vice adijcio S. Hilarionem, qui eiusdem *visendi studio perrexit ad Eremum. Et statim vt eum vidit, mutata pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplans Ordinem vitæ eius morumque grauitatem.* Ab eo autem digres- *S. Hilarion rem Monasticam promouet.* sus, solitudinem petijt, & sedem sæpius mutauit. Eum verò Monachorum, Monasteriorumque in Syriâ, Palæstinâ, & Mesopotamiâ, Hieronymus agnoscit Institutorem. *Cap. 3.* *Necdum enim*, inquit, *tunc Monasteria erant in Palæstinâ, nec quisquam Monachum ante S. Hilarionem in Syriâ nouerat; ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hàc prouinciâ primùm fuit. Habebat Dominus Iesus in Ægyptasenem Antonium: habebat in Palæstinâ Hila-* *Cap. 19.* *rionem iuniorem.* Et pòst nonnulla: *Exemplo itaque eius per totam Palæstinam innumerabilia Manasteria esse cæperunt, & omnes ad eum Monachi certatim cucurrère*; quos ille quotannis visitabat.

DISQVISITIO II.

De Regulâ S. Pachomij.

MAGNI Antonij tempore vixit S. Pachomius, Tabennesiotarum Monachorum & Sanctimonialium Auctor & Institutor; cui, vt vitæ auctor habet, *Apparuit Angelus Domini, deferens ei tabulam, in quâ erat omnis forma Institutionis adscripta, quâ docendi forent, quicumque ad eius magisterij studia peruenissent. Quam* REGVLAM *Tabennenses hodieque custodiunt.* *S. Pachomius Regulam ab Angelo accipit. Vit. Pachomij cap. 12.* Quæ autem in eâ tabulâ erant annotata, compendio recensentur cap. 22. Ipsam porrò Pachomij Regulam Ægyptiacè scriptam, translatam in Græcum, Latinè reddidit S. Hieronymus, rogâte Siluano Monacho, eo tépore, quo S. Paula ex hac luce migrauit, Honorio sextùm & Aristeneto Coss. anno Domini, iuxta Fastos Onuphrij, 404. Regulam hanc edidit Achilles Statius Lusitanus. Petrus verò Ciacconius, & Alardus Gazæus, Cassiano adiunxerunt; Scholijsque Gazæus illustrauit: qui etiam disputat, an non plures à S. Pachomio emanarint Regulæ; nimirū vna ab Angelo tradita; & altera nō à solo Pachomio, sed à tribus Patribus iunctim composita, de quibus in ipso exordio dicitur: *Hæc sunt præcepta vitalia, tribus à Maioribus tradita*, quos in præfatione nominat Hieronymus, aitque fuisse, Pachomium, Theodorū, & Orsiesium: quæ quidem alia videtur fuisse ab illâ, quam soli Pachomio tradidit Angelus; & multò plura continet præcepta, quàm ea quæ cap. 22. vitæ, & apud Palladium habetur. *An plures S. Pachomij Regulæ. Pallad. in Laus. c. 38.* Trithemius lib. de Proprietate Monachorū, cap. 5. cùm citasset Regulā S. Pachomij, ac deinde subiecisset testimonium ex *Regulâ SS. Patrum, quæ Pactum Monachorum dicitur*, & ex Regulâ Ioannis Gerundensis, mox subdit: *In Regulâ etiam Pachomij Angelicâ dicitur:* quod signum est eum duas, easque distinctas Pachomij agnouisse Regulas.

Quamuis autem liberum lectori iudicium de hàc quæstione Gazæus concedat; ea tamen verisimilior apparet sententia, quæ vnicam tantùm asserit *Pachomij Regulam*, ab Angelo siue dictatam, vt Gennadius, suffragante Romano Martyrologio refert; siue in tabulâ æneâ diuinitus delatam; vt vitæ Auctor, nec non Palladius, Sozomenus, Nicephorus, & alij tradunt. *Videri vnicam reliquisse. Gennad. de vir. illust. cap. 7. Martyrol. 14. Maij. Sozom. lib. 3. cap. 13. Nicephor. lib. 9. c. 14.* Nulli enim Auctores de diuersis Pachomij Regulis mentionem faciunt. Et Palladius non integram Regulam, sed eius quoddam exhibuerit breuiarium. Baronius tam in Annalibus, quàm in Notis ad Martyrologium Romanum, disertis verbis ait, Regulas S. Pachomij Ægyptiacè scriptas, à S. Hieronymo Latinè redditas. Quòd au-

tem

tem in ijs fiat mentio trium Patrum, probabile efficitur, ab ijs nonnulla fuisse Regulæ illi addita. Fusius hæc vide apud Gazæum.

Quot Capitum. Edita porrò *Pachomij Regula* constat Capitibus siue Articulis 128. In Manuscriptis tamen Treuirensi, & Coloniensi codicibus, qui *Patrum* exhibēt *Regulas*, inueniūtur Pachomianæ Regulæ capita 142. & hâc Regulâ vsus videtur Benedictus Anianæ Abbas in suâ Regularum Cōcordiâ; in quâ multi citantur articuli, qui in impressâ desiderantur: atque, vt Menardus annotauit, alius articulorum ordo in Concordiâ videtur, quàm in editâ Regulâ.

Gennad. de Scriptor. Ecclesf. c. 7. Operum verò S. Pachomij catalogū texit Gennadius. Sed plures tractatus, & Epistolæ inueniuntur in supradictis libris MSS.

Dubitatum de Posthumio, eiusq; Regulâ. In Vitis Patrū lib. 1. habetur vitâ B. Posthumij, cui Macarius moriens suorum regimen Monachorum imposuit. Tribus verò post Macarij obitum diebus, Regulam ab Angelo accepit; quæ in eius vitâ cap. 8. refertur. Quis verò hic Posthumius sit, non admodū est exploratum: de quo nihil vel in tabulis Ecclesiasticis, vel apud Historicos se inuenisse testatur Rosweydus. Cùm autem in eius vitâ multa sint affinia cum Pachomio, eiusque Regulâ; & Pachomius dicatur quibusdam *Pachumius*; hinc ait vereri se, ne *Posthumius* ex *Pachumio* irrepserit.

DISQVISITIO III.

Quænam Orsiesij Regula.

VNus ex tribus Patribus, quorum in Pachomij Regulâ, & S. Hieronymi ad eam præfatione fit mentio, fuit *Orsiesius*, cuius nomen variè inuenitur exaratum. Gennadio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorū, dicitur *Oresiesis*; auctoritate S. Pachomij, quæ est in Vitis Patrum, *Orsisius*. Græci auctores, vt Hugo Menardus obseruauit, Socrates, Sozomenus, Palladius in Lausiacâ, vocant *Arsisium*. Pelagius lib. 5. de Vitis Patrum, *Orsisium*. Suffridus Petrus ad Gennadium addidit: *Hic scriptor in excusis exemplaribus, vt & apud Honorium, & Trithemium,* ORIESIS, *in nostris MS. Codicibus* ORLCTESIS *est.* Menardus ait, cōstanter à Latinis appellatur *Orsiesius*, siue, *Orsiesis*, tum in eius opere edito, tum apud S. Hieronymum, tum apud Gennadium, atque etiam in MS. Cod. Concordiæ Regularum; & hanc scribēdi rationem nos sequuti sumus. Mortuo igitur Pachomio successit ex eius nominatione, fratrumq; electione Petronius; *Qui paucis diebus totam fraternitatem gubernans*, (vt habet vitâ Pachomij) *in pace defunctus est, relinquens post se virum iustū & acceptum Deo*, ORSESIVM *nomine.* Abbatis titulo nominatus reperitur citatis locis apud Pelagium. Scripsit verò librum, qui in editione Coloniensi anno

Orsiesij nomen.

Socrat. lib. 4. cap. 14. Sozom. lib. 3. cap. 13. Pallad. c. 8. Pelag. Libell. XI. nu 17. & Libell. XV. num. 31.

Liber eius de Instit. Monast.

A 1536. & Bibliothecâ veterum Patrum tom. 5. tertiæ editionis Pariensis, hunc præfert titulum: DIVI ORESIESIS MONACHI ANTIQVISSIMI, REGVLÆ DE INSTITVTIS MONASTICIS DIVINO SALE CONDITÆ. Gennadius autē hęc de eo scribit: ORESIESIS *Monachus, amborum* (id est Pachomij & Theodori) *collega, vir in sanctis scripturis ad perfectum instructus, composuit librum diuino conditum sale, totiusq; Monasticæ disciplinæ instrumentis constructum, &, vt simpliciter dicam, in quo totum penè vetus & nouum testamentum compēdiosis dissertationibus, iuxta Monachorū dumtaxat necessi-

NOTITIA REGVLARVM.

Gennad. de Script. Ecclesf. cap. 9.

B tem, inueuitur expositum: quem tamen vice testamēti, propè diem obitus sui, Fratribus obtulit.* Sic ille. Verissimè omninò: neque enim tā Regulam, quàm Testamentum voluit cōdere, siue extremam ad Fratres, & in ijs ad posteros, exhortationem; vnde in fine ait: *Vigilate, omni studio curâq; contendite, ne obliuiscamini propositi vestri, sed implete quod vos scitis esse pollicitos, ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ adest.* Nimirum, postquā Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem, benè longo & diuino illo sermone suos post

Testamenti loco scriptus.

C Cœnam instruxit Apostolos, & charitatem eis testamenti vice legauit: idipsum Sanctorū plurimi sumpserunt imitandum. Sic Antonius prędictâ fratribus morte suâ, eos monitis salutis confirmauit. Sic est Pachomius ante duos dies sanctę dormitionis suæ, conuocans vniuersos Fratres, eos monuit hæreticorum consortia fugere, & se præsente iubet Prælatum eligi. Sanctus Ephrem Syrus prolixum scripto digessit Testamentum, sicut hoc suo Libro Oresiesis; in quo ordine monet Præpositos, & Subdi-

D tos, & quæ ad perfectionem Monasticam & communem vitam spectant, dilucidè inculcat: nec nouam cōscribit Regulam, sed Patris sui S. Pachomij supponit, & frequenter commēdat, de quâ ait: *Traditiones Patris nostri, scalas putemus ad cœlorum regna tendentes.* Item: *Si mandata sunt Dei quæ per Patrem nostrum tradidit nobis, & quæ sequentes possumus peruenire ad regna cœlorum, toto eadem desiderio compleamus.* Et rursus: *Nos igitur Sanctorum imitatores simus, nec obliuiscamur Institutionis, quâ nos erudiuit* PATER NOSTER, *dum adhuc*

Non est noua Regula.

E *esset in corpore.* Liber totus absque vllâ capitum, aut articulorum distinctione, continuatâ serie ad finem vsq; decurrit. Agit de eo tamquam Sancto, Petrus Equilinus lib. 4. cap. 174. appellatque *Orosiensem.*

DISQVISITIO IV.

Quæ Regula Orientalis?

IN Cōcordiâ Regularum Benedicti Abbatis citatur *Regula Orientalium*, quam MSS. codices Treuirensis & Coloniensis, integrè exhibent hōc initio: *Vt neque Seniores in*

Auctor Regulæ Orientalis incertus.

NOTITIA REGVLARVM. *res in regendis Fratribus inaniter laborent, neque disciplina iuniorum vacillet &c.* Quis autem huius Regulæ auctor? quibus fuerit præscripta? aut vbi obseruata? qui tradat, hactenus legi neminem. Petrus Boërius S. Aniani Abbas, & posteà Episcopus Vrbeuetanus, in Commentario ad caput 53. Regulæ S. BENEDICTI, hæc habet: *Pachomius fundator dicitur fuisse Cœnobiorum Ægypti, & Regulam, quæ* ORIENTALIS *dicitur, dictante Angelo conscripsisse.* Regula porrò quę in prędictis libris habetur, alia est à Regulâ Pachomij versâ à S. Hieronymo, & ab eâ, quã compendio describit Palladius: videtur tamen ex Pachomij descripta, ordine articulorum mutato, nonnullis prætermissis, & paulò aliter subinde expressis. An alia sit Regulæ S. Pachomij editio, vel ab aliquo Discipulorum eius in hanc formam redacta; viri docti iudicabunt.

Delibauit Pachomianam.

Sed quod ad *Orientalium* spectat *Regulas*, constat eas non vnius fuisse formæ. Nam vt varijs locis Monasticum propagabatur Institutum; ita pro Superiorum voluntate diuersa in quibusdam rebus erat obseruantia: quamuis in præcipuis vtcumque conuenirent.

Orientales Regulæ variæ.

De Tabennesiotis Pachomij Monachis scribit Sozomenus, quod eorum *habitus & vitæ institutio, à reliquorum esset Monachorum disciplinâ in quibusdam rebus discrepans.* Cassianus quoque ait: *Tabennesiotarum in Thebaide Cœnobiũ quantò numero populosius cunctis, tantò conuersationis rigore esse districtius.* Idemque meminit *Regulæ Monasteriorum Palestinæ, vel Mesopotamiæ, quæ perfectionem Ægyptiorum, & inimitabilem disciplinæ rigorem non exæquaret.*

Sozom. lib. 3. hist. Eccles. cap. 13. *Cassian. lib. 4. institut. cap. 1.* *Lib. 3. cap. 1.*

Sed quod hanc, de quâ agimus, ORIENTALEM spectat REGVLAM; fuerit ea fortassis in Occidente conscripta ex alijs Orientalium Regulis, aut viuẽdi formâ ab Orientalibus olim Monachis obseruatâ. Nam Petrus Rouerius è Societate IESV in Illustrationibus historiæ Monasterij Reomænsis, num. 37. scribit, olim fuisse moris vulgatissimi, maximè in his Occidentis regionibus, vt nemo sibi Monachi nomen auderet arrogare, qui non ad alicuius ex Oriente Abbatis mores & Instituta, vitam dirigere videretur. Cùm nihil censeretur rationabilius, aut perfectius, vt ait Cassianus in præfatione libri primi, quàm illa essent Instituta, in quibus ab exordio prędicationis Apostolicæ à sanctis ac spiritualibus Patribus fundata Monasteria eousque perdurarent. Itaque scribebantur tunc vulgò Regulæ ab Occidẽtalibus Monachis, non suo, sed eius ex Oriẽtalibus nomine inscriptæ, cuius illæ maximè mores, monita, atque instituta, ab eo qui scriberet, vel visa, vel audita, exprimerent. Cassianus id prodit scribens ad Castorem. *In prouinciâ,* inquit, *tuâ Cœnobiorum experte, Orientalium, maximèque Ægyptiorum volens Instituta fundari.* Talem etiam fuisse hanc Regulam, idem Rouerius videtur arbitrari; de quâ ita ibidem scribit: *Quid Regula Orientalium,* à quo tandem Orientali homine scripta probabitur? Sic ille. Nec in re modum obscurâ nos ampliùs quod proferamus habemus.

Ex ijs concinnata Occidentales.

DISQVISITIO V.

De Regulâ Serapionis, Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij.

IN peruetusto illo iam ante citato sępiusque citando S. Maximini Treuirẽsis Codice, & descripto ex illo S. Pantaleonis Coloniensis, exstat Regula hunc præferens titulum: *Regula Monasteriorum vel Deum timẽtium pro discipulorum eruditione: id est Serapionis, Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij Abbatis, vel aliorum XXXIIII.* Præmittitur autem talis præfatio: *Sedentibus nobis in vnum consilio saluberrimo * cum prece Dominum nostrum rogauimus, vt nobis distribueret Spiritum sanctum, qui nos instrueret, qualiter Fratrum conuersationem, vel Regulam vitæ ordinare possimus.* Regula porrò in Collectâ vel senatu Patrum facta videtur; constatque capitibus 14. quorum primum est iam dicta Præfatio. Secundò prænotatur; *Serapion dixit.* Tertiò & quartò præponitur, *Idem ipse,* vel, *Qui suprà.* Quatuor deinde capita absoluit Macarius vsque ad octauum inclusiuè. Nonum, & tria sequentia tribuuntur Paphnutio. Duo vltimà alteri Macario; in fine subiungitur: *Explicit Regula Patrum, Abbatum XXXVIII.* Cùm autem præter quatuor prædictos, nullius alterius Abbatis sententia referatur; signum fortasse fuerit, residuos triginta quatuor prędictorum, vtpotè magis celebrium, ordinationes approbasse, & ijs fortasse subscripsisse. Hoc ex nostro Codice. Duo eiusdem Regulæ exemplaria MSS. se vidisse testatur Menardus; alterum Bibliothecæ Floriacensis, quod eundem cũ nostro libro pręfert titulũ, conuenitq; cum ijs, quæ in Concordiâ Regularum citantur, sed octo absoluitur capitibus: alterum Bibliothecæ Corbeiensis; quod quidem pluribus eandem rem exprimit verbis, & quodãmodò paraphrasticè se gerit, sed quatuor dumtaxat capita complectitur, eaq; maiora. Ex quo conijcias capitum distinctionem ab aliquo posterioris æui forsitan adiectam, placuitq; Corbeiensi vnum singulis Auctoribus tribuere caput.

Regula Patrum Abbatum. ** Competti.* *Eius forma.*

Constat autem Auctores fuisse Synchronos; de quibus breuiter aliquid dicendum. *Serapion*, non vnus fuit. Meminit Serapionis Hieronymus, *Thmüeos Ægypti vrbis Episcopi, qui, vt ait, ob elegans iam ingenij, cognomen Scholastici meruit, carus Antonio Monacho, edidit ad-*

Auctores eiusdem Synchroni. *Hieron. de Scriptor. Eccles. c. 99.* *Serapion.*

dit aduersum Manichæum egregium librum, & de Psalmorum titulis alium, & ad diuersas vtiles Epistolas; & sub Constantio Principe etiam in confessione inclytus fuit. Ordinatus fuit à S. Athanasio, & ab eodem in libris, qui exstant, celebratus; Quàm carus autem Magno extiterit Antonio; satis ipse moriens demonstrauit, cùm alteram suam melotem eidem testamento dari iusserit, vt scribit Athanasius. Ruffinus porrò, & Palladius meminerunt alterius *Serapionis* Presbyteri, multorum Monasteriorum, & *quasi decem millium Monachorum Patris.* Et hunc Menardus insinuat Regulæ huius Auctorem. Probabiliter admodum: nam prior ille viuente adbuc Antonio Episcopus erat, quæ eius qualitas in hac Regulâ fuisset alicubi expressa. Et verisimile est in eo conuentu, vbi hæc Regula decreta, non nisi Abbates adfuisse.

Athanas. in vit. Anton. cap 58. Ruffin. lib. 2. de vit. Patrum c. 18. Pallad. hist. Lausiac. c. 76.

Reliquos tres vno versu Sidonius Apollinaris conclusit:

Sidon. carmin 16. ad Faustum.

Nunc duo Macarij, nunc Paphnutius heros.

Macarij duo.

Macariorum illorum alter *Ægyptius* dictus fuit, alter verò *Alexandrinus*, siue, vt Socrates ait; *alter ex superiore Ægypto, alter ex vrbe Alexandriâ oriundus. Ægyptius* ille fuit discipulus S. Antonij. *Alexandrinus* hic dictus est iunior. De vtroque scribunt cōplures citati à Rosweydo in notis ad librum secundum de vitis Patrum, num 46. & sequenti.

Socrat lib. 4. hist. c. 18.

De *Paphnutio* verò eodem libro Ruffinus: *Vidimus, inquit, Monasterium S. Paphnutij hominis Dei, qui nominatissimus in illis locis Anachoretes, & vltimus habitator fuerat deserti in regionibus Heracleas, splendida apud Thebaidem vrbis.* Et hunc in parte Regulæ huius Auctorem agnoscit Hugo Menardus, eundemque facit cum *Paphnutio* cognomento *Bubala*, Presbytero Congregationis illius, quæ in eremo Sciti morabatur; cuius est apud Cassianum Collatio tertia: quemq; ait *in choro Sanctorum, qui velut astra purissima, in nocte mundi istius refulgebant, vice luminaris magni claritate scientia coruscasse.* Sed hunc Rosweydus alium putat ab illo Ruffini.

Paphnutius.

DISQVISITIO VI.

De Regulâ S. Macarij.

PRÆTER eam, de quâ proximè egimus, inuenitur & alia *Regula* solius *Macarij* prænotata nomine, cuius tam in Treuirensi & Coloniensi citatis codicibus, quàm in eâ, quam ex Beccensis Monasterij MS. exhibet Petrus Rouerius, talis est inscriptio. *Regula S. Macarij qui habuit* * *sub ordinatione suâ quinque millia Monachorum.* Regulæ verò exordiū est: *Milites ergò Christi, sic taliter suos debent componere gressus.* Nullis autem distinguitur capitibus in Codice Treuirensi, quā-

Macarij Regula.

* Beccens. sub suâ dispositione.

A muis Rouerius exhibeat articulos 30. quos in Illustrationibus Regulas appellat. Sed in fine aliquid peesse videtur.

NOTITIA REGVLARVM.

Vtrius verò *Macarij* hæc Regula sit, non leuis est controuersia. Aubertus Miræus, in Scholijs ad Gennadium de Scriptoribus Ecclesiasticis, itâ ait: Horum alter senior, cognomento *Ægyptius*, S. Antonij discipulus, Græcè scripsit *Homilias*: quas Ioannes Picus, in Senatu Parisiensi Classium Inquisitoriarum Preses, anno 1559. Latinè reddidit. Idem *Macarius Ægyptius* scripsit, ad Iuniores professionis suæ Monachos, Epistolam, siue REGVLAM: quæ sic incipit; *Milites ergò Christi.* Idemque repetit in Elencho Regularum. Verùm Regula hæc distincta videtur ab illâ Epistolâ, de quâ Gennadius itâ disserit: *Macarius, Monachus ille Ægyptius, signis & virtutibus clarus, vnam tantùm ad iuniores professionis suæ scripsit Epistolam: in quâ docet, illum perfectè posse seruire Deo, qui conditionem creationis suæ cognoscens, ad omnes semetipsum inclinauerit labores, & luctando atque Dei auxilium aduersum omne, quod in hâc vitâ suaue est, exploranda, ad naturalem quoque perueniens puritatem, continentiam, velut natura debitum munus obtinuerit.* Hæc sanè, aut his æquipollentia, in hac Regulâ non comparēt. Notauit verò Possêuinus, Macario Gennadij verbis apathiam videri adscribi: vt non obscurè appareat, quod alij sunt suspicati, Gennadium ad Pelagianismum propendisse. Trithemius autem præter vtilem omnibus Religiosis Epistolam, ait, eum & alias ad alios scripsisse, insuperque ad Monachos lib. 1.: cuius exordium: *In primis quidem fica.* In MS. quodam codice Augustano, ex quo R. Pater Patricius Flemingus vtramque S. Columbani Regulam repræsentat, continebantur quoque Monita S. Macarij Abbatis, & Epistolā eius ad Monachos. Atque hæc occasione Regulæ de eius lucubrationibus.

An Ægyptij?

Non videtur. Gennad. cap. 10.

Trithem. lib. de Scriptor Eccl.

B

C

D

Cæterùm Petrus Rouerius Regulā hanc putat ex *Macarij Alexandrini*, siue Iunioris, quem & Nitriensem vocat, Institutis expressam. Hic enim *cùm esset*, vt loquitur Palladius, *posteriore ætate*, quàm Ægyptius, *erat tamen prior prærogatiuis Monasticis.* Ille deserE tum Scetes, aut Scitæ incolnit: iste in monte Nitriæ sedem præcipuam habuit. Testatur enim Palladius, eum *diuersas habuisse cellas, vnam quidem in Scete, quæ est interior in solitudine, & vnam in Libyâ, & vnam in Cellijs, & vnam in monte Nitriæ.*

Rouer. in Illustrat. Monast. Reomaens. num 18.

Adscribenda Macario Alexandrino.

Pall. cap. 19.

Sed quo argumento probatur ad huius disciplinam hanc Regulam concinnatam? duplici quidem: prius desumitur ex titulo, quo scribitur quinque millibus Monachorum præfuisse. Hoc autem numero Nitrienses huius Macarij Monachos Hieronymus circumscripsit: *Monachi, inquit, circi-*

Probatur primò.

Hieronym. Epist. 22.

NOTITIA REGVLARVM. ter quinque millia diuisis cellulis habitabăt. Palladius: *In eo* (mōte Nitriæ) *habităt ad quinque* Pallad hist. Lausia.c.7. *millia virorum* Iterumque: *Nam cùm quinque* Cap.14. *millia Monachorum illum montem habitent.* Extat etiam inter Patrum Vitas historia, & Regula Posthumij, qui *Macarium Alexandrinum* excepisse eā in præfecturā dicitur, ac Monachorum quinque millium Pater extitisse (in editione Rosweydi est, quinquaginta millium, forte errore Scriptoris) Cōcludit Rouerius: Itaque non est, vt opinor, dubium, quin is, qui hanc Regulam concinnauit, hac notā numeri quinque millium Monachorum docere voluerit, se in eā expressisse mores, atque instituta eorum, qui Nitriæ montem incolerent, & disciplinā huius Macarij nonnihil, vt obseruat Palladius, ab alijs diuersam, sectarentur. B

Secundò. Posterius pro hac Regulā argumentum, est mira conuenientia cum Institutis Nitriensibus; quam ex septem capitibus probat & illustrat Rouerius. Qui etiam censet hanc Regulam à *Macario* non esse scriptam, aut dictatam, sed ab aliquo iuxta Monachorum eius viuendi formam litteris commendatam: Itaque non esse Macarij, vt scriptoris, sed vt Informatoris; non manu eius, sed *Eius antiquitas adstructa.* moribus, ac monitis delineatam. Neque verò fœtum hunc esse suppositiitum, merumque figmentum; quod quidam pronuntiare ausi sunt, vel inde constat, quòd ex eā quædam sententiæ eisdem, vt nunc leguntur, verbis, citentur à Smaragdo in Commentario ad Regulam S. Benedicti, & à Benedicto Anianæ Abbate in Concordiā Regularum. Nouerat eandemquoque Philibertus; qui ante annos nongentos, *Legebat*, vt vitæ Auctor ait, *Basilij præclaras Constitutiones*, MACARII REGVLAM, BENEDICTI *decreta, Columbani Instituta.* Eandem hanc *Macarij Regulam* S. Ioannes Abbas, & Institutor Monasterij Reomaensis tempore Clodouæi primi, Francorum Regis, suis tradi- Ionas lib. 1. cap.7. priuileg Clodou. lib 5. hist. Reomaensis. dit Religiosis, vt Ionas vitæ Auctor, & ipse Clodouæus scribit. Ex quibus manifestum est, eam iam olim ante S. Patris Nostri BENEDICTI Regulam in Galliā obseruatam. C D

Sed à Galliā in Ægyptum transeamus, & ibi *S. Macarij* posteros inquiramus. Siluester *Silueft. Maurolyc. lib. 5. de hist. omnium Relig.* Maurolycus ex Francisci Patrui sui Martyrologio ista suppeditat. E

Monachi Macariani hodie in Ægypto. Epistola plena vtilium & ad vitam Monasticam spectantium. Modò reperiuntur in Ægypto Monachi, & habent plusquam quinquaginta Monasteria, quorum caput est *S. Macarij*, quod à Cairo abest itinere bidui, & interiacet quædam eremus, in quā iacet corpus *S. Macarij*.

Quomodo viuant. Isti Monachi asperitates magnas & rigorem Monasticum obseruant, & in ieiunijs sunt strictissimi, recităt horas Canonicas linguā quæ ab ipsis vocatur *Copta*, quæ ab Arabicā non multum differt. Regulas & Constitutiones Monasticas habent à *Macario* præscriptas, consecrant Græcorum more, & vltrā Ægyptum se non extendunt. Amplas habebant diuitias priusquam ea loca à Saracenis & Turcis occuparentur; nunc verò ex eleemosynis, & labore manuum suarum viuunt. Emittunt tria Religionis vota, induuntur que patientiā, siue scapulari nigro subtus tunicā violaceā, & gestant in capite biretum. Hæc ex quodam eius Ordinis Monacho Iosephonomine Maurolycus Romæ hausit, atque hunc Ordinis S. Antonij quemdam esse ramum, aut ipsummet Ordinem.

Philippus Ferrarius in Topographiā Martyrologij Romani, ait in Nitriā Ægypti ciuitate multa olim Monachorum fuisse Cœnobia: nostrā verò tempestate iacere; sed manere Monasterium, & Ecclesiam *S. Macario* Abbati dicatam: in quo Monachi aliquot, quos *Coftos* vocant, morantur, sub obedientiā Patriarchæ Alexandrini, vt ait idem in voce, *Scetis*.

DISQVISITIO VII.

De Regulis Patrum.

DVÆ occurrunt in citato superiùs MS. Codice *Patrum Regulæ.* Vtraque hoc titulo prenotata: *Regula à SS. Patribus prolata.* Vtraque, vt ex Præfationibus patet, in Patrum conuētu sancita. Quamuis autē titulo conueniant; differentia tamen inter illas manifesta est. Hoc loco eas recēsere libuit, quòd superioribus essent coniunctæ. Prioris hæc est Præfatio: *Cùm residentibus in vnū, in nomine Domini nostri Iesu Christi, secundùm traditionem Patrum sanctorum virorum, visum est nobis conscribere, vel Regulam ordinare, quæ in Monasterio teneretur ad profectum Fratrum, vt neque nos laboremus, neque sanctus Præpositus, qui constitutus est in loco, dubitationem aliquam pati possit, vt omnes vnanimes, sicut scriptum est, & vnum sentientes inuicem honorantes, ea quæ statuta sunt à Domino iugi obseruatione custodiant.* Constăt verò hæc Regula capitibus septem. *Patrum Regulæ II. vbi exstent.* *Prima.*

Primum autem incipit: *Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem* &c. Quam sententiam Trithemius noster libro de Propriet. Monach. cap. 5. citans, præmittit: *Et in Regulā Sanctorum Patrum, quæ Pactum Monachorum dicitur.* Vt videas hanc Regulam fuisse olim cognitam, & à sequente distinctam.

Posterior Regula à Sanctis Patribus prolata sic incipit: *Cùm in nomine Domini vnà cum Fratribus nostris conuenissemus, in primo placuit, vt Regula & Instituta Patrum per Ordinem legerentur, quibus lectis placuit, si de sæculo* *Qualis secunda.*

quis in Monasterio conuerti voluerit, Regula ei introeunti legatur. Habet capita XIV.

Supponit aliam Regulam.

Hęc verò Regula cùm breuis admodum sit, aliam, quæ simul cum eâ fuerit in vsu, videtur supponere; eiusque meminit capite 1. dicens de Nouitio: *Si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensâ ponatur coram omnibus Fratribus, velut* REGVLA *continet.* Et capite 2. *Si quis verò (quod in* REGVLA *Iunioribus prohibetur) sibi aliquid ex successione parentum, seu quolibet donato retinere præsumpserit, & non omnia in commune posuerit; à Fratribus arguatur.* Capite 4. ait, Regulam docere, vt fœminæ arceantur à Monasterijs, vel culturis Monachorum; & Monachi à Monasterijs Puellarum. Quam autem Regulam subindicet, haud facilè fuerit diuinare. Cùm autem præscribat, vt Abbas depositus *inferiorem se omnibus Presbyteris recognoscat*: Et, vt Monachus qui furtum fecerit, si iunior fuerit, numquam officium clericatus accipiat, etiam Clericus nominis dignitate priuetur; non videtur S. Pachomij insinuasse Regulam, quæ nullos Presbyteros aut Clericos admittebat.

Cap. 4.

Et posterior S. Benedicto.

Apparet autem S. BENEDICTO esse posteriorem: nam capite 3. agit de cucullis nigris etiam colore tinctis, cùm tamen S. BENEDICTVS nullum colorem præscripserit, volueritque de eo Monachos, vt loquitur, non causari. Capite 9. in ebrietate deprehēsum iubet puniri secundum canones, aut triginta dierum à communione separatione, aut virgis cædi; quod habetur in Concilio Agathensi capite 41. celebratum id est anno 506. præsidente S. Cæsario Arelatensi. Sed cùm hæc etiam habeantur apud Burchardum, Iuonem, & Gratianum, incertum ex quo fonte hic Regulæ Auctor expresserit. Hoc loco eam exhibui, quod in Treuirensi codice post Regulam Serapionis, Macarij, & Paphnutij, haberetur, & aliundè nihil certi liqueret.

DISQVISITIO VIII.

De Regula Hermopoli seruata.

Lib. 1. de vit. Patrum.

Vitâ S. Onuph. c. 3.

S. Onuphrius meminit Regulæ Hermopolitanæ.

ALTERAM incerti Auctoris, & temporis *Regulam* subijcere placuit, quam suppeditat vita S. Onuphrij. Narrat enim ipse, se antequam eremum incoleret, in Monasterio *Hermopolim* dicto, in prouinciâ Thebaidâ, fuisse nutritum: vbi simul penè centum degebāt Monachi; qui vno corde & vno spiritu, iugo ac disciplinæ SANCTÆ REGVLÆ colla submittebant. Breuiter autem ibi nonnulla ex Regulæ præscripto à Monachis obseruata commemorat. *Ibi*, inquit, *pabulum sanctæ doctrinæ ab adolescentiâ suscepi: ibi* REGVLARIS *vitæ normam à Fratribus didici.* An hæc Pachomij, an alterius alicuius fuerit Regula; an verò huic Monasterio propria, quis affirmare queat? Quòd autem variæ fuerint ante Basilium, atque etiam posteà, Monachorum Regulæ; videbatur hoc loco huius non prætereunda commemoratio.

NOTITIA REGVLARVM.

DISQVISITIO IX.

Vt Monachismus in Occidentem fuerit illatus, & propagatus?

AB Oriente in Occidentem transmigremus, atque vt *Monasticum Institutum* sensim per Occidentalem Ecclesiam plantatum, & dilatatum sit, consideremus. Illud autem in hunc ferè modum contigisse accepimus.

Athanasius Monachismum infert in Occidentem.

Cùm S. Athanasius tertio anno susceptæ gubernationis Alexandrinæ Ecclesiæ, cunctas ex officio visitaret Ecclesias, hâc occasione Ægypti etiam solitudines Monasteriaque adijt, & cum Antonio, Pachomioq; (vt in vtriusque habetur vitâ) collocutus est: quorum Instituta Romam posteà deferens, Monachismum in Occidentalem Ecclesiam inuexit. Testis enim est Hieronymus, Marcellam ab Athanasio Romæ *vitam beati Antonij adhuc viuentis, Monasteriorumq; in Thebaide Pachomij & Virginum ac Viduarum didicisse disciplinam: nec erubuisse profiteri quod Christo placere cognouerat.* Tam auidè autem, vt Baronius annotauit, Occidentales Ecclesię eiusmodi sanctissimæ vitę genus sunt amplexatæ; vt & Clerici idem ipsum fuerint æmulari: in suis Ecclesijs ita degentes, vt in Ægypto Monachi, in desertis solitudinibus habitantes. Primas hac in parte obtinet S. Eusebius Vercellensis, de quo Ambrosius: *Primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate positus Instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate.* Et post pauca. *Hæc igitur patientia in S. Eusebio Monasterij coaluit vsu; & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Nam hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum Instituta?* Idemque in sermone 69. (vel vt recentior editio, sermone 15. de Sanctis) ait: *Nam, vt cætera taceam, illud quàm admirabile est, quod in hac sanctâ Ecclesiâ* (Vercellensi) *eosdem Monachos instituit esse quos Clericos? atque ijsdem penetralibus sacerdotalia officio contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur? vt esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum: vt si videris Monasterij lectulos, instar Orientis Propositi iudices, si deuotionem Cleri prospexeris, Angelici Ordinis obseruatione gaudeas.* Sic ille. Notat verò Antonius Caracciolus, olim Religiosos Clericos multis modis inter se fuisse distinctos; nempè *Regulis, habitu, vocabulo. Regulis quidem, quod aliæ essent S. Augustini Regulæ, alio*

Hieron. ad Principiam Epist. 16.

Auidè excipitur. Baron. anno Christi 328. nu. 21.

Ab Eusebio Vercellensi. Ambros. ad Vercell. li. 3. Epist. 25.

Cui Monastices Clericatus iunxit.

Caracciol. notis ad Præfat. in constitut. Cleric. Reg.

NOTITIA REGVLARVM. *Quod alij imitantur.* Baron. vbi suprà.

Iæ aliæ Eusebij Vercellensis, alia Prosperi, aliæ caterorum Clericalis Instituti Ducum. Hoc autem ipsum præstantissimum vitæ genus (vt ait Baronius) S. Martinus, Episcopus Turonensis, transuexit in Gallias; & S. Augustinus in Africam: qui admirabili quadam connexione duo hæc (vt dictum est) omninò perfectissima vitæ genera, Clericorum & Monachorum, in vnum pariter coniungentes, tanquam lucidissimis astris, vt olim Martyres tempore persecutionis, in pace, Christi Ecclesiam exornarunt. De quibus deinceps.

DISQVISITIO X.

Quæ Monachorum S. Martini fuerit Regula?

S. Martinus simul Episcopus & Monachus.

MAGNVM illud Gallicanæ, aut potiùs vniuersalis Ecclesiæ decus, S. Martinus, Monachis æquè ac Clericis iure meritissimo est annumerandus; qui mixtum hoc ex Monacho & Clerico vitæ genus, in se, suisq; exprimens discipulis, sanctitatis suæ fragrantiam toto orbe diffudit. Hic igitur Vir tantus, Mediolani primùm, deinde ab Auxêtio Ariano hinc exturbatus, alterum apud Pictauos Monasterium instituit; quo titulo Sancti Viri corpus Pictaui post mortem retinere volentes, dicebant: *Noster est Monachus, nobis Abbas extitit, nos requirimus commendatum.* Tertium Turoni iam Episcopus, in quo, vt Venantius Fortunatus cecinit, vixit

Sulpicius Epist. ad Bassulam. Fortunat. lib. 1. de vit. S. Martin.

Vir Monachus perstans in Pontificatus honore.

Sulpic. in vit. S. Martin. apud Surium c. 7.

Nam, vt Seuerus Sulpicius ait; *Idem constantissimè perseuerabat, qui priùs fuerat. Eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas erat. Atque ita plenus Authoritatu & gratia, implebat Episcopi dignitatem: vt non tamen propositum Monachi, virtutemque desereret.*

Rouerius in Illustrat. hist. Monast. Reomau. n. 61.

Sed quænam eius fuêre *Monastica Instituta*? quæ leges aut *Regulæ*? Petrus Rouerius triplicem *Monasticæ* Vitæ rationem olim in Gallià fuisse tradit; vnam eorum, qui suo sibi arbitrio leges dicerent, vt ferè Anachoretæ: alteram eorum, qui vnius Præpositi monita ac iussa pro omni lege haberent, quales viuente S. Martino fuisse videntur Turonenses: tertiam eorum, qui communi cuidam ac perpetuæ Regulæ sese addicerent, qualia Lerinensium, & Grimniacensium *statuta* commemorat Sidonius. Viua ergò iuxta hunc Auctorem Martini institutio, viuo ipsius exemplo confirmata, *Regulæ* vicem implebat. Quam autem illa fuerit accurata; ex Sulpicio vtcumque licet colligere. *Ipse*, inquit, *ex lignis contextam cellulam habebat: multique ex Fratribus in eundem modum. Plerique saxo superiecti montis cauatæ receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum B. Magistri instituebantur.*

Viua discipulorum Regula.

Sulpic. in vit. cap. 7.

Ea exponitur.

A *tur. Nemo ibi quidquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere, aut vendere (vt plerisque Monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis Scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: Maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellam egressus, nisi cùm ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coëgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat.*

Habitus S. Martini, qualis. Iocelin. in vit. S. Patr. cap. 22.

Sed quærat hîc aliquis, qualis fuerit S. Martini, Monachorumque eius habitus?
B Album fuisse, colligi potest ex Iocelino in vitâ S. Patricij, cuius hæc verba: *Quia idem sanctissimus Sacerdotum carbunculus, Monachus fuit, cognato suo Patricio monasticum habitum, & eius instituta tradidit obseruanda: quæ iste deuotè susceptâ, actibus habitui respondentibus adornauit.* Cuius autem coloris hic habitus fuerit, videtur ex habitu S. Patricij colligendum; quem ità idem Auctor describit: *Super cætera indumenta cucullâ candidâ amiciebatur, vt ipse habitus formâ & colore Monachatus sui speciem, & candidatum humilitatis, & innocentiam repræsentare videretur. Vnde & Monachi in Hiberniâ S. Patricij sequendo vestigia, per multa temporum volumina habitu simplici contenti erant, quem ouium ministrabat lana, qualibet extrinsecâ tincturâ remotâ.* Verisimiliter ergò talis quoque erat S. Martini vestis; nisi dicamus S. Patricium auunculi & Præceptoris sui vestitum deseruisse: quod fortasse asserendum; nam Petrus Venerabilis nigro vsum colore asserit. *De magno*, inquit, *& admirabili, verèque Monacho Martino non legitur, quod albo & curto, sed quod nigro & pendulo pallio processerit.* Indicat nimirùm hunc ex Dialogo 2. Sulpicij locum: *Sed vbi Martinum in veste hispidâ, nigro & pendulo palliolo circumtectum, contiguu de latere iumenta viderunt.*

Ibid. c. 185.

C

Argumentum pro albo.

Fortiùs pro nigro.

Petrus Venerab. lib. 1. Epist. 28.

D

Ex S. Martino quæ hauserit S. Benedictus.

Sulpic. in vit. S. Martini c. 26.

Paulin. Epist. 5. ad Seuerum.

Illud quoque, quod suis decretis posteà S. BENEDICTVS inseruit, vt aquam in manibus Abbas hospitibus det, eorumque pedes lauet; ex S. Martini, quem ille mirificè coluit, exemplo desumptum est: de eo enim iam Episcopo hæc Seuerus: *Cùm me sancto conuiuio suo dignatus est adhibere, aquam manibus nostris ipse obtulit: ad vesperum autem ipse*
E *nobis pedes abluit.* Quod ipsum imitatus S. Paulinus, eidem Seuero scribit, Victorem ab eo ad se missum, vix permisisse vt aquam manibus eius ministraret; subditque: *Ex libro enim tuo illius gratiam seruitutis adamaui, vt minimam saltem guttulam de sacris Martini actibus delibarem.*

Cap. 22. Dialog. 3. cap. 20.

Inter Discipulos verò & quosdam habuit Eremitas, vt in 2. Dialogo Seuerus asserit, & admissos ab eo pueros, Bricij constat exemplo; qui à primis annis in Monasterio intra sacras Ecclesiæ disciplinas ipso Martino

Martino educante creuisse scribitur.

Discipuli S. Martini. Vit.cap.10.

Denique Institutum suum varijs locis propagauit, *Nam vbi fana destruxerat, statim ibi aut Ecclesias, aut Monasteria construebat.* Et discipulorum eius numerus eruitur ex eo, quod de einsdem funere Seuerus scripsit.

Sulpic. Epist. 3. ad Bassulam.

O quantus luctus omnium! quanta præcipuè mærentium lamenta Monachorum, qui eo die ferè ad duo millia conuenisse dicuntur, specialis Martini gloria, cuius exemplo in Domini seruitutem stirps tanta fructificauerat. Agebat nimirum ante se Pastor exstinctus greges suos, sanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritorum laborum Senes, aut iuratos Christi in sacramenta tyrones.

DISQVISITIO XI.

Quasnam S. Basilius conscripserit Regulas?

S. Basilius auctor Monachismi in Ponte.

QVI Monasticum Institutum maximè illustrauit, & Cœnobiticæ vitæ, in Armeniâ, Ponto, Paphlagoniâ, alijsque adiacentibus prouincijs, Auctor fuit, Magnus est *Basilius*: qui REGVLIS editis ad perfectã Monasticæ disciplinæ normam Monachos excoluit. In scriptis eius Asceticis, & apud Auctores, variarum fit mentio *Regularum.*

Quas Regulas scripserit. Phot. in Biblioth. Cod. 144.

PRIMÒ autem loco se offert Liber REGVLARVM FVSIVS DISPVTATARVM; in quo, vt Photius ait, *velut definitiones, & Quæstiones quasdam Asceticas, ad Interrogationis, & responsionis formam comparatas exponit, num. 55.* quæ indubitanter Basilij sunt.

Nicephor. Callist lib. 9 hist. Eccl. cap. 16.

SECVNDÒ, se offerunt REGVLÆ BREVIORES, siue concisius disputatæ, numero 313. quas idem Photius agnoscit. Verùm Nicephorus Callistus scribit, eum *qui Basilio Magno adscribitur, librum, & Asceticus dicitur, opus Eustathij Sebasteni esse* multorum opinione.

Liber Asceticus verò Basilij.

De quo lib. 13. cap. 29. agens ait: *Cuius scriptum pulcherrimum quidam esse ferunt, quæ Basilij magni Ascetica, seu Monastica dicuntur.*

Sozom lib. 3 hist. Eccles. cap. 13. Baron. anno Christi 361. nu 48. Bellarm. de Scriptor. Eccles. in Basil.

Quod etiam nonnullos constanter affirmare, Sozomenus tradit. Negat verò Ill.mus Baronius Eustathium hûc Monachum vmquam fuisse, probatque *Asceticum* librum verum esse *Basilij* fœtum. Cardinalis verò Bellarminus ait, Nicephori, & Sozomeni verba videri intelligenda de quæstionibus compendio explicatis; nam quæst. 1. & 95. videtur damnare traditiones, quas Basilius acriter defendit in lib. de Spiritu sancto, c. 27. Item quæst. 4. & 293. videtur de medio tollere discrimen peccati mortalis, & venialis: quod certè Basilio tribui non potest. Et hæc de Regulis breuioribus.

TERTIÒ, scripsit *S. Basilius* CONSTITVTIONES MONASTICAS, *tam ad eos, qui in societate cum cæteris, quàm ad eos, qui solitariam ipsi seorsum vitam agunt, pertinentes;* constantque capitibus XXXV.

Paleon. lib. 2. cap. 5.

QVARTÒ, agnoscit Paleonydorus præter hanc, aliam Basilij Regulam continuo sermone pertextam; ità enim scribit: *Iste est Basilius, qui Monachorum Institutum duplici sub formâ composuit: vnam per modum Dialogi, & hanc eius Confratres Carmelitæ, in monte Dydimi assumpserunt; & eundem in Patronum eligentes de Ordine S. Basilij vocati sunt: aliam per modum communis admonitionis, quam S. Ioannes 44. Hierosolymorum Episcopus, suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit.*

Carmelitæ quid ex Basilij Regulis hauserunt.

Tho à Iesu in Reg. Carmel p. 2. dub. 6.

Ita ille. Arbitratur verò Thomas à Iesu, Ioannem hunc Regulam suam extraxisse ex Regulâ *S. Basilij*; non quidem ex aliquâ earum, quæ inter scripta Basilij circumferuntur, sed ex alijs institutionibus, quas ipse Eremitis Ponti, siue voce, siue scripto, tradiderit. Fuit enim ipse vnà cum Gregorio Nazianzeno, collega eorum Monachorum, qui vitam solitariam in Ponto Euxino agebant: vt ex vtriusque Epistolis colligere licet. Et verisimile est, Institutiones illas non à solo Basilio, sed coadiutore quoque Nazianzeno elaboratas; ipse enim de his agens, ità dicit: *Quis mihi dabit virtutis certamen, & ad eam incitationem, quam scriptis legibus & Regulis asfirmauimus.*

Nazianz. Epist. 9.

Regula Basilij à Rufino versa expenditur.

QVINTÒ, circumfertur alia quædam *Regula S. Basilij*, à Rufino Aquileiensi interprete centum capitibus distincta, de qua hoc Schotti iudicium est, eam consarcinatam tantùm è varijs *S. Basilij* locis, idque σποράδην, vt quiuis intelliget, qui Rufiniana illa cum Græcis Basilianis conferre volet.

Posseuin. in apparat. Sacro V. Basil. c. 10.

Posseuinus quoque ait vertisse Rufinum *Ascetica Basilij*, sed non integrè, nec versione respondente contextus continuationi; sed hinc inde è Basilij præsertim fusioribus, atque item ex contractioribus, si hæ Basilij sint.

Alia S. Basilij Ascetica.

Non importunè hîc & alia quædam siue *Basilij*, siue aliorum, inter opera eius reposita, quæ Monasticum maximè spectant Institutum, recensere. Nam præter commemorata scripsit *Basilius* sermonem ad Monachos *de abdicatione sæculi & spiritali perfectione*, cuius initium: *Venite ad me omnes.* Et aliũ de *Ascesi*, seu cultu & exercitatione Monasticâ, hoc exordio: *Monachum oportet cum primis* &c. Item *Hypotyposin*, seu descriptionem vitæ Monasticæ. Sermonem de *Institutionibus Monachorum*, qui incipit: *homo ad imaginem.* Et alium eodem titulo, cuius exordium: *Monachorum vitæ ratio* &c.

Post Regulas breuiores, habentur *Animaduersiones aduersus Canonicos delinquentes,* numero 11. Et aliæ *aduersus Canonicas delinquentes,* numero 19.

Has subsequuntur *Pœnæ incerti Auctoris & inscriptione carentes, inter Basilij scripta repertæ;* sunt autem num. 49. *Pœnæ* autem hæ eo modo Regulis accenseri possunt, quo inferiùs de *Pœnitentiali* S. Colũbani dicemus.

S. Basilij

NOTITIA REGULARVM.

Monachi Basiliani hodie in Græciâ, Miræus Orig. Monast. lib. 2. cap. 33.

S. Basilij Instituta Regulasque plerique A in Oriente olim secuti sunt, hodieque, vt ait Aubertus Miræus, sequuntur omnes Monachi Græciæ, & aliarum prouinciarum Orientalium. Sed & Ioannes Langus ad librum vndecimum Nicephori, cap. 38. annotauit, hodie in Atho monte viginti duo insignia esse monasteria Græcorum Monachorum Ordinis S. Basilij, quæ tributi nomine Turcarum Tyranno quotannis ex vinetis & oliuetis suis pendunt 6000. obolorum Turcicorum. Mons is à Christianis ἅγιον ὄρος, hoc est, *Sanctus mons* dicitur: à Rutenis *Sanata hara*. Plura vide apud Andream Theuetum Cosmograph. Vniuers. tom. 2. lib. 18. cap. 13.

Porrò Nilus Rosciani in magnâ Græciâ non infimo loco natus, Tusculum veniens, ibi Monasterium *Cryptæ Ferratæ* extruxit; quod caput Monasteriorum Ordinis S. Basilij per Italiam est, vt citatus scribit Miræus. Alexander verò III. in Bullâ, quæ incipit: *Apostolicæ Sedis* &c. data Anno 1175. approbauit Ordinem *Monachorum S. Basilij* in Monasterio S. Saluatoris, in ciuitate Messanensi. Enumerat quoque loca istius Ordinis per Siciliam, & Calabriam, Bullarium tom. 1. pag. 27. Sed de his pluribus agit Siluester Maurolycus, in Oceano historiæ sacræ omnium Religionum, qui plura tam in Oriente, quàm Occidente, Basiliani Ordinis enumerat monasteria, aitque in Siciliâ esse septemdecim: quorum caput est S. Saluatoris Messanensis. In Calabriâ, & regno Neapolitano, viginti quinque. Idem porrò & aliam nobis adfert *Regulam*. Cùm enim, vt inquit, Monasticæ Constitutiones & Ordinationes, per varia *S. Basilij* sparsæ essent D volumina; Cardinalis Bessario natione Græcus, Monachus & Abbas Cryptæ Ferratæ, eas in compendium redactas, viginti tribus capitibus distinxit; in vsum tam Orientalium, quàm Occidentalium Monachorum Ordinis *S. Basilij*. Vestiuntur hoc tempore colore nigro, videlicet tunicâ, patientiâ, siue scapulari, & cucullâ, desuperque mantello planè nigro. Antiquitus ferebant tunicam coloris leonini, & supra eam patientiam, vel scapulare prorsus nigrum. Sic ibi.

In Siciliâ, & Italiâ.

Quomodo vestiant.

Et in Hispaniâ.

Sed & in Hispaniâ, tempore Gregorij XIII. erecta sunt Monasteria quædam Ordinis *S. Basilij*; quibus Clemens VIII. anno 1603. Constitutiones præscripsit, declarauitque præter tria substantialia Vota, Ordini huic peculiare Orationis, & Laboris manuum exercitium. Vide tom. 3. Bullarij pag. 151.

DISQVISITIO XII.

Fueritne S. Hieronymus Monachus.

DE *S. Hieronymo* duo quæri possunt. Primùm, an Monachus fuerit? Alterum, an Monasticam conscripserit Regulam? de quo sequenti agendū *Disquisitione*. De priori vix dubium esse potest: ab omnibus enim Monachis annumeratur. Et quidem ex neotericis Scriptoribus non est quòd multos commemorem; in ore duorum, vel trium testium, qui plurimorum instar sunt, stabit B hoc verbum. Hieronymus Platus: *De Hieronymo*, inquit, *constat ab ineunte adolescentiâ eum Monachi vitam egisse, neque vnquam mutasse, quamuis vel Romam, vel Antiochiam, aut ad alia loca peregrinatus sit*. Cardinalis Bellarminus contra Caluinum probat, non ideò pios homines olim Monachatum suscepisse, vt se ad Ecclesiæ gubernationem præpararent. Nam & Hieronymus, epistolâ ad Pammachium, asserit se inuitum à Paulino Episcopo Presbyterum esse creatum, cùm non Presbyter, sed Monachus tantùm esse de- C creuisset. Eodem capite, ait Hieronymum Monasterij Bethlehemitici fuisse Præpositum. Franciscus Suarez, qui iuxta scholasticum rigorem sua solet expendere, ità ait: Nemo, credo, negabit statum Hieronymi fuisse verè ac propriè Religiosum, cùm ipse multis alijs locis, præsertim verò Epist. 13. ad Paulinum dicat: *Nos autem habeamus propositi nostri Principes, Paulos, & Antonios, Iulianas, Hilariones, Macarios* &c. Sic ille. Vt autem ad veteres veniamus; S. Augustinus deplorans discordiam inter Rufinum, & Hieronymum exortam, vtrumque Monachum fuisse, satis declarat, cùm de vtroque ait; *Eos abiectis sarcinis sæcularibus expeditas Dominum secutos*. Sed & ipse Hieronymus respondens Rufino exigenti promissionem factam in somnio, de non legendis libris Gentilium. *Tu à me*, inquit, *somnij exigis sponsionem, ego te verius strictiusque conueniam; fecisti omnia quæ baptismate promisisti? quidquid Monachi vocabulum flagitat, nostrum vterque complevit.*

Hieronymum verò ne illi quidem Mo- E nachum fuisse negare audent, qui Monachis sunt infensissimi, & omnem Monachatum iam pridem abolitum vellent. Magdeburgici enim Centuriatores, vel hoc nomine eum reprehendũt, quòd Monachus fuerit. *Quemadmodum*, inquiunt, *plenum superstitionis hoc ipsum fuit, quòd Ecclesiasticas sanctiones fugiens, Monasticen colere & profiteri, exempla nocenti, & ad errorem similem multos inuitanti, maluit: ita durissimas in eo vitæ genere molestias tum expertus est, tum falsâ sanctitatis & religionis persuasione sibi ipsi accersiuit & auxit*. Et ex Lutheri scholâ Vrbanus Regius, in locis commu-

S. Hieronymus verus Monachus.

Plat. de bono Stat. Relig. lib. 2. cap. 25.

Probatur testimonijs Orthodoxorum.

Bellar. lib. 2. de Monachis c. 6.

Suarez to. 3. de Relig. lib 8. cap. 7. num. 17.

Augustin. Epist. 15.

Et Heterodoxorum.

Centur. 4. ca. 10. pag. 1255.

communibus, cap. 20. ait: *Hieronymum pessimè suum Monachismum tueri.* Nimirùm animaduertebant, Monachatum Hieronymi negari non posse, quem in eius scriptis clarissimè deprehendebant; sed hoc ipsum ei vitio vertebant.

Erasmi de Monachatu S. Hieronymi sententia.

Sed Erasmus, & alius quidam Catholicus Magister, ità ei Monachi nomen tribuunt, vt rem ipsam velut animam à corpore tollant. Erasmi hæc in vitâ Hieronymi à se conscripta est narratio: *Pensatis*, inquit, *omnibus ac circumspectis, Hieronymo Monachi placuit Institutum. Quod ne quis in hoc erret, id temporis longè diuersum erat ab hoc, quod* B *hodie videmus cæremonijs obstrictum. Imò quibus maximè libertas erat cordi, hi Monachi professionem suscipiebant. Primùm enim res manebat integra, si quis ita censuisset. Manebat commigrandi, remigrandique quò vellent, potestas; manebat dulcissimum ac liberrimum otium. Ad studium, ieiunia, Psalmos, vigilias, aut suoptè incitabantur animo; aut exemplis inuitabantur. Non cogebantur hominum constitutionibus. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuique arbitrio sumptus. Non qui prodigiosâ nouitate faceret insignem digitoque notandum, sed* C *qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula, nisi quæ sunt cuiusque purè Christiani. Denique si quem sui Instituti pœnitentia cœpisset, tota demum pœna erat inconstantiæ nota. Cuius rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam, legat institutionem Monachi ad Rusticum, & item ad Paulinum. Legat in Epistolâ, cuius initium: Audi filia, descriptum triplex apud Ægyptios Monachorum genus.* Hæc Erasmus ibi: quæ eruditè Richardus Cenomanus, Parisiensis Theologus, in Antidoto contra censuram Erasmi D in Regulam Sancti Augustini, confutauit. Idem verò Erasmus in suo, vt vocat Antidoto, quod Epistolæ S. Hieronymi ad Rusticum præfixit, ait: *De colore vestium, figurâ, materiâ, nulla vsquam apud Hieronymum mentio. De tribus illis votis, quæ vocant solemnia, nec verbum.* Ita ille.

Et alterius Theologi Catholici.

A cuius quidem sententiâ, dolendum Catholicum illum, quem dixi, Magistrum, virum sanè eruditum, non satis recessisse; ita enim de Hieronymi Monachatu scribit, vt Erasmo patrocinari & fauere videatur; verba eius hæc sunt. *Fas* E *esset hic quoque de Hieronymo nonnulla speculari. Numquid ipse Monachorum familias auxerit? At eius historia tam trita est & perspecta, vt commentario non egeat: secessit quippè in Eremum, illic solitudini, & quieti indulsit, & sarcinâ veluti corporis abiectâ, totus fuit in animo virtutibus & studijs melioribus poliendo: attulit in desertum instructam bonis omnibus libris Bibliothecam, hos habuit comites, hos vitæ formatores ac Institutores suæ: si hoc appellamus Monachum esse; quot erunt hodie, qui in suo rure senescentes, & contemplando atque oran-* A *do prorsus intenti, Monachis adscribentur? qui tamen præter mutas librorum præfecturas, Magistros ac Priores non agnoscunt, quorum voce & maiestate terreantur. Ex his certè fuit Hieronymus Religionis studio, non perennitate votorum, desertis suis ac nemoribus inclusus, ex quibus ad grauiora negotia non puduit tam sanctum ac innocentem virum emergere, vt Romam adiret, vt Damaso Pontifici summo, in Epistolis, & Commentarijs rerum Ecclesiæ scribendis, manciparetur. Vno verbo, Monachi nomen, vt ante ostendimus, virtutum erat, non sodalitiorum: Sine Rectore, sine Præposito per castimoniam atque abstinentiam fiebant Monachi, &* B *dicebantur, nec in alias leges, quàm in harum virtutum exercitia, studiáve sacramento auctorabantur.* Hactenus Auctor ille. Sed hæc diligentiùs deinceps examinanda sunt.

NOTITIA REGVLARVM.

Erasmus refutatur ex ipso S. Hieronymo.

I. *In libertate Monachorum.*

PRIMVM, vt probet Erasmus Hieronymi Monachatum ab eo, qui hodie viget, longè fuisse diuersum, ait eos, *quibus maximè libertas erat cordi, Monachi professionem suscepisse, quibus manebat commigrandi remigrandiq; quò vellent, potestas, votorum nulla vincula, nisi quæ sunt cuiusque purè Christiani.* Sed si liberi om- C ninò manebant Monachi, quid est, quod ipse Hieronymus Florentio scribit: *Ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum: sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplinâ Patris, consortioque multorum.* (Hieronym. Epist. 6. ad Florent.) Et an suo arbitrio Monachum dimittit, qui ait: *Non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis, operis tui pensum persoluas, subijciaris cui nō vis, lassus ad stratū venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris.* (Ibidem.) Et mox: *Præpositum Monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem;* (Ibidem.) D *credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de Maiorum sententiâ iudices, cuius officij est obedire & implere quæ iussa sunt.* An, quæso, hæc libertas faciendi quod lubet? Alibi verò reprobat *deterrimum, atque neglectum Monachorum genus, quod* REMOBOTH *dicunt. Hi suo arbitratu ac ditione viuentes, non patiuntur se alicui esse subiectos.* (Epist. 22. ad Eustoch.)

II. *In Votorum vinculo.*

SECVNDÒ, quod deinceps Erasmus ait, *Votorum nulla fuisse vincula, nisi quæ sunt cuiusque purè Christiani;* ab ipso redarguitur Hieronymo, qui illud Ieremiæ exponēs: *Bonum* (Thren 3.) E *est viro, cùm portauerit iugum ab adolescētiâ suâ,* ait: *Hanc speciē conuersionis, boni Eremitæ & Monachi qui* VOTO MONASTICÆ DISCIPLINÆ OBLIGATI SVNT, *imitari cōtendūt. Sed rara est, & paucissimis dono Dei hæc perfectio cōcessa.* Quomodo nulla Votorum vincula, cum Heliodoro scribat: (Epist 1.) *Tu autem perfectum te fore pollicitus es.* Et: *Qui perfectus non est, cùm se perfectum fore* DEO POLLICITVS SIT, *ante Deum mentitus est. Os autem quod mentitur, occidit animam.* An nullum hic vinculum, quàm quod est cuiusque Christiani? Audi rursus Hieronymum: *Sed forsit an dicturus es: quid ergo?*

NOTITIA REGVLARVM.

quicumque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? non est tibi eadem causa quæ cæteris. Si nulla Monachi erant Votorum vincula; cur centum solidi, quos moriens quidam frater dereliquit, ex sententiâ Patrum cum eodem terræ infossi sunt, cùm hâc acclamatione: *Pecunia tuâ tecum sit in perditionem?* vt narrat Hieronymus Epist. 22.

Actor. 8. Hieron lib. 1. contr. Iouinian. 1. Cor. 7.

De Continentiæ Voto contra Iouinianum scribens, & illud Apostoli differens: *Et si nupserit Virgo, non peccauit. Non illa,* inquit, *Virgo quæ semet Dei cultui dedicauit. Harum enim si quâ nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.*

III. *In obseruantiâ Regula.*

Tertiò, ait Erasmus: *Non cogebantur hominum Constitutiunculis*, ita absque Regulâ fuisse vult Monachos. Sed non aduertit ipsum Hieronymum humanas has Monachorum Constitutiunculas, siue viuendi Regulas, in Epistolâ ad Eustochium, & Præfatione ad Regulam S. Pachomij, accuratè recensere. An non Philo, & Iosephus, vt suprà vidimus, Essenorum descripserunt Regulas? An humanas Hieronymus non putabat Constitutiones, quas Heliodoro, Rustico, Florentio, & Paulino ipsemet præscripsit? C In Epitaphio Paulæ Canonem viuendi, quẽ Virgines sub Paulæ Magisterio seruabant, clarissimè exponit. Sed hæreticorum more eleuat Erasmus humanas Constitutiones, vt ita Monasticas quoque explodat Regulas. Sed quid, si probemus Deum ipsum humanas probasse Constitutiones, & præmio compensasse earumdem obseruantiam? An non Rechabitæ commendati sunt, quòd obedierint voci Ionadab Patris sui, eiusque seruauerint instituta? Quinimò Deus expostulat cum viris Iuda, quod sibi non obedierint, D cum filij Rechab ob præceptum Patris, vinum non biberint.

IV. *Quoad vestitum.*

Qvartò, ait Erasmus: *Vestitum fuisse simplicem, nec præscriptum, non qui prodigiosâ nouitate faceret insignem digitoque notandum:* quasi is, qui nunc est Monachorum habitus, valdè sit prodigiosus, aut ab antiquo notabiliter diuersus. Hilarionem sanè ipse Hieronymus scribit, mutato pristino habitu iuxta Antonium mansisse. Qualis autem is fuerit, posteà explicat, cùm ait eum membra sacco cooperuisse, & pelliceum habuisse E ependyten, quem illi B. Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum. Est autem ependytes scapulare, vt exponitur in vitâ S. Antonij. An autem hic non fuerit notabilis & præscriptus vestitus, doctorum iudicio relinquo. Si autem nullus erat Monachis præscriptus amictus; cur ipse Hieronymus inuehitur in eos, qui veste tenus Monachi tantùm sunt? *Vidi*, inquit, *quosdam, qui postquam renuntiauêre sæculo, vestimentis dumtaxat & vocis professione, non rebus; nihil de pristinâ conuersatione mutarunt.*

Idem Epist. 5. ad Florent.

A Quid est, quod ait Erasmus: *De colore vestiũ, figurâ, materiâ, nulla vsquam apud Hieronymum mentio?* Colorem enim describit, cùm ait: *Quis hoc crederet, vt Consulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum furuâ tunicâ pullatus incederet.* Qualis fuerit materia, collige ex ijs, quæ Rustico scribit: *Sordidæ*, inquit, *vestes candidæ mentis indicia sint: vilis tunica contemptum sæculi probet.* Ipse de se Hieronymus scribit: *Horrebant sacco membra deformia.* Ex quibus iam constat, ab ipso refelli Hieronymo, quæ de Monachis eius temporis scripsit Erasmus.

Epist. 26. ad Pammach.

Epist. 4.

B Quod posteriorem verò spectat Auctorem, facit is Hieronymum ex his, *qui in suo rure senescentes, contemplãdo atque orando prorsus sunt intenti; & præter mutas librorum præfecturas, Magistros ac Priores non agnoscunt, quorum voce ac maiestate terreantur.* An autem alius Hieronymo non fuerit scopus adeundæ solitudinis, quàm studiorum caussâ, cui potiùs credemus, quàm ipsi Hieronymo? Neque enim quâ mente sæculum deseruerit, scribere neglexit; cuius hæc ad Pammachium verba: *Ob id ego Antiochiam, & ille* C (Vincentius) *Constantinopolim vrbes celeberrimas deseruimus; vt in agris & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.* Quo autem id fecerit studio, ipse ad Eustochium exponit. *Sedebam solus qui amaritudine plenus eram; horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nudâ humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aquâ* D *frigidâ vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit:*

S. Hieronymus non studiorum caussâ Eremum petijt.

Hieron. Epist. 61.

Idem Epist. 22.

Addamus verò his hospitalitatis studium, quo à scribendo orandoque impediebatur plurimùm, de quo ipse libro 3. contra Ruffinum: *Nobis in Monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes lætâ humanitatis fronte suscipimus, veremur enim ne Maria cum Ioseph locum non inueniat in diuersorio. Propositum nobis quippè est pedes lauare venĩetium, non merita discutere.* Quin & hâc causâ excusat se Eustochio, quod explanationes in Eze- E chielem tardiùs absolueret: *Nulla*, inquit, *hora, nullumque momentum est, in quo non Fratrum occurramus turbis, & Monasterij solitudinem hospitum frequentiâ commutemus; in tantùm, vt aut claudendum sit nobis ostium, aut scripturarum per quas aperienda sunt fores, studia relinquenda.* Vides ni fallor, hoc aliud esse, quàm in suo rure contemplando atque orando senescere.

Hospites suscepit.

Idẽ Proœm. in lib. 7 sup. Ezechiel.

Quod Secvndò Auctor hîc ait, Monachos eâ ætate, *sine Rectore, sine Præposito* vixisse, & *præter mutas librorum præfecturas, Magistros ac Priores non agnouisse*; ab ipso satis confu-

Monachi olim Præpositis obedientes.

NOTITIA REGVLARVM.

Epist. 22.

confutatur Hieronymo, qui de Cœnobitis agens: *Prima*, inquit, *apud eos confœderatio est obedire Maioribus, & quidquid iusserint, facere.* Ibidem agit de Decanis, atque Cētesimum decem sub se habere Præpositos. Mentio quoque fit eius, qui omnium est Pater.

TERTIÒ, ait Hieronymum *Religionis studio, non perennitate votorum desertis suis ac nemoribus inclusum, ex quibus ad grauiora negotia non puduit tam sanctum ac innocentem virum emergere, vt Romam adiret, vt Damaso Pontifici summo, in Epistolis & Commentarijs rerum Ecclesiæ scribendis, manciparetur.* Quibus verbis si velit Monachos isto tempore nulla edidisse vota, iam suprà cum Erasmo responsum accepit. Si autem cōtra Monachi propositum, migrationem de loco esse credit, videat in vitis PP. quoties ea Monachis indulta fuerit. Sed & S. BENEDICTVS, qui stabilitatis votum in Professionis formulà voluit exprimi, agit *de Monachis peregrinis, qualiter suscipiantur;* de quibus nos alibi pluribus. Ipse sanè Hieronymus non nisi necessitate compulsus, & inuitus Eremum aliquando deseruit, vt videre est Epist. 77. in quâ cōqueritur se ab æmulis eâ solùm causa exagitatum, vt solum verteret. Tam autem tenax Monastici fuit propositi, vt cùm Antiochiæ Paulinus eum Presbyterum ordinare vellet; id facere non potuerit, nisi in Monachi professione se eum relicturum priùs polliceretur. Vnde scribit, se Episcopo Paulino dixisse: *Num rogaui te vt ordinarer? Si sic Presbyterum tribuis, vt Monachum nobis non auferas: tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine presbyterij tollis mihi propter quod sæculum dereliqui: ego habeo quod semper habui: nullum dispendium in ordinatione passus es.* Quorum verborum sensum vide in notis Mariani Victorij.

Non perpetuo Monasterijs inclusi.

Hieron. Epist. 61.

Licitè Pontificijs negotijs subseruiunt, vt ipse Hieronymus.

Quod verò Magister hîc ait; *Non puduisse tam sanctum virum ad grauiora negotia ex Eremo emergere, vt Romam adiret, vt Damaso Pontifici summo, in Epistolis & Commentarijs rerum Ecclesiæ scribendis, manciparetur;* id quidem Monachatui eius non obest. Nam hodieque si qui Religiosorum à Summo Pontifice ad Vrbem euocarentur, licitè eò, & citra Votorum violationem se conferrent; & Pontificijs negotijs, etiam extra Conuentus degentes, subseruirent. Et an non Principum Confessarij è Monachis assumpti, illis adhærent, nec claustris suis includuntur?

Monachi in Monasterijs ætate Hieronymi viuebant.

QVARTÒ ait: *Monachi nomen virtutum erat, non sodalitiorum, sine Rectore, sine Præposito.* Hoc verò quis credat, qui tot Monachorum sodalitia Hieronymi ætate, & circa eam, legit? Quot enim sodalitijs præfuit Antonius? quot Pachomius? cuius Regulam Hieronymus Latinis auribus dedit, & in Præfatione ait, Tabennenses Monachos habere *per singula Monasteria Patres, & Dispensatores, ac Ministros, & singularum domorum Præpositos; ita vt in vnâ domo quadraginta plus minusve Fratres habitent, qui obediant Præposito, sintque pro numero Fratrum triginta, vel quadraginta domus in vno Monasterio.* An non Monachorum erant sodalitia, Palæstinæ illa Monasteria, quæ Hieronymo teste, S. visitabat Hilarion, Fundator, & Eruditor Monasteriorum in Syriâ? An sodalitatem non constituebant Cœnobitæ illi, quos Hieronymus scribit, per decurias, & centurias diuisos? Ipse autem Hieronymus non solus in eremo habitauit, sed in Monasterio Fratres secum habuit. Vnde Augustino scribens, ait, se *ab adolescentiâ vsque ad eam ætatem in monasteriolo cum sanctis Fratribus labore desudasse.* Itemque: *Sancti Fratres, qui nobiscum in Monasterio Domino seruire festinant, oppidò te salutant.*

Hieron. in vit. S. Hilarion.

Epist. 92.

Epist. 98.

Quod postremò ait, *Monachos non in alias leges, quàm in castimoniæ atque abstinentiæ exercitia, studiáve sacramento auctoratos.* Iam suprà refellimus, cùm vota substantialia, Monasticasque Cōstitutiones, Monachos Hieronymi æuo obseruasse, vidimus.

Sed opus non est operosiùs hæc confirmare, cùm idem Auctor de Monachis primitiuæ Ecclesiæ agēs cap. 14. ipsemet Hieronymum inter eos recenset Monachos, qui quamuis essent Presbyteri, professione tamen humilioris vitæ, se pro Presbyteris gerere desinebant. *In quo*, inquit, *Monasterio, duo erant Monachi Presbyteratu illustres, Vincentius nempè & Hieronymus, qui, vt ait Epiphanius, propter verecundiam & humilitatem nolebant debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est.*

Magister Hieronymū Monachis annumerat.

Epiphan. Epist. ad Ioannem Hierosol.

DISQVISITIO XIII.

An S. Hieronymus Monachis, aut Monialibus Monasticam aliquam præscripserit Regulam?

S. Hieronymum Monasticum vitæ genus fuisse sectatum, dubium non est; sed non æquè constat, an Monachis, aut Monialibus vllam præscripserit Regulam. Et quidē quod Monachos spectat, videri posset, hoc in genere aliquid stylo mandasse: nam Cassianus rogatus à Castore, vt de Regulis ac Institutis Monasteriorum, quæ per Ægyptum & Palæstinam florere vidisset, quidpiam scriptis committeret; inter alia respondet, se deterreri ab hac scriptione; *Quod super hâc re, Viri & vitâ nobiles, & sermone scientiâque præclari, multa iam opuscula desudarint. S. Basilium & Hieronymum dico, quorum hic non solùm suo elucubratos ingenio edidit libros; verùm etiam Græcâ linguâ digestos in*

Cassian. in Præfat. in Cœnob.

Coniectura pro Regulâ Monachorum S. Hieronymi.

Latinum

NOTITIA REGVLARVM.

Latinum vertit eloquium: post quorum tam exuberantia eloquentiæ flumina, possem non immeritò præsumptionis notari, si aliquid stillicidij huius inferre tentassem. Ex quibus colligi videtur, id præstitisse S. Hieronymum, quod Cassianus rogabatur; atque etiam perfecit; adeòque non minùs quàm Basilium Monachorum digessisse Regulam.

Huc accedit, quod inter Opera S. Hieronymi, *Regula Monachorũ* inueniatur. Cùm autem in Ecclesiâ Dei sint Monachi Hieronymiani dicti, apparet eos hoc nomen inde sortitos, quòd Hieronymi sequerentur Institutum & Regulam; perinde atque Augustiniani, Benedictini, Franciscani, à Regulæ Conditore nomen habent.

Item pro Regula Monialium. Pallad. in hist. Lausiac. c. 125. Parad. & Heraclid. cap. 29. citatis his verbis.

Similes prn Monialium Regulâ sunt cõiecturæ. Scribit namque Palladius, Paulæ quò minus genus vitæ, quod est secundùm spiritum sequeretur, impedimento fuisse Hieronymum: *Qui mulierem optimâ indole ad genus vitæ perfectum, cùm in eo multos ne dicam omnes longissimo post se interuallo videretur posse relinquere, ipse inuidiâ motus ad suum peculiare viuendi institutum pertraxit. Eius filia nomine Eustochium in Bethlehem vitam adhuc monachalem exercet quam quidem ego numquam allocutus sum: cæterum fertur insigni esse pudicitiâ, & regere societatem Virginum quinquaginta.* Apparet igitur habuisse S. Hieronymum peculiare viuẽdi Institutum, quod Paula & Eustochium sequerentur. Regula verò, siue *Canon Monasterij Virginum*, quibus Paula præerat, refertur ab ipso Hieronymo in vitâ Paulæ cap. 19. Quin & in ipsis S. Hieronymi operibus extat *Regula Monacharum*; quæ, vt habet proœmium, Eustochio, & reliquis Virginibus inscribitur: constatq; capitibus 41. Agnoscit hanc Regulam, atque vt S. Hieronymi, citat Dionysius Carthusianus libr. de Professione monasticâ artic. 2. & artic. 8. ait: *Gloriosus expertissimusq; Hieronymus in Regulâ suâ, quam Monialibus deuotis & sanctus scripsit, interdum alloquitur eas durissimè.* Iterumque artic. 13. *Hieronymus ait in Regulâ suâ:* Et art. 15. agens de Clausurâ: *hoc manifestè iubetur in Regulâ gloriosi Hieronymi, quam sanctus vir ille monialibus dedit & scripsit.* Eandem citans articulo 17. ait: *S. Hieronymus in Regulâ suâ, multa scribit saluberrima documenta, quæ quamuis specialiter scribat* MONIALIBVS ORDINIS SVI. Eandem citat lib. de mortificatione viuificâ artic. 6. & 7. & de Reformatione Monialium artic. 4. Trithemius, libro de Proprietate Monachorum, cap. 5. *Beatus*, inquit, *Hieronymus dicit in Normulâ Virginum.* Iacobus Faber Stapulensis, Præfatione ad Heraclidis Paradisum, Parisijs anno 1504. editum, asserit se à quodam suorum monitum, quòd non ritè Vitas Patrum Hieronymo abiudicasset, quas Hieronymus ipse à se

Quã scriptores nonnulli citãt, & agnoscunt.

A scriptas agnosceret in *Regulâ Sanctimonialium*, quam scripsit ad Eustochium & reliquas Virgines, cap. 10. Habuit ergò Faber hanc Regulam pro legitimo Hieronymi fœtu, ex quo de Vitis Patrum firmũ se credit sumere argumentum. Pater quoque Florentius Boulengerus, ex Ordine Minorum, in Gallico tractatu de Clausurâ Monialium, passim hanc Regulam, vt S. Hieronymi citat, atque ex eâ Clausuræ antiquitatem exsculpsit part. 1. cap. 5. Ioannes Nider de eâdem sic ait: *Quid reformationis gratiâ B. Hieronymus, quem constat Religionis*
B REGVLAM *edidisse saltem fœminis, in Vrbe sustinuerit à falsis Clericis, quid pertulerit à Religionis æmulis, cùm in Bethlehemitico scriptitaret Monasterio, non silent eius legendæ, & Prologi sui in Biblia.* Ex eâdem Regulâ, Bartholomæus Ganantus ritum pulsandi campanas probat antiquiorem esse Sabiniano Papâ.

Nider lib. 2. de reformat. Relig. cap. 4.

Gauant. comment. ad Rubr. Missal part. 1. tit. 20. pag. 76.

Verùm his non obstantibus, dicendum, S. Hieronymum nullam Monachis, nullam Monialibus præscripsisse Regulam; nisi quod Regulam S. Pachomij ex Græco in
C Latinum vertit, mortuâ iam S. Paulâ, vt ex Præfatione Hiernnymi ad eam Regulam patet. Quo autem fine hanc Regulam transtulerit, ipse aperit, dicens: *Vt venerabilis Virgo Christi Eustochium haberet, quod Sororibus legendum tribueret, nostrique Fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium Monachorum, exempla sequerentur:* quorum mores & institutâ deinceps recenset. Vnde verosimile non est, aliam S. Hieronymum Monialibus aut Monachis præscripsisse Regulam. Quod euidentiùs patebit ex respon-
D sione ad allatas pro scriptâ ab eo Regulâ coniecturas.

S. Hieronymus neutrius Regulæ author.

Ad primum dico, Cassianum fortassis respexisse hanc Regulæ S. Pachomij traductionem, vel alia Hieronymi scripta, in quibus, qualis sit Monachorum vita, vel esse oporteat, non semel describit. Epistolâ enim 22. ad Eustochium, tria Ægypticrum Monachorum recenset genera; eorumque mores & instituta enarrat. Epistolâ 4. Rustico Monacho viuendi formam, & Monachi munus depingit. Epistolâ 13. ad Pauli-
E num, de *Monachi institutione* inscribitur. Epistolâ 47. nonnulla de voto, tonsurâ, & Clausurâ Monialium habet; vt omittam alia loca, quibus Monachorum institutum vel laudat, vel commemorat. Atque ob hæc crediderim Cassianum voluisse se excusare à scribendi prouinciâ, quòd in his citatis locis Ægyptiorum Monachorum Regulas Hieronymus satis superque delibasset.

Soluuntur argumenta opposita sententia. Primò.

Iam verò quod secundò adferebatur loco, de Regulâ inter S. Hieronymi opera relatâ; sciendum illam non esse Hieronymi,

Secundò.

sed ex

sed ex eius operibus à Lupo Olinetano, Ordinis Eremitarum S. Hieronymi Praeposito Generali collectam. Approbauit eam Martinus V. permisitque, vt Fratres deinceps iuxta eam, professionem emitterent, & vitam moresque componerent, cùm antea sub Regulâ S. Augustini militarent.

Tertiò.

Ad id, quòd ex Palladio dicebatur, Hieronymum ex inuidiâ Paulam ad peculiare viuendi traxisse Institutum; facilis est responsio: Palladium cùm esset Origenista, & ab Hieronymo confutaretur, in ipsum stylum conuertisse, & odio in virum sanctum, vt Magister Sacri Palatij ait, apertè mentiri, & rabie in eundem furere, quare subdit: Sed haud crede, Lector, impudēti Origenistae & Pelagiano Palladio, dum maledicentiae fraena effundit in Sanctissimum Virum Angelis venerandum. Dicendum proinde Regulam & Institutum Paulae ab aliarum Virginum viuendi formâ non discrepasse, vel si aliqua fuerit differentia, eam fuisse potissimùm in ijs, quae Hieronymus de Canone Monasterij eius refert in eiusdem vitâ. Vbi non totam Regulam, sed quędam tantùm ex eâ historico modo commemorari, notissimum est.

Ioan Maria Brasichel. in Ind. lib expurgand. in Pallad.

Palladius notatus.

Regulam Monachorum Hieronymo abiudicant viri docti.

Regula verò *Monachorum*, quae inter opera S. Hieronymi reperitur, iam pridem à viris doctis notata est, tanquam supposititius Hieronymi foetus: quare Marianus Victorius eam retulit inter illa Opera, quae certò constat Hieronymi non esse; & ab illius phrasi, styloque maximè dissident. Et facilè apparet, recentioris hominis scriptum esse; nam capite 34. agit de *Primâ* dicendâ, & post illam de audiendâ *Missâ*. Constat autem, Primam tempore Cassiani primùm fuisse institutam; quod ipse testatur, lib. 3. Institut. cap. 4. vbi vide Gazaeum nostrum. Neque antiquitùs Monachi vel Moniales quotidie Sacrum audiebant, vt facilè etiam probari potest ex distributione temporum, quam tradit S. BENEDICTVS. In eâdem Regulâ cap. 39. agit de *Cōpletorio*, quod nomen Hieronymi tempore inauditum, primùm in S. BENEDICTI Regulâ expressum, Auctores tradunt: vt satis hinc appareat, Regulam illam Hieronymi non esse; & Dionysium Carthusianum vulgarem secutum opinionem, rem illam non satis expendisse.

Quando vixerit eius Auctor.

Molan. in natalib. SS. Belgij 5. Februar. nu. 2.

Quâ autem aetate Regulae huius Auctor vixerit; non satis constat. Molanus agens de S. Alcide Abbatissâ Vilecensi, ait eam *in Coenobio sanctarum Virginum, sub Regulari institutione S Hieronymi, Christi seruitio mancipatam.* Idque factum tempore Othonis III. qui regnauit 985. Quae desumpsit ex vitâ per Bertradam siue Bertam, sororem S. Wolfhelmi scriptâ. An autem hoc Institutum fuerit secundùm eam *Monachorum*

Exstat apud Sur. tom. 1. Februar. 5.

A *Regulam*, quae inter Opera habetur, ambigi queat. Scribitur enim S. Adelheidis in Vilecensi Monasterio de monastico viuendi Instituto suscipiendo cogitare, & experiri coepisse, possetne S. BENEDICTI Regulam complecti, carnibus abstinere, & laneis ad nudum corpus indui; tandemque cum suis Regulam S. BENEDICTI fuisse amplexatam. At in S. Hieronymi Regulâ aequalis, si non maior in cibo, & stratu rigor praescribitur. Sed occurrit Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 15. dicens, Regularem hanc & liberiorem institutionem fuisse Canonicam.

NOTITIA REGVLARVM.

B Suspicor autem nomine *Regulae S. Hieronymi* designari Institutionem Sanctimonialium in Concilio Aquisgranensi Anno 816 sub Ludouico Pio editam; quòd incipiat ab Epistolâ 22. S. Hieronymi *Audi filia & vide* &c. & tria prima satis longa capita ex S. Hieronymi Epistolis sint desumpta: sicut & vitae Patrum Hieronymo tribuuntur, cùm priores tantùm ab illo sint exaratę. Quod autem Canonicâ relictâ subinde Monastica assumpta sit Regula; id Molanus ait accidisse, quòd, *Sicut inter Canonicos, liberior*, vt loquitur, *& dissolutior vita multis tantopere displicuit, vt potiùs ad Monasticam eligerent transire professionem, quàm in eâ remanerent, ita etiam accidit inter Canonicas.* Quod deinde hoc S. Adelheidis confirmat exemplo. Vitriacus quoque refert, Canonicas quasdam ad Cisterciensem transiuisse Ordinem.

Coniectura de eâdem Regulâ.

C

Molan. lib. 1 de Can. cap. 15.

Vitriac. lib. 2. hist Occiden. c. 31.

DISQVISITIO XIV.

De Regulâ Ioannis Ierosolymitani.

D IOANNES Episcopus Ierosolymitanus vixit tempore S. Hieronymi, vt notum est ex contentionibus inter eos non semel excitatis. Scripsit Regulam, quâ vsi scribuntur Patres Carmelitae, ab anno Domini 400. vsque ad 1171. quo Albertus aliam eis tradidit. Regula verò haec vocatur, *Liber de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nouâ perseuerantium, ad Caprasium Monachum.* Extat hic liber in Bibliotheca Sanctorum Patrum tom. 2. edit.

Regula Ioan. Ierosolymit. Carmelitis scripta.

E 2. Et apud Thomam à Iesu in Expositione Regulae Primitiuae Carmelitarum, parte 1. Constatque capitibus 41. Negant porrò Ioannis Ierosolymitani hunc librum esse, Illustrissimi Cardinales Baronius & Bellarminus. Eum verò Auctori huic vindicant Pater Petrus Wastelius in *Apologetico* pro Ioanne Ierosolymitano, Pater. Thomas à Iesu, loco citato, Ioannes Carthagena.

Baron. to. 6. ad annum 444.

Bellarm. de Scriptor. Eccles.

Eius Propugnatores.

NOTITIA REGVLARVM.

DISQVISITIO XV.

De Regulis & Instituto Monachorum, de quibus agit S. Ioannes Chrysostomus.

S. Chrysostomus Monachus. Baron. ann. Christi 382. num. 10. Caracc. in dedicat. Synop. vet. Relig. vir. Et not ad Præfat. pag. 14.

S. Ioannem Chrysostomum Monasticam in Syriâ vitam annis aliquot exercuisse, vitæ eius Scriptores, & Ill.mus Baronius testantur. Quare Antonius Caracciolus eũ vocat *Hilarionici, hoc est, Antoniani Instituti* B *Monachum sanctissimum.* Idemque ait, eum è Monasterio propè Antiochiam ab Hilarione fundato, diuinitus per Flauianum Episcopum fuisse euocatum. Formam verò, Regulamque Clericalis vitæ, ex eiusdem homilia IX. in Epistolam ad Philippenses, elici posse. Sic ille. Tradit verò Georgius Patriarcha Alexandrinus in vitâ S. Chrysostomi, Sanctum hunc virum, cùm esset in monasterio, *recusasse quidem Præfecturam, sed* C *scripsisse* REGVLAS *& multa præcepta.* Leo Imperator, Oratione Encomiasticâ, idipsum his tradit verbis: *Cùm talis autem cerneretur, rogatur quidem, vt Fratrum suscipiat Præfecturam; sed minimè id sustinet. Decreta autem & Ordinem omnis bonæ Monasticæ exercitationis diuinus hic zelotes conscripta eis tradit.* Quòd si ipsa Chrysostomi euoluamus opera, facilè videbimus, ab eo Monachorum vitam, instituta, officia, & exercitia, varijs locis tam accuratè descripta; vt Regulæ vicem subire

Regulas Monasticas scribit.

A posse videantur. Quinimò, quod Lupum Oliuetanum suprà ex Hieronymi operibus fecisse vidimus, posset fortassis & ex Chrysostomi scriptis, nõ dissimilis Monachorum concinnari Regula. Quare in Lectorum gratiam, loca aliquot insigniora designabimus; vt cui placuerit, adire illa queat.

Ex scriptis Chrysostomi Regula formari potest.

Homilia 14. in Epistolam 1. ad Timotheum longâ oratione describit cilicia, ieiunia, *terrenorum*, vt inquit, *duritiam lectulorum, eliminatum prorsus* MEVM & TVVM; vigilias Monachorũ, modum excitandi, nocturnam psalmodiam, & breuem post illam quietem, studium sanctarum Scripturarum, silentium: Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vespertinamque Synaxim: sobrium ex oleribus & leguminibus cibum, mortuorum exequias, & alia his similia.

Loci à quibus id fiat.

Vide eundem homilia 69. in Matthæum, vbi Monachorum vitam describit; aitque tenerâ ac molli sæcularium iucundiorem esse. Similia habet homilia 70. & 71. in eundem Matthæum. Sed plura occurrunt tom. 5. in quo legendæ homiliæ 56. 57. 58. 59. ad Populum Antiochenum, quæ de Monachorum vitâ inscribuntur. Vide eiusdem Sermonem: *Quod dispensatio rerum tuarum per teipsum exequenda est, &c. de laudibus, Institutisq. Monachorum.* Legendum eiusdem opusculum *De Comparatione Regis & Monachi;* Libríque tres *aduersus vituperatores vitæ Monasticæ.*

TRACTATVS V.

DE REGVLIS

Quinto Sæculo scriptis.



CONTINVATA *hoc Sæculo varijs locis Monasteriorum multiplicatio: quibus suas dum Institutores quique præscriberent Regulas; earumdem hic, quantum consequi licuit, exhibetur* Notitia. *Disquirimus enim I. De Regulâ* S. Augustini. *II. De eâ, quæ inscribitur* Consensoria Monachorum. *III. De Regulâ* Lirinensium. *IV. De* Cassiani *Regulâ. V. De Abbatis* Pinufij. *VI. De* Marciani *Regulâ. VII. De* Stylitarum *Instituto. VIII. De Regulâ* Basilij. *IX. De Instituto* Acœmetarum. *X. Qui in Occidente Acœmetas imitati. XI. De Regulâ* Agaunensium. *XII.* Vigilij *Diaconi. XIII.* Pauli & Stephani. *XIV.* Euthymij, & *Discipulorum eius* Theoctisti & Gerasimi. *XV. De Regulâ* S. Patricij. *XVI. S.* Ailbei. *XVII. S.* Mochtei, *siue* Maccei.

NOTITIA REGULARUM.

DISQVISITIO I.

Quot REGVLAS Scripserit S. AVGVSTINVS?

MAGNVM illud Ecclesiæ lumē, & Doctorum omnium Phœnix *Augustinus*, plurimorum Religiosorum Ordinum Patronus, Regulam quoq; scripsit, sub quâ omnipotenti Deo humiliter deseruiunt. Quæstio autem est, an plures, an vnicam tantùm scripserit Regulam. Paulus enim Bergomensis in Apologiâ, & Coriolanus in Defensorio, cap. 2. tres eum scripsisse docent, vt refert Pennottus; & totidem tom. 1. Operum S. Augustini reperire est.

3. Augustinus tres Regula.

Prima hoc titulo: *Regula B. Augustini ad Seruos Dei.* Et incipit: *Ante omnia, Fratres charissimi, diligatur Deus* &c.

Secunda, quæ in Appendicem reiecta est, hunc habet titulum: *Regula Clericis tradita fragmentum;* incipitque: *Communi definitione decreuimus apud vos* &c.

Tertia vocatur *Regula secunda*, & eodem vt prima, incipit exordio: *Ante omnia, Fratres charissimi* &c. ità in editione vltimâ Coloniensi, Anno 1616. ex Louaniensium correctione factâ. In alijs autem quibusdam editionibus, alio ordine hæ Regulæ exhibentur; ità vt prima Regula sit Clericis tradita, hoc exordio: *Communi definitione* &c. Secunda, cuius initium: *Ante omnia, Fratres charissimi.* Tertia eodem incipiens modo, ea ipsa est, quam editio Coloniensis primo proposuit loco.

Quæ germana.

Iam verò, vt quæ germana sit *Augustini Regula*, cognoscatur; lubet non meam, sed Theologorum Louaniensium, proferre censuram, qui ante primam, quam aliæ editiones vocant tertiam, ista habent: *Regula hæc continetur etiam in Epistolâ* 109. *ad fœminas scriptâ. Bernardus, de Præcepto & Dispensatione, bis meminit Regulæ Augustini; in eamque viris datam expositionem scripsit Hugo de Sancto Victore.* Alijs verò duabus ita præponunt: *Doctorum consensus vnicam tantùm agnoscit S. Augustini Regulam: quæ hanc Appendicem præcessit. Ideoque sequentes Regulæ, seu potiùs Regularum fragmenta, tamex stylo, quàm ex Doctorum virorum consensu, Augustini esse negantur.* Sententiæ huic subscribens Cardinalis Bellarminus, obseruatione ad primum tomum Augustini, ait: Ex tribus Regulis sola tertia est certa S. Augustini, sed fœminis data nō Viris, habetur enim in Epistolâ 109. reliquę duæ non videntur Augustini.

Duæ illi abiudicantur.

Verùm dubitant nonnulli, an non Augustinus vnicam suam Regulam bis scripserit: primò Clericis, ac deinde Sanctimonialibus. Quod quidem Gabriel Pennottus in suâ tripartitâ historiâ asserit, atque ità confirmat. Ipse Augustinus fatetur, se Clericis secum viuentibus leges nonnullas scripsisse. Hoc enim verba eius redolent in 1. Sermone de communi vitâ Clericorum exaratâ: *Noueram enim, & noui omnes, qui mecum viuerent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ.* Et Possidius cap. 25. cùm ait, *quòd indisciplinationes suorum, & transgressiones à Regulâ arguebat & tolerabat, quantum decebat, & oportebat.* Et suprà cap. 5. cùm ait, *quòd cum seruis Dei cæpit viuere in Monasterio secundum Regulam sub sanctis Apostolis constitutam.* Quid enim est aliud ipsa B. Augustini Regula, nisi eadem Regula Apostolica, quæ ante sine scripturâ seruabatur, in scriptis redacta? Et sanè quis credat B. Augustinum, qui paucis fœminis in Monasterio degentibus Regulam scribere voluit, suos Clericos, cùm quibus 40. circiter annis in communi vixit, quorum instituendorum, siue potiùs ad exemplar vitæ Apostolicæ, reformandorum curam præcipuam mente gerebat, quorum plures adhuc viuens Ecclesijs regendis, & Monasterijs instituendis in diuersis locis Presbyteros, & Episcopos dedit, sine Regulâ scriptâ relinquere voluisse? Hactenus Pennottus, cuius sententiam iam antea exposuit Richardus Cenomanus, Parisiensis Theologus, in Antidoto contra censuram Erasmi, ad Regulam tertiam S. Augustini.

An Augustinus Clericis Regulam scripserit.

Pennott. li. 1. cap. 18. num. 2.

Contrà verò intrepidè, & disertis verbis, vt vidimus, Cardinalis Bellarminus ait Fœminis, non Viris datam à S. Augustino Regulam. Quod ex Canonicis Regularibus Simon Werlinus, Præpositus S. Mariæ in Diesten, datâ operâ defendit in Emendatione Regulæ Monasticæ S. Augustini, excusâ Monachij 1618. apud Nicolaum Henricum, quem sequitur Bernardus Vindirigus in Critico castigato, excuso Vellameriæ 1621. per Georgium Medellanum, vt annotauit Franciscus Biuarius in Apologetico secundo pro Lucio Dextro; qui ait difficile creditu, D. Augustinum Regulam Canonicis suis scripsisse, quòd eius in lib. Retractationum ipse non meminerit Augustinus, nec Possidius in Indiculo; quinimò, nec vsque ad annum 1100. à quoquam Scriptorum, aut Conciliorum, sub nomine Augustini citetur. In eandem sententiam incliuat Prosper Stellartius, qui in Fundaminibus & Regulis omnium Ordinum, cùm ad S. Augustinum ventum est, ità præscribit:

Solis Monialibus Regulam dedit August.

Biuar. in Apolog. 5. 4. num. 3.

Probatur.

D d 4 Diui

NOTITIA REGVLARVM.

Diui Aureliani Augustini Regula Sanctimonialibus mandata, Monachis commendata. Ponitque Præfationem ad Sanctimoniales, & adscribit ad marginem: hanc Regulam verbotenus inueniet Lector tom. 2. S. Augustini Epist. 109. Et in Disquisitione historicâ, quam Regulæ subiungit, itâ ait: Neque verò absurdum est, Monasterium à D. Augustino conditum sine peculiari scriptâ viuendi normulâ dirigi. Quâ namque Regulâ olim in Ægypto & Palæstinâ, Cœnobitæ simul & Eremitæ fuerunt vsi, sub Antonio & Hilarione? Quibus legibus subditi Turonenses Martino, Mediolanenses Simpliciano & Ambrosio, Bethlebemitici Hieronymo? Nullàne viris tam Regularibus fuerit Regula? Nulla (quod legatur) præter Apostolicos Actus & Euangelium.

Responsio ad rationes Pennotti. Prima.

Ex his iam non difficulter respōderi posset ad rationes à Pennotto allatas. Nam ad *primam* dicendum, non loqui Augustinum nisi de lege & Regulâ, quæ ex Actis Apostolorum colligitur. Quod ipsum satis declarat serm. de vitâ Clericorum, qui incipit: *Propter quod volui*, in quo ait: *Nos omnes aut penè omnes sic nos viuere in eâ domo, quæ dicitur domus Episcopi, vt quantū possumus imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum; nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* Et altero sermone, qui incipit: *Charitati vestræ*, similia habet: *Quomodo viuere velimus*, inquit, *quomodo Deo propitio iam viuamus; quamuis de Scripturâ sanctâ multo noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Actuum Apostolorum lectio recitabitur, vt videatis vbi descripta sit* FORMA *quam desideramus implere.* Ac deinde Lazarus Diaconus legit: *Cùm orassent, motus est locus* &c. vt habetur cap. 4. Act. Apostolorum.

Secunda.

Quod deinde ex Possidio dicebatur, quòd indisciplinationes suorum & transgressiones à Regulâ, arguebat & tolerabat, non agit de Regulâ à se scriptis traditâ; nam Possidius non habet simpliciter à Regulâ, sed *à Regulâ rectâ & honestate.* Quinimò, ex illo 25. capite vbi domesticam Augustini disciplinam cum suis Clericis Possidius describit, argui posset, eos ibidem non vsos eâ quæ nunc circumfertur, Augustini Regulâ. Ibi enim pœna in rantis commemoratur; nempè vt vnam de statutis perderet potionem: *numerus enim erat suis secum commorantibus, & conuiuantibus poculorum præfixus.* Hoc autem in Regulâ non habetur, quod verosimile non est ab Augustino omissum fuisse, si propriam, iuxtà quam cum suis viuebat, scripsisset Regulam.

Tertia.

Quòd *tertiò* allegabatur ex eodem Possidio, eum in Monasterio cum Dei seruis viuere cœpisse, secundùm modum & Regulam sub sanctis Apostolis constituram; id verè insinuat aliam ab eo non scriptam: sed contentos fuisse lectione illâ ex Actis Apostolorum recitatâ, quam solam (vt vidimus) objicit Clericorum suorum viuendi formam vel ignorantibus, vel perscrutantibus.

Quarta.

Ad vltimam rationem, iam dictum, nouum non esse si absque scriptis Regulis, suâ Augustinus, priscorum Patrum more, regeret Congregationem. Nimirùm, vt annotauit Stellartius: lex viua erat Augustinus præsentibus, absentibus verò fœminis scriptam dedit legem. Et verò sine illâ, vt ipse Augustinus ait, Sanctimoniales in Monasterio per multos annos, & numero, & ætate creuerant, sine illâ eruditæ, sine illâ velatæ, sine illâ multiplicatæ erant.

Augustin. Epist. 109.

Atque hæc pro vnicâ, & tantùm Sanctimonialibus præscriptâ Regulâ probabiliter dixerim; quæ doctiorum & meliùs sentientium iudicio lubens subijcio.

DISQVISITIO II.

Qualis REGVLA, *quæ inscribitur* CONSENSORIA MONACHORVM?

IN manuscripto Treuirensi codice Regulam S. Basilij sequebatur scriptum quoddam, hoc titulo: CONSENSORIA MONACHORVM.

In Coloniensi autem subsequebatur doctrinam Orsiesij.

CONSENSORIA Monachorum est Regula 1. Augustino tributa.

Quale autem illud sit, hoc loco disquirendum. Re enim diligentiùs examinatâ, inueni illud S. Augustino tribui, & ad calcem tomi primi operum eius vocatur, vt iam ante meminimus, *Regula prima Clericis tradita*, cùm quo de verbo ad verbum concordat. Quo autem id loco habendum; ex Louaniensium Doctorum censurâ iam audiuimus. Vocatum fuerit CONSENSORIA MONACHORVM, quod ex communi Monachorum, vel Superiorum consensu, quæ in eo habentur, decreta forsitâ fuerint, vt ipso satis patet exordio; itâ enim incipit: *Communi definitione decreuimus apud nos, quod nūquam postmodum ab vllo poterit infringi. Residentibus nobis in Monasterio, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Omnibus placuit secundum Apostolicam traditionem, vnum sentire* &c. In fine autem aliqua videntur deesse.

Iordan. lib. 2. cap. 14. Quâ occasione scripserit.

Agnouit scriptum hoc Iordanus de Saxoniâ, libro, quem inscripsit VITAS FRATRVM; & quâ occasione exaratum sit, itâ aperit: *Pater & Preceptor Augustinus, postquam Fratres suos per Eremum hinc inde dispersos in vnum locum congregauerat, voluit eos ad vnius vitæ obseruantiam reducere. Primò quidem propositum suum ad vitæ Apostolicæ sectationem caram omnibus aperuit, singulorumque ad hoc voluntates requisiuit. At illi, vtpotè vno inspirante spiritu, omnes ad idem propositum cum sancto Patre aspirantes, communi diffinitione apud se decreuerunt,*

creuerunt, vitam illam se obseruaturos cum Dei adiutorio, quam ipse Pater Augustinus duceret eis statuendam. Et sic ipse Pater vitam, quam ipse primus apud agros proprios cum suis secundum Apostolicam traditionem seruare cæperat, breui compendio conscriptam eis tradidit. Qui libellus sic incipit: COMMVNI DIFFINITIONE DECREVIMVS APVD NOS. *Et ob hoc vocari potest,* DECRETVM OBSERVANTIÆ REGVLARIS: *& à nonnullis Regula prima nuncupatur.* Quibusdam verò interpositis rursus ait: *Itaque secundùm præmissa dici potest, quòd B. Augustinus fecit tres Regulas: primam adhuc laicus existens, quam tamen ego Regulam non appello, cùm nullâ* B *auctoritate fretus adhuc fuerit, sed fuerit quoddam priuatum decretum, vt potè de communi priuatorum consensu factum, vt dictum est. Quare illud non Regulam, sed decretum obseruantiæ Regularis censui appellandum.* Hæc ille. Ambrosius Coriolanus, Ordinis Eremitarum S. Augustini Generalis, in Defensorio cap. 2. Tres B. Augustini agnoscit Regulas; & primam ait compositam in monte Pisano, anno ætatis suæ 31. Et quia secundam nominat, quæ incipit: ANTE OMNIA, FRATRES. Et tertiam, quæ appellatur SPECVLVM, C quod in fine Regulæ suæ Augustinus dixerit: *Vt autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere.* Videtur per primam intellexisse hoc ipsum, de quo agimus, scriptum. Sed Defensorium hoc per Sixtum IV. & Innocentium VIII. fuisse suspensum, scribit Gabriel Pennottus. Suarez quoque huius scripti meminit, sub nomine primæ Regulæ S. Augustini, sed ait esse incerti Auctoris, & probabilius credi non esse S. Augustini: & ideo primo tomo operū eius separatim poni, & quasi in angulum reie- D ctum esse. Sed hæc superiore etiam Disquisitione expendimus.

Opinio de tribus Augustini Regulis.

Pennott. lib. hist. Can. cap. 36. nu. 2. & cap. 40. num. 5. & cap 41. n. 3. Suarez to. 4. de Relig. lib 2. cap 8. num. 24. *Improbabilis.*

DISQVISITIO III.

Qualis Lerinensium Regula?

Lerinæ descriptio.

LERINA Insula est Prouinciæ Narbonensi adiacens, è regione Antipolis; in hac anno Domini 375. S. Honoratus Monachorum fundauit Monasterium, disciplinæ Monasticæ celebre gymnasium; quod E viros omnibus perfectæ vitæ numeris absolutissimos, & diuinâ sapientiâ perpolitos quam plurimos tulit. Horum verò plerique ex insulâ Lerinensi tanquam coloniâ propagati, Galliam vniuersam magnitudine exempli impleuerunt. Cœnobium hoc, quo tempore S. Maurus à S. BENEDICTO in Gallias transmissus fuit, in eius quoque transiuit familiam & Regulam.

Qua Lerinensium Regula.

Sed quæritur, sub quâ vsque ad illud tempus Deo Monachi militauerint: nam in vitâ S. Eugendi mentio fit Regulæ, quam A Sanctorum Lerinensium Patres ediderint; & Dinamius Patricius in vitâ S. Maximi, Lerinensium Instituta Regulæ nomine cohonestat: *Tantus*, inquit, *feruor in eo extitit, vt antequam Monasticam viuendi Regulam complexus esset, vel mystica Instituta, iam conuersatione præcipuus videretur.* Quænam igitur hæc Regula? Ioannes Marquez à Pennotto citatus, putat Lerinense Monasterium sub B. Augustini Regulâ institutum: quod absque fundamento asseri, ait idem Pennottus: cùm à S. Honorato fundatum sit, sub Instituto, quod vel à Caprasio didicerat, vel in Oriente ipsemet viderat. Libro verò 2. cap. 35. num. 4. ait S. Honoratum, non sub Regulâ D. Augustini, sed sub Regulâ à se præscripta, Lerinense Monasterium fundasse. Quod etsi ex coniecturâ sine vllo dicat teste; probari tamen vtcumq; potest ex Concilio Arelatensi III. à Rauennio Episcopo, in causâ Fausti Abbatis Insulæ Lerinensis, & Episcoporum celebratum, circa annum Christi 455. ex Lugdunensis Ecclesiæ codice editum à Sirmondo, in quo præscribitur: *Vt Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciât: laica verò omnis Monasterij Congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat,* REGVLA, QVÆ A FVNDATORE IPSIVS MONASTERII *dudum constituta est, in omnibus custoditâ.* Vbi manifestè insinuatur *S. Honorati Regula.* Quam & designat Eucherius, Lugdunensis Episcopus, in libello suo de laude Eremi, ad Hilarium Lerinensem Monachum, cùm de Lerinâ ita ait: *Digna quæ cælestibus disciplinis Honorato Auctore fundata sit, quæ tantis* INSTITVTIS *tantùm nacta sit Patrem, Apostolici Spiritus vigore, & vultus honore radiantem.* Noster quoque Yepez ait, Lerinenses propriâ vsos Regulâ, à S. Basilij, S. Augustini, aliorumque Patrum prorsus distinctâ: quod optimè probat testimonio ex vitâ S. Eugendi productō: in quo dicitur: *Sic namque, quòd non omninò illa, quæ quondam Sanctus ac præcipuus Basilius, Cappadociæ Vrbis Antistes, vel ea, quæ Sanctorum Lirinensium Patres, sanctusque Pachomius Syrorum priscus Abbas, siue illa, quæ recentior Venerabilis edidit Cassianus, fastidiosâ præsumptione calcemus.* Confirmari idipsum potest ex Sidonio Apollinari, qui Volusianum hortatur, vt Auernense S. Cyrici Monasterium, Abrahæ Antistitis morte perculsum suscipiat; *Fluctuantemque Regulam Fratrum destitutorum, secundum* STATVTA LIRINENSIVM PATRVM, *vel* GRININCENSIVM, *festinus informet.* Ex quibus verbis peculiarem fuisse Lirinensibus normam, colligit Christophorus Browerus, Notis ad Venatium Fortunatum. Et Sirmondus: primis autem illis sæculis, ante receptam S. BENEDICTI Regulam, singulorum fermè Cœno-

NOTITIA REGVLARVM.

Non Augustini. Pennot. lib. 1. hist. Can. Regul. cap. 57. num. 5. & cap. 54. num. 5.

Sirmond. tom. 1. Concil. Gall. *Probabiliter Honorati.*

Quæ distincta ab aliis Regulis. Yepez anno Christi 558.

Sidon lib. 7. Epist. 17.

Browver. ad lib. 5. carmin. 2. Sirmond. not. ad Sidonium 2.

NOTITIA REGVLARVM.

Cœnobiorum propriæ erant leges & statutâ.

De Monasterio porrò Lirinensi, vt Pennottus ait, & de Instituto Monachorum, qui ibidem temporibus D. Hilarij (S. Honorati successoris) degebant, datâ operâ scribit Syluester Maurolicus, lib. 1. suæ historiæ omninm Religionum, vbi ex antiquis Auctoribus multa colligit. Verùm cũ ad manus modò mihi non sit; quæ de Lerinensium obseruantiâ, ex fide dignis Auctoribus cognouimus, hîc aliquousque delibabimus; vt antiquorum statutorum, vel Regularum, ex quarum vixerunt præscripto, vestigia agnoscamus.

Lerinẽsium obseruantia.

Ab Ægyptijs fontibus.

Cassian. Præfat. ante collat. 11.

In genere autem præmittendum, sectatos maximè Monachorũ Ægyptiorum Instituta, vt ex Cassiano docemur; qui Honorato Episcopo, & Eucherio scribens, ait: *Tanta illorum sublimium virorum, à quibus prima Anachoreseos Instituta suscepimus, laude flãmamini, vt vnus quidem vestrùm ingenti Fratrum Cœnobio præsidens, Congregationem suam, quæ quotidiano sanctæ conuersationis vestræ docetur intuitu, illorum quoque Patrum præceptis optet institui: alter verò vt etiam corporali eorum ædificaretur aspectu, Ægyptum penetrare voluerit.* Sic ille. Sed iam videamus quam viuendi tenuerint formam.

Lerinenses Cœnobitæ & Anachoretæ.

Sidon. lib. 9. Epist. 3.

Primò. Monachi erant partim Cœnobitæ, partim Anachoretæ siue Eremitæ. Vtrumque hoc genus in Lerinensi Insulâ Sidonius Fausto scribens, agnoscit: *Precum peritus Insulanarum, quas de palæstrâ Congregationis Eremitidis, & de senatu Lirinensium Cellulanorum, in vrbem quoque (cuius Ecclesiæ sacra superinspicis) transtulisti.* Eremitæ autem, qui post longam in Cœnobiticâ vitâ ascesim solebant ad Eremum secedere, solitarij diuisis habitabant cellulis. Testis Encherius: *Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui diuisis cellulis Ægyptios Patres Gallijs nostris intulerunt.* De Ægyptijs Rufinus lib. 2. de Vitis Patrum in Præfatione: *Commanent autem per Eremum dispersi & separati cellulis.* Et libro 3. num. 219. *Nam in eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitabant*: quod desumptum ex D. Hieronymo, Epist. 31. ad Eustochium, de custodiâ Virgin. Cœnobitæ verò Lerinenses iunctis degebant cellulis, quos hîc Sidonius *Cellulanos* nominat, & alibi *Concellitas*. Cassianus *Syncellitas*. Eunodius *Concellanios*.

Eucher. de laud. Eremi ad Hilar.

Sidon. lib. 8. Epist. 14. Cass. collat. 20. cap. 2.

Austerè viuebant.

Sidon. carm. 16.

Secvndò. Viuebant in maximâ districtione & austeritate, vt patet ex Eucharistico Sidonij ad Faustum Reiensem Episcopum.

Seu te Lirinus priscum complexa Parẽtem est,
Quà tu iam fractus pro magnâ sæpè quiete
Discipulus seruire venis, vixque otia somni
Vix coctos captare cibos, abstemius æuum
Ducis, & insertis pingui ieiunia Psalmis.

Hilar. Arelat. in vit. S. Honor.

In hâc autem Lirinensi palæstrâ, teste Hilario, ita exercebantur, vt hæc *essent certamina grata propositi, cuius mens ad pietatem mollior, cuius esset cibus durior, cuius sermo blandior, cuius amictus asperior, quis loqui rariùs, quis orare crebriùs posset: cui in ore rarior mundus, cui frequentior Christus.*

Lectioni, Orationiq́ intenti.

Tertiò. Non mediocriter ibidem viguit Orationis, Lectionis, & variarum disciplinarum studium: vt viri vndequaque doctissimi & sanctissimi, qui ex hac scholâ prodierunt, & Ecclesiam velut sidera quædam illustrarunt, manifestissimè ostendunt. Vt non immeritò de Lerinensi Insulâ hæc, qui in eâ Monasticen exercuit, Cæsarius Arelatensis, scripserit: *O felix & beata habitatio Insulæ huius, vbi tam sanctis quotidie, & tam spiritalibus lucris gloria Domini Saluatoris augetur, & tãtis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata, inquam, & felix Insula Lerinensis, quæ cùm paruula & plana esse videatur, innumerabiles tamen montes ad cælum misisse cognoscitur. Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes prouincias erogat Sacerdotes. Ac sic quos accipit filios, reddit Patres: & quos nutrit paruulos, reddit magnos, quos velut tyrones excipit, Reges facit.*

Cæsar. homil. 25. ad Monach.

DISQVISITIO IV.

Quænam Regula Cassiani?

Sur. 1. Ianu.

INter Regularum Conditores annumerandus quoque videtur Ioannes Cassianus. In his est Auctor vitæ S. Eugendi, qui fuit discipulus S. Lupicini, qui inter cætera Instituta recenset, quæ *recentior venerabilis edidit Cassianus, quæ quotidie lectitantes, ista pro qualitate loci & instantiâ laboris inuictâ, potiùs quàm Orientalium perficere affectamus, quia proculdubio efficaciùs hæc faciliùsque natura vel infirmitas exequitur Gallicana.* Similiter Gregorius Turonensis agens de S. Aredio Abbate, meminit Regulæ Cassiani: *Cœnobiumque fundauit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui Monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ.* Et S. Benedictus Anianæ Abbas in Concordiâ Regularum, crebrò citat *Regulam Cassiani*. Photius Episcopus Constantinopolitanus in Bibliothecâ Cod. 197. hæc habet: *Cassiani Monachi (patriâ Romani) libri duo continebantur: Eorum alter Castori cuidam Episcopo nuncupatur, qui hunc ab illo scribi postularat. Formas autem, ac Regulas præscribit, ex quarum præscripto viuunt in Ægypto Monachi, per cætus illos distributi, quos ex vocis origine petitâ ratione, Cœnobia nominãt.* Vincentius Belluacensis: *Ioannes Eremita, qui & Cassianus, multa scripsit, inter quæ etiam vitas Patrum in Ægypto compertas, doctrinasque &* Regvlas, *datis ad plurimos libris exposuit.* Eadem habet Antonius in summâ histor. part. 2.

Cassiani Regula olim nota.

Gregor. Turon. lib. 10 de gest. Franc. cap. 9.

Vincent. Bell. Spec. hist. lib. 19. cap. 14.

part. 2 tit. 10. Trithemius quoque contra Monachorum proprietatem, hunc citans Auctorem, ait: *Et in Regulâ Abbatis Cassiani dicitur: nequidquam peculiare liceat Monacho possidere* &c.

Libri IV. Institutionum sunt Cassiani Regula.

Ex his porrò Auctoribus, cùm Cassiani agnoscamus Regulam, primò quæritur; Quænam hæc Regula sit, vel quid hoc nomine designetur? Nam ex scriptis ab eo libris, nullus hâc epigraphe insignitur. Respondetur, iuxta Gennadium in Catalogo Illust. virorum, intelligi tres priores *Libros Institutionum*, ait enim eum scripsisse: *Res omnium Monachorum professioni necessarias*, id est, de habitu Monachi, *de Canonico Orationum atque Psalmorum modo, qui in Monasterijs Ægypti die noctuque tenetur, libros tres*. Cui subiungit *Institutionum librum vnum*, quo nomine intelligit librum quartum, qui inscribitur, *De Institutis Renuntiantium*; quo describitur modus recipiendi in Cœnobijs Nouitios. Photius verò *Regularum* nomine quatuor *Institutionum libros* intelligit, vt patet ex loco superiùs citato. Nam ex duobus libris priorem ait continere Monachorum Regulas: posteriorem esse de octo vitiosis cogitationibus. Hugo Menardus fatetur quoque, citatam in Concordiâ Regularum Cassiani Regulâ ex his quatuor libris Cassiani compactam. Quæ quidem, ait, verum Regulæ nomen sortiri potest, non enim in eâ narrantur Monachorum Ægypti mores & instituta, sed quid faciendum sit, præcipitur. Vero autem simile mihi videtur, ex his Cassiani libris aliquam côcinnatam Regulam, eamque Græce versam, Photio fortassè lectam: citat enim Ioannes Meursius in Glossario Græco-barbaro, verbo *Hebdomadarius* Cassianum de Regulis Cœnobiorum Ægypti, & sententias Græcè allegat, vti quoque verbo Ψέλιον, eandemque reponit in Indice Auctorum Græcorum hactenus nondum editorum. Locus quoque à Trithemio sub nomine Regulæ Cassiani citatus, habetur libro quarto, cap. 13. vt euidēs sit, eum quoque Regulæ nomine à Trithemio censeri; quamquam verba ab eo citata ad amussim verbis Cassiani nō respondeant. Sed quidquid de eo sit; notum est disciplinam suscipiendorum Fratrum siue tyronum instructionem, omnibus pænè Monasticis interseri Regulis; atque ita quoque factum à Cassiano; primum enim librum sic exorditur. *De Institutis ac Regulis Monasteriorum dicturi vnde competentius, donante Deo, quā ab ipso habitu Monachorum sumemus exordium.* Primò verò capite quinti libri ostēdit quousque se Monasteriorum Regulæ extenderint: *Nam post quatuor libellos*, inquit, *qui super Institutis Monasteriorū digesti sunt, nunc arripere colluctationem aduersus octo principalia vitia vestris orationibus Domino cōfortāte disponimus.*

Fortè versa Græcè.

A Vlteriùs quærat aliquis, quibus hæc Regula præscripta, vel vbi fuerit obseruata? Respōdetur in duobus illis, quæ apud Massiliam Cassianus cōdidit Monasterijs, Virorum vno, & mulierum altero, vt Auctor est Gennadius. Sylvester Maurolicus, lib. 1. hist. sacræ omnium Religionum, ait Cassianum fundasse Monasterium S. Victoris Massiliæ: vbi nunc degūt Monachi Benedictini, cum antiquissimo illorū habitu, & scapulari largissimo, quòd aiunt priscū Benedictinorum esse habitū, & quòd ibi sepultus sit Ioannes Cassianus, primus Abbas, & fundator san-

B ctæ illius Congregationis, cuius caput erat hoc Monasterium S. Victoris, à quo deriuatum est Monasteriū Lerinense. In his porrò instituendis ac regendis, non est dubitandū (vt ait S. Hieronymus Platus) quin ipsâ explicarit, quęcumq; ex SS Patrū congressu, ac sermone, scriptis mandauerat. Quod manifestiùs probatur ex Epistolâ S. Castoris Aptensis Episcopi ad Cassianum, quam Institutionibus eius præmisit Gazæus; in quâ eam petit Regulâ, quam suo Monasterio Cassianus præscripserat; ità enim ait.

C *Possimus namq; tuam Paternitatem, vt Instituta Monasteriorum, quæ per Ægyptum, & Palæstinā florere ac institui vidisti, & seruanda sanxisti, & sicuti ibi à Patribus tradita sunt, simplici sermone in nostro rudi Monasterio adhibere complanata ne abnuas.* Ex quo testimonio colligere licet, eandem deinde Regulam seruatam in Monasterio, quod Castor hic Episcopus in suâ extruxit prouinciâ: nam respondens Cassianus, ait: *Poscis, præcipisq; vt Instituta Monasteriorum, quæ per Ægyptum, & Palæstinā custodiri conspeximus, imperito digerā stylo, quæ Fratribus*

D *in nouello Monasterio tuo cupis explanari.* Quod manifestiùs Photius insinuat: *Tertiū*, inquit, *his adiunctum libellum legimus, quem à Castoris Episcopi morte inscripsit Cœnobij illius moderatori, cuius cœnobij causâ & Regulæ illæ priùs missæ fuerant.* Forsitan & inde in alia Galliæ Monasteria Cassiani hæc Regula fuerit traducta. Nam ex Gregorio Turonensi liquet, in Monasterio à S. Aredio Abbate fundato seruatam Cassiani Regulam.

Quod verò plenioré eius spectat notitiā; quamuis Cassianus à pueritiâ, vt ipse in hac

E epistolâ ait, inter monachos fuerit educatus, in Bethlehemetico scilicet Monasterio, & inde per Ægypti & Palæstiuæ solitudines, inter Anachoretas diu versatus, eorumque doctrinâ imbutus; ità tamē apud Massiliam constitutus, hanc suam scribit Regulam, vt aliqua nōnihil mitiget atque tēperet. *Illam*, inquit, *sanè moderationem opusculo huic inserere præsumam, vt ea, quæ secundum Ægyptiorum Regulam seu pro asperitate aërū, seu pro difficultate, seu diuersitate morum impossibilia in his regionibus, vel dura, vel ardua comprobauero, Institutis Monasteriorum, quæ per Palæstinam vel Mesopotamiam*

NOTITIA REGVLARVM.

Cassiani Regula vbi obseruata.

Gennad. Catalog. illust. viror.

Scripta ex Patrum doctrinâ.

Plat. de bono Stat. Relig. lib. 2. cap. 25.

Photius in Bibliothec. cod. 197.

Et temperata ad solum Gallicanum.

NOTITIA REGVLARVM. Lib. 4. c. 1.

tamiam habentur, aliquatenus temperem. Et lib. 4. ait se quædam de Ægyptiorum, quædam de Tahennesiotarum Regulis admiscere.

Regula, scriptorumque Cassiani commendatio.

Quantæ verò vtilitatis hæc Regula sit, ex Doctorum Virorum elogijs, qui vniuersa Cassiani opera plurimùm commmendant, quilibet facilè agnoscet. De Institutionum libris, quorū quatuor primi hanc absoluunt

Cuyck. Præfat. ad Cass.

Regulam, ita Hẽricus Cuyckius, Ruræmundensis Episcopus: Priores verò libri hoc cōsilio ab eo scripti esse videntur, vt in ijs vitę piæ, Religiosæ, & Monasticę certam quandam absolutamque formam posteris traderet. Digni idcircò qui numquā de manibus B maxime Religiosorum deponãtur; propter sancta salutariaque, quę continent dogmata & exēpla. Sed insigne prorsus est testimo-

Phot. in Bibliothec. cod. 197.

nium Photij Patriarchæ, qui de his libris ita proloquitur: *Vtilissima verò, si qua alia, hæc ijs sunt pronuntiata, qui Religiosam inire vitam cupiunt. Et verò tanta ijs vis inest, ac quasi diuinitas, vt & in hūc vsque diem si quis Monachorum conuentus hac ex formâ, & hisce præceptionibus gubernetur, reuera tantisper floreat, cæterisq; prælucens virtutum esse officina cernatur: cum qui hæc repudiarit cœtus, paruis quibusdam virtutum* C *reliquijs instructus, veluti in fluctibus iactetur, vel etiam naufragium faciat. Quare expedit nihil eorum, quæ ibi traduntur, contemnere.*

De Cassiani verò sanctitate vide Menardum ante Concordiam Regularum, & Vindicias pro eiusdem Sanctitate, vltimæ editioni Cassiani cum notis Gazæi præfixas.

DISQVISITIO V.

De Regulâ Abbatis Pinutij.

Pinutij Regula obscura.

De hâc Regulâ Auctorem qui scribat D reperi neminem, sed inuenitur ea in MS. codice Augustano, ad quē P. Patricius Flemingus S. Columbani recensuit Regulā. Sed quod liber hic nobis, nec lectus, nec visus sit, nihil de Auctore, aut Regulâ statuere possumus. Occurrit apud Cassianum lib. 4. cap. 30. mentio Abbatis *Pynufij*, quem Petrus in Catalogo, lib. 11. c. 56 vocat *Pynuphicum*: qui cū esset immanis Cœnobij Presbyter, quod est in Ægypto nō longè à Panephysi ciuitate, deposito habitu Monachorū, assumptâ sæculari veste, humilitatis causâ, E cœnobium Tabennesiotarum expetijt: qui à suis quęsitus, post triennium in suum monasterium est reductus. At paulò pòst iterum fugit in partes Syriæ, sed & ibi cognitus, summâ vi precū ad cœnobium suū re-

An fortè Pinuphij Exhortatio.

uocatus est. Subijcit porrò Cassianus eiusdem Pinufij pulcherrimam, satisque prolixam *Exhortationem*, quam dedit Fratri, quē in suo cœnobio recipiebat: & fortassis hæc velut Nouitiorū Regula ex illo libro transcripta fuerit, & aliorum Patrum Regulis inserta, vel adiuncta.

A Eiusdem porrò est apud eundem Cassianum Collatio 20. *de Pœnitentiæ fine, & satisfactione*; in quā secundò capite mentionē prędictæ *Exhortationis* faciēs, ait eum *satis ardua atque præcelsa, cuidam Fratri Monasteriŭ Regulam subeunti, coram omnibus in Synaxi Fratribus, præcepta tradidisse*. Ex quo facilè colligas, ingēs illud monasterium suam habuisse Regulam; & fortassis peculiarem ab ipso *Pinufio* verosimiliter præscriptam.

DISQVISITIO VI.

De Regulâ Marciani.

Theodor. in Philot. c. 3.

Beatus Theodoretus in Philotheo Marciani vitam describens, eius viuendi Regulam & Institutum à Discipulis propagatum refert: cuius hîc non prætereunda memoria, quod ab aliorū Regulis verosimiliter discrepauerit. Sic igitur ait: *Cùm præ-*

Marcianus duo exstruit Monasteria.

teriisset aliquantum temporis, duos admisit cōtubernales, Eusebium, qui sacri illius tugurij fuit hæres, & Agapetū, qui has leges Angelicas transtulit Apameam. Est enim quidā vicus maximus & populosissimus. Est autem ei nomen Niceræ. In eo ergò construit duo maxima Philosophiæ gymnasia, quorum vnum quidem est ab eius nomine denominatum, alterum verò ab admirabili Simeone, qui quinquaginta annorum spatio resulsit in hâc Philosophiâ. In his in hodiernum vsque diem plus quā quadringenti viri, virtutis Athletæ & amatores Religionis verique Dei cultus, & qui suis cœlum coēmunt laboribus. Huius autem

Et Regulâ imbuit.

Reipublicæ Legislatores fuēre Agapetus & Simeones, qui Leges accepēre à magno Marciano. Ab his autem plurima quæ plantata sunt exercitatorum virtutis habitacula, quæ quidem ijsdem legibus reguntur & Institutis, difficile est enumerare. Marciani discipulus fuit Basilius Seleuciæ Episcopus, *qui*, vt hic ait Theodoretus, *apud Seleucobelum, (est autem vrbs Syriæ) monasticum extruxit habitaculum.*

Fuerintne verò Marciani scriptæ Leges, an autem continuâ traditione, Discipulorum operâ per cœnobia dispersæ; haud facilè fuerit definire. Marciani Institutum plurimùm propagauit Eusebius; de quo idē Theodoretus cap. 4. *Horum certaminum Pæ-*

Eusebius Marciani institutum propagat.

dotriba & exercitator, cùm alios quoque plures tales fecisset, eos transmisit Doctores ad alias palæstras, qui totum illum sacrum montem diuinis his pratis & suauem emittentibus odorem implenēre. Nam cum ad Orientem ab initio fuisset illius exercitationis Monasticæ tugurium, licet videre eius Philosophiæ fœtus ad Occidentem & Meridiem, veluti quasdam stellas circa lunam choros ducentes: & alios quidem Græcâ, alios verò eius in quâ habitant regionis voce, laudantes Creatorem.

DISQVI-

DISQVISITIO VII.

De Stylitarum Regulâ, & Instituto.

VT paria propremodum sunt Monachorũ Instituta, & quod vnius præscribit REGVLA, hoc & in aliâ inueniatur expressum: ita contingit, vna alteraue superadditâ obseruantiâ, crescente præsertim varijs locis discipulorum numero, nouum ac peculiare censeri Institutum. Plurium Ordinum exemplis id constare potest: crebrò enim inter se non nisi accidentalibus quibusdam differunt ritibus & obseruantijs. Quod & in Stylitis non obscurum arbitror. Peculiare enim horum fuisse Institutum, prorsusque stupendum, nimis quàm manifestum est. Quod quidem agnoscens Theodoretus, hanc eius rei reddit rationem: *Quemadmodum ij quibus obtigit, vt essent Reges hominum, post aliquam temporis conuersionem mutant imagines nummorum; aliquando quidem leonum exprimentes imagines, aliquando autem stellarum, & aliquando Angelorum, nouo charactere tentantes aurum reddere pretiosius: ita etiam summus Rex vniuersorum, velut quasdam figuras ac characteres, hæc noua & multiplicia viuendi Instituta, pietati veræque Religioni adiiciens, non solùm fidei alumnorum, sed eorum, qui laborant morbo incredulitatis, ad laudandum linguas excitat.* Sic ille. Metaphrastes quoque in vita Danielis Stylitæ, hoc viuendi genus appellat *Institutum Simeonis*, in quo etsi aliud nihil, quàm iugis illa in columna statio consideraretur; esset illa satis ad nouum & inusitatum viuendi Institutum admirandum; quod accurate describit Raderus Viridarij parte 2. ex quo breuiter accipe, quæ forma, crassities, & altitudo earum fuerit columnarum, quas Stylitæ insistebant: quæque communis illorum ratio viuendi. Columnarum forma ferè fuit, vt arbitror, rotunda; altitudo varia. Modius seu cella siue domicilium columnis impositum, in quo consistebant, in omnem partem binos cubitos seu tres pedes patebat, tecto nullo, vt liberè cælum omne contemplarentur, & omnibus iniurijs cæli expositi maiorem haberent tolerantiæ segetem & messem. Ianuas habebant nonnulli, nullas alij, quod tempestatis violentia parietis partem disiecisset. Scalæ admouebantur, cùm vel alij ad illos enitebantur, vel illi ad alios se demittebant; quod quidem vel numquam vel ad summa Reipublicæ pericula deuocati factitabant. Statione porrò æternâ se cruciabant, nec enim iacendi vel decumbendi spatium erat; poterant tamen sedere; sedisse verò nusquam lego, numquam puto. Nam primis quadraginta diebus Simeon ad trabem se alligari curauit, alterisque quadraginta liber absque adminiculo consistebat, medio corpore supernè velut Ecclesiastes in ambone extabat. Etsi de omnibus non affirmarim. Hæc ferè quantum assequi potui columnarum, & illas insistentium ratio fuit. Ne autem vnus alterque tantùm prodigiosi huius Instituti fuisse putetur sectator; lubet eorundem ex eodem Auctore subijcere syllabum.

Vnde Institutorum varietas. — *Theodoret. in Philot. cap. 26.* — *Metaphrast. cap. 11. Stylitarum viuendi modus.* — *Plenius describitur.* — NOTITIA REGVLARVM.

Primus Stylitarum Auctor est Simeon, qui obijt Leonis Imperatoris anno 4. Christi 460. *Catalogus Stylitarum.*

II. Daniel Stylites, obijt anno Christi 489.

III. Theodulus.

IV. Anonymus Stylita, Simeonis iunioris Magister, de quo Euagrius.

V. Simeon Stylites iunior.

VI. Alypius Stylites, tempore Heraclij Imperatoris.

VII. Simeon Stylita Fulminatus. Vides hîc tres Stylitas Simeonis nomine insignitos, qui non rectè quandoque ab eruditis confunduntur. Trium simul meminit Grecorum Triodium pag. 32. *Cælum quatuor instructum luminibus in terrâ apparuit, bis bina ipsa Simeonia cognominatio, quorum in Columnis tres sunt, & vnus Salus.* Trium quoque Stylitarũ meminere Menæa. Tres hos Rosweydus lib. 1. de vitis Patrum distinguit, & quarto nonnullam suspicionem mouet, quem adi, si lubet, nos reliquos subnectimus. *Simeones tres distincti.*

VIII. Iulianus Stylita Pratum spirituale cap. 57.

IX. Anonymus triginta millibus passuum ab Ægina Ciliciæ vrbe distans, Romanæ Ecclesiæ filius. prat. Spirit. cap. 29.

X. Alter ibidem, sed Seuerianæ hæresis. Ibidem.

XI. Anonymus itidem, Seuerianus non procul Hieropoli quem Ephræm Patriarcha Antiochenus miraculo cõuertit. prat. Spirit. cap. 36.

XII. Stylita Edessenus.

XIII. Lucas imperante Romano Seniore cum Constantino Porphyro-genito.

XIV. Quidam Stylita, de quo Athenogenes, Petræ Episcopus. In Prato spirituali cap. 129. De his enumeratis agit Raderus.

Non cessasse statim hanc vitæ formam, satis constat. Addendus enim est & S. Wolphus ex Gregorio Turonensi, lib. 8. Hist. Gentis Francorum cap. 15. quem ex tabulis Benedictinorum 21. Octobris reponit *S. Vulphus Stylita.*

NOTITIA REGVLARVM.

ponit Surius, Martyrologium Wion & Menardi. Vide Chronicon Yepez, anno Christi 600. cap. 2. & Gononum in vitis PP. Occidentis lib. 2.

Fuit genere Longobardus. Columnam ascendit in territorio Treuirensi. Sed Stylitarum meminit Theodorus Studita, qui anno Christi 826. obijt. Ille enim Catechesi 38. monens, vt vnusquisque in quo vocatus est maneat Instituto, ait: *Multos contubernijs suis peregrinandi studio relictis, gradu cecidisse, nec quæ ambirent tulisse. Atq; vt omittam,* inquit, *veteres historias, intra ætatem nostram exigamus sermonem. Ecquid Psalterio, qui dicebatur, præfuit stylum profectiæ an non reductus inde est mente captus, ac iam nec subditus est, nec stylita Quid Sapritæ contulit stylus? an non degressus inde est ab orthodaxiam, lapsusque in hæresim?* Ex suo quoque grege nominat Amphilochium, tum superstitem notumque ijs, apud quos disserebat, qui *Stylita in primis, ac deinde factus Clusius, nunc indecarè huc illuc palatur.*

Et alij sæculis posterioribus.

DISQVISITIO VIII.

De Regulâ Basii.

Regula Monasterij S. Timothei

SIMEONIS Stylitæ vita binas nobis suggerit Regulas, quarum, coronidis vice, hic videbatur facienda commemoratio. Prior ea est, quæ in Monasterio S. Timothei Abbatis seruabatur; ad quod cum Simeon accessisset, & suscipi rogasset, Abbas cum Fratribus assignans, dixit, *filiali mei, ecce trado vobis istum fratrem, docete eum Canones Monasterij.* Ita Antonius in vitâ. In hoc Monasterio vixit Simeon annos nouem, vt ait Euagrius, sed iuxta Theodoretum, tantùm duos.

Euagrius lib. 1. hist. cap. 13.

Theodoret in Philot. cap. 26. Regula Basii qualis.

Posterior Regula est, vt Theodoreti verbis vtar. *admirandi hominis Dei Basii, qui præerat ijs, qui in pagis erant Sacerdotibus.* Cuius Institutum ita explicat. *habebat plusquam ducentos sodales, cùm nec eis iumentum habere, nec molam permisisset, neque aurum ab aliquo oblatum accipere, neque aliquem extra fores egredi, aut aliquid ex necessarijs empturum, aut aliquem ex suis notis visurum: sed intus agere, & quod à diuinâ gratiâ mittebatur alimentum accipere. Hanc* LEGEM *in hodiernum vsque diem seruant sodales, & quamuis creuerit eorum numerus, mandata quæ eis data sunt, non transilierunt.*

DISQVISITIO IX.

De Regulâ & Instituto Acœmetarum.

CELEBRE in Oriente fuit *Acœmetarum* siue *Insomnium*, vel *non dormientium* Institutū: in quo plurima multitudo Monachorum, iuges diu noctuque peruigil, Deo A laudes offerebat; tripartito tempore, & Monachis sibi inuicem succedentibus. De huius porrò Instituti Auctore, viuendique forma, non prætereunda videbatur hoc loco narratio. Auctorem fuisse tradit Metaphrastes Alexandrum Abbatem, qui cùm priùs Byzantij exerceretur in templo magni Martyris Menæ, postea *In ipso æstio Ponti venerandum statuit Monasterium, in quo nouam quidem, sed longè omnium pulcherrimam,* LEGEM *imposuit, vt* HYMNO- B RVM AD DEVM *numquam interrumperetur* PERPETVITAS: *sed per vices mutatis ministris, hæc numquā sitens & numquàm conquiescens tribueretur Deo glorificatio.* Mortuo verò Alexandro successit Ioannes, qui ab eo recedens loco in regione Bythinorum aliud excitauit Monasterium, quod *propter perpetua, quæ ad Deum fiunt cantica, in hodiernum vsque diem nominatur Monasterium* ἀκοιμήτων *hoc est, Non dormientium. Nam cùm eandem formam, quam Alexander, imitatus esset Ioannes, earum, qui per vices canebant, nullo somno interruptam faciebat glorificatio-* C *nem.* Ioanni porrò successit Marcellus: sub quo *Acametarum* Monasteria plurima excreuerunt, & diuersis in locis sunt propagata, vt idem Auctor narrat. *Quemadmodum,* inquit, *ex magnâ Eden quatuor dicunt manare fluuios: ita etiam ex Marcelli tabernacula capit per vniuersum ferè orbem terræ profundi purum & iucundissimum & salutare fluentum, illa, in quam, accuratissima vitæ, quæ ab eo agebatur, imitatia. Praterea autem supernarum potestatum ministerij, quod nullo somna interrumpitur, zelus, cùm hinc* D *cepisset initium, venit ad primam & vrbium reginam. Deinde ad alia quoque loca transijt imitatia. Et siue quis templa extruebat, aut Monsteria, siue aliquid aliud sacrum faciebat, à Marcella etiam accipiebat Curatores & duces. Sic Monsteriorum & templarum, quæ erant vbique, per suos discipulos communis extructor fuit, & cammunis curator.* Hactenus ille.

Metaphrastes apud Sur. 29. Decemb.

Alexander Acœmetarum Institutor.

Cui succedunt Ioannes.

Et Marcellus qui propagat.

Quod autem ait tandem venisse *ad primam & vrbium reginam;* Constantinopolim intelligit, vt ex Nicephoro; qui ista nar- E rat, colligitur. *Eiusdem Gennadij Episcopatûs tempare, Studius vir praclarus, Româ Constantinopolim peruenit, & sancto Præcursori templum erexit, in quod Monachos ex domicilio eorum, qui* ἀκοίμητοι, *hoc est, Insomnes dicuntur, induxit. Horum domicilium Marcellus diuinissimus construxerat, in quo* PERPETVIS CARMINIBVS *numquam non* HYMNI DEO CANEBANTVR; *sodalitate Monacharum eam ob rem in tres cœtus diuisâ, In ea quoque Mandrâ Ioannes Calybites Monachum egit.* Sic ille.

Vsque Constantinopolim.

Niceph l. 5. hist. Eccles. cap. 23.

Quod

Regula Acœmetarum præcipuum caput Laus perennis.

Quod verò ſpectat Monachorum Regulam; vero ſimile eſt eos peculiarem habuiſſe, in quâ *iugis* hæc *Pſalmodia* præcipuum obtinuerit locum. Nam Metaphraſtes, vt vidimus, ait Alexandrum Monaſterio ſuo *nouam quidem, ſed longè omnium pulcherrimam*, LEGEM *impoſuiſſe*. Idemque in vitâ Ioannis Calybitæ, ait Monachū quendam ex eorum Monaſterio, qui vocantur *Acœmetæ*, à Ioanne interrogatum, quænam foret Monaſterij illius exercitationis ratio: *enarraſſe omnem vitam, &* EXERCITATIONIS REGVLAM. Sed & ipſi Ioanni Monaſticum petenti habitum, Archimandrita, vt ibidem poſtea ſubditur, dixit: *Nobis mos eſt, vt, qui Monaſticam vitam profiteri velit, quadraginta dies apud Monaſterium maneat, & cum* EXERCITATIONIS *noſtræ* REGVLAM conſiderauerit, ità rondeatur.

Euag. hiſt. Eccleſ. li. 1. c. 18. 19. 21.

An autem præter hanc & S. Baſilij ſeruauerint Regulam; mihi incompertum. Meminit & Euagrius Monaſterij *Acœmetarum*, & Cyrilli eorum Præfecti, & Simeonis Monachi, ab eodem ad Felicem III. Papam miſſi. In Conſtantinopolitanum *Acœmetenſe* Monaſteriū Primaſius Epiſcopus Afer, anno Chriſti 553. relegatur vt victor Tonnonenſis in Chronico ſcribit.

DISQVISITIO X.

Quinam in Occidente Acœmetarum Inſtitutum fuerint imitati?

ANGELICVM illud dum accuratius contēplor *Acœmetarum* Inſtitutum, ſtatua mihi de eius Auctore (quod aliâ occaſione dixit Ambroſius) dicere poſſe videor.

Ambroſ. lib. de Virginib. Encomium Laudis perennis.

E cœlo acceſſiſſe, quod imitaretur in terris: nec immeritò viuendi ſibi vſum quæſiuiſſe è cælo, qui animæ ſuæ ſponſū inuenit in cælo. Quid enim aliud cæleſtis illius patriæ indigetes faciūt, quàm continuis hymnis diuinum Numen celebrare? *Beati* (ait Pſamiſta) *qui habitant in domo tuâ Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Hoc iam inde ab ipſius mundi exordio perpetuum Angelorum munus fuit, vt ipſe mundi Conditor apud Iob teſtatur, dicens: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* vbi Chaldæus Paraphraſtes vertit: *Et iubilarent omnes acies Angelorum.* Septuaginta verò: *Et iubilarent Angeli mei.* Ecce diuinarum Laudum Cantores primos, ſed & perpetuos. Neque enim ceſſarunt vmquam, aut ceſſabunt ab hoc cantu. De Seraphinis ſiquidem, quos Iſaias, & Ioannes vidit, dicitur: *Et requiem non habebant* (Græcè ὐκ ἔχοισι) *non habent*) *die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens.* De iiſdem canit Eccleſia, quod, *Non ceſſant clamare quotidie, unâ voce dicentes.* Et alibi: *Inceſſabili voce proclamant.*

Pſal. 83. Iob 38. Angeli Deū perpetuò laudant. Apocal. 4.

A Cur autem non ceſſent, aut requiem non habeant: hanc Damaſcenus aſſignat rationem, quia *hæc erat ipſorum requies.* Ac ſi diceret, quòd Angeli non laborem, ſed dulciſſimam quietem in continuâ Dei laude reperiant. Angeli autem cum corpore careant, ſomno nō indigent, ſed ſemper vigilant: vnde inter Angelorum nomina à Daniele vſurpata, vnum fuit *vigilis: Et ecce*, ait, VIGIL *& Sanctus de cælo deſcendit*; vbi Septuaginta *vertunt, Angelus.* Et Paulò pòſt ſubdit Daniel: *In ſententia* VIGILVM *decretum eſt.* Vigiles hos Monachi noctu pſallentes imitantur: *vnde & nos* (ait S. Hieronymus) *crebris pernoctationibus imitamur Angelorum officia.* Id verò *vel maximè* & peculiariter fecerunt *Inſomnes*, ſiue Acœmetæ noſtri: qui velut terreſtres Angeli, cæleſtem nobis hierarchiam repræſentarunt.

NOTITIA REGVLARVM. Præfat. de S. Trinit. In hymn. Te Deum. Damaſc. l. 1 de fid. Orthodox. cap. 16.

B

Daniel 4. n. 10. Quod imitati ſunt Monachi. v. 14.

Benedictini Laudis perennis in Occidente inſtitutores

Hoc autem Inſtitutum cùm in Oriente, vt vidimus, primùm viguerit; tum Benedictini Noſtri in Occidente, non minùs feliciter quàm piè, ſunt æmulati. Nam pluribus locis *Perpetuam Pſalmodiam*, ita vt nulla hora nocturna vel diurna à Dei laudibus vacua præteriret, inſtituerunt. De S. Columbano enim hæc Bernardus: *Ad has noſtras Gallicanas partes S. Columbanus aſcendens, Luxouienſe conſtruxit Monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris, continuarentur ſolemnia diuinorum, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus.* Ita Bernardus.

C

Bernard. in vit. S. Malach.

D

Luxouij Laus perpetua diu viguit.

Hæc autem PERENNIS LAVDIS perennitas, Inſtitutionis S. Columbani præcipuum fuit caput. Vnde in ipſo Luxouio perſeuerauit vſque ad magnam illam Monaſterij deſolationem, ab Hungaris, & Wandalis factam: cuius in ſuo Priuilegio Luxouienſibus conceſſo meminit Carolus Magnus Imperator. Contigiſſe eam tradit Catalogus Abbatum Luxouienſium circa annum Domini 732. *Poſt hunc*, inquit, E (nempe Walbertum tertium Luxouienſis cœnobij Abbatem) *fuerunt quamplurimi Abbates, qui ſtatum* LAVDIS PERPETVÆ *ſeruauerunt, videlicet Wandalogus, Berthoardus, Ingofredus, Cunctanus, Reſticus Seifarius, Addonius, Arulfus, Rendinus, Regnebertus, Gerardus, Ratto, Vllincranus, Mellinus; tempore iſtius venerunt Wandali, & Hungari, & interfecerunt fratres conuentûs & Abbatem. Et ceſſauit* LAVS PERPETVA, *nec Abbas fuit per quindecim annos.* Hæc ibi. *Inceſſabilis* hæc *Pſalmodiæ* ratio in Latinâ Eccleſiâ, & noſtro præſertim Ordine dici ſolet LAVS PERENNIS: quam in Monaſterio Agaunenſi & S. Medardi Sueſſionenſis, Reli-

NOTITIA REGVLARVM. Yepez anno Christi 558 & 554. Bonart. lib. 1 de hor. Can. cap. 1. *Et in cænobio Fuldensi* Capgrauius in legend SS Angliæ & ex illo Eduard. Maibieuvr. in add. ad tab. a. 110. phç. Anglic. *Kentigern in hac re studium.*

giosè obseruatam, Antonius de Yepez in Chronico affirmat. Sed de Agaunensibus corumque imitatoribus dicetur Disquisitione sequente. Idipsum alibi quoq; strenuè factum. Nã vt Oliuerius Bonartius ait: Referunt diuersi in Cœnobio Fuldensi spatio annorum trecentorũ, numquam intermissam Dei alternam laudationem. S. Kentigerus (vt Capgrauius Auctor est) trecentos sexaginta quinque literatos Monachos *Diuinis Officijs iugiter celebrandis* intitulauit. Nec facilè quemquã illorum egredi, sed tanquam in sanctuario Domini, assiduè commorari instituit. Diuisit autem per turmas & conuentus collegium ita vt vno conuentu seruientiũ Deo in Ecclesiâ terminante, alter continuò intrans illud inchoaret, quo consummato, alius sine morâ introiret. Sicque turmâ vnâ exeunte, & alterâ ingrediente, oratio sine intermissione ab Ecclesiâ illa ad Deum fiebat; & benedicendo Dominum in omni tempore, semper laus Dei in ore eorum resonabat. Sed ne Sanctimoniales quidem ab hac laude extorres fuere; nam & ipsæ Agnum *Ingi Psalmodiâ* alicubi sunt prosecutæ. S. Romaricus omnes Sanctimoniales in septem turmas diuisit. quarũ singulæ ex duodecim Monialibus conflatæ erat; quæ sibi inuicem in choro succedentes, diuinas laudes siue die, siue nocte perpetuò *canebant.* Id autem S. Amato, qui huius Monasterij curam gerebat, vitæ Auctor, & ex eo Yepez ad annum 558 tribuit. In Monasterio quoque à S. Salabergâ constructo *Perennis* hæc *Psalmodia* viguit. Sed palmam omnibus præripuisse videtur S. Angilbertus, Monasterij Centulensis Abbas; qui in vnâ Ecclesiâ tres choros ineessabili voce nocte & die Deum simul laudantes eonstituit; de quo manu scriptus Auctor tradit, quòd Monachos ad districtiorem vitæ rationem adduxerit, atque id vnum studuerit, vt sine vllo interstitio, laus Deo in Ecclesiâ S. Saluatoris à suis Monachis haberetur. Ad quod ritè tenendum, tres statuit in Ecclesiâ ehoros. Quorũ vnus consistebat in turri Occidentali coram altari S. Saluatoris: alter in medio Ecclesiæ coram memoria sanctæ Passionis: tertius in Orientali turri ex Parte Basilicæ, quæ dicitur thronus S. Richarij. Et omnes quidem horas Canonicas tres chori semper concinebãt; singuli in suas turmas diuisi: ita vt vna alteri succederet, nec ab Ecclesiâ *Laus diuina cessaret.*

Moniales Deum semper laudantes. Menard. l. 1 Obseruat. 7. Decemb.

Angilbertus tres perpetuò canentium Choros instituit. Menard. l. 2 obseruat. 16 Febru. ex Hariulp. MS. lib. 1. hist. Cẽtur.

Laus perennis olim prædicta. Isai. 62.

Præclaram autem hanc Deum assiduè laudandi formam, prophetico spiritu preuidisse videtur Isaias, eũm de Ecclesiâ bellatrice, sub nomine Ierusalem loquens, ita vaticinatur: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes* (Clericos & Monachos vigiles qui custodiunt ciuitatem) *totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.* Sequitur ad eos mox celeusma & exhortatio, vt agant, quod agunt: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat & donec ponat Ierusalem laudem in terrâ.*

DISQVISITIO XI.

De Agaunensium Regulâ.

THEBÆORVM Martyrum palæstra fuit *Agaunum* oppidũ in Alpibus, quà tenuior adhuc à fontibus & à Lacu Lemano intactus affluit Rhodanus. Templum his Sanctis ædificatum fuit, cum adiuncto Monasterio; quod tempore S. Martini extitisse, euidens est ex Fragmento epistolæ Decani, & Canonicorum Castri-noui in Gallijs ad Philippum Archiepiscopũ Coloniensem, in qua dicitur S. Martinum Româ redeuntem, *Agaunum venisse, & completâ oratione à Monachis (nam Monachi tunc temporis locum possidebant) de reliquijs eorundem Martyrum aliquid sibi deuotè donari petijsse.* Reædificatum hoc Monasteriũ tradunt à Sigismundo Burgundionum Rege. In hoc autem Monasterio (vti de Lerinensi iam dictum) peculiaris fuit Regula, siue viuendi Institutum, quod Auctor vitæ S. Eugendi in litteras se misisse testatur. *Si animos vestros, spretâ dudum philosophiâ, rusticana quoque garrulitas exsatiare non quiuerit: Instituta, quæ de informatione Monasterij nostri Agaunensis cœnobij, Sãcto Marino Presbytero, Insulæ Lirinensis Abbate compellente, desideria vestra tam pro Institutionis insignijs, quàm pro iubentis auctoritate, Christo opitulante, luculenter explebunt.*

Monasteriũ Agaunense. Sur. post vit. S. Mauritij. *Eius Regula.*

Qualis verò Regulæ huius fuerit obseruantia, nusquam legere memini. Institutam *perennem* in hoc Monasterio *Psalmodiam* satis constat: nam ad calcem vitæ S. Mauritij his verbis id traditur: *Pro eo ipso* (miraculorum splendore) *die noctuque Psalmorum hymnorumque decantatio non desistit: quod iubente sancto & præclaro Christi Martyre Sigismundo Rege institutum, hinc vsque hodie Deo protegente est conseruatum.* Quæ verba non esse S. Eucherij Lugdunensis Episcopi, qui vitã S. Mauritij descripsit, benè obseruatum à nostro Yepez. Euchcrius enim iam diem clauserat extremum, antequam Sigismundus Rex fieret.

Institutio perennis Laus a Sigismundo. Yepez anno Christi 558.

Sed quâ ratione *perennis* hæc *laus* à Sigismundo concepta, & introducta sit, demonstrant verba Chronico S. Benigni Diuionensis vetustissimo charactere adscripta. Nam post illa. *Monasterium Sanctorum Agaunensium miri operis construxit;* ista addun-

adduntur: *Cùmque ibi in orationibus perſiſteret, ieiunijs & eleëmoſynis intentus, reuelatum eſt ab Angelo, vt ad inſtar cœleſtis militiæ pſallendi choros inſtitueret. Quo diuinitus accepto conſilio Epiſcopos & alios Religioſos viros conſuluit, vtrum ſalubriter cogitaret. Quâ interrogatione Sancti Antiſtites interſe ventilatâ, licet inuſitatū opus, tamen Domino annuente, vnanimiter corroborauerunt. Quod Sanctum opus ſeruitutis Domini perfectè inſtitutum & confirmatum eſt pari conſenſu omnium. Atque extunc laudes Domini omnibus perſoluuntur horis.* Quod verò Epiſcoporum & Religioſorum ait adhibitum conſilium, eo deſignari putat Iacobus Gaulterius Concilium Epaunenſe, cenſetque vocandum *Agaunenſe*, in quo de hâc pſallendi formâ cap. 25. actum ſit, & confirmari poteſt ex Aimoino dicente, Ordinem pſallendi in loco Sanctorum *Agaunenſium* ab Auito, & cæteris Pontificibus illius temporis fuiſſe inſtitutū. Porrò Auitus Epaunenſi Concilio præſedit, & primo loco ſubſcripſit.

Quam approbant Epiſcopi.

Pſallendi hunc ritum Gregorius Turonenſis peculiari vocabulo appellauit IVGE PSALLENTIVM, & de hoc ipſo Sigiſmundo agens: *Ille*, inquit, *ad Sanctos Agaunenſes abiens, per multos dies in fletu & ieiunijs durās, veniam precabatur*, PSALLENTIVM *ibi* ASSIDVVM *inſtituens*. Quod idem fermè repetit libro de Gloriâ Martyrum, cap. 75. vbi ait, Inſtitutum ibi à Sigiſmundo PSALLENTIVM QVOTIDIANVM.

Greg. Turon. lib. 4. Hiſt. franc. c. 6. l. 3. c. 6. Iuge pſallentium.

Sed animus fortaſſis fuerit hunc pſallendi modum particulariùs cognoſcere; ecce cum ab Aimonio accuratiùs deſcriptum *Ipſe* (Guntrannus Rex) *Baſilicam* (S. Marcelli) *ſtudioſiſſimè ædificauit: vbi Monachos aggregans, Monaſterium conſtruxit, quod plurimis prædijs facultatibuſque ditauit. Synodū quadraginta Epiſcoporum aggregari præcipiens, vt Ordo pſallendi, qui in loco Sanctorum Agaunenſium, temporibus Sigiſmundi Regis ab Auito, & cæteris Pontificibus illius temporis inſtitutus fuerat, in cœnobio quod ipſe fabricarat teneretur, effecit. Qui videlicet Ordo etiam ad ſepulchrum S. Martini antiquitus celebratur: & à B. Germano in Monaſterio S. Vincentij ſeruari iuſſus: nec non in Monaſterio S. Dionyſij à Dagoberto Rege ogi præceptus: & à nobis cuiuſmodi eſſet, exquiſitus, taliter ſe habere eſt repertus. In diebus namque æſtiuis ſex antiphonæ binis pſalmis explicabantur. Porrò toto Auguſto propter crebras feſtiuitates, manicationes fiebant. Manicare autem manè ſurgere dicitur. In Septembri verò ſeptē antiphonæ canebantur, diſtributis vnicuique binis pſalmis. In Octobri octo, cum ternis pſalmis. In Nouembri nouem, cum ternis itidem pſalmis. In Decembri decem, cum ternis ſimiliter Pſalmis. Verùm in Ianuario ac Februario, vt poſſibilitas ſinebat. Hoc tamen obſeruantes, ne minùs à duodecim pſalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad Sextam tamen ſex pſalmi cum alleluia: ad Duodecimam duodecim, idque cum alleluia, pſallebantur; ſed de his iſta ſufficiant.*

Aimoni l. 3 de geſt. Franc. c. 80. Quomodo Laus perennis peracta.

NOTITIA REGVLARVM.

Deſcripta hæc ab Aimoino *Agaunenſium Pſalmodia*, eodē modo ſtatuitur in Synodo Turonica II. quæ vt faciliùs intelligatur; Notandum, *ſex antiphonas binis pſalmis explicare*, idem omninò eſſe atque ſub vnaquaque iſtarum antiphonarum duos pſalmos canere, vnde à Paſchate vſque ad Auguſtum, duodecim recitabant pſalmos. In Septembri quatuordecim. In Octobri viginti quatuor. In Nouembri viginti ſeptē. In Decembri triginta. In Ianuario, & Februario (addit Synodus, *vſque ad Paſcha*) vt poſſibilitas ſinebat, id eſt, quantū pro ratione temporū, virium & noctium prolixitate cantare poterant: vnde Synodus addit, *qui facit amplius pro ſe, & qui minus vt potuerit.*

In Synodo Turon explicata.

Paulò fuſiùs hæc proſecutus ſum, quòd ab *Agaunenſium* prototypo plura, vt iam vidimus, tranſumpta ſint exemplaria. Nam & S. Amatus, qui Agaunenſis fuit Monachus, eandem formam Sanctimonialibus præſcripſit; de quo hæc vitæ Auctor. *Porrò S. Amatus ſemper deſerti loci ſecretum appetens, in vaſtis voſagi ſpatijs caſtrū reperit, vbi multas virgines collegit, eaſque in ſeptem turmas diſtributas, noctu diuque per vices ſine intermiſſione pſallere voluit, ita vt ſemper duodecim virgines in vnaquaq; turmâ eſſēt.* In vitâ quoque S. Salabergæ Abbatiſſæ, quā ex veteri MS. codice Cœnobij S. Cornelij Compendienſis edidit Hugo Menardus, ſcribitur: cū ſancta hæc mulier conſilio S. Walberti Laudunum clauatum; ſic enim legendum, pro eo quod ibi eſt, *Lugdunum*, idem Menardus aſſerit) perueniſſet: *Monaſterium breui tempore conſtrui curauit, quo conſtructo in eo trecentas adunauit famulas Chriſti, choris diſpoſitis per turmas, ad inſtar Agaunenſium Monachorum, canendi normam diſpoſuit.*

S. Amatus Moniales inſtituit quæ iugiter canerent.

Et Salaberga.

Menard. l. 1 obſeruat. 22 Septemb.

DISQVISTIO XII.

De Regulâ Vigilij Diaconi

De hoc Auctore, eiuſque Regulâ ita Trithemius: *Vigilius Diaconus & Monachus, vir in Scripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, Monaſticæ diſciplinæ cuſtos & rector, fertur, ad ædificationem Monachorum quandam cudiſſe opuſcula, quæ ad noſtram memoriam venire & locorum & temporum diſtantia prohibuit. Dicit autem Presbyter Gennadius ſcripſiſſe illū valdè vtilem Regulā. De conuerſatione Monachorum librum vnum. De cæteris non loquitur. Claruit ſub Honorio & Theodoſio Principibus anno* 420. Gennadij autē verba, quæ

Trithem. in Catalog. Script. Eccleſ. Vigilij Regula.

Hono-

NOTITIA REGVLARVM. Honorius Augustodunensis & Possenuinus exscripserunt, sunt hæc: *Vigilius Diaconus composuit ex traditione Patrum, Monachorum Regulam, quæ in cœnobiis ad profectum fratrum in Conuentu legitur, breuiato, & aperto sermone totius Monasticæ professionis in se tenentem disciplinam. Viuebat anno* 420. Citat porrò idem Trithemius libro de *proprietate Monachorum*, cap. 5. hanc Regulam in hæc verba: *Vigilius quoque Diaconus & Abbas in 33. capitulo suæ Regulæ sic loquitur: Si quid peculiare apud aliquem inuentum fuerit, grandi eum Abbas & diuturnâ excommunicatione condemnet, vt illius exemplo deterriti omnes, nullus hoc audeat imitari.* Verba hæc (vt & à Menardo obseruatum) reperiuntur in Regulâ Magistri, cap. 82. ac proinde Trithemij citatio in capitum numero aberrat. Nequit verò huius Regulæ Auctor, qui se Magistrum vocat, idem esse cum *Vigilio*, de quo Gennadius, hic enim *aperto & breuiato sermone* Regulam scripsit: Magister obscuro, perplexo, & prolixo vsus eloquio, nec satis Latino. In annis quoque magna diuersitas. Gennadij enim *Vigilius* vixit circa annum Domini 420. vt iam diximus: Magister autem integro sæculo est posterior, & S. BENEDICTI verba frequentiùs describit. Sed de eo posteà redibit sermo.

Citata à Trithemio.

Menard. ante concord. Regularum.

Vigilius à Magistro.

Tract. 7. disq. 10.

DISQVISITIO XIII.

De REGVLA PAVLI & STEPHANI

HOc titulo occurrit Regula in Manuscriptis Codicibus Treuerensi & Coloniensi, estq; vna ex ijs, quæ in *Concordiâ Regularum* Benedicti Abbatis citantur. Trithemius eamden contra Monachorum allegans proprietatem, vocat Antiquissimã; quo nomine hoc loco à nobis collocatur, cùm tẽpus quo scripta est, ipsique nos lateant Auctores. Nam cùm multi *Pauli & Stephani* Monasticum sectati sint Institutum; quinam hanc concinnarint Regulam, hactenus scire non licuit: nec ex Regulæ contextu vllatenus apparet. Quòd si in rebus profundâ caligine inuolutis tantisper coniecturæ locus esse queat, donec posterior dies præcedentis Magister veritatem eruerit, existimari fortassis liceat *Paulum de Pherme* hîc designari. Nam Sozomenus l. 6. cap. 29. Nicephorus lib. 11. c. 36. Cassiodorus l. 8. c. 1. tradunt hunc Paulum eodem tempore vixisse; *Paulum* & Pachonem *Stephanum* & Mosen, & Piorem Ægyptium coëtaneos fuisse. Et *Paulus quidem domicilii habuit in Pherme, qui est mons in Sceti: cui fuêre Discipuli non pauciores quingentis. Stephanus circiter Mareotem non longè à Marmaricâ habitauit, quem memoriæ proditum est, exquisitum in primis & perfectissimum disciplinæ genus excoluisse, & ad sexaginta annorum spatium Monachum fuisse spectatissimum, & Antonio Magno familiarem*, vt loquitur Sozomenus. Amborum hæc est congruentia, quòd eodem vterque vixerit tempore: vterque fuerit ex Libyâ. *Paulum* enim Cassiodorus Libycũ appellat, *Stephanum* autem & Mosen Libycos fuisse, Sozomenus & Nicephorus scribunt; nec locorũ interuallo longè ab inuicem fuêre disparati. Palus enim *Mareotis* Sceti adiacet, cui Cellia & Nitriæ mons vicinus, suntque in Libyâ Ægypti. *Stephanus* ergo vicinum suum *Paulum*, tot Monachis præfectum, in condenda Regulâ fortasse iuuerit; aut ab eo exaratã ipse cum suis, si quos habuit, seruauerit Discipulis. Meminit nõ semel Pauli Abbatis Cassianus & Collat. 19. c. 1. ait: *Post dies admodum paucos maioris doctrinæ desideria pertrahente, rursus ad Abbatis Pauli Cœnobium summâ spiritus alacritate perreximus: vbi plusquam ducentarum fratrum numerus morabatur. Paulum* hunc Gazæus in Commentario, Libycum nostrum, cui in Pherme domicilium, fuisse arbitratur. De eodem Palladius in Lausiacâ, cap. 23. & de *Stephano* cap. 30. Hos autem non tam certò aliquid definientes, quàm ex quâdam coniecturâ, cui ne ipsi quidem firmiter adhæreamus, huius Regulæ magis suspicamur, quàm credimus Auctores. Et sanè stylus, quantum conijcere licet, Latinum arguit Auctorem, qui proinde in Occidentali quærendus Ecclesiâ. Hugo Menardus, quinam sint isti Patres *Paulus & Stephanus*, & quando vixerint, se fatetur ignorare.

Regula Pauli & Stephani antiquiss.

Auctores in obscuro.

Coniectura nostra.

Paulus & Stephanus synchroni.

Poterant inter se conferre.

Regula hæc fortè Latinè scripta.

Ipsa autem Regula tali exordio inchoatur: *Incipiunt tituli de quibus fratres sunt admonendi.* Menardus ex MS. codice Floriacensis Bibliothecæ ita repræsentat: *Incipiunt tituli pro quibus sunt fratres ammoniti, Pauli & Stephani.*

Capitibus absoluitur XLI.

DISQVISITIO XIV.

QVALIS REGVLA & INSTITVTVM SS. Euthymij & discipulorum eius Theoctisti & Gerasimi Abbatum?

PECVLIARE fuisse horum Institutum, ex historijs colligi posse videtur. De Sancto *Euthymio* Nicephorus ait: *Viguit tum maximè* (circa annum Domini 450) in ASCETICA PALÆSTRA *præcipuus, & vitâ* MONASTICA *illustris, Magnus ille Euthymius, qui solitudinem in vrbis formam redegit.* Paulò clarius id posteà explicans, ait: *In Palæstinâ vnà cum admiranda Theoctista in antro quodam virtutis statuit officinam, multisque & varijs Cellis, sanctioris philosophiæ melius stipandi*

Niceph. lib 14. Hist. cap. 50.

Euthymij & Discipulorum eius Institutum diuersum ab aliis. cap. 52.

pandi gratiâ constructis, ingens condidit Monasterium. In tantum autem virtute emicuit, vt cùm CANON ESSET ET FORMVLA INSTITVTI MONASTICI; *tum miraculis etiam edendis præclarum obtineret nomen.* Cùm multi ad eum confluerent, & sub eo duce viuere vellent, ille quietis ac silentij studiosior, omnem eorum, qui adueniebant, curam commisit B. *Theoctisto*, quotidie tamen Monachos ipse erudiens, & Monasticis instruens disciplinis, vt in eius vita scribit Cyrillus Monachus.

Cùm ad *Euthymium* venisset B. Sabas, rogassetque vt eius fieret ouis; *Non priùs* (vt Metaphrastes in vitâ ait) *permisit vt habitaret cum Monachis, qui erant in Laurâ, quàm totam Monasticam persecutus esset vitæ institutionem, quæ est in Cœnobio, & ostendisset eam quæ exigebatur, absolutionem. Remisit itaque eum ad Abbatem Theoctistum.* Videtur ergo *Theoctistus* in cœnobiticâ priùs palæstra instruxisse Anachoretas, & peculiarem eis fortasse præscripserit REGVLAM. De eo enim simul & Gerasimo hæc habet Nicephorus: *Sub idem tempus alij itidem plurimi floruerunt: qualis ille fuit Theoctistus & Gerasimus magnorum Cœnobiorum Præsides, qui ad* NOVVM *quemdã* CANONEM *vitæ suæ rationem instituerunt.* Qualis autem hic fuerit CANON; lubet ex Cyrillo Monacho, hoc loco repræsentare, ex quo & illud discere licebit, strictioribus omnino REGVLIS olim vixisse Anachoretas, quàm Cœnobitas, & illos non prorsus sibi & Spiritui sancto, sine alijs Regulis (vt nuperus quidam voluit Scriptor) fuisse relictos. Ait igitur:

Metaphrast. in vit. S. Sabę.

Theoctistus exercet tirones Anachoretas.

Niceph lib. 14. cap. 52.

Cyrill. in vit. Euth.

Oportet etiam de magno tractare Gerasimo, & quales ipse dederit REGVLAS ET FORMAS *ijs qui sub ipso exercebantur, & veluti condimentum adtexere narrationem, quæ magnam vtique habet vtilitatem.*

Hic ergo magnus Gerasimus, qui Iordanis solitudinis ciuis fuit simul & patronus, cùm maximam illi Lauram, quæ non pauciores quàm septuaginta Anachoretas habebat, construxisset, & præterea Cœnobium in medio eius optimè collocasset, curabat, vt, qui introducebantur quidem Monachi, manerent in Cœnobio, & vitam Monasticam exercerent.

Gerasimi Regula pro Anachoretis.

Qui autem crebris & longis se laboribus exercuerant, & ad perfectionis mensuras iam peruenerant, eos in ijs, quæ vocantur, Cellis collocans, sub hac iubebat viuere RE-GVLA: *vt quinque dies hebdomadæ vnusquisque in suâ Cellâ sileret, nihil gustans quod esset esculentum, nisi panem, & aquam, & dactylos. Sabbato autem & Dominicâ venientes in Ecclesiam, cùm participarint sanctificata, cocto vteretur in Cœnobio, & sumeret parum vini.*

In Cellis habitabant.

NOTITIA REGVLARVM.

In Cellâ verò nulli permittebatur aut ignem accendere, aut coctum gustare. Nihil autem possidere tantæ erat eis curæ, quantæ nihil aliud: & humilitate maximè ornabantur.

In quibus nihil coqui poterat.

Vnusquisque verò laborem suarum manuum, qui per hebdomadam ab eis factus fuerat, Sabbato ferens in Cœnobium, circa crepusculum Dominicæ [1] *hebdomadæ sumptus rursus accipiens, panes, inquam, & dactylos, & aquam in vase aliquo, & palmas, rursus redibat in Cellam.*

Labor manuum.

Erant autem adeò remoti ab omni solicitudine, & à negotijs humanis ita disiuncti, vt nihil haberent præter ea, quibus induebantur, adeò vt non esset secundus amictus.

Paupertas.

Stratum autem quid erat aliud, quàm storea? & quæ solent appellare [2] *centonium &* [3] *embrymium, & vas fictile ad aquam: quod quidem simul sufficiebat ad potum, & ad palmas irrigandas.*

Lectus.

Hæc lex autẽ est optimè tradita à Gerasimo, vt exeuntes Cellas, dimitterent apertas, vt liceret ei, qui vellet, ingredi, & quod vellet, accipere ex illis vilibus & ad vsum necessarijs, nemine prohibente, quin etiam ipsi quoque cernerentur viuentes Apostolicè, & esset eorum quoque qui habitabant in solitudine, eis consimiliter cor & anima vna: quandoquidem nemo ex ijs quæ habebat, indicabat esse aliquid proprium, sed omnia eis ex æquo esse communia.

Cellas apertas relinquebant.

Porrò autem hoc quoque dicitur de Anachoretis, quòd cùm quidam ad eum accessissent, & peterent vt sibi liceret aquam calefacere, & coctum sumere, & ad lucernam legere, magnum respondentem Gerasimum dixisse: Si sic vultis viuere multò magis expedit, vt vos viuatis in Cœnobio. Ego enim nequaquam permittam toto meæ vitæ tempore hoc fieri apud Anachoretas.

Gerasimi in hoc viuendi modo constantia.

NOTITIA REGVLARVM. *Adeò vt cùm Hierichuntini audirent eorum, qui erant apud Gerasimum, esse adeò arctum & omnis solatij expers vitæ institutum, esseque admodù asperum & violentum, hanc sibi legem tulerint, vt Sabbato & die Dominico ad eos abirent, & eis non modicam afferrent consolationem.*

Et hactenus quidem hæc Regula, quam tribus his Patribus fuisse communem, satis constat. Nicephorus enim, vt vidimus, eam *Theoctisto* & *Gerasimo* tribuit, tribuendam quoque Euthymio, Metaphrastis assertione discimus. *Patrum*, inquit, *Euthymij & Theoctisti monasteria solùm in diuisione nominum agnoscebantur: commune namque habebant* INSTVTITVM, *& communem viuendi rationem, rectaque & administrata erant ab vno & eodem Pastore.*

Hæc Regula trium Patrum fuit.

Metaph. 5. vit. S. Quiriaci.

Obijt porrò S. *Euthymius* anno Christi 472. S. *Theoctistus* 463. die 3. Septembris, vt Auctor vitæ S. Euthymij. *Gerasimus* anno 475. vt habet Baronius in notis ad Martyrologium Romanum.

5 Martij.

Circa hanc Regulam occurit vna, alteraque

NOTATIO.

1 HEBDOMADÆ SVMPTVS RVRSVS ACCIPIENS.] Ecce Anachoretarum sanctam, & paupertati maximè consentaneam viuendi rationem. Totius enim hebdomadæ opera Cœnobij Præfecto, aut statutis ab eo Patribus consignant, & velut operis pretium sequentium dierum annonam recipiunt, hoc pacto labores manuum suatum manducantes. Iisdem vestigijs hodieque insistunt Patres Carthusiani, qui non nisi Dominicis & Festiuis diebus commune adeunt refectorium, reliquis (vt etiam hi, de quibus agimus) manēt in Cellis. Morem autem illum accipiendi cibaria, Guigo in Statutis expressit. *Post Nonam* (diei dominicæ) *in claustrum conuenimus, de vtilibus locuturi. In hoc spatio incaustum, pergamenum, pennas, cretam, libros seu legendos, seu transcribendos à Sacristâ; à coquinario verò legumina cetera huiusmodi poscimus & accipimus. Post cœnam singulas tortas, tanquam Christi mendici accipientes, cellas repetimus.* Tortam autem alibi exponit, panem: Si quid verò panis aut vini superfit, Sabbatho redditur. Vides ex antiquis Carthusianum fluxisse ritum. Augustinus quoque de Anachoretis eis agens, ait panem *per certa temporum interualla offerri*, eoque & aquâ contentos viuere.

Carthusiani in quo Gerasimi Anachoretas secuti.

Statut. Guig. cap. 7

1. Parte statut. antiq. cap. 14.

Aug. de Moribus eccles. c. 31.

2 CENTONIVM.] A *Centone* vox deducta, est autem *Cento* straguli genus, quod cu-

Centonium, quid.

A bantibus insterni solet. Cato de Re rust. c. 10. & 11. *Culcitras octo, instragula octo, puluinos sexdecim, operimenta decem, mappas tres, centones pueris sex.* Similiter & Macrobius dum scropham sub *centonibus* iacêre scribit rusticum stragulum esse declarat. Fieri autem *centones* constat ex pannis diuersorum colorum, vel lanis in vnum condensatis atque consutis. *Centonarium* opus dicitur, quod constat è *centonibus*. Tertullianus de Præscriptionibus cap. 39. *Homerocentonas etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri*
B *propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis, in vnum sarciunt corpus.* Habebant igitur pro lecto stoream, siue mattam, pro stragulo *centonium*, siue *centonem*, ceruical præstabat, quod deinceps explicandum.

3 EMBRYMIVM] Alardo Gazæo barbarum vocabulum. Isaacus Casaribonus suspicatur dictum à βρίειν, dormitare, & somnum leuem capere, & delicatis hominibus alia fuisse EMBRIMIA ad meridiandum; quales sunt grabati lautiurum è panno viridi
C constrati, magis ad quiescendum per æstū diei, quàm ad dormiendum. ASCETÆ verò sua EMBRIMIA fasciculis stipulæ farta, vel papyro (vt apud Philonem de Essenis) aut duro tomento, vel simili materiâ, sibi parârint ad somnum nocturnum. Sic ille.

Gazæus ad Cassian. coll. 1. c. 23.

Casaub. Exercit. 2. ad ann. Baron.

Embrimiū, ceruical Anachoretarum.

Verùm, quid sit EMBRIMIVM, siue EMBRYMIVM, fusè describit Cassianus. *Psiathijs admouens incubare,* EMBRIMIIS *pariter capiti nostro ceruicalium vice suppositis, quæ crassioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis, sesquipedali interuallo molliter nexa,*
D *nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem Fratribus in Synaxi considentibus præstant, nunc verò subiecta ceruicibus dormientium præbent capiti non nimis durum, sed tractabile aptumque fulcimentum. Ad quos Monachorum vsus hac idcirco vel maximè opportuna habentur & congrua, quod non solùm sint aliquatenus mollia, paruoque & opere præparentur & pretio; vtpote passim papyro per ripas Nili fluminis emergente, quam cuique volenti in vsum assumere, nemo prohibeat desecare, sed & quod remouendum, seu cùm necesse fuerit, admouendum habilis materia, leuisque natura sint.* Plura vide
E in Lexico Philologico Matthiæ Martinij.

Cassian. Coll. 1. c. 23

Describitur

DISQVISITIO XV.

De Regula S. Patricij Hiberniæ Apostoli.

EX Palæstinâ in Hiberniam, à Gerasimo Abbate, ad S. Patricium Episcopum trāseamus. Hic vir sanctissimus anno Christi 431. cum potestate Legati in Hiberniam venit; & inter cætera quæ per eum Deus gessit magnalia, Monachos quoque

S. Patricius in Hiberniam venit.

que instituit, eisdemque Regulam præscripsit, vt Probus apud Bedam in eius vitâ auctor est, *Monachorum plebibus intererat, Regulam quam tenerent, Spiritu sancta repletus condidit.* Si quæras, vnde Monasticum hoc Institutum didicerit? Respondebimus à B. Martino Turonensi id hausisse, qui vt Iocellinus cap. 22. ait: *Auunculus Matris suæ Canquesta fuerat, & quia idem sanctissimus Sacerdatum carbunculus Monachus fuit, Cognato suo Patricio Monasticum habitum, & eius instituta tradidisse obseruanda, quæ iste deuotè suscepta actibus respondentibus habitui adornauit, & in eisdē perseuerauit.* Cuius verò Coloris hic habitus fuerit, tradit idem auctor cap. 185.

Eius Monachatus.

Super cætera indumenta cucullâ candidâ amiciebatur, vt ipse habitus formâ & colare Monachatus sui speciem & candidatum humilitatis & innocentiæ repræsentare videretur. Vnde & Monachi in Hiberniâ S. Patricij sequendo vestigia, per multa temporum volumina habitu simplici contenti erant, quem ouium ministrabat lana, qualibet extrinsecâ tincturâ remotâ. Post quam autem S. BENEDICTI receperunt Regulam, nigrum quoque in vestibus credo admissum colorem. Copiosam autem fuisse multitudinem Monachorum sub *Regulâ S. Patricij* militantium, ex eiusdem Auctoris historiâ manifestum est Capite enim 174. ait: *Fecit ergo totam Insulam in funiculo distributionis diuidi, diuisam cum omnibus Incolis vtriusque sexus decimari, omneque decimum caput, tam in haminibus, quàm in pecoribus, in partem Domini iussit sequestrari. Omnes ergo mares Monachos, fœminas sanctimoniales efficiens, numerosa Monasteria adificauit, decimamque portionem eorum sustentationi assignauit. Infra breue igitur temporis spatium, nulla eremus, nullus penè angulus terræ aut locus in Insulâ tam remotus, qui perfectis Monachis & Monialibus non repleretur, ita vt Hibernia speciali nomine Insula Sanctarū, vbique terrarum iure nominaretur. Viuebant enim secundum Regulam à S. Patricio illis præfixam, mundi contemptu, cælestium appetitu, sanctâ mortificatione carnis, ac abdicatione voluntatis propriæ, pares Ægyptijs Monachis merito, atque numero; ita vt exteras atque longinquas regiones illustrarent verbo, ac Religionis exemplo.* Hæc de Hiberniâ.

Vestis alba.

Patricius innumeros Monachos instituit.

Insula Sanctorum.

In Britanniâ porrò, vt idem cap. 167. præmiserat; *Monasteria multa fundauit, atque à paganis destructa reparauit, Monacharum sacris conuentibus secundum formam Religionis, quam eis præfixerat, ea repleuit.* Notum porrò fuisse S. Patricij REGVLAM, & illud inter cetera argumento est, quòd S. Winwalocus, vt vitæ Auctor apud Surium tom. 2. habet, eximiæ virtutis eius opinione permotus, *modis omnibus ad eum proficisci peroptauerit, vt* VIVENDI NORMAM, *ex eius sanctissimâ Institutione capesseret.*

Regula Patricij.

NOTITIA REGVLARVM.

Notandum porrò, varios Monasticos Ordines à tempore S. Patricij sub diuersis *Institutoribus*, & REGVLIS peculiaribus viguisse. Constat id ex peruetusto auctore vitæ S. Patricij & altero Vitę S. Finiani auctore, quem ex MS. Armacano codice citat R. P. Patricius Flemingus Ordinis Minorum, in Disceptatione de Monastico Ordine S. Columbani. Distinguit autem ille Auctor tres classes, siue Ordines Sanctorum primitiuæ Ecclesiæ in Hiberniâ. Primus erat Episcoporum, secundus Cœnobitarum, tertius Eremitarum. Sed ipsum audiamus. *Primus Ordo* Sanctorum erat in tempore Patricij, & tunc erant Episcopi omnes clari & Sancti, & Spiritu sancto pleni, 350. numero, Ecclesiarum Fundatorem vnum caput Christum colentes, & vnum Ducem Patricium sequentes, vnam tonsuram habentes, & vnam celebrationē missę, & vnū Pascha, scilicet post Æquinoctium vernale celebrabant, & excommunicatum ab vnâ Ecclesiâ omnes excommunicabant; mulierum administrationem & consortia non respuebant, id est, in contiguis claustris & habitaculis ad vnū Abbatem & Ecclesiam spectantibus. Durauit hic Ordo ab anno 431. ad annum circiter 538.

Tres Monastici Ordines in Hiberniâ

Hæc disceptatio cum operibus S. Columbani prælo subijcietur à PP. Minoribus Hibernis Louanij.

Primus Ordo Episcoporum.

In *secundo Ordine* pauci erant Episcopi, & multi Presbyteri numero 300. vnum caput Dominum colentes, diuersos celebrandi ritus habebant, & diuersas REGVLAS viuendi, & vnum Pascha 14. Lunâ celebrabant, & hi vniformem tonsuram, scilicet ab aure vsque ad aurem faciebant. Mulierum quoque consortia & administrationem fugiebant, atque à Monasterijs suis eas excludebant. Hic Ordo perseuerauit vsque ad Annum Christi 595. iuxta vulgarem Chronologiam Regum Hiberniæ, sed iuxta hunc codicem vitæ S. Patricij, vsque ad Annum 604.

Secundus Presbyterorum Cœnobiticè viuentium.

In *tertio Ordine* erant Presbyteri sancti, & pauci Episcopi, numero 100. qui in locis desertis habitabant. Hi oleribus, & aquâ & eleēmosynis fidelium viuebant; & omnia terrena contemnebant: & omnem susurrationem, & detractionem penitus euitabant. Hi diuersas REGVLAS, & varios celebrandi ritus habebant, & diuersam etiam tonsuram; aliqui enim habebant coronam, aliqui cæsariem: & hi diuersam solemnitatem Paschalem habebant; alij enim 14. Lunâ, alij 13. celebrabant. Perstitit hic Ordo vsque ad Annum Christi 669. vel iuxta hunc codicem 656.

Tertius in desertis habitantium.

Ex his porrò constat primum Ordinem vixisse sub REGVLA *S. Patricij*. In secundo verò, & tertio varias fuisse REGVLAS, prout

Primus Ordo sub S. Patricio.

NOTITIA REGVLARVM. prout singulis Monachorum Patriarchis seu Fundatoribus, pro locorum & temporum ratione videbatur expedire. Præcipua tamen REGVLÆ S. Patricij documenta, velutp rimi fundatoris & Apostoli sui, verosimile est retinuisse, vt de candido cucullæ colore Iocelinus scribit, per multa temporum volumina à Monachis in Hiberniâ retentum. (Iocelin. cap. 185.)

Paulò fusiùs hæc prosecuti sumus, vt hinc appareat Hiberniæ Monachos non Instituta, vel REGVLAS Ægyptiorum antequam S. BENEDICTI reciperent, (vt quidam scripsêre) fuisse secutos: sed proprias, à suis fundatoribus traditas REGVLAS, obseruasse, quæ variæ fuerint, & multiplices, iuxta multitudinem Monasticorum Ordinum, & Congregationum, quæ in Hiberniâ olim viguerunt. Hæc proinde deductio præfatio quædam & fundamentum fuerit eorum, quæ de alijs Hibernicis REGVLIS deinceps adferamus. Horum autem notitiam, & quarumdam REGVLARVM transumpta mihi perbenignè communicauit R. P. Joannes Colganus S. T. Lector Jubilatus, Louanij apud Patres Minores Hibernos, qui eas, aliaque ad Sanctorum Gentis suæ gloriam spectantia, Deo auxiliante, publici iuris breuî, vt speramus, faciet. (Hiberniæ Monachi nihil cum Ægyptijs commune habuerunt.)

DISQVISITIO XVI.

Qualis Regula S. Ailbei, siue Aluei, Mumoniensium Cœnobiarchæ, & Archiepiscopi?

S. *Ailbeus* siue *Alueus* Hiberniæ Insulæ, (vt acta propria habent) alter Patricius. Fuit enim ante S. Patricij prædicationem à S. Palladio primò Hiberniæ Apostolo ad fidē conuersus & baptizatus, in Galliâ sub S. Hilario Arelatensi Episcopo in Monachatu & litteris educatus, Romæ ordinatus, & missus in patriam, tanquam Coadiutor S. Patricio fuit. In singulis Hiberniæ prouincijs diuersas, & in Mumonia plurimas fundauit Ecclesias: & hinc à S. Patricio fuit toti Mumoniæ Præfectus, & factus Archiepiscopus Imlilensis. Vnde dicitur Cœnobiorum, & Sanctorum Mumoniæ Pater. Plurimos habuit discipulos sanctitate illustres tam Episcopos, quàm Cœnobiorum Patrēs. Inter quos fuit S. Eugenius, Sarani filius, Abbas Cluain-cœlanensis, ad cuius & eorum, qui cum eo erant Monachorum petitionem, REGVLAM MONASTICAM scripsit; quæ more Sāctorum istius patriæ metro Hibernico est digesta, quòd scilicet ita faciliùs memoriæ commendaretur, & non ita promptū esset quidquam addere vel demere. Latinè eam (Ailbeus alter Hiberniæ Patricius.) (Regulam scribit versu Hiberno.)

A vertit, & in capita distinxit, quem citaui, P. Colganus; estque penes me manu scripta.

Floruit autem *Ailbeus* circa Annum Christi 460. & colitur 12. Septembris, de quo ad eundem diem agunt S. Æneas Abbas in suo Festilogio, S. Germanus in Martyrologio Angl. Fitzmin, & alij.

DISQVISITIO XVII.

De Regulâ S. Mochtei siue Maccæi.

B S. *Mochteus* siuè *Macceus*, cognomento Baccarius natione Britannus, S. Patricij Hibernorum Apostoli discipulus, & prædicatione Euangelij apud Hibernos strenuus Coadiutor, scripsit REGVLAM, cuius Auctor vitæ eius cap. 4. meminit, dicens: *Denique Mochteus in Metheorum nemoribus cœpit construere Monasterium, quod Cella magna, seu* KILLMOR *dicitur: ipse Rector, ipse* REGVLA *Fratrum: legebant enim in vitâ eius quomodò conuersarentur; & ipse ante* C *illos præibat in iustitiâ, & sanctitate corā Deo. Preter Instituta communia, multa singulariter faciens, in quibus potiùs præibat omnes, & aliorū nemo illum poterat ad tam ardua sequi. Et ne quidem huius Religionis aliqua pars posset obliuione negligi, & non solum apud præsentes, sed etiam apud futuros, sine defectu persisteret; sanctæ* INSTITVTIONIS REGVLAM *scripsit: vnde sua meritò sanctitatis pranomen habens, Religiosus ab vniuersis iure prædicatur.* Hæc ibi (Mochteus S. Patricij Discipulus.) (Regulam Mochta scribit.)

D Nec mirum est hunc sanctissimum Lugdunensis, Kill-morensis, & aliorum plurium Monasteriorum Patrem, & celeberrimæ Lugdunensis scholæ Magistrū, REGVLAM suis Monachis & discipulis præscripsisse. Sed valdè mirum est, suæ tantæ Congregationis vastum corpus, vel vllius REGVLÆ cancellis potuisse regi. Nam vt in eius vitâ cap. 6. habetur: *Crescens magis ac magis, factus est in gentem magnam, & numero & meritis multam; nam vt ceteræ, cuius non erat numerus, progeniei taceam multitudinem, centum Episcopos, trecentosque Presbyteros* E *dicitur habuisse discipulos: vnde emissis Sanctorum velut apum examinibus multorum Gentior extitit Cœnobiorum.* (Quod mirum in tâtâ Discipulorum multitudine.)

Præclara sunt testimonia, quæ de ipsius vitâ & sanctimoniâ habentur apud Iocelinum, in vitâ S. Patricij, cap. 13. & 135. Vbi *Moccheus* vocatur. Et quod mireris, trecentis annis iuxta prædictionem S. Patricij vixisse scribitur. Eiusdem meminerunt S. Comineus Conerensis, in Opusculo de præcipuis Hiberniæ Sanctis numero 4. S. Angusius, & S. Marianus Luthensis in Martyrologijs suis, die 19. Augusti, Martyrologium quoque Tamlactense eodem die. (Qui de Mochteo meminerunt.)

A Ioan-

A Joanne Pitſeo Doctore Theologo, Liverdunì in Lotharingiâ Decano, in libro de Illuſtribus Britanniæ Scriptoribus vocatur *Bacharius Maccæus*, natione Britannus, S. Patricij diſcipulus &c. Eodem ante ipſum nomine eum vocat Balæus de Scriptoribus Angliæ, & Geſnerus in ſuâ Bibliothecâ: cognomentum enim ipſi erat *Bacharius* ſeu *Bacchanus*. vnde ſub ſolo hoc nomine, ſeu cognomine celebres & vetuſti Scriptores meminerunt eius operum, vt Gennadius Maſſilienſis de Scriptoribus Eccleſ. c. 24. Honorius Auguſtodunēſis de Luminaribus Eccleſiæ libello 2. c. item 24. Fulbertus Carnotenſis Epiſt. 64. Vide Poſſeuinum in Apparatu ſacro, V. *Bacciarius*.

Dictus eſt etiam Bacharius.

NOTITIA REGVLARVM.

TRACTATVS VI.

DE REGVLIS

Sexto Sæculo conſcriptis.



Væ præcedentium duorum Sæculorum *in proferendis Monaſticorum Inſtitutorum fundatoribus ac* REGVLIS *fuit vbertas, eadem & Sexto hoc* SÆCVLO, *Deo benedicente, atque incrementum largiente non parum continuata fuit. Nam in diuerſis orbis partibus, ſub diuerſis Inſtitutoribus, Monachiſmus propagatus varias viuendi peperit formas, ac* REGVLAS, *prout vnicuique in Domino videbatur expedire. Quare iam cum ad exemplar vniuerſalis Eccleſiæ, Monaſtica Religio decenter apparuit circumamicta varietate, præſertim cùm poſteriores* REGVLÆ *prioribus non tam ſuccederent, quàm accederent. Hoc igitur Tractatu conſiderandæ ſunt* REGVLÆ. *I. S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi. II. Regula Eugippij Abbatis. III. S. Birgidæ Virginis, IV. S. Sabæ Abbatis. V. Adeodati Abbatis VI. S. P. N.* BENEDICTI. *VII. S. Aureliani Epiſcopi Arelatenſis. VIII. S. Columbæ Pictorum Apoſtoli. IX. S. Congelli. X. S. Brandani. XI. S. Kierani. XII. S. Adomnani. XIII. Regula S. Donati in Hiſpaniâ. XIV. S. Ferreoli Epiſcopi.*

DISQVISITIO I.

De Regulâ S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi.



Vit hic S. Cæſarius primò Lirinenſis Monachus & Cellarius, ac deinde Abbas poſteaque Arelatenſis Epiſcopus. Duplicem ſcripſit REGVLAM. Priorem ad Monachos, quam ex Bibliothecâ Patrū editionis Colonienſis exhibet Stellartius, quæ hunc habet titulum: *Incipit Regula à S. Teridio Presbytero, Nepote beatæ memoriæ, S. Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis Abbati, meâ paruâ perſonâ rogante, tranſmiſſa; quam à ſuo ſupra memorato Domino Cæſario, dixit ipſe dictatam: quam, dum eſſet ſacerdos, ipſe per diuerſa Monaſteria tranſmittebat.* Regula verò incipit: *In Chriſti nomine* REGVLA, *qualis debeat eſſe in Monaſterio, vbi Abbas eſt, quicumque fuerit.*

Cæſarij Regula ad Monachos. Biblioth. Pat tom. 4. p. 3 pag. 790 Stellart. in fund. in Reg. Ord. cap. 25.

Poſterior & celebrior eſt ea S. Cæſarij REGVLA, quam Sanctimonialibus præſcripſit, cuius Præfatio ſic exorditur, *Sanctis & plurimùm in Chriſto venerandis Sororibus, in Monaſterio, quod Deo inſpirante & iuuante condidimus, conſtitutis, Cæſarius Epiſcopus. Quia nobis Dominus, &c.* Virginum huic Cœnobio præfuit S. Cæſaria Soror S. Cæſarij, quam Deo dicatam virginem in Maſſilienſi Monaſterio priùs excoli voluit Monaſticis Inſtitutis, cui poſteà Monaſticam hanc ſcripſit REGVLAM: meminit eius Venantius Fortunatus, his verſibus:

Altera ad Sanctimoniales celebrior.

Has inter comites coniuncta Cæſaria fulget,
Temporibus noſtris Arelatenſe decus,
Cæſarij monitis, luci ſociata perenni,
Si non Martyrij, Virginitatis ope.

Cæſaria Inſcripta.

Venant. l. 8. Carm.

Habuit porrò Cæſaria ducentas ſub ſuo regimine Virgines, ex huius inſtitutione REGVLÆ viuentes, & arctiſſimam ſeruantes clauſuram: *nam vſque ad ſupremum vitæ diem* (vt Cyprianus in vitâ ait) *nulli fas Monaſterij oſtium progredi.* Quod & in Maſſilienſi Monaſterio ſeruatum, ibidem legitur. In eodem verò Virginum Monaſterio ſepe-

Quingentarum Virginum Mater.

NOTITIA REGVLARVM.

Baron. to. 6 anno Christi 507. Cæsarij Regulæ adiecta Recapitulatio.

sepeliri voluit sanctus hic Pontifex.

Putauit autem Cardinalis Baronius REGVLAM non extare, sed eam exhibuit Parisiensis editio Bibliothecæ Patrum, & ex ea Stellartius in Fundaminibus Ordinum, cap. 32. cui adiecta est eiusdem Cæsarij RECAPITVLATIO, hoc exordio: *Cùm Deo propitio in exordio institutionis Monasterij, vobis* REGVLAM *fecerimus, multis tamen postea vicibus ibi aliquid addidimus, vel minuimus*, &c. Ad hanc porrò REGVLAM adiecit eruditas obseruationes Franciscus Meinardus Antecessor Pictauiensis.

Sententiæ Cæsarij vbi extentur.

Cæterùm illud hîc annotandum duxi, in Institutione siue REGVLA Sanctimonialium canonicè viuentium, siue (vt loquuntur) Canonissarum, edita in Concilio Aquisgranensi, anno Christi 816. recitari cap. 5. plura ex sermone S. Cæsarij Episcopi Sanctimonialibus directo, quæ tamen non sunt ex hâc desumpta REGVLA, & nescio an alibi extent; vti & illa quę cap. 7. citantur ex epistolâ S. Cæsarij, quâ ad *Oratoriam* Abbatissam scripsit. Quænam verò hæc sit *Oratoria* Abbatissa, vix credo constare; suspicor mendum irrepsisse, & legendum ad *Cæsariam* Abbatissam. Illa enim cõstructo ab illo per triginta annos præfuit Cœnobio, illiq; paulisper superuixit: huic quoque competit quod initio ait; *Audi ergo me dulcissima Soror & filia*: Erat enim Cæsaria, vti diximus, Soror S. Cæsarij: Erat & filia, quia fratri tanquam Episcopo subiecta. In his porrò duobus scriptis, sicut & in totâ REGVLA, plura ex S. Augustino, quem vel maximè coluit, & in cuius vigiliâ obijt, desumpsit.

Regula Cæsarij Pictauos traducta.

Fuit verò eadem REGVLA traducta ad Pictauiense Monasterium, in quo S. Radegundis sub Agnete Abbatissâ vixit, quam ab Arelatensi vrbe descriptam afferri, seruarique Fortunatus petijt, vt his ipse testatur versibus;

Venant. li. 5. carm. 2.

> *Atque adscita sibi seruetur ab vrbe Genesi*
> REGVLA *Cæsarij Præsulis alma pij.*
> *Qui fuit Antistes Arelas de sorte Lirini,*
> *Et mansit Monachus Pontificale Decus.*

Vrbem verò Genesij vocat Arelatē, quòd ibi sit stadium & patrocinium S. Martyris Genesij. Quibusdam hæc *Regula* dicitur ARELATENSIS. Diligenter porrò à Radegunde seruatam idem Venantius auctor est, cùm ait:

A S. Radegunde seruata.

Venant. lib. 8. carm. 1.

> REGVLA *Cæsarij linea nota sibi est.*

Et rursum:

Carm. 4.

> *Concipiente fide Christi Radegundis amore*
> *Cæsarij lambit* REGVLA *quidquid habet.*

Epist. Radeg. tom. 1. Concil. Gall. anno Christi 567.

Sed luculentius testimonium est ipsius Radegundis in Epistolâ ad Episcopos: *Insuper Congregationi per me, Christo præstante, collectæ,* REGVLAM, *sub quâ S. Cæsaria deguit, quam solicitudo B. Cæsarij Antistitis Arelatensis ex Institutione sanctorum Patrum conuenienter collegit, adsciui.*

Et in alijs Monasterijs recepta.

Eandem porrò *Regulam* in aliis deinceps Monasterijs receptam, probabiliter credi potest. Nam & Donatus plurima ex eâ Monialibus suis præscripsit, ita enim in Prologo REGVLÆ à se collectæ ait: *Sæpius mihi iniungitis, vt exploratâ S. Cæsarij Episcopi Arelatēsis* REGVLA, *quæ specialibus Christi virginibus dedicata est, vnà cum Beatissimorum* BENEDICTI *quoque & Columbani Abbatum, vt puta quibusdam (vt ita dixerim) collectis in vnum flosculis ad instar Enchiridion excerpere vobis, vel coaceruare deberem, & quæque specialius fœmineo sexui custodienda competerent, promulgarem.* Hæc ibi. Qui vitam S. Radegundis Anno 1621. accuratiùs gallicè edidit, existimat ARELATENSEM hanc REGVLAM esse velut quintam essentiam REGVLÆ Lirinensium, virginum tamen accommodatam ingenio.

Vit. S. Radegund. lib. 1. cap. 5.

DISQVISITIO II.

De Regulâ Eugipij Abbatis.

Isidori de Eugipio, eiusque Regula testimonium.

AVCTORIS, Regulæque huius meminit Isidorus Hispalensis, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, c. 13. & de viris illustribus, cap. 26. quo posteriore loco ait: *Eugipius Abbas Lucullanensis, Oppidi Neapoli Campaniæ. Hic ad quemdam Paschasium Diaconum libellum de vitâ sancti Monachi Seuerini transmissum breui stylo composuit. Scripsit &* REGVLAM *Monachis consistentibus in Monasterio S. Seuerini, quam eisdem moriens quasi testamentario iure reliquit. Claruit post consulatum Importuni Iunioris, Anastasio Imperatore regnante.*

Eugipij nomen variè scriptum.

Cassiodorus, Diuinarum lectionum cap. 23. Abbatem hunc vocat *Eugepium* Presbyterum, quem viderit, quique ad Probam virginem sacram ex operibus S. Augustini quæstiones, ac sententias diuersas deflorans, in trecentis triginta octo capitulis collocauit. Alij *Eugippium* vel etiam *Eugypium* nuncupant. Honorio *Egippus* dicitur, corruptiusque Philippo Bergomati *Egesippus*, quem Platina, & Sabellicus secuti sunt.

Quando vixerit.

De ætate quâ vixerit, vide quæ accuratè disputat Gerardus Ioannes Vossius li. 2. de Historicis Latinis cap. 18. Possumus ait fuisse virum sanctum, & Gelasij Papæ discipulum, qui vixerit circa annum Domini 490. Trithemius ait Presbyterum fuisse, ad quem S. Fulgentij Ruspensis nonnullæ feruntur Epistolæ. Scripsit autem clarissimus vir Marcus Velserus notas ad Eugippium.

Hibernica Regula vnde eruta. · *Fleming. ast. 3. §. 2.* · *Ex vitâ S. Kierani VIII. colliguntur.* · *Quorum fructus stupendus.* · *S. Brigidæ obitus.* · *Cogitos. in Prolog. vit. S. Brigid.* · *Ingens hominum confluxus ad S. Brigidam.*

DISQVISITIO III.

De Regulâ S. Brigidæ Virginis.

CVM propositum nobis sit primo hoc Libro ex antiquitatũ fodinis omnes, quas possumus, eruere REGVLAS, & in earumdem Conditores, quà licet, inquirere: Plures nobis Hibernicas Regulas suppeditauit pius labor R.P. Patricij Flemingi, Minoritæ Hiberni, qui opera S. Colũbani vndequaq; collecta in ordinem redegit, & annotationibus illustrauit. Hic igitur & Disceptatione de Ordine, sub quo professionẽ Monasticã emiserit S. Columbanus, varios in Hiberniâ Monasticos Ordines, eorumq; Fundatores, ac Regulas recenset.

Octo siquidem Ordines, Regulasq; suppeditat vitã S. Kierani, ab ipsius Sãcti Discipulis compilata: quæ exstat MS. Hibernicè, spectatq; ad ipsius Sancti Ecclesiam, *Cluain* nunc dictam, in Mediâ. Sunt autem hi. 1. S. Patricij (qui de sequẽtibus vaticinatus fuisse traditur). 2. Brãdani. 3. Kierani Cluanensis. 4. Columbæ Huensis (qui dicebatur pulchræ Societatis.) 5. Congelli. 6. S. Adomnani. 7. S. Brigidæ. 8. S. Molassi seu Lasciani: quos omnes eadem Historia tradit, trecenta animarum millia cœlo peperisse, miseros illos inclamitans, qui post hos Ordines extinctos in Hiberniâ vixerint.

Inter hos ordine temporum præcedere videtur *S. Brigida*, Virgo Kildariensis in Lageniâ, quam suis meritis reddidit illustriorem. Migrauit autẽ ad Dominum (vt scribit Sigebertus, & Ioannes Capgrauius in Legendâ Sãctorum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ) circa Annum Domini 518. vel, vt Marianus Scotus, anno 3. Iustini Senioris Imperatoris, qui est annus à Christo, secundùm fastos Onuphrij, 521. Gerardo Ioanni Vossio est annus 523.

Cogitosus vetustus Auctor vitam *S. Brigidæ* describens, ait, *ad eam egregijs crescentem virtutibus, de omnibus prouincijs Hiberniæ innumerabiles populos de vtroq; sexu confluxisse: vota sibi voventes, volũtariè suum Monasterium caput penè omnium Hiberniensium Ecclesiarum, & culmen præcellens omnia Monasteria Scotorum, cuius Parochia per totam Hiberniensem terram diffusa, à mari vsque ad mare extẽsa est, in campestribus campi Liffei supra fundamentum fidei firmũ construxisse, & prudenti dispensatione de animabus eorum* REGVLARITER *in omnibus procurasse, & de Ecclesijs multarum Prouinciarum sibi adhærẽtibus fuisse sollicitam.* Mox subdit: *Gubernaculis omnium virtutum suum erexit principalem Ecclesiam, & amborum* (suis scilicet & Episcopi) *meritis sua Cathedra Episcopalis, & puellaris, ac si vitis frugifera diffusa vndique ramis crescentibus, in totâ Hiberniensi Insulâ inoleuit. Quam semper, Archiepiscopus Hiberniensium Episcoporum, & Abbatissa, quam omnes Abbatissæ Scotorum venerantur, felici successione, & ritu perpetuo dominantur.*

NOTITIA REGVLARVM. · *Quibus Regulam tradit.* · *Numerus Monialium quas rexit.* · *Pennot. lib. 1. hist. Canon. Regul. cap. 49. n. 2.* · *Cogitos. cap. 2. vit. S. Brigid.* · *Saba institutum.* · *Eius Discipuli clari.*

A In quibus verbis P. Flemingus notãdum monet, quod Virgo sacra dicatur de animabus ad se confluentium REGVLARITER in omnibus procurasse; iuxta REGVLAM, inquit, vel ab ipsã cõpositam, vel à S. Patricio traditam, ad cuius normam omnia sibi subdita Cœnobia regebat. Tãta autem erat eorum multitudo, vt Ioãnes de Bruxellâ, siue Mauburnus, Liuriacensis Abbas, in suo Venatorio Canonicorum Regularium, nõ dubitauerit *S. Brigidam* tredecim millium Mo-
B nacharum Abbatissam appellare. Has verò Monachas fuisse Sãctimoniales Canonicas, siue Canonissas, asserit Gabriel Pennottus, & ex candido *S. Brigidæ* habitu argumentum desumit: Monachorũ enim & Monacharum nigrum fuisse cõstat. Cogitosus autem scribit Episcopum sanctissimum Maccam nomine *pallium album & vestem candidam super ipsius venerabile caput imposuisse, cùm coram Deo & Episcopo ac altari genu humiliter flectẽs* Virginitatem omnipotẽti offerret. Addit Pennottus; quæ innumerabilium Virginum sa-
C crarũ Mater est effecta in Monasterio REIGLERS nuncupato siue Regularium: vnde collegia Canonissarum non solùm in totâ Hiberniâ, sed etiam in Angliâ & Belgio, ad quas prouincias sicut Canonicorum, ita etiam Canonissarum Institutum ex Hiberniâ primitus videtur deriuatum, Regularium vocantur, quemadmodum etiam collegia Canonicorum, vt videre est apud antiquos illarum Prouinciarum Scriptores.

Regulæ porrò S. Brigidæ Compendium Hibernicâ linguâ conscriptum est penes
D PP. Minoritas Hibernos Louanij.

DISQVISITIO IV.

De Instituto S. Sabæ Abbatis.

PECVLIARE quoque Institutum videtur habuisse *S. Sabas*, aut certè Magistrorũ suorum, quibusdã superadditis, ità auxisse, vt nouus inde Monachorũ grex, qui ab illo nomen sortiretur, prodierit. Nam Siluester Maurolicus in Oceano Historiæ omnium Ordinum, lib. 1. antequam agat de S. BENE-
E DICTO, præmittit Originem sacri Ordinis S. Sabbæ Abbatis in Cappadociâ; ab hoc enim Congregationem *Sabbaitarum* suum ait sumpsisse principium, quæ hodieque exstat in Cappadociâ.

Habuit hic Sanctus multos sanctitate & doctrinâ illustres Discipulos; è quorum numero fuit Stephanus *Sabbaita*, illustris (vt Græci scribũt) Poëta, & sanctitate eximius, cuius Festum celebratur 28. Octobris. Plures asserunt, ab eo compositam tragœdiam, *Christus patiens*, inscriptam, quæ exstat inter opera Nazianzeni.

Huius Ordinis plures alij fuerunt San-

NOTITIA REGVLARVM.

cti, sed nostro hoc calamitoso tēpore, amisso Imperio Constantinopolitano, prorsus extinctus est. Hęc ex Maurolico. Commendat & Climacus Ioannem *Sabaitem*, Virum sibi in paucis carum, qui ex Cœnobio quodam in Asiâ ad eum accesserat.

Climac. grad. 4.

Sabas Euthymij & Theoctisti discipulus. Metaphr. in vit. S. Sabæ.

Fuit autem *S. Sabas* discipulus Sanctorum Euthymij & Theoctisti, de quibus suprà. Scribit verò Metaphrastes, cū ad Euthymiū venisset *B. Sabâs, rogassetq́, vt eius fieret ouis, nō priùs permisit vt habitaret cum Monachis*, quā in Cœnobio esset exercitatus, quo nomine remissus est ad Theoctistū. Ipse autē *Sabas* post S. Antoniū maximè colebat S. Euthymium.

Regula Sabæ.

De eius porrò Instituto, & Regulâ, ità Metaphrastes: *S. Sabas Lauram extruxit maximam earum, quæ sunt in Palæstinâ, & ab omnibus qui vitam elegerant Anachoreticam, tāquam Pastor est agnitus. eis effectus* REGVLA *ad sanctitatem. Nam & mores eis trad[illegible]t, &* LEGEM *imposuit, doctus ab Euthymio, & seipso vtens exemplari, vt nullum imberbem ad Lauram admitteret; quod quidem & apud Patres veteres fiebat, & diligenter ab illis obseruabatur.* Quod autem ait, *seipso vtēs exemplari*, insinuat, quod posteà subdit, eum densam gessisse barbam. Pastorē verò vocat vitæ Anachoreticæ, quòd iuniores ad Theodosium instruēdos transmitteret: nam duo hi *Sabas*, & Theodosius curam omnium Monachorum circa Ierusalem susceperāt: *Sabas* Anachoretarum, *Theodosius* Cœnobitarum, vnde & Cœnobiarchâ dictus. Hoc enim erat *S. Sabæ* axioma: *Sicut flos fructum præcedit, ità vita Cœnobiaca Anachoreticam*: testis Cyrillus Monachus.

Anachoretas Sabas gubernat.

Cyrill. in vit. Ioan. Silentiarij.

Lauras extruit.

Fuerunt autem *S. Sabæ* primùm quidem discipuli septuaginta, deinde centum quinquaginta. Ædificauit quoque Monasterium in colle Castellio, pluresq́ue excitauit Lauras, quibus Pręfectos dedit: ipse autē, veluti Generalis, omnibus præerat. Pręter Epistolam ad Anastasium Imperatorem perfidum, scripsit TYPICVM ECCLESIASTICÆ TRADITIONIS, ET CONSECRATIONIS D. LAVRÆ HIEROSOLYMIS, vt ait Posseuinus in Apparatu facro. Cùm autem TYPVM vsurpari legerim pro Canone, aut Regulâ (Cassianus enim ait: *Multos comperimus diuersos Typos ac Regulas sibimet constituisse.* Iterumq́ue: *Illud autem, vt reficientibus Fratribus sacræ lectiones in Cœnobijs recitentur, non de Typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum nouerimus.* Ambrosius quoque ait, *posse* TYPVM *aliquem reperiri, quo possit auferri Fratrum discordia*;) Ex his, inquam, testimonijs suspicabar TYPICVM *Sabæ* fortassis Lauræ eius, aut Monasteriorū Regulā exprimere. Sed examinatis, quæ in Glossario Græco-Barbaro Ioannis Meursij, ex hoc TYPICO citantur, deprehendi ferè Rubricas & ritus diuini Officij continere: Neque enim hactenus videre nobis contigit hoc TYPICVM *Sabæ*; quod Gretserus in Notis ad to. 2. de Cruce scribit Venetijs impressū anno Domini 1545. Obijt autem *S. Sabas* anno Christi 531. vt probat Cardinalis Baronius, Annalium tom. 7. & in Notis ad Martyrol. Rom. 5. Decemb.

Scripta.

Cassian. lib. 2. Instit. c. 2. Lib. 4. c. 17.

Quid sit Typicum Sabæ.

Ambrof. Epist. 68.

DISQVISITIO V.

De Regulâ Adeodati Abbatis.

Dialog. lib. 2. cap. 1.

AVCTORIS huius Regulam vnus nobis suggessit, atque, vt reor, solus Magnus Gregorius, qui de Romano S. P. N. BENEDICTI in specu per trienniū Nutritore agens, ità ait: *Qui videlicet Romanus, non longè in Monasterio sub Adeodati* (legunt alij Theodati) *Patris Regulâ degebat.* Distinctam fuisse hanc Regulam à S. Augustini, Basilij, aliorumq́ue Regulis, Antonius Yepez affirmat, & nos ex eo libro sequenti.

Regula Adeodati diuersa ab alijs.

Lib. 2. tract. 2, Disquis. 1.

Quamquam quod Gregorius ait, *sub Adeodati Patris Regulâ*: Eruditissimus Hugo Menardus non de particulari aliquâ scriptâ Regulâ, sed pro disciplinâ, accipiendum putet; prout etiam Gregorius libro 1. Epist. 40. *sub Abbatis sui Regulâ.* Sic interpretatur quod c. 62. de Sacerdotibus Monasterij ait S. BENEDICTVS: *Qui tamen Regulam à Decanis & Præpositis sibi constitutam seruare sciat.*

Menard. ad cap. 69. Concord. Reg. §. 1.

DISQVISITIO VI.

De Regulâ S. P. N. BENEDICTI.

S. Benedicti Regula.

Dialog. 2. cap. 36.

OCCIDENTALIVM Monachorū Patriarcha, sanctissimus Pater BENEDICTVS, *inter tot miracula*, vt Gregor. ait, *quibus in mūdo claruit, doctrina quoque verbo nō mediocriter fulsit: nam scripsit Monachorū* REGVLAM *discretione præcipuam, sermone luculentam.* De celeberrimâ porrò hac REGVLA, totiq́; mundo notissimâ, sequenti libro toto agemus.

An omnium prima scripta.

Illud hoc loco dumtaxat notandum, ex allatis hactenus diuersorū Patrum Regulis satis constare, S. P. BENEDICTVM non fuisse primum, qui Monachis Regulā pręscripsit, quod tamen Meursius in Glossario Græco-Barbaro ei tribuit: Primitus, inquit, liberè viuebāt sine vllâ Regulâ, quam primus illis pręscripsit B. BENEDICTVS. Clarè Hildegardis in Explicatione Regulæ S. BENEDICTI: *Ante tempora B. Patris huius* BENEDICTI *nulla certâ Regulâ confirmati Monachi, diuersâ incertitudine & instabilitate, hàc & illàc vagabantur, certo Magisterio & certâ locatione carentes. Quapropter ipse vitia instabilitatis morū illorum describēs, vt vitâ eorum à fidelibus Monachis deuitetur, monet.* Sic Canonicis B. August. Hæc Meursius. A quo nō discrepare videtur Felinus, qui Rubricâ de *Maioritate & Obedientiâ* ait, S. BENEDICTVM monasticæ vitæ primum Institutorem; putatq́; esse communē Doctorum sententiam, citās plures textus. Et Cassanæus in Catalogo Gloriæ mundi.

Meurs. in Gloss. verb. Monachus.

Censent quidam.

Simplex Sacerdos num. 6.

Cassan p. 4. consid 54.

Non est probabile.

Sed hoc in rigore, & absolutè verum non esse, ex superioribus Regulis patet. Sanctâ verò Hildegardis S. BENEDICTO

non

A non absolutè primas in condendis Regulis tribuit, sed hoc tantùm voluit, quod cùm Monachi vniuersalem Regulam non haberēt, sed tot ferè essent, vt Cassianus ait, Regulæ, quot Monasteria; primus ipse in Occidente eam condidit Regulam, quæ sensim alijs exolescētibus vbiq; recepta fuit. Quod satis colligitur ex alijs eiusdem S. Virginis verbis, vel Dei potiùs ad ipsam sic loquentis: BENEDICTVS *famulus meus propositū huius Ordinis, quod ante ipsum diuersissima conuersatio fuit, per dulcedinem inspirationis Spiritus sancti discretam & planam viam fecit, ac per hoc plurimam cohortem suæ Religionis collegit.*

Hoc id voluit Hildegardis.
Cassian. lib. 2. Institut. cap. 2.
Lib. 2. visiona. 5.

B

DISQVISITIO VII.

De duplici S. Aureliani Arelatensis Episcopi Regula

A SANCTO BENEDICTO, cum quo nobis in sequentibus libris perpetuus pæne erit sermo, in Galliam transeuntes, Arelatensem reuisamus ciuitatem: inuenturi in eâ nouum post Cęsarium Sanctimonialium Institutorem, duplicisque REGVLÆ tam his, quàm illis præscriptæ Conditorem. AVRELIANVS hic est, post Auxanium Cæsarij successorem, Arelatensis Episcopus, & summi Pontificis per Gallias Vicarius, vt testis est Vigilius Papa in Epistolâ ad Episcopos Galliæ. *Dudum*, inquit, *Auxanio quondam Arelatensis ciuitatis Antistiti vicem nostrarum sollicitudinum dederamus, sed cursum vitæ præsentis implendo de hâc luce migrauit: in cuius loco Aurelianus Frater noster noscitur successisse.*

Aurelianus Arelatensis.

C

Duo hic exstruxit Monasteria, Virorum vnum; alterum Virginum: illius meminit Gregorius Papa: *Gloriosæ memoriæ*, inquit, *Childebertus Francorum Rex, Catholicæ Religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis Monasterium Virorum, vt scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantiū sustentatione concessit.* Subdit deinde de priuilegijs, quæ ait, *à Prædecessore nostro Vigilio Romanæ Sedis Antistite ad Prædecessorem vestrum* AVRELIVM *scripta transmissa sunt.*

Duo ædificat Monasteria.
Gregor. lib. 7 Epist. 117.

D

In quibus verbis duo notāda sunt: prius, Sanctum hunc Episcopum Gregorio dici *Aurelium*, quo nomine etiam apud Smaragdum inuenitur citatus. In Concilio Aurelianensi V. Anno Christi 549. qui secundo loco subscribit in Editione Binij dicitur *Aurelius*, sed Fronto Ducæus, in Notis reponit, *Aurelianus*, & sic est apud Sirmondum. Alterum hîc notandum, Gregorium Monasterij Fundationem tribuere Childeberto Francorum Regi, quod tamen in Præfatione REGVLÆ, & in calce adscribitur Aureliano, Rege iubente. Præfatio sic incipit: *Sanctis ac in Christo venerandis Fratribus, in Monasterio, quod Deo miserante, ac iubente Rege Childeberto fecimus, constitutis, Aurelianus Episcopus* &c. Subiungitur REGVLÆ Ordo psallendi, & Ordo conuiuij. In fine verò additur: *Aurelianus peccator* REGVLAM *hanc in Christi nomine institui.* Et mox subiunguntur sequentia: *In Christi nomine fundatum esse Monasterium Virorum Dei, in ciuitate Arelatensi à Sancto Aureliano Episcopo, iubente sanctæ memoriæ Childeberto Rege Francorum, XV. Kalendas Decembris, Indictione XI. anno quinto post Consulatum Basilij Iunioris V. C. & Basilica ibidem in honorem sanctorum Apostolorum & Martyrum, habetque reliquias positas, id est, de Cruce Domini, &c.*

Dictus etiã Aurelius.
Sirmond. tom. 1. Concil. Gall.
Aureliani Regula ad Monachos.
E

NOTITIA REGVLARVM.

Excitatum ergo hoc Monasterium Christi anno 546. cùm enim Basilius vltimus omnium in Occidente Consulatus honore functus sit anno salutis 541. sequentes anni (vt in Vigilij, & Pelagij Papæ Epistolis videre est) post Consulatum Basilij nominari cœperunt: & hinc quintus annus efficitur, quem diximus 546.

Posterior REGVLA, quæ inscribitur AD VIRGINES, priori omninò persimilis est. Vtraque apud me est descripta ex Codicibus Treuirensi & Coloniensi. Monachorum constat Capitibus 55. Sanctimonialium 40. earumque Monasterium dedicatum erat Beatæ Mariæ intra muros Vrbis Arelatensis. In vtrâq; Regulâ nonnulla desumpta sunt ex Regulâ Sancti Cæsarij.

Altera ad Virgines.

Regulam porrò ad Virgines subsequebatur in ijsdem codicibus STATVTVM IOANNIS EPISCOPI; quarti (vt puto) ab Aureliano exclusiuè, quo vetat ne cum Viris aut Mulieribus, Religiosis aut laicis, propinquis, aut extraneis, potandi licentiam Sanctimoniales habeant, nihilque aliud formulæ Aureliani iudicat adijciendum.

Statutum Ioannis Episcopi

DISQVISITIO VIII.

De Regulâ S. Columbæ, Pictorum Apostoli.

INCLYTVS hic Sanctus à magno Patricio, auo prædictus, & ex nomine indicatus fuit, vt habet Iocelinus, qui insuper ait eum COLVIMCILLE dictum, & cētum Cœnobiorum extitisse Fundatorem. Venerabilis Beda eum modò *Columbanum*, modò *Columbam* appellat. Sed verum eius nomen Adamnanus, Præfatione ad eius vitam, ita explicat: *Vir erat vitæ Venerabilis, & beatæ memoriæ, Monasteriorum Pater, & Fundator: cùm Ionâ Prophetâ Homonymum sortitus est nomen: hoc quod Hebraicè dicitur* IONA, *Latinâ linguâ* COLVMBA *nuncupatur.* De quo rursus Beda: *Erat autem* COLVMBA *primus Doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad Aquilonem, primusque Fundator Monasterij, quod in* HVV *Insulâ multis diu Scottorum Pictorumque populis venerabile mansit. Qui videlicet* COLVMBA *nunc à nonnullis, composito à cellâ & Columbâ nomine,* COLVMCELLI *vocatur.*

Columba lam, & nomen varium.
Iocelin. vit. S. Patric. c. 89. & 90.
Bed lib. 5. hist. Angl. cap. 4. & 25.
Bed lib. 5. cap. 10.

NOTITIA REGVLARVM.

vocatur Eodem modo explicat hoc nomen S. Notkerus Balbulus in Martyrologio, vbi sic ait: *In Scotiâ Insulâ Hiberniâ depositio Sancti* COLVMBÆ, *cognomento apud suos* COLVMBKILLI, *eò quòd multarum cellarum id est, Monasteriorum, vel Ecclesiarum Institutor, Fundator & Rector exstiterit: adeò vt Abba Monasterij, cui nouissimè præfuit, & vbi requiescit, contra morem Ecclesiasticum Primas omnium Hiberniensium habeatur Episcoporum.* Inusitatum hoc priuilegium etiam Bedæ testimonio adstruitur.

Abbatum eius Successorum dignitas.

Beda lib 3. cap 4.

Huius Patriarchæ Congregatio vocabatur ORDO PVLCHRÆ SOCIETATIS: Regulam verò suis præscripsisse, Wilfridus apud Bedam testis est. *De Patre autem vestro* COLVMBA, *& sequacibus eius, quorum sanctitatem, vos imitari, &* REGVLAM *ac præcepta cælestibus signis confirmata perhibetis, possum respondere*, &c. Breuem autem huius Sancti Viri REGVLAM (nisi fortè sit Regulæ fragmentum) ad me Louanio misit R. P. Ioannes Colganus Hibernus, qui eam ex Hibernico idiomate, de verbo ad verbum fideliter transtulit: habetque octo capita; & ad finem adiecit: Non videtur hæc esse Cœnobitica Sancti *Columbæ* Regula, seu Eremitica, seu præscripta Fratribus in Eremo degentibus. Multi enim sub eius Instituto erant, qui Eremiticam vitam agebant. Quod quidem ex Adamnani testificatione constat, itâ enim ait: Virgnous (Sancti *Columbæ* discipulus) *post multos in subiectatione inter Fratres irreprehensibiliter expletos annos, alios duodecim in loco* ANACHORETARVM *in* MIVRBVLCMAR *vitam deducens Anachoreticam, Christi victor miles expleuit.*

Eadem cap. 22. Regula S. Columbæ quâ superstes.

Videtur Eremitica scripta.

Adamnan. vit. S. Columb lib. 3. cap. 18.

Vixisse videtur Sanctus *Columba* vsque ad annum Domini 597. vt habet Baronius in Notis ad Martyrologium, nonâ Iunij.

DISQVISITIO IX.

De S. Congelli Regulâ.

Vitæ Columb. lib 1. cap. 12.

PRÆCEDENTI persamiliaris socius, discipulusque, vt Notkerus annotauit, fuit *B. Congellus*, qui primus nominatur inter quatuor Sanctos Monasteriorum Fundatores, qui de Scotiâ venerunt ad visitandum S. Columbam. Ortû eius, & quæ Deo oblaturus esset Monachorum examina, longè antè præuidit prædixitq; S. Patricius. Conspexit enim cum suis discipulis vallem, *in quâ postea constructum est Beannchorense Cœnobium* (vt refert Iocellinus) *ætherea luce, & multitudine militiæ cælestis repletam*, audieruntq; Angelicam melodiam. Rogantibus discipulis, vt illo loco ædificaret Ecclesiam; abnuit vir Sanctus: sed verbo vaticinio illis ait: *Annorum sexaginta circulo completo, nascetur quidam Filius vitæ*, COMHGALLVS *nomine, quod interpretatur pulchrum pignus; etenim dilectus Deo & hominibus, atque ob morum meritorumq; pulchritudinem intendens, prosperè procedet, & regnabit cum Christo, inter ipsius pignora computandus. Ipse verò in loco luce prœostenso Ecclesiam Sanctorum ædificabit; in quâ innumera Filiorum agmina lucis & vitæ Christi seruitio mancipanda coadunabit. Omnium horum; quæ S. Patricius prædixit, nec iota vnum incompletum præterijt. Tēpore verò prophetato, natus* COMHGALLVS, *processuque annorum & virtutum, posteà adultus in loco præfato*, BEANNCHOR *nominato, nobilissimum Cœnobium exstruxit: in quo multa millia Monachorum perfectorum per Euangelium Christo genuit.* Sed audiendus vel maximè Bernardus. *Nobilissimum*, inquit (Benchor) *extiterat ante sub primo Patre* CONGELLO; *multa millia Monachorum generans, multorum Monasteriorum caput. Locus verò sanctus, fœcundusque Sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs sanctæ illius Congregationis nomine* LVANVS, *centum solus Monasteriorum Fundator exstitisse feratur. Quod idcircò dixerim, vt ex hoc vno conijciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam Scotiamque repleuerunt gemmina eius, vt ea potissimùm tempora Dauidici illi versiculi præcinuisse videantur: Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Et in hunc modum cæteri qui sequuntur. Nec-modò in præfatas, sed in exteras etiam regiones quasi inundatione factâ illa se Sanctorum examina effuderunt.* Hæc ibi.

Congelli gesta à S. Patricio prædicta.

Iocellin. cap 98. vitæ S. Patricij.

Congelli Benchorense Monasterium exstruit.

Bernard in vit. S. Malach. cap. 7.

Quod à Bernardo laudatum.

Psal. 74.

Peculiarem porrò à Beato *Congello* tantæ Monachorum multitudini præscriptam Regulam tradunt, quam insinuat Wion, & ex eo Posseuinus, cuius hæc verba: *Congellus* Scotus, Abbas Benchorensis, & adeò Auctor ipsius Congregationis, qui propè annum Domini 560. floruit; reliquit *Methodum vitæ Regularis*, & plures Epistolas, quas Patribus Cœnobioru scripserat. Methodum hanc Alanus Copus Dialogo 5. c. 18. Regulam nominat: Fuit, inquit, ex omnibus *Congelli* discipulis Brendanus celeberrimus, & multorum Monachorum Pater; qui REGVLAS sui instituti ab ipso *Congello* accepit.

Wion lign. vit l. 2. c. 64. Posseuin. in Apparat. Sacro.

Regula Congelli.

Clarius REGVLÆ *S. Congelli* testimonium exhibet Vita eius manuscripta in Armacano codice: refert enim quemdam Monachum sanctitate & austeritate vitæ *S Congelli* illectum, ad ipsum commigrasse: *Tantam*, inquit, *ille Frater gratiam in Sancto* CONGALLO *videns, egit pœnitentiam de tumore mentis suæ, mansitque deinceps sub* REGVLA *S Congalli*. In fine Historiæ variorum de cruciatibus S. Congalli sententias referens, inter cætera hæc habet: *Alij etiam dicebant, quod tanti dolores super eum à Deo dati sunt propter duritiam & asperitatem Regulæ eius* &c.

De

De eâdem quoq; fit mentio in vitâ S. Munum seu Fintani, qui sicut ibi legitur, *cùm Sancto Congello mansit, legens apud eum, & addiscens* REGVLAM *eius.*

Vbi exstet.

Sed quid opus probatione, cùm ipsa penes me sit Regula à R. P. Ioanne Colgano, Lectore apud Minoritas Hibernos Louanij, mihi communicata hunc præferens titulum.

Regula S. Congelli Archimandritæ Benchorensis, & trium millium Monachorum Patris, circa annum 550. composita, & ex vetustissimo metro Hybernico nunc primum in Latinum versa.

Constat hæc Regula 36. strophis, quarum singulæ quaternos continent versus.

Non importunè hîc adiecero notationem aliquam circa ipsum Congelli nomen. Apud Notkerum Balbulum in Martyrologio legitur: *Cùm plurimos discipulos, vel socios sanctitatis suæ suppares habuisset,* (S. Columba) *vnum tamen,* CONGELLVM *scilicet, Latinè Fausti nomine illustrem præceptorem beatissimi Columbani, magistri Domini, & Patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum quasi vnicum exemplo Isaac reliquit hæredem.* Ad quæ verba Meursius in Glossario Græco-barbaro, eumque exscribens Ludouicus de La Cerda, dicunt, viros eruditos falli, qui, *Congellus,* nomen proprium censent: Existimant enim CONGELLVS, idē esse quòd σύγκελλος, siue σύγγελλος, seu σύγγελος: quo nomine olim appellabatur is, qui mortuo Patriarchæ successurus erat: de quo legēdus Gretserus, tom. 2. de Cruce, Notis in Orationem Ioannis Xiphilini: quo loco etiam refutat Iunium, qui Syncellum interpretatur Cœnobitam. Sed iam antè Rosweydus annotauit Meursius allucinationem, qui *Congellum* cœperit pro Syngello: Imò, inquit, *Congellus* viri sancti Hiberni nomen proprium est, discipul. Sancti Columbæ, cuius festum occurrit IX. Iunij. Ipse verò *Congellus* præceptor fuit S. Columbani. Ionas in vitâ cap. 3. *Dedit operam vt Monachorum nectéretur societati, ac Monasterium, cuius vocabulum est* BENCHOR. *petijt; in quo Præsul virtutum vbertate cluebat Beatus* CONGELLVS, *egregius inter suos Monachorum Pater, quique & Religionis studio, & Regularis disciplinæ cultu, præcipuus habebatur.*

Congellus eis nomen proprium.

La Cerda aduers. cap. 149. num. 8.

Perperam sumptum pro Syngello.

An Congellus fuerit Benedictinus.

Quæri denique potest, an Benedictinis nostris accensendus S. Congellus. Asserunt id quidem Arnoldus Wion, & Hugo Menardus in Martyrologio, die 23. Nouemb. Antonius Yepez in Chronico. Sed haud scio an omninò solidè. Nam vt Petrus Diaconus in Catalogo Abbatum Cassinensium ait: *Sub Valentiniano Abbate Britannia & Scotia Ordo ostenditur;* quod citat, sequitur Wion lib. 1. cap. 4. & lib. 3. in Epilogo: & ex illo Stengelius in Coronâ Lucidâ, qui addit: agebatur tum fortè Annus circiter 590. quo ipso & Yepez eiusdem præfecturam assignat. At verò *Congellum* idem Yepez reponit ad Annum Christi 557. Wion autem & Posseuinus ad annum 560. Qui igitur potuit S. P. N. BENEDICTI Regulâ informari, quæ triginta annis pòst in Scotiam, id est Hiberniam primùm illata fuit? Clemens proinde Rynerus agens de Apostolatu Benedictinorum in Angliâ, ait, ante Augustini aduētum in Angliam, Monachos Britanniæ, & Scotiæ siue Hiberniæ, more Ægyptiensium Monachorum, vitam instituisse. Idemque alibi: Nec nostro numero adijciendos putamus eus, qui in Hiberniâ exercebantur, donec à Sede Apostolicâ, Monachisq; Anglis correcti, Catholicum Pascha, tonsuramque Monachorum Romanorum receperunt: quia nimirum quantumuis moribus, & ascesis seu exercitationis genere, parum aut nihil à nostris distabant; Regulam tamen S. BENEDICTI nondum susceperant. Gabriel verò Pennuttus absolutè, & sine hæsitatione dicēdum putat, Monachos ex Hiberniâ in Angliam, Gallias, Belgium, & Alemaniam profectos, vel Regulares fuisse Canonicos, vel per S. Patricium sub Regulâ ab ipsomet eis traditâ institutos: vel tandem CONGELLVM, Columbam, & Columbanum, & alios Sanctos viros, Monachos proprij Instituti per illos excogitati, & per Episcopos, in quorum diœcesibus degebant, probati, Auctores, & professores extitisse.

NOTITIA REGVLARVM.

Yepez anno Christi 529. cap. 4. Vix est verisimile.

Clem. Ryner. tractat. 1. sect. 2. §. 18.

Ibidem pag. 130.

Pennot. lib. 2. cap. 35. num. 6.

DISQVISITIO X.

De Regulâ S. Brandani Abbatis.

BRendanus siue, vt alijs vocatur, *Brandanus*, fuit prædicti S. Congelli discipulus; Vir, vt ait Harpsfeldius, sanctissimus, & multorum Monachorum Pater: qui per Scotiam & Hiberniam plurima Monasteria constituit. Et post pauca: Illud verò constantiùs asseruerim, fuisse *Brendanum* singularibus dotibus illustrem, & Monasticam præsertim disciplinam & ipsum accuratè obseruasse, & ab alijs obseruari curasse. Qui præter alia in *Hiberniâ* atque *Scotiâ*, Cœnobium quoddā apud *Lancaruanenses* in *Cambriâ* posuit; cui & ipse præfuit. Adeoque eius curâ & industriâ res monastica succreuisse traditur, vt tribus Monachorum millibus (qui suis, sibi ipsi, laboribus victum, manibus operando suppeditabāt) præfuisse credatur. Obijt decimoseptimo Kalendas Iunij, sepultus in *Cluenarchâ*. Hæc ille.

Harpsfeld. hist. Angl. sæculo 6. cap. 25.

Brendani laus.

Monasteria in Hiberniâ propagat.

Anno 560.

Propriâ verò *Regulâ* virum hūc sanctum suos rexisse Monachos, ex eo fit verisimile, quòd Arnoldus Wion, eumque secu-

Wion lign. vit. lib. 2. cap. 63.

NOTITIA REGVLARVM. Possevin. in Apparat. Sacr. Brendanus ab Angelo Regulam accipit. Roth. elucid. 2, num. 42.

tus Possevinus, asserant eum scripsisse de LEGIBVS MONACHORVM librũ vnum. Luculentius autem perhibet testimonium vitæ ipsius Auctor his verbis: *Cùm esset S.* BRENDANVS *in campo* AV, *apparuit ei Angelus Domini dicens: Scribe à me* REGVLAM, *& viue sicut ipsa indicabit tibi. Et scripsit ibi S. Brëdanus* REGVLAM *secundùm quam ordinauit vitam suam, & illa vsque hodie manet apud Successores S. Brendani.* Dauid verò Rothus, Ossoriensis Episcopus in elucidationibus ad vitam, siue officiũ S. Patricij, de hac S. BRANDANI REGVLA ita scribit: Et ne præteream nostrum *Brandanum*, Virum perfectum, & B trium millium ferè Monachorum Patrem, vt in Codice Salmantino de vitâ & rebus gestis eiusdem habetur: *Cùm vir sanctus pro Domino peregrinaretur, apparuit ipsi Angelus Domini in viâ dicens ei; Scribe à me verba Religionis Domini. Tunc Brandanus scripsit ex ore Angeli* SANCTAM REGVLAM ECCLESIASTICAM *quæ vsque hodie manet*, inquit, vitæ Scriptor. Atque vtinam ita maneret, vt ad nostram ædificationem manare posset: vt nostri Hiberni Brandano ductore & institutore non minùs gloriari queant, quàm Tabennenses suo Pachomio, cui pariter apparuit Angelus Domini deferens ei tabulam, in quâ erat omnis forma Institutionis adscripta, quâ docendi forent quicumque ad eius Magisterij studia peruenissent. C

Machutes Brendani discipulus. Vit. S. Machut. cap. 1.

Ex *S. Brandani* Discipulis celeberrimus in primis fuit S. Machutes siue Maclouius, in cuius vitâ editâ ab Ioanne à Bosco, in Bibliothecâ Floriacensi, hæc leguntur: *In valle quæ dicitur Caruanna elegantissimum & nobile Monasterium erat situm, cui Brendanus religiosus Confessor Christi Abbas præerat.* Sigebertus in Chronico floruisse ait *Brendanum* anno Christi 561. Trithemius verò anno 570. Festum eius tabulis Ecclesiasticis legitur 16. Maij: vbi vide Baronium in Notis.

Trithem. l. 3. de vir. ill. Ord. S. Bened. cap.

DISQVISITIO XI.

De Regulâ S. Kierani.

INTER octo illos Monasticos Ordines Hiberniæ, quos Disquisitione 3. superiùs enumerauimus, tertio loco occurrit *S. Kierani*, quem Flaccus Alcuinus *Cheranum* (vt arbitror) vocat, ita canens: E

Alcuin. Poëmat. 146.

Patricius, CHERANVS, *Schottorum gloria Gentis*
Atque Columbanus, Congallus, Adomnanus
Atque præclari Patres morũ, vitaq̃, Magistri,
Hic pietas, precibus horum nos adiunet omnes.

In Martyrologio Romano, & Vsuardi, in Monastico quoque tam Arnoldi Wion, quã Hugonis Menardi 9. Septembris, ita exprimitur: *in Scotiâ S. Querani Abbatis.* De quo cùm nihil ampliùs apud Auctores inuenerim; quædam hîc delibabo ex ijs, quæ ex

S. Kierani gesta obscura.

A MS. Codice Armacano sunt apud Patrem Patricium Flemingum.

Fleming. art. 3. §. 2. de instit. S. Columb.

De *S. Kierano* Cluanensi Abbate, & Institutâ ab ipso Monasticâ societate, inquit, plenissimam exhibent fidem acta ipsius MS. ab antiquis Viri sancti discipulis accepta, in quibus legitur S. Finianum huius, de quo agimus, Magistrum, propter institutæ ab ipso Congregationis amplitudinem, *Leath-Neivim*, id est, dimidium Hiberniæ nomen imposuisse; eius enim parochia per medium Hiberniæ dilabitur.

Illustrantur ex Codice MS.

Deinde in sequentibus refertur visio ipsi in Insulâ *Auâ*, & S. Ennæ seu Endeo Abbati, in cuius tum Monasterio viuebat, de hoc exhibita. Cùm ibi, inquit, esset *S. Kieranus*, visionem hanc mirabilem vidit: similem quoque visionem S. Enna vidit, id est, arborem magnam fructiferamque super ripam fluminis *Hymna* in medio Hiberniæ; cuius vmbra protegebat Hiberniam omni parte, & rami eius vltra Hiberniam fluebant in mare. Crastino autem die istam visionem *S. Kieranus* S. Ennæ narrauit, quam statim sanctus Pater Enna interpretatus est, dicẽs: *Arbor illa fructifera quam vidisti, & ego similiter vidi, tu ipse es, Fili mi, qui coram Deo & hominibus magnus eris, & honor tuus Hiberniam implebit, & vmbra adiutorij, pietatis, & gratiæ tuæ, proteget eam à dæmonibus, plagis & periculis, & fructus tuus plurimis longè lateque proficiet.* &c. Et postea de accessu eius ad locum sibi à Deo designatum, & celebritate ac famâ constructi ibi Monasterij *Cluanensis*, ista subiungit: Venit *S. Kieranus* ad locum, qui quondam dicebatur *Tybrayt*, modò *Cluain Maccnois* vocatur; & veniens ad ipsum locum dixit: *Hic habitabo, multæ enim animæ in hoc loco exibunt ad regnum Dei, & in hoc loco mea resurrectio erit.* Deinde beatissimus *Kieranus* cum suis habitauit, & cœpit magnum Monasterium ibi fundare, & multi vndique veniebant ad eum. Et parochia eius per circuitum multum dilatata est, & nomen *S. Kierani* per totam Hiberniam celebrabatur, & clara ciuitas & sanctâ in ipso loco in honore *S. Kierani* creuit, quæ est in Occidentali plagâ Regionis nepotum *Neill*, super ripam Orientalem fluminis *Hymna*, contra prouinciam *Connachtorum*, in quâ fiue Reges siue Principes nepotum *Neille*, & *Connathorum* apud *S. Kieranum* sepeliuntur. Hæc ibi: quibus omnibus, & alijs in eâdem historiâ pleniùs cõtentis attentè consideratis, nemo mirabitur hunc sanctissimum virum à præfato Auctore reliquis Monachorum Patriarchis Hiberniæ inter primos adnumeratum.

Kierani & Ennæ visio.

Expositur.

Kierani Cluanense Monasteriũ exstruit.

D

An Regulam instar aliorum Hiberniæ Patriarcharum scripserit; mihi incompertum: supponere id videtur R. P. Flemingus.

De Regulâ Kierani.

DISQVI-

DISQVISITIO XII.

De instituto S. Adomnani Abbatis.

PERGO ex Armacanis membranis subiungere *Adomnanum, Presbyterum, & Abbatem Monachorum, qui erant in insulâ* Hy; quem scribit Beda, *fuisse virum & sapientem, & scientiâ scripturarum nobilißime instructum.* Aduertẽdum autem ipsum antequã Huensis Monasterij administrationem susceperit, plura in Hiberniâ Monasteria sub editæ à se Regulæ præscriptis erexisse; quorum præcipua fuere Napotense, Pontis, S. Adomnani, Dromtuamense, & Secinense: posteà verò ad Maiomense, post mortem Sancti Gerardi, primi eius loci Abbatis, gubernandum cõmigrasse, & exinde ad Huensis monasterij regimen fuisse assumptum: in quo sic commissæ sibi administrationis curam, secundùm Columbæ instituta sibi antea in Hiberniâ satis cognita, & forsan etiã visitata exercebat; vt pristinam suam viuendi formam retineret, quæ facilè stare poterat cum illâ Huensium: quibus cum Catholicum Paschę ritum, ab Anglis tempore suæ apud eos legationis acceptum, persuadere laboraret, nec posset; (quamuis multos in ipsâ Hiberniâ conuertisset) diuino munere ante expletum anni cursum ad cœlum euolauit. Ne, vt inquit Beda, *redeũte tempore Paschali grauiorem cum eis, qui eum ad veritatem sequi nolebant, cogeretur habere discordiam.* Vide de eo Trithemium de Scriptor. Ecclesiasticis, & lib. 3. de Viris Illustribus Ordin. S. Benedicti, qui eum floruisse ait anno Domini 690. vti etiam Wion, & Posseuinus. Epitome Bibliothecę Gesneri claruisse scribit 699. Nos hoc loco reposuimus, quòd inter octo illos Monasticorum Ordinum Fundatores in Hiberniâ recenseretur, nec ob Chronologiæ rationem postponendum duximus.

Beda lib. 5. cap. 16.

Adomnanus Monasteria extruit.

Fit Abbas Huensis.

Moritur.

DISQVISITIO XIII.

De S. Molassi siue Lasceani instituto.

SVPEREST tandem in eodem codice, octauo loco recensitus *S. Molassus*, seu Lasceanus, Abbas Leghleniẽsis; qui, vt legitur in vitâ S. Nunni, seu Fintani; mille quingentos monachos sibi subiectos habebat; quos Romã renersus, secũdum Romanum ritũ Paschatis instruebat, tũc nuper ex vrbe transmissum; quem ipse contra Fintanum, aliosque sanctissimos Abbates, in Concilio quodam, hac de re in Hiberniâ coacto, defendebat; vt in vitâ ipsius sancti Fintani pleniùs continetur: à quibus, sicut Ecclesiasticis Paschæ & tonsuræ ritibus, ita & Monasticâ institutione diuersam viuendi normam suis Monachis præscripsisse, credendum est.

Molassi conatus pro ritu celebrandi Paschatis.

Et Institutum.

A Et hactenus quidem de illis Ordinibus, eorumque Institutoribus, quorum mentio in peruetustâ illâ S. Kierani vitâ habebatur. Subnectit porrò in citato sæpius tractatu Pater Flemingus & alios celeberrimarum Congregationum Patres; quos verisimiliter credit proprias & peculiares Monachis suis præscripsisse Regulas: quorum hîc strictim facienda commemoratio, ne quid huius argumenti sponte præterijsse videamur.

NOTITIA REGVLARVM.

Alij Monachorum Patres in Hiberniâ.

Primus est *S. Canigenus*, singularis S. Congalli amicus, *multarum millium animarum in* B *eodem habitu* (vt vitæ Auctor loquitur) *& professione ipsi succedentium ad cælestem patriam dux*: qui nobilissimo Glandolorchensi in Lageniâ Cœnobio originem dedit; cellæque, & varia Monasteria in eâ regione sub eo fundata sunt.

Canigenus.

Circa eadem tempora claruit *S. Fintanus* Keuselabensis Congregationis in præfatâ Lageniâ, S. Congalli, & Columbæ primùm auditor: quem ad Monachatum recipi, S. Columba vetuit; quia ei reuelatum erat, quòd caput magni populi esset futurus. C Cùm autem alteri Regulæ non subfuerit; hinc scilicet P. Patricius colligit propriam condidisse, more in Hiberniâ satis vsitato.

Fintanus.

Ex horum etiam collegio exstitit *S. Canicus*, familiarissimus Sanctorum Columbæ, Congalli, & Brandani amicus, à quo nobilis illa in Lageniâ Kilkennyensis ciuitas nomẽ & originem traxit: qui sacris litteris, & Monastichis institutis, à S. Decio in Britanniâ instructus, inde in Italiam profectus est, vbi mirandis editis signis, & nobili constructo Cœnobio, denuò monitu Angelico in Hi- D berniam rediuit, ibique vitam virtutibus plenam, factus multorum Monachorum Magister, & octo mortuorum suscitator, felici fine conclusit.

Canicus.

Prædictis coæuus fuit *S. Carthagus*, seu *Morhuda*, Episcopus Lismorensis in Momoniâ, sanguine regio oriundus, vir admirandæ Sanctitatis, bis mille ad minus Monachorum Pater, qui post celeberrimum Parthense Cœnobium, multorum Monasteriorum caput in Midiâ exstructum, octingentorum sexaginta septem vel octo Sancto- E rum sepulturâ clarum; inde tandem cum totidem eximiæ sanctitatis Monachis, & Spiritu sancto plenis, post quadraginta annos sui ibi incolatûs, inuidiâ quorumdam Clericorũ, & impietate Regis Midiæ Blathemaci, violenter expulsus, eâ, quâ in Galliâ contra Theodoricum Columbanus Luxouio eiectus, ipse contra impium Midiæ Principem in Hiberniâ, gloriâ triumphauit; & tandem multis ad locum sibi à Deo præordinatum, & ab Angelis consignatum, *Lismor* in Momoniâ peruenit, vbi celeberrimæ per vniuersam Hiberniam & Britanniam

Carthagus.

Patitur ab æmulis.

Quis ille inter tres Ferreolos Episcopos.

Quis porrò fuerit hic Ferreolus Episcopus, accuratiùs indagandum. Trithemius eius aduocans ex hâc Regulâ testimonium, ait: *Denique in Regulâ Cœnobij sancti Ferreoli Episcopi & Martyris, decimo capitulo, sic scribitur.* Sed qui in Romano Martyrologio occurrunt huius nominis gemini Martyres; alter 16. Kalendas Iulij Vesontionæ: alter 14. Kalendas Octobris Viennæ passus, Episcopi non fuerunt. Inueniuntur autem três *Ferreoli* Episcopi, sed Martyrij expertes: Primus, qui Concilio Matisconensi II. Anno Christi 585. subscripsit; *Ferreolus Episcopus Ecclesiæ Lemouicinæ.* De quo agit S. Gregorius Turonensis, lib. 5. cap. 28. Secundus, qui Cabilonensi Synodo, anno 650. subscripsit; *Ferreolus Episcopus Augustodunensis:* Tertius Vceticensis, seu Vcecienſis in primâ Narbonensi, Nepos & Successor S. Firmini, Vcecienſis Episcopi, vt habetur in eiusdem Firmini vitâ MS. huius quoque meminit citatus Turonensis Gregorius, appellans eum *magnæ virum sanctitatis*, qui obijt *plenus sapientiâ & intellectu, qui libros aliquot Epistolarum quasi Sidonium secutus, composuit.*

Greg. Turon. histor. Franc. lib. 6. cap 8.

Cuinam autem horum trium hæc Regula tribuenda? Hærenti hactenus, & nullum certò designare scienti, facem prætulit Eruditissimus noster Menardus; qui probabiliùs Vcecienſem hunc Regulæ huius facit Auctorem. 1. propter ipsum Regulæ stylum, qui commendatam eius à Gregorio Turonensi eruditionem testetur: deinde quia Regulam suam dedicat Lucretio Episcopo, siue vt pro illorum temporum more, Sidonio præsertim vsitato, appellat, PAPÆ: qui sanè non videtur alius esse, quàm Lucretius Episcopus Diensis siue Deensis, Prouinciæ Viennẽsis, qui subscripsit Concilijs Aurelianensi IIII. anno 541. Parisiensi II. Lugdunensi II. per Vincentium Presbyterum, & Parisiensi IIII. anno 573. ita vt sedisse videatur plusquam

Menard. ad Concord. Reg.

Ferreolus Vcecienſis huius Regulæ auctor.

A quatuor & triginta annos. Ei mittit Regulam corrigendam *S. Ferreolus* tanquam amico, vel quia Monasterium in eius diœcési situm erat. Cùm enim Vcecia non adeò remota sit à Rhodano, & Deâ ciuitate in Prouinciâ Viennensi; Ciuitas verò Lemouicum remotissima (quippè quæ in primâ Aquitaniâ constituta est) *Ferreolum* Vcecienſem magis familiarem fuisse Lucretio Deensi Episcopo, quàm Lemouicensem Ferreolum, credibilius est. Eodem autem B tempore hi tres Episcopi floruerunt.

NOTITIA REGVLARVM.

Sed quare Trithemius *Ferreolum* hunc Episcopum & Martyrẽ nominat? an quòd putauerit forsitan hunc Regulæ conditorem, qui se Episcopum satis clarè ostendit, eundem esse cum alterutro Martyre Ferreolo? An fortè Episcopus hic exstructum à se Monasterium, suaque Regulâ instructum, nominis sui Patrono dedicauerit, atque inde dictùm sit modò Monasterium *Ferreoli* Episcopi, modò Sancti *Fer*-C *reoli* Martyris; atque ità vtrumque tandem facili errore contmictum? Quod non vsque adeò improbabile possit videri; cum celebris esset cultus Sancti Martyris Ferreoli in Prouinciâ Viennensi. In vitâ S. Clari Abbatis Viennensis scribitur ipse cùm matre suâ venisse *ad Sanctissimum Cœnobium vltra Rhodanum, vbi tunc temporis ossa beatissimi Ferreoli Martyris quiescebant.* Paulò pòst eâdem vitâ enumerans Monasteria, quæ Viennensis Pontifex Cadolbus regebat, pri-D mo loco ponit *Griuianensium* (Surius habet Grimanenfium) *Cœnobia à Sanctis Pontificibus vrbis fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli Martyris condita venerabantur:* ita ex vitâ S. Clari, quam ex Breuiarijs Lugdunensis & Diennensis Ecclesiæ exhibet Benedictus Gononus, Celestinus. Hoc, inquam, modo *Ferreolus* Episcopus Monasterium suum Sancto *Ferreolo* Martyri voluerit forsitan esse sacrum.

Vnde factũ vt Ferreolus dictus sit Episcopus & Martyr.

Sur. tom. 1.

Gonon. lib. 4. de vit. Pat. Occid.

TRA-

NOTITIA REGVLARVM.

TRACTATVS VII.

DE REGVLIS

Septimo Sæculo conſcriptis.



SEPTIMI Sæculi *Tractatu hoc ſeptimo ex ordine proſequimur Regulas, earumque Conditores ſumpto exordio à Sancto Columbano, qui ſuperiori ſæculo florens, hoc tandem plenus dierum, meritorumque obijt. Natus ſiquidem ſcribitur anno Chriſti incarnati* 520. *peregrinationem ex Hiberniâ in Galliam ſuſcepit anno ætatis ſuæ trigeſimo, Chriſti* 550. *Denatus eſt circa annum* 615. *Hunc ordine ſubſequuntur S. Luanus, Ioannes Gerundenſis Epiſcopus: S. Leander, S. Iſidorus, Hiſpalenſes Epiſcopi. Donatus Archiepiſcopus Veſuntinus. Fructuoſus vterque, & Valerius, ſinguli ſingularum Regularum Scriptores. Subſequitur Regula Ternantenſis Monaſterij. Item cuiuſdam Patris, & Serui Dei ad Sorores. Illa quoque quæ dicitur Magiſtri. Quas ordine recenſebimus, & expendemus.*

DISQVISITIO I.

Qualis S. Columbani Regula?



S. Columbanus in Galliam venit. Ionas cap. 3.

NON infrequens apud Auctores memoria eſt Regulæ, & Inſtituti *S. Columbani*, de quo in vitâ eius Ionas ſcribit, eum ſub beato Congello in Benchorenſi Monaſterio Monaſticam exercuiſſe vitam. Peractis autem annorum multorum in Monaſterio circulis, cum duodecim comitibus Galliam adijſſe, locumque à Sigeberto Rege Auſtraſiorum, Burgundionumq; in Eremo Voſago obtinuiſſe, atque ibi cum ſuis reſediſſe. Multiplicatis deinde

Ionas cap. 9. Luxouium extruit.

Diſcipulis, Luxouium venit, & Monaſterium conſtruere cœpit. *Ad cuius famam plebs vndique concurrere, & ſe cultui Religionis dicare curabat; ità vt plurima Monachorum multitudo adunata, vix vnius Cœnobij Collegio conſidere valeret. Aliud ergò Monaſterium conſtruxit, cui,* AD FONTANAS *nomen indidit, deditque gubernatores Præpoſitos, de quorum Religione nihil dubitabatur. His ergo in lacis Monachorum plebibus conſtitutis ipſe viciſſim omnibus intererat,* REGVLAMQVE, QVAM TENERENT, *Spiritu ſancto repletus condidit. In quâ qualis & quantæ diſciplinæ Vir ſanctus fuerit, prudens lector, vel auditor agnoſcit.*

Regulam ſcribit.

Orderic. Vital. lib. 8. hiſt Eccleſiaſt.

De eodem Sancto, eiuſque Regulâ, & Diſcipulis audiendus quoque Ordericus Vitalis: *Hic,* inquit, *admirandæ ſanctitatis Pater inter præcipuos laborauit, ſignis & prodigijs glorioſè inter terrigenas effulſit, & Spiritu ſancto*

A *edoctus,* MONACHILEM REGVLAM *edidit, primuſq; Gallis tradidit. Florentiſſimi de ſcholâ eius Monachi prodierunt, & in mundo, velut aſtra in firmamento, virtutibus micuerũt. Euſtaſius enim Luxouienſis, Agilus Resbacenſis, Faro Meldenſis Audomarus Bononienſis, Philibertus Gemmeticenſis, alijque plures Epiſcopi, & Abbates excellentiſſimæ proceſſêre Religionis.* Sic ille.

Diſcipuli S. Columbani.

Hæc porrò Regula omnibus pænè titulis, quibus aliorum Patrum Regulæ ſiue B Monaſticæ Leges nominari ſolent, innenitur inſignita. Nam à citato Ionâ vocatur *Religio & Status Regula. Epiſcopos,* inquit, *ſollicitare aggreſſa eſt* (Brunechildis) *vt de eius* RELIGIONE *detrahendo,* STATVM REGVLÆ, *quã ſuis cuſtodiendam Monachis indiderat, macularent.* Pôſteà, *vt accederet &* RELIGIONEM *probaret.* Deinde ipſe Columbanus ibidem vocat REGVLAREM DISCIPLINAM. S. Euſtaſius contra Agreſtinum agens, ait: *Cuius tu* C DISCIPLINAM & INSTITVTA *damnas.* Auctor vitæ S. Philiberti: *Quia perfecti,* inquit, *Viri ſemper ad meliora contendunt, Sacerdos Chriſti* (Philibertus) *Sanctorum luſtrauit cænobia, vt poſſit aliquid haurire emolumenti ex illorum perſpectâ ſanctitate. Itaque inuiſit Luxonienſe, Babienſe, & alia* COLVMBANI INSTITVTVM *cõplexa Monaſteria.* Et mox: *Legebat ſtudiosè Baſilij præclaras conſtitutiones, Macarij Regulam,* BENEDICTI *decreta,* COLVMBANI INSTITVTA SANCTISSIMA.

Regula eius perfecta. Ionas c. 18.

Ionas in vit. S. Euſtaſ. cap 5. Surius 10. Aug.

Sed

Duplex S. Columbani Regula.

Sed his præmissis ad rem ipsam accedamus; duplex est Sancti *Columbani* Regula: Prior absolutè vocatur Regula, eaque ex codice Bobiensi edita est in Florilegio Insulæ Sanctorum Hiberniæ à Thomâ Messinghamo. Constat autem capitibus decem. Altera vocatur *S. Columbani Abbatis* REGVLA COENOBIALIS *Fratrum: siue* LIBER DE QVOTIDIANIS POENITENTIIS *Monachorum.* Incipit autem: *Diuersitas culparum, diuersitatis pœnitentia medicamento sanari debet.* In fine verò ita scribitur: *Explicit* REGVLA COENOBIALIS S. COLVMBANI *Abbatis.* Ex quo soluitur aliquorum hæsitatio, qui, quòd B quæ in Matisconensi Cõcilio tanquam Regulæ S. Columbani decreta ab Agrestino desertore citantur & improbantur, atque à Sancto Eustasio propugnantur, in illa Bobiensi Regulâ non habeantur, existimant eam imperfectam; cùm expressa sint in ipsius S. Columbani Pœnitentiali, siue, vt appellari diximus, Regula Cœnobiali Fratrũ.

Discrimen inter vtramque.

Fleming. in MS tractat. de Reg. S. Columban.

Inter vtramque hanc Regulam hoc discrimen ponit, qui opera *S. Columbani* omnia recensuit, & notis illustrauit P. Patricius Flemingus: quòd in primâ Regulâ, graui C & doctrinali stylo summa Monasticæ vitæ documenta complexus sit: in secundâ verò censorio tantùm calamo Canones pœnitentiales, & mulctas Regularium transgressionum attexuerit. Adeoque prima habeat locum Regulæ; secunda siue Cœnobialis vicem gerat statutorum, vt ità ex ambabus exurgat completè Monastica Institutio, accessorium & principale; substantialia simul & accidentalia complectens. Et quidem primæ illius Regulæ eam probat sufficientiam & exactam plenitudinem, vt D præter tria essentialia vota, cætera quoque quæ in capitulo *De præsentium* 16. quæst. 1. Monachis tribuit Pelagius Papa, nimirùm quies, silentium, Oratio seu Contemplatio, & labor manuum, magno sacrarum sententiarum pondere & breuitate, proposita reperiantur. Nam primo capite Obedientia, quarto Paupertas, sexto Castitas commendantur. Deinde capite secundo silentium, tertio abstinentia, septimo Psalmodiæ ordo, vltimo labor manuum seriò præscribuntur. Præterea capite quinto humilitas, E capite octauo & nono discretionis & mortificationis, aliaque pietatis documenta traduntur. Vt proinde nihil à perfecta Regulâ, & omnibus numeris suis absolutâ ei deesse videatur, præsertim si ei adiunxeris secundariam illam Regulam de Pœnitijs Monachorum.

Stengel. cap. 8.

Sed enim exstat apud Stengelium in Coronâ Lucidâ Præfatio, secundæ huic Regulæ præmissa ex antiquissimis, vt ait, manuscriptis codicibus deprompta, estque talis.

NOTITIA REGVLARVM.

Incipit PRÆFATIO REGVLÆ COENOBIALIS *Patrum de Hiberniâ Subsequentis.*

Præfatio secundæ Regulæ B. Columbani.

Equidem S. P. BENEDICTVS *in hanc Regulam qualitate Ordinis pœnitentiæ modos instituit. Sed vnde de quibusdam causis intimauit, dicens: Si quis hoc aut illud perpetrauerit, disciplinæ Regulari subiaceat. Ipsius quippè disciplinæ mensuram in arbitrium Abbatis iudicandum permisit. Quia dum qualitatis morum vel pœnitentiarum innumerabilis est diuersitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa prolixitas. Etenim ipse per humilitatem spiritus præcedentium Patrum disciplinæ auctoritatem recipit quia, vt fertur, omnium Sanctorum Spiritu plenus fuit. Igitur de eâdem emendatione disciplinæ quibusdam verbis instituta subter inserta nectuntur.*

Sensus obscurus & fortè deprauatus. Sed nihil immutatũ est.

Sequitur Regula ad verbum, vti alibi nomine *S. Columbani* inscripta & impressa circumfertur. Hactenus Stengelius.

In dubium vocata.

Sed hæc Præfatio suspecta videtur P. Patricio Flemingo: primò quidem, quòd licet habeatur in Codice Augustano, alijs tamen desit, præsertim Oxenhusano in Sueuiâ exemplari, Augustano illo in multis longè correctiori; nam post primam *Columbani* Regulam immediatè nullâ interpositâ Præfatione, subsequitur *Regula Cœnobialis, siue liber de quotidianis pœnitentijs Monachorum* absque vllo præloquio. Secundò, quia Sanctus *Columbanus* in primâ personâ de se semper loquitur. Hæc Præfatio, ait, *subter inserta nectuntur*, non, *nectimus*. Suspicatur autem præfixam hanc Prçfationem à fratre Sigismundo Taus, Monacho Augustano, qui Regulam illam *Columbani*, cùm additis in Cœnobiali canonibus, vt in eodice Augustano habentur, descripsisse legitur: cùm esset circa annum Domini 1510. Reformator Cœnobij Augiæ diuitis, ex cuius scrinijs forsan extractum fuerat exemplar illud Augustanum, exceptâ præfatione Sigismundi. Ita ferè ille; quod alij accuratiùs expenderint.

Moniales sub Regulâ S. Columbani.

Hîc illud adijciendum, fuisse quoque Sanctimoniales Regulæ *S. Columbani* subditas. S. Amatus enim præfuit Virginibus, in Cœnobio à S. Romarico exstructo. S. Eligius, Viromandensis Episcopus non tantùm Solemniacum, & alia multa Cœnobiâ exstruxit; sed & Parisijs Puellarum Monasterium, cui Christi Virginem Auream præfecit. Idem in Bituricensi Vrbe fecit nobilis fœmina, Bertuara, siue Bertrada. Theodulphus item, cognomento Babelenus, Carantonij Virginum Monasterium, aliudque eisdem iuxta Niuernense oppidum sub eâdem Regulâ construxit. Hæc Ionas in vitâ S. Eustasij.

Cæterùm, grauis controuersia est, an Sanctus

NOTITIA REGULARUM. *Auctores qui S. Columbanum Benedictinum fuisse probant.*

Sanctus *Columbanus* fuerit professione Benedictinus, eiusque Regula Constitutionum tantùm subierit vicem: constat enim in multis Monasterijs vtramque simul seruatam Regulam. Asserit hoc pluribus locis Antonius Yepez, tom. 2. Chronici Benedictini, & quos citat, Paulus Langius ad finem historiæ Bozauiensis, Trithemius lib. 2. de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, cap. 5. & libro 3. cap. 26. Arnoldus Wion, & Gilbertus Genebrardus in Chronologiâ ad annum Christi 622. His porrò annumerandi, Carolus Stengelius in Coronâ lucidâ cap. 8. Clemens Reynerus in Tractatu 1. de Apostolatu Benedictinorum in Angliâ, sect. 1. §. 20. Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, 21. Nouemb. & in libello de Origine & incremento Ordinis S. Benedicti.

Scribit verò Stengelius, R.mum Dominum Constantinum Abbatem Caietanum, S. D. N. à sacris litterarum monumentis, singulari concertatione satis fusè, & doctissimè demonstrasse *S. Columbanum*, eiusque Commilitones nullam aliam, præter S. BENEDICTI Regulam fuisse professos.

Horum rationes affert, & expendit Patricius Flemingus in MS. tractatu de hoc ipso argumento, quem collectis à se *S. Columbani* operibus adiunxit. In quo pro virili studet nostrorum argumẽta diluere; cuius labores neque delibare animus est, neque hoc loco tantas componere lites.

DISQVISITIO II.

De S. Luani Regulâ.

Luani Regula commendata à S. Gregorio.

L*Vanus*, qui & *Molúa*, & *Lugidius*, magni illius Congelli, Benchorẽsis Archicœnobitæ magnus discipulus, & prædicti Columbani cõdiscipulus, vti Magistri & Condiscipuli virtutum, & sanctimoniæ proximè subsecutus est exempla; ita & in multorum Cœnobiorũ erectione, & in regimine felici, & Regulæ Monasticæ institutione vtrumque est imitatus. Edidit enim Regulam à Gregorio Magno, cui erat familiaris & carus, approbatã; cuius Auctor vitæ cap. 50. his verbis meminit. S. Daganus Abbas pergens Romam, duxit secum Regulam, quam *S. Molúa* ordinauit & dictauit Monachis suis: & legens S. Gregorius Papa illam Regulam coram omnibus, dixit; *Sanctus, cuius est hæc Regula, circumsepsit sepem circa familiam suam vsque ad cœlum.* Et mandauit S. Gregorius suam orationẽ & Benedictionem sancto *Moluæ*: & de hoc *S. Molúa* gaudens, gratias egit Deo. Præclarum est S. Bernardi testimonium de hoc Sancto Viro, eiusque instituto, & Cœnobijs. In vitâ enim S. Malachię, cap. 7. loquens de Monasterio Benchorensi, ità scribit: *Benchor locus verè sanctus, fecun-*

Luanus C. Monasteria fundat.

A *dusque Sanctorum copiosissimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs sanctæ illius Congregationis, nomine* LVANVS, *centum solus Monasteriorum fundator extitisse feratur.* De ipso, 4. Augusti agunt S. Euchusius, S. Marianus in suis Martyrologijs, & Martyrologium Tamlachtense: sed eius Regulam, si exstet, videre non potui.

DISQVISITIO III.

De Regulâ Ioannis Episcopi Gerundensis.

B HISPANICAS nunc aliquot sęculi huius proponemus Regulas: ac primò *Ioannis* illius, qui modò *Biclariensis* à cõdito Monasterio, modò *Gerundensis* ab Episcopatu, vocari solet. Hunc suo penicillo ita describit Isidorus Hispalensis. *Ioannes, Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, natione Gothus, prouincia Lusitanæ, Scalabitanus. Hic cùm esset adolescẽs Constantinopolim perrexit, ibique Græcâ & Latinâ eruditione nutritus, septima demum anno in Hispaniam reuersus est, eodem tempore, quo incitâte Rege Leuuigilda, Ariana feruebat insania. Hunc*

Isidor. de Vir. illust. cap. 31. Quis Ioannes Gerundensis.

C *supradictus Rex cùm ad nefandæ hæresis crudelitatem compelleret, & hic resisteret, exilia trusus, Barcinonam relegatus, per decem annos multas insidias & persecutiones ab Arianis perpessus est. Qui posteà condidit Monasterium, quod nunc Biclaro dicitur: vbi congregatâ Monachorum societate, scripsit* REGVLAM *ipsi Monasterio profuturam, sed & cunctis Deum timentibus satis necessariam.* Hactenus ille. An autem hæc Regula alicubi exstet, prorsus ignoro. Trithemius lib. de proprietate Monachorum, ita eam citat. *Ioannes Gerundensis* Episcopus in

Regulam scripsit. An ea superest.

D Regula Monachorum: *Quicumque in Monasterium susceptus fuerit, non solùm de substantiâ, quam intulit: sed nec de semetipso ab illâ horâ iudicabit. Nam si aliquid prius intulit Fratribus; ipsi tamen non est licitum, vt aliquid habeat in suâ potestate.*

Chronographus noster Yepez *Gerundensem* hunc *Ioannem*, æquè ac Sanctum Fructuosum, Archiepiscopum Bracarensem, ait sine dubio fuisse Monachum Benedictinum, & quam composuit Regulam, aliud non esse, quàm Constitutiones, Instructiones & Directiones Religiosorum, ad meliùs

Yepez ann. Christ. 613. Ioann. Gerundensis inter professores Benedictinos.

E seruandam Regulam S. BENEDICTI, quam profitebantur; tantùm abest, vt nouam condere voluerit. Eundem quoque Viris Illustribus Ordinis S. BENEDICTI annumerat Trithemius lib. 2. cap. 15. lib. 3. cap. 83. & lib. 4. cap. 159. Scripsisse ait *Exhortatorium ad Monachos librum vnum*, & claruisse anno Domini 610. Ambrosius verò Morales de eo agens, hist. Hispan. lib. 12. insinuat obijsse anno Christi 635. succedente sibi S Nonnito Monacho. Diem festiuitatis eius sub nomine *S. Ioannis Gothi*, pridie nonas Maij in

Moritur.

Marty-

Martyrologio Monaſtico reponit Arnoldus Wion, eũque ſecutus Hugo Menardus.

DISQVISITIO IV.

De Regulâ S. Leandri, Hiſpalenſis Epiſcopi.

Prud Sandoual in comment. de vir. & natal. S. Leandri.

S. Leander Benedictinus.

SANCTVS *Leander*, vt Prudentius Sandoualius ait, Monachus fuit è diſciplinâ S. BENEDICTI, quã amplexum ferunt in aliquo eorum Cœnobiorum, quæ eâ ætate erant Hiſpali; ſteteruntque, dum à Mauris eruerentur. Eius germanus D. Iſidorus hoc ſolùm de eo memorat, Monachũ fuiſſe: S. Maximus Scriptor doctus, & ſanctus eorũ B temporum, ſacrum habitum ſumpſiſſe Hiſpali. Fama quoque eſt à maioribus accepta, vixiſſe in Cœnobio Legionenſi S. Claudij, quod vt hodie olim quoq; in poteſtate fuit familiæ noſtræ Benedictinæ.

Scripſit de Inſtitutione virginum.

Scripſit verò, teſte S. Iſidoro, Fratre & ſucceſſore ſuo, *vnum ad Florentinam Sororẽ de Inſtitutione virginum, & contemptu mundi libellum, titulorum diſtinctionibus prænotatũ.* Hunc in lucem extulit, & an. ſalutis 1604. publici iuris fecit prædictus Sandoualius. Et poſt cũ Chriſtophorus Browerus inter C Sidera Illuſtrium Virorum; vbi hunc præfert titulum: *Regula S. Leandri ad Florentinã. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, incipit liber B. Leandri, Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopi, editus ad Florentinã Sororem ſuam de Inſtitutione virginum.* Exordium verò eſt: *Perquirenti mihi, Soror chariſſima Florentina.* Libellus bipartitus eſt, & priori parte mundi contemptum, & virginitatis laudẽ deſcribit: poſteriori, quæ titulis prænotatur, aſceticæ diſciplinæ præcepta Regulaſque tradit, quæ quàm Regulæ S. BENEDICTI fuit D conſentaneę, ad marginalem oram annotatur. Hæc enim Monaſticæ vitæ pręcepta, Sandoualius ait decerpta è Regulâ S. BENEDICTI, quã illa procul dubio profitebatur. Quippe iam tum ea viuendi ratio, velut delapſa de cœlo plurimùm laudabatur.

Quæ Regula dicitur ad Florentinam.

L. Cœnobijs præfuit Florentina.

Florentina porrò quinquaginta omninò Cœnobijs præfuit: in quibus mille Virgines numerabãtur. Fama eſt vixiſſe an. octoginta, ſed quoto Chriſti anno viuendi finẽ fecerit, obſcurum eſt. At *S. Leander* in cælũ migrauit an. Chriſti 600. vt probabiliter E colligit Garſias de Loaiſa Notis ad Iſidorũ de Viris illuſt. Feſtum eius Martyrologijs Romano, Bedę, Vſuardi, Monaſtico Wion & Menardi adſcriptũ reperitur tertio Kalẽdas Martij: ſed Villegas in Flore Sanctorũ, & Morales tertio idus Martij reponunt.

S. Leandri obitus.

Moral. in Chron. hiſp. lib. 1. cap. 5.

DISQVISITIO V.

De Regulâ S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi.

NON ſeparamus ab inuicem, quos & ſanguinis coniunctio, eadem pietas, eruditio & ſanctitas verè fecit eſſe germa- A nos, & in eâdem Pontificali cathedrâ ſibi inuicẽ ſucceſſores. Poſt S. Leandrum, Fratrẽ eius ſubijcimus *S. Iſidorum*, iiſdem cum eo, & S. Fulgentio, & Florentina virgine ortum parentibus; quos quidẽ adeò paruulus amiſit, vt vix per ætatem noſſe potuerit. Educatus à S. Leandro germano ſuo ad ſummam, vt fatentur omnes, ſanctimonię, & eruditionis gloriam euaſit. Quare Rex Ferdinãdus, cognomento Magnus, eum nominat *Hiſpaniarum Doctorem*, à Luca autem Tudenſi appellatur, *Pater Clericorum, Doctor* B *& ſuſtentator Monachorum & Monialium, conſolator mœrentiũ.* In Cõcilio Toletano VIII. Cap. 2. dicitur *Noſtri ſaeculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ nouiſſimum decus, præcedẽtibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus, & (quod maius eſt) ſæculorum finitorũ doctiſſimus, cũ reuerentiâ nominandus.* Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopus, hoc ei tribuit elogiũ: *Vir fuit in omni locutionis genere formatus, vt imperito doctoque ſecundum qualitatẽ ſermonis exiſteret aptus, congrua verò opportunitate loci, incomparabili eloquentiâ clarus.*

NOTITIA REGVLARVM.

S. Iſidori elogium.

Luc. Tud. in Cinthilano Rege.

Braulio in Prænotat. ad lib. S. Iſidori.

C Inter præclara & plurima ingenij ſui monumenta, ſcripſit quoque teſte eodem Braulione, MONASTICÆ REGVLÆ *librũ vnũ quem pro patriæ vſu, & inualidorum animis decentiſſimè temperauit.* Quod ſanè & ipſe *Iſidorus* in Præfatione Regulæ proteſtatur, ita enim ait: *Plura ſunt præcepta vel inſtituta Maiorum, quæ à Sanctis Patribus ſparſim prolata reperiuntur, quæque etiã nonnulli latius vel obſcurius poſteritati compoſita, tradiderũt; ad quorum exemplum nos hæc pauca vobis eligere auſi ſumus, vſi ſermone plebeio vel ruſtico, vt quàm* D *facillimè intelligatis, quo ordine profeſſionis veſtræ votũ retineatis.* Conſtat Regula capitibus 24. eamq; non multùm differre à Regulâ S. BENEDICTI, aſſerit Hugo Menardus in MS. Codice Monaſterij Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quod eſt Coloniæ Canonicorum Regularium, in quo plures habentur Regulę, *Regula Iſidori* ſic incipit. *Sanctis Fratribus in Cœnobio Honorianenſi,* Iſidorus. *Plura ſunt præcepta, &c.* Finitur capitibus 23. Quod & Miræus in ſuo Elencho Regularum expreſſit; ſed quod ſubiungit: *Scripſit item Sententiam de Regulis Deuotarũ.* E *Nemo ad eas vadat viſitandas, &c.* In quo vereor ne fallatur: quamuis enim ſententia hæc Regulam *S. Iſidori* ſubſequatur; non tamen dicitur eſſe *Iſidori*, nec in ipſius Operibus reperitur: deſcripta fortaſſis fuerit ex Regula S. Pachomij, cuius articulus 82. hoc præfert lemma, DE PVELLARVM DISCIPLINA, & articulus ſic incipit: *Nemo ad eas vadat viſitãdas, niſi qui habet ibi Matrẽ, aut Sororẽ, aut propinquas.* Nec hãc ſententiã quidquam aliud continere inde veriſimile eſt, quòd in Catalogo ipſi Domino Miræo

Isidori Monaſtica Regula.

Sententia de deuotis ei ſubiuncta non eſt Iſidori.

NOTITIA REGVLARVM.

transmisso, scribatur Dimidiâ columnâ terminari.

Qualis Regula quâ Clericu dedit.

Cæterùm in antiquissimo membraneo codice Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, post Turpini historiam, habetur Itinerarium quoddam, alterius Regulæ *S. Isidori* mentionem faciens, his verbis: *Apud vrbem Legionensē visitandū est corpus B. Isidori Episcopi & Confessoris, siue Doctoris: qui* REGVLAM *piissimam Clericis Ecclesiasticis instituit, & gētē Hispanicā suis doctrinis imbuit, totamque sanctā Ecclesiā codicibus florigeris decorauit.* Inquirenti mihi inter *S. Isidori* opera hanc Regulā occurrit caput. 2. lib. 2. de officijs Ecclesiasticis, cuius titulus est; *De Regulis Clericorum*, totusque ille liber hoc fortassis nomine in illo Itinerario designatus fuerit.

Isidorus quo anno obierit. Grial. ante opera S. Isidori.

Quamuis autem nonnulla de anno obitus *S. Isidori* inter Scriptores fuerit controuersia; Ioannes tamen Grialus ex Redempto, Sancti viri discipulo, certissimè ait mortuum anno Christi 636. pridiè Nonas Aprilis: quo die adscriptus inuenitur Martyrologio Romano alijsque. Agit Baronius in Notis de pluribus *Isidoris*, & hunc dictum ait, Iuniorem respectu Cordubensis Senioris. Vitam eius adfert Thomas de Trugillo in Thesauro Concionatorum, tom. 2.

DISQVISITIO VI.

De Regulâ Donati Archiepiscopi Vesontini.

Donati Regula ad Virgines.

EXHIBENT MSS. S. Maximini Treuirensis, & S. Pantaleonis Coloniensis, codices Regulā hâc inscriptione: REGVLA DONATI AD VIRGINES, eique præmissus prologus sic habet *Sanctis & à me plurimum venerandis Christi virginibus, Gautstruda, omnique suæ Congregationi in Cœnobio à famulâ Dei Flauiâ constructo, Donatus omnium extremus famulorum famularumque Dei seruulus salutem.*

Quâ occasione scripta.

Quamquam vos iuxta normam Regulæ, vasa Christi pretiosissima, egregiè nouerim quotidie vitam ducere, attamen qualiter magis excellere debeatis, sagaci vultis semper intentione perquirere. Quam ob causam sæpius mihi iniungitis, vt exploratâ S. Cæsarij Arelatensis Episcopi Regulâ, quæ specialibus Christi Virginibus dedicata est, vnà cum Beatissimorū BENEDICTI *quoq; & Columbani Abbatum, vt puta, quibusdam (vt ita dixerim) collectis in vnū flosculis ad instar enchridion excerpere vobis vel coacernare deberem; & quæque specialius fœmineo sexui custodienda competerent, promulgarem, &c.*

Ad calcem verò ita subijcitur: *Explicit Regula Donati ad Gautstrude.*

Quis hic Donatus.

Dubium autem non leue est, quisnam sit hic *Donatus*. Heribertus Rosweydus ad descriptam hanc Regulā ita annotauerat. *De Donato vide ante Regulam S. Leandri pag.* 22. Sed quæ istâ paginâ à Browero inter Sidera Germaniæ notata sunt, priori Donato, qui ex Africa in Hispaniam transmigrauit conueniunt; & iam suprâ retulimus. Non potest autem hic esse huius Regulæ Auctor, quæ plura S. Columbani exscribit decreta. Nā quo tempore hic in Hispaniā venit, necdum, vt verisimile est, exstabat S. Columbani Regula; aduētus enim Donati in Hispaniā, vt vidimus, accidit anno 569. vel 572 Columbanus autē, vt Sigebertus auctor est ann. 602. ex Hiberniâ in Burgūdiā venit, excitatoq; Luxouiensi Monasterio alteroque, quod *ad Fōtanas* nominatur; Regulā suā scripsit, vt diximus suprâ Disquis. 1. Non potuerit ergo Donatus ille Seruitani Monasterij Abbas, ante suum in Hispaniam aduentum, S. Columbani vidisse Regulam. Adde quod neutiquam vero sit simile, in Africâ S. Columbani Regulam fuisse cognitam.

Non est Seruitanus Abbas.

Alius proinde quærendus Donatus, cui Regula S. Columbani perspecta fuerit, & lecta, Quærendum Monasterium virginum à famula Dei Flauiâ constructum. Quærēda Abbatissa Gaustrudis, huic parthenoni præfecta. Non modicum, fateor, hæc me cura detinuit, pluribusque inspectis historijs reperi tandem *Donatum* hunc fuisse ciuem, & Archiepiscopum Vesontionensem. Testatur enim Ionas, Waldelenum Ducē cū coniuge suâ Flauiâ nomine, ex Vesontionensi oppido ad B. Columbanum perrexisse, precantes, vt à Domino heredem sibi impetraret (nulla enim eis erat soboles) votique per eum compotes effectos, editum infantem ad virum Dei detulisse; quem ille sacro lauacro tinxerit, & *Donatū* appellauerit. Postea (vt idē Auctor subdit) *in eodem monasterio sapientiâ imbutus, & Vesontionensis Pontifex factus, nunc vsque superest, eandem cathedram regens. Qui post in amore Beati Columbani, ex ipsius Regulâ Monasteriū virorū construxit, quod* PALATIVM *nūncupauit.* Vetustę membranæ Vesontinę apud Chiffletiū habent in hoc Monasterio Donatū *fideles viros sub* B. BENEDICTI, *& B. Columbani Luxouiēsis Regulâ victuros instituisse.*

Est Donatus Vesontinus.

Ionas c. 13 vit. S. Columbani

B. Columbani precibus impetratus.

Chiffl. V. sont. p. 2. cap. 25. in Donato pag. 153.

De Parthenone autem apud Ionam sequūtur: *Post ista munera, mater ipsorū* FLAVIA *post mariti obitū Monasterium Puellarum construxit in supradictâ vrbe Vesontionis, & omni munimine roborans, multarū Puellarum concionem adunauit.* Sed quod Ionas soli Flauiæ tribuit, hoc antiquus, & sexcentis propè abhinc annis conscriptus Bisontinorum Antistitum catalogus, Donato quoque adscribit. *Ædificauit*, inquit, *Ecclesiam S. Pauli in qua etiā in Domino requiescit: & Iussanum Monasteriū cū Matre suâ Flauiâ, quæ ibi sepul-*

Flauia Donati Mater extruit monasteriū.

Chifflet. ibidem.

sepulta est. Paria habēt Vesontionēses antiquæ membranæ, quæ & Abbatissam, quam quærimus, produnt, sic autem se habent. *Suo denique tempore, matre eius* FLAVIA *cooperante ex propria hæreditate, aliud in eadem vrbe nobile Sanctarum Monialium, in honorem Beatæ Mariæ est ædificatum cœnobiū: in quo requiescit eadem* FLAVIA *in pace, & Sirudis eius filia, virgo sacratissima, eiusque loci Abbatissa.*

Habemus igitur & *Donatū*, & Flauiam, & cœnobium, quod etiamnum, vt Chiffletius ait, à B. Maria nomē habet (à quo vicina porta ciuitatis, *Dominæ nostræ*, seu *Beatæ Mariæ* dicta) & appellari quoque solet, *Iussanum Monasterium.* De Abbatissā reliquus est scrupulus; quod in Regulā nō *Sirudis*, vti in mēbranis, sed *Gaustrudis*, aut *Gaustruda* nuncupetur. Verū in proprijs nominibus facilè esse constat lapsum, & litterarum metathesin, vel additamentū subinde fieri, præsertim si sæpius exemplar transcribatur. Quare vix dubitē hunc *Donatum* Archiepiscopū Vesontionēsem REGVLÆ huius esse auctorem, eandemque nō ante susceptum Episcopatum fuisse conscriptā; quod ipse subindicare videtur, cùm in Prologo ait, se *Quotidiano strepitu sæcularium inquietari.*

Prius Abbatissa Sirudis scripta hac Regula.

Quod Donati ætatem spectat, inuenitur an. Christi 630. Rhemensi interfuisse Concilio, vt videre est apud Flodoardū, & Sirmondū: idemq; Cabilonēsi Concilio ad an. Christi 650. subscripsit. Sed ad an. vsq; 661. & alios plures, virā produxisse, putat Chiffletius, quem de hâc chronologiā pluribus agentē cōsule. Obijt septimo idus Augusti; quę dies illi festa est in diœcesi Vesontina.

Donati ætas. *Flodoard. lib. 2. hist. Rhem. c. 5. Sirmond. tom. 1. Cōcil. Gall.*

DISQVISITIO VII.

De vtrâque S. Fructuosi Episcopi, alterius S. Fructuosi Regulā.

S *Fructuosus* (vt Garsias Loaisa, Notis ad Concilium Toletanum X. ait) ex Regio Gothorum sanguine ortus, Ducis filius Episcopi Palentini Tonantij discipulus, multorū Monasteriorū conditor, & Pater, ex Complutensi Abbate, cùm Monasteriū exædificaret ad Virgidiensem tractum, Iusti, & Pastoris Martyrū nomine; Dumiensis Episcopus creatus; in Potamij deiecti locū subrogatus, Bracarensis Ecclesiæ curam suscepit. Subscripsit Concilio Toletano X. Vitam eius ex Valerio Abbate S. Petri de Monte, & Paulo Diacono Emeritæ, adsert Yepez tom. 2. Choronici Benedictini, & Benedictus Gononus, l. 4. de vitis Pat. Occidentis, ex incerto auctore.

Fructuosi Bracarensis Episcopi gesta.

Yepez ad ann. 646.

Scripsit autem Bracarensis hic Archiepiscopus, *Fructuosus*, Monasticam Regulā; verùm, quia in Concordiā Regularum reperitur etiam citata Regula alterius Fructuosi, & vtraque ab inuicem distincta in MSS. Treuirensi & Coloniensi codicibus; vtcumque intricatū & perplexum fuerit dicere, vtra huius aut illius sit. Quæ Episcopi nomine in illis codicibus insignita est (prout mea inde desumpta repræsentant exemplaria) viginti constat capitibus: & primo quidem hoc est lemma præfixū: *vt nullus præsumat suo arbitrio Monasteria facere, nisi communem Collationem consuluerit, & hoc Episcopus per canones & Regulā consulerit.* Incipit: *Solent enim nonnulli ob metum gehennæ in suis sibi domibus Monasteria componere, &c.* Hæc autem esse ex *S. Fructuosi* Episcopi Regulā, asserit Antonius Yepez tom. 1. ad annum Christi 546. Deinde Smaragdus in Commentario ad caput 29. Regulæ S. BENEDICTI, sub nomine *Fructuosi* Episcopi duo citat testimonia, quæ in hâc Regulā cap. 20. eodem modo leguntur. Prætereà in S. Benedicti, Anianæ Abbatis Cōcordia Regularū, cap. 63. §. 4. aduocatur hæc sententia: *Cum fratribus aduenientibus hospitibus & peregrinis in vnā mensā communiter viuant: quia de ipsis Dominus ait, hospes fui, & collegistis me.* Quæ totidem verbis legere est in illā *Fructuosi* Episcopi Regulā, capite 10.

NOTITIA REGVLARVM *Dubium cuius Regulæ Auctor.* *Prima ei tribuitur.* *Yepez ca. 1.*

Altera in iisdem MSS. libris Regula hoc prænotatur titulo: *Incipit Regula à Domino, & P. N. Fructuoso edita in pace. caput primum de dilectione Dei & proximi. Post dilectionem Dei & proximi, &c.* Absoluitur ipsa Regula capitibus 25. quamuis in nostro exemplari duo vltima desint; hanc autem ex fide MS. codicis Abbatiæ Crassensis, Menardus tribuit memoratio illi *Fructuoso*, Pontifici Bracarensi, aitque constare ex capite 18. eiusdē Regulę, in quo statuitur vna quadragesima ieiunanda ante festum sanctorū Iusti & Pastoris; quam sanè instituit *S. Fructuosus*, quia suum Monasterium dedicatum erat sub patrocinio horum sanctorum Martyrum; quod ideo Compluticum appellatum est; quia dicti Martyres Compluti passi sunt, vt habetur in *Fructuosi* vitā, quę ex membranis exijt à Prudentio Sandoualio, Episcopo Pompelonensi. Quod ipsum confirmatur ex priuilegio Regis Chindasuinthi, huic Monasterio concesso, in quo dicitur à *S. Fructuoso* constructum in honorem Sanctorum Martyrum *Iusti & Pastoris.*

Et secunda. *Yepez ad calcem to. 2. Script. 11.*

Sanè quanrū colligere licuit, videtur hęc κατ' ἐξοχὴν dicta Regula *Fructuosi Episcopi*; pleraque enim, quæ in Concordiā Regularum, à Benedicto Anianæ Abbate, & à Smaragdo in Commentario Regulę S. BENEDICTI, titulo Regulæ *S. Fructuosi* simpliciter, & sine addito, vel *Fructuosi Episcopi*, allegantur, in hâc Regulā reperiuntur, vnū dūtaxat alterumve exceperis testimoniū. In Iure Canonico de consecrat. distinct. 5. cap. *Carnem* Tribuitur *Fructuoso* Episcopo,

Quæ dicta Fructuosi Episcopi secundum excellentiam.

 ex

NOTITIA REGVLARVM. ex citatione Smaragdi, in expositione Regulæ S.BENEDICTI; cap.39. At illud verbotenus repræsentatur Regulæ huius capite 5. Sed & Trithemius citans Regulam *Fructuosi Episcopi*, libro de Proprietate Monachorum, non alia profert verba, quàm quæ in hac cõparent Regulâ; adeò vt alteram illã, de qua prius egimus, quæque Episcopi nomẽ præfert, ignorasse videatur; licuisset enim & ex illâ contra proprietatis vitium, aliquid dicere.

Trithem. cap.5.

Fructuosi plures. Gono.li.4. de vit. Pat. Occident.

Equidem negari non potest plures inueniri Fructuosos; nam præter hunc Bracarensem Archiepiscopum, adfert Benedictus Gononus vitam alterius Fructuosi Eremitę, ex insigni Hispaniæ oppido Segobiâ orti, quem Lucius Marinæus Siculus, *S.Fructum* vocauerit, cuius mentionem facit Thomas de Trugillo in Thesauro Concionatorum, Mense Octobri. Antiquior est Fructuosus, Taraconensis Episcopus, Prudentio, hymno 4. Peristeph. celebratus cuius festum ocurrit in Romano Martyrologio 21. Ianuarij. Menardus ex Chronico S. Maximi. Cæsar-augustani Episcopi, ad annũ Christi 569. meminit alterius Fructuosi Abbatis Constantinæ, in agro Bracarensi: sed quod hoc Chronicon multis erroribus respersum sit, contineatque plurima absurda, & S.Maximo prorsus indigna, vt ibidẽ probat; vix vllam liceat ei adhibere fidem. Non videtur autem Eremita ille Fructuosus, de quo egimus discipulos habuisse, aut Regulam conscripsisse; vti neque Taraconensis ille Episcopus & Martyr: Quare *Fructuoso* Abbati Constantinæ, Menardus hanc Regulam potiùs tribuendam putaret; aitque ferè sequi Regulam S.BENEDICTI. Sed non credo ei hanc Regulam lectam nisi quatenus in Concordiâ Regularum subinde adducitur.

25. Octob.

Chronicon S. Maximi.

Fructuosus Bracarensis vtriusq, Regula parens.

Cæterùm, si coniecturis fas indulgere, non abhorrerem ab eâ sententiâ, quæ vni *Fructuoso* Bracarensi vtramq; hanc assignaret Regulam. Quod quidem video factum ab Auberto Miræo, qui cùm in nostro Regularum Indice legisset Regulã *S.Fructuosi Episcopi*; & Regulã alterius *Fructuosi*, in suo, tamen Elencho expressit: *S.Fructuosus Bracarensis in Lusitaniâ Episcopus, scripsit Regulas duas.* Causam investiganti, occurrit, quòd in Catologo Regularum sibi è Monasterio Corporis Christi Coloniâ transmisso, inuenisset vtramque Regulam Episcopi titulo prænotatam. Sed quâcumque id consideratione scripserit, nostræ suspicionis fine coniecturæ rationes depromamus. Dico igitur Regulam illam, quæ incipit. *Post dilectionem Dei & proximi* videri scriptam à *S. Fructuoso* nondum Episcopo, sed tantũ *Abbate* Monasterij à se fundati in

Vnam composuit ante Episcopatũ.

honorem SS. Matyrum Iusti & Pastoris; quorum in ipsâ Regulâ mentionem facit. Hoc enim ipsa Epigraphe innuere videtur: *Incipit Regula à Domino & Patre nostro Fructuoso edita in pace.* Vbi quòd Episcopi nomen non exprimatur, argumento est, eum tum necdũ eum gradum consecutũ: sed Monachorum suorum fuisse Dominũ, & Patrem, id est, Abbatem. Et verò in citato priuilegio Regis Chindasuinthi nominatur semper *Fructuosus Abbas monasterij*, quod *Complutum* dicitur, Fundator: cui Rex bona quædam tribuit *in opus*, vt ait, *Monachorum, Anachoretarum, Eremitarum, & omnium ibidem Deo seruientium.* Ex quo non malè forsitan collegeris, ibidem vixisse & Cœnobitas, & Anachoretas: Erat siquidẽ *S. Fructuosus* summus solitudinis amator & magnum Monachorũ numerum in illo Monasterio congre[illegible]uerat, posteà tamẽ desertum sibi adeò dilectũ petijt, & Monasterio S. Petri de Montibus initiũ dedit, vt tradit Yepez: qui etiam adiungit plurima à *S. Fructuoso* per totam Hispaniam excitata Monasteria: in omnibus autem fuisse tam Cœnobitas quàm Anachoretas. His igitur, similibusque hanc Regulam præscriptam apparet: eaque posteà *S. Fructuoso* ad Pontificalem cathedram assumpto, dicta forsitan fuerit *S. Fructuosi Episcopi*, & hoc nomine, vt vidimus, passim citata.

Pro Cœnobitis & Anachoretis.

Yepez. tom.2.anno 646.

Altera porrò, illa Regula cuius exordiũ est: *Solent enim nonnulli ob metum gehennæ.* Videri queat ab eodem iam Episcopo exarata; aut saltẽ alijs Monasterijs præscripta. Cũ enim statim primo capite reprehendat eos, qui *in suis ibi domibus Monasteria cõponere, & cũ vxoribus, filijs & seruis atque vicinis, cum Sacramenti conditione in vnum se copulare*, audent *& in suis sibi, vt diximus villis ex nomine Martyrum Ecclesias consecrare, & eas falso nomine Monasteria nuncupare*; quòd in ijs scilicet, suo arbitratu viuant; videtur, vt huic incommodo occurreret, talem digessisse Regulam, sub quâ cuiuscumque conditionis homines recipi, & degere possent; & talia erexisse Monasteria, in quibus salubriter id præstaretur, quod in illis pseudomonasterijs videbatur vtcumque prætendi. Nam ex Concilio Illerdensi discimus, laicos talium Monasteriorum erectione se studuisse ab Episcoporũ iurisdictione eximere; sic enim ait: *Si ex laicis quisquã à se factam Basilicã consecrari desiderat, nequaquã sub Monasterij specie, vbi cõgregatio nõ colligitur, à diœcesanâ lege audeat segregare.* Illa igitur Monasteriorum formâ proscriptâ, videtur *S. Fructuosus* hâc suâ Regulâ aliâ adinuenisse, quâ quibusuis Religiosi status ianuã aperiret. Nam 4. capite insinuat admitti posse liberos & seruos; diuites & pauperes: coniu-

Alteram scripsit cùm esset Episcopus.

Quâ occasione.

Quo ex Laicis.

Hac Fructuosi Regula quibus libet accommodata.

coniugatos & virgines, ſtultos & ſapientes, inſcios & artifices infantulos & ſenes. Et hos quidem etiam ſeptuaginta annorum, illos ſecundum ſeptem. Et ſexto capite modum recipiendi maritos cum vxoribus, & paruulis deſcribit, pueros intelligens & puellas: capite 13. vetat nimiam curam erga vxores, filios, & propinquos; & quia plura Monaſteria ſub hac degebant Regulâ; vult Abbates ſingulis menſibus congregari, & de communi obſeruantiâ inter ſe tractare. 16. capite de Monaſterio Puellarum agens, quales ibi fratres habitare debeant, definit: vbi & mentio Abbatiſſæ. Ex ſequenti deinde capite colligitur, quamuis diſtinctum eſſet monaſterium virorum à Puellarum, ſubinde tamen Fratres & Sorores ſimul audiuiſſe concionem, ſed diuiſis choris Poſt. Regulam ſubijcitur PACTVM, vt ibi vocatur; eſtque profeſſionis formula, quâ omnes ſe Abbatis & REGVLÆ obedientiæ aſtringebant, ſuumque nomen ſubnotabant.

Yepez anno Chriſti 546. & 646. Nigron. Tract. aſcet 12. cap. 2. num. 5. *Regula Fructuoſi explicat S. Benedicti.*

Ex quibus omnibus quid aliud colligas, quàm hanc Regulam ab alterâ longè eſſe diuerſam? & cùm non alio, quàm *S. Fructuoſi* nomine allegetur; probabili ſatis coniecturâ illi, non minùs quàm alteram poſſe attribui? Floruit autem *S. Fructuoſus* circa annum Domini 664. Vitam eius ex Valerio Abbate S. Petri de Montibus, & Paulo Diacono Emeritenſi, adfert Yepez Tom. 2. Chronici Benedictini; & Benedictus Gononus ex auctore incerto lib. 4. de vitis PP. Occidentis.

Regulam denique eius aſſerit Yepez eſſe quandam explicationem Regulæ S. BENEDICTI: Iulius quoque Nigronus cùm citaſſet S. BENEDICTVM, & eiſdem doctrinâ eruditum dixiſſet S. Iſidorum Hiſpalēſem, ſubiungit. *Ex eâdem ſcholâ puto fuiſſe S. Fructuoſum Epiſcopū, qui ſcripſit in ſuâ Regulâ, &c.* Benedictinis præterea annumeratur ab Arnoldo Wion, & Hugone Menardo. Quod quidem vt veriſſimum eſſe fatear, ita dicere non verebor, non ſatis id ſequi ex eo fragmento, quod ex tomo 5. Antiquarū Lectionum Henrici Caniſij adfert, in quo dicitur: *Plurimi nequaquam pleniter intelligentes iudiciorum ſententias in Regulâ* S. P. N. BENEDICTI, *aliter quàm præcipit, iudicare ſolent, &c.* Fragmentum enim hoc non eſt deſumptum ex Regulâ *S. Fructuoſi*, vt vtramque euoluenti liquido apparet: ſed cū in Appendice Pœnitentiali Halitgarij, Cameracenſis Epiſcopi, ſubiunctâ, teſtimoniū quoddam ex Regulâ *S. Fructuoſi* eſſet productū; eo finito à nouâ lineâ ſubiungebatur diſcurſus ille, qui incipit: *Plurimi nequaquā, &c.* quod etiam adiungitur duabus Regulæ S. P. N. BENEDICTI editionibus, ante cen-

Fragmentū Fructuoſo haud rectè tributum.

A tum annos impreſſis, hoc titulo: *Bonum notabile ſuper Regulam* S. BENEDICTI, *quod ſpectat & ſeruit Abbatibus & Prioribus ad rectè iudicandum.* Quod perperam putatum fuit ex *S. Fructuoſi* Regulâ depromptum.

NOTITIA REGVLARVM.

DISQVISITIO VIII.

De Regulâ S. Valerij.

Valerij Regula an aliis annumeranda.

INTER Regulas à Benedicto Anianenſi Abbate in Concordiâ Regularum citatas, enumerauerat pridem Hugo Menar-
B dus, libello de Origine & incremento Ordinis S. BENEDICTI, Regulã *S. Valerij*, quod ſecutus in ſuo Elencho Miræus; ait: *Valerij* Regula citatur à Benedicto Abbate in Concordiâ Regularum. Fortaſsè is fuit, qui S. Fructuoſo in Epiſcopatu Bracarenſi ſucceſſit, eiuſque vitam conſcripſit. Verùm in editâ iam Regularum Concordiâ, hoc corrigere videtur Menardus in Catalogo Regularum, hanc *Valerij* omittens, & pro eâ reſcribens: Citatur prætereà caput vnicum
C ex *S. Valerio* de generibus Monachorum: & de eo hæc ſubiungit. Hic *Valerius* natione fuit Hiſpanus, ciuitate Aſturicenſis (vt ipſe ſcripſit in ſuâ vitâ, quam refert Prudentius Sandouallius 1. parte fundationis Monaſteriorum n. 3.) appetijt Monachatum in Monaſterio S. Fructuoſi Complutico; ſed quibuſdam de cauſis, quas non profert, à propoſito deterritus, ſeceſſit in montem Vergidum, in ſolitudinem iuxta Caſtrum S. Petri. Variè exagitatus, ſæpè mutare ſedes coactus eſt. Tandem per multas tem-
D peſtates viginti annis variè tentatus & vexatus conquieuit in Oratorio S. Petri ædificato olim à S. Fructuoſo in ſolitudine Vergidi. Sed quia litteratus erat, Iſidorus Epiſcopus Aſturicenſis eum inde abſtractum Toletum ſecū ducere voluit inuitū; quod tamen morte interueniente Epiſcopi minimè perfectum eſt. Varia opuſcula compoſuit. Floruit circa annum Domini 675. Quod autem dicta *S. Valerij* à noſtro Auctore citata, ſint huius *Valerij*, ex illius
E verbis clarum eſt. *Et cùm in iſta vltima extremitatis occiduæ partis confinia rara videlicet & exigua pullularent ſacræ Religionis crepundia.* Quæ verba homini Hiſpano, eoque Aſturicenſi planè conueniunt. Hactenus Menardus.

Epitome vitæ Valerij.

Porrò Ioannes Mariana vocat eum Abbatem, qui, Wambâ Rege, Monaſterio S. Petri de Monte, quod S. Fructuoſus excitanerat, præfuit. Ex quo, ni fallor, noſter Wion, & Poſſeuinus hæc de eo tradunt. Valerius Abbas S. Petri Montenſis, Hiſpanus, vir doctus, & ſanctus, qui floruit anno 660. ſub Congregatione *Hiſpanicâ* Mauſtianâ, *Valliſclaræ* appellata, tum ſolutâ, tum

Mariana li. 6. reb Hiſp. cap 8. Wion lign. vit. l 2. c. 79. Poſſeuin. in Apparat. Sacro. *Fuit Abbas S. Petri Montenſis.*

NOTITIA REGVLARVM.

tum numeris astrictâ Oratione plurima ingenij sui monimenta reliquit, inter quæ exstat liber *de vanâ sæculi Sapientiâ*. Vitam ex eius Scriptis concinnauit Ambrosius Morales, & ex eo refert Yepez ad annum Christi 675. qui de eius Scriptis ibidem agit, sed Regulæ non meminit. De titulo autem Sanctitatis dicit, se eum ei tribuere, quod Gennadius, Asturicensis posteà Episcopus, in quodam lapide circa introitum Ecclesiæ S. Petri de Montibus eum scripserit Sanctum, & non imparem meritis Beato Fructuoso, quod & confirmatur ex eiusdem Gennadij testamento, vbi eodem nomine appellatur.

Moral. lib. 2. cap. 51.

Inter Sanctos habitus.

DISQVISITIO IX.

De Regulis Tarnantensis Monasterij: Cuiusdam Patris, & Serui Dei ad Sorores.

HAC Disquisitione nonnullas expendemus Regulas, quarũ Auctores, & Monasteria, in quibus seruatæ sunt, hactenus ignorantur. Primo loco occurrit *Regula Tarnantensis* Monasterij vel *Tarnatensis*, vt alij scribunt. Citatur in Concordiâ Regularum, & MSS. exemplaria S. Maximini Treuiris, & S. Pantaleonis Coloniæ, eam repræsentant capitibus 23. Exordium est: *Si quis fidei ardore succensus renuntians sæculo*, &c. Plurima habet ex S. Augustini Regulâ, nonnulla etiam ex Isidori Hispalensis. Vbi autem gentium hoc Monasterium situm sit, etiamnum inquiro. Quidam putant (inquit Menardus) Regulam esse celeberrimi illius Monasterij Agaunensis, quod in Heluetijs de nomine S. Mauritij, & Sociorum conditum est: eò quòd *Tarnadæ* locus, cuius meminit Antoninus Augustus in Itinerario, idem sit cum Agauno, horum Sanctorum passione celebrato; quod quidem probabile est, sed de eo ampliùs inquirendum.

Tarnantensis Regula.

Vnde sumpta.

Forte Agaunensis Regula.

Est deinde in supradictis libris manu exaratis Regula hoc titulo insignita: *Incipit* REGVLA *Cuiusdam Patris*; hoc initio: *Caueat lector bonus ne suo sensui obtemperet Scripturas.* Nullis capitum sectionibus est distincta, & citatur in Concordiâ Regularum. Videtur Auctor, qui ex humilitate latere voluit, desiderium animæ suæ consecutus; latet enim ipsius nomen, & Congregationis, cui Regula hæc præfixa.

Regula cuiusdam Patris Auctor latet.

Reperitur & alia REGVLA CVIVSDAM AD VIRGINES, quam Trithemius allegans, vocat SERVI DEI AD SORORES; constatque capitibus 24. Quorum primum est de Abbatissâ: vltimum porrò, quod est *de nutriendis infantibus*, imperfectum est, quòd folia quædam ex Codice essent excisa. In Concordiâ Regularum vltimo plerumq; citatur loco; & mutato fæminino genere in masculinum, quod etiam fit in S. Augustini, S. Cæsarij & S. Aureliani Regulâ allegandâ. Existimat Menardus hanc Regulam nihil aliud esse, quàm Regulam S. BENEDICTI ad vsum Sanctimonialium accommodatam, aut saltem; quod capite 42. Concordiæ §. 23. ait; ad eam pręreliquis magis accedere. Sed destitutus ipsa hâc Regulâ, non potuit eruditissimus Pater absolutum de eâ ferre iudicium: Sunt quidem in eâ nonnullæ S. BENEDICTI phrases & sententiæ, decreta quoque ab eius Regulâ non abhorrentia, (vt magna est Monasticarum legum similitudo) multa tamen occurrunt diuersa à S. BENEDICTO, atque aliter ordinata. Capitibus de Abbatissâ, Pręposita, & Portariâ nihil desumpsit ex ijs, quæ S. BENEDICTVS de ijsdem statuit officijs. Capite 14. decernit, vt binæ & binæ in eodem lecto dormiant, quod S. BENEDICTO contrarium est.

Trithem. lib. de propriet. Monach. cap. 1.

Serui Dei ad Sorores Regula.

Non conuenit ta multis cum Regulâ Benedictinâ.

Quis autem hic Seruus Dei, quæ Sorores, quod Earum Monasterium, quo tempore Regula hæc condita, quis nobis edisseret? Regulam hanc excipiebat fragmentum quoddam alterius Regulæ Sanctimonialibus itidem præscriptæ, in quâ nonnulla ex Pœnitentiali S. Columbani desumpta animaduerti. Deerat verò principium propter exsecta, vt diximus, folia. Vnicus in fragmento illo circa medium extat hic titulus: *De accedendo ad Deum prompto corde orandum.*

Fragmentum alterius Regulæ.

DISQVISITIO X.

De Regulâ Magistri.

RELIQVA est REGVLA MAGISTRI, admodum prolixa vt, quæ 96. complectatur capita. Frequenter citatur in Concordiâ Regularum, & Commentario Smaragdi, qui dum ex eâ sententias aduocat, hoc vel simili modo vtitur: *Dicit quidam Monachorum Magister.* Ipse autem Regulæ Auctor *Magistri* nomine non seipsum intellexit, sed eum de quo scriptum est: *Magister vester vnus est Christus*, vt patet ex Prologo, in quo ait: *Ergo Auditor, qui me audis dicentem, percipe quæ tibi non os meum, sed per hanc Scripturam loquitur Deus, qui te, dum adhuc viuis, conuenit de hoc, quod ei post mortem redditurus es rationem.* Et capitum inscriptiones ita concipit: *Interrogatio Discipuli. Qualis debeat esse Abbas? Respondet Dominus per Magistrum.* Quam scribendi formam idcirco fortassis delegerit, quòd animaduerteret S. Basilij Regulas per Inter-

Quis hic Magistri nomine intelligendus.

Matth. 23. 10.

terrogationes, & Responsiones decurrere; & *Magistri*, nomen à S. BENEDICTI exordio; *Ausculta ô fili, præcepta Magistri*, mutuatus sit. Exhibet enim ferè totam S. Patris BENEDICTI Regulam, quam ad verbum sæpe describit, nonnumquam paraphrasticè quædam adiiciens, & pluribus idem inculcans. Admixtæ autem sunt aliæ multæ obseruantiæ, quæ in Regulâ S. BENEDICTI, aliisue, quod sciam, non reperiuntur. Ad calcem Regulæ additur: *Explicit Regula Sanctorum Patrum.*

Qualis Magistri Regula.

De Auctore & tempore, certi nihil statuere possum: Nam, quod Trithemius ex hac Regulâ testimonium producit, tribuitque Vigilio Diacono, id superiùs Tractatu 5. Disquisit. 12. refutatum est. Amplectar proinde quã doctissimus Menardus suggerit coniecturam: vixisse, inquit, videtur circa tempora Clodonæi secundi, Francorum Regis, non multò post S. Gregorium magnum, quia vtitur vocabulo *Maioris domus*, quod tunc maximè erat in vsu. Gallus, aut certè aliquamdiu in Galliâ vixit: quia Phrasis illius Gallicum idiotismum sapit & quædam vocabula habet à Gallis vsitata. Suspicarer esse S. Benedictum Biscopium Anglum, sed ampliùs quærendum est.

Quis Auctor. *NOTITIA REGVLARVM.* *In stilo Gallizat.*

De codice autem, quem ex Corbeiensis Monasterij Bibliothecâ Menardus habuit, ait videri scriptum circa annum Domini 701. Nam ad calcem illius exstat Catalogus Romanorum Pontificum, scriptus eâdem manu litteris quadratis, desinitque in Ioanne VI. qui sedit anno 701.

TRACTATVS VIII.

DE REGVLIS

A Sæculo octauo vsque ad duodecimum scriptis.



PROPAGATA *in orbe terrarum* S. P. BENEDICTI *Regulâ, cessatum ferè fuit, à nouis excogitandis & conscribendis: cùm & Monasteria plura pristinis desertis Regulis, hanc vnam tamquam vniuersalem, amplecterentur. Quod nimirum Gregorius Magnus præcepisset*: Vt eam diligentissimè obseruarent quicumque ad Conuersionis gratiam accessuri essent, vsque in finem mundi. *Hinc rariores deinceps cùm occurrant Regulæ*; Octauo *hoc* Tractatu *plura complectimur Sæcula: easque Regulas producimus, quæ aliam etiam supponunt*. Primò *enim agimus, De Regulâ S. Theodori*. Secundò, *De Solitariorum Regulâ*. Tertiò, *De S. Cormaci, Regis Archiepiscopi & Martyris Regulâ*. Quartò, *Quærimus, An, & quam S. Dunstanus Archiepiscopus scripserit Regulam*. Quintò, *De Regulâ S. Petri Damiani.*

Ex Priuil. Sublac.

DISQVISITIO I.

De Regulâ S. Theodori Studitæ.



FVIT sanctissimus hic vir *Hegumenus* (vt à Paulo Diacono iuxta Meursij correctionem, vocatur) id est, Præfectus Monasterio *Study*: habuit verò Cœnobium hoc nomen à Conditore STVDIO, viro clarissimo, de quo suprà hoc libro egimus. Hic verò Theodorus ob Saracenorum incursiones, cum suis migrans Constantinopolim, à Patriarchâ rogatus, Monasterij *Study*, iã diutiùs Monachis destituti præfecturam suscepit; vnde *Studitæ* cognometũ est consecutus, vt refert Baronius ex Michaële itidẽ Studitâ monacho, qui de Mocasticis ab eodẽ scriptis REGVLIS hæc ait: *Edidit præterea* INSTITVTIONES *Iambicis versibus cõscriptas, quemadmodũ vnumquemque imperata facere oporteret. Quorum versuum contextus initiũ à Præposito ipso duceret: cùm deinde cæteros omnes ad infimum vsque percurrens, definit ac statuit, quibus pœnis, quibusue separationibus, aut genuflexionibus affici*

Theodorus Studita præest. *Tract. 5. Disp. 9.* *Baron. anno Christi 798.* *Michael in Vitâ S. Theodoti.* *Eius Monastica Regula.*

NOTITIA REGVLARVM. *affici debeat, qui ad diuinas laudes tardiùs venerit, qui vas confregerit, aut temerè proiecerit aut negligentiùs tractarit; qui fratrem, in re quâpiam offenderit: qui in loquendo modum excesserit: & linguæ frenum non adiecerit; quibus omnibus congruentes pro delicti modo pœnas imposuit.*

Porrò Monachorum numerum ad decem perueniſſe centenaria, idem Auctor vnus ex illis affirmat. Viuebant potiſſimùm ex manuum labore, & ſcriptione. Subdit deinde idem Michael, ſcripſiſſe B Theodorū *Magnum Catechiſticum tribus mēbris, ſeu partibus comprehenſum, qui egregia cœnobij Inſtituta ſigillatim declarat, diſciplinam tradens ſuprà quàm dici queat vtiliſſimam.* Obijt autem anno Chriſti 826. condito egregio teſtamento, quod adfert Baronius, in eo autem inter cætera ſic ait: *Confiteor inſuper Monaſticum ſtatum ſublimem eſſe & excelſum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget abſoluta vitæ perfectione, tum nimirum ſi ex diuini magnique Baſilij Aſceticorum legibus plenè exigatur, & non dimidiatâ ex parte, vt ſolent quidam, qui aliqua deſumunt, alia (vt placet) omittunt.* Subnectit deindè monita ad ſucceſſurum ſibi Præpoſitum, & ſubditos fratres: ex quibus vtcunque colligi poteſt, quid præter S. Baſilij Regulam, & LAVDEM, quam diximus, PERENNEM, in monaſterio illo obſeruaretur.

Theodori mors & teſtamentum.

DISQVISITIO II.

Quæ Solitariorum Regula?

DESCRIPTA & hæc cum reliquis inueniebatur Regula in Treuirēſi volumine MS. abſque nomine Auctoris, qui tamen in Prologo dicit ſe Regulam ſcribere SOLITARIORVM COENOBITARVM, & ex priſcorum Patrum floribus excerptam. Pleraque autem deſumpſit à S. BENEDICTO adijciens ſubinde aliqua de ſuo, ſed vbi occurrit nomen *Monachorum*, ſcribit ille *Solitariorum*, inſeritque ex quibuſdam Auctoribus exempla. Capita habet 67. vixiſſe autem videtur Auctor poſt Smaragdum, Regulæ S. BENEDICTI Commentatorem, cuius elegiacos verſus Commentario præfixos (quos eius eſſe Aimoinus aſſeruit) magnâ ex parte deſcripſit, ſed dum pro MONACHIS, ad metrum non attendens, repoſuit RETRVSOS; verſus nonnullos euertit.

Solitariorum Regula ex S. Benedicto & Patribus decerpta.

Aimoin. Serm. de S. Bened.

Occaſione huius Regulæ, quæ INCLVSIS, vt vocant, præſcripta eſt, opportunum fuerit eorum viuendi formam recludere. Qui de his eruditum conſcripſit Syntagma Matthæus Raderus, natales eorum ad ipſa Eccleſiæ primordia referre non dubitat: A cùm nimirum tyrannorum perſecutiones fugientes Chriſtiani, in latebras ſe & gurguſtia abdiderunt: & hanc immanitatem etiam Prodromum Chriſti in deſertum expuliſſe, multoſque Iudæorum coēgiſſe fugam capeſſere, de quibus Paulus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes anguſtiati, afflicti, quibus dignus nō erat mūdus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & cauernis terræ.* Sed quod initiū neceſſitatis fuit, poſteà, Deo animos permouente B pietati datum, & vltrò cæpêre, Dei amore, has latebras adamare & adire. Dicendum (inquit Raderus) poſterioribus ſæculis viros fæminaſque cum ſolemni cerimoniâ Deo initiatos, cultu religioſo velatos ab Epiſcopis & Præſulibus laribus incluſos, ex quibus ſe nunquam egreſſuros, ſacramento votoque iurati âſtrinxerunt.

Inclusorum antiquitas, & orig.

Hebr. 11.

Sanè, vt in noſtro S. BENEDICTI Ordine, nullum non ſeuerioris exercitationis genus viguit, ita hoc de quo agimus, à pluC ribus, diuerſis locis, & temporibus, religioſiſſimè cultum reperitur. Nam quia in ipſo Regulæ aditu Anachoretarum, & Eremitarum, qui ex Monaſterij probatione diuturnâ ad ſingularem eremi pugnam deſcendunt, mentionem Legiſlator facit; plurimi & hoc perfectionis culmen conſcendere conati ſunt. Inde eſt, quod in Mōtibus, ſiluis, vel etiam inſulis, Monaſterio erecto, circumquaque eremiticas ædificauerint cellulas, quibus *incluſi*, totoque à D cordibus excluſo mundo, ſederent ſolitarij, & tacerent, leuantes ſe ſuper ſe. Id verò cùm in ciuitatibus vix fieri poſſe videretur; ingenioſa pietas modum adinuenit, quo in medijs cœnobijs exiguo cubiculo, & vnius cellulæ anguſtijs INCLVSI, Ægypti & Paleſtinæ ſolitudines minimè deſiderarent. Prælucebat nimirum illis, & Regulæ, quam dixi, auctoritas, & ipſius Regulæ conditoris exemplum: quem triennio in arctiſſimâ ſpecu vitam tranſegiſſe non E ignorabant. Fuiſſe quoque illi diſcipulum *Marcium* nomine, qui teſte Gregorio, *In monte Marſico ſolitariā vitam duxit, multiſque annis in ſpecu anguſtiſſimo* INCLVSVS *fuit.* ET INCLVSIONIS ſuæ tempore decreuerat mulierem non videre.

Incluſi in S. Benedicti Ordine viguit.

Etiam in vrbibus.

Quo impulſu.

Greg. 1. Dialog. cap. 16.

Marcius Incluſus.

Hic cùm primùm ſe in eundem montem contulit, necdum CLAVSO *ſpecu habitans, catenā ſibi ferreā pedem ligauit, eamque ſaxo ex parte alterā affixit, ne ei vltrà liceret progredi, quàm catenæ eiuſdem quantitatis tendebatur. Qui dum ſe poſtmodum in eiuſdem loci ſpecu* CONCLVSISSET, *capit etiam diſcipulos habere.*

Ecce tibi hîc, ipſo adhuc viuente S. BENEDICTO, INCLVSVM, illiuſque obedientiæ ſubditum: quod inſtitutum à pluribus deinceps, varijs locis obſeruatum fuit. *Baſolus*

Catalogus Incluſorum Benedictinorum.

Baſolus.

ſolus enim vt Flodoardus l.2.Hiſt.Rhem.c.3.auctor eſt,ex Cœnobitâ in contigui Mõtis cellulâ per XL. annos INCLVSVS, Deo militauit. In quâ INCLVSIONIS habitatione, ei ſucceſſit *Balſemius*.Iuxta Criſpinium Ioanni INCLVSO, de licentiâ Abbatis ſucceſſit *Aibertus*,teſte Molano in Fuldẽſi Monaſterio, *Amnichadum* ſecutus eſt *Marianus Scotus* decem annis ibidem INCLVSVS,prout ante duobus,Coloniæ,& Mogũtiæ poſtea quindecim; vt Trithemius auctor eſt. *B.Caluppanus* vt Gregorius Turonenſis lib. de vit.Pat.c.13. ſcribit,haud procul à Monaſterio degit in ſcopulo.*S.Eparchius* obtẽtâ Abbatis ſui licẽtiâ,ab Epiſcopo,præſente Archidiacono & Archipresbytero ſolenniter fuit RECLVSVS;vt ex Breuiario,& antiquis MS.Codicibus Monaſterij Eugoliſmenſis, refert Gononus. *Cellulam Maiari Monaſterio propinquam de quâ Alaricus quidã receſſerat, deuatus acceſſit: ibique ſeipſum.* S. Leobardus INCLVSIT,ait Gregorius Turõ. de vitis PP. cap. vlt.Vide eundem c.13.de *Lupicino* RECLVSO,per modicam feneſtellã parum panis vel aquæ accipiente.Libro de Gloriâ Confeſſorum c. 86. Meminit idem *Deſiderati* Presbyteri, apud Monaſterium Gurthonenſe vſquequaque RECLVSI, nec è cellulâ egredientis.*Seuerinus* apud Lutetiam Pariſiorum Monaſticam vitam amplexus, vt multò faciliùs & liberiùs diuinis vacaret obſequijs, & rerum cæleſtium contemplationi: cellâ ita ſe CONCLVSIT, vt omnium hominum conuictum & conſpectum vitaret.Ita Gononus ex Breuiario Pariſienſi. Apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij occurrit, RECLVSIO *Columbani* Abbatis Hibernienſis, viri ſanctiſſimi, in cœmeterio Gandenſis Cœnobij.Quin *S.Bettelinus* diſcipulus S.Guthlaci, multis annis iuxta Monaſterium Croylandenſe in CELLA vixit, concedente Cenulpho Abbate,vt narrat Ingulphus Abbas in hiſtoriâ Croylandenſi. In S. Medardi Monaſterio,hoc RECLVSIONIS Inſtitutum egregiè ſectati ſunt *Ereboldus* & *S. Arnulphus* Sueſſionẽſis poſtea Epiſcopus.Pariſijs in S. Dionyſij *Sigobertus*, vt conſtat ex Aimoino,de Geſtis Francorum lib.4.cap.57.

Sed ſtupenda prorſus,& miranda potiùs quàm imitanda fuit *S.Paterni*,apud Monaſterium Paderbornæ INCLVSIO.Hic vrbis incendium prædixit,cum quâ in cellâ ipſe cõflagrauit: ne ab INCLVSIONIS propoſito dimoueretur,reclamantibus etiam Monachis, qui cellam eius circumſedebant.Auctores ſunt Mariannus Scotus lib. 3. Chron. Sigebertus ad an. 1058. Ioannes Trithemius in Chron. Hirſaugienſi. Quod quidem inuſitatum facinus S.Petrus Damiani Dei iudicio permittit.Sed miracula ad eius ſepulchrum ſacta,peculiarem Spiritus ſancti inſtinctum viro ſancto adfuiſſe declarant.S.Petrus Cluniacenſis *Giſlebertum*,Ordinis ſui Monachum,peculiari & ſatis longâ inſtructione informat lib.1.Epiſt.20.

Sed quorſum hîc tam prolixum INCLVSORVM conteximus Catalogum? vt ex his, ſcilicet,quos Ordinis noſtri fuiſſe conſtat, intelligatur, quàm familiare ei fuerit hoc Inſtitutum, tam crebrò & tam varijs locis vſitatum. Vigente igitur tali conſuetudine, voluerit hic Auctor eis peculiarem Regulam ſcribere,vel potiùs totam S.BENEDICTI Regulam eis accommodare, adiunctis aliundè varijs inſtructionibus: ijsque præſertim, quæ RECLVSIS ſunt propria: Quæ ſanè non nihil delibaſſe iuuabit.

Primò igitur vocat hanc Regulam SOLITARIORVM COENOBITARVM,quòd diſtinguit contra Eremitas ſolitarios. Triplici autem ratione vocantur Cœnobitæ. Primò, quia ſuſcipiendi iuxta S. BENEDICTI, & aliorũ Patrum doctrinam, debent priùs in Congregatione per aliquot annos fuiſſe exercitati. Atque ita de his ipſis INCLVSIS Concilium VI. in Trullo, can. 41. ſtatuit. *Eos*, inquit,*qui in vrbibus vel vicis, in* CLAVSVRIS *volũt ſecedere,& ſibi ipſi ſeparatim,ſeu in ſolitudine,attendere,prius quidem in Monaſterium ingredi oportet, & anachoreticam hoc eſt, ab alijs ſeparatam, ac ſemotam viuendi rationem exercere, & ſpatio trienny, ei qui manſioni præeſt, in Dei timore parêre, & obedientiam in omnibus vt æquum eſt, implere, & ita eius vitæ eligendæ inſtitutum profitentes, & quod eam ex toto corde ſuâ ſponte amplectuntur, ab eius loci præſule examinari: deinde ſic alio anno extra* CLAVSVRAM *fortiter ſe gerere, vt ſcopus eorum euadat manifeſtior. Poſt tanti autem temporis complementum, ſi in eodem eligendi vitæ inſtituto permaneant,* INCLVDI *ipſas, & eis non ampliùs licere, quando etiam voluerint, ex tali manſione egredi, præterquàm ſi propter communem vtilitatem, vel aliam neceſſitatem ad mortem vrgentem, ad id trahantur,& ita cum benedictione eius loci Epiſcopi.* Hæc ibi. Secundò vocantur Solitarij Cœnobitæ quòd *nullo alio loco* hoc religionis propoſitum à quoquam velit aſſumi, niſi in Cœnobiorum Congregationibus. Tertiò, quia non minùs quàm duos vult eſſe ſimul; ita tamen vt ſinguli ſint in ſingulis cellis.

Secundò ſtatuit eadem Regula, vt *ſine licentiâ & conſenſu Epiſcopi, aut Abbatis proprij, in quo idẽ frater educatus fuit, nihil omnino de hac re fiat.* Decretum id iam pridem fuit in Concilio Toletano VII. can.5. Cùm enim cæpiſſent & hi INCLVSI ad ſe venientes inſtruere, & rem tam ſanctam ex vanâ quâdam

Balſemius. Aibertus. Amnichadus. Marianus Scotus. Natal. SS. Belg. 2. Maij. Trith. lib. 2 Vir. Ill. Ord. S Bened. ca. 95. *Caluppanus Eparchius.* Gonon. Append. ad Vit PP. Occid. *Leobardus. Lupicinus. Deſideratus Seuerinus.* Molan. 2. Februar. *Columbanus. Bettelinus.* Vide vitam apud Sur. tom. 4. *Arnulphus. Sigobertus. Paternus Incluſus incendio abſumitur.* Pet. Damian. Apologet. ca. 6.

NOTITIA REGVLARVM. *Giſlebertus. Ratio huius Catalogi. Regula Solitariorum expenditur.* Cap. 1. *Debent fuiſſe Cœnobitæ.* cap. 15. cap. 17. ibid. *Recludantur licentia Epiſcopi.*

NOTITIA REGVLARVM. dam appetere gloriâ; decreuerunt illos, *quos nulla vitæ dignitas ornat, sed (quod est deterius) & ignorantia fœdat, & morum execratia turpat, ab his abijci* CELLVLIS *atque locis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur* INCLVSI: *atque ab Episcopis, siue Rectoribus Monasteriorum, ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate consistunt, in Monasterijs omnino deputari.*

Conc. Tolet. 7. can. 5.

Cap. 15. Promittunt Stabilitatē. Tertiò præscribitur, vt *suscipiendus in Oratoria coram Episcopo, & omni Clero, promittat verbis tantùm de stabilitate suâ, vel conuersione morum suorum. Post ingressionem autem, præcipiat Episcopus ostium* RETRVSIONIS CELLVLÆ *apostrofissimo suo sigillare.* B

Cap. 16. Cellula Inclusorum quales. *Quartò*, cellulam ita describit: CELLVLA *igitur* RETRVSIONIS *debet esse exigua & firmißimis vndique munitionibus circumsepta, quatenus ne* SOLITARIO *foras euagandi facultas maneat, ne cuiquam ad eum, quod non decet, introeundi aditus pateat. Vt autē omnis abstruatur necessitatis accasio, habeat interiùs præparatas suis vsibus habitationes necessarias. Hoc est,*

Oratorium. *Oratorium ab Episcopo consecratum, si tamen ipse Solitarius est Sacerdos. Idipsum quoq; oratoriū ita sit domui Ecclesiæ contiguum, quatenus idem Solitarius per fenestram eiusdem Oratorij possit ad Missam per manus sacerdotum oblationes offerre, & cantantes, ac legentes Fratres congruè audire, atque simul cum eis poßit psallere, etiam aduenientibus, quibus ibidem valeat responsa dare. Sint etiam ante ipsam fenestram dcintus & deforis vela obpansa, ne facilè à foris videri, vel videre queat.* Tales autem fuisse cellulas eorum, quos enumerauimus, animaduertere licuit. Et Petrus venerabilis suo Gilleberto ait: *Obserata quidē est ianua, vel fortè lapidibus obturata: sed per angustum fenestellæ aditum recipit, quidquid per astūs latitudinem admittit.* C D

Petrus Ven. lib. 1. Epist. 20.

Cap. 16. Hortus. · Quintò, pergit Regula hortulū assignare exiguum *intra ipsa* RETRVSIONIS *septa, in quo per tempus exire, & aliqua olera plantare vel colligere, atque ab aere tangi poßit.* Petrus Cluniacensis suo vetat, ne quid accipiat vt

Paupertas. pauperibus illud eroget, sed remittat illos ad Priorē; à quo victum sobrium, & vestitum non superfluum debeat præstolari.

Camaldulensium duplex reclusio. Hactenus ex scriptoribus antiquis de latentis huius pietatis Instituto: quod quidem (ne omninò excidisse putetur) etiamnum viget inter Eremitas nostros Camaldulenses, vt ex eorum Constitutionibus patet, in quibus RECLVSIO hæc à B. Romualdo inter ipsos adinuenta scribitur, & aliam esse ad tempus v. g. decem dierum, aliam perpetuam. Priorem illam Maior nō permittere dumtaxat, sed ad eam capessendā Eremitas exhortari debet: quòd si omnes eam postulent, designandi quatuor, qui diuinum in templo persoluant officium. De secundâ hæc carptim accipe. Ante-

Constit. Camal. fol. 134.

Fol. 134.

quam perpetuò RECLVSVS in suâ recluditur cella, celebrat pro eo Maior Missā de Spiritu sancto, cui Eremitæ omnes intersunt. Finito Sacro, instituitur processio cum cruce, thuribulo, & aquâ Benedictâ: leguntque VII. Psalmos Pœnitentiales. Incedit recludendus à sinistris ipsius Maioris, & cum alijs pijs ritibus deducitur ad cellam. Hi tales perpetuò RECLVSI, se, quod viuendi modum spectat, in omnibus conformant cæteris Eremitis, quantum quidē ipsa reclusio permittit: & integrum quotidie dicunt Psalterium, licet eis quasuis austeritates petitâ, etsi non obtentâ Maioris licētiâ, aggredi, idque ex indulto Apostolico. Nō vtuntur tibialibus. Feria V. in Cœnâ Domini accedunt ad Missam conuentualē, & reliquos quantumuis seniores, loco præcedunt.

Ibid. Fol. 136. Ritus perpetuæ inclusionis.

Qui se gerant perpetuo Reclusi. Fol. 139.

141.

143.

144.

Atque hæc de Camaldulensibus, qui in suâ Eremo, eam, quam alij in Monasterijs, atque in ipsis etiam ciuitatibus, exercent clausurā. De quibus Raderus, hi sunt, qui medijs vrbibus, extra vrbes, in mundo extra mundum, mortui ante mortem, & ante sepulturam quodammodò sepulti, tenebris & turribus, & spelæis & cōditorijs, ædiculis & casis, quas *clausuras* appellabant vel *inclusaria*, conclusi, qui non solùm omnia corporis gaudia à se excluserunt, sed corpora ipsa intra angustias septorum, & claustra domorum incluserunt, vbi in vmbra mortis de morte præsenti, & futurâ vitâ meditabantur.

Raderus Virid. SS. part. 3. ca. 5. Inclusi paraphrastice describuntur.

De his propter Deum voluntariè incarceratis, & maximè liberis, illud vsurpare meritò possis, quod de Martyribus olim Tertullianus dixit: *Segregati estis à mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundū carcerem esse, exisse vos à carcere quàm in carcerē intraisse intelligemus. Hic vacas à scandalis, à tētationibus à recordationibus malis, iā & à persecutione. Hac præstat carcer Christiano* (cella Religioso) *quod eremus Prophetis. Etsi corpus* INCLVDITVR, *etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, & non spatia opaca aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam quæ ad Deum ducit. Quoties eam spiritu deambulaueris toties in carcere non eris.* Ita Tertullianus. S. quoque Basilius vocat cellam RECLVSIONEM corporum, libertatē animarū. Audiamus hîc pium Scriptorem, Thomam à Kempis: *Si mäseris stabilis, citò vertetur carcer tuus in paradisum voluptatis. Sancti in carceribus pro Christo detenti, ab Angelis sanctis frequenter sunt visitati, & abundantius consolati. Tu quoque si te in cellâ patienter pro Christo clauseris, veniet tibi citò (Deo miserante) lumen celitus, bona conscientiæ gaudium, & magnum spiritualis profectus lucrum.* Sic ille. E

Tertull. lib. ad Martyr. cap. 2.

S. Basil. de laud. Erem.

Thom. à Kemp. de discipl. claustral. cap. 7.

Inclu-

Thren. 3. *Sedere Solitarijs proprium.* Pallad. in Lausiac. cap. 42.

Inclusis his Vel maximè propheticum illud conuenit: *Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit supra se.* vbi notandũ *Sedendi* verbum frequens Monasticis Scriptoribus, ad quietem Anachoretarum indicandam. *Sedebat* Pachomius *in cellulâ*. Stephanus *Sedit annos sexaginta*: Pitirum *sedebat in porphyrite.* &c. ait Palladius. Sed ea esse debet prudenter INCLVSI sessio, vt incluso quidem angustijs tugurioli corpusculo, mens aliò non diuagetur, sed indefessâ meditatione, indiuulsisque sensibus in Deũ rapiatur. *Monachus* inquit B. Hieronymus *se talem esse non loquẽdo aut discursando, sed tacendo & sedendo nouerit.* Quod magis illa innuit phrasis, *Sedere apud semetipsũ. Perfecti,* aiebat Pachomius, *nõ habẽt opus Regulis sed cum apud se,* καθ' ἑαυτοὺς, *sedeant in cellulis suis, vitã totam contemplationi Dei addicunt.* Apud se dixit, vt Sozomenus de B. Martini anachoresi, καθ' ἑαυτὸν διέτριβε *apud seipsum sedit*; non circumtulit in varia animum, sed sibi illum præsentem semper esse coegit. quæ vera est contemplatio. Nimirum hoc est *habitare secum,* quod alibi expendimus.

Hieron. in Regul. Monach. cap. de contempla. per Lupum Oliuet collecta. Pallad. in Lausiac. c. Sozom. l. 3. cap. 13.

Ad vit. S. Bened. c. 3. num. 8.

Ceterũ, vt quæ INCLVSOS hos spectant, hic simul reddamus, adfert Raderus in Bauariâ Sanctâ aliam perbreuem, siue Regulam, siue viuendi formulam ex MSS. membranis Paumburgensis Monasterij, quam hîc ad verbum repræsentare visum, in gratiam antiquæ pietatis studiosorum. Est verò talis:

ORDO INCLVSORVM.

IT A scribitur secundum consilium S. BENEDICTI, *quicumque seruauerit Ordinem illum, sciat se sine dubio saluandum; sed si quis introierit, & non perseuerauerit, sciat se damnandum.*

Quicumque vult esse INCLVSVS, *prouideat sibi locum competentem & idoneum vt die noctuque* [a] *seruitiũ Dei possit habere & audire; & quod Pastor Ecclesiæ tantus sit, quod de scientia, ætate & discretione, sciat & velit regere.*

[a] Sacrificiũ missæ Den Godis dienst. horasque canonicas.

Inclusi domus qualis.

INCLVSA, *id est, domus* INCLVSI; *debet esse lapidea, longitudo & latitudo in 12. pedes habeat, tres fenestras, vnam contra chorum, per quam corpus Christi accipiat; alteram in opposito, per quam victum recipiat; tertiam vnde lucem habeat, quæ semper debet esse clausa vitro vel cornu.*

Fenestra per quam recipit victum, debet asserem habere, & vitrum simul iuncta, quod per vnum claudatur & aperiatur: quia nemo inspicere debet, nisi quantum potest per vitrum, nec ille deintus respicere.

NOTITIA REGVLARVM.

Tria vasa habeat, ollam, nappam, & Ciphum.

Refectio.

Post Tertiam ponat ollam & ciphum per fenestram, & claudat: circa Nonam veniat & videat, si prandium ibi sit, si est, sedeat ad fenestram, comedat & bibat, quo peracto, quidquid superest, dimittat ei qui sumat, & non habeat curam de crastino; sed si ita euenerit, quod non habet prandere, Deo gratias consuetas non obmittat, & in secundam diem sic permaneat.

Vestis.

Tunicam & cappam habeat, in quibus vadat & dormiat, & si necessitas compellit tempore hiemali, de gratiâ Pastoris sui pellicium ferat, quia ignem non debet habere, nisi quantum candela capere potest.

Pambicium habeat & miranimum puluinar

Tumulum sibi præparet.

Ieiunium.

Tres dies in pane & aquâ ieiunet; scilicet secundâ & quartâ & sextâ feriâ, reliquos dies comedat ferculum vnum quadragesimale, & si habeat pira vel poma.

In die Dominicâ & in summis festiuitatibus lac comedat.

Silentium habeat.

De nonâ vsque ad vesperam, si vult, loquatur.

Precationes.

Omni die septies quinquaginta Pater noster *dicat, cum totidem* * *Veni Sancte Spiritus* (hæc duo verba ex coniecturâ sic legimus, quia penitus exoleuêre) *dicat, quantum possit in honore B. Virg. Mariæ, omniumque Sanctorum, & pro remedio animarum: si sciat Psalterium, dicat omni die nocturnum, sin autem, trecenta Pater noster.*

* Aue Maria.

Omni die Dominicâ communicet.

Hæc siquidem inclusorum vita, de præmio securus erit. Sed & alia vita INCLVSORVM *supra* VIAM (vt conijcimus, quia legibile non est) * *quancumque septa sit ædificatio diuinam merebitur remunerationem.*

* Quandocumq. cœpta.

Atque

NOTITIA REGVLARVM. Atque hæc ex illo codice MS. Raderus. Porrò hic notanda est consuetudo vetus, quæ in cœnobijs S. BENEDICTI diu viguit, vt iuxta monasteria virorũ essent quædam cellulæ, quas CLVSAS, seu INCLVSORIA nominãt. In quibus vna Sanctimonialis, vel plures includerentur sub potestate Abbatis; ad quas ei soli patebat aditus. Id videtur apud Dodechinum in Appendice Mariani Schoti ad annũ 1136. vbi id legitur de S. *Iutta*, quæ fuit INCLVSA in Monte S. Disibodi, propè monasterium eiusdem sancti; apud Hermannum Contractum, vbi sancta *Viborada* virgo & martyr, & *Rachildis* dicuntur INCLVSÆ apud monasterium S. Galli ad annum 925. Beata quoque *Adundina* fuit primò Sanctimonialis Virduni: deinde RECLVSA in cœnobio S. Vitoni eiusdem vrbis, vt habetur in actis S. Popponis Abbatis, apud Surium. Agit de his pluribus Trithemius in Chronico Sponheimensi; & monasterium, quod CLVSA vocatur, hinc nomen habere dicit, quod olim ibi Virgines RECLVDERENTVR, & exempla plura recenset: atque de suo monasterio Sponheimensi ait: *Bernhelmus, primus huius loci Abbas in pede montis declivi ad occidentalem huius monasterij plagam, cœnobium paruum construxit, in quo Mechthildem sororem suam apud S. Albanũ priùs* INCLVSAM, *propter amorem vitæ cælestis, cum aliâ quâdã Sophiâ nomine* RECLVSIT. *Fuerunt & in eodem* RECLVSORIO *multis annis sibi inuicem succedentes Virgines complures, sanctæ atque deuotissimæ, quarum nomina scripta in cœlo non dubitamus; sed hodie apud nos præter nomen loci, quod* CLAVSA *ab* INCLVSIONE *Virginum olim tibi dem habitantiũ appellatur, nullum cœnobij aut structuræ vestigium cernitur.* Hactenus ille.

Menard. Obseruat. lib. 2. die 14. Ianu. *Clausa Moniales iuxta cœnobia virorum.*

Infra.

Viborada, & Rachildis.

Adundina.

Ann. 1130. *Clusa Virginum clausarum.*

Ann. 1136.

Demum hodieque in Belgio plures Virgines varijs locis RECLVSÆ: & jam olim Dionysius Carthusianus tali alicui librum scripsit: De VITA INCLVSARVM, qui exstat inter eius Opuscula.

DISQVISITIO III.

De S. Cormaci, Regis, Archiepiscopi, & Martyris Regulâ.

Cormaci Regula monastro Hibernice scripta.

EX vltimâ Hiberniâ, vltimam quam nanscisci licuit Regulam, hic exhibemus, nono sæculo scriptã. Ea est S. CORMACI, qui ex Rege Momoniæ Monachus, & ex Monacho Archiepiscopus Cassellensis, in Hiberniâ factus, composuit REGVLAM, seu Methodum religiosè viuẽdi, metricè, & Hibernico idiomate conscriptam: quæ exstat in Conuentu Fratrum Minorum strictioris obseruantiæ Louanij. Et incipit sic: *Sambadh bnan, bri athar iseal, &c.*

Hic autem *Cormacus* est diuersus ab alio Cormace, Rege itidem Momoniæ, & posteà Monacho; quem mirificè laudat S. Bernardus in vita S. Malachiæ, cap. 3. & sequẽtibus. Ille etenim de quo agit S. Bernardus, licet fuerit vir sanctus, Rex Momoniæ, & posteà Monachus; non tamen fuit Episcopus, vel Martyr, vti Auctor REGVLÆ, de quo loquimur. Item floruit tẽpore S. Bernardi circa annum 1120. *Cormacus* verò Episcopus circa annum 890. & martyrium passus est anno 903. vt habent Annales Hiberniæ, eiusque festum celebratur 15. Septemb. iuxta B. Marianum, in suo Martyrologio Hibernico.

Cormacus ab alijs eius nominis discretus.

Est etiam diuersus ab illo Cormaco Rege Momoniæ, & viro sancto; cuius mentionem in visione Tundali cap. 17. facit Vincentius Bellouacẽsis lib. 26. cap. 88. & Dionysius Carthusianus, de quatuor Nouissimis, art. 49. & lib. de iudicio Animæ ar. 21. Tundalus enim in istâ visione cap. 17. dicit se, dum vterque viueret, familiariter egisse cũ Rege Cormaco, cuius ibi facit mentionem, tanquam cũm suo Domino. Sed Tundalus floruit ann. Christi 1149. vt ex opusculo de eius visione cõstat, & scribit Gesnerus in suâ Bibliothecâ, Posseuinus in Apparatu, Eisingrenius, & alij.

Denique hic Regulæ Auctor mansit semper purissimus, & virgo; alter de quo in visione Tundali, minimè vt ex eodem opere cap. 17. constat.

Cormacus Virgo mansit.

Existimo tamen eundem esse, de quo in visione Tundali fit mentio, & quem in vitã S. Malachiæ laudat S. Bernardus, quia circumstantiæ temporis, regiæ dignitatis, vitæ sanctitatis ita comprobant.

DISQVISITIO IV.

An, & quam S. Dunstanus, Archiepiscopus Cantuariensis, scripserit Regulam.

VIR hic sanctissimus Monasticũ habitum, vt Osbernus in eius vitâ testatur, Wintoniæ à B. Elphego Episcopo accepit. Inde Glastoniam se contulit, ibiq; vitã solitariã egit; posteà verò illius Monasterij Abbas est constitutus. Assumptus deinde ad Episcopatum Wigorniensem, & mox Londinensem, denique Cantuariensis Archiepiscopus creatus est. Inter alia quæ scripsit, enumerat etiam Pitsius Librum vnum *De* REGVLA *vitæ Monasticæ*, (siue vt alij loquũtur) REGVLAM VITÆ MONASTICÆ. Eiusdem quoq; meminit Baleus, Centuriâ 2. Et Eduardus Mahieuw, qui de eâ hęc annotat. Quod REGVLAM MONACHORVM ab ipso compositam spectat, videtur illa tempore S. Anselmi magnæ fuisse æstimationis. Eam siquidem adhuc Prior Beccensis cœnobij, à B. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, his verbis expetijt: Audiut

Dunstani Monachatus.

Regula Monastica.

Mahieuw in trophęis Anglic. Tab. 5. cap. 66.

In pretio habita. Anselm. lib. 1. Epist. 31.

Audiui quòd S. DVNSTANVS REGVLAM VITÆ MONASTICÆ instituerit: Si igitur sic se res habet, vellem libenter famosam vitam, & INSTITVTA tanti Patris videre. Ne verò hæc eius petitio aliquâ ratione negligeretur, eodem tempore etiam ad Mauritium Monachum,

Idem eod. lib. Epist. 14.

in hunc modum scripsit. DE REGVLA SANCTI DVNSTANI *scripsi Domino Archiepiscopo. Tu tamē insta Domino Henrico, & Domina Gundulpha ex nostrâ parte, vt eandem* REGVLAM *mihi debeant accommodare.*

Incertum qua Dunstani Regula.

Quænam verò hæc sit REGVLA, non satis constat; suspicari licet, REGVLÆ *S. Dunstani* nomine appellatam fuisse *Regularem Concordiam Anglicæ nationis Monachorum Sanctimonialiumque*, tempore Eadgari Regis concinnatam: in cuius Præfatione mētio fit *S. Dunstani* Archiepiscopi. Ea verò Cōcordia aliud nihil est, quàm Abbatum & Monachorum per Angliam conuentio de seruandis secū-

Forsè Concordia.

dùm Regulam S. BENEDICTI iisdē ritibus, & consuetudinibus; quod in Cōcilio Wintoniensi pariter decreuerunt, vt patet ex ipsâ *Concordiâ*, quæ edita est à Clemente Reynero 3. parte Appendicis libri, qui inscribitur *Apostolatus Benedictinorū in Angliâ*, Scriptura 55. eamque nomine *Statutorum S. Dunstani* in his Disquisitionibus non rarò citamus. Sunt enim *Statuta* Regulæ S. BENEDICTI superaddita, & receptam in Angliâ praxim explicantia, cui conformia vtcumque sunt, quæ ad calcem einsdem libri habētur S. Lanfranci *Statuta*. Obijt *S. Dunstanus* anno Christi 988. vt scribit Maihieuw: quamuis alij paulò serius eum excessisse tradant.

DISQVISITIO V.

Quæ S. Petri Damiani Regula?

Petri Damiani laus.

PETRVS cognomento DAMIANI, vel vt ipse se ex humilitate nuncupare solet, PECCATOR, ex Monacho S. BENEDICTI Episcopus Ostiensis, & S. R. E. Cardinalis, vir fuit sanctissimus, & Monasticæ Solitudinis ac rigoris amantissimus. Plura illustrandæ Dei Ecclesiæ, & proximorum vtilitati scri-

Antonin. p. 2. Sum. hist. tit. 16. c. 8.

psit: inter cætera etiam, vt refert S. Antoninus, *de Perfectione Monachorum: Item scripsit*

Regula Eremitica.

REGVLAM *Eremiticam, & de Ordine vitæ Eremiticæ.* Sic etiam vocat Harimannus Schidelius in historiâ vniuersali, ad annū Christi 1068. Trithemius lib. 2. de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, vocat REGVLAM *Eremitarum & Inclusorum.* Idemq; lib. 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis, vocat REGVLAM *Solitariorum*, quæ incipiat: *Dum seruorem sanctæ*

Bergomen. lib. 12. ann. Christi 1070.

conuersationis &c. Eodem nomine nuncupauit Iacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum, editionis secūdæ,

Posseuin. in Apparat. Sacr. tom. 2.

& Petrus Recordatus, Diario 4. Historiæ Monasticæ. Posseuinus verò hunc librum

A ita recenset, *De Ordine Eremitarum, & facultatibus Eremi fontis Auellani, vbi describit* REGVLAM, *ad cuius præscriptum, se defuncto, cupiebat vt Eremitæ fontis Auellani viuerent.*

Notitia Regularum.

Est autem hæc Regula inter edita eius opera Opusculum 14. eodem, quo Posseuinus scripsit, insignitum titulo: cui etiam ex ipsius Auctoris mente, REGVLÆ nomen præscribi possit, quod ipse non semel in eo libello vsurpat, cùm dicit: *Viuēdi autem* REGVLA *hoc nostra tempore talis est.* Et; *per nomen te diuinæ Maiestatis obtestor, vt ab huius obseruantia* REGVLA *cum his qui tibi subditi fuerint,*

Quam ipse agnoscit.

B *non declines.* In eodem porrò Opusculo manifestè insinuat ab Eremitis suis etiam REGVLAM S. BENEDICTI seruatam.

Et alibi exponit.

Opusculum 15. de suæ Congregationis Institutis ad Stephanum Monachum, eandem Regulam, sed paulò fusiùs, exponit; vbi statim in principio appellat *Eremiticæ vitæ* REGVLAM, cui saluberrima admiscet monita. Habuisse verò Monachos Monasterij S. Crucis, & Congregationis fontis Auellani peculiarem amicitiam, eiusdem Monasterij monimenta antiquissima, & Pe-

C trus Recordatus in historiâ Monasticâ, Diario I. fidē faciunt. Vsi enim sunt indumentis albis, & cærulei coloris pallio. Quem habitum gestauêre B. Landulphus Congregationis illius Fundator, & B. Petrus Damiani eiusdem propagator.

An Pet. Damiani auctor Constitutionum Portuensium.

Non desunt qui Sanctissimo huic viro tribuēdas censeant CONSTITVTIONES CANONICIS PORTVENSIBVS APVD RAVENNAM PRÆSCRIPTAS, quas REGVLAM DAMIANAM appellant, estque à S. Augustini distincta. Verùm Gabriel Pennottus probat harum

Pennottus lib. 2. hist. Can. Reg. cap. 47.

D Cōstitutionum auctorem fuisse, alium Petrum de Honestis, ciuem Ranennatem, Monasterij Portuensis Priorem, qui ante S. Petrum Damiani obierit, & in eiusdem Monasterij Ecclesiâ sit sepultus, quique se etiā Petrum Peccatorem nominare sit solitus. Obtulit autem Paschali II. has *Cāstitutiones*, siue REGVLAM CANONICÆ INSTITVTIONIS ex pluribus collectam, approbandam: quod ille fecit Christi an. 1118. in hunc modum:

Paschalis eas confirmat.

Paschalis Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs apud Ecclesiam Beatæ Mariæ in Portu

E *Rauennati Exarchatus regulariter commorantibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Hanc Institutionis canonicæ* REGVLAM *tam ex sanctorum Patrum auctoritate, quàm Religiosorum Virorum exemplis, & morū honestate conceptam, nos perspectam Deo auctore suscipimus, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmantes, vobis per Dei gratiam efficaciter obseruādam iniungimus: vt quorum sequi vestigia deuouistis in terris, eorum obtinere consortium possitis in cælis. Datum Transtyberim 12. Cal. Ianuarij, indictione 10.*

NOTITIA REGVLARVM.

TRACTATVS IX.

DE REGVLIS

Duodecimo Sæculo ſcriptis.



XHIBET Duodecimum *hoc* Sæculum *ſex* REGVLAS, *de quibus noſtro more hoc ordine diſquirendum.* PRIMÒ, *de Regulâ Templariorum militum.* SECVNDÒ, *de Regulâ Converſorum Ciſtertienſis Ordinis.* TERTIÒ, *de Regulâ à Petro Abaëlardo Sanctimonialibus præſcripta.* QVARTÒ, *de Regulâ Carthuſianorum.* QVINTÒ, *de Regulâ Cruciferorum.* SEXTÒ, *de Regulâ Ordinis SS.^mæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum.*

DISQVISITIO I.

De Regulâ Militum Templariorum.

Templariorum origo.



Emplariorum Militum initia progreſſumque Guilielmus Tyrius lib. 2. hiſt. cap. 7. deſcribit, qui, quòd Ieroſolymis iuxta *Templum* Domini in palatio Regis manſionem haberent, FRATRES MILITIÆ TEMPLI dicti ſunt. Anno enim Domini 1118. Nobiles quidam Equeſtris ordinis, Deo deuoti in manu Domini Patriarchæ, more Canonicorum Regularium, in Caſtitate, & Obediētiâ, & ſine proprio, velle perpetuò viuere profeſſi ſunt. Prima autem eorum profeſſio fuit, vias & itinera maximè ad ſalutem peregrinorum à latronibus tueri. Nouem annis in habitu ſæculari vixerūt. Tandem à Concilio Trecenſi *inſtituta eſt eis* REGVLA, *& habitus aſſignatus, albus videlicet, de mandato Domini Honorij Papæ, & Domini Stephani Hieroſolymitani Patriarchæ. Tempore Domini Eugenij Papæ, vt dicitur, cruces de panno rubeo, vt inter cæteros eſſent notabiliores, mantellis ſuis cœperūt aſſuere, tam Equites, quàm eorum Fratres inferiores, qui dicuntur, Seruientes.*

Inſtitutum.

Regula.

Quæ à S. Bernardo ſcripta dicitur.

Hæc verò *Templariorum* REGVLA à S. Bernardo Claræuallenſi Abbate conſcripta dicitur in ipſo Regulæ prologo. Edita autē primùm eſt ab Auberto Miræo in Chronico Ciſtertienſi, Coloniæ anno 1614. In ipsâ porrò profeſſione ſeu iuramēto à Magiſtro Prouinciali huius ſacræ Militiæ præſtari ſolito, mentio fit Regulæ, ſiue Conſtitutionū S. Bernardi. Nam vt refert Chryſoſtomus Henriquez, inter cætera dicit: *Promitto ſubmiſſionē generali Magiſtro Ordinis, & obedientiam ſecundùm ſtatuta ſancti Patris noſtri Bernardi.* Regulæ hic titulus præſcribitur: *Regula pauperum Commilitonum Chriſti, Templique Salomonici.* Sequitur deindè prologus. Ipſique Regulæ hæc rurſus præponitur Epigraphe: *Incipit Regula pauperum Commilitonum Sanctæ ciuitatis.* Primùm caput eſt, *Qualiter diuinum officium audiant.*

Henriq. Menolog. Ciſterc. 24. Maij in Not. lit. F.

Licet ſtylus reclamet.

Putat verò Stellartius, Regulam hanc à S. Bernardo *Templarijs* traditam, alieno vt apparet conſcriptam ſtylo (poſtremū enim id verbum videtur Stellartio deeſſe) & ſanè ſtylus longè diſſidet à Melliflui Doctoris charactere. Dici fortè queat, militum imperitiæ ſpontè virum ſanctum ſtylum attemperaſſe: niſi prolixus ille *Sermo* eiuſdem Patris *ad milites Templi* floridè, & diſertè omninò eſſet conſcriptus, prout aliæ ſanctiſſimi viri lucubrationes.

DISQVISITIO II.

De Regulâ Conuerſorum Ciſtertienſium.

Regula Conuerſorum tributa S. Bernardo.

Henriq. in Menolog. 3. Iulij.

TRIBVITVR & hæc ſanctiſſimo Patri Bernardo, quam ex Alnenſis Bibliothecæ MS. Codice Menelogio Ciſtertienſi intexuit Chryſoſtomus Henriquez. Titulus erat *Inſtituta S. Bernardi*; poſteà alius titulus ſequebatur in hunc modum.

Breue & memoriale ſcriptum de conuerſatione Laicorum Fratrum, ſecundùm Inſtituta beati Bernardi.

Salubris inſtitutio Patris ſancti, quarum ſuorum cordibus filiorum lingua eius tanquam calamus ſapientiæ cæleſtis ſcripſit, hoc breui & memoriali ſcripto includitur, vt ſi extra ea quæ communis conſuetudinis liber continet, aliqua de conuerſatione

uersatione Laicorum Fratrum emerserit dubitatio, habeant saltem filij Claræ vallis, de matris auctoritate quod teneant, ne ab his quæ in eâ beatus Bernardus instituit, tepidâ vel temerariâ nouitate recedant. Videant & attendant, quo lacte simplicitatis aluerit, quos Dominus parturiuit; & æmulantes in bonitate quod bonum est, ad fouenda plantaria Religionis in Fratribus, fluenta purissima de hoc fonte deriuent. Capita habet sexdecim.

DISQVISITIO III.

De Regulâ Petri Abaelardi Monialibus Paracletensibus præscripta.

Abaelardi scripta damnata.

NON me latet, viri huius scripta, agente S. Bernardo, & in Senonensi Concilio; & ab Innocentio II. fuisse damnata. Verùm, quia & ille resipuit, & opera eius cum longâ pro ipso Apologiâ Parisijs ab Illustri viro Francisco Amboesio Equite, & Christianissimi Regis in sanctiore Consistorio Consiliario edita sunt, vnà cum Doctorum Parisiensium in eadem opera Censurâ; in quâ loca salebrosa annotata sunt: volui & REGVLÆ ab eo conditæ, quæque in ijsdem habetur operibus, mentionem hîc facere, ne quid à me prætermissum, conqueri quis iure possit. Præsertim cùm Regulæ illius doctrina proba omninò sit, & in eâ vix quidquam à prædictis Censoribus, vt minùs sanum sit anootatum. Si tantùm excipias, quod pag. 168. lin. 8. & pag. 179. lin. 9. dicat *Copulæ nuptialis vsum omninò peccato non carere*: Quod quidem in ijs qui rectitudinem & honestatem obseruant, minimè est concedendum.

Defensa, & edita cum Censuris Doctorum.

Abaelardus vir doctissimus.
Chronicon Antisiodor. Anno 1140.

Vir igitur hic vndequaque doctissimus, & Petri Venerabilis elogio non semel laudatus, *Ingenio* (vt ait Chronicon Roberti Antisiodorensis Monachi) *fuit subtilissimus, mirabilisque Philosophus, qui construxerat Cœnobium in Territorio Trecrassino, in prato quodam vbi legere solitus fuerat. In quo Sanctimoniales plurimas Episcopali auctoritate cōgregauit, quod* PARACLETVM *nominauit. Quibus Sāctimonialibus* HELOISSAM *quondam vxorem suam, religiosam fœminam; & litteris tam Hebraicis quàm Latinis adprimè eruditam, præfecit Abbatissam.*

Rogatus Regulam pro Monialibus scribere.
Epist. 7. inter Petri Abaelardi, quæ est Heloissæ ad ipsum Petrum.

Petijt porrò hæc à suo pridem coniuge, iam verò vitæ ductore & doctore; vt sibi, suisq; Virginibus REGVLAM aliquam conderet, quæ, vt ipsius vtar verbis, *fœminarum esset propria, & ex integro* fœmineæ *conuersationis statum habitumq. describeret; quod id nondum à Patribus Sanctis actum esse conspexerit. Vnam quippè nunc Regulam*, inquit, B. BENEDICTI *apud Latinos fœminæ profitentur æquè vt viri. Quam sicut viris solummodò cōstat scriptam esse, ita & ab ipsis tantùm impleri posse.* Recensitis porrò pluribus capitibus, quæ ægrè ab infirmiore sexu putabat posse obseruari, A petit discretâ moderatione cuncta temperet.

NOTITIA REGVLARVM.
Facit id prolixè.

Præstitit, quod rogatus fuerat Petrus luculenter, & Epistolâ 8. hanc ipsam exhibet *Regulam*, quam *Tripartitum Instructionis Monialium* vocat *Tractatum*; Libri enim potiùs, quàm Epistolæ formam refert. In eo autem de tribus præcipuis Monasticæ vitæ virtutibus agit: Continētiâ videlicet, Paupertate volūtariâ, & silentio. Esum autem carnium Heloissæ voto benignè indulget: hac tamen restrictione: *Vt non ampliùs, quàm semel in die sumant, nec diuersa indè fercula eidem personæ* B *parentur; nec seorsum aliqua superaddantur pulmenta, nec vllatenus ei vesci liceat, plus quàm ter in hebdomadâ; primâ videlicet feriâ, tertiâ, & quintâ feriâ, quantacumque etiam festiuitates intercurrant.* Pluribus porrò argumentis & rationibus probat, quàm æqua, nec omninò contra S. BENEDICTI mentem, in sequiori præsertim sexu, hæc sit, dispensatio. Alia deindè quæ ad monasticam spectant disciplinam, prudentissimè exsequitur, & Patrum sententijs aptè illustrat.

Carnium esum indulget.
Abael. Ep. 8.

Abaelardi Regula laudata.
Amboes. in præfat. apologet. pro Petro Abaelardo.

Hanc verò Regulā tanti æstimauit prædi- C ctus Amboesius, vt de eâ ita scripserit: Quē libellum verè aureum omnes Sanctimoniales nocturnâ diuturnâque manu versare deberent, & nos in Gallicum idioma transferri curauimus. Nec enim cedit Regulis à S. Basilio, S. Augustino, S. BENEDICTO traditis, quas Erasmus Melanchton, & Centuriatores veras, & ab ijs conscriptas non diffitentur. Cæsarius Episcopus Arelatensis, vt est apud Gregorium Turonensem, Regulas viris, & Cæsaria eius Soror, Virginibus scripserant; quæ in Gallijs aliquo tem- D pore floruerūt in viridi obseruātia. Sed D. Maurus, à D. BENEDICTO in Gallias missus ad reformāda Deo seruientium Cœnobia, pro illis veteribus nouam & strictam Præceptoris sui Regulam supposuit, quâ ferè omnes vtuntur vtriusque sexus in hunc vsque diem, vt exceptis Canonicis S. Augustini, & Fratribus in Eremo, & sodalibus vtriusque Francisci, Assisinatis, & de Paulâ. Hactenus ille.

Numquam præpostera Benedictinæ.

Verùm, vt S. BENEDICTI Regulæ aliæ vetustiores passim cesserunt; ita neuti- E quam mihi persuadeo in Paracletensi Monasterio eam abrogatam, & hanc Abaelardi substitutam. Id enim & ipsius Abaelardi, qui Cluniacensis erat Monachus, & Heloissæ repugnaret modestiæ. Vterque enim de Sancto BENEDICTO honorificè, & maximâ cum reuerentiâ loquitur: eiusque, vbi res fert, sententijs sua confirmat. Fuerit proindè hæc Regula Statutorum aut Constitutionum instar, quibus ipsa Sancti Patris BENEDICTI Regula in quibusdam punctis nonnihil mitigatur, & explicatur. Similia esse credo, quæ huic

Sed ad eam Statutorum loco adiecta.

tium adijssent, cognouerunt Pontificem simili reuelatione fuisse diuinitus instinctũ. Quamobrem à Pontifice benignè excepti, ab eodem candidis vestibus decorantur, superadditâ cruce, qualem Angelus ostendisset. Additque nouo Ordini titulum *de Trinitate, & Redemptione Captiuorum*, cui negotium imponit; Captiuos à malè credentibus Christianos liberandi.

Regula Ordin. SS. Trinitatis. Habet verò hic Ordo Regulam peculiarem, vt ex *Ioannis Matha* Fundatoris Epitaphio, quod adfert Stellartius, constat, estq; tale: Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XCVII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo, XV. Kalend. Ianuarij, institutus est nutu Dei, *Ordo san-* A *ctissimæ Trinitatis* à Fratre Ioanne, sub propriâ Regulâ sibi ab Apostolicâ sede concessâ. Sepultus est idem Frater in hoc loco, anno Domini M. CC. XIII. Decemb. XXI. Deinde sequitur Regula, cuius hoc initium: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fratres domus Sanctæ Trinitatis sub obedientiâ Prælati domus suæ* (qui Minister vocabi- B tur) *in castitate, & sine proprio viuant.* Ad marginem autem de huius Regulæ auctore ista adijcit Stellartius. Hanc Regulam Sodalibus SSS. Trinitatis præscripsit Honorius III. Pont. Maximus. Duplicem porrò ponit Regulam; Primariam scilicet & mitigatam: Sed cuius auctoritate mitigata sit, non prodit. *NOTITIA REGVLARVM.*

TRACTATVS X.

DE REGVLIS

Posterioribus Sæculis scriptis.



QVæ supersunt *Regulæ consequentibus sæculis scriptæ*, Decimo *hoc* Tractatu, *Disquisitionibus totidem expediemus. Quarum* Prima *est*, *Quænam Regula Ordinis S. Marci de Mantuâ?* Secunda, *De Regulâ S. Alberti Carmelitis tradita.* Tertia, *Quæ S. Francisci Regula?* Quarta, *De Regulâ Tertiariorum siue Fratrum de Pœnitentiâ.* Quinta, *De Regulâ Fratrum & Sororum de Pœnitentiâ, Ordinis Prædicatorum.* Sexta, *De Regulâ Saluatoris, Ordini S. Brigittæ tradita.* Septima, *De Regulâ Annuntiatarum Virginum, seu B. Mariæ.* Octaua, *De Regulis Minimorum à S. Francisco de Paulâ conscriptis.* Nona, *De Regula Societatis Iesu.* Decima, *Cur Regulæ quædam, aut Instituta, quæ huc spectare videbantur prætermissa?*

DISQVISITIO I.

Quænam Regula Ordinis S. Marci de Mantuâ?



CONGREGATIONEM Canonicorum Regularium S. MARCI DE MANTVA, nouum potiùs Ordinem Canonicorum ab Augustinianodistinctũ, quàm Congregationem in Ordine D. Augustini vocari posse, Gabriel Pennotus asserit; ex quo carptim desumpsimus, quæ de eo adducenda putauimus. *Pennot lib. 2. hist. Canon. Regul. cap. 50.*

Præsidente Ecclesiæ Dei Cælestino III. Romano Pontifice, Venerabilis Sacerdos Albertus Spinula, aliàs de Formigolâ, vir pius & religiosus, habitâ potestate à Sede Apostolicâ erigendi Collegium Canonicorum Regularium secundùm Ordinem *D. Marci*; obtento loco, & reditibus, cùm se illi *Albertus Spinula Fundator Ordinis S. Marci.* A Clerici quidam adiunxissent; nec tamen certam viuendi haberent REGVLAM: idem Presbyter Albertus REGVLAM scripsit, quã Innocentius III. anno 1204. sibi oblatam probauit, illisque inuiolabiliter seruandam iniunxit. Quam REGVLAM Honorius III. post Generale Concilium Lateranense, iterum examinatam, & correctam confirma- B uit, & seruandam mandauit. Idem etiã Gregorius IX. Honorij successor egit; quæ habentur ex litteris ipsius Gregorij IX. quibus eadem REGVLA à prædictis Romanis Pontificibus examinata, & probata, iterum confirmatur. Exemplum litterarum est. *Regulam suis tradit.* *Quæ approbatur à Pontif. Roman.*

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei; dilectis filijs Prioribus, & Collegijs, Ecclesiarum

NOTITIA REGVLARVM.

Ordinis Sancti Marci Mantuani tam præsentibus, quàm futuris hanc Regulam professionis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis &c. Constat hæc REGVLA Capitulis 32. quorum quodam velut summarium exhibet ibidē Pennottus.

DISQVISITIO II.

De Regulâ S. Alberti Carmelitis traditâ.

Albertus Regulam scribit.
Thomas à Iesu part 1. de Varijs Reg. Carmel. c. 3.

A*Lbertus* Ierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha (vt ait Thomas à Iesu) suspicatus incōmoda, quæ ex Ioannis Ierosolymitani Regulæ obseruatione eremitis Montis Carmeli contingere poterant, & præcauens in futurum, suis Fratribus Carmelitis Regulam perfectione, discretione, breuitate, & claritate conspicuam, partim ex Ioannis Regulâ, partim ab experimento noui Ordinis status desumptam, confecit. Exhibet eam prout ab Alberto scripta est, citatus Thomas à Iesu, & incipit: *Albertus Dei gratiâ Ierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha* &c.

Ea Primitiua Carmelitarum.

Vocatur hæc *primitiua Carmelitarum*, quia etsi alias ante hanc habuerint, illæ tamen vel scriptæ olim non erant; sed tantùm traditione obseruatæ: vel si scriptæ, per modum tamen exhortationis, aut instructionis cuiusdam ferebantur. Declarauit, ac nonnihil mitigauit hāc Regulam Innocentius IV. sed ita modicè, vt hæc Innocentij REGVLA à summis Pontificibus passim *primitiua* nuncupetur.

Mitigata à Summ. Pontif.

Eadem porrò REGVLA deinceps ab Eugenio IV. Pio II. & Sixto IV. mitigata fuit, verùm anno 1562. *Clarissima Virgo S. Teresia* (vt ait Joannes à Iesu Mariâ) *Regulam Alberti ab Innocentio modicè temperatam; & sub ipso temperamento pro primitiuâ habitam tam cupidè amplexata est, vt primæuam illam obseruationem quæ Innocentij mitigationem antecessit, excelluerit: & ad sui æmulationem Patres duos, & sanctitate & doctrinâ conspicuos, depositâ Eugenij mitigatione permulserit.* Atque hinc orti sunt Carmelitæ discalceati, toto nunc ferè orbe clarissimi.

Ioannis à Iesu Mar. vit. S. Teres. l. 1. c. 2.
S. Teresia primitiua ad amussim obseruatrix, & propagatrix.

De Auctore verò tradit R. D. Miræus, fuisse hunc S. Albertum pronepotem Petri Eremitæ, qui Vrbano II. Auctor belli sacri exstitit: vt probat ex antiquo Nummo ab Alberto cuso, cùm ista ex vnâ parte inscriptione *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, anno M.CC VI.*

Miræus ad Chron. Sigeb anno 1206.
Et in Fast. Belg. & Burgūd. 21. Nouemb.
Nummus Alberti Ierosolymitani.

Ex alterâ. *Hierosolyma à Saracenis capta, sede Aconem translatâ. Numus Peregrinorum.*

Spectantur in eodem nummo insignia vrbis Hierosolymitanæ, nimirùm litera H. cum I. intersecante, & quatuor + circumpositis (quod contra vulgi errorem nota) itemque insignia gentilitia familiæ Eremitanæ, quæ etiamnum apud Francos Hannonesq; florent. ita illc. Similia habet Gretserus in Horto S. Crucis, sed nummi interiorem Epigraphen hanc ait fuisse: RAMVS PEREGRINORVM, qui est, inquit, Palma. Nam peregrinis absolutâ feliciter peregrinatione, palma in signum reportatæ victoriæ tradebatur. Tres Crucigeræ turres in Numismate Alberti, vrbem Acconensem denotāt: Nam quascumque ciuitates Christiani occupabant; statim vexillo Christianæ religionis in sublimibus locis collocato, ad cuius ditionem pertinerent, publicè testabātur. Ex quibus colligas, de alio Gretserum agere numismate, quàm fuerit R. D. Miræi. De *Alberto* verò, ex Onuphrio ait deinceps Gretserus, fuisse Episcopum Vercellensem; dein in Oriente Bethlehemiticum, & Ascalonitanum; posteà Patriarcham Ierosolymitanum; vnum ex quindecim, seu duodecim viris, qui anno Domini 1203. Baldninnm Frandriæ Comitem, captâ Constantinopoli crearunt Imperatorem. Quique Heraclio in Patriarchatu successerit. Gabriel verò Pennottus enumerans viros sanctitate conspicuos Congregationis Mortariensis sanctæ Crucis, Canonicorum Regularium, inter eos etiam recenset *Albertum Patriarcham Ierosolymitanum, qui Fratribus Carmelitis Regulam dedit, circa annum* 1171. Idemque lib. 3. cap. 54. inter Patriarchas ex Congregatione Lateranensi acceptos, secundo loco collocat *D. Albertum*, ex Canonico S. Crucis Mortariensis, primum Episcopum Vercellensem, deinde Patriarcham Ierosolymitanū, ex Onuphrio in Chronico, sub anno 1204. & ex Chronico Monasterij Mortariensis.

Gret. part. 1. pag. 131.
Alius ex Gretsero.
Albertus qualis ante Patriarchatum.
Pennot lib. 2. hist. Canon. Regul. cap. 46. n. 6.
Canonicus Mortariensis.

Insinuat tamen Pater Thomas à Iesu, hunc *Albertum* fuisse Montis Carmeli Incolam, & Elianæ familiæ Fratrem, id, inquit, mihi compertum videtur. Quod in primis probo ex Martyrologio Molani, qui octauâ die Aprilis illum inter nostri Ordinis sanctos annumerat. Et Erardus Carthusianus in suo temporum Fasciculo, circa annum 1293. idem censet. An autem ex allatis scriptoribus id satis comprobetur, aliorum esto iudicium. Molanus sanè ad Vsuardi Martyrologium editionis secundæ, ita habet: *Item beati Alberti, Patris Ordinis Carmeli, Episcopi & Confessoris Hierosolymitanæ Ecclesiæ.* Wernerus autem Rolewinck Carthusianus, anno Christi 1203. sic scribit: *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus Ordinem Carmelitarum instituit in Monte Carmelo.* Potuit enim dici Pater Ordinis Carmeli à traditâ solùm REGVLA. Sed alij hoc penitiùs excutient.

Thom. à Iesu in Exposit. tit. Reg. Carmelit. lib. 1.
Alij eum inter Carmelitas numerant.
An rectè?

DISQVI-

DISQVISITIO III.

Quæ S. Francisci Regula?

Gemina S. Francisci Regula.

Prima.

MAGNVM Minorum Ducem, Patremque *Franciscum* binas composuisse Regulas, ex vitæ historiâ, & Annalibus Ordinis Minorum manifestum est. Prior prolixior viginti tribus constat Capitulis; quam, cùm numerus Fratrum ad duodenarium excreuisset, ex varijs Scripturis Euangelij coaceruauit nonnihil confusè & indigestè, anno Christi 1210. Religionis anno B 3. eamq; à se approbatam Innocentius III. ei reddidit eodem anno. Ita R. P. Petrus Marchant, in Quæstionibus proëmialibus ad Regulam S. Francisci. Agit de hâc Regulâ S. Bonauentura in vitâ S. Patris, cap. 3. eamque inter opuscula *S. Francisci* tom. 2. exhibet Lucas Waddingus, & incipit: *Hæc est vita quam frater Franciscus petijt.*

P. March. quæst. 1.

Posterior diuino instinctu scripta.

Posteriorem verò diuino monitu duodecim Capitibus compendiosiùs concinnauit; & velut ex varijs micis verborum Euangelij, in vnam hostiam (prout ei diuinitus erat ostensum) coagmētanit. Nam conscenso quodam monte, *cùm duobus socijs* (vt ait S. Bouentura) *vbi pane tantùm contentus & aquâ, ieiunans conscribi eam fecit, secundùm quod oranti sibi, diuinus Spiritus suggerebat. Quam, cùm de monte descendens, seruandam suo Vicario commisisset; & ille elapsis paucis diebus assereret, per incuriam deperditam: iteratò vir sanctus ad locum solitudinis redijt, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparauit: & per supradictum Dominum Papam Honorium, octauo Pontificatus illius anno, sicut aptauerat, obtinuit confirmari. Ad cuius obseruantiam Fratres feruenter inducens, dicebat se nihil ibi posuisse secundùm industriam propriam; sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant diuinitus reuelata.* Hæc S. Bonauentura. Ipsa porrò Regula Scholijs illustrata habetur eodem tomo 2. Opusculorum *S. Francisci*, atque hanc obseruant Fratres Minores, siue de Obseruantiâ, siue Recollecti, siue Capucini, siue Discalceati &c. nominentur; Et hâc ipsam in formulâ professionis specificant, cùm dicunt: *Regulam Fratrum Minorum per D. Honorium Papam confirmatam.* Et hæc Regulâ communiter vocatur *prima* respectu Regulæ S. Claræ, quæ data est Monialibus, & tertiæ Regulæ, quæ Fratribus & Sororibus de Pœnitentiâ est conscripta.

Bonauent. lib. 1. cap. 4. vii.

Ab Honorio approbatur.

Qui hanc obseruent.

Franciscus Clarissis Regulam tradit.

Nam quod Fratribus suis diuinus præstiterat *Franciscus*, id S. Claræ eiusque Sororibus non putauit denegādum; quibus Regulam totidem Capitibus, paribus præceptis, simillimis omninò verbis ac fratrum præscripsit; quam Innocentius Papa IV. A confirmauit. Exstat apud Waddingum in ijsdem S. Francisci opusculis, atque hunc præfert titulum: *Regula & vitâ Sororum Pauperum: Capitulum primum In nomine Domini Amen: Incipit Regula & forma vita Ordinis Sororum pauperum, quæ quidem est sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi obseruare*, &c.

NOTITIA REGVLARVM.

DISQVISITIO IV.

De Regulâ Tertiariorum, siue Fratrum de Pœnitentiâ.

S. Franciscus trium Ordinum, & Regularum Auctor.

SERAPHICVS Pater Franciscus vtì tres B Ordines instituit; primum Fratrum Minorum, secundum pauperum Dnminarum, tertium Fratrum de Pœnitentiâ; ita totidem Regulas ijsdem præscripsit. Qui tertiam profitentur, à numero vel ordine eius, & relatione ad alias duas, *Tertiarij* communiter dicuntur. Ab ipso S. Francisco Institutore, & summis quibusdam Pontificibus, propriè *Fratres, vel Sorores de Pænitentiâ* appellantur. Quamuis autem non desint celebres ex Ordine S. Francisci Scriptores, (quos citat Lucas Waddingus in Argumē- C to huius Regulæ) qui negant eam à S. Francisco concinnatam, sed à Nicolao IV. Aliorum tamen testimonio, & ex ipsâ *Tertiariorum* professionis formulâ, idem Waddingus comprobat Regulam hanc genuinum esse S. Francisci fœtum. Forma enim Professionis, quam ex Firmamento trium Ordinum, parte 5. Tract. 2. adfert, ita habet: *Ego Frater N. vel Soror N. voueo*, &c. *seruare mandata Dei toto tempore vita meæ, & satisfacere, vt conuenit, transgressionibus contra Regulam & viuendi modum tertij Ordinis de pænitentiâ insti-* D *tutam per B. Franciscum, & per Dom. Nicolaum IV. confirmatam*, &c. Imò expressè idipsum habet Leo X. in Constitutione, vel Bullâ *Inter cætera*, edita pro *Tertiarijs* in congregatione viuentibus; vbi pluries ait illam à Francisco editam, & à Nicolao confirmatam & approbatam. Edidit & hanc cum superioribus Regulam, idem Waddingus inter Opuscula S. Francisci: cuius primum caput incipit; *Si qui voluerint hanc vitam obseruare*, &c. Et viginti absoluitur Capitibus.

Regula Tertiariorum et abdicata.

Sed non rectè.

Forma Professionis Tertiariorum.

E

DISQVISITIO V.

De Regulâ Fratrum & Sororum de Pœnitentiâ, Ordinis Prædicatorum.

CONGRVIT hæc nomine cum præcedēte Regulâ; cuius quidem, Professores vui eidemq; Domino, sed sub vexillo S. Dominici militāt: de quâ in breui & compendiosâ chronicâ de Magistris Generalibus, & Viris illustribus Ordinis Prędicatorum, capit. 9. ita scribitur. *Anno Domini* 1285.

NOTITIA REGULARUM. *electus est in Magistrum Ordinis septimum in Capitulo Generali Bononiæ, Magister Nunnio, Prior Provincialis Hispaniæ, & rexit Ordinem annis sex, laudabiliter & prudenter. Assumptus deinde ad Episcopatum Palentinum in Hispaniâ. Fuit autem vir magni animi, & patientia singularis in adversis. Hic Pater sanctus* REGULAM *Fratrum & Sororum de pœnitentiâ B. Dominici dictavit, quâ nunc habent: Cùm priùs sub quibusdam consuetudinibus à B. Dominico eis traditis viverent: & Ordinem illum plurimùm auxit, & gratijs communivit.* Sic ibi.

Nunnio eligitur Generalis Ord. Prædicat.

Regulam Tertiarijs scribit.

In Summario Constitutionum, Declarationum, & Ordinationum Ordinis Prædicatorum collecto à Patre Petro Martyre Festo Vrceano ad calcem habetur hæc ipsa *Tertiariarum* Regula, scribiturque confirmata ab Innocentio VII. quæ roborata est ab Eugenio IV. additurque, quòd propriè Regula vocari non possit: quia *Tertiariorum* status propriè non sit regularis, cùm tria vota in quâlibet regularium religione necessaria non includat. Subnectuntur ibidem privilegia huic Ordini concessa, atque ipsa Regula viginti tribus Capitibus comprehensa.

Quæ haud propriè Regula vocatur.

DISQVISITIO VI.

De Regulâ Saluatoris, Ordini S. Birgittæ tradita.

S. Birgitta Ordinem instituit.

S*Birgitta*, vulgò Brigitta, vidua, regijs in Sueciâ natalibus orta, post varias peregrinationes sacras, Ordinem religiosum utriusque sexus instituit, anno Domini 1370. quem Vrbanus Papa V. Avinione confirmavit. Vt refert Onufrius in Chronico. De hâc porrò institutione ita Bonifacius IX. in Bullâ canonizationis loquitur: *In loco etiam de Watzsteno Lyncopensis diœcesis, de suis facultatibus unum Venerabile Monasterium canonicè construi fecit, pro sexaginta Monialibus sub clausurâ viventibus, & viginti quinque Fratribus Ordinis S. Augustini, sancti Salvatoris nuncupati: qui tàm moniales, quàm fratres, certas Constitutiones per ipsam beatam Viduam editas, & posteà per Sedem Apostolicam approbatas observare tenentur.* Ita ibi.

Trithemius verò in Chronico Hirsaugiensi ait, eam venisse Avinionem ad Vrbanum Papam V. missam à Domino nostro Iesu Christo pro confirmatione REGVLÆ suæ, quam fecit. Similiter Ioannes Nauclerus: *Venit*, inquit, *cum religioso & honestissimo apparatu ad Vrbanum, à quo benignissimè suscepta est, ob eius sanctitatem & Prophetiam,* REGULAMQVE *eius confirmavit.* Hanc autem Regulam appellabat Bonifacius IX. Constitutiones, habeturque in libro Revelationum S. Brigittæ hoc titulo:

Trithem. ann. 1361. Regula sua approbationem obtinet. Naucler. Volum. 2. generat. 46.

Qualis ea.

Hic incipit Regula sancti Salvatoris data divinitùs ab ore Iesu Christi devotæ sponsæ suæ sanctæ Brigittæ de regno Sueciæ, & primò ponitur proœmium in hæc verba: In Domino Regis Norvegiæ &c. constatque Capitibus 31. quæ deinde in Revelationibus extravagantibus per quadraginta sex capita ab ipso Christo exponitur, & in ijs *Regula* perpetuò nominatur.

Servant præterea eiusdem Ordinis Professores *Additiones* quas vocant, sive Constitutiones B. Petri de Aluastro Prioris, & S. Birgittæ Confessarij, quia Salvator in ipsâ Regulâ cap. 26. statuit ut quędam de Regulis BENEDICTI, vel Bernardi addantur, & cap. 1. Revelationum extravagantium ait, *Confessor tuus paucioribus verbis exponat gradus humilitatis, quos didicit in Regulâ* BENEDICTI *mei.* Et sequenti capite rursus iubet addi utilia & necessaria, sed nulla superflua. Et cap. 45. gratam sibi testatur fore additionem ex S. BENEDICTO, & alijs Patribus. Constant additiones illæ capitibus 53.

Additiones Petri de Alvastro.

DISQVISITIO VII.

De Regulâ Annuntiatarum Virginum, seu B. Mariæ.

ORDO Beatæ *Mariæ* semper Virginis primùm institutus fuit in Galliâ à beata Ioannâ, filiâ Ludovici XI. sorore Caroli VIII. eâdemq; coniuge Ludovici XII. Regum Galliæ. Huic autē etiamnum Duci Aurelianensi cùm nupta esset, isque Carolo in regno esset suffectus, Aulicorum consilio, & sedis Apostolicæ dispensatione, intactam integramque B. Ioannam dimisit. Illa verò se libens ad alterius æternique Regis cultum convertit. Instinctu verò sacratissimæ Virginis *Mariæ*, de Religioso Ordine ad eiusdem Deiparæ cultum instituendo agere cœpit, quo in negotio sedulam ei operam impēdit R. P. Gilbertus Nicolaus, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, (qui pietatis ergò in D. Virginem, à Leone X. dictus fuit *Gabriël Mariæ*.) Regulam enim quæ decem *B. Mariæ* præcipuas virtutes ex sacris Evangelijs proponit imitandas, eidem collectisque Virginibus præscripsit: quæ ab Alexandro VI. anno 1501. confirmata est, ac demum à Iulio II. & Leone X. approbata, multisque aucta est privilegijs. Plura vide in Chronico Miræi, & eiusdem Originibus Monasticis, lib. 3. cap. 12.

Ioanna Ludovici XII. coniux.

Ordinem Annunciatarum fundat.

Sub Regulâ Gabrielis Mariæ.

Quo approbata.

Annuntiatarum verò hanc Regulam, prout Leonis X. inserta erat Diplomati, Gallicè edidit Guilielmus Gazæus in libello qui inscribitur *L'Image de la Religieuse reformée*, Attrebati, 1616.

DISQVI-

NOTITIA REGVLARVM.

A

DISQVISITIO VIII.

De Regulis Minimorum à S. Francisco de Paulâ conscriptis.

S. Francisci de Paulâ vita.

QVI Minorum Patriarchæ cognominis, eiusque intercessione conceptus, natusq; fuit FRANCISCVS DE PAVLA (quod Calabriæ est oppidum) eiusdem quoque Spiritus, ac virtutum hæres fuisse videtur. Nã & hic rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat. Ecclesiâ propè Paulam ædificatâ, ibi sui Ordinis iecit fundamenta: Humilitatem verò sic coluit, vt se omnium MINIMVM diceret, suosque alumnos MINIMOS appellari voluerit. Cibi abstinẽtiâ fuit admirabili: semel in die post solis occasum reficiebatur; & ad panem & aquæ potum vix aliquid eiusmodi obsonij adhibebat, quo vesci in quadragesimâ licet: quam consuetudinem, vt Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto astrinxit.

Tres Regulæ eiusdem.

Rodrig. to. 1. q. Regul. q. 2. art. 7.

Approbantur.

Ob multitudinem tam virorum quam mulierum ex omnibus partibus ad se confluentium (vt Emmanuel Rodriguez ait) REGVLAS tres instituit, Vnam pro Fratribus, aliam pro Monialibus, & tertiam pro Mantelatis: quæ confirmatæ, & approbatæ fuerunt à Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Pio III. & Iulio II. Omnes tres exhibet Stellartius his titulis: *Regula SS. Ordinis Minimorum S. Francisci de Paulâ. Regula Sororum Ordinis Minimorũ S. Francisci de Paulâ.* Vtraque decem absoluitur Capitibus. *Regula vtriusque sexus fidelium Ordinis Minimorum S. Francisci de Paulâ.* Capita habet septem.

DISQVISITIO IX.

De Regulâ Societatis IESV.

Regula, & Constitutiones Societatis.

Nigron in comment. tit. Regul. Societ. p. 1. num. 8.

ILLVSTRIS in Ecclesiâ Dei est SOCIETAS IESV, à S. Ignatio de Loyolâ, communi totius bono excitata: de quâ cum plures scribant Auctores, videatur Nicolai Orlandini historia. Dirigitur verò Societas (vt Iulius Nigronus annotauit) tùm REGVLA ab Apostolicâ sede probatâ; tùm Constitutionibus, quæ Regulæ breuitatem supplent.

A sancto Ignatio scriptæ.

Libro verò Regularum (ait idem Auctor) tria contiuentur. Primò eæ, quæ *Summarij dicuntur Regulæ*: Secundò, eæ quæ dicũtur *Regulæ cõmunes*: Tertiò, *Regulæ* diuersorum *Officialium*, ac Superiorum. Omnium harum Auctor est. B. Ignatius de Loyolâ, Societatis Fundator, de quo, deque harum Regularum à sede Apostolicâ approbatione, vide eundem Nigronum fusiùs disserentem.

DISQVISITIO X.

Cur Regulæ quædam, aut Instituta quæ huc spectare videbantur, prætermissa?

MONASTICAS quas reperire hactenus licuit, recensuimus *Regulas*, quarum vti nonnullas meras esse Cõstitutiones non imus inficias: ita plures diligentiori & magis accurato Lectori apud Auctores posse occurrere, nolumus diffiteri. Quas *Regularum* nomine à Scriptoribus inuenimus
B appellari, ferè expressimus. Superest nunc rationem adiũgere, ob quam aliquarum prætermissa fit mentio; cùm ad hanc *Regularum Notitiam* spectare viderentur.

Quædam hic studio omissa.

Constitutiones quæ dicta Regula.

PRIMÒ, nihil nobis dicendum putauimus de varijs *Constitutionibus*, quas plerią; Religiosi Ordines vltra primariam, sub qua militãt, habent Regulã. Quamuis non ignoremus, Regularũ eas nomine nõnumquam à Scriptoribus appellari: quemadmodum in Regulâ Saluatoris, nominatur Regula S.
C Bernardi, & in Reuelationibus S. Birgittæ, Regula S. Dominici, quã nihil aliud quàm Cistercienfium, & Prædicatorum Constitutiones, vel viuendi formulæ sunt intelligendæ. Cùm hi sub S. Augustini, illi sub S. BENEDICTI, vt constat, degant Regulâ. Hoc modo accipiendum, quod Azorius, & post eum Franciscus Suarez asserit Ordinem Iesuatorum S. Hieronymi, à Ioanne Columbino Fundatum, & ab Vrbano V. approbatum: post Augustini Regulam, accepisse etiam propriam, quam quidam ex eorum
D Ordine in Episcopum electus composuit, & Romani Pontifices probauêre. Sed hac Regulâ eorumdem Fratrum Constitutiones crediderim insinuari: uam profiteri eos Regulam S. Augustini, ait Pius V. in Bullâ, quæ incipit: *Romanus Pontifex*; & habetur tom 2. Bullarij pag. 245. Iulius quoque Nigronus ait: Legi approbationem Regulæ noui Ordinis Clericorum, qui ministrant infirmis, factã à Gregorio XIV. anno 1591. Et Santius Cicatellus, qui Camilli de Lellis, Fundatoris huius Religionis vitam con-
E scripsit, non semel Regularum eius meminit, ipsumque Fundatorem cuiusdam præuaricationis occasione exclamasse. *Eccui vsui ista* REGVLÆ *si non seruantur?* In ipsâ tamen professionis formulâ, quam Camillus, eiusque socij ediderunt, non *Regulæ*, sed *Constitutionum* fit mentio. Vouebant enim iuxta formam viuendi contentam in Bullâ Congregationis Ministrantium infirmis, ac in eius Constitutionibus, auctoritate Apostolicâ tam editis iam, quàm in posterum edendis.

Reg. Saluat. cap. 26.

Reuel. S. Birg. lib. 1. cap. 17. & 18.

Azor Instit. Moral. lib. 13. c. 11. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 5. num. 12.

Nigr. tract. de Regul. Com. Soc. part. 1. nu. 7.

Cicatell. li. 3. cap. 15.

Idem lib. 1. cap. 29.

Olim quoque, cùm fas esset cuilibet Superiori

NOTITIA REGVLARVM. Varia obseruantia. periori proprias condere Leges: quidam prioribus Regulis, S. Basilij, S. Pachomij, vel alterius cuiuslibet, varias adiecerunt obseruantias, quæ eorum institutum noo parùm ab alijs distinguebant. Quàm varia fuerit Monachorum Palestinæ, tempore Eudociæ, victus viuendique ratio, explicat Euagrius Ecclef. Histor. lib. 1. cap. 21. Quā vitæ, victûs, & amictûs formam S. Fulgentius, Ruspensis Episcopus, tùm ipse obseruauerit, tùm in suis, vt credere fas est, induxerit Monasterijs, ex vitæ historiâ liquet. Non fuisse autem Ordinis Eremitarum, aut Canooicorum Regularium S. Augustini, probat Pennottus.

Pennot. lib. 1. hist. Canon Regul. cap. 16. nu. 4. & cap. 40. num. 3. Et disciplina Monasteriorum Orientalium.

Qualis fuerit disciplina in Monasterio Ioannis Abbatis Raithuni, quòd in Ægypto erat ad Erythræum mare (vbi duodecim fontes, & septuaginta palmæ in sacris Litteris describuntur) vt est in Menæis & Menologio Græcorum, varijs locis describit Climacus, præsertim Gradu 4. & Libro ad Pastorem, ad hunc ipsum Abbatem scripto: quem ducentis triginta Monachis scribit præfuisse.

Similiter ex Sermonibus Isaiæ & Dorothei Abbatum, quæ apud eos viguerit Monastices exercitatio, colligi vtcumque potest. Nam io Oriente ab his, alijsque quædam obseruata cootra vel præter S. Basilij sanctiones, non difficulter posset demonstrari. Climacus enim Gradu 14. opus manuum, à S. Basilio, alijsque Patribus tantopere commendatum, improbare videtur, cùm ait, *impossibile esse Deo, & operi manuum mente assistere.* Quare ad pellendum somnum, & ventris ingluuiem remedij tantùm loco illud prescribit.

Regulæ Sodalitatum. SECVNDÒ, longiùs à nostro instituto abeunt Regulæ diuersarum Confraternitatum, siue Sodalitatum piarum, personis io sæculo degentibus, aut saltem noo claustralibus præscriptæ. Regulæ quoque siue Caoones Ecclesiastici, Christianis omnibus communes, aut Clero peculiares. Nec recensendi nobis fuêre ij quoromdam libri, qui REGVLÆ aut CANONIS nomine inscribuotur: qualis est Ludouici Blosij *Canon vitæ Spiritualis*, & eiusdem *Breuis Regula* Benedicti à Cansfelt *Regula Perfectionis*. Quo titulo etiam omisimus à Miræo adscriptum librum S. Gregorij Papæ, *de Curâ Pastorali*, quem ipse Gregorius Leandro scribens, vocauerit *Librum Regulæ Pastoralis*: Sic enim plures Episcoporū & Pastorum Instructiones huc referēdæ fuissent. Omisimus quoque Martini Dumiēsis in Galæciâ primùm Abbatis, post Bracarensis in Lusitaniâ Episcopi, *Copiosa præcepta pia Institutionis*, vt Isidorus & Honorius, libro de Scriptor. Ecclef. loquuotur, quòd ea *Regulæ* nomine nusquam legerimus appellata. Nec huc spe-

Et libri ij Regulæ nomine inscripti.

Gregor. lib. 4. Epist. 46.

A ctare putamus Ioliani Pomerij Librum *de Virginibus Instituēdis*, noo magis quàm aliorum Parrum, Augustioi, Ambrosij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, Nysseni, Ephræm, Hieronymi, *Institutiones*, vel Præcepta *Virginibus* tradita.

de Institutione Virginum.

TERTIÒ, quæri non iam immeritò possit, cur prætermissa duplex Regula, tempore Ludouici Pij in Concilio Aquisgranensi, anno Christi 816. condita? Prior est Caoonicorum, siue *forma Institutionis Canonicorum*: altera est *Forma Institutionis Sanctimonialium canonicè viuentium*. Has enim Canonicis Regularibus S. Augustini scriptas, nō

Regula duplex Concilij Aquisgranensis.

B contemnendi auctores arbitrantur, maximè autem priorem. Quare S. Petrus Damiani, Opusculo XXIV. quod inscribitur, *Contra Clericos Regulares proprietarios*, in editione Romanâ Epistolâ 16. lib. 1. ait, se hanc *Regulam* nec *funditus improbare, nec auctoritatem illi omninò tribuere.* Maximè autem carpit tanquam absurdum, quod scribatur cap. 120. quod, *qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, & magnam vtilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant in canonicâ con-*

C *gregatione victum, & vestimentum, & eleemosynarum partes.* Inuehitur quoq; in auctorem Regulæ, & mensuram cibi ab eo præscriptam, redarguens etiam dicendi characterem. Quæ sanè immeritò Canonicis, quos vocant sæculares, objicerentur, quos constat stipendia Ecclesiæ optimo iure accipere. Ioannes Mauburnus in Roseto Spirituali, Regularibus Canonicis hanc Regulam præscriptam asserit: & in eâdem sententiâ est Antooius Caracciolus, Notis ad Coostitutiones Theatinorum, pag. 19. Ioan-

An prior Canonicis Regularibus scripta.

D nes le Paige in Bibliothecâ Præmonstratēsi, lib. 1. sect. 14. Busæus de Sratibus hominum V. Monachus. Suarez tom. 4. de Religione lib. 8. c. 8. n. 6. ait Clericis, seu Canonicis Regularibus hanc Regulam maximè cōmendari. Gabriel Pennottus lib. 1. cap. 21. num. 3. Ordo, ioquit, Canonicus, de quo in Concilio Aquisgrani, oollo pacto distinctus ab Ordioe D. Augustini.

Verùm ex ipsâ Regulâ saris constat ijs præscriptam, qui se rerum suarum proprietate non abdicabant, nam cap. 115. concedi-

Probatur scriptam fuisse Canonicis Sæcularibus.

E tur eis *dare & accipere, proprias res & Ecclesiæ cum humilitate & iustitiâ habere; quòd Monachis, qui secundùm regularem institutionem, arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est.* Prout etiam ex ipsâ S. Augustini Regulâ Canonicis Regularibus. Proinde rectè Clemens Reynerus in Apostolatu Benedictinorum in Angliâ, negat hanc Regulam Canonicis Regularibus præscriptam, reprehenditurque Miræus in Notis ad hanc ipsam Regulam, quī sæcularibus tribuit, vri & Ioaones Langecrucius io Speculo Canonicorum lib. 1. cap. 21. Nam & Ioaones Trullus, lib. 1.

lib. 1. de Canonicis Regular. cap. 31. scribit quosdam fuisse, qui *vitam quandam communem in refectorio, dormitorio, communique domo propè sacras ædes degebant, propria tamen bona priuatim possidentes: quorum Canonicorum institutum describit Præpositus, atque Abbas: qui huiusmodi Clericos Collegiatos vocant, & à Regulari-* *bus differre significant.* Hæc ille. Ex vitâ quoque S. Norberti colligitur hanc Regulam sæcularibus præscriptam. Nam cum esset hic vir sanctus apud Xantenses *Canonicus Secularis*, vt vitæ auctor loquitur, *cùm omnes ex more in Capitulo, vt vocant, resedissent, cæpit primò, accepto codice alloqui Decanum, ostendens ex verbis beatorũ Gregorij atque Isidori, quorum se Regulam tenere dicebant* &c. quo nomine hæc REGVLA designatur; eò quòd prima Capitula Regulæ Aquisgranensis, ex istis Patribus sint desumpta. Omitto alia, ne in re satis clarâ, superuacaneis insistere videar argumentis.

Vit. S. Norbert. cap. 4.

S. Religionis Regula. Hâc ipsâ ratione, prætermissa à nobis *S. Religionis Regula*, quam teste Sigeberto, de Viris Illustribus, suis scripsit Clericis Metensis Episcopus *Godegrandus*, Hermanno Contracto *Rodgangus*, Trithemio *Rugrandus*. Et si quæ sint aliæ Regularum nomine Clericis Leges præscriptæ.

QVARTÒ, negligendæ nobis & illæ fuerunt Regulæ, quæ non ab auctoribus, sed ab obseruantibus, aut aliâ quâpiam ratione, hoc nomen sunt consecutæ; exempli causâ, Antonius Yepez tom. 4. agit de Regulâ S. Giraldi, Fundatoris Monasterij Aureliacensis in Galliâ, quod scilicet in quodam Priuilegio Regis Ferdinandi, dicti de Leon, siue Legionensis, filij Alphonsi septimi, dato Era 1224. ita dicitur: *Concedo & confirmo Hospitali montis Cebruarij donationes, quas pater meus Imperator, proauusque meus rex Aldefonsus, prædicto Hospitali, & Fratribus ibidem sub Regulâ beati Giraldi degentibus, diuinâ inspiratione in perpetuum sunt largiti.* Quæ intelligenda non sunt de aliquâ Regulâ, quam S. Giraldus scripserit, sed de eâ, sub quâ cœnobium ab eo ædificatum Deo militabat. Neque enim sanctus hic vir, qui Aureliacensis in Aruerniâ fuit Comes, Monachus vnquam exstitit; vt ex S. Odone Cluniacensi Abbate, qui vitam eius litteris mandauit, probat Hugo Menardus, Obseruationum lib. 1. 4. Octobris.

S. Giraldi. NOTITIA REGVLARVM. Yepez tom. 4. an Christi 838 & 913. *Qui numquam Monachus fuit.*

DENIQVE, tres alias Regulas suppeditat nobis Syllabus editorum, siue edendorum Librorum Ioannis Baptistæ Gramaye in Bibliothecâ Belgicâ Valerij Andreæ. Prima, est *Anachoretarum*, secunda *Clericorum*, tertia *Monachorum* Africæ: sed eas quia necdum videre licuit, non potuimus earum notitiam exhibere.

Regulæ Africanæ.

Atque hîc tandem finis esto PRIMI huius LIBRI de NOTITIA REGVLARVM, ad Laudem & Gloriam Omnipotentis Dei, cuius Sanctissima voluntas humanorum actuum est ÆTERNA & PRIMA REGVLA: quam vtinam omnes, prout tenentur, ita quoque ex charitate sequantur!

SIT

NOMEN DOMINI

BENEDICTVM,

EX HOC

NVNC, ET VSQVE IN

SÆCVLVM.

REGVLÆ PATRVM ideò nobis aſsiduè leguntur, vt eorum Sanctis exhortationibus, interiorem accommodantes auditum, & diſciplinæ concipiamus amorem dulciſsimum; & Domino per omnia adiuuante, vitæ ipſorum exempla ſequamur. Propter quod nobis feſtinandum eſt, vt à noſtris mentibus tepor excludatur inolitus.

Plenitudo autem Sanctæ conuerſationis, & ſpiritalis vitæ perfecta doctrina, in eorum SANCTORVM PATRVM REGVLIS nobis quotidiè recitatur, quorum & probata vita diuino munere, & docendi eſt attributa auctoritas.

REGVLA

Pauli & Stephani cap. XLI.

MONASTICARVM.

DISQVISITIONVM

LIBER SECVNDVS:

SCHOLA

DOMINICI SERVITII,

SIVE

DE IPSA S.P.N. BENEDICTI

REGVLA.

Vt ignis iste bonus, qui erat in BENEDICTO, igniret plures; vocauit Deus BENEDICTVM in montem, qui conuocatis ad se pluribus scintillis, fecit de eis per Spiritum Dei maximum rogum, & composuit eis REGVLAM DE SPIRITV DEI, per quam multi perfecti facti sunt, sicut BENEDICTVS. *Mater Dei apud S. Birgittam, lib. 3. Reuelat. cap. 20.*

ARGVMENTVM.



SATIS diu, ni fallor, nos hæc PORTICVS tenuit; nunc si placet, mi LECTOR, intrò eamus, & hanc, quæ primò occurrit Aulam, cõtemplemur. Inscriptionem habet ab ipsâ S.BENEDICTI manu, SCHOLA DOMINICI SERVITII. Diuinus enim hic Magister suâ Regulâ SCHOLAM construxit, in quâ discipulos suos potissimùm docuit *Domino seruire*:

 cui

cui nimirùm fidele *Seruitium* non vno titulo omnes debemus. Proinde hæc ipsa Regula variè considerata solidum huius Libri argumentum est. Quot in eo Tractatus, tot veluti Classes Sacri huius Gymnasij animo tuo repræsenta. Titulum ipsum in decursu expendemus. Nunc quod huius loci est. *Primo Tractatu* agitur de Regulâ, vt ab ipso S. P. BENEDICTO est scripta. *Secundo*, De Regulæ S. BENEDICTI nominibus. *Tertio*, De eiusdem præstantiâ. *Quarto*, De vtilitate Regulæ S. BENEDICTI. *Quinto*, De eiusdem Approbatione, & Auctoritate. *Sexto*, De Regulæ S. BENEDICTI promulgatione. *Septimo*, De Fine ac Scopo Regulæ S. BENEDICTI. *Octauo*, De eiusdem Obligatione, & Obseruantiâ.

Tractatus hos Mantissæ loco excipit CATECHISMVS MONASTICVS, siue Doctrinæ S. BENEDICTI Synopsis Analytica, duabus constans Partibus.



TRACTA-

TRACTATVS I.

DE REGVLA

vt à S. BENEDICTO ſcriptâ.



Oſt variarum Regularum Notitiam tractaturus deinceps de vnâ S.P.N. BENEDICTI, *Spiritum illum inuoco, quo ille repletus eam perſcripſit; vt qui illi ſcribenda ſuggeſſit, mihi ad eadem cognoſcenda lucem, ad explicanda congruum tribuat ſermonem. Veni igitur,* Sancte Spiritus, *& emitte cœlitus lucis tuæ radium. Ad te, ô Spiritus Veritatis, per quem reſpiro, gemens ſuſpiro: tu qui vbi vis ſpiras, meis hiſcè conatibus benignus aſpira, tu latentem in* S. B. BENEDICTI *verbis veritatem meo, atque legentium cordibus, precor inſpira. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ad vtramque caligantes mentii oculos erige: vacillantem ſtylum dirige, aberrantem corrige, totoque hoc opere diuinam opem porrige, vt ſuauiſſimâ tuâ aurâ ad fœlicem huius Nauigationis portum perueniat. Denique ex eo*

Sit Laus Patri cum Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Nunc & per omne ſæculum.

Iam ad Argumentum huius Tractatus veniamus, in quo ipſam conſideramus Regulam prout à S. P. BENEDICTO *exarata eſt: de quâ inquirimus:* Primò, *Quam Regulam ſecutus ſit* S. BENEDICTVS, *antequam ſuam conſcriberet?* Secundò, *Cur eam ſcripſerit?* Tertiò, *Quo tempore & loco?* Quartò, *Quoties ſcripta, & quibus locis aſſeruata?* Quintò, *An in Capita diſtinxerit, titulóſque præfixerit?* Sextò, *Quæ eorumdem Capitum connexio?* Septimò, *Quis Regulæ Stylus?* Octauò, *Cur ſuæ S. Baſilij Regulam præponat* BENEDICTVS? Nonò, *Quænam illa Baſilij Regula?* Decimò, *Quæ vltima Regulæ* S. BENEDICTI *verba?*

DISQVISITIO I.

Quam Regulam ſecutus ſit S. BENEDICTVS *antequam ſuam conſcriberet?*



NTEQVAM de ipsâ S. P. BENEDICTI agamus *Regulâ*, vno quaſi paſſu retrocedētes, inquirēdum duximus, ſub quâ ſtatim à ſuá conuerſione nouus Chriſti tyro vixerit. Quam quidem quæſtionem propoſuit, & doctè pertractauit Antonius de Yepez in Chronico, cumq; ſecutus Simon Milletius in Annotationibus ad Dialogos S. Gregorij, quorum veſtigijs ita inſiſtemus, vt de noſtro etiam plura adijciamus. Variæ autem hîc occurrunt ſententiæ, ex eo quod diſceptetur, cui Regulæ paruerit Romanus ille, qui ſancto Patri noſtro ſanctæ conuerſationis habitum donauit.

An. Chriſti 494. Millet. ad cap 1.

Sententiæ de Regulâ ſub quâ vixit S. Benedictus.

PRIMA ait, ſectatum Regulam *S. Baſilij*, A quam etiam refert Ludouicus Miranda, in Manuali Prælatorum, his verbis: BENEDICTVS, vt à quibuſdam dicitur ſub inſtituto D. Baſilij aliquamdiu fuit. Non tamen hoc ita planè conſtat, atque expediret, ſed circumfertur communiter. Fundamentum eorum ſuggerit, quod S. Pater triennio ſoli Romano cognitus, in ſpeluncâ ſolitarius vixerit, & quòd à Monachis quibuſ- B dam in Abbatem ſit electus, qui venenum ei in vaſe vitreo præbuerunt. Supponunt ergo Monaſterū hoc, & illud, cuius alumnus erat Romanus, fuiſſe Ordinis S. Baſilij. Sed & inde argumentum ſumunt, quod ipſemet S. BENEDICTVS Regulam S. Baſilij citans, dixerit: *Regula S. Patris noſtri Baſilij, & Collationes Patrum, quid ſunt aliud*

Prima, ſub S. Baſilij.

Mirand q. 4 art 2.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

aliud nisi benè viuentium, & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum? vbi ex illo, *Patris nostri*, inferunt S. BENEDICTVM eiusdem fuisse filium, saltem eo tempore, quo ipse necdum Monachos cōgregauerat, aut Regulam condiderat. Non poterat autem S. Basilij se nominare filium institutione, (tempus enim & locus repugnant) ergò ex eo tantùm capite, quod secundùm instituta Regulæ ipsius aliquot annis vixerit. Hanc sententiam expresse tuetur Antonius Gallonius in Apologetico aduersus Constantinum Caietanum, & ita ferè colligit. Testatur Gregorius dum de Monachis agit, qui ipso exordio S. BENEDICTI gubernationi se commisere: quòd S. Pater *in eodem Monasterio Regularis vitæ custodiam teneret*: per Regularem vitam intelligit, quæ ex Regularum præscripto composita est: igitur S. BENEDICTVS, *qui regulariter suos gubernabat, antequam suas scriberet, alienis Regulis iam anteà promulgatis vt eos instituerit, necesse est.* Quænam autem illæ fuerint, ab ipso intelligendum BENEDICTO, qui cùm recens suas condidit Regulas, noluit antiquas abolitas. Nominat autem vltimo capite Regulam S. Basilij. *Vt ostendat*, inquit, *quemnam in suis instituendis Monachis fuerat Magistrum secutus, & quibus; antequam Regulas suas scriberet, ipse vixerit, & suos Monachos erudierit.* Posteà subdit etiam duodecim Sublacensia Monasteria Regulâ S. Basilij (quem communē Patrem S. BENEDICTVS appellat) instituta fuisse. Quod Regula nostrorum communiori sententiâ scripta non sit antequam Cassinū peteret. Pergit porrò: *Sed non solùm sub Monachatus sui primordia atque media, sed ad postrema vsque ipsa, & obitum*, S. BENEDICTVM *iisdem Regulis suos Monachos informasse, vestrorum assertionibus (quod absque eorum testificatione dicere non ausi essemus) cogimur profiteri.*

Quam mordicus tuetur Galonius. Pag. 86. & seq.

Secunda sententia asserit, S. BENEDICTVM, primùm Regulæ *S. Augustini* subfuisse, quòd nimirum hic sanctissimus Doctor suam Latinis præscripserit.

Secunda, sub S. Augustini.

Tertia sententia est Patris Didaci Coria in Elucidario Chronici, & antiquitatum Ordinis Carmelitici, qui censet Romanum S. BENEDICTI Nutritorem, fuisse Ordinis Carmelitarum, citans Ioannem Paleonydorum itidem Carmelitam, qui Romanum Caprasij, ad quem Ioannes Ierosolymitanus librum scripserit *de Institutione Monachorum*, discipulum facit. Ex quo Auctore in hunc ferè modum differit Coria: Caprasius Abbas quaqua-versus Monachos suos emittebat, vt verbum Dei contra hæreticos disseminarent. Fælicem autem & Liberatum in Africam, Roma-

Tertia, sub Carmelitarum. Coria lib. 1. cap. 17. & l. 4. cap. 16. Paleonyd. lib. 2. cap. 6.

A num Constantinopolim direxit. Fælix verò cùm Romano vices commutauit; ille enim cum Liberato mansit Constantinopoli; hic Africam petijt; vbi cùm videret S. Augustinum cum suis hæreticos confutare, transmisit in Italiam. Et paulò pòst subiungit: Romanus Abbas mansit, vixitque in Vmbria, in Monasterijs quæ in illa erant Prouinciâ: atque ibidem Deus eum Magistrum instituit S. BENEDICTI Abbatis, Patriarchæ Monachorum per Europam. Sic ille. Seruasset proinde Ro-
B manus Regulam Ioannis Ierosolymitani, Caprasio Magistro suo inscriptam, & toti Carmelitarum Ordini, vt volunt, præscriptam. Quàmuis Coria putet, tum eum Regulam S. Basilij fuisse secutum.

Quarta sententia est, S. BENEDICTVM vixisse sub Regulâ *Adeodati* Abbatis; sub illâ enim S. Romanum militasse, asserit S. Gregorius. *Vir autem Dei in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano Monacho, omnibus hominibus ibi incognitus mansit. Qui videlicet Romanus non longè à Monasterio sub Theodati Patris Regulâ de-*
C *gebat.*

Quarta, sub Adeodati.

Lib. 2. Dialog. cap. 1.

Quamuis autem Sanctissimo Patriarchæ, aut Ordini nostro non esset indecorum; quod alterius cuiusdam Sancti, antequam suam scriberet, subsuisset Regulæ; (prout Patribus Dominicanis nihil decedit; quòd gloriosus eorum Fundator anteà fuerit Canonicus Regularis, sicut S. Antonius de Paduâ, posteà Ordinis Minorum S. Francisci) nullam tamen ex præcedentibus sententijs arbitror veritati consentaneam. Proinde asserimus, S. BENE-
D DICTVM neutiquam illi subsuisse Regulæ, sub quâ S. Romanus, eiusque Confratres militabant, nec vlli etiam alteri, sed quamdiu specum incoluit, Deo immediatè fuisse subiectum, & Abbatis vice illi fuisse Spiritum sanctum, cuius instinctu tam arduum vitæ genus susceperat, cuius vnctione deinceps dirigebatur.

S. Benedictus nulli Regulæ subfuit antequam suam scriberet.

Elicitur hæc sententia ex ipsâ S. BENEDICTI vitâ, ex quâ constat, cum in conuersionis suæ primordijs Anachoreticam,
E non Cœnobiticam duxisse vitam: non in Monasterio, sed in specu habitasse: Abbati & Monachis, imò, vt S. Gregorius ait, *excepto Romano, omnibus hominibus ibi incognitum mansisse.* Qui ergo potuisset istius Ordinis aut Regulæ censeri, quam nunquam viderat? Quomodò Monachus esse Monasterij, quod nunquam intrauerat? Quomodo subditus Abbati, quem Abbas iste viuere ignorabat? Nihil ergo commune cum istis Religiosis in cæremonijs, legibus, totoque viuendi modo S. P. habuit: nec communi

Probatur.

cum

cum cæteris vsus est refectorio, sed certis tantùm diebus pane vescebatur, quem pio furto sublatum Romanus ei deferebat.

Ex his corruunt iam omnia fundamenta pro alijs opinationibus adducta: ne quid tamen desiderari queat, ordine singulis respondeamus.

Responde-tur obiectio-nibus.

I. Ac primò quidem, si, quod negauimus, admitteremus S. BENEDICTVM eandem cum Romano seruasse Regulam, iam sanè probatum esset, neque S. Basilij, neque Augustini, neque Carmelitarum eam fuisse, cùm Gregorius disertè asserat, sub Theodati Patris Regulâ vixisse: Nec est quod B concedamus Theodati Patris Regulã fuisse vnam ex tribus nominatis, quasi tunc aliæ nullæ fuerint. Eâ enim ætate passim Abbates sibi, suisque particulares concinnabant Regulas, vt alibi probatum est: Idemque dici potest de Monasterio illo, cui breui tempore S. BENEDICTVS præfuit: vnde enim constat illud sub S. Basilij, aut Augustini Regulâ fuisse?

Suprà lib. 1. tract. 1.

II. *Patris nomen quibus tribuitur.*

Si quæras; quomodo ergo S. BENEDICTVS vocat S. Basilium *Patrem* suum? Respondeo, nomen *Patris* tribui solere præ- C stantissimis in Ecclesiâ Dei scriptoribus, prout communiter sanctos *Patres* nominamus: inter quos valdè celebris est S. Basilius. Deinde, titulus hic frequens est apud Monachos: nam vt S. Hieronymus ait: *Vulgato sermone, maximè in Palæstinâ & Ægypti Monasterÿs, se inuicem* PATRES *vocant.* Et Cyrillus Alexãdrinus Epistolam, quam misit ad Presbyteros & Diaconos, quæ habetur in actis Synodi Ephesinæ, inscripsit:

Hieron. lib. 4. in Matth.

Part 1. c. 11.

Πατράσι μοναχοῖς, *Patribus Monachis.* Ex D quâ inscriptione, perperam quis Cyrillum Monachorum istorum fecerit discipulum. Audiendus porrò Augustinus causam explicans, cur PATRIS nomen aliquibus tribuatur. *Honoroficentiæ causâ* PATRES *appellamus eos, qui nos vel tempore vel meritis præcesserunt; Nam illud honoris est, vt quotidie senibus dicamus,* PATER.

Aug. Col-lat. Carr. 3. cap. 242.

Ex his igitur capitibus S. Basilium Legislator noster *Patrem* appellauit, nempe quia insignis Ecclesiæ Doctor, quia Monachorum institutor, quia tempore anti- E quior.

III. *Titulus Patris nostri expenditur.*

Quòd si vlteriùs instes, non vtcumque vocasse *Patrem*, sed expressè dixisse, *Regulam Patris nostri Basilij.* Respondeo, nec pronomen *nostri* quidquam concludere: nam & illud honoris & obseruantiæ causa addi solet. Ita in Vniuersitate Louaniensi & alibi, sacræ Theologiæ Doctores *Magistri nostri* vocantur, etiam ab ijs, quos non erudierunt. Ita etiam Iudam Rabbi, Simeonis filium, propter doctrinæ probitatisque ex- A cellentiam Iudæi *Rabbenum Haccados*, id est, *Magistrum nostrum sanctum* cognominant, vt testis est Galatinus. Titulus porrò S. P. N. passim Sanctorum, & præsertim Monachorum libris præscribitur: vt videre est in Bibliotheca veterum Patrum, vbi sæpiùs occurrit; v. g. S. P. N. Antiochi in Laurâ primum Monachi, &c. S. P. N. Dorothei Archimandritæ, &c. S. P. N. Climachi *Scala Paradisi*, &c. S. P. N. Germani Patriarchæ Constantinopolitani *Theoria* &c. S. P. N. Marci Eremitæ opuscula; ita quoque pleraque opuscula S. Ephræm Syri B inscribuntur; imo in Græcorum Menologio ita habetur. Quinto Calend. Februarij, *commemoratio S. Patris nostri Ephræm Syri.* Ex quo videas, non tantùm Epigraphes librorum hunc titulum prætulisse, sed etiam in citationibus aut commemorationibus, Sanctorum Auctorum nomini adiunctum fuisse. Atque vt ad Basilium reuertamur, eundem hoc titulo ornat S. Amphilochius, Iconij Episcopus. *Fratres*, inquit, *vtilem quamdã vobis facere institui narrationem, de celebri Basilio, ac Ephræm Syro: eo- C rum scilicet, quæ partim in sancto Patre nostro Basilio perspexi.* Amphilochius autem non discipulus, sed perfamiliaris Basilio fuit. Sed & tituli librorum ita prænotantur: S. P. N. Basilij Ascetica &c. Quare existimo S. BENEDICTVM eundem morẽ imitatum, præsertim cùm impensè eũ coleret, velut Monasticarum Regularum Conditorem. Quid, quòd & ipsi Græci eundem titulum S. BENEDICTO tribuant, dum in Menologio suo, 14. Martij eius Natalem ita recensent. *S. Patris nostri* BENEDICTI, *multorum* D *Monasteriorum Patris, celeberrimi, pietate, & miraculorũ multitudine illustris.* Imò in quodam Breuiario Benedictino in Oratione de S. Antonio, ita habetur. *Deus qui gloriosum Patrem nostrum Antonium:* vt videas ex illo titulo inferri non posse, illum esse Ordinis parentem, cùm nec Græci S. BENEDICTVM, nec Benedictini S. Antonium eo loco habeant. Quid, quod & Breuiarium Romanum in communi Confessoris Pontificis, hunc titulum cuicumque istius Or- E dinis Sancto tribuat, cùm ex Sermone sancti Maximi Episcopi ita legendum statuit: *Ad sancti ac beatissimi Patris nostri N.* &c. & deinceps: *Benè & congruè in hac die, quam nobis beati Patris nostri N.* &c.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Galat. lib. 1. cap. 2.

Præfigitur libris veterum Patrum.

In comparatione Basilij & Ephræm. habetur initio operum S. Ephræm.

Græci eo S. Benedictum insigniunt.

Denique, si ad hominem argumentari licet, destruetur Callonij argumentatio, qui negat sanctum Gregorium Benedictinis annumerandum, quòd sanctum BENEDICTVM *Patrem* nominet. Siquidem etsi ex relatione Patris ad Filium, posset speciem aliquam habere argumentum; tamen cùm liqueat consuesse Gregorium

Argumentum in argumentatorium.

In Apolog. pag 104.

Lib. 1 Dial. cap. 1. 2. 7.

DE REGVLA S. BENEDICTI. *Patres* nominare insignes virtute Monachos, vt Honoratum, Libertinum, Nonnosum aliosque, argumentum euanescit. Jta ille. A

Cui suâ iam credo solutũ monetâ. Nam verba ipsius de S. BENEDICTO, respectu Basilij repetimus.

Quæ autem Regula seruata in Sublacensibus Monasterijs, patebit inferius. Hoc tract. Disp. 3. Sicut etiam alibi dissoluemus quod ait, viuente S. BENEDICTO Regulam eius Infrà tract. 6. disp. 1. in Italiâ non fuisse seruatam, aut publicatam.

Euertitur tertia sententia. Iam verò quæ pro Carmelitano Ordine attulit Didacus de Coriâ, parum stringunt. Paleonydorus enim non absolutè asserit, sed dubitanter ait: *Quidam verò opinantur istum Romanum S. BENEDICTO habitum monasticum tradidisse.* Sed huic eorum *Quæ ex eâ sequantur absurdâ.* opinationi Chronologia repugnat. Nam cùm S. Romanum Simpliciano coæuum faciat, & tempore S. Augustini Africam adijsse, eundemque posteà S. BENEDICTO habitum dedisse, admittere cogitur, eum ducentis ferè annis vixisse. Simplicianus C enim Anno 350. primùm innotuit, & iam admodum senex, Anno Christi 390. S. Ambrosio in Episcopatu successit, centum videlicet annis antequam S. BENEDICTVS eremum peteret. Deinde S. Augustinus quinquaginta annis ante natiuitatẽ S. BENEDICTI obijt. Quibus adde, S. Romanum vnanimi Historicorum consensu S. BENEDICTO fuisse superstitem, vnde ille idem esse non potest, qui cum Simpliciano & Augustino hæreticos impugnauit.

Præterea Romanus ille Caprasij discipulus in Europam venit (vt Coria asserit) D velut prædicator promulgaturus Regulam S. Basilij, & Monasteria erecturus: at qui S. BENEDICTVM vestiuit, nec concionator, nec Abbas, nec Cœnobiorum fundator exstitit, sed priuatus vixit sub REGVLA Theodati Patris, non S. Basilij; quam si Romanus ille Simpliciano contempo-Comment. in Regul. Carmelit. part. 1. dub. 1. raneus seruarit, mirùm profectò est, quomodo Coria eum Carmelitis accenseat, cùm Thomas à Iesu asserat Carmelitarum Regulam nihil commercij, societatis, aut similitudinis cùm S. Basilij instituWald. de Sacrament. tit. 9. R. 4. c. tionibus habere. Et Thomas Waldensis dicat: *Ordo Carmelitarum à Ioanne Patriarchâ Hierosolymitano Regulam viuendi Græcè conscriptam accepit, quam pleniori post sub Alberto Patriarchâ formâ digestam inspexit.* Sed ipse Coria cum sui Ordinis hominibus hanc pugnam depugnet. E

DISQVISITIO II.

Cur suam S. BENEDICTVS conscripserit REGVLAM?

QVÆSITI huius caussa est, quòd non deessent Monasticæ Leges, sub quibus Deo liceret militare. Nam præter S. Basilij, quàm ipsemet S. Pater citat Regulam, aliæ exstabant plures; vt visum libro superiore, & iam olim Cassianus de typorum, siue Regularum multitudine conB questus fuit. Cur igitur nouam, antiquorum Patrum venerator eximius, Monachis condidit Regulam?

Respondetur, eamdẽ S. P. BENEDICTO Regulam scribẽdi fuisse caussam, quæ iam olim & alios Monachorum Patres ad hoc impulit, de quo audiendus Cassianus, hunc in modum disserens: *Eâ tempestate quâ primitiuæ Ecclesiæ perfectio penes successores inuiolata adhuc durabat, venerabiles Patres tractaturi conueniunt; quinam modus quotidiano cultui per vniuersum fraternitatis corpus decerni deberet, idq, ideò vt hæreditatẽ pietatis ac pacis etiam successoribus suis absolutam ab omni dissensionis lite transmitterent: verentes scilicet ne qua in quotidianis solemnitatibus inter viros eiusdem culturæ consortes dissonantia, vel varietas exorta, quandoque in posterum erroris, vel æmulationis seu schismatis noxium germen emitteret.* Hæc ibi. *Quæ impulerint S. BENEDICTVM ad scribendam Regulam* Cassian. l. 2. Instit. c. 5.

Scripta igitur S. BENEDICTI est Regula; Primò, vt eius viuendi forma hoc veluti *Quatuor Caussæ.* speculo expressa, transiret ad posteros. Secundò, ne inter eiusdem Ordinis religiosos, pro cuiusque voluntate, varius esset viuendi modus; néve de eo inter se, vt fieri solet, hinc inde disceptarẽt. Tertiam caussam addit S. BENEDICTVS, dicens: *Regulam* Cap. 73. Regul. *hanc descripsimus, vt eam obseruantes in monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut initiũ conuersationis nos demonstremus habere.*

Quartò, peculiarem scripsit Regulam, quod Spiritus sancti instinctu, vt admodũ est verisimile, moueretur: de eo enim S. Hildegardis ait: *Ipse gratiâ Spiritus sancti hoc modo perfusus erat, quod in nullo opere sui vel ut in puncto momenti, & ictus oculi virtute Spiritus sancti carebat.* Quare ad præcipuum hoc opus, eum ex Spiritus sancti impulsu accessisse, ambigi non debet.

Cur autem nullam præcedentium Pa-*Cur nullam Patrum Regulam sumpserit.* trum assumpserit Regulam, id fortasse factum, quòd alia quædam ab illis non expressa, voluerit adijcere; alia tempori, loco, & personis, quibus præerat, non viderentur satis opportuna. Et liceat nobis S. An-Antonin. in Sum. Hist. p. 2. tit. 15. cap. 7. in fine. tonini vestigia premere, & dicta ab eo fine arrogantiâ repetere: *Regula*, inquit, *Basilij, satis intricata est, Regula Augustini multum* gene-

generali, & ad particularia parum descendens; sed Regula sanctissimi BENEDICTI *singula quaque clarè describit.*

S. Benedictus Regulam suam Occidentalibus attemperauit.

His accedat, quod Regulam suam S. BENEDICTVS ad Occidentalium mores, & incipientium capacitatem potissimùm attemperauerit. Ità & Pseudo-Augustinus: vel Auctor Institutionis de vitâ Eremiticâ, ad Sororem scribit: *Hac, Soror charissima, de exterioris hominis conuersatione, non pro antiquitatis feruore, sed pro huius nostri temporis spatio, te compellente conscripsi, infirmis temperatum quemdam modum viuendi proponens,* B *fortioribus ad perfectiora progrediendi libertatem derelinquens.* Eandem caussam auctor vitæ S. Eugendi adfert, cur Regulam S. Basilij non sequeretur: *Sic namque, ait, quòd non omninò illa qua quondam sanctus ac præcipuus Basilius, Cappadociæ vrbis Antistes, vel ea qua Sanctorum Lirinensium Patres, sanctusq; Pachomius Syrorum priscus Abbas, siue illa, qua recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosâ præsumptione calcemus, sed ea quotidie lectitantes, ista pro qualitate loci, & instantiâ laboris inuictâ, potius quàm Orientaliū perficere affectamus,* C *quia procul dubio efficaciùs hac, faciliusq; natura vel infirmitas exequitur Gallicana.* Sic ibi. Quæ etiam S. BENEDICTO conueniunt. De quo ita Vindocinēsis Cardinalis: *Qua ante illum Patres sancti constituerūt, velut lex Moysi, dura & aspera fuerunt. Sapientis verò* BENEDICTI INSTITVTIO SANCTA, *suauis, & leuis est: & matre virtutum Discretione videlicet plena. Antiquorum sanctio Patrum, quasi veteris Legis cultores habuit. Pius autem & discretus Pater* BENEDICTVS *illorum Statuta tāquam dura legis austeritatem temperans, nos noua gra-* D *tia filios procreauit. Illa quasi vetera penè vel penitus omnia transierunt: & ecce à* S. BENEDICTO *facta sunt noua.*

Sur. 1. Ianu.

Goff. Vindoc. serm. de S. Bened.

Quòd si vllam præcedentium Patrum voluisset assumere Regulā, vix vllū credo esse dubium, quin S. Basilij, quam commēdat extremo Regulæ capite, prælegisset. At quàm multa voluit S. BENEDICTVS cōstituere, de quibus S. Basilius nullā omninò fecit mētionem: exempli caussâ, de formâ Diuini Officij, distributione Psalmorū: de continuo ieiunio ab Idibus Septembris vsque ad Pascha: de abstinētiâ à carnibus; de quibus omnibus nihil in Regulâ S. Basilij. De ieiunio certè nullū peculiare statutum inuenitur: & carnium esus non solùm non interdicitur, sed expressè conceditur, vt patet in Regulis fusioribus Interrog. 19. & 20. vbi Basilius apertè Monachis, se nolle carnium esum negare, fatetur. De silentio quoque nocturno, in Basilij Regulâ sermo non fit. Aliaque passim occurrunt apud S. BENEDICTVM, de quibus ille tacet. Quinimò Cassiani Institutiones, & Collationes

Quæ multa statuerit, de quibus nihil Basilius.

E

A magis, quàm Basilij Regulam sequi videtur: quamquam & ab illo nonnūquam dissentiat. Ac proinde sufficientes illi erant rationes, cur nouam, & ab alijs distinctam conscriberet Regulam.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Denique Clemens Reynerus, libro de Apostolatu Benedictinorum in Angliâ, ait S. BENEDICTVM non scripsisse Regulam, vt peculiare genus Monachorū, à reliquis diuersum institueret: sed vt omnes omninò Monachos, qui tunc passim sine Regulâ certâ in Occidente viuebant, certâ fixaq; disciplinæ normâ informaret. Quod S. Hildegardis verbis confirmari posse videtur, ita enim ait: *Ante tempora B. Patris huius* BENEDICTI, *nullâ certâ Regulâ Monachi confirmati, diuersâ incertitudine & instabilitate, hàc & illàc vagabantur, certo magisterio, & certâ locatione carentes.*

Reyner. Tract. 1. §. 10. Monachis fixe Regula.

Hildeg. in Expl. Reg. S. Bened.

DISQVISITIO III.

Quo tempore, & loco Regula S. BENEDICTI *scripta?*

QVÆSTIONIS sensus est: num cùm adhuc in Sublaco duodecim illa extrueret, regeretque Monasteria, an verò postquam in Cassinum demigrasset montem, Regulā suam sanctissimus Patriarcha noster exararit. Quâ in re video Prosperū Stellartium in Chronologiâ Monasticâ ad an. Christi 510. asserere, eo circiter anno, aut paulò pòst, desertis scilicet discolis illis Monachis, qui veneno Sanctum Patrem extinguere conati erant, deamatam in solitudinem repedasse, vbi, inquit, REGVLAM scripsit Monachis melioribus tradendam.

Stellartij opinio.

Alij tradunt, exstructis iam in Sublacensi solitudine duodecim monasterijs conscriptam fuisse Regulam. In hāc sententiā est Guilielmus Gazæus, qui in historiā de vitis Sanctorum Gallicè scriptā, ait: Duodecim exstruxit Monasteria, & in singulis duodecim collocauit religiosos, cum Abbate, sanctisque legibus & constitutionibus, vt ibidem viuerent sub præscriptâ ab eo REGVLA, in omni castitate & obedientiâ. Idem tradit Clemens Reynerus, lib. de Apostolatu Benedictinorum in Angliâ, in præfatione, dicens: BENEDICTVS Regulam Sublaci scripsit, & obseruandam Monachis suis tradidit, anno circiter 506. In eādem sententiâ esse videtur Hugo Menardus in Libello de Origine & incremento Ordinis S. BENEDICTI, circâ finem. Breuiarium quoque Romanum, & Monasticum referēs B. Patrem duodecim ædificasse Monasteria, mox subdit: *Eaq; sanctissimis Legibus communiuit. Posteà Cassinū migrauit.* &c. Fauet eidē sententiæ Ioan. Lesleus Histor. Scot. lib. 4. dicens: In Cassinum se

Auctores qui Regulam Sublaci scriptam censent. Guil. Gazæi.

Clem. Reyneri.

Menardus.

Ioan. Leslæus. Hist. Scot. lib. 4.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

oppidum tamquam angulum abdidit, ac condito monasterio, quosdam socios ad sanam vitæ rationem traductos, REGVLA A SE PRIMÒ CONSTITVTA informauit. Et ante eum Adreualdus Floriacensis ità ait: *Qui de re actum est, vt fama tanti viri, amatores quique sacræ religionis ad eum confluerēt: seq; institutis illius deuotissimè subderent. Adeò vt confluētis ad se multitudinis iuuamine duodecim inibi Monasteria, haud longè à se disparata construeret: singulisque in locis, duodenos Monachos delegaret. Qui prælatis sibi Patribus obediendo, sanctæ* REGVLÆ *præceptis mitia subderent colla.* Et sanè ante Cassinensem commigrationem, scriptam seruatamque fuisse REGVLAM, ex S.Gregorij lib.2.Dialog.narratione apparet, ubi cap.12.dicitur: *Cumque hoc de vsu Regulæ sollicitè seruaretur,* &c. cap.18.obiurgantur qui mappulas acceperant contra *Regulæ* caput 54.

Adreualdus lib.1.de Mirac. S. Ben.cap.3.

Ex S.Gregorio.

Sed enim vel maximè hîc audiendum duxerim R.mum Abbatem Caietanum, qui hanc inter Sublacenses, & Cassinēses controuersiam accuratius excussit: & libro de S.Gregorij Monachatu, ità disserit. Sublacensibus Patribus fauent tum ratio, tum auctoritas. Ratio, quia cùm S. BENEDICTVS Sublaci duodecim erexisset cœnobia, aliaque alibi etiam exstructa informasset; ea omnia sine Regula gubernasse, quis affirmat? Rem hanc Leo IX. sanctissimus Pontifex apertissimè fassus est, qui cùm Sublacum piè perlustrasset, dicebat, vt est apud antiquum Auctorē Sublacēsis Chronici: *Mirabilis est locus iste per omnipotentem Deum. Hoc Monasterium caput est omnium Monasteriorū per Italiam constitutorum, & verè, quia inde Auctor & caput omnium Latinorum enituit Monachorum, &* REGVLA *ibi ab eodem sanctissimo viro descripta, in totam Latij exijt amplitudinem terrarum. Neque enim credendum est, vt tot Monachi, tantaque ab ipso in ijsdem locis cōstructa Monasteria, sine Regulâ fuissent: sed procul dubio qui Monasteria fecit & Monachos, ipse eis Regulam tradidit, non aliam, nisi quam ipse à Spiritu sancto edoctus exarauerat.* Hæc Leo.

Constantinus Caietanus.

De S.Greg. Mon.sect. 6.

Leo IX. sedit an.Christi 1049.

Auctor Chronic. Sublac. in Ottone Abb. apud Caiet. MS. Leo IX.

Accedit auctoritas Petri Boërij, egregij Decretorum Doctoris, cuius hęc sunt verba: Refert etiam Fulgentius, quòd Abbas Egesippus scripsit Regulam Monachis S. Seuerini, quam iure hæreditario eis reliquit: Si enim fuerit hæc Regula propria, aut aliqua ex prædictis quidem (Pachomium, Basilium, & huiusmodi ceteros Regularū scriptores intelligit) vel alia, ignoro. Potuit enim esse Regula BENEDICTI, quam ipse vel fecit, aut saltem incœpit in *Valle Specus*, regnante Papâ Anastasio II. & Imperatore Anastasio I. circa annos quingentos à Christi natiuitate. Cassinenses au- A tem Monachi dicunt eam in eorum cœnobio fabricatam, cùm inde etiam recessit Maurus, ipsam, panis pondus, viniq; mensuram apud Gallias conferens, vt in vitâ Mauri legitur, & in expositione ad Regulam Petri Diaconi Cardinalis.

Petrus Boërius. Sup. Reg. S. Bened. cap 37. MS. Sublac. & in S. Ben. Maur.

Vit.Mauri apud Sur. 15 Ianuar.

Verumtamen cùm teste Gregorio, 2. Dialogorum, in Valle Sublacensi, in quâ Specus est antedictus, duodecim Monasteria BENEDICTVS construxerit, quorum cuilibet duodecim Fratres sub Abbate instituerit; satis puto verisimile, ipsam Re- B gulam ibi saltem inchoatam fuisse: & præstant etiam argumēta multa, quæ in dicto Dialogo continentur: & versus quos legi, manuque extraxi propriâ ex silice dicti Specus, qui sunt hi:

Ornatam fidem fuit hic data Regula pridem,
Hic & cunctorum mādat Lex Monachorum,
Currite, quid statis, mea gaudia sumite gratis.

Versus antiqui.

His Boerius vicem agit Sublacensium Monachorum,

Verùm ex alterâ parte non minores auctoritates & rationes sunt, pro ijs, qui Cas- C sini demum exaratam Regulam volūt. Antequam verò pluribus id confirmem; præmittendum duxi: vsitatam Legislatoribus plerisque hanc gubernandi formam, vti priùs quidem absque vllis scriptis regant Legibus; deinde verò eas, quas vsus aut experientia probauerit, figant cōstitutiones. Apostoli sanè neq; à Christo aliquod scripto præceptum acceperunt, neque (si Irenæo credimus) per totos quindecim post Christi ascensionem annos, vllo Ecclesiam scripto docuerunt. Nam principio viuâ D tantùm voce, & διὰ τῶν ἀγράφων, fideles instituebantur. Quinetiam, eodem S.Irenæo teste, ducentis fermè à Christo nato annis, multæ gentes exstiterūt, quæ sincerè credebant in Christo, non vllâ scripturâ, sed solâ voce perdocti.

Legislatores initio sine scriptis regunt.

Iren.lib.3. cont.hæres.

Iren.lib 3. cont.hæres. cap.4.

Atque vt ad Monasticas accedamus Regulas, satis apparet Basilium cum Monachis aliquamdiu vixisse, antequam suas conscriberet Regulas, vt manifestè colligitur ex proœmio Regularum fusiùs disputatarum. De Augustini Regulâ, res est cer- E tissima, plutibus iam annis Moniales, quibus illam scribebat, absque vllâ scripta vixisse Regulâ. Ipse enim Epistolâ 109. quâ Regulam præscribit, testatur Sanctimoniales illas per multos annos in Monasterio sub Præpositâ, quam mutari desiderabant, perseuerasse, & numero & ætate creuisse. Antè illam verò, Sororem suam eidem Monasterio fuisse Præpositam. Erant igitur sine Regulâ velatæ, professæ, multiplicatæ, & æternùm fortè sine Regulâ in sancto proposito mansissent nisi Præpositam mutari volentes, inde-

Quod exemplis ostēditur S.Basilij.

S.Augustini.

Brunonis.

indecenter fuissent tumultuatæ. S. Bruno A Carthusianorum Parens, nihil scripsit, sed Statuta eorum primus Guigo exarauit, qui fuit quintus eiusdem Ordinis Generalis.

Et S. BENEDICTI imprimis.

De sancto BENEDICTO verisimile quoque est, eum non statim à principio, sed post longam annorum experientiam, suam condidisse Regulam. De quo ferè ita statuit Antonius de Yepez: Postquam S. Pater irreligiosos istos religiosos, qui mortem ei machinati fuerant, reliquisset, verereturque non dissimiles in alijs Italiæ Monasterijs reperiri, REGVLAM scribere B meditatus est; quâ abusibus, quos aduerterat, & manu veluti palpauerat, remedium adferret. Dei hæc erat inspiratio, qui animum ei ad heroicum hoc tantæque vtilitatis opus suggerebat. Magna hæc Sublacensium Monachorū dignitas, quod sanctissimus Patriarcha triginta quinque annis apud eos commoratus est; ex quibus primos solus egit, reliquos ædificandis duodecim impendit Monasterijs, quibus eas præfixit leges & præcepta, quæ deinceps in Cassinate monte expoliuit C perfecitque, eâ formâ disponens REGVLAM, qua hodieque eam videmus. Ad annum verò IESV Christi 529. sub finem rursus agens de REGVLA, ait: Sanctus Patriarcha duodecim Monasteria in Sublaco, viuâ voce, & absque scriptis gubernauit Legibus; fuit hæc Regula ad instar tabularum Legis, quam Deus Moysi dedit, postquam cum eo quadraginta diebus in vertice montis Sina versatus fuit. Vndè Desiderius Cassinensis Abbas (qui postea fuit Victor Papa III.) in cōstructa à se Cas- D sinensi Basilicâ, aureis litteris in absidâ sub pedibus Baptistæ, & Euangelistæ Ioannis, hos versus describi præcepit:

Yepez ann. Christi 520.

Auctores qui Regulam in Cassino scriptã aiunt.

Ant. Yepez.

Desiderius Cassin. Abbas.

Leo Ostie. lib 3. cap. 27. in edit. secundâ c. 29.

Hæc domus est similis Synaï sacra iura ferentis:
Vt Lex demonstrat, hic quæ fuit edita quondam.
Lex hinc exiuit, mentes quæ ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per climata sæcli.

Censuit ergò Desiderius Abbas, Cassini scriptam Regulam. Ex quo capite Pontij Cluniacensis Abbatis, qui se *Abbatem Abbatum* nuncupauerat, arrogantiam in Ro- E manâ Synodo Ioannes Cancellarius refutauit. Nam, vt Petrus Diaconus habet: *Interrogatus à Ioanne Cancellario, si Cassinenses accepissent Regulam à Cluniacensibus, an Cluniacenses à Cassinensibus? Pontius respōdit, quòd non solùm Cluniacenses, verumetiam omnes Monachi in orbe Romana degentes, Regulam Patris* BENEDICTI *à Cassinensi cœnobio acceperunt: tum Cancellarius; Ergo si ex Cassinensi cœnobio, tamquam à viuo fonte Monastica religionis norma manauit, iure ac meritò Cassinensi Abbati hæc prærogatiua à Romanis Pontificibus concessa est.* Confirmari vlterius hęc sententia potest ex dictis summorum Pontificum, eorumque signatis diplomatibus, quibus Cassinensi Monasterio supremum inter omnia totius orbis monasteria locum decreuerunt: Callistus Papa II. in Concilio Romano, hæc coram Episcopis dixisse refertur: *Cassinensis Ecclesia per Iesum Christum fundata est: cuius imperio Pater* BENEDICTVS *ad eundem locum deueniens, illumque ab idolorum sordibus emundans, sanctæ Regulæ descriptione, & miraculorum prodigijs, & sui corporis sepulturâ, toti orbi spectabilem reddidit, & totius Monastici Ordinis caput effecit.* Ita Petrus Diaconus. Alexander verò II. in Priuileg. de reuelat. corporis S. BENEDICTI, Cassinense Monasterium vocauit *Monasticæ normæ principale Gymnasium.* Et Vrbanus II. in Bullâ à Clemente Papa IV. cōfirmatâ, cùm dixisset, *Monasterium Cassinēse caput omnium monasteriorum perpetuò habetur*, eiusdem rei caussam subnectens, ait: Et meritò; *nam ex eodem loco de* BENEDICTI *pectore Monasticæ Ordinis Veneranda Religio quasi de Paradisi fonte manauit.*

Pett. Diac. l. 4. Chron. Cassin. cap. 62. & in edit. 2. c. 60.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Callistus II.

Pett. Diac. Chron. Cassin l. 4. c. 78. edit. Math. Laur. Neap. 1616. & in prior. edit. ca. 80.

Alexander II.

Vrbanus II.

Amplissimum porrò est huius rei testimonium, atque antiquitate venerandum, quod Zacharias Pontifex in Priuilegio eidem monasterio concesso inseruit his verbis: *Præterea corroboramus, ac in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio, eiusq; successoribus, in omni conuentu Episcoporum & Principū, superiorem vniuersis Abbatibus sedem: & in consilijs & iudicijs priorem sui Ordinis omnibus sententiam proferre, pro reuerentiâ tanti loci, qui primum & summum monasticæ vitæ Legislatorem viuum & mortuum in perpetuum retinere promeruit: quique ipsius Legislationem in eodem Cassinensi cœnobio scribens, verbo & exemplo cœnobiale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius enitbrauit. Pro quo Cassinense cœnobium exaltantes, decernimus ac in perpetuum confirmamus, vt supradictus locus dignitate, vigore ac honorificentiâ præcellat omnia monasteria, quæ constructa vel construenda sunt in tota orbe terrarum. Abbasq; eiusdem loci celsior ac celebrior existat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus, illicque lex Monastici Ordinis caput teneat ac principatum: vbi eiusdem Legis descriptor* BENEDICTVS *Pater sanctissimus eandem describens promulgauit Regulam: ibiq; Abbates & Monachi honorem & reuerentiam deferant; & ibi vsque ad diem iudicij quærant Doctorem, vbi Monachorum vniuersalis Magister & Doctor* BENEDICTVS, *Pater almificus corporaliter vnà cum sorore suâ quiescens, gloriosæ resurrectionis diem exspectat.* Hæc Zacharias Pontifex. Quod autem ait, vt ibi *quærant Doctorem*, id deinceps passim factitatum legimus; nam vt Radulphus

Zacharias Papa.

Cassinensis cœnobij principatus in alta.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

dulphus in vitâ S. Liobæ refert, Bonifacius Moguntinus Archipræsul *misit in Cassinum montem Sturmin discipulum suum, virum genere & moribus nobilem, vt in Monasterio, quod B.P.* BENEDICTVS *instituit, disciplinam regularem, & vitam moresque Monasticos agnosceret, pastorque futurus, discipulus fieret; atque in suâ subiectione disceret, quomodo alijs præesse deberet.* Pari modo S. Willibaldus, S. Wilfridus, S. Benedictus Biscopius, Bedæ Magister, Adelardus, Ludgerus, alijque quamplurimi, Cassinense cœnobium adierunt, vt Benedictinæ Regulæ obseruantiam à Monachis istius loci discerent.

Radulph. apud Sur. 28 Sept. vit. S. Liob. cap. 10.

Ex Cassino petita olim Regula observantia.

B Carolus quoque Magnus, vt habet Leo Ostiensis in Chronico, ad Abbatem Theodemarum de Francia litteras misit, rogans, vt aliquot sibi de Monasterio B. BENEDICTI dirigeret Fratres, qui regularem disciplinam, in illis partibus iam extinctam, renouarent.

Leo Ost. li. 1 cap. 14.

Porrò & alij Scriptores in Cassinensi Monasterio Regulam litterarum monimentis consignatam scribunt. Petrus Diaconus, lib. de viris Illust. Montis Cassini: C *Scripsit autem (* BENEDICTVS *) iam senex in eodem Cassinensi Cœnobio Monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam.* Petrus Boerius in cap. 11. Regulæ ait, TEMPERIVS, *dictum esse secundum vulgare regionis Monastery Cassinensis, in quo fuit hæc Regula edita.* Nec verò quispiam miretur Boerium vtramque protulisse sententiam, Sublaci scilicet & Cassini scriptam Regulam; duplicem enim in Regulam S.P. BENEDICTI edidit explicationem; priorem in Gallia, existens Abbas S. Aniani, & Decretorum Doctor, ex quâ iam citatum testimonium protulimus: D posteriorem in Italiâ, factus Episcopus Vrbevetanus, quam petentibus Monachis Sublacensibus composuit, ex eâque D. Caietanus, quæ suprà attulimus, produxit, Trithemius quoque ibidem scriptam arbitratus est; nam lib. 1. de Viris Illust. nostri Ordinis, ait: *In monte Cassino gessit Abbatis officium triginta & quatuor annis, & Regulam scripsit omni discretione præcipuam, sermone luculentam.* Et lib. 3. cap. itidem 1. *Cassinense fundauit Cœnobium, in quo multitudinem Deo seruientium habuit Monachorum, quibus bonæ vitæ se viuum exemplum præbuit, ac Monasticæ disciplinæ Regulam descripsit.* Eamdem sententiam expressit Ioan. Bertels, qui Regulam S. Patris Dialogis suis præposuit, & in fine subiecit: *Finit Regula sanctissimi Patris* BENEDICTI, *ab ipso conscripta in monte Cassino. Anno Domini* CCCCCXXVIII. sed in anno, vt alibi ostendimus, halucinatur. Siluester Maurolycus ait, S. Patrem in Monte Cassino degentem, Angelicam scri-

Petrus Diaconus.

Lib. de Vir. Illust. Mon. Cas. cap. 1. MS. apud Constant. Caietan.

Boerius.

Cum duplex in Regulam explicatio.

Trithemius.

Lib. 1. de Vir. Illust. Ord S Ben. cap. 1.

Idem lib. 3. cap. 1.

Ioan. Bertels.

Maurolycus.

Lib. 1. Ocean. hist. fac. omn. Religion.

A psisse Regulam, quam cum suis seruauit Monachis. In eadem mente est Arnoldus Wion, qui in Tractatu de stirpe Anicia, agens de S. BENEDICTO, ait eum Sublaci primò Abbatē egisse, deinde Cassini, Tertulli patruelis sui castro, in quo *Monachorum Regulam* spiritu dictante diuino composuit; ex qua vniuersalis Occidentalium Monachorum Pater & Patriarcha nominari, & esse meruit. Et Simon Milletius, Annotatione ad lib. 2. Dialog. S. Gregorij, cap. 3. ait: Secūdum Monasterium ex duodecim Sublaci Monasterijs à B. Patre edi- B ficatis, quod nunc S. Scholasticæ appellatur, si antiquitatem spectes, in Ordine nostro primum esse, Cassinense nihilominus quantumuis postea ædificatum, gaudere hoc titulo, quòd totius Ordinis sit Caput, non quia locupletius, *sed quod in eo* S.P. BENEDICTVS *suam conscripsit Regulā*, celebriora ediderit miracula. Subscribere videtur Stephanus Binet, qui cum retulisset sanctum BENEDICTVM, Cassinum migrasse, subdit: Ibidem gloriosus Patriarcha instar Angeli vixit, eiusque Monachi erant An- C geli. Composuit diuinam illam Regulam, quam ipsemet euulgauit.

Wion.

Simon Milletius.

Steph. Binet.

In compēd. vit. Fundat. Ord cap. 10.

Sed iam auditis vtrimque testibus, & productis ab ijs rationum momentis, quæ probabilior nobis videatur sententia, aperiamus. Equidem post Constātinum Caietanum, libro de S. Gregorij Monachatu, sect. 6. in Boërij sententiam eundum arbitror: nimirùm, S. BENEDICTVM Sublaci quidem Regulam scribere exorsum, sed eam non omni ex parte perfecisse: Cassini autem auxisse, & omnibus numeris abso- D lutam, velut ab vltimâ auctotis manu edidisse. Quæ etiam sententia est Constantini Bellotti, hoc modo differentis: Indies autem ad eum cum magnâ confluente multitudine, ædificauit duodecim Monasteria, in quibus singulis duodecim Monachos constituit, quo tempore etiam Regulam, quam instituti sui alumni sequerentur, digerere cœpit; quâ enim ratione Monasteria ædificauerat, & in eis Monachos constituerat, sub singulis Abbatibus, si non peculiari formulâ eos instituebat? E Maximè cùm ad eum confluerent, quos iam alibi Monachorum vitam constabat esse professos, qui vtique, si non cognouissent sanctissimum Patrem BENEDICTVM nouâ normâ suos instituere Monachos, suam nunquam dereliquissent. Abbi verò idem auctor ait, S. Patrem Regulæ extremam manum imposuisse, cùm iam senex esset, & longâ experientiâ didicisset, quid addendum, quidve demendum Regulæ esset, quam iam ante in secessu Sublacensi scripserat. Ità ille.

Sententia Auctoris.

Regula cœpta est Sublaci, perfecta Cassini.

Bellot. in Greg. restit. pag. 108.

Pag. 115.

Regu-

Probatur varijs argumentis. Regulam porrò, dum Cassinatem inhabitaret montem, rursus ad incudem reuocatam, auctam, & alicubi correctam, inde confirmari posse videtur, quod in ipsâ Regulâ, cap. 17. agat de maiore & minore congregatione, quòd velit constitui Decanos, qui decem Fratrum curam gerant: disponat etiam, vt deni aut viceni cum senioribus pausent, agatque de senibus & infantibus, pluribusque officialibus: ex his, inquam, non difficulter colligitur, placuisse Legislatori nostro in Cassino aliam Monasterij formam, quàm olim Sublaci constituerat. Ibi enim duodenarium elegit Monachorum numerum, quem à S. Basilio fortasse didicerit: sic enim scribit: *Quemadmodum lex spiritualis pauciores esse quàm duodecim vetat illos, qui mysticum pascha manducent: item quoque eorum qui spirituali vitæ simul operam dant, denarius numerus ampliandus est, quàm restringendus.* Imitati & hoc primi Cistertienses, de quibus Sigeberti Continuator Robertus de Monte: *Et sicut ille* (BENEDICTVS) *per duodenos Monachos Monasteria constructa, adiuncto Patre disponebat, sic se facturos confirmabant.* Vbi ergo non nisi duodecim Monachi, qui vsus esse poterat Decanorum? aut quomodò deni, & viceni, cùm suis requieuissent senioribus? Quomodo tot, quot in Regulâ commemorantur, constitui Officiales? Et tamen, si ea S. BENEDICTO Sublaci etiamnum degenti fuisset mens, quam ex Regulâ colligimus, vt nimirùm, præter Abbatem & Præpositum, aliquot essent Decani, & alij in Regulâ expressi Officiales, facillimum ei omninò fuisset, numerum 156. Monachorum (quot erãt in duodecim Monasterijs, computatis etiam Abbatibus,) in duobus collocare Monasterijs, vt in vnoquoque essent 78. Monachi, & 7. Decaniæ: vel in tribus Monasterijs, in quorum singulis 52. essent Monachi, & Decuriæ 5. Et tunc omnibus Officialibus suus esse potuisset locus. Id verò cùm non fecerit; probabiliter dicere licet, posteà eum comperisse plures vni Monasterio assignãdos cœnobitas, & tum Regulam suam ijs per omnia adaptasse.

Cap. 21.

Cap. 22.

Basil. serm. 1.

Robert. de Monte an. 1107.

Postremò, ne quid dissimulem, adiungo, Abbatem Caietanum, libr. 2. pro Ioanne Diacono cap. 8. fateri, se priùs de hâc materiâ problematicè disputasse: nunc verò, affulgente veritatis luce, constantissimè tueri Sublaci conscriptam Regulam: in quo sanè Cassinenses, inquit, contrarium asserentes, iustam habent excusationem.

DISQVISITIO IV.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Regula S. BENEDICTI quoties scripta; quibus locis asseruata?

QVANTVM ex historiarũ monumentis eruere licet, videtur gloriosissimus Legislator noster REGVLAM suam pluries, minimumque bis scripsisse. Nam constat eam ipsam, quam scripserat, S. Mauro in Gallias proficiscẽti tradidisse Regulam, vt testatur vitæ vitæq; eius socius S. Faustus, qui ait: *Osculatis nobis ac benedictione super nos traditâ, dedit Sanctissimo discipulo Mauro librum* REGVLÆ, *quem ipse Sanctus* MANV SVA SCRIPSERAT, *proferriq; iussit pondus libræ panis, & vasculum æneum vini heminam capiens, & ita nos siuit abire.* Hæc Faustus.

S. Benedictus manu suâ sæpius Regulam scripsit.

Exemplar S. Mauro datum, in Gallijs diu asseruatum.

Remansit porrò Regula hæc in Gallijs, & apud Maius-Monasterium Turonense pro reliquijs asseruata fuit, visaque Sancto Petro Mauritio, nono Cluniacensis Monasterij Abbati, vt ex veteri quodam MS. Cassinẽsi codice refert R.P. Jacobus Breulius, Monachus S. Germani à Pratis. Memoriale autem est, quod de eodem libro in Fuldẽsium Antiquitatibus refert Christophorus Browerus, quod eius verbis hîc adscribam: Regulæ, inquit, Auctorem quâ reuerentiâ complexi sint Buchonij Cœnobitæ, vel indicio sit perantiqui codicis attestatio, in quo ad calcem Regulæ S. BENEDICTI adtexitur hoc præclarum Mnemosynon beati Patriarchæ.

Brovv. lib. 2. cap. 16.

Regula MS. ex B. Virg. Monte.

Quæ ad eius calcem verba adtexta.

Codex peccatoris BENEDICTI. *Væ mihi misero habenti contrariam mihi rem. Qui reus in his omnibus, * quæ aduersantur moribus meis malis. Tu verò borum Lector, si tuam vitam videris concordare præceptis, orans pro Scriptore, codicem redde Domino suo.*

* *Quia.*

Hæc verba sancti Patris reperta sunt in fine Regulæ, quam ipse manibus suis propriis scripsit; & S. Mauro, cùm eum ad Gallias mitteret, tradidit: quę Dominus ac Venerabilis Abbas * N. cùm apud Maius-Monasterium Turonense, in eâdem Regulâ, quæ ibi pro reliquiis seruatur, inuenisset, rogauit sibi apud Cluniacum transmitti; & in hâc Regulâ nostrâ, pro amore ipsius sanctissimi Patris nostri, iussit studiosè describi. Hæc de primo exemplari Regulæ S. BENEDICTI.

* Ruthardus: is Monasterium B. Virg. reformauit, cuius hic MS.

Prӕter hoc autem, alterum quoque eius manu exaratum in Italiâ mansisse, necessariò fatendum est. Cùm enim anno Christi 586. Longobardi Cassinense Monasterium vastarẽt (vti iam olim S. BENEDICTVS prӕuiderat) fugientes Monachi, Romam petierunt,

Exemplar alterum in Italiâ.

DE REGULA S. BENEDICTI.

tierunt, secum Codicem SANCTÆ REGVLÆ, quam præfatus P. BENEDICTVS scripserat, & quædam alia scripta, nec nõ pondus panis, & mensuram vini deferentes; vt tradunt Leo Ostiensis, & Aimoinus, de gestis Francorum. Post annos autem centum & ampliùs, instaurato à Petronace Cassinensi Monasterio, eadem REGVLA à Zacharia Papa, eodem relata est, vt præter Leonem Ostiensem testatur Adreualdus Floriacensis. Sed edisserat nobis ipse Pontifex hanc suam erga Benedictinos liberalitatem, qui in Priuilegio, quod Cassinensi B Chronico subnectitur, sic ait: *Hac autem eo die, quo Sanctißimi Patris Ecclesiam dedicauimus, paruitas nostra obtulit: libros scilicet* SANCTÆ SCRIPTVRÆ, *& librum* REGVLÆ, *quam* PIISSIMVS PATER MANV PROPRIA SCRIPSERAT. *Pondus etiam libræ panis, & mensuram vini, nec non diuersa ad Ecclesiasticum ministerium ornamenta, & possessiones Apostolicâ liberalitate concessimus.*

Leo Ostie. l. 1. Chron. Cassin. c. 2. Aimoin. l. 3. cap. 79.

Adreuald. lib. 1. de Mirac. S. Bened. cap. 13.

A Zachariâ Cassinatibus reddi-tur.

Ex hoc verò exemplari, suspicor Theodemarum, post Romanam è Laterano transmigrationem, septimum Cassinẽsem C Abbatẽ, curasse describi REGVLAM illam, quam Carolo Magno in Frãciam misit. Sic enim in eius Epistolâ, ad calcẽ Chronici Cassinensis editâ, habetur: *Volumen vobis* REGVLÆ *eiusdem B. Patris* (BENEDICTI) *de ipso codice, quem ille suis sanctis manibus exarauit, transscriptum direximus.*

Theodemarus describi curat pro Carolo Magno.

At enim vbi tam pretiosus thesaurus deinde remansit? Sanè, quod alijs rebus sanctissimis quoque euenit, in cineres & fauillas, proh dolor! abijt; vt testis est Leo Cardinalis Ostiensis lib. 1. Chron. Cassin. D cap. 51. *Septimo*, inquit, *huius Abbatis* (Ragemprandi) *anno, Monasterium Teanense occulto Dei iudicio cum omnibus operibus suis igne absumptum est; ibi etiam* REGVLA, QVAM BEATVS BENEDICTVS MANV SVA CONSCRIPSERAT; *& sacci, in quibus diuino iussu cælitus eidem Patri* BENEDICTO *esca delata sunt, & plura insuper cœnobij istius monumenta incendio conflagrarunt.* At ne omnia voracibus flammis perijsse putemus, subditur ibidem: *Quidquid à Fratribus de thesauro Ecclesiæ potuit quomodolibet eripi, in Episcopio* E *eiusdem ciuitatis repositum est.* Inter quæ fortè fuerit particula quędam REGVLÆ, quæ etiamnum in Cassinensi Sacrario inter reliquias asseruatur.

Quod ignis postea absumpsit.

Yepez ponit hæc ad ann. 890.

Seruato fragmento, quod Cassini superest.

Scribit enim Simon Millerius, se anno Domini 1605. in Sacristiâ Montis Cassini vidisse VLTIMVM CAPVT REGVLÆ S. BENEDICTI, propriâ ipsius manu in cortice arboris descriptum. Erat autem argento, pellucidoque cristallo inclusum, hæc verba cælaturæ insculpta gerens:

Miller. In notis ad l. 2. Dialog. S. Gregor. c.

A HÆC EST SCRIPTVRA PROPRIÆ MANVS S. BENEDICTI ABBATIS.

Suspicabitur fortè quispiam suppositiium hoc esse fragmentum: cùm chartæ & pergameni, siue membranarum vsus etiam ante Christum fuerit; adeoque exoleuisse antiquum morẽ, quo in ligno, corticibus, & philyrâ, siue tabulis è tiliâ cõfectis, scribebant. Verùm non ita abiectæ sunt tabulæ, aut arborum libri, vt ijs post chartas & membranas non aliquando vterentur. Priuilegium enim, quo S. Germanus immunitatem Monasterio S. Crucis, & S. Vincentij cõcessit, apud Aimoinum, scriptum erat in philyrâ, vt Iacobus Breulius ibidem annotauit. Datumque erat anno Domini 569. viginti scilicet annis post obitum S. BENEDICTI. De quâ scribendi ratione hæc subijcit Breulius: Quod verò S. Germanus corticem maluit vti: hoc ideò (ni fallor) fecit, vt lenescentem ac intereuntem antiquitatem reuocaret. Quem Dagobertus Rex, Clotharij secundi filius imitatus est. Nam Dionysianis Monachis (quibus totus addictus fuit) priuilegium munificentissimum in cortice scriptum concessit. Guilielmus Paradinus lib. 2. Histor. Lugdun. cap. 20. scribit in Cathedrali S. Ioannis Ecclesiâ esse commentarium in Psalmos in cortice pariter scriptum, qui etiamnum facilè legi potest. Fortasse veteres philyrâ, è tiliâ potiùs, quàm ex aliâ arbore abstractâ ad scribendum vtebantur: quoniam, vt ait Plinius, hæc materies teredinem non sentit.

Mos scribendi in cortice post inuentam chartam durauit.

Aimoin. l. 1. cap. 2.

Plin. lib. 16. cap. 4.

Posterioribus deinde temporibus ipsum REGVLÆ textum magno in honore fuisse, hoc argumento patet. Nam *Desiderius Cassinensis Abbas codicem* REGVLÆ BEATI BENEDICTI (verba sunt Leonis Ostiensis) *intus pulcherrimè ornatum, foris argento vestierat*; non secus atque libros Sacramentorum, Euangeliorum, & Epistolarum exornauerat. Volens nimirùm externo illo splendore Monachis REGVLÆ venerationem, & accuratam obseruantiam commendare.

Desiderius Regulam exornat. Leo Ostie. lib. 3. c. 19.

DISQVISITIO V.

An Capitum in REGVLA *distinctio, & Titulorum inscriptio, à S.* BENEDICTO *apposita?*

VETERIS æui Scriptores continuato orationis filo, atque vno contextu Libros suos plerumquè cõscribebant: nullas Capitum aut Sectionum adhibentes distinctiones. Prolixiores Ciceronis Orationes in Capita diuisas, docet nos Rhetor Iulius

Libri olim scripti sine Capitibus.

Rufinian. lib. de fig. sentent. & Elocut.

Iulius Rufinianus: quæ haud dubio in alijs plerisque anctoribus, vt Plinio; Vitruuio, Columellâ; Celso, & talibus, à veteribus Criticis concinnata sunt. Sacrorum Bibliorum scriptores nullis libros ipsos distinxisse Capitibus, & communis & vera opinio est. Nam in vetustissimis exemplaribus ea non inueniuntur; cuiusmodi optimum ex Affligemiensi nostro Cœnobio laudat Benedictus Arias Montanus: neque vetustiores Patres, Græci, & Latini, cum ex iisdem scripturis afferunt aliquid, vllum, vnquam aliquo cum numero caput citant. Quæ in S. Augustini libris nunc capitum inuenitur distinctio, cum adiunctis summarijs, ipsum sanè auctorem non habent; nusquam enim capitum meminit; & prolixior illa continuoque per integros libros decurrens filo, ratiocinatio, eam interruptionem non aptè semper patitur.

Etiam Sacra.

Arias in Isai. cap. 14.

An & S. Benedicti Regula.

Disquirimus igitur, an hoc ipsum REGVLÆ S.P.N. BENEDICTI euenerit, vt quæ nunc in eâ est capitum distributio, eorumdemque tituli, à posterioribus sint adiecti? Nam & B. Augustini Regula, quam continuā esse constat Epistolam, in varia capita secta circumfertur. Quod nostrā Regulam spectat in editione quam Frater Christianus, Presbyter & Monachus Parisiensis, circa an. Domini 1544. adornauit, præfatur ille se in quodam cœnobio, & obseruantiæ regularis gloriâ, & antiquitate insigni inuenisse Regulam à B. Dunstano, Cantuariensi Archiepiscopo ad integritatem restitutam & explicatam, quam trāscripserit, atque edi curauerit. Atque capitum syllabum contexens, ita præscribit: *Sequuntur Capitula Regulæ* B. BENEDICTI *Abbatis secundum seriem, & ordinem quo sunt à S. Dunstano Cantuariensi Episcopo digesta.* Quod & aliæ quædam editiones præferunt. Ex his ergo videri possit, S. Dunstanus Regulam nostram in Capita secuisse, aut circa illam simile aliquid constituisse.

Videri à Dunstano sectam in Capita.

Probatur id factum ab ipso S. Benedicto. Primò.

Verùm; probabilius existimo, ab ipsâ Legislatoris manu, tam Capitum distinctionem, quàm quæ ijs præfiguntur Lemmata emanasse. Hoc enim *Primò* ipsa quorumdam Capitum exordia, quæ cum superioribus haud ita concinnè connecti possent, satis euincunt. Quod hoc exemplo clarissimum euadit. Nisi enim inscriptionem Capitis IV. quæ est; *Quæ sunt instrumenta bonorum operum*, à S. BENEDICTO positam asseramus; nullo modo cum superioribus connecti potuit Capitis illius contextus. Ita enim incipit: *In primis Dominum Deum dili-*

A *gere*, &c. Atque idem in alijs Capitibus ostendi posset. Quid, quod non adeò difficile sit colligere, Vnde Capitum Epigraphes S. BENEDICTVS, desumpserit? Nam & apud Cassianum, quem libenter sequitur, & in Regulâ S. Basilij à Rufino versâ, atque alibi; similes ferè Tituli occurrunt.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Secundò Concordiæ Regularum, Libro à S. Benedicto Anianæ Abbate conscripto, præponuntur Regulæ S. BENEDICTI Capitula illis ipsis inscriptioni-

B bus, quas nunc habemus: quamuis quibusdam amplius aliquid adiectum sit. Constat autem hunc librum, eiusque auctorem, S. Dunstanum ætate præcedere. Deinde & Regula Magistri ab eodem sæpius citata, & Donati Archiepiscopi (qui circa annum Domini 650. vixit) Regula, pænè omnes Capitum Titulos iisdem, quibus hodieque leguntur verbis, repræsentant.

Secundò

Tertiò, confirmantur hæc ex Smaragdi

C in Regulam Commentario, ante S. Dunstani tempora scripto. Exponens enim cap. V. disertè ait: *Istius Capituli titulus, non de humilitate, sed de Obedientiâ discipulorum est prænotatus.* Secundi Capitis Titulum, *Qualis debeat esse Abbas*, Legislatori expressè tribuit. *Qualitatem*, inquit, *boni Pastoris in subsequentibus ostendere volens* B. BENEDICTVS, *præmisit, dicens*: *Qualis debeat Abbas esse.* Sed & ipsos Titulos tamquam indubitata S. BENEDICTI verba nonnumquam exponit: nam ad XI. Capitis Lem-

Tertiò ex Smaragdo.

D ma, *Qualiter Matutinorum solemnitas agatur*, declarat quid sit *Solemnitas*. Capitis LXX. inscriptio est: *Vt non præsumat quisquam alium passim cædere aut excommunicare*: hìc verò quid, *passim*, sit, explanat; innuere volens, hęc à S. Patre Capiti isti pręfixa.

Vlteriùs porrò circa hanc Capitum diuisionem notandum, in vetustis quibusdam Regulæ exemplaribus manu exaratis, quamuis illæ, quas diximus In-

Capitum numeri haud antiqui.

E scriptiones, reperiantur; non exprimi tamen Capitum numerum: qui etiam deest MS. nostro Smaragdo; & vtrique editioni Guidonis Iuuenalis, & illi, quæ Parisijs prodijt anno 1522. Sed & S. Bernardus & S. Petrus Cluniacensis, dum aliquod Caput citant, non numeri, sed tituli meminerunt. Ex quo colligi videtur, posterioris æui studio hos numeros adiectos. In concilio tamen Duziacensi II. anno Christi 874. celebrato, citatur Regula S. BENEDICTI valdè frequenter; cum expressione numeri, seu quoto Capite allegata verba habeantur. Nominat autem Caput

DE REGVLA S. BENEDICTI.

XXV. XXVII. XXXIX. XLIX. & LXIV. A Regulæ; quo postremo cùm dicat, *Meminerit autem Abbatissa secundum Capitulũ LXIV. Regulæ, calamum quassatum non conterendum*; illudque eodem Capite in vulgatis exemplaribus nunc reperiatur, prout etiam aliæ citationes, quæ non ad marginalem oram, sed in ipso contextu allegantur; signum est, iam olim apud aliquos saltem, cognitum Capitulorum numerum.

Alibi tamẽ expressum.

Hic & illud adiecerim, Radolphum de Riuo Decanum Tungrensem, Libro de B Canonum Obseruantia, citantem illud Regulæ: *In Sanctorũ verò festiuitatibus*, dicere: *Hoc ponit* B. BENEDICTVS *Capitulo trigesimo tertio*, cùm in omnibus exemplaribus sit Capite XIV. ex quo colligas, aliâ in ipsius exemplari fuisse Capitum diuisionem. Nec id casu, vno tantùm loco accidit, nam & aliæ eius allegationes, quas videre est Propofit. X. XI. XII. XIV. à vulgatis codicibus dissentiunt: nec scio quod exemplar sit secutus.

Radulph. Propofit. 13.

Licet non æqualiter.

Notat denique Boërius, Capita nonnulla ad instar Psalmorum prolixorum diuidi: nimirum Prologum Regulæ, Caput II. XLIII. XLVIII. XLIII. XLIV. & XLV. vbi miror prætermissum Caput VII. Alij autem plura subdiuidunt Capita, & vnum aliquando in plures partes. Quod quidẽ eâ ratione factum, vt quotidianæ Regulæ lectioni certa tribueretur portio: & singulis annis tertiò aut quartò tota Regula Conuentui, post primam in Capitulo cõgregato, prælegeretur; Dominicis, & festiuis diebus, iuxta aliquos, exceptis. Ita Andreanus MS. codex diuisus est in sectiones 91. vt singulis trimestribus Regula absoluatur. Editio Parisiensis cum Speculo Bernardi Cassinensis anno 1509. quam sequitur Veneta anno 1609. centum & septem sectionibus absoluitur, vt ita (prætermissis 44. diebus) ter in anno Regula legatur. Sed omnium diligentiam superarunt Congregationis Bursfeldensis Patres, qui Regulã E in 122. distinctiones partitâ, in ipso Martyrologio ad singulos dies imprimi curarunt, quæ Regulæ pars legenda: atque ita sicut de Nouitijs S. P. BENEDICTVS præscripserat, ter in anno Regula prælegatur: &,

Boer. in cap. 6. Reg. S. Bened.

Capitum varia Diuisio.

Cassin.

Bursfeldenses in eo laudati.

Nulla dies abeat, quâ REGVLA *non recitetur.*

DISQVISITIO VI.

Quæ Capitum Regulæ S. BENEDICTI *connexio?*

VT nihil tam sanctum, adeòque numeris omnibus perfectum, quod non aliquibus improbetur; Ita S. BENEDICTI Regulam sanctam, tot iam sæculis in Ecclesia Dei receptissimam, ab aliquot annis nescio quis Aristarchus, aut Momus ausus est dicere sine spiritu esse, nec congruo satis ordine contextam.

Inepta eiusdem cauillatio.

Verùm eruditâ Apologiâ eum confutauit D. Laurentius Benard. S. T. D. qui vt ostenderet non deesse Regulæ Analyticam Capitum dispositionem, quæ scholasticâ methodo fieri solet, immutato ordine Capitum, nouâ serie Regulam pertexuit; in quâ ordinate vnum ex altero dependeret: C insinuans pro facti sui ratione fieri potuisse (quod in sacrâ Scripturâ accidisse ait) vt vndecim sæculorum spatio (quod à conditâ Regulâ fluxit) quædam fortassè Capitum Metathesis subrepserit. Id verò, etsi affirmare nolim, cùm apud antiquissimos Commentatores, eodem prorsus ordine, quo nunc passim habetur, Regula decurrat; ita dicere minimè verebor, ea, quæ in Regulâ nostrâ occurrunt, hyperbata, aut non suo loco dicta, vel quæ eiusdem D generis sunt, non inter se connexa; eiusdem Regulæ dignitati minimè officere: neque S. BENEDICTVM, aut vllum Regulæ conditorem, ad scholasticam methodum adstringendum fuisse. Cùm enim Spiritu sancto inspirante ac dirigente, Leges suas scriberent; persuasum cuilibet esse debet, easdem perscriptas prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Refutatur.

Verùm, vt nemini quidquam in hoc genere debeamus, placuit totius Regulæ quandam Acoluthesin, siue ordinatam capitum seriem concinnare, quò appareat non tradi nobis in Regulâ scopas dissolutas; aut, vt inquiebat ille, arenam sine calce; sed apto satis ordine, Capita inter se cohærere, cuius quidem connexionis rationem; aut saltem occasionem declarabimus.

Regulæ acoluthesis.

Diuinus igitur Monastici Ordinis Magister BENEDICTVS in scribendâ Regulâ aliud sibi propositum non habuit, quàm vt constitueret SCHOLAM DOMINICI SERVITII, vt ipsemet in Prologo loquitur, idque eo fine, vt à Iesu Christi *Magisterio nunquam discedentes, sed in eius doctrinâ vsque ad mortem in Monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam partici-*

Regula instar Scholæ.

participemur, & regni eius mereamur esse consortes. Vt autem totam huius Scholæ constructionem, debitamque singularum partium symmetriam & connexionem probè intelligamus; eam quatuor in *Classes* diuidemus, quę erunt veluti quatuor tractatus generales, quibus tota Regulæ nostræ disciplina absoluitur.

In quatuor Classes diuisa.

Prima. IN PRIMA CLASSE tractatur in communi de virtutibus discipulorum huius *Scholæ*, diuino officio, quod eorum pensum diurnum sanctus Pater vocauit, & delinquentium pœnis à capite primo vsque ad 31.

Secunda. SECVNDA CLASSIS varia Monachorum ministeria, & exercitia tradit certis personis, locis, & temporibus designata, quibus ex occasione interserit modum satisfaciendi pro erroribus, qui in ijs committi possunt; à capite 31. vsque ad 58.

Tertia. TERTIA CLASSIS Nouitiorum admissionem; & officialium Monasterij functiones describit, à cap. 58. vsque ad 68.

Quarta. IN QVARTA CLASSE velut ad principium rediens, omnes communiter instruit, & perfectionem obedientiæ, charitatisque officia à capite 68. vsque ad finem explicat.

Regulæ connexio fusius ostenditur. Verùm enim verò, vt Capitum ordinem & concinnam satis inter se connexionem non nihil ostendamus; lubet ab ipso Prologo ad Epilogum vsque Regulam percurrere, & quâ vel ratione, vel occasione quodlibet Caput alteri subnectatur, aliquousque demonstrare. Ex quo facilè apparebit, vsque adeò non confuso ordine Regulæ nostræ documenta tradi, sed ea inter se maximè esse connexa; licet ingenuè fatendum sit, occurrere nonnunquam aliquas digressiones ac transpositiones, illaque quibusdam Capitibus scribi, quę præcedentibus, vel sequentibus aptiùs fortè alicui coniungenda viderentur.

Verùm tales Metatheses in ipsa sacrâ Scripturâ, alijsque auctoribus non infrequenter occurrunt, vt mirum id adeò in sanctissimo Præceptore nostro videri non debeat.

Quid in primâ Class. se doceat S. Benedictus. Prolog. Cap.1. In primo ergo *Scholæ* suæ ingressu, discipulos suos beneuolos, attentos, dociles que reddens, institutionum suarum argumentum, summamque exponit. Hæc in *Prologo* præfatus, *Monachorum quatuor genera*, primo statim capite depingit, & quodnam ex illis instruere, ac in discipulos suos cooptare velit, ostendit. Rem itaque à capite aggrediens, Gymnasiarchę sui mores muniaque describit, dum se-

A cundo capite, *qualis debeat esse Abbas*, exponit. Ne autem eum errare contingat, tertio capite monet *adhibendos ad consilium fratres*. His præmissis, optimè sciens in quauis facultate artis Instrumenta necessariò esse cognoscenda, quarto capite explicat, *quæ sint Instrumenta bonorum operum*. Affertque septuaginta duo Instrumenta, vt vocat, *artis Spiritualis*; quæ sunt quasi prima elementa Scholæ Monasticæ perfectionis: vnde in *Catechismo Monastico*, secundo huic libro subiuncto, exhibebimus ex ijs iam olim concinnatum ALPHABETVM MONACHORVM. Inde verò ad particularia magis descendens sanctissimus Pædagogus, *de obedientiâ discipulorum* præcepta tradit. Hæc enim virtus prima atque præcipua est, quæ in Religioso requiritur, quinimo necessaria est cuiuscumque generis discipulo erga suum Magistrum. Proximo deinde capite *Taciturnitatem* suos docet, quam & Pythagoras in suis requirebat discipulis. Quàm autem hæc suæ *Scholæ* conueniat, ipse sanctus Pater aperit dicens: *Loqui & docere Magistrum condecet tacere & audire discipulo conuenit.* Obedientes autem & taciturnos discipulos mox edocet solidum fundamentum omnis perfectionis, & per mysticam *Scalam duodecim graduum humilitatis* ad culmen diuini amoris eos sensim promouere conatur.

DE REGVLA S. BENEDICTI. 2. 3. 4. *Virtutes Discipulorum.* 5. 6. 7.

Post explicatas verò virtutes, quibus discipulos suos ornari exoptat, assignat eis deinceps *pensum seruitutis diuinæ*, D siue Canonicum *Horarum officium*, incipiens à nocturnis vigilijs ac primo capit. 8. horam quâ ad eas surgendum sit determinat; deinde sequentibus capitibus psalmodiæ rationem in Dominicis, & Festiuitatibus, tam hieme quàm ęstate, in nocturnis diurnisque horis obseruandam latè exponit.

Horæ Canonicæ. *ab 8. vsque ad 19.*

Expleto autem numero & ordine psalmorum, cap. 19. attexit, quæ sit *disciplina psallendi*, cui aptissimè subiungit cap. 20. E *de reuerentiâ orationis*, siue ea sit vocalis, siue mentalis, volens eam fieri *cum omni humilitate & puritatis deuotione, compunctioneque lacrymarum.* Vt autem hæc diuina officia, aliaque Religiosorum munia congruè & decenter fiant, voluit constitui *Decanos*, qui discipulis suis inuigilarent; cùm vnius cura Abbatis sufficiens non esset: prout mos *Scholarum* obtinuit constituendi *primos* singularum *decuriarum*, qui subsequentibus lectionibus ac moribus aliquo vsque inuigilent. Cùm autem expleto totius diei officio corporali indulgendum sit quieti, voluerit que decanos illi quoque intendere; post explicatum eorum officii,

20. 21. *Decani.*

DE REGVLA S. BENEDICTI. congruè subdit, *quomodo dormiant Monachi.* A
Constituta porrò lege, pensoque diurno,
congruo ordine deinde agit de delinquen-
21. tium pœnis, siue vt ipse vocat *Excommu-*
Pœna delinquentiũ. *nicatione culparũ*, explicans illius *modum*; cul-
21. parum grauitatem, qualiter vitandi ex-
24.25.26. communicati; quæ circa eos Abbati cura
27. habenda; quid circa incorrigibiles, eiectos,
28.29. siue fugitiuos, puerosque agendum sit. At-
30. que ita absoluitur *prima Classis* Monasticæ
huius Academiæ.

Secunda Classis agit de ministerijs & exercitijs varijs. Ad *secundam* verò *Classem* transiens, tra- B
ctaturus, vti diximus, de diuersis Mona-
chorum ministerijs & exercitijs, incipit à
Cellerario, quem vult, vt *omni Congregatio-*
ni sit sicut Pater. Inde verò ad alios officiales
31. transit, eosque in primis, quibus *substantia*
32. *Monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu qui-*
buslibet rebus consignatur custodienda. Ne au-
tem ex rebus Monasterij quisquam præsu-
meret aliquid auferre, dare aut alienare;
33. districtè præcipit, *Ne quispiam habeat ali-*
quid proprium, sed sint omnia communia. Ita C
tamen sequenti capite rerum distributio-
34. nem æqualiter fieri mandat, prout necessi-
tas aut infirmitas exegerit. His ex occasio-
ne Cellerarij, & eorum, quibus vtensilium
custodia commissa est, insertis; pergit de-
inde reliqua officia describere, agitque
35. cap. 35. *de Septimanarijs coquinæ*, ac deinde
36.37. *de infirmorum, senum, & Infantum curâ haben-*
dâ, quia & illis ex culinâ benigè subuenien-
38. dum est. Inde verò, *de Lectore mensæ*, qui
spiritualem cibum proponat, agit ac de- D
39 40. inceps de corporali cibo prouidens, *men-*
41. *suram cibi & potus, horasque refectionis definit;*
42. Indéque post cœnam & *Completarium silen-*
tium indîcit. Ad cautelam verò & medi-
43.44.45. cinam delinquentium, aut serò occurren-
46. *Erratis qui satisfaciendum.* tium, tractat de modo *satisfaciendi*; at-
que inde transit ad describendum offi-
cium illius, cui incumbit *significare horam*
47. *operis Dei.* Descripturus porrò in sequen-
48. tibus Monachorum exercitia, incipit *de la-*
bore manuum quotidiano, cui, vti & lectioni, E
certa tempora assignat; & quia peculiare
aliquid in Quadragesimâ fieri voluit, sub-
49. iungit *de Quadragesimæ obseruatione.* Quia
autem manualis iste labor non semper in
Monasterio exercetur, resoluit quidnam ijs
50. agendum sit, *qui ita longè ab Oratorio labo-*
rant, vt non facilè ad singulas horas in ora-
torium conuenire possint; quid item illi,
51. qui *non longè proficiscuntur*; quâ occasione,
52. quid ipsum *Oratorium sit*, quove modo in
eo versandum, explicat. Inde verò gradum

facit *ad hospitum susceptionem*, & cùm non 53.
rarò accidat vt hospites literas, vel munu-
scula amicorum, fratribus deferant; prohi- 54.
bet peculiari Capite, ne huiusmodi mune-
ra, aut literas sine licentiâ Abbatis acci-
piant. Inde verò *vestimentorum* despensa- 55.
tionem, qualitatem, & mensuram aperit,
breuiterque factâ mentione *mensæ Abbatis*, 56.
quid circa *artifices Monasterij* obseruan- 57.
dum sit, ordinat; atque hic finis est *secundæ*
Classis.

In *tertiâ* porrò *Classe*, de personis quibus- *Classis Tertia*
dã in Monasterio agentibus acturus incipit *De Nouitijs, & officialibus.*
à *Nouitijs*, tractans primò in genere, *De di-*
sciplinâ suscipiendorum fratrum quorumcun- 58.
que; inde verò de suscipiendis *filijs, Nobi-* 59.
lium vel Pauperum, Itemque *Sacerdotibus &* 60.
Clericis, ac tum, qualiter admitti possint
aliorum Monasteriorum Monachi. Trans- 61.
iens verò ad certorum quorundam Offi-
cialium munera, ordinemque Fratrum
describendum, agit primò *de Sacerdotibus* 62.
Monasterij; Inde *de ordine Congregationis*; 63.
in quâ, quia primus est Abbas, agit *de ordi-*
nanda Abbate; mox de *Præposito*, ac deinde 64.65.
de *officio Portarij*, & eorum, qui portam 66.67.
egredientes in *viam diriguntur*; quibus qui-
dem explicatis, tertia hæc Classis absolui-
tur.

Distributis exercitijs atque officijs, quæ *Quarta Classis omnes erudit.*
ad diuersas personas, vt vidimus, spectant;
In *quartâ Classe* supremam obedientiæ per-
fectionem omnes communiter docet, quã
scilicet etiam exhiberi vult. *Si fratri impos-* 68.
sibilia iniungantur; in quo casu perquam dif-
ficili, ne quis per se, vel per alium, se excu-
set; vetat, *ne præsumat alter alterum defendere*, 69.
neve quis aliquem excommunicet, aut cę- 70.
dat, sed potiùs vt *obedientes sint sibi inuicem* 71.
fratres.

Vt verò cùm hanc, tum alias omnes vir-
tutes, & præsertim virtutum reginam Cha-
ritatem, faciliùs assequantur; commendat
eis *bonum*, quem habere debent *Zelum*. Re- 72.
gulam porrò concludens humillimè fate- 73.
tur, eam non nisi initium conuersatio-
nis esse; & intento digito, discipulis
suis altiora perfectionis culmina demon-
strat, eosque designat libros, quorum
lectione ad vlteriorem profectum adiuuari
queant.

Vt verò tradita hactenus totius Regulæ
nostræ acoluthia, memoriæ magis insiga-
tur, iuuerit eam breui carmine compre-
hensam oculis ac memoriæ Lectorum
obijcere.

SVM-

Summa Regulæ capita versibus expressa.

Prolog. *EST Schola seruitij*, BENEDICTI *Regula, Dij.*
1. *Erudiens Monachũ Cœnobiale genus.*
2. *Rectorem sacri qualem decet esse Lycæi,*
3. *Consilia huic fratrum quando petenda, docet.*
4. *Instrumenta piæ mox plurima porrigit artis,*
5. *Et parere citò, &* 6. *ritè tacere iubens.*
ab 8. vsque ad 19. 7. *Erigit inde Gradus* humilis *quos scandat,* Opusque
Per capita exponit mox duodena, Dei.
20. *Orari vult mente Deum;* 21. *statuitque Decanos,*
22. *Atque modum somnus quo capiendus erit.*
ab 23. vsque ad 30. *Culparum pœnas capita octo sequentia narrant.*
31. *Cellari, quæ sint munia, deinde notat.*
32. *Ferrea seruari mandat,* 33. *propriumque repelli,*
34. *Omniaque, vt fuerit cuique necesse, dari.*
35. *Vultque culinare vt faciant opus hebdomadatim.*
36. *Infirmis,* 37. *senibus, consulit & pueris.*
38. *Ad mensam Lectar,* 39. *Victus mensura,* 40. *Merique,*
41. *Et quæ sumendi ponitur hora dapes.*
42. *Completis precibus nocturna silentia seruent.*
ab 43. vsque ad 46. *Pro culpis quæ sit pœna luenda docet.*
47. *Sedulus officij frater denuntiet horas,*
48. *Cuique labor manuum quottidianus erit.*
49. *Quadragenorum seruetur forma dierum.*
50. *In campis sacrâ, psallat, ab æde, procul.*
51. *Nil gustato foris,* 52. *domus Oratoria sit quod*
Dicitur, 53. *Hospitibus magnus habendus honor.*
54. *Munera non capiat Monachus,* 55. *sit Vestis honesta.*
56. *Ad mensam Abbatis pauper & hospes edant.*
57. *Instruit artifices,* 58. *Tyrones, suscipiendus*
Qui sit ab 59. *Illustri, aut paupere stirpe satus.*
60. *Presbyter, aut* 61. *Monachus peregrinus in ordine Fratrum*
Admitti, scribit, quâ ratione queat.
62. *Quidue Sacerdotes deceat,* 63. *quis fratribus Ordo.*
64. *Abbas quo fiat,* 65. *Præpositusque modo.*
66. *Tradit & ad portas quid aget portarius,* 67. *& qui*
Se geret emissus cum ratione foras.
68. *Parendum, quamuis faciendi parua facultas.*
69. *Nec fratrem frater qui tueatur erit.*
70. *Nemo alium cadat,* 71. *Fratri quoque frater abandi.*
72. *Zelus & hinc Monachis debet inesse bonus.*
A 73. *Vt tamen hæc facias quæ Regula præcipit, haud te*
Iustitiæ culmen mox adijsse putes. DE REGVLA S. BENEDICTI.

DISQVISITIO VII.

Quis Stylus Regulæ S. BENEDICTI?

ACCVRATVM dicendi characterẽ, verborum elegantiam, Rhetorum ornamenta phalerasque nemo anxiè, vt credo, requiret ab eo, qui non loquendi, sed tacendi, non verborum, sed morum Magi- B ster, humilitati monasticæ magis consonum iudicat, florida hæc contemnere potiùs, quàm studiosè consectari. Rectè Victorinus Hugo. *Christus inter duo animalia positus vilibus est pannis inuolutus. Ponitur Dei sapientia inter bouem & asinum, vt erudiret rudem, moneret tardum: rudem sensu, tardum intellectu: erudiret simplicitatem per humilitatem. Qui igitur inualuit se permisit in vilibus pannis, de se loqui permittit simplicibus verbis.* Quis, quæso, sublimitatem sermonis, aut C persuasibilia humanæ sapientiæ verba ab eo exspectet, qui *despectis litterarum studijs, Româ recessit, scienter nescius, & sapienter indoctus?* Posset de Regulâ suâ Sanctissimus Legislator illud Plinij Secundi vsurpare: *Non sint composita verba, parum id facio, cùm ipsa virtus se per omnes numeros ostendat. Et tu hîc non quæres elegantiam orationis, sed vitæ puræ splendorem sodalitio nostro, quâ fieri potest, consectando.*

S. Benedictus sæcularis scientiæ contemptor.

Hugo Vict. lib. 4. de claust. perf.

Greg. Dial. lib. 2.

Plin. 2. ad Vespas.

D Quamquàm autem hæc ita se habeant, non dubitauit tamen Romanus Pontifex Gregorius, à solo hoc Regulæ libro, insignem S. Patris eruditionem commendare: *Hoc*, inquit, *nolo te lateat, quòd vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit,* DOCTRINÆ QVOQVE VERBO NON MEDIOCRITER FVLSIT. *Nam scripsit Monachorum* REGVLAM, *discretione præcipuam*, SERMONE LVCVLENTAM. Quod tanti Doctoris Elogium ab alijs identidem repetitum, nou infimum ei in- E ter sacros scriptores locum meritumque conciliauit. Chronographus noster Yepez post alios ita ait: Neque multos, neque magnos libros S. BENEDICTVS composuit; modicum tamen id, quod veluti in specimen diuini sui spiritus post se dereliquit, excellens prorsus est, & admirabile. Et citatis superioribus S. Gregorij, verbis, subdit: loquitur de S. BENEDICTO Gregorius, tanquam de valdè erudito, & eximio, non in prudentiâ solùm & doctrinâ, verùm etiam in eloquentiâ & proprietate Latini sermonis, quo suã Regulã exarauit. Sancti enim in suis scriptis diserti fuerunt & eloquentes; non rudi ac barbaro stylo, sed valdè

Gregorius S. Benedicti eruditionẽ prædicat.

Greg. Dial. lib. 2. ca. 36.

Et alij Scriptores.

Yepez anno Christi 129.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

dè exactò ac proprio fidei mysterio explicantes. Ita ferè ille.

Regula S. Benedicti sententijs variegata. Sanè si quis ipsam Regulam penitiùs inspexerit, deprehendet eam sacrarum scripturarum sententijs, quasi gemmis quibusdam rutilantem: sanctorum Patrum flosculis suauiter redolentem. Mirum enim est, quàm concinnè & quàm appositè S. Legislator ad suum propositum eloquia Scripturarum alleget, vt de eo dici queat. Prouerb. 25. 1. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Nam, vt Beda ait. Beda in illocum. *Sacra eloquia rectissimè* LECTIS *comparantur* ARGENTEIS. *Lectis videlicet, quia requiem præstant animabus audientium: argenteis autem, quia splendida fulgent virtutibus Patrum. Vnde scriptum est, Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Quorum ornatui Lectorum, mala superaddit aurea, quisquis eadem diuina eloquta & spiritualibus plena sensibus & mysterijs, exponendo demonstrat. Qui nimirum sensus aptè mala vocantur; quia de arbore vitæ, id est, Dei Sapientiâ sunt orta. Aptè aurea mala, quia notitiam amoremque perpetuæ Charitatis mentibus infundunt.* Hæc ille. Quam aptè scripturas citet, ac exponat. Vis exemplum? Vide, quæso, quàm aptè Apostolicā illam S. Pater exponat sententiam; Timot. 4. *Argue, obsecra, increpa*: Assignat enim in quos hæc tria officia exercenda. *Indisciplinatos, & inquietos*, inquit, *debet duriùs* ARGVERE: *obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiant*, OBSECRARE. Cap. 2. Reg. *Negligentes autem & contemnentes, vt* INCREPET *& corripiat admonemus.* In alijs quoque Scripturis, quas creberrimè citat, facilè elucet, eas maximè in tempore suo & opportunissimè adduci. Vt manifestum planè sit, S. BENEDICTVM illis triginta quinque annis, quibus Sublaci vixit, sacrarum scripturarū, & sanctorum Patrum monumentis, (ex quibus pluscula, vt alibi dicam, Regulæ inseruit) non segniter incubuisse; cui & accessit illa scientia, quæ diuinitùs ei à Spiritu Sancto infusa fuit.

Notanda in citationibus S. Benedicti. Sed circa S. BENEDICTI citationes, quatuor notanda. Primum. *Primum*: non adferri ab eo semper editionem Vulgatam: nonnunquàm enim iuxta LXX. Interpretes citat; pleraque autem ex psalmis, iuxta Romanum, quo vsus est, Psalterium allegantur.

Secundum. *Secundum*. duarum Scripturarum hemistichia, quasi eodem locō haberentur, contrahit in vnum. Exemplum aliqui assignant in XII. Humilitatis gradu. *Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque.* Illud enim, *Incuruatus sum*, dicunt esse ex psalmo 37. reliquum ex Psalmo 118. alij tamen dicunt in psalterio Romano, psalmo 118. totum haberi vt S. Pater citat. Melius ergo exemplum occurrit cap. 35. in hoc versu: *Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me*: cuius prior pars ex psalmo 118. posterior ex psalmo 83. desumpta est. De more autem duas Scripturas coadunandi, Lege Pamelium, Notis ad Epist. 28. Cypriani, & Alphonsum Salmeronem. Tom. 1. Prolegom. 9. can. 27. Sic quòd Saluator noster ait Matth. 21. *Domus mea, domus Orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum*: ex duobus sumptum est Prophetis. Prior enim pars est ex Isaiæ 59. cap. posterior ex 7. Ieremiæ.

Tertium. *Tertium*: Scripturæ tribuit quod in eâ non habetur; sic eodem gradu ait Publicanum Euangelicum dixisse: *Domine non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum.* Id tamen in Euangelio nusquàm inuenitur, sed tantùm: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Verùm quia S. Lucas narrat, quòd Luc. 18. à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare; huc alludens S. BENEDICTVS, ei superiora verba tribuit, ex labili, vt credi potest, memoriâ. Et quòd talia non immeritò dicere potuisset; quemadmodum Manasses dicebat: *Non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum.*

Quartum. *Quartum*: Per *scripturam* non semper intelligit scripturam sacram; sed aliquid quod ab aliquo viro sancto, aut celebri auctore scriptum est. Occurrit Gradu 11. *Voluntas habet pœnam: necessitas parit coronam.* Quæ verba, teste Paulo Diacono, Smaragdo, Turrecrematâ, non habentur in sacrâ Scripturâ ad litteram, sed secundùm sensum. Menardus ait aliorum scripta etiam nuncupari SCRIPTVRAM, & adfert exemplum ex Regulâ S. Fructuosi: Reg. Fruct. cap. 10. *Retroacta Sanctorum Patrum per* SCRIPTVRAS *scitantes, reuoluant.* Regula Magistri cap. 31. Scriptura non semper pro Sacrâ sumitur. *Monstrante nobis de S. Heleno* SCRIPTVRA, *cùm dicit.* Eodem modo accipiendum quod Gradu XI. dicitur: *Sicut* SCRIPTVM *est: Sapiens verbis innotescit paucis.* Quæ sententia non est in Sacrâ Scripturâ; sed exstat in sententijs Xysti, num. 134. Sic quòd dicit cap. 40. Vit. Pat. li. 4. num. 31. *Licet legamus vinum Monachorum omninò non esse.* Non quærendum, vt aliqui faciunt, in quo scripturæ sacræ id libro legitur, in illâ enim nusquam reperitur: sed in Vitis Patrum.

Patres vti citet S. Benedictus. Iam quod Patrum sententias spectat, illas sanctus Pater ita operi suo intexit, vt nullam auctorum faciat mentionem; sed illorum verba sua efficiens, opus exhibet vniforme. Potiores ex quibus sua desumit, sunt S. Basilius, Cassianus, vitæ Patrum: quibus addendus Clemens Romanus, ex quo integrum Caput *de Instrumentis bonorum operum*, paucis admodum mutatis descripsit. Occurrit alicubi sententia S. Cypriani, & alibi S. Augustini.

Verùm

Quæ barbara quibusdam in Regulâ videantur.

Verùm enimuerò, quod stilum magis spectat, reperire est verba nonnulla, quæ purioris Latinitatis amantes, vt barbara, aut semi-latina fastidirent; qualia sunt: *Agenda* matutina, vel vespertina: *Aërum*, numero plurali: Accipiant singulos *Biberes*, *Bracile*, *Capitale*, pro ceruicali. *Claustrum*, *Cuculla*, *Decania*, *Exoccupatis manibus*, *Lecta*, pro cubilibus: *Murmuriosus*, *Matutinos*, *Missæ*, pro dimissionibus: *odire*, *paruissimum*: *remaledicere*, *reconsignare*, *responsum* pro negotio: *surripiat*, pro subrepat, *stirpator*, *temperius*, & si quæ sunt huiusmodi: de quibus alibi suis locis.

Excusatione digna.

Quemadmodum autem minores quidam næui totius corporis venustatem non tollunt: ita pauca hæc eam quam diximus S. Patris in scribendo elegantiam, aut parum aut nihil violant. In plerisque enim habet, quos secutus est auctores: præsertim eos, qui de rebus Monasticis scripserunt. Et tolerari in his quædam, tanquam propria artis vocabula, aut idiotismi istius temporis, & regionis, iure meritissimo possunt. Neque verò sacri Scriptores anxij admodum fuerunt circa Grammaticorum regulas. Nam *Si Demosthenes* (vt optimè ait S. Augustinus) *clarissimus Oratorum, cui verborum tanta fuit cura, quanta rerum auctoribus nostris; cùm ei nonnullam elocutionis insolentiam obiecisset Æschines: negauit in eo positas esse fortunas Græciæ, illone an illo verbo vsus fuerit: & on huc an illuc manum porrexerit: quantò minùs nos laborare debemus de regulis deriuandorum nominum, quando, siue hoc, siue illud dicamus, intelligitur sine ambiguitate quod dicitur, quorum non in expolitione sermonis, sed in demonstratione veritatis est maior intentio.* Hæc pro se, & pro sancto nostro Patriarcha Hipponensis Præsul: quæ meritò nobis sufficiant, quorum intentio magis Sanctissimi parentis spiritum attendere, quàm litteram. Nec Regulam illam nostro subijcimus iudicio, cui omne nostrum subiecimus iudicium.

Sacra Grammatica haud semper alliganda.
August. li. 2. in Cresc. cap. 1.
Demost. 5. Orat. pro Ctesip.
Cicero lib. de Orat.

DISQVISITIO VIII.

Cur Sancti Basilij Regulam suæ anteponat S. Benedictus?

Humilis Regula Epilogus.

COLOPHONEM Regulæ suæ impositurus S. P. BENEDICTVS, & cur eam scripserit, & quòd non omnis obseruatio iustitiæ in hâc sit Regulâ constituta, declarat. Rudimenta tantùm perfectionis, & initium aliquod conuersationis in eâ agnoscit: ipsam verò perfectionem, virtutumque culmina in scripturâ sacrâ, sanctorum Catholicorum Patrum libris, vitâ & collationibus, Patrum nec non Regulâ S. Basilij, asserens inueniri. Quæri autem hîc posset, cùm Regula S. BENEDICTI eximiæ sit perfectionis, vt posteà videbimus, eamque post S. Basilij & Cassiani Instituta toto orbe euulgata cõscripserit; cur nihilominus hæc illi præferat? vt de Cassiano, de quo alibi, hîc nihil dicam; duplicem caussam esse arbitror, cur suæ Regulæ *Basilij* prætulerit. Alteram, eximiâ sancti, & verè Magni *Basilij* sanctitatem, eiusque excellentem in omni disciplinarum genere eruditionem. Alteram, S. P. N. BENEDICTI humilitatem.

DE REGVLA S. BENEDICTI.
Cur S. Benedictus Regulam suam deprimat.

Nazianzenus porrò studiorum magni Basilij particeps & sodalis, eum VIRTVTIS LEGEM omnibus fuisse scribit, atque hoc insuper Elogio exornat. *Basilius omnia quæ spiritus sunt, perscrutatus est. Ex eoque mores omnes erudiuit, ac sublimiter loqui docuit, hominumque animos à rebus præsentibus abstractos ad futura traduxit.* Quem Patriarchis, quoque ac Prophetis Apostolis, & Martyribus, idem comparare non veretur. Quinimò hanc illius cùm Sole instituit collationem. *Laudatur apud Dauidem Solis pulchritudo, & magnitudo & cursus, & celeritas, & vis ac facultas: quippe qui sponsum splendore, gigantem magnitudine referat, ac longè lateque progrediendo tantam vim habeat, vt ab extremis extrema æquè collustret, nec locorum interuallis ipsius feruor vllo modo minuatur. Basilio autem pulchritudo virtus fuit, Magnitudo, Theologia, cursus, perpetua virtutis agitatio, per quotidianos ascensus ad Deum ferens; potentia, doctrinæ semen ac distributio. Itaque ne hoc quidem mihi dicere verendum est, in omnem terram sonum illius exijsse, atque in fines orbis terræ vim illius verborum.*

Naz. Orat. in fun. Basil.
S. Basilij elogium.
Soli comparatur.

Hæc ille. Nec minora S. Ephræm: cui non satis fuit Basilium Veteris testamenti Sanctissimis viris composuisse, sed hæc insuper, eum alloquens, addit: *Instar Petri prædicasti, instar Pauli docuisti, instar Thomæ filium Dei possum confessus es: instar Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis de rebus diuinis disseruisti, instar Apostolorum iniquos erudisti, impios conuertisti, & Deo gratus fuisti.* Ita Ephrem, vir ab adulatione (teste Baronio) remotissimus, verique, si quis alius studiosissimus. Sed cur non summis efferret virum præconijs, quem diuini Spiritus sciret apertâ testificatione laudatum? Siquidem (vt auctor est Gregorius Nyssenus & eius vitæ acta testantur) cùm illum conuenit, vidit super Basilij dexteram insidentem columbam, eidem concionanti sermonem suggerentem. Columbam autem hieroglyphicum esse Spiritus sancti, ex sacro Euangelio notum est. Tantus hic Basilius est, vt eum Damascenus, & Theodoretus, præclarum orbis terrarum luminare, Gregorius Nyssenus, Os Eccle-

Ab Ephræm laudatus.
An. Chri. 378.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

siæ, Chrysostomus parem Apostolis fateatur.

Sed vt propiùs ad rem veniamus, illud omninò fatendum est, *Regulas S. Basilij* & vniuersa eius *Ascetica*, summis laudibus in Ecclesia esse iam olim celebrata; vt proindè nihil mirum sit si tam honorificam eorum S. BENEDICTVS fecerit mentionem. Photius Patriarcha cum magnoperè dicendi charecterem laudasset, nec Platone ipso, siue Demosthene in persuadendo inferiorem fecisset, ita demum subdit: *Legimus & ASCETICA*, hoc est, *Monastica vitæ præceptiones, ex quarum quidem præcepto qui vixerit, cælesti certè regno aliquando potiatur.* Ita Photius. Quæ sanè amplissima commendatio est, nec video, quid amplius desiderari possit. Idemque alibi: *Legi B. Basilij Episcopi Cæsareæ Cappadaciæ ea, quæ vocantur ASCETICA, duobus libris comprehensa: opus, si quod aliud vtile his, qui pietati student, & cælestia bona adipisci conantur: maximè verò ijs, qui in cænobio religiosam vitam ducunt.* Sed audiamus iterum Gregorium Theologum magnumque omninò oratorem de se disserentem, & explicantem quantum ex Basilij scriptis in spiritu profecerit. *Cùm*, inquit, *orationes eas, quas de moribus ac benè viuendi ratione scripsit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumque Dei capax efficiar, atque instrumentum musicum à Spiritu pulsatum, diuinamque gloriam canens. Per eas corrigor & concinnor, atque diuinâ quâdam immutatione alius ex alio efficior.* Eundem fructum in alijs quoque idem Theologus animaduertit, suspirans enim ad Basilij & fratrum eius consortium ita ait: *Quis mihi dabit fratrum eorum, qui dij à te efficiebantur atque in altum euehebantur, concordiam animorumque coniunctionem? quis virtutis certamen, & ad eam incitationem, quam scriptis* LEGIBVS *ac* REGVLIS *obfirmauimus?* Sunt autem, inquit Baronius, hæ Regulæ illæ Monasticæ Basilij, quæ exstant; ex quibus reliqui, qui posteà vixerunt sanctissimi Patres, Monachorum institutores, disciplinam hauserunt. Easdem porrò magnoperè etiam commendat in testamento suo B. Theodorus Studita: *Cõfiteor, inquit, insuper monasticum statum sublimẽ esse & excelsum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget absolutæ vitæ perfectione, tum nimirũ, si ex diuinique magnique Basilij Asceticorum legibus plenè exigatur.* Tanti igitur cùm ab omnibus fierent Regulæ S. Basilij, mirum minimè videri debet; si ijs suam S. BENEDICTVS supposuerit, & ad earum diligentem lectionem suos non leuiter sit cohortatus.

[Margin: Regulæ & Ascetica Basilij quanti æstimata. — A Photio. — Phot. in Biblioth. Cod. 144. — Cod. 191. — Greg. Nazianzen. Nazianz. in orat. Funebri. — Id Epist. 9. — Anno Chri. 369. — Theodoro Studitâ.]

Altera, quam diximus, caussa erat, summa S. P. BENEDICTI Humilitas; quâ se parum, alios verò magnos; sua exilia, aliorum eximia iudicabat opera. Animaduertit id Goffridus Vindocinẽsis, ita scribens: *Illa* (veterum Patrum statuta) *tamquam vmbra & figura futuræ Monasticæ vitæ videntur; Sed per laudabilem Patrem* BENEDICTVM, *cooperante Spiritu Sãcto, est veritas reuelata. Ipse tamẽ pro magnâ suâ humilitate S. Basilij, & præcedentiũ vitam & opera Patrum, vel sua tacens vel quasi modica dicens, laudat & miratur. Bonus optimũ discipulus Magistrũ imitatus, qui taceri præcipiebat, cũ ea quæ sine ipso nemo alius facere poterat, operabatur.* Hæc Goffridus Vindocinensis. Imitatus porrò videtur in suâ Regulâ Isidorus Hispalensis hanc S. BENEDICTI humilitatem, cùm ita loquitur: *Quisquis vestrum illam vniuersam veterum disciplinam contendit appetere, pergat in quantum placet, & arduum illum limitem, atque angustum leuigato cursu incedat. Qui verò tanta iussa Priorum explere nequiuerit in huius limite disciplinæ gressus constituat.* Et mox consequenter: *Sicut illa præcepta Priorum perfectum Monachum reddunt ac summum: ita faciunt ista vel vltimum. Illa custodiant profecti, ista sequantur post peccatum conuersi.*

[Margin: S. Benedicti Humilitas. — Serm. de S. Benedic. — Quam secutus Isidorus. — Præfat. ad Reg. Monach.]

DISQVISITIO IX.

Quænam sit illa Sancti Basilij Regula quam S. BENEDICTVS *commendat?*

SVPERIORE Libro varias Magni Basilij enumerauimus Regulas, nimirum fusius, & concisiùs disputatas, siue, quas vocant REGVLAS BREVIORES, CONSTITVTIONES MONASTICAS: item eam, quã Eremitas Ponti instruxit, aliam quoque à Rufino conuersam: denique quam in compendium contraxit Cardinalis Bessarion.

[Margin: Tract. 4. Disquis. XI. Plures Basilij Regulæ.]

Hîc iam quæritur, quænam ex his à S. BENEDICTO designata fuerit, cùm inter scripta, quæ suæ Regulæ anteponit, recenset *Regulam S. P. N. Basilij.* Prosper Stellartius, exhibiturus fundamina, & Regulas omnium Ordinum Monasticorum, considerans que varias esse S. Basilij Regulas, quæ simul iunctæ volumen per se constituerent; ait, se compendio studentem, eas daturum, quales omissis reliquis dare consueuerunt, qui de Monasticis Regulis sermocinantur & scribunt. Adfert autem Regulas fusiùs disputatas, illas supponens præcipuam S. Basilij esse Regulam.

[Margin: Quam designet, ac commendet S. Benedictus.]

Ioannes verò Franciscus Congregationis S. Iustinæ Monachus edens quatuor approbatas Religiosorum Regulas, pro S. Basilij Regulâ repræsentat *Instituta Monachorum à Rufino translata. Quæ etiã habetur in editione* Louaniensi, inter SS. Patrum Regulas Monasticas. Eadem primo loco occurrit MSS. Codicibus S. Maximini Treuiren-

[Margin: Regulam à Rufino versam.]

nirensis, & S. Pantaleonis Coloniensis; qui Regulas SS. Patrum exhibent. Hunc librum (verba sunt Iulij Nigronij) Regulam esse Basilij puto, quam commendat S. BENEDICTVS, & Innocentius II. Capitulo *Perniciosam*, vnà cum Augustini, & BENEDICTI Regulis commemorat; quam miror inter opera Basilij non excudi. Caussam verò cur ita sentiat, alibi idem Nigronius explicat, nimirum, quòd Gratianus Benedictinus Monachus, instituta hæc Monastica *Regulam* nuncupet: Deinde quòd ex ijs pluribus locis Decreta colligat, tamquam ex VII. Synodo; quod arguit in eâ approbatam fuisse vel insertam. Ita Nigronius. Sed & Hugo Menardus, agens de S. Basilij Regulâ, prout à S. Benedicto Anianensi Abbate, in Concordiâ Regularum allegatur; ait nihil aliud continere, quàm illius Constitutiones, tam fusiùs, quàm breuiùs disputatas, ex interpretatione Rufini, quæ in vetustissimo codice MS. Bibliothecæ S. Germani à Pratis diuiduntur in ducentas Interrogationes. Ex hâc ipsâ, sub Basilij nomine, testimonia producit Smaragdus in Commentario ad Regulam S. BENEDICTI. Cur autem hactenus Basilij operibus ea Regula addita non fuerit; rationem reddunt Typographi Parisienses, præliminari Epistolâ ante *Basilij Opera Græco-latina*, quod scilicet, commodiùs vnà cum ceteris Rufini Operibus seorsim edetur: præsertim cùm ordinem Regularum non seruet, quam Basilij opera præ se ferunt, & sæpe non tam Interpretem, quàm Paraphrasten agat, multis de suo etiam intertextis.

Nigron. tract. Ascet. 5. c. 3. §. 11. Gauf. 18. q. 2.

Nigr. part. 1 Tit. Reg. Societ.

Cap diffinimus 7. Syn. cap. 20.

Quæ illo tempore nota.

Videtur autem hæc Regula æuo S. BENEDICTI, & circa illud per antonomasiam appellata Regula *S. Basilij*, tum quod illa in Oriente, vt Rufinus in præfatione testatur, passim obseruaretur; tum quòd versione eiusdem Rufini, in Occidentali etiam Ecclesiâ magis sit diuulgata: & vt credi par est, in plerisque Monasterijs vsu recepta. Scribit enim Vrsacium, sibi pollicitum *quod per vniuersa Occiduæ partis Monasteria, si hæc Sancti & spiritualis viri sancta & spiritualia innotescerent instituta; ille seruorum Dei profectus, qui ex huiusmodi Institutionibus nasceretur, aliquid mihi gratiæ vel mercedis afferret.* Et mox eundem sic admonet: *Tui sanè sit Officij, etiã alijs Monasterijs exemplaria præbere, vt secundùm exemplar Cappadociæ, omnia Monasteria, eisdem & non diuersis vel Institutis vel Obseruationibus viuant.*

Et in Occidente diuulgata.

Quamquam autem hæc ita sint, credi quoque possit S. BENEDICTVM omnes omninò Basilij Regulas, & vniuersa ipsius *Ascetica* commendare voluisse; quæ à principaliori nomine, *Regulam* appellauerit.

DISQVISITIO X.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Quæ sint vltima REGVLÆ S. BENEDICTI *verba?*

REGVLÆ suæ Epilogum his verbis S. P. conclusit: *Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies.*

Cap 73. Regulæ.

Quibus verbis MSS. Regulæ exemplaria, & antiquiora quædam impressa, finem Regulæ imponunt. In alijs autem iam editis, passim subijciuntur hæc verba: *Facientibus hæc, regna patebunt æterna*, vel, *superna*. Quæ quidem Disquisitioni locum fecere, an etiam à S. BENEDICTI mente, & manu sint posita.

An promissio vitæ æternæ facta à S. Benedicto.

Neque enim adeò nupera est hæc additio, vt heri aut nudiustertius Mantissæ loco adiecta fuerit: sed eius iam olim nostri Scriptores meminerunt. Tritthemius sanè explicans Prologum Regulæ, eam S. BENEDICTO tribuit: *Viam ergo*, inquit, *quâ itur ad Deum nobis ostendit sanctissimus Pater noster* BENEDICTVS, *sicuti concludit in fine Regulæ suæ, dicens Facientibus hæc, regna patebunt æterna.* Et iam olim Boërius notauit quosdam libros hunc versum non habere. *Petrus tamen Diaconus*, inquit, *in textu expositionis suæ ipsum posuit, & apud nos communiter habetur.* Meminit eiusdem S. Hildegardis, dicens: *Ad vltimũ verò beatus Pater omnia hæc sic affirmat*: FACIENTIBVS HÆC REGNA PATEBVNT ÆTERNA. Bonizo vel Bonizus, Episcopus Sutriensis, Martyrio coronatus an. 1089. (vt tradit Baronius Tom. XI.) libro de Ecclesiasticis Sacramentis, eidem testimonium præbet in hęc verba: *Sed longo post tempore* S. BENEDICTVS, *Monachorũ Apostolus velut Lucifer Matutinus emicuit, qui compendiosam & luculentam viuendi Regulam Monachis instituit: quam in fine ita conclusit*: FACIENTIBVS HÆC, REGNA PATEBVNT ÆTERNA. Smaragdus cùm posuisset hæc vltima Regulæ verba: *Deo protegente peruenies Amẽ*; continuò subijcit: FACIENTI HÆC, VITA ERIT ÆTERNA; ac tum demum explicationem suam aggreditur. Idem quoque in cap. 18. ad hæc verba alludens, ait: *Confidens de Dei misericordiâ credat, quia custodientibus eam* (Regulam) *patebunt cælica regna.* In textu Concordiæ Regularum, in quo vltimum Regulæ S. BENEDICTI Caput primo loco ponitur, hæc ipsa clausula consequenter adijcitur: additque Menardus exstare in MSS. codicibus, & in vulgatis

Videri omnino ex authoritate,

Trithemij

Boërij.

Petri Diaconi.

S. Hildegardis.

Bonizonis.

Smaragdi.

Benedicti Anianensis. Vet. Cod. MSS.

DE REGULA S. BENEDICTI.

tis editionibus. Imperator Ludouicus Prius A manifestè satis insinuat se hanc sententiam in Regulâ S. BENEDICTI legisse: Alloquens enim Fulderses Monachos (vt Candidus ait in vitâ Ægilis Abbatis) ita loquitur: *Vos Patres, Fratres, & dilectissimi filij mei conuersationem vestram secundùm Dei timorem, & sancta Regulæ auctoritatem componite, vt in ea permanentes heredes sitis regni Dei. Si enim suscepistis minimam inchoationis Regulam, & in ea confidentiam habuistis iuxta promissum beati viri Dei BENEDICTI, vitam perpetuam vos adipisci, quare neglexistis tantum bonum.* Quis B hic non videat vltimi capitis Regulæ verba citari? Et cùm ait: ex promissione S. BENEDICTI Regulæ obseruatores vitã æternam sperare; quod S. Patris promissum significare voluit, nisi illud, quod in eadem adiectum legerat: *Facientibus hæc, regna patebunt æterna?*

Ludouici Pij.

Neque verò insolens, aut à S. BENEDICTI humilitate alienum est, adimplentibus Regulam, vitam spondere æternam. Nam vt S. Fulgentius dixit: *Omni voventi, & reddenti quod vouit, ipse quoque Deus reddit cælestis Regni præmia, quæ promisit.* Atque hinc C etiam alij monasticarum Regularũ conditores confidenter, & absque vllo scrupulo, ex præscripto Regulæ viuentibus æternam beatitudinem repromittunt. Innuit hoc Orsiesis in suâ Regulâ, vel de Institut Monach. dicens: *Si mandata sunt Dei, quæ per Patrem nostrum* (Pachomium) *tradidit nobis, & quæ sequentes possumus peruenire ad regna cælorum; toto eadem desiderio complexamus.* Iterumque: *Hæc sunt quæ nos ducant ad æternam vitam, quæ nobis tradidit Pater noster, &* D *iugiter meditanda præcepit.* Ita S. Cæsarius Arelatensis in fine Regulæ Sanctimonialium: *Credo de Dei misericordiâ, quod non pro aliquâ negligentiâ reatum incurrere, sed pro sanctâ & Deo placitâ obedientiâ ad æternam beatitudinem possitis feliciter peruenire.* Theodorus Studita cùm pleraque instituti Monastici præcepta in testamento suo Subditis explicasset, non dubitauit similem clausulam vir animi submississimi subiungere: *Et quidem si hæc scitis, beati qui ad finem vsque illa seruabitis. Vos enim Martyrum chorus excipiet, coronisque in regno cælorum redimiti sempiternis bonis fruemini.* Minorum verò Pater, S. Franciscus largam omninò benedictionem, Regulam & testamentum suum seruantibus largitur: *Et quicumque,* inquit, *hæc obseruauerit, in cælo repleatur benedictione altissimi Patris cælestis, & in terrâ repleatur dilecti filij sui, cum sanctissimo Spiritu Paracleto, & omnibus Sãctis. Et ego Frater Frãciscus paruulus, & vester seruus in Domino, quãtumcumque possum confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.* Atque ex hoc, vti credo, capite illud existit, quod in eodem Ordine postquam Nouitius conceptis verbis vota sua Deo nuncupauit, Prælatus respondeat: *Et ego ex parte Dei, si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam. In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen.* Humillimus autem Minimorũ Pater, S. Franciscus de Paulâ, non dissimili formulâ Regulas suas concludit: *Hæc est charissimi fratres lex ac Regula mitis & sancta, quam vos hortamur humiliter suscipere ac fideliter custodire: quatenus per ipsius obseruantiã, tandem de manu Domini pro benedictione perenni gratiam & gloriam sempiternam fœliciter consequamini. Amen.* Hæc cùm viri hi sanctissimi, & humilitatis cultores eximij scripserint, mirum videri non debet, si clausula illa *facientibus hæc, regna patebunt æterna:* è S. BENEDICTI mente, calamoque profluxerit: quem imitari forsitan voluit eiusdem Patris Magnus discipulus, Petrus Damiani, qui cùm Regulam quandam erexisset mitis suis præscripsisset, itaeam concludit: *Hoc autem ex diuinæ clementiæ bonitate confidimus, quod quisquis illa peragere quæ in hoc Opusculo scripta sunt, augendi prouectus intentione studerit; non lædetur à morte secundâ, nec delebitur nomen eius de libro vitæ, sed Agnus ille, qui eum post se crucis suæ conspicit gestatorem, in cælesti Hierusalem adscribet sibimet proculdubio cohæredem. Amen.*

Fulgent. de fide ad Pet. cap. 3. Fecerunt idipsum & alij.

Orsiesis.

Cæsarius Arelatensis.

Theodorus Studita.

S. Franciscus Minorum Pater.

S. Franciscus de Paulâ.

B. Petrus Damiani.

TRACTA-

DE REGVLA S. BENEDICTI.

TRACTATVS II.

DE REGVLÆ S. BENEDICTI Nominibus.



Isid. Orig. lib. 1. cap. 7.

EGVLAM ipsam perspeximus: proximum est, vt diuersa quibus insignita reperitur nomina, hic expendamus. Si enim Nomen, *Festo dictum sit quasi* Nouimen, *vel vt post Boëtium & Priscianum Isidoro placuit*, quasi notamen, quod nobis vocabulo suo res notas efficiat: *quis non videat nos per ipsius Regulæ nomina in pleniorem eius duci notitiam? Explicandum igitur* Primò, *Cur Regula* S. BENEDICTI *Lex appelletur?* Secundò, *Quanta inter Moysen Legislatorē, &* S. BENEDICTVM *similitudo?* Tertiò, *Quæ inter Mosaicam & Benedictinam Legem, ipsúmque Euangelium comparatio?* Quartò, *Cur Regula* S. BENEDICTI *dicatur iugum?* Quintò, *Cur minima inchoationis Regula?* Sextò, *Cur appellata Sancta, & SS. Patrum?* Septimò, *Quæ alia eius nomina?*

DISQVISITIO I.

Cur REGVLA S. BENEDICTI *vocetur* LEX?

INTER varia, quæ Regulæ S. P. N. BENEDICTI tribuuntur nomina, primo loco expendam nomen LEGIS, quod ei & communi Scriptorum consensu, & ipsius Patriarchæ nostri auctoritate iure merito conpetit. Ea sanè Legem inter Regulamque reperitur affinitas, vt vna per alteram si non definiatur, vtcumque saltem declaretur. Lex Aristoteli est REGVLA, *quam faciendis quibuscumque applicare decet.* [Arist. li. 3. Polit.] *Lex*, inquit Cicero, *est naturæ vis; mens ratioque prudentis: atque iniuriæ* REGVLA. Et Seneca: LEGEM *iusti iniustique* REGVLAM *esse, dicimus.* Si nostros magis lubet audire Theologos, & inter eos, Scholasticorum Principem S. Thomam Aquinatem; Legem ille definit, vt sit *quædam* REGVLA, *& mensura secundum quàm inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Regulā suam vicissim S. BENEDICTVS LEGEM appellat. De Nouitio enim agens, *Legatur*, inquit, *ei hæc* REGVLA *per ordinem, & dicatur ei, Ecce* LEX, *sub quâ militare vis, si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede.* Et post pauca: *Suscipiatur in congregatione, sciens* LEGE REGVLÆ *constitutum, quod ei ex illâ die non liceat de monasterio egredi.*

Legis & Regulæ affinitas. A

Cicer. 1. de Leg. B

Seneca li. 4. de benef. cap. 12.

S. Thom. 1. 2. quæst. 90. act. 1.

Regul. c. 58 C

In hac LEGE, inquit Bernardus Cassinensis, *omnia quæ requiruntur in* LEGE *condendâ, inueniemus. Quæ autem sunt illa? Isidorus exprimit, dicens: Erit autem* LEX *honesta, iusta possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate, conscripta.* Quas quidem conditiones si nostræ Regulæ probauerimus inesse, eiusdem præstantiam & perfectionem non parum manifestabimus. *Prima* est, vt sit *honesta*: & S. BENEDICTVS testatur se Regulam scripsisse, *vt eam obseruantes in monasterio, aliquatenus vel* HONESTATEM *morum aut initium conuersationis nos demonstremus habere.*

Bern. Cassinens. p. 1. Spec. ca. 10. Legis conditiones Regulæ adaptata. Isid. lib. 5. Orig. ca. 28

Est Honesta. Regul. c. 73.

Secunda conditio, vt sit *Iusta*: de quâ sanè nemo dubitauerit. Quamuis enim ex humilitate, vltimum Caput inscripserit: *Quod non omnis obseruatio* IVSTITIÆ *in hac sit Regulâ constituta*; certum tamen est, tantæ eam esse perfectionis, vt obseruantem ad patriam cælestem perducat. Nam & de solo Capite quarto non veritus est S. Pater affirmare: quòd si quis enumerata in eo bonorum Operum Instrumenta die noctuque incessabiliter adimpleuerit, illa merces ei à Domino reddetur, quàm oculus

Iusta.

DE REGVLA S. BENEDICTI. lus non vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis ascendit.

Possibilis. *Tertia* conditio est, vt sit *possibilis*. Hanc probat præcipua ea, à quâ commendatur Discretio: & quod ipse Legislator testetur, se *nihil asperum, nihilque graue constituturum*. Nec quidquam obstat, quod iubeat, *Si cui Fratri aliqua fortè grauia aut impossibilia iniungantur, suscipiat quidem iubentis imperium:* Hæc enim impossibilia nonnisi possibili modo voluit adimpleri, prout ab ipso sancto Patre explicatur.

Prolog. Regul.

Regul. c. 68.

Naturæ, & loco conueniens. *Quarta* conditio, vt sit *secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens*; optimè à S. BENEDICTO in suâ Regula fuit obseruata. Quamuis enim Monastica Lex imitans Euangelicam, naturam per omnia non sequatur, sed diuino auxilio superet; rectissimè tamen consulit S. Pater, vt, *quod minus habet in nobis* NATVRA *possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrari*. An non secundùm Naturam est illa pijssima Lex, quæ ait: *Licet ipsa* NATVRA HVMANA *trahatur ad misericordiam, in his ætatibus, senum videlicet & infantum: tamen & Regulæ auctoritas eis prospiciat*. Patriæ consuetudinem, Loci temporisque conuenientiam, quam exactè attendit, qui præscripsit: *Vestimenta fratribus secundum* LOCORVM *qualitatem vbi habitant, vel aëris temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus*.

In Prolog.

Regul. c. 37

cap. 55.

Necessaria. *Quintam* conditionem Isidorus ponit, vt *Lex* sit *necessaria*: congruit enim, vt vnaquæque respublica suis regatur Legibus: & vbi diuersi sunt fines, diuersæ quoque sunt, illisque accommodatæ Leges. Hoc sensu Regula S. BENEDICTI Monasticæ Reipublicæ erat necessaria: tum vt ipsa sua Regula ab alijs omnibus distingueretur, tum etiam, vt ad finem à sancto Patre intentum, Regulæ præceptis ac monitis, subditi dirigerentur. Complectitur enim Regula ea in primis, quæ ad religiosam perfectionem, & peculiarem Ordinis nostri finem, ac scopum, maximè sunt necessaria: quibus plura admiscet adiumenta & media ad eundem finem conducentia.

Vtilis. *Sexta* conditio requirit, vt Lex sit *vtilis*: Regulam autem S. BENEDICTI professoribus suis, totique Ecclesiæ Dei maximè vtilem fuisse, singulari Disquisitione, suo loco ostendemus.

Clara. *Septima* igitur conditio exigit, vt sit *manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat*. Ab hac Regulam nostram Magnus commendat Gregorius, cùm eam prædicat SERMONE LVCVLENTAM: quod Zacharias vertit, SERMONE CLARO. Et S. Antoninus in summâ historiali, ait: *Regula Sanctissimi* BENEDICTI *singula quæque* CLARE *describit*. Et adeò quidem clarè, vt Siluester dicat, eam non indigere *Declaratione illustratiuâ, cùm in* LVCE SVÆ CLARITATIS dicatur LVCVLENTA. Et hactenus quidem de conditionibus *Legis* ab Isidoro requisitis.

Anton. part 2. tit. 15. c. 7.

Silu. v. Rel. 1. num. 10.

Aliæ Legis proprietates cum Regulâ collatæ. Neque difficile esset, alia quoque quæ de Legis fine, eiusque effectibus tradi solent, Regulæ nostræ accomodare. Nam si Legis finis est, subditos facere bonos; Lex Regulæ eò dirigitur, vt subditos reddat perfectos & sanctos. Si Legis effectus sunt, præcipere, prohibere, permittere, punire: quis non videat illa in S. BENEDICTI Regulâ passim occurrere? Lex S. Thomæ dicitur, *à Ligando, quia obligat ad agendum*. Quam acriter hanc obligationem inculcat & vrget S. BENEDICTVS, cùm ait: *Suscipiatur (Nouitius) in Congregatione, sciens* LEGE REGVLÆ *constitutum, quòd ei ex illâ die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub iugo Regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit recusare, aut suscipere*. Aristoteli, *Lex est princeps, cui obedire debemus: est dux, quem sequi congruit: est* Regula, *quam faciendis quibuscumque decet applicare*. Eodem ferè modo, S. P. BENEDICTO Regula dicitur *Magistra*, quam audire, & sequi Discipuli debeant. *In omnibus*, inquit, *omnes* MAGISTRAM *sequantur* REGVLAM: neque ab ea temerè declinetur à quoquam.

S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1

Regul. c. 58.

Arist. lib. 3. Polit.

Regul. c. 3.

Clausula ad Religiosos. Sed hanc de Monasticâ Lege Disquisitionem aliquâ sacræ Legis sententiâ, velut sigillo quodam obsignemus. Religiosus quisque illud Salomonis sibi dictum putet: *Audi, fili mi, Disciplinam (Syrus* LEGEM) *Patris tui; & ne dimittas* LEGEM *Matris tuæ*. Ecquis Pater noster, nisi S. BENEDICTVS? & quæ est Mater nostra, nisi sacra Religio, & Ordo ab eo institutus? Quæ vtriusque Lex, nisi Regula ab eo præscripta? Hanc igitur audiamus, hanc numquam dimittamus, hanc semper custodiamus: quia, *Qui* CVSTODIT LEGEM *beatus est*.

Prou. 1. 8.

Prou. 29.

DIS-

DISQVISITIO II.

*Quanta inter Moysem Legislatorem, & S.*BENEDICTVM *similitudo?*

MAGNVS Monasticæ Religionis Patriarcha BENEDICTVS, quia omniû iustorum spiritu plenus fuisse à Gregorio veraciter perhibetur; vniuersis pæne veteris Testamenti Sanctis, ab antiquis Scriptoribus confertur. Nonnullos in Commentario ad Vitam citauimus, huic tamen loco eiusdem cum *Moyse*, maximo Legislatore comparationem reseruauimus: quòd ex eâ Monasticæ Legi, siue conscriptæ ab eo Regulæ commendationis nonnihil accedere videretur. Collationem inter hos duos, iam olim instituerunt S. Gregorius, S. Odo Cluniacensis, Goffridus Vindocinensis, Guarricus Abbas, S. Hildegardis, S. Thomas Aquinas, aliíque post eos. Horum vestigia sequentes vtriusque Parallela, hîc explicabimus. Atque vt à nomine ordiamur;

Cap. 8. nu. 13.

Similitudo inter Moysem & S. Benedictum.

Prima in nomine. Thom. ser. 1. de S. Bened. PRIMÒ. Notat Angelicus Doctor, veterem illum Legislatorem, *re & nomine Moysen* fuisse, hoc est, *de aquis eductum*: Fuit autem & Pater noster, re & nomine BENEDICTVS; vel vt S. Gregorius ait, *gratiâ* BENEDICTVS *& nomine; assumptus insuper de aquis carnalis concupiscentiæ*. De *Moyse* S. Ambrosius ait: *Moyses humanæ dignitatem conditionis excessit eousque vt Dei vocaretur nomine. Posui, ait, te Deum Pharaonis.* An non & Legifer noster Dei vocatus est nomine, cùm toties Deus in sacrâ Scripturâ vocetur BENEDICTVS? Quod antiquus Floriacensis Poeta, Gauzbertus apud Aimoinum, sic celebrauit.

Ambros. l. 1. de Caio & Abel 2.

Serm de S. Bened.

Quem Deus æternâ faciens in Sede potentem
Heredem proprij nominis esse dedit,
Nam fuit, est, & erit BENEDICTVS *iure vocatus, &c.*

II. In sæculi fuga. SECVNDÒ. *Moyses* in pueritiâ ac adolescentiâ cruditus omni scientiâ Ægyptiorum, eam regionem grandior factus, reliquit, magis eligens, vt Apostolus ait, *affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*. S. BENEDICTVS quoque, vt de eo refert S. Gregorius, Romæ liberalibus studijs traditus, cùm in eis *multos per abrupta vitiorum ire cerneret; eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, recessitq́; scienter nescius, & sapienter indoctus. Reliquit*, inquit S. Thomas, *Moyses Ægyptum*, BENEDICTVS *mundum, quem quasi aridum cum suo flore despexit.*

Hebr. 11. 24.

Lib. 2. Dialog. cap. 1.

III. In solitudinis amore. TERTIÒ. *Moyses* quadraginta annis in deserto vixit, contemplationi vacans, vt S. Basilius ait, * ibiq; pauit oues soceri sui Ietro. S. BENEDICTVS eremum petijt, soli Deo placere desiderans, ibique, vt Romanus Præsul Gregorius ait, *quoties eum contemplationis ardor in altum rapuit, se proculdubio sub se reliquit*. In eâdem solitudine præfuit etiam cuidã cœnobio, atque postea duodecim illic Monasteria exstruxit; quorum Monachos, ceu rationales pecudes ad vitæ æternæ pascua deduxit.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

* Hom. 1. in Hexaëmer.

IV. In principatu. QVARTÒ. *Moyses* à deserto eductus, dux Populi Israelitici fuit, quem ex Ægypto per mare Rubrum eduxit. S. BENEDICTVS, vt beati Odonis verba vsurpem, *de genuinis carnalium desideriorum tenebris multas ex populo acquisitionis cateruas suo ducatu abstractas ad terram viuentium introducit*. Vlteriùs autem pergens Guarricus Abbas, ait: *Dux ille filiorum Israël, quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit. Dux noster rectâ viâ Orientis tramite, tanquam signifer exercitus Monachorum, præcessit nos in regnum cælorum.*

V. QVINTÒ. *Moyses* (ait S. Odo) *mare Rubrum diuisit*: BENEDICTVS, *post Petrum inusitato miraculo, discipulum* (S. Maurum) *super aquas currere fecit.*

VI. SEXTÒ. *Ille inexustis aruis, aquam sitienti populo de petrâ produxit; iste de siccâ rupe fontem vsibus Monachorum eliceuit, qui hodieque in riuum fluit.*

VII. SEPTIMÒ. *Moyses* precibus Coturnices, & Manna in deserto à Deo impetrauit: S. BENEDICTO ducenti modij farinæ cælitus allati sunt.

VIII. OCTAVÒ. *Moyses* totam fabricam & configurationem tabernaculi Beseleel designauit: S. BENEDICTVS absens, construendi Monasterij loca, & formam dormientibus, diuino miraculo ostendit.

IX NONÒ. Fuit *Moyses* Propheta Domini, loquens cum eo familiarissimè: S. BENEDICTVS quoque prophetiæ Spiritu claruit, suique Monasterij euersionem, Romanæ ciuitatis conflagrationem, aliaque prædixit.

X. In ieiunio, & Oratione. DECIMÒ. Potissima *Moysis* arma fuerunt preces & ieiunia, qui bis quadraginta diebus ieiunus permansit. Fuit S. BENEDICTVS (teste Sanctâ Hildegarde) *quasi alter Moyses in lapideo foramine iacens, & corpus suum in multâ asperitate ob amorem vitæ crucians & constringens*. Id verò fecit toto illo triennio, quo in specu vixit, & non nisi parum panis à Romano allati in cibum adhibuit: cuius etiam inediam Dominus Sacerdoti reuelans, dixit; *Tu tibi delitias praparas, & seruus meus fame cruciatur*. Orationi verò nihil fuit Patri nostro familiarius, vt per totam vitam ferè patet; atque

Lib. 1. visione 5.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

atque ex eo, quòd inter verba orationis ultimum spiritum efflauerit.

XI. In moribus. VNDECIMÒ. Consideremus nunc ea, quę de *Moyse* Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum dixit, & ea S. BENEDICTO vtcumque adaptemus. *Dilectus*, inquit, *Deo & hominibus Moyses*. (Eccli. 45.) An non id de beatissimo Parente nostro quoque dicere licebit, cùm cælesti oraculo de mortuo dictum sit: *Haec est via quâ* DILECTVS DOMINO *cælum* BENEDICTVS *ascēdit?* Hominibus verò, quàm amatus fuerit, vel inde patet, quòd eum infimi, summi, medijq; generis homines creberrimè visitare soliti sint, & ab eius docentis ore pependerint; illique certatim filios suos nutriendos tradiderint. Pergit Siracides de *Moyse*: *Cuius memoria in benedictione est*. Id verò notius est beatissimo Parenti nostro conuenire, quàm vt pluribus probetur, cum ipso nomine id præferat.

XII. DVODECIMÒ. Subiungit ibidem sacer textus: *Similem illum fecit in gloriâ Sāctorum*, præcedentium videlicet Patriarcharum: De S. BENEDICTO Magnus Gregorius affirmat, quòd non aliquorum, sed *omnium iustorum Spiritu plenus fuerit*.

XIII. In miraculis. DECIMOTERTIÒ. *In verbis suis*, inquit Scriptura, *Moyses monstra placauit*, portētosa scilicet illa signa in Ægypto edens. Sanctissimū BENEDICTVM, per *Moysen* præfiguratum vult Aquinas Doctor, propter miraculorum multitudinem, quæ apud S. Gregorium toto lib. 2. Dialogorum leguntur.

XIV. DECIMOQVARTÒ. *Moysen Deus magnificauit in conspectu Regum* (Pharaonis nimirum) vt Interpretes exponunt. Quàm magnificatus autem fuit S. BENEDICTVS in conspectu Regis Totilæ, cuius fraudē cognouit; quem ante se humi prostratum nec sese attollere ausum, vidit & increpauit; cui scelera exprobrauit, & post decennium mortem denuntiauit.

XV. In visione Dei. DECIMOQVINTÒ. *Ostēdit* Deus *Moysi gloriam suam*; adeò quidem, vt eum diuinam essentiam vidisse, multi è Theologorum scholâ putent. Ostendit Deus S. BENEDICTO, sub vno solis radio totum mundum collectum, cuius rationem reddens S. Gregorius, ait: (Lib. 2. Dialog. cap. 35.) *Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura*; ex cuius verbis multi Doctores itidem asserunt Deum Patri nostro etiam secundùm essentiam visum.

XVI. In mansuetudine. DECIMOSEXTÒ. *In fide & lenitate sanctum fecit illum, Moysen*, qui fuit vir mitissimus in terrâ. Eadē verba de S. BENEDICTO Guarricus Abbas interpretatus est; qui & inimici mortē defleuit, & discipulis mortem sibi machinātibus nesciuit irasci, sed mansuetissimè eos admonuit. S. Hildegardis quoque S. BENEDICTVM vocat *filium Columbæ*, & instar *Moysis*, virum mitissimum super omnes homines, qui morabantur in terrâ.

XVII. In morte præscientia. DECIMOSEPTIMÒ. *Moyses* pręsciuit mortem suam, eamque Deuteronomij 37. populo denunciauit; S. BENEDICTVS quoque (vt habet S. Gregorius) *eodem anno, quo de hâc vitâ erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitus denunciauit diem*. (Ibid. cap. 37.)

DISQVISITIO III.

Quæ inter Mosaicam, & Benedictinam Legem, ipsumque Euangelium comparatio?

A PVERITIA vsque ad extremam senectutem, ipsamque adeò mortem, S. P. BENEDICTVM Moysi in pluribus similem fuisse, aut potiùs, vt Angelicus Doctor ait, eum præfigurasse, vtcumq; ostendimus: Nunc quod monasticam vitam, & sanctissimam eius *Regulam* propiùs tangit, & vehementer commendat, illud est, quod ipsi *Legi* Dei, à sanctis Viris conferatur, & tantùm non aufeatur, vt videbimus; Et Legifer noster populi Dei Legillatori sūmo non omnino impar fuisse probetur. (Regula S. Benedicti Mosaica Legi comparatur.) *Hunc enim beatissimum Patrem*, inquit S. Odo, *legislatio specialiter comparat*. Sed agedum ipsam comparationem instituamus.

PRIMÒ. Siracides de Moyse ait: *Elegit eum Deus ex omni carne, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ*. (Primò. Eccli. 45.) De S. BENEDICTO, audi citatum modò S. Odonem: (Odo serm. de S. Bened.) *Nec Monachorum cohortes vbique terrarum diffusæ, tantam eius* (S. BENEDICTI) *celsitudinem ignorant: qui sanctam ipsius Institutionem præ cæteris sectantur. Ita vt etiam in ipsorum Patrum Cœnobijs, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgarunt; Hanc, proprij clientes eorum, malint profiteri, non immeritò arbitrantes, quod hunc specialiter, tanquam alterum Moysen Deus prædestinauit: per quem* MONASTICÆ LEGIS *decreta sanciret*.

SECVNDÒ. Confert idem S. Odo perfectionem Monasticæ *Regulæ* cum Mosaicæ *Legis* sufficientiâ. (Secundò. Vtriusque perfectio.) *Fuerunt*, inquit, *quidam alij, sicut iam dictum est, eiusdem sanctæ Institutionis decretores: sed tanquam Moysi, huic quoque dicatur*: Noui te ex nomine, *Iste est, qui in hâc cælesti disciplinâ, placidiùs effulsit: Nam & ante Moysen, sacrificiorum caremoniæ, & Circumcisionis ritus, frequentatissimo viguit vsu: qui tamen specialiter per eundem Moysen inculcatus est. Sic ergo, & huic beatissimo Legislatori non præiudicent alij Patres, qui sanctæ Regulæ munia descripserunt: sed magis vt assertores eius sancita confirment*.

TERTIÒ. Legem Moyses non tam condidit, quàm à Deo latam promulgauit: S. BENE-

BENEDICTVS, vt posteà probabitur, Spiritu sancto docente ac dictante, Regulam suam scripsit, & discipulis suis propo-suit.

Quartò. Lib. 1. tract. 1. disq. QVARTÒ. Lex Synagogæ in monte Sinâ, Moysi tradita fuit, Lex monastica (vt suprà vidimus) in Cassinate Monte à S. BENEDICTO scripta est.

Quintò. Antitheses variæ. QVINTÒ. Varias, veteres Scriptores inter *Legem* Moysis, & *Regulam* S. BENEDICTI antitheses obseruarunt; quas ipsi eorum verbis hîc repræsentabimus.

I. *Prima* est S. Odonis sic loquentis: *Ille* (Moyses) *brutos mores Iudæorum, quos incredulos vocat & rebelles, virgâ legis coërcuit: Iste* (BENEDICTVS) *Monachorum gregem, sicut voluntariè auditu auris obedientem, quasi vna persona, propter vnum cor alloquens, filium nominat, & suaui Iugo Christi supponit.* Alludit nempè ad Prologum Regulæ, vbi S. Pater ait: AVSCVLTA, ô FILI, &c.

II. Serm. de S. Bened. *Secunda* est Aimoini Floriacensis: *A Moyse*, inquit, *vni tantummodò genti lex data est: à venerabili Patre* BENEDICTO *vbicumque per tribus, per linguas, per nationes, electi Dei dilatati sunt paternâ mansuetudine filij appellati, vt suaui Iugo Christi colla submittant, admonentur.*

III. *Tertia* est Guarrici Igniacensis Abbatis, qui duos hos Legislatores ita inter se opponit: *Ille Moyses, Dux fuit exeuntium de Ægypto; iste* (BENEDICTVS) *renunciantium sæculo: Legislator ille, Legislator & iste: Ille tantùm minister litteræ occidentis; iste Spiritus viuificantis: Ille ad duritiam Iudæorum dedit eis iustificationes non bonas, præter pauca moralia: iste solam puritatem Euangelicam, simplicemq; morum tradidit disciplinam: Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia vel inutilia; iste rectissimam vitæ scribit Regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam.* Hæc ille.

Sextò. Euangelij & Regulæ S. Benedicti similitudo. SEXTÒ. Vt *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*; ita non Moysi tantùm, sed & Christo Legislator noster similis fuisse, à doctis & pijs Scriptoribus asseritur; & *Regula* nostra cum *Euangelio*, piâ quâdam similitudine, componitur. Quod quidem ipse Deus apud S. Hildegardem (cuius scripta Eugenius III. agente S. Bernardo, in Concilio Treuirensi Apostolicâ auctoritate approbauit) suo testimonio asseruit: Hildeg. lib. 2. vision. 5. *Primus*, inquit, *Moyses in lapideis tabulis ex præcepto meo, asperam & duram legem scribens, Iudæis dedit; sed vt filius meus eandem legem per dulcedinem Euangelij perforauit; sic etiam* BENEDICTVS *famulus meus, propositum huius ordinis, quod ante ipsum diuersissima conuersatio fuit, per dulcedinem inspirationis Spiritus sancti, discretam & planam viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suâ Religionis collegit; vt etiam filius meus per suauitatem odoris sui Christianorum populum sibi coadunauit.* Sed & centum ferè ante Hildegardem annis, Goffridus Vindocinensis Abbas, S.R.E. Cardinalis, sic item locutus est: DE REGVLA S. BENEDICTI. Vindoc. ser. de S. Bened. *Fuerunt namque ante S.* BENEDICTVM *Abbates, & Abbatum Institutiones, sicut ante Christum Legislator extitit Moyses. Bonam siquidem & sanctam Iudaico populo Moyses attulit legem, sed Christus Christiano populo contulit meliorem. Ita sancti viri illius temporis secundum datam sibi à Deo gratiam, Monachorum leges statuerunt: sed Pater, ac Legifer noster* BENEDICTVS, *sicut à Deo maiorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit. Nam quidquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt, vel fieri permiserunt, ipse post illos correxit.* Hæc ille. Cùm quo Parentis sui leges pro dignitate expendente, vlteriùs etiam pergere libet. *Sanctorum*, inquit, *præcedentium Patrum omnis institutio est quidem bona, sed venerabilis* BENEDICTI *longè præstantior.* Qualis Monachorum ante S. Benedictum institutio. *Quæ ante illum Patres sancti constituerunt, velut Lex Moysi, dura & aspera fuerunt. Sapientis verò* BENEDICTI *Institutio sancta, suauis & leuis est: & Matre virtutum, discretione videlicet plena. Antiquorum sanctio Patrum, quasi veteris legis cultores habuit. Pius autem & discretus Pater* BENEDICTVS, *illorum statuta tanquam dura legis austeritatem temperans, nos nouæ gratiæ filios procreauit. Illa quasi vetera penè vel penitus omnia transierunt: Et ecce à S.* BENEDICTO *facta sunt noua. Illa etiam tanquam vmbra & figura futuræ Monasticæ vitæ fuisse videntur; sed per laudabilem Patrem* BENEDICTVM, *cooperante Spiritu sancto, est veritas reuelata.* Hæc ille. Glorientur ergo in suis Legislatoribus Athenienses, Lacedæmonij, Græci, Ægyptij, Assyrij, Romani; nos de nostro illud Iob verè pronunciare poterimus: *Nullus ei similis in Legislatoribus.* Iob 36. 22.

Septimò. SEPTIMÒ. His addamus, Moysen instituisse *Nazaræos*, quorum vota, consecrationes, abstinentiã, ritusque, Numerorum 6. describit. S. BENEDICTVS Ordinem instituit Monasticum admodum religiosum; in quo ea ferè, quæ Nazaræi ad tempus, Monachi totâ vitâ accuratissimè seruant: Vnde Nazaræos Religiosorum typum gessisse, sancti Patres docent.

Octauò. VLTIMÒ. Quemadmodum Xenophon, vt ideam quandam Imperatoris exprimeret, Cyrum depinxit; & Socrates in Platone, omnibus numeris absolutum Philosophum exhibuit; Cicero verò L. Crassum, vt perfectum Oratorem proposuit: Ita quoque Gregorius Nyssenus, volens exemplar perfectæ & omnibus numeris absolutæ virtutis exhibere mortalibus; vnum *Moysen* assumpsit, de quo ad calcem

DE REGVLA S. BENEDICTI.
Nyssen. de vit. Mos.

Libri, sic ait: *Habes de vitâ perfectâ in breui hac oratione meum iudicium; nam tanquam exemplar quoddam perfectionis, vitam Moysis descripsimus; ex quâ vnicuique nostrûm per institutorum imitationem in se monstratæ huius pulchritudinis characterem depingere licebit.*

S. Benedictus Monasticæ vitæ speculum.

Fuit quoque S. BENEDICTVS, Monasticæ perfectionis speculum & exemplar, de quo, quod de S. Basilio Nazianzenus Gregorius dixit; verè affirmare possumus: BENEDICTI *vita omnibus fuit Canon viuendi.*

Lib. 2. Dialog cap. 36.

Quod optimè probat Gregorius Romanus, dicens: *Si quis velit subtiliùs mores vitamque beati* BENEDICTI *cognoscere, potest in eâdem Institutione Regulæ omnes Magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.*

Vindoc. ser. de S. Bened.

Pontifici huic suffragatur Cardinalis Vindocinensis, his verbis: *Veraciter dicere possumus, & firmiter credere debemus, quod* S. BENEDICTVS *à Deo nobis sit tanquam Apostolus & Angelus destinatus. Nam illum idcirco nobis specialiter misit Deus, vt ipse formata & formosa vitæ suæ exemplo nos propriè & singulariter informaret, atque suæ doctrinâ sapientiæ nobis quæ sunt bono, familiariter nutriret.*

Nyssen. vbi suprà.

Quoniam igitur (vt cum Nysseno concludam) *perfectionem humanæ vitæ quærebamus, eamq; vt potuimus adinuenimus, nihil iam restat, nisi vt ad exemplar istud viuamus.*

DISQVISITIO IV.

Cur Regula S. BENEDICTO *dicatur* IVGVM?

Lex iugum dicta.
Eccli 51. 34.

IN sacrâ Scripturâ Dei Lex IVGVM appellatur, ita Ecclesiasticus: *Collum vestrum subijcite* IVGO, *& suscipiat anima vestra disciplinam.*

Ierem. 2. 25.

Ieremias: *A sæculo confregisti* IVGVM *meum, rupisti vincula, & dixisti; Non seruiam.*

Thren. 3. 27.
Osee 7. 16.

Et in Threnis: *Bonum est viro, cùm portauerit* IVGVM *ab adolescentiâ suâ.* Et Osee: *Reuersi sunt, vt essent absque* IVGO.

Matth. 11. 29.

In nouâ quoque Lege Saluator ait: *Tollite* IVGVM *meum super vos,* &c. IVGVM *enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Hoc ipsum nomen, cùm Monasticæ suæ Legi inter cætera quoque tribuat S. BENEDICTVS; hoc loco se considerandum offert.

Et Regula à S. Benedicto.
Regul. cap. 58.

Ita verò scribit: *Suscipiatur in congregatione, sciens lege Regulæ constitutum, quod ei ex illâ die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub* IVGO REGVLÆ.

Et alijs Scriptoribus.

Frequentata est Ecclesiasticis Scriptoribus hæc ipsa phrasis. Paphnutius in vitâ S. Onuphrij, cap. 3. IVGO *ac disciplinæ sanctæ* REGVLÆ *colla submitterent.*

Hieron. Epist. 4.

Hieronymus ad Rusticum: *Nunc Monachi incunabula, moresque discutimus, & eius Monachi, qui liberalibus studijs eruditus, in adolescentiâ* IVGVM CHRISTI COLLO SVO IMPOSVIT. Concilium Toletanum II. c. 1. *Hi tanquam appetitores arctissimæ vitæ, leuissimo* DOMINI IVGO *subdantur.*

18. c. de ijs.

Qui ex Monacho Episcopus ordinatur; dicitur, *A* IVGO *Monasticæ Professionis absolui,* vt habetur Caus. 18. q. 1. c. *statutum est.*

X. de Reg. & transf. c. cum virum.

Sed Clemens III. ipsam S. P. N. phrasin expressit, dicens: *Non videtur illa Monasticæ Professionis à se posse* IVGVM EXCVTERE, *cùm eā non constet euidenter contradixisse.* Et Clementina, *Ne in agro: Quia nonnulli Monachorum ipsorum sicut accepimus, suaui* IVGO *obseruantiæ regularis abiecto, interdum proprijs Monasterijs relictis, se in eis securè morari non posse fingentes, &c.* Atque hæc de nomine.

Analogia Iugi & Regulæ.

Sed cur Lex, vel REGVLA appellatur IVGVM? Triplex reddi potest ratio, siue analogia.

Prima.

PRIMA. Iugum iumentis imponitur, vt pateant ad arandum, currumque, aut aliud onus ducendum; vnde Virgilius:

Virg. in Moret.

Sub IVGA *parentes cogit lorata iuuencos.*

Lex quoque & Regula subditis, ac Religiosis imponitur, ad seruiendum Deo. Ita *Iugum* respectu imponentis, est imperium eius, qui præest: nam in sacris Litteris, non rarò IVGVM pro regno & dominatione accipitur, vt Genesis 27. 40. *Tempusq; veniet, cùm excutias & soluas* IVGVM *eius de ceruicibus tuis.* Et 3. Reg. 12. 4. Populus ad Roboā ait: *Pater tuus durissimum* IVGVM *imposuit nobis: tu itaq; nunc imminue paululum de* IMPERIO *Patris tui durissimo, & de* IVGO *grauissimo.*

1. Machab. 8. 18.
Ibid. 13. 41.

Sic in Machabæis dicitur: *vt auferrent ab eis* IVGVM *Græcorum.* Iterumque: *Ablatum est* IVGVM *Gentium ab Israël. Regula* igitur *Iugum* dicitur, quia regit, imperat, & dominatur voluntati obedientium Monachorum. Atque hinc sequitur

Secunda.
Matth. 11.
Eccli. 51. 34.

SECVNDA *Analogia:* Quod sicut boues aliaque animalia, colla *Iugo* submittunt, illudque ferunt; ita subditorum est, Legis *Regulæq; Iugū* portare, &, vt Christus dixit, *super se tollere,* illique humiliter subijci. Hoc sensu Ecclesiasticus monet: *Collum vestrum* SVBIICITE IVGO, *& suscipiat anima vestra disciplinam.*

Reg. cap. 1.

Sic & Cœnobitas Regulam super se tollere, illique subiectos esse, S. P. BENEDICTVS insinuat, cùm eos ait, *militare sub Regulâ, vel Abbate.*

Tertia.
Luc. 14.
1. Cor. 7.

TERTIA *ratio* est. *Iugum* plerumque dicitur, quod duo iumenta iuncta subeunt: Vt in Euangelio: IVGA *boum emi quinque.* Atque ita *Coniuges* à *coniugo*, secundum Phocam appellantur, qui sub eodem sint *Iugo*: aut secundum Priscianum, à *coniungo*, velut vno *Iugo* iuncti vinctique: vt illud Apostoli significat: *Alligatus es vxori? noli quærere solutionem.* Non secus Monachi, non tantùm ipsi *Regulæ*, velut *iugo* sunt alligati; verùm etiam ipsâ *Regulâ* inter se sunt deuincti.

Regula,

Regula, inquit Boërius, *dicitur* IVGVM, *quia* IVNGIT *Monachos ad Dei militiam.* Nimirùm, vt S. Legillator ait: *Omnes sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus.*

Reg. cap. 2.

Hoc igitur pacto, *Regula Iugum* est, Religioso iugiter, & humiliter ferendum: cui Pindari illud inculcandum:

Pind. Pyth. Oda 2. iuxta med.

Φέρειν δ' ἐλαφρῶς
ἐπαυχένιον λαβόντα
ζυγόν, ἀρήγει.

IVGVM *autem quod sumpseris super ceruicem, leniter ferre prodest.*

B

Excutere Iugum, quid.

Iam quod spectat S. BENEDICTI phrasin, EXCVTERE COLLVM DE SVB IVGO REGVLÆ; ea Sacræ Scripturæ conformis est, quæ rebellionem & inobedientiam, IVGI EXCVSSIONE, diruptione, vel fractura, similibusque designat. Psalmista: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis* IVGVM *ipsorum.* Et Deus apud Ieremiam: *A sæculo confregisti* IVGVM *meũ.* Hinc homines exleges, & indomiti, qui negant iura sibi nata, neque Deo, vel hominibus volunt obedire; vocantur *absque* IVGO: *Reuersi sunt vt essent absque* IVGO. Hebræo sermone appellantur *filij Belial*: quod vulgatus Interpres Judic. 19. rectè vertit: *absque* IVGO. LXX. verò Deuteronom. 13. ἄνδρες παράνομοι, *viri transgressores Legum.* Veteres Rabbini in suo Sanhedrim; *Viri Belial, sunt filij, seu homines, qui* IVGVM *cæli collo suo* EXCVSSERVNT. *Belial* etiam diabolus dicitur: & filij *Belial*, filij diaboli. Hinc illa S. Pauli interrogatio: *Quæ communicatio Christi ad Belial?* Nimirùm, Christus factus est obediens vsque ad mortem, & *Iugum* suum ferri docuit: Belial vix creatus, statim Dei imperio se subduxit, & in contumaci rebellione æternùm perseuerat. Obedientes ergò, filij sunt Christi: transgressores & rebelles, filij *Belial*, siue diaboli.

Psalm. 2.
Ierem. 2. 25.
Osee 7. 16.
Filij Belial.
2. Cor. 6. 15.

Monasticen profitens, iugum suscipit.

Cæterùm, vt in ipsâ Professione hoc Monasticæ *Regulæ Iugum* Religiosus suscipit; ita in oratione, quæ tum pro eo ad Deum effunditur, expressa eius fit mentio. Nam in Ordine Romano ita Legitur: *Omnipotens, sempiterne Deus, cuius charitatis ardore succensus hic famulus tuus, stabilitatem suam tibi in hoc Monasterio promittendo,* LEGIS TVÆ IVGO COLLA SVBMITTIT, *concede propitius*, &c. Jn Ordine Carmelitarum, cùm Nouitio imponitur Scapulare, præscribitur dicẽdum: *Tolle* IVGVM CHRISTI *suaue, & onus eius leue. In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

Ordin. ad Monachũ faciend.

Cass. collat. 24. cap. 21. Quomodo Iugum suaue videatur durum.

Apud Cassianum, Abraham Abbatẽ interrogat Germanus, quomodò inter se conueniant, quod in Euangelio dicitur: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue;* &, quod regius Vates ait: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Cùm etiam Apostolus dicat: Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur. Quidquid autem durum, & persecutionibus est refertum, nec leue potest esse, nec suaue.* Quæ quidem huic loco non importuna est quæstio. Similiter enim disquiri posset, cur in Prologo Regulæ S. BENEDICTVS dixerit, se *nihil asperum, nihilque graue constituturum*; Nouitio tamen prædicari velit *omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum.*

DE REGVLA S. BENEDICTI.
Psalm. 16.
2. Tim. 3.

Responsio.

Pluribus autem respondet Abbas Abraham; quorum hæc ferè summa. Jdem *Iugum* Christi videri durum, quòd non legitimè, & secundùm voluntatem Christi, viam perfectionis aggrediamur: nec propriam voluntatem, & omnia nostra absolutè deseramus: voluptates verò quibus vtimur, nos retinere, ne spiritualem suauitatem, quæ *Iugo* Domini inest degustemus.

Ad vberiorem porrò huius loci illustrationem, addamus aliam Scripturam, quæ dicit: *Et computrescet* IVGVM *à facie Olei.* Cuius sensus hic à Cornelio adfertur: Sicut lora, nodi (hos enim vngendo oleo vel pinguedine soluere solent agricolæ,) & funes, ex quibus fit *Iugum* boum, oleo imposito lentescere, mollescere, dissolui, oleascere, & tandem putrescere solent; ita diuinum auxilium, Jugum alioqui durum, facit molle & languidum, illudque dissoluit. Posset quoque sic exponi per metonymiam: IVGVM, id est, Jugi asperitas, tollitur, & quasi computrescit & perit, cùm tam colla boum, quàm Jugum coriaceum oleo, id est, pinguedine, vel aruinâ, inungitur: eâ enim fit molle & glabrum. Jd magis verum, & proprium est in Jugo, & oleo spiritali, ad quod maximè hîc respicit Spiritus sanctus. Magnum hîc audiamus Gregorium: *Oleo Spiritus sancti vnctio designatur, de quâ dicitur: Computrescet* IVGVM *à facie* OLEI. IVGVM *enim à facie* OLEI *computrescit: quia dum Spiritus sancti gratiâ vngimur, à captiuitatis nostræ seruitute liberamur; denique maligni spiritus dominatio superbo repellitur, Iugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. Hinc ait Psaltes: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima meo.*

Isai. 10. 27.
C
Oleum diuinæ opis dura emollit.
D
Gregor. 15. Mor. cap. 11. & 15.
E

Quod quadruplex.

Vnde quadruplex notare possumus Oleum spirituale, quo Jugum Domini mollescat. *Primum*, Gratia Spiritus sancti, de quâ iam dictum, de quâ item S. Leo: *Facilè omnia præcepto veniunt in effectum, quando & GRATIA prætendit auxilium, & obedientis mollit imperium. Secundum*, est Spes retributionis; de quâ Augustinus: *Adest*

I. Gratia.
Leo serm. 3. de Epiph.
II. Spes.
Aug serm. 9. de verb. Domini.

DE REGVLA S. BENEDICTI. siæ, Chrysostomus parem Apostolis fatea- A tur.

Sed vt propiùs ad rem veniamus, illud omninò fatendum est, *Regulas S. Basilij* & vniuersa eius *Asceticá*, summis laudibus in Ecclesia esse iam olim celebratas: vt proindè nihil mirum sit si tam honorificam eorum S. BENEDICTVS fecerit mentionem. *Regula & Ascetica Basilij quanti æstimata.*

A Photio. Photius Patriarcha cum magnoperè dicendi charecterem laudasset, nec Platone ipso, siue Demosthene in persuadendo inferiorem fecisset, ita demum subdit: *Legimus & ASCETICA, hoc est, Monastica vitæ præceptiones, ex quarum quidem præcepto qui* B *vixerit, cælesti certè regno aliquando potiatur.* Ita Photius. Quæ sanè amplissima commendatio est, nec video, quid amplius desiderari possit. Idemque alibi: *Legi B. Basilij Episcopi Cæsareæ Cappadociæ ea, quæ vocantur ASCETICA, duobus libris comprehensa opus, si quod aliud vtile his, qui pietati student, & cælestia bona adipisci conantur: maximè verò ijs, qui in cœnobio religiosam vitam ducunt.* Sed audiamus iterum Gregorium Theologum magnumque omninò oratorem de se disserentem, & explicantem quantum ex Basilij scriptis in spiritu profecerit. *Cùm,* inquit, *orationes eas, quas de moribus ac benè viuendi ratione scripsit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumque Dei capax efficior, atque instrumentum musicum à Spiritu pulsatum, diuinamque gloriam canens. Per eas corrigor & concinnor, atque diuinâ quâdam immutatione alius ex alio efficior.* Eundem fructum in alijs quoque idem Theologus animaduertit, suspirans enim ad Basilij & fratrum eius consortium ita ait: D *Quis mihi dabit fratrum eorum, qui dij à te efficiebantur atque in altum euehebantur, concordiam animorumque coniunctionem? quis virtutis certamen, & ad eam incitationem, quam scriptis* LEGIBVS *ac* REGVLIS *obfirmauimus?* Sunt autem, inquit Baronius, hæ Regulæ illæ Monasticæ Basilij, quæ exstant; ex quibus reliqui, qui posteà vixerunt sanctissimi Patres, Monachorum institutores, disciplinam hauserunt. Easdem porrò magnoperè etiam commendat in testamento suo B. Theodorus Studita: *Cōfiteor, inquit, insuper monasticum statum sublimē esse & excelsum, &* E *Angelicum, qui & peccata omnia expurget absoluta vita perfectione, tum nimirū si ex diuinique magnique Basilij Asceticorum legibus plenè exigatur.* Tanti igitur cùm ab omnibus fierent Regulæ S. Basilij, mirum minimè videri debet; si ijs suam S. BENEDICTVS supposuerit, & ad earum diligentem lectionem suos non leuiter sit cohortatus.

Phot. in Biblioth. Cod. 144.

Cod. 191.

Greg. Nazianzeno.

Nazianz. in orat. Funebri.

Id Epist. 9.

Anno Chri. 363.

Theodoro Studitâ.

Altera, quam diximus, caussa erat, summa S. P. BENEDICTI Humilitas; quâ se paruum, alios verò magnos; sua exilia, alio-rum eximia iudicabat opera. Animaduertit id Goffridus Vindocinēsis, ita scribens: *Illa (veterum Patrum statuta) tamquam vmbra & figura futuræ Monasticæ vitæ videntur; Sed per laudabilem Patrem* BENEDICTVM, *cooperante Spiritu Sācto, est veritas reuelata. Ipse tamē pro magnâ suâ humilitate S. Basilij, & præcedentiū vitam & opera Patrum, vel sua tacens vel quasi modica dicens, laudat & miratur. Bonus optimū discipulus Magistrū imitatus, qui taceri præcipiebat, cū ea quæ sine ipso nemo alius facere poterat, operabatur.* Hæc Goffridus Vindocinensis. Imitatus porrò videtur in suâ Regulâ Isidorus Hispalensis hanc S. BENEDICTI humilitatem, cùm ita loquitur: *Quisquis vestrum illam vniuersam veterum disciplinam contendit appetere, pergat in quantum placet, & arduum illum limitem, atque angustum leuigato cursu incedat. Qui verò tanta iussa Priorum explere nequiuerit in huius limite disciplinæ gressus constituat.* Et mox consequenter: *Sicut illa præcepta Priorum perfectum Monachum reddunt ac summum: ita faciunt ista vel vltimum. Illa custodiant prefecti, ista sequantur post peccatum conuersi.* C

S. Benedicti Humilitas.

Serm. de S. Benedic.

Quam secutus Isidorus.

Præfat. ad Reg. Monach.

DISQVISITIO IX.

Quænam sit illa Sancti Basilij Regula quam S. BENEDICTVS commendat?

SVPERIORE Libro varias Magni Basilij enumerauimus Regulas, nimirum fusius, & concisiùs disputatas, siue, quas vocant REGVLAS BREVIORES, CONSTITVTIONES MONASTICAS: item eam, quā Eremitas Ponti instruxit, aliam quoque à Rufino conuersam: deniqùe quam in compendium contraxit Cardinalis Bessarion. *Tract. 4. Disquis. XI. Plures Basilij Regulæ.*

Hic iam quæritur, quænam ex his à S. BENEDICTO designata fuerit, cùm inter scripta, quæ suæ Regulæ anteponit, recenset *Regulam S. P. N. Basilij.* Prosper Stellartius exhibiturus fundamina, & Regulas omnium Ordinum Monasticorum, considerans; varias esse S. Basilij Regulas, quæ simul iunctæ volumen per se constituerent; ait, se compendio studentem, eas daturum, quales omissis reliquis dare consueuerunt, qui de Monasticis Regulis sermocinantur & scribunt. Adfert autem Regulas fusiùs disputatas, illas supponens præcipuam S. Basilij esse Regulam. *Quam designet, ac commendet S. Benedictus.*

Ioannes verò Franciscus Congregationis S. Iustinæ Monachus edens quatuor approbatas Religiosorum Regulas, pro S. Basilij Regulâ repræsentat *Instituta Monachorum à Rufino translata. Quæ etiā habetur in editione Louaniensi, inter SS. Patrum Regulas Monasticas.* Eadem primo loco occurrit MSS. Codicibus S. Maximini Treuiren- *Regulam à Rufino versam.*

uirensis, & S. Pantaleonis Coloniensis; qui A Regulas SS. Patrum exhibent. Hunc librum (verba sunt Iulij Nigronij) Regulam esse Basilij puto, quam commendat S. BENEDICTVS, & Innocentius II. Capitulo *Perniciosam*, vnà cum Augustini, & BENEDICTI Regulis commemorat; quam miror inter opera Basilij non excudi.

Nigron. tract. Ascet. 5. c. 3. §. 11. Gauf. 18. q. 2.

Caussam verò cur ita sentiat, alibi idem Nigronius explicat, nimirum, quòd Gratianus Benedictinus Monachus, instituta hæc Monastica *Regulam* nuncupet: Deinde quòd ex ijs B pluribus locis. Decreta colligat, tamquam ex VII. Synodo; quod arguit in eá approbatam fuisse vel insertam. Ita Nigronius.

Nigr. part. 1 Tit. Reg. Societ.

Cap dissinimus 7. Syn. cap. 10.

Sed & Hugo Menardus, agens de S. Basilij Regulâ, prout à S. Benedicto Anianensi Abbate, in Concordiâ Regularum allegatur; ait nihil aliud continere, quàm illius Constitutiones, tam fusiùs, quàm breuius disputatas, ex interpretatione Rufini, quæ in vetustissimo codice MS. Bibliothecæ S. Germani à Pratis diuiduntur in ducentas Interrogationes. Ex hâc ipsâ, sub Basilij C nomine, testimonia producit Smaragdus in Commentario ad Regulam S. BENEDICTI. Cur autem hactenus Basilij operibus ea Regula addita non fuerit; rationem reddunt Typographi Parisienses, præliminari Epistolâ ante *Basilij Opera Græco-latina*, quod scilicet, commodiùs vnà cum ceteris Rufini Operibus seorsim ederetur: præsertim cùm ordinem Regularum non seruet, quam Basilij opera præ se ferunt, & sæpe non tam Interpretem, quàm Paraphrasten agat, multis de suo etiam intertextis.

Quæ illo tempore nota.

Videtur autem hæc Regula æuo S. BENEDICTI, & circa illud per antonomasiam appellata Regula *S. Basilij*, tum quod illa in Oriente, vt Rufinus in præfatione testatur, passim obseruaretur; tum quòd versione eiusdem Rufini, in Occidentali etiam Ecclesiâ magis sit diuulgata: & vt credi par est, in plerísque Monasterijs vsu recepta. Scribit enim Vrsacium sibi pollicitum *quod per vniuersa Occiduæ partis Monasteria, si hæc Sancti & spiritualis viri sancta & spiritualia innotescerent instituta; ille seruorum Dei profectus, qui ex huiusmodi Institutionibus nasceretur, aliquid mihi gratiæ vel mercedis afferret.* Et mox eundem sic admonet: *Tui sanè sit Officij, etiã alijs Monasterijs exemplaria præbere, vt secundùm exemplar Cappadociæ, omnia Monasteria, eisdem & non diuersis vel Institutis vel Obseruationibus viuant.*

Et in Occidente diuulgata.

Quamquam autem hæc ita sint, credi quoque possit S. BENEDICTVM omnes omninò Basilij Regulas, & vniuersa ipsius *Ascetica* commendare voluisse; quæ à principaliori nomine, *Regulam* appellauerit.

DISQVISITIO X.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Quæ sint vltima REGVLÆ S. BENEDICTI *verba?*

REGVLÆ suæ Epilogum his verbis S. P. conclusit: *Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo* B *protegente, peruenies.*

Cap. 71. Regulæ.

Quibus verbis MSS. Regulæ exemplaria, & antiquiora quædam impressa, finem Regulæ imponunt. In alijs autem iam editis, passim subijciuntur hæc verba: *Facientibus hæc, regna patebunt æterna,* vel, *superna.* Quæ quidem Disquisitioni locum fecere, an etiam à S. BENEDICTI mente, & manu sint posita.

An promissio vitæ æternæ facta à S. Benedicto.

Neque enim adeò nupera est hæc additio, vt heri aut nudiustertius Mantissæ loco adiecta fuerit: sed eius iam olim nostri C Scriptores meminerunt. Tritthemius sanè explicans Prologum Regulæ, eam S. BENEDICTO tribuit: *Viam ergo*, inquit, *quâ itur ad Deum nobis ostendit sanctissimus Pater noster* BENEDICTVS, *sicuti concludit in fine Regulæ suæ, dicens: Facientibus hæc, regna patebunt æterna.* Et iam olim Boërius notauit quosdam libros hunc versum non habere. *Petrus tamen Diaconus*, inquit, *in textu expositionis suæ ipsum posuit, & apud nos communi-* D *ter habetur.* Meminit eiusdem S. Hildegardis, dicens: *Ad vltimũ verò beatus Pater omnia hæc sic affirmat:* FACIENTIBVS HÆC REGNA PATEBVNT ÆTERNA. Bonizo vel Bonizus, Episcopus Sutriensis, Martyrio coronatus an. 1089. (vt tradit Baronius Tom. XI.) libro de Ecclesiasticis Sacramentis, eidem testimonium præbet in hęc verba: *Sed longo post tempore* S. BENEDICTVS, *Monachorũ Apostolus velut Lucifer Matutinus emicuit, qui compendiosam & luculentam viuendi* E *Regulam Monachis instituit: quam in fine ita conclusit:* FACIENTIBVS HÆC, REGNA PATEBVNT ÆTERNA. Smaragdus cùm posuisset hæc vltima Regulæ verba: *Deo protegente peruenies Amẽ*; continuò subijcit: FACIENTI HÆC, VITA ERIT ÆTERNA; ac tum demum explicationem suam aggreditur. Idem quoque in cap. 18. ad hæc verba alludens, ait: *Confidens de Dei misericordiâ credat, quia custodientibus eam* (Regulam) *patebunt cælica regna.* In textu Concordiæ Regularum, in quo vltimum Regulæ S. BENEDICTI Caput primo loco ponitur, hæc ipsa clausula consequenter adijcitur: additque Menardus exstare in MSS. codicibus, & in vulgatis

Videri omnino ex antiquitate,

Tritthemij.

Boërij.

Petri Diaconi.

S. Hildegardis.

Bonizonis.

Smaragdi.

Benedicti Anianensis.

Vet. Cod. MSS.

DE REGULA S. BENEDICTI.

tis editionibus. Imperator Ludouicus Prius A manifestè satis insinuat se hanc sententiam in Regulâ S. BENEDICTI legisse. Alloquens enim Fuldenses Monachos (vt Candidus ait in vitâ Aegilis Abbatis) ita loquitur: *Vos Patres, Fratres, & dilectissimi filij mei conuersationem vestram secundùm Dei timorem, & sanctæ Regulæ auctoritatem componite, vt in eâ permanentes hæredes sitis regni Dei. Si enim suscepistis minimum inchoationis Regulam, & in eâ confidentiam habuistis iuxta promissum beati viri Dei* BENEDICTI, *vitam perpetuam vos adipisci, quare neglexistis tantum bonum.* Quis B hic non videat vltimi capitis Regulæ verba citari? Et cùm ait: ex promissione S. BENEDICTI Regulæ obseruatores vitâ æternam sperare; quod S. Patris promissum significare voluit, nisi illud, quod in calce adiectum legerat: *Facientibus hæc, regna patebunt æterna?*

Ludouici Iy.

Neque verò insolens, aut à S. BENEDICTI humilitate alienum est, adimplentibus Regulam, vitam spondere æternam. Nam vt S. Fulgentius dixit: *Omni vouenti, & reddenti quod vouit, ipse quoque Deus reddit cælestis Regni præmio, quæ promisit.* Atque hinc etiam alij monasticarum Regularū conditores confidenter, & absque vllo scrupulo, ex præscripto Regulæ viuentibus æternam beatitudinem repromittunt. Innuit hoc Orsiesis in suâ Regulâ, vel de Institut Monach. dicens: *Si mandato sunt Dei, quæ per Patrem nostrum* (Pachomium) *tradidit nobis, & quæ sequentes possumus peruenire ad regna calorum; toto eadem desiderio complecamus.* Iterumque: *Hæc sunt quæ nos ducant ad æternam vitam, quæ nobis tradidit Pater noster, &* D *iugiter meditanda præcepit.* Ita S. Cæsarius Arelatensis in fine Regulæ Sanctimonialium: *Credo de Dei misericordiâ, quod non pro aliquâ negligentiâ reatum incurrere, sed pro sanctâ & Deo placitâ obedientiâ ad æternum beatitudinem possitis feliciter peruenire.* Theodorus Studita cùm pleraque instituti Monastici præcepta in testamento suo Subditis explicasset, non dubitauit similem clau-

Fulgent. de fide ad Pet. cap. 1.

Fecerunt idipsum & alij.

Orsiesis.

Cæsarius Arelatensis.

sulam vir animi submississimi subiungere: *Et quidem si hæc scitis, beati qui ad finem vsque illa seruabitis. Vos enim Martyrum chorus excipiet, coronisque in regno cælorum redimiti sempiternis bonis fruemini.* Minorum verò Pater, S. Franciscus largam omninò benedictionem, Regulam & testamentum suum seruantibus largitur: *Et quicumque,* inquit, *hæc obseruauerit, in cælo repleatur benedictione altissimi Patris cælestis, & in terrâ repleatur dilecti filij sui, cum sanctissimo Spiritu Paracleto, & omnibus Sāctis. Et ego Frater Frāciscus paruulus, & vester seruus in Domino, quātumcumque possum confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.* Atque ex hoc, vti credo, capite illud existit, quod in eodem Ordine postquam Nouitius conceptis verbis vota sua Deo nuncupauit, Prælatus respondeat: *Et ego ex parte Dei, si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam. In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen.* Humillimus autem Minimorū Pater, S. Franciscus de Paulâ, non dissimili formulâ Regulas suas concludit: *Hæc est* C *charissimi fratres lex ac Regula mitis & sancta, quam vos hortamur humiliter suscipere ac fideliter custodire: quatenus per ipsius obseruantiā, tandem de manu Domini pro benedictione perenni gratiam & gloriam sempiternam feliciter consequamini. Amen.* Hæc cùm viri hi sanctissimi, & humilitatis cultores eximij scripserint, mirum videri non debet, si clausula illa *facientibus hæc, regna patebunt æterna:* è S. BENEDICTI mente, calamoque profluxerit: quem imitari forsitan voluit eiusdem Patris Magnus discipulus, Petrus Damiani, qui cùm Regulam quandam cremitis suis præscripsisset, ita eam concludit: *Hoc autem ex diuinæ clementiæ bonitate confidimus, quod quisquis illa peragere quæ in hoc Opusculo scripta sunt, augendi prouectus intentione studuerit; non lædetur à morte secundâ, nec delebitur nomen eius de libro vitæ, sed Agnus ille, qui eum post se crucis suæ conspicit gestatorem, in cælesti Hierusalem adscribet sibimet procul dubio cohæredem. Amen.*

Theodorus Studita.

S. Franciscus Minorum Pater.

S. Franciscus de Paulâ.

B. Petrus Damiani.

TRACTA-

DE REGVLA S. BENEDICTI.

TRACTATVS II.

DE REGVLÆ S. BENEDICTI Nominibus.



EGVLAM *ipsam perspeximus: proximum est, vt diuersa quibus insignita reperitur nomina, hic expendamus. Si enim* Nomen, *Festo dictum sit quasi* Nouimen, *vel vt post Boëtium & Priscianum Isidoro placuit*, quasi notamen, quod nobis vocabulo suo res notas efficiat: *quis non videat nos per ipsius Regulæ nomina in pleniorem eius duci notitiam? Explicandum igitur* Primò, *Cur Regula* S. BENEDICTI *Lex appelletur?* Secundò, *Quanta inter Moysen Legislatorē, & S.* BENEDICTVM *similitudo?* Tertiò, *Quæ inter Mosaicam & Benedictinam Legem, ipsumque Euangelium comparatio?* Quartò, *Cur Regula* S. BENEDICTI *dicatur jugum?* Quintò, *Cur minima inchoationis Regula?* Sextò, *Cur appellata Sancta, & SS. Patrum?* Septimò, *Quæ alia eius nomina?*

Isid. Orig. lib. 1. cap. 7.

DISQVISITIO I.

Cur REGVLA S. BENEDICTI *vocetur* LEX?



NTER varia, quæ Regulæ S. P. N. BENEDICTI tribuuntur nomina, primo loco expendam nomen LEGIS, quod ei & communi Scriptorum consensu, & ipsius Patriarchæ nostri auctoritate iure merito competit. Ea sanè Legem inter Regulamque reperitur affinitas, vt vna per alteram si non definiatur, vtcumque saltem declaretur. Lex Aristoteli est REGVLA, *quam faciendis quibuscumque applicare decet.* [Arist. li. 3. Polit.] *Lex*, inquit Cicero, *est naturæ vis; mens ratioque prudentis: atque iniuriæ* REGVLA. Et Seneca: LEGEM *iusti iniustique* REGVLAM *esse, dicimus.* Si nostros magis lubet audire Theologos, & inter eos, Scholasticorum Principem S. Thomam Aquinatem; Legem ille definit, vt sit *quædam* REGVLA, *& mensura secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Regulā suam vicissim S. BENEDICTVS LEGEM appellat. De Nouitio enim agens, *Legatur*, inquit, *ei hæc* REGVLA *per ordinem, & dicatur ei, Ecce* LEX, *sub quā militare vis, si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede.* Et post pauca: *Suscipiatur in congregatione, sciens* LEGE REGVLÆ *constitutum, quod ei ex illā die non liceat de monasterio egredi.*

Legis & Regulæ affinitas.

Cicer. 1. de Leg.

Seneca li. 4. de benef. cap. 12.

S. Thom. 1. 2 quæst. 90. act. 1.

Regul. c. 58

A B C

In hac LEGE, inquit Bernardus Cassinensis, *omnia quæ requiruntur in* LEGE *condendā, inueniemus. Quæ autem sunt illa? Isidorus exprimit, dicens: Erit autem* LEX *honesta, iusta possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate, conscripta.* Quas quidem conditiones si nostræ Regulæ probauerimus inesse, eiusdem præstantiam & perfectionem non parum manifestabimus. *Prima* est, vt sit *honesta*: & S. BENEDICTVS testatur se Regulam scripsisse, *vt eam obseruantes in monasterio, aliquatenus vel* HONESTATEM *morum aut initium conuersationis nos demonstremus habere.*

Bern. Cas. fin. conf. p. 1. Spec. ca 10. Legis conditiones Reg. Sub adaptata. Isid lib. 5. Orig. ca. 21

Est Honesta. Regul. c. 73.

Secunda conditio, vt sit *Iusta*: de quā sanè nemo dubitauerit. Quamuis enim ex humilitate, vltimum Caput inscripserit: *Quod non omnis obseruatio* IVSTITIÆ *in hac sit Regulā constituta*; certum tamen est, tantæ eam esse perfectionis, vt obseruantem ad patriam cælestem perducat. Nam & de solo Capite quarto non veritus est S. Pater affirmare: quòd si quis enumerata in eo bonorum Operum Instrumenta die noctuque incessabiliter adimpleuerit, illa merces ei à Domino reddetur, quàm oculus

Iusta.

DE REGVLA S. BENEDICTI. lus non vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis ascendit.

Possibilis. *Tertia* conditio est, vt sit *possibilis*. Hanc probat præcipuæ ea, à quâ commendatur Discretio: & quod ipse Legislator testetur, se *nihil asperum, nihilque graue constituturum*. (Prolog. Regul.) Nec quidquam obstat, quod iubeat, *Si cui Fratri aliqua fortè grauia aut impossibilia iniungantur, suscipiat quidem iubentis imperium*: (Regul. c.68.) Hæc enim impossibilia nonnisi possibili modo voluit adimpleri, prout ab ipso sancto Patre explicatur.

Natura, & loco conueniens. *Quarta* conditio, vt sit *secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens*; optimè à S. BENEDICTO in suâ Regula fuit obseruata. Quamuis enim Monastica Lex imitans Euangelicam, naturam per omnia non sequatur, sed diuino auxilio superet; rectissimè tamen consulit S. Pater, vt, (In Prolog.) *quod minus habet in nobis* NATVRA *possibile, rogemus Dominum, vt gratia sua iubeat nobis adiutorium ministrari*. An non secundùm Naturam est illa pijssima Lex, (Regul. c.37) quæ ait: *Licet ipsa* NATVRA HVMANA *trahatur ad misericordiam, in his ætatibus, senum videlicet & infantum: tamen & Regulæ auctoritas eis prospiciat*. Patriæ consuetudinem, Loci temporisque conuenientiam, quam exactè attendit, qui præscripsit: (cap.55.) *Vestimenta fratribus secundùm* LOCORVM *qualitatem vbi habitant, vel aëris temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus*.

Necessaria. *Quintam* conditionem Isidorus ponit, vt *Lex* sit *necessaria*: congruit enim, vt vnaquæque respublica suis regatur Legibus: & vbi diuersi sunt fines, diuersæ quoque sunt, illisque accommodatæ Leges. Hoc sensu Regula S. BENEDICTI Monasticæ Reipublicæ erat necessaria: tum vt ipsa sua Regula ab alijs omnibus distingueretur, tum etiam, vt ad finem à sancto Patre intentum, Regulæ præceptis ac monitis, subditi dirigerentur. Complectitur enim Regula ea in primis, quæ ad religiosam perfectionem, & peculiarem Ordinis nostri finem, ac scopum, maximè sunt necessaria: quibus plura admiscet adiumenta & media ad eundem finem conducentia.

Vtilis. *Sexta* conditio requirit, vt Lex sit *vtilis*: Regulam autem S. BENEDICTI professoribus suis, totique Ecclesiæ Dei maximè vtilem fuisse, singulari Disquisitione, suo loco ostendemus.

Clara. *Septima* igitur conditio exigit, vt sit *manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat*. Ab hac Regulam nostram Magnus commendat Gregorius, cùm eam prædicat SERMONE LVCVLENTAM: quod Zacharias vertit, SERMONE CLARO. Et S. Antoninus in summâ historiali, ait: (Anton. part. 2. tit. 15. c. 7.) *Regula Sanctissimi* BENEDICTI *singula quæque* CLARE *describit*. Et adeò quidem clarè, vt Siluester dicat, eam non indigere *Declaratione illustratiuâ*, cùm in LVCE SVÆ CLARITATIS dicatur LVCVLENTA. (Silu. v. Rel. 1. num. 10.) Et hactenus quidem de conditionibus *Legis* ab Isidoro requisitis.

Aliæ Legis proprietates cum Regulâ collatæ. Neque difficile esset, alia quoque quæ de Legis fine, eiusque effectibus tradi solent, Regulæ nostræ accomodare. Nam si Legis finis est, subditos facere bonos; Lex Regulæ eò dirigitur, vt subditos reddat perfectos & sanctos. Si Legis effectus sunt, præcipere, prohibere, permittere, punire: quis non videat illa in S. BENEDICTI Regulâ passim occurrere? Lex S. Thomæ dicitur, *à Ligando, quia obligat ad agendum*. (S.Thom. 1. 2. q.90. art. 1) Quam acriter hanc obligationem inculcat & vrget S. BENEDICTVS, cùm ait: *Suscipiatur (Nouitius) in Congregatione, sciens* LEGE REGVLÆ *constitutum, quòd ei ex illâ die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub iugo Regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit recusare, aut suscipere*. (Regul. c.58.) Aristoteli, *Lex est princeps, cui obedire debemus: est dux, quem sequi congruit: est Regula, quam faciendis quibuscumque decet applicare*. (Arist. lib. 3. Polit.) Eodem ferè modo, S. P. BENEDICTO Regula dicitur *Magistra*, quam audire, & sequi Discipuli debeant. *In omnibus*, inquit, *omnes* MAGISTRAM *sequantur* REGVLAM: neque ab ea temerè declinetur à quoquam. (Regul. c.3.)

Clausula ad Religiosos. Sed hanc de Monasticâ Lege Disquisitionem aliquâ sacræ Legis sententiâ, velut sigillo quodam obsignemus. Religiosus quisque illud Salomonis sibi dictum putet: *Audi, fili mi, Disciplinam* (Syrus LEGEM) *Patris tui; & ne dimittas* LEGEM *Matris tuæ*. (Prou. 1.8.) Ecquis Pater noster, nisi S. BENEDICTVS? & quæ est Mater nostra, nisi sacra Religio, & Ordo ab eo institutus? Quæ vtriusque Lex, nisi Regula ab eo præscripta? Hanc igitur audiamus, hanc numquam dimittamus, hanc semper custodiamus: quia, *Qui* CVSTODIT LEGEM *beatus est*. (Prou. 29.)

DIS-

DISQVISITIO II.

Quanta inter Moysem Legislatorem, & S. BENEDICTVM similitudo?

MAGNVS Monasticæ Religionis Patriarcha BENEDICTVS, quia omniū iustorum spiritu plenus fuisse à Gregorio veraciter perhibetur; vniuersis pænè veteris Testamenti Sanctis, ab antiquis Scriptoribus confertur. Nonnullos in Commentario ad Vitam citauimus, huic tamen loco eiusdem cum *Moyse*, maximo Legislatore comparationem reseruauimus: quòd ex eâ Monasticæ Legi; siue conscriptæ ab eo Regulæ commendationis nonnihil accedere videretur. Collationem inter hos duos, iam olim instituerunt S. Gregorius, S. Odo Cluniacensis, Goffridus Vindocinensis, Guarricus Abbas, S. Hildegardis, S. Thomas Aquinas, alijque post eos. Horum vestigia sequentes vtriusque Parallela hic explicabimus. Atque vt à nomine ordiamur;

Cap. 8. nu. 13.

Similitudo inter Moysem & S. Benedictum.

Prima in nomine. Thom. ser. 1. de S. Benedi.

PRIMÒ. Notat Angelicus Doctor, veterem illum Legislatorem, *re & nomine Moysen* fuisse, hoc est, *de aquis eductum*: Fuit autem & Pater noster, re & nomine BENEDICTVS; vel vt S. Gregorius ait, *gratiâ BENEDICTVS & nomine; assumptus insuper de aquis carnalis concupiscentiæ*. De *Moyse* S. Ambrosius ait: *Moyses humanæ dignitatem conditionis excessit eousque vt Dei vocaretur nomine. Posui, ait, te Deum Pharaonis*. An non & Legifer noster Dei vocatus est nomine, cùm toties Deus in sacrâ Scripturâ vocetur BENEDICTVS? Quod antiquus Floriacensis Poëta, Gauzbertus apud Aimoinum, sic celebrauit.

Ambros. l. 1. de Cain & Abel 2.

Serm de S. Bened.

Quem Deus æternâ faciens in Sede potentem
Hæredem proprij nominis esse dedit,
Nam fuit, est, & erit BENEDICTVS *iure vocatus, &c.*

II. *In seculi fuga.*

SECVNDÒ. *Moyses* in pueritiâ ac adolescentiâ eruditus omni scientiâ Ægyptiorum, cam regionem grandior factus, reliquit, magis eligens, vt Apostolus ait, *affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*. S. BENEDICTVS quoque, vt de eo refert S. Gregorius, Romæ liberalibus studijs traditus, cùm in eis *multos per abrupta vitiorum ire cerneret; eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, recessit q. scienter nesciens, & sapienter indoctus. Reliquit*, inquit S. Thomas, *Moyses Ægyptum*, BENEDICTVS *mundum, quem quasi aridum cum suo flore despexit*.

Hebr. 11. 24.

Lib. 1. Dialog. cap. 1.

III. *In solitudinis amore.*

TERTIÒ. *Moyses* quadraginta annis in deserto vixit, contemplationi vacans, vt S. Basilius ait, * ibiq; pauit oues soceri sui Ietro. S. BENEDICTVS eremum petijt, soli Deo placere desiderans, ibique, vt Romanus Præsul Gregorius ait, *quoties eum contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit*. In eâdem solitudine præfuit etiam cuidā cœnobio, atque postea duodecim illic Monasteria exstruxit; quorum Monachos, ceu rationales pecudes ad vitæ æternæ pascua deduxit.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

* Hom. 1. in Hexamer.

QVARTÒ. *Moyses* à deserto eductus, dux Populi Israëlitici fuit, quem ex Ægypto per mare Rubrum eduxit. S. BENEDICTVS, vt beati Odonis verba vsurpem, *de genuinis carnalium desideriorum tenebris multas ex populo acquisitionis cateruas suo ducatu abstractas ad terram viuentium introducit*. Vlteriùs autem pergens Guarricus Abbas, ait: *Dux ille filiorum Israël, quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit. Dux noster rectâ viâ Orientis tramite, tanquam signifer exercitus Monachorum, præcessit nos in regnum cælorum*.

IV. *In principatu.*

QVINTÒ. *Moyses* (ait S. Odo) *mare Rubrum diuisit*: BENEDICTVS, *post Petrum inusitato miraculo, discipulum* (S. Maurum) *super aquas currere fecit*. V.

SEXTÒ. *Ille in exustis aruis, aquam sitienti populo de petrâ produxit; iste de siccâ rupe fontem vsibus Monachorum elicuit, qui hodieque in riuum fluit*. VI.

SEPTIMÒ. *Moyses* precibus Coturnices, & Menna in deserto à Deo impetrauit: S. BENEDICTO ducenti modij farinæ cælitus allati sunt. VII.

OCTAVÒ. *Moyses* totam fabricam & configurationem tabernaculi Beseleël designauit: S. BENEDICTVS absens, construendi Monasterij loca, & formam dormientibus, diuino miraculo ostendit. VIII.

NONÒ. Fuit *Moyses* Propheta Domini, loquens cum eo familiarissimè: S. BENEDICTVS quoque prophetiæ Spiritu clarüit, suique Monasterij euersionem, Romanæ ciuitatis conflagrationem, aliaque prædixit. IX

DECIMÒ. Potissima *Moysis* arma fuerunt preces & ieiunia, qui bis quadraginta diebus ieiunus permansit. Fuit S. BENEDICTVS (teste Sanctâ Hildegarde) *quasi alter Moyses in lapideo foramine iacens, & corpus suum in multâ asperitate ob amorem vitæ crucians & constringens*. Id verò fecit toto illo triennio, quo in specu vixit, & non nisi parum panis à Romano allati in cibum adhibuit: cuius etiam inediam Dominus Sacerdoti reuelans, dixit; *Tu tibi delitias praparas, & seruus meus fame cruciatur*. Orationi verò nihil fuit Patri nostro familiarius, vt per totam vitam ferè patet; atque

X. *In ieiunio, & Oratione.* Lib. 1. vitione 5.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

atque ex eo, quòd inter verba orationis vltimum spiritum efflauerit.

XI. *In moribus.* VNDECIMO. Consideremus nunc ea, quę de *Moyse* Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum dixit, & ea S. BENEDICTO vtcumque adaptemus. *Dilectus*, inquit, *Deo & hominibus Moyses*. An non id de beatissimo Parente nostro quoque dicere licebit, cùm cælesti oraculo de mortuo dictum sit: *Hac est via quâ* DILECTVS DOMINO *cælum* BENEDICTVS *ascēdit?* Hominibus verò, quàm amatus fuerit, vel inde patet, quòd eum infimi, summi, medij; generis homines creberrimè visitare soliti sint, & ab eius docentis ore pependerint; illique certatim filios suos nutriendos tradiderint. Pergit Siracides de *Moyse: Cuius memoria in benedictione est*. Id verò notius est beatissimo Parenti nostro conuenire, quàm vt pluribus probetur, cum ipso nomine id pręferat. (Eccli. 45.)

XII. DVODECIMO. Subiungit ibidem sacer textus: *Similem illum fecit in gloriâ Sāctorum*, præcedentium videlicet Patriarcharum: De S. BENEDICTO Magnus Gregorius affirmat, quòd non aliquorum, sed *omnium iustorum Spiritu plenus fuerit*.

XIII. *In miraculis.* DECIMOTERTIO. *In verbis suis*, inquit Scriptura, *Moyses monstra placauit*, portētosa scilicet illa signa in Ægypto edens. Sanctissimū BENEDICTVM, per *Moysen* præfiguratum vult Aquinas Doctor, propter miraculorum multitudinem, quæ apud S. Gregorium toto lib. 2. Dialogorum leguntur.

XIV. DECIMOQVARTO. *Moysen Deus magnificauit in conspectu Regum* (Pharaonis nimirum) vt Interpretes exponunt. Quàm magnificatus autem fuit S. BENEDICTVS in conspectu Regis Totilæ, cuius fraudē cognouit; quem ante se humi prostratum nec sese attollere ausum, vidit & increpauit; cui scelera exprobrauit, & post decennium mortem denuntiauit.

XV. *In visione Dei.* DECIMOQVINTO. *Ostēdit* Deus *Moysi gloriam suam*; adeò quidem, vt eum diuinam essentiam vidisse, multi è Theologorum scholâ putent. Ostendit Deus S. BENEDICTO, sub vno solis radio totum mundum collectum, cuius rationem reddens S. Gregorius, ait: *Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura*; ex cuius verbis multi Doctores itidem asserunt Deum Patri nostro etiam secundùm essentiam visum. (Lib. 2. Dialog. cap. 35.)

XVI. *In mansuetudine.* DECIMOSEXTO. *In fide & lenitate sanctum fecit illum*, *Moysen*, qui fuit vir mitissimus in terrâ. Eadē verba de S. BENEDICTO Guarricus Abbas interpretatus est; qui & inimici mortē defleuit, & discipulis mortem sibi machinātibus nesciuit irasci, sed mansuetissimè eos admonuit. S. Hildegardis quoque S. BENEDICTVM vocat *filium Columbæ*, & instar *Moysis*, virum mitissimum super omnes homines, qui morabantur in terrâ.

XVII. *In mortis præscientia.* DECIMOSEPTIMO. *Moyses* pręsciuit mortem suam, eamque Deuteronomij 37. populo denunciauit; S. BENEDICTVS quoque (vt habet S. Gregorius) *eodem anno, quo de hâc vitâ erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitus denunciauit diem.* (Ibid. cap. 37.)

DISQVISITIO III.

Quæ inter Mosaicam, & Benedictinam Legem, ipsumque Euangelium comparatio?

A PVERITIA vsque ad extremam senectutem, ipsamque adeò mortem, S. P. BENEDICTVM Moysi in pluribus similem fuisse, aut potiùs, vt Angelicus Doctor ait, eum præfigurasse, vtcumq; ostendimus: Nunc quod monasticam vitam, & sanctissimam eius *Regulam* propiùs tangit, & vehementer commendat, illud est, quod ipsi *Legi* Dei, à sanctis Viris conferatur, & tantùm non aufer atur, vt videbimus; Et Legifer noster populi Dei Legislatori summo non omnino impar fuisse probetur. *Hunc enim beatissimum Patrem*, inquit S. Odo, *legislatio specialiter comparat*. Sed agedum ipsam comparationem instituamus. (Regula S. Benedicti Mosaicæ Legi comparatur.)

Primò. PRIMO. Siracides de Moyse ait: *Elegit eum Deus ex omni carne, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ*. De S. BENEDICTO, audi citatum modò S. Odonem: *Nec Monachorum cohortes vbique terrarum diffusæ, tantam eius* (S. BENEDICTI) *celsitudinem ignorant: qui sanctam ipsius Institutionem præ ceteris sectantur. Ita vt etiam in ipsorum Patrum Cænobijs, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgarunt; Hanc, proprij clientes eorum, malint profiteri, non immeritò arbitrantes, quod hunc specialiter, tanquam alterum Moysen Deus prædestinauit: per quem* MONASTICÆ LEGIS *decreta sanciret*. (Eccli. 45. Odo serm. de S. Bened.)

Secundò. Vtriusque perfectio. SECVNDO. Confert idem S. Odo perfectionem Monasticæ *Regulæ* cum Mosaicæ *Legis* sufficientiâ. *Fuerunt*, inquit, *quidam alij, sicut iam dictum est, eiusdem sanctæ Institutionis decretores: sed tanquam Moysi, huic quoque dicatur:* Noui te ex nomine, *Iste est, qui in hâc cælesti disciplinâ, placidiùs effulsit: Nam & ante Moysen, sacrificiorum caremoniæ, & Circumcisionis ritus, frequentatissima viguit vsu: qui tamen, specialiter per eundem Moysen inculcatus est. Sic ergo, & huic beatissimo Legislatori non praiudicent alij Patres, qui sanctæ Regulæ munia descripserunt: sed magis vt assertares eius sancita confirment.*

TERTIO. Legem Moyses non tam condidit, quàm à Deo latam promulgauit: S. BENE-

BENEDICTVS, vt posteà probabitur, Spiritu sancto docente ac dictante, Regulam suam scripsit, & discipulis suis proposuit.

Quartò. Lib. 2. tract. 3. disq. QVARTÒ. Lex Synagogæ in monte Sinâ, Moysi tradita fuit, Lex monastica (vt suprà vidimus) in Cassinate Monte à S. BENEDICTO scripta est.

Quintò. Antitheses variæ. QVINTÒ. Varias, veteres Scriptores inter *Legem* Moysis, & *Regulam* S. BENEDICTI antitheses obseruarunt; quas ipsi eorum verbis hîc repræsentabimus.
I. *Prima* est S. Odonis sic loquentis: *Ille* (Moyses) *brutos mores Iudæorum, quos incredulos vocat & rebelles, virgâ legis coërcuit: Iste* (BENEDICTVS) *Monachorum gregem, sicut voluntariè auditu auris obedientem, quasi vna persona, propter vnum cor alloquens, filium nominat, & suaui Iugo Christi supponit.* Alludit nempè ad Prologum Regulæ, vbi S.
II. Pater ait: AVSCVLTA, ô FILI, &c. *Secunda*
Serm. de S. Bened. est Aimoini Floriacensis: *A Moyse*, inquit, *vni tantummodò genti lex data est: à venerabili Patre* BENEDICTO *vbicumque per tribus, per linguas, per nationes, electi Dei dilatati sunt paternâ mansuetudine filij appellati, vt suaui Iugo Christi colla submittant, admonen-*
III. *tur. Tertia* est Guarrici Igniacensis Abbatis, qui duos hos Legislatores ita inter se opponit: *Ille Moyses, Dux fuit exeuntium de Ægypto; iste* (BENEDICTVS) *renunciantium sæculo: Legislator ille, Legislator & iste: Ille tantùm minister litteræ occidentis; iste Spiritus viuificantis: Ille ad duritiam Iudæorum dedit eis iustificationes non bonas, præter pauca moralia: iste solam puritatem Euangelicam, simplicemq́; morum tradidit disciplinam: Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia vel inutilia; iste rectissimam vitæ scribit Regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam.* Hæc ille.

Sextò. Euangelij & Regulæ S. Benedicti similitudo. SEXTÒ. Vt *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*; ita non Moysi tantùm, sed & Christo Legislator noster similis fuisse, à doctis & pijs Scriptoribus asseritur; & *Regula* nostra cum *Euangelio*, piâ quâdam similitudine, componitur. Quod quidem ipse Deus apud S. Hildegardem (cuius scripta Eugenius III. agente S. Bernardo, in Concilio Treuirensi Apostolicâ auctoritate approbauit) suo te-
Hildeg. lib. 2. visiun. 5. stimonio asseruit: *Primus*, inquit, *Moyses in lapideis tabulis ex præcepto meo, asperam & duram legem scribens, Iudæis dedit; sed vt filius meus eandem legem per dulcedinem Euangelij perforauit; sic etiam* BENEDICTVS *famulus meus, propositum huius ordinis, quod ante ipsum diuersissima conuersatio fuit, per dulcedinem inspirationis Spiritus sancti, discretam & planam viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suæ Religionis collegit; vt etiam filius meus per suauitatem odoris sui Christianorum populum sibi coadunauit.* Sed & centum ferè ante Hildegardem annis, Goffridus Vindocinensis Abbas, S.R.E. Cardinalis, sic item locutus est: *Fuerunt namque ante S.* BENEDICTVM *Abbates, & Abbatum Institutiones, sicut ante Christum Legislator extitit Moyses. Bonam siquidem & sanctam Iudaico populo Moyses attulit legem, sed Christus Christiano populo contulit meliorem. Ita sancti viri illius temporis secundum datam sibi à Deo gratiam, Monachorum leges statuerunt: sed Pater,* ac Legifer noster BENEDICTVS, *sicut à Deo maiorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit. Nam quidquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt, vel fieri permiserunt, ipse post illos correxit.* Hæc ille. Cùm quo Parentis sui leges pro dignitate expendente, vlteriùs etiam pergere libet. *Sanctorum*, inquit, *præcedentium Patrum omnis institutio est quidem bona, sed venerabilis* BENEDICTI *longè præstantior. Quæ ante illum Patres sancti constituerunt, velut Lex Moysi, dura & aspera fuerunt. Sapientis verò* BENEDICTI *Institutio sancta, suauis & leuis est: & Mater virtutum, discretione videlicet plena. Antiquorum sanctio Patrum, quasi veteris legis cultores habuit. Pius autem & discretus Pater* BENEDICTVS, *illorum statuta tanquam duræ legis austeritatem temperans, nos nouæ gratiæ filios procreauit. Illa quasi vetera penè vel penitus omnia transierunt: Et ecce à S.* BENEDICTO *facta sunt noua. Illa etiam tanquam vmbra & figura futuræ Monasticæ vitæ fuisse videntur; sed per laudabilem Patrem* BENEDICTVM, *cooperante Spiritu sancto, est veritas reuelata.* Hæc ille. Glorientur ergo in suis Legislatoribus Athenienses, Lacedæmonij, Græci, Ægyptij, Assyrij, Romani; nos de nostro illud Iob verè pronuntiare poterimus: *Nullus ei similis in Legislatoribus.*

DE REGVLA S. BENEDICTI. Vindoc. ser. de S. Bened.

Qualis Monachorum ante S. Benedictum institutio.

Iob 32.22.

Septimò. SEPTIMÒ. His addamus, Moysen instituisse *Nazaræos*, quorum vota, consecrationes, abstinentiā, ritusq́ue, Numerorum 6. describit. S. BENEDICTVS Ordinem instituit Monasticum admodum religiosum; in quo ea ferè, quæ Nazaræi ad tempus, Monachi totâ vitâ accuratissimè seruant: Vnde Nazaræos Religiosorum typum gessisse, sancti Patres docent.

Octauò. VLTIMÒ. Quemadmodum Xenophon, vt ideam quandam Imperatoris exprimeret, Cyrum depinxit; & Socrates in Platone, omnibus numeris absolutum Philosophum exhibuit; Cicero verò L. Crassum, vt perfectum Oratorem proposuit: Ita quoque Gregorius Nyssenus, volens exemplar perfectæ & omnibus numeris absolutæ virtutis exhibere mortalibus; vnum *Moysen* assumpsit, de quo ad calcem

Regula, inquit Boëtius, *dicitur* IVGVM, *quia* IVNGIT *Monachos ad Dei militiam*. Nimirùm, vt S. Legislator ait: *Omnes sub vno Domino aqualem seruitutis militiam baiulamus.* (Reg. cap. 2.)

Hoc igitur pacto, *Regula Iugum* est, Religiosò iugiter, & humiliter ferendum: cui Pindari illud inculcandum: (Pind. Pyth. Oda 2. ἐπωδ. καὶ λοιπ.)

Φέρειν δ' ὲ λαφρῶς
ἐπαυχένιον λαβόντα
ζυγὸν, ἀρήγει.

IVGVM *autem quod sumpseris super ceruicem, leniter ferre prodest.*

(Excutere Iugum, quid.) Iam quod spectat S. BENEDICTI phrasin, EXCVTERE COLLVM DE SVB IVGO REGVLÆ; ea Sacræ Scripturæ conformis est, quæ rebellionem & inobedientiam, IVGI EXCVSSIONE, diruptione, vel fractura, similibusque designat. (Psalm. 2.) Psalmista: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis* IVGVM *ipsorum.* (Ierem. 2. 25.) Et Deus apud Ieremiam: *A sæculo confregisti* IVGVM *meũ.* Hinc homines exleges, & indomiti, qui negant iura sibi nata, neque Deo, vel hominibus volunt obedire; vocantur *absque* IVGO: (Osee 7. 16.) *Reuersi sunt vt essent absque* IVGO. Hebræo (Filij Belial.) sermone appellantur *filij Belial*: quod vulgatus Interpres Judic. 19. rectè vertit: *absque* IVGO. LXX. verò Deuteronom. 13. ἄνδρες παράνομοι, *viri transgressores Legum.* Veteres Rabbini in suo Sanhedrim; *Viri Belial, sunt filij, seu homines, qui* IVGVM *cœli collo suo* EXCVSSERVNT. *Belial* etiam diabolus dicitur: & filij *Belial*, filij diaboli. (2. Cor. 6. 15.) Hinc illa S. Pauli interrogatio: *Quæ communicatio Christi ad Belial?* Nimirùm, Christus factus est obediens vsque ad mortem, & *Iugum* suum ferri docuit: Belial vix creatus, statim Dei imperio se subduxit, & in contumaci rebellione æternùm perseuerat. Obedientes ergò, filij sunt Christi: transgressores & rebelles, filij *Belial*, siue diaboli.

(Monasticam professionem, iugum suscipit.) Cæterùm, vt in ipsâ Professione hoc Monasticæ *Regulæ Iugum* Religiosus suscipit; ita in oratione, quæ tum pro eo ad Deum effunditur, expressa eius fit mentio. (Ordin. ad Monach. faciend.) Nam in Ordine Romano ita Legitur: *Omnipotens, sempiterne Deus, cuius charitatis ardore succensus hic famulus tuus, stabilitatem suam tibi in hoc Monasterio promittendo,* LEGIS TVÆ IVGO COLLA SVBMITTIT, *concede propitius*, &c. In Ordine Carmelitarum, cùm Nouitio imponitur Scapulare, præscribitur dicendum: *Tolle* IVGVM CHRISTI *suaue, & onus eius leue. In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

(Cass. collat. 24. cap. 22. Quomodo Iugum suaue videatur durum.) Apud Cassianum, Abraham Abbatē interrogat Germanus, quomodò inter se conueniant, quod in Euangelio dicitur: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue;* & quod regius Vates ait: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* (DE REGVLA S. BENEDICTI.) Cùm etiam Apostolus dicat: *Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur.* (Psalm. 16. 2. Tim. 3.) *Quidquid autem durum, & persecutionibus est refertum, nec leue potest esse, nec suaue.* Quæ quidem huic loco non importuna est quæstio. Similiter enim disquiri posset, cur in Prologo Regulæ S. BENEDICTVS dixerit, se *nihil asperum, nihilque graue constituturum*; Nouitio tamen prædicari velit *omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum.*

(Responsio.) Pluribus autem respondet Abbas Abraham; quorum hæc ferè summa. Idem *Iugum* Christi videri durum, quòd non legitimè, & secundùm voluntatem Christi, viam perfectionis aggrediamur: nec propriam voluntatem, & omnia nostra absolutè deseramus: voluptates verò quibus vtimur, nos retineto, ne spiritualem suauitatem, quæ *Iugo* Domini inest degustemus.

Ad vberiorem potrò huius loci illustrationem, addamus aliam Scripturam, (Isai. 10. 27.) quæ dicit: *Et computrescet* IVGVM *à facie Olei.* Cuius sensus hic à Cornelio adfertur: Sicut lora, nodi (hos enim vngendo oleo vel pinguedine soluere solent agricolæ,) & funes, ex quibus fit *Iugum* boum, oleo imposito lentescere, mollescere, dissolui, oleascere, & tandem putrescere solent; ita diuinum auxilium, (Oleum diuina ope dura emollit.) Iugum alioqui durum, facit molle & languidum, illudque dissoluit. Posset quoque sic exponi per metonymiam: IVGVM, id est, Iugi asperitas, tollitur, & quasi computtescit & petit, cùm tam colla boum, quàm Jugum coriaceum oleo, id est, pinguedine, vel aruinâ, inungitur: eâ enim fit molle & glabrum. Id magis verum, & proprium est in Jugo, & oleo spirituali, ad quod maximè hic respicit Spiritus sanctus. Magnum hîc audiamus Gregorium: (Gregor. 19. Mor. cap. 11. & 13.) *Oleo Spiritus sancti vnctio designatur, de quâ dicitur: Computrescet* IVGVM *à facie* OLEI. IVGVM *enim à facie* OLEI *computrescit: quia dum Spiritus sancti gratiâ vngimur, à captiuitatis nostra seruitute liberamur; denique maligni spiritus dominatio superba repellitur, Iugum conteritur, quo libertatis nostra cella premebantur. Hinc ait Psaltes: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*

(Quadruplex.) Vnde quadruplex notare possumus Oleum spirituale, quo Jugum Domini mollescat. (I. Gratia.) *Primum*, Gratia Spiritus sancti, de quâ iam dictum, de quâ item S. Leo: (Leo serm. 5. de Epiph.) *Facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & GRATIA prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* (II. Spes.) *Secundum*, est Spes retributionis; de quâ Augustinus: (Aug. serm. 9. de verb. Domin.) *Adest*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Adest Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione renouat de die in diem, & gustatâ requie spirituali in affluentiâ deliciarum Dei, in SPE FVTVRÆ BEATITVDINIS *omnia præsentia delinit, aspera & omnia grauia releuat.* Et Gregorius: *Ipsa angusta porta amantibus lata fit; ipsa via dura spiritualiter currentibus molles, & plana fiunt, dum scit animus se pro temporalibus doloribus* GAVDIA ÆTERNA *recipere; & hoc incipit, quod affligit, amare.* (Greg. hom. 17. in Ezec.)

III. Amor Dei. *Tertium*, est Amor Dei. Vnde S. Augustinus: *Omnia*, inquit, *fiunt facilia* CHARITATI; *cui Christi sarcina leuis est: aut ea vna est sarcina ipsa quæ leuis est.* Secundum hoc dictum est: *Et præcepta eius grauia non sunt; vt cui grauia sunt, consideret non potuisse diuinitus dici, Grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui grauia non sunt, & petat quo destituitur, vt impleat quod iubetur.* Et mox: *Quomodo est enim graue, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est: aut* DILIGIT, *& graue esse non potest.* Semitæ ergò iustitiæ *duræ sunt timori*, LEVES AMORI. Idemque alibi: *Regit te sub* IVGO *suo, & sub sarcinâ suâ. Vt enim sarcina eius sit tibi lenis, & Iugū eius suaue, ille tibi Amorē inspirauit.* AMANTI *suaue est, non Amanti durum est.* AMANTI *suaue est, Dominus dedit suauitatem.* (August. lib. de Nat. & Grat. c. 69.) (Qui omnia dulcorat.) (Serm. 15. de verb. Apost.)

IV. Consuetudo. *Quartum*, est Consuetudo, quæ omnia dura lenit. *Dura sunt*, inquit Gregor. *quæ cōtra vsum spiritaliter animo proponimus; & tamen onus Dei leue est, postquā hoc ferre experimus, ita vt pro amore eius etiam persecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat: sicut sancti quoq; Apostoli gaudebāt, cum pro Domino flagella tolerabant.* Similiter & S. P. BENEDICTVS de *Iugo Regulæ* suæ, & Humilitatis Gradibus ait, quòd cùm Monachus peruenerit ad Charitatem perfectam, *per eam vniuersa, quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex* CONSVETVDINE *incipiet custodire, non iam timore gehennæ, sed amore Christi, &* CONSVETVDINE *ipsâ* BONA, *& delectatione virtutum.* (Greg. hom. 17. in Ezechiel.) (Regul. c. 7.)

Addiderim porrò hîc, quod Cæsarius Arelatensis, siue, vt alijs placet, Eusebius Gallicanus, ait. *Sciendum est, quod quantò humiliores, & obedientiores fuerimus, tantò nos leuius & dulcius* IVGVM *Domini sentiemus.* Eodem sensu S. Columbanus in Regulâ ait: *Cauenda vbique est superba Monachis libertas, ac vera humilitas discenda sine murmuratione & hæsitatione obedientibus, quo iuxta Domini verbum* IVGVM *Christi suaue, & onus eius leue sentiant. Alioquin donec Christi humilitatem discant suauitatem* IVGI *eius, & oneris illius leuitatem non sentient.* Quæ meritò nobis consideranda, cùm tota S. BENEDICTI Regula ex Obedientiâ & Humilitate conflata sit. (Homil. 1. vel 3. ad Mon.) (Humilitas iugum lenit.) (Regul. Columb. cap. 9.)

Ex his igitur patet, quàm aptè Regula ad instar Legis Euangelicæ vocata sit IVGVM: & quemadmodum illud fiat suaue. Concludo Ambrosij exhortatione. *Suscipite* IVGVM *Christi. Nolite timere, quia* IVGVM *est; festinate, quia leue est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? Non obligat ceruicem vinculis, sed mentem gratiâ copulat. Non necessitate constringit, sed voluntate boni operis dirigit.* (Ambr. lib. de Elia & Ieiu. c. 22.)

DISQVISITIO V.

Regulam suam cur S. BENEDICTVS *minimam inchoationis Regulam nuncupauerit?*

HVMILITATIS Doctor, & cultor egregius, humillimâ coronide Regulam, summis reuerà dignam præconijs, concludit. *Quisquis*, inquit, *ad patriam cælestem festinas, hanc* MINIMAM INCHOATIONIS REGVLAM *descriptam adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies.* Quo quidem sermone videtur mihi Gentium Apostolum imitari voluisse, qui Hebræos hortatur, vt relictis fidei rudimentis, ad perfectionem tendant. *Quapropter*, ait, *intermittentes* INCHOATIONIS *Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum pænitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum.* Vbi *sermonem* INCHOATIONIS *Christi* vocat doctrinam, quæ tradi solet ijs, qui Christo initiantur; quam superiùs appellauerat *Elementa exordij sermonum Dei.* Quis non animaduertat, Apostolico, & Dei Spiritu imbutum Patriarcham nostrum, simili omninò loquendi formulâ dixisse: *Regulam autem hanc descripsimus; vt eam obseruantes in Monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut* INITIVM CONVERSATIONIS *nos demonstremus habere. Cæterùm ad* PERFECTIONEM *qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum: quarum obseruatio perducit hominem ad* CELSITVDINEM PERFECTIONIS. (S. Benedictus suā extenuat. Regul. cap. 73.) (Hebr. 6.) (Minimam vocat Regulā suam. Regul. cap. 73.)

Sed quorsum Regula illa, quam posteà probabimus à Spiritu sancto esse, & valdè perfectam, dicitur MINIMA INCHOATIONIS REGVLA? Respondere licet, Beatissimum Patrem ijsdem ferè rationibus duci potuisse, quibus Saluator noster permotus fuit, vt Euangelica præcepta MINIMA vocaret. *Qui*, inquit, *soluerit vnum de mandatis istis* MINIMIS, *& docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Hæc enim non tantùm de mandatis veteris Legis, sed etiam de ijs, quæ Christus eodem capite traditurus erat, posse intelligi, docet Chrysostomus, (Vt Christus Euangelica præcepta. Matth. 5.)

ſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Auctor operis Imperfecti. *Non enim pro veteribus Legibus hoc dixit*, inquit Chryſoſtomus, *ſed pro his quæ ipſe erat præcepturus: quæ quidem* MINIMA *vocat, licet* MAGNA *ſint. Sicut enim multotiens de ſe humilia locutus eſt: ita & de ſuis præceptis humiliter loquitur.*

Chryſoſt. hom. 16. in Matth.

Primò: ex modeſtiâ.

PRIMO itaque vocantur MINIMA propter modeſtiam, & ſummam JESV Chriſti humilitatem: *Vt & te*, ait Theophylactus, *inſtruat modeſtè docendo loqui.* Ex eodem fonte S. BENEDICTVS præſtantiſſimã Regulam ſuam *leuigando*, vt inquit Petrus Damiani, *& annullando deprettat*, & infra aliorum ſcripta deprimit. Id enim Sanctorum eſt, ſua parui facere, aliena magni. Ita quoque S. Baſilius, ſuas Regulas, & Inſtitutiones, velut pueriles, comparatione Ægyptiorum Patrum, infimo loco collocat. *In Ægypto*, inquit, *& Palæſtinâ, ſunt qui ad Euãgelij normam vitæ ſuæ conuerſationem perfectam reddant. Audio & in Meſopotamia viros eſſe perfectos ac beatos. Nos verò perfectis collati, pueri ſumus. Sunt autem & fœminæ Euangelicam vitam amplexæ: quæ virginitatem quidem nuptijs præferunt: ſenſum verò carnis ſeruituti ſubijciunt; & beato luctui immorantes, beatæ ſunt ex propoſito, vbicumq; terrarũ degãt. Apud nos verò iſta, qui* PRIMIS *adhuc* ELEMENTIS *ad pietatem inſtituimur & initiamur:* MINVTA SVNT AC RVDIA. Hæc ille. Sanctus quoque Petrus Damiani cum de ſuæ congregationis Inſtitutione librum ſcripſiſſet, parétem ſuum imitatus, ita humiliter concludit: *Nos ſpiritalis infantiæ crepundias teximus, & lactantis adhuc Eremitæ, vt ita fatear, incunabula fabricamus: dum debiles quoſque, noſtriq; conſimiles per planiora deducimus, expeditè præcinctos ab ardui montis aſcenſu minimè prohibemus; quatenus imbecilles adhuc ſic lactis liquor enutriat, vt valentes, ac viuidos, corpulentioris cibi ſoliditas non repellat.* Ita familiariſſimum ſemper Sanctis ſe ſuaque aliorum comparatione extenuare ac deprimere.

Dam. lib. 6. Epiſt. 12.

Baſil. Epiſt. 63.

Sic de ſuis ſenſit Baſilius.

Et Pet. Damiani.

Damia. Opuſc. 15. c. 31.

Secundò: ad humilitatem noſtram.

SECVNDÒ. Vocat Chriſtus Mandata ſua MINIMA, *ne extollerentur*, inquit Euthymius, *qui ea ſeruarent.* Eodem modo S. BENEDICTVS humilitatem ſuos docere voluit; ne ſcilicet magnum ſe quid præſtitiſſe arbitrentur, ſi eam Regulam ad vnguem ſeruauerint, *in quâ*, vt ipſe ait, *non omnis obſeruatio iuſtitiæ ſit conſtituta*: quæque tantùm MINIMA INCHOATIONIS eſt REGVLA. Tacitè proinde admonentur omnes, vt, *priorum obliti*, cum S. Paulo *in anteriora ſe extendant & ad maiora doctrinæ virtutumq; culmina* gradatim aſcendant. Numquam igitur perfectum ſe quis credere debet, quantumuis totam adimpleſſet Regulam; ſed ſemper meminiſſe, quotidie

A

B

C

D

E

ſibi eſſe incipiendum; quippe qui non niſi *inchoationis Regulam* hactenus ſeruârit: quare etiam ad initia hæc plura indies addere debeat, dicens cum eodem Apoſtolo: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe, ſed ad ea quæ futura ſunt extendo meipſum,*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Philip 3.

TERTIÒ. Euſebius Emiſſenus MINIMA credidit appellata Chriſti præcepta, comparatione maximi illius mandati: *Diligẽs Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, ſicut teipſum*; collatione quoque præceptorum Decalogi. *Maxima*, ait, *hæc duo ſunt, & illa decem, quæ digito Dei in tabulis lapideis ſcripta ſunt. Ad horum comparationem, alia omnia vel minora, vel minima intelligi poſſunt.* S. BENEDICTI quoque *Regula minima* cenſeri poteſt, ſi cõſideremus eam ſcriptam Cœnobitis, vt ipſe S. Pater, primo capite indicat. Cœnobitica autem vita præparatio quædam, & gradus eſt ad Anachoreticam, quæ auſterioribus vivendi Legis adſtringitur. *De ludo*, inquit Hieronymus, *Monaſteriorum, huiuſmodi volumus egredi milites, quos Eremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen conuerſationis ſuæ multo tempore dederint: qui omnium fuerint* MINIMI, *vt primi omnium fierent.* Hoc ſenſu MINIMA INCHOATIONIS REGVLA dicitur, quia S. BENEDICTVS, *Doctor inſignis* (verba ſunt Petrò Damiani) *in Monaſterio quidem conſtituit* BONÆ CONVERSATIONIS INITIVM, *ſed poſt ad* SVBLIMIORIS *vitæ in ſanctâ religione prouocat* INSTITVTVM; *vt illic honeſtè viuere, moreſque componere, velut in conualle primæ conuerſationis incipiat: deinde iam ſpiritalibus exercitijs roboratus, tamquam à lacte ad ſolidum cibum tranſiẽs, verticem* PERFECTIONIS *aſcendat.* Hæc ille. Turrecremata tamen, MINIMAM vocati Regulam putat, reſpectu Scripturarum ſacrarum, quæ excellentioris perfectionis continent doctrinas.

Tertiò: reſpectu perfectiorum. Matth. 22.

Hier. Epiſt. 4. ad Ruſt.

Dam. lib. 6. Epiſt. 12.

QVARTÒ. Potuit Chriſtus Dominus, teſte Barradio, MINIMA vocare ſua præcepta, quòd illorum, vt Chriſtus dixit, *iugum ſuaue ſit, & onus leue.* Quòd ſi cum obedientiâ & gratitudine, quam Deo debemus conferantur, minimum quid eſt, quod ſoluimus, dum præcepta ſeruamus: iuxta illud; *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus, quòd debuimus facere, fecimus.* Eodem prorſus modo Regula S. BENEDICTI *minima* dici poteſt, id eſt, facilis, leuis, ſuauis. Sic enim ipſe Legiſlator ait: *Conſtituenda eſt ergò à nobis Dominici ſchola ſeruitij: in quâ inſtitutione nihil aſperum, nihilq; graue nos conſtituturos ſperamus.*

Quartò: propter ſeruandi facilitatem. Matth. 11.

Luc. 17.

In Prolog Reg.

An verò *minima* hæc *inchoationis Regula* non minimam habeat ſimilitudinem cum doctrinâ Euangelicâ, de quâ ſumpta eſt?

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Matth. 13.

de eâ enim Saluator ait; quod, *Similis sit grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo. Quod* MINIMVM *quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit,* MAIVS *est omnibus Oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* Regula S. P.N. BENEDICTI tenue habuit exordium: & collata cū dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendore eloquentiæ, & compositione sermonum; multò illis inferior minorq; videbitur. Sed postquam Homo Dei eam in Ecclesiæ agro seminauit, postquam vel in animabus credētium, vel in toto mundo sata fuit; ingentem creuit in Arborem: ita, vt volucres cœli (*quas,* iuxta Hieronymum, *vel animas credentium, vel fortitudines Dei seruitio mancipatas, sentire debemus*) venerint & habitauerint in ramis eius. Quis enim enumeret Duces, Marchiones, Reges, Episcopos, aliosque Illustres Viros, qui cùm in sæculo essent maximi, *minima* huius *Regulæ* iugo colla submittentes, pro Deo facti sunt *minimi;* & in ramis huius Arboris nidificantes, ad cœlum per contemplationem subuolare didicerunt? Sed minimè opus est, hæc fusiùs persequi; cùm in sequentibus de ijs sæpè sermo redibit.

Regula Benedictina tenue exordium.

Hier. lib. 2. in Matth.

DISQVISITIO VI.

Regula S. BENEDICTI *cur appellata* SANCTA *&* SANCTORVM PATRVM?

Regula dicta Sancta ab eius conditore.

Reg. cap. 21.

Cap. 65.

REGVLAM suam SANCTITATIS titulo SANCTVS Legislator insigniuit. *Si quis frater,* inquit, *in aliquo contrarius existēs* SANCTÆ REGVLÆ *repertus fuerit.* Iterumque: *Aut contemptor* SANCTÆ REGVLÆ *fuerit comprabatus.* Hinc vsitatissimum posteris Scriptoribus Patriarchæ vestigia prementibus, hoc ipso nomine, etiam prætermisso S. BENEDICTI, Regulam condecorare: quasi per antonomasiam REGVLA SANCTA, non alia esset, quàm B. BENEDICTI. Hinc Benedictus Anianæ Abbas, in secundâ Præfatione ad *Concordiam Regularum:*

Bened. Anianensi.

Sumite hæc Monachi monita, quæ REGVLA SANCTA
Vos monet assiduè. ——

Paulo Diacono.

Lib 6. hist. Long. cap. 40.

Paulus Diaconus agens de S. Petronace, Cassinensis Monasterij instauratore: *Multorum,* ait, *ibi Monacharum nobilium, & mediocrium ad se cancurrentium Pater effectus, sub* REGVLÆ SANCTÆ *iuga, &* B. BENEDICTI *Institutione reparatis habitaculis viuere cœpit.* Vita quoque S. Richmiri, quam ex MSS. adfert Hugo Menardus, habet, eum Monachos sub SANCTA REGVLA congregasse. Quòd de Benedictinâ intelligi, ex

Menard. l. 2. Obseru. die 14. Feb.

A consequentibus patet, vbi dicitur, præfecturam Sanctimonialium Cenomanēsium adijsse; *quæ ad normam Regulæ* S. BENEDICTI *viuerent.* In Priuilegio Betfridi Ambianensis Episcopi, Corbeiensi cœnobio concesso, ita legitur: *Vt quietè sub* REGVLA SANCTA *ipsi Monachi viuere debeant.* Et Leutherius Episcopus West-Saxonum in præcepto, seu chartâ pro amplificatione Monasterij Malmesburiensis, quam concessit S. Adhelmo, ita ait: *Quapropter prædictorum Abbatum precibus annuens, ipsum locum, tam Successoribus suis, normam* SANCTÆ REGVLÆ
B *solerti deuotione sequentibus, fraternâ petitione coactus, vltroneus concedo.* Ludouicus Pius Imperator, Regulam citans, illi perhonorificum hoc epithetum tribuit, cùm ita Fuldenses alloquitur: *Istum* (Ægilem Abbatem) *nunc vobis cammitto Fratres, secundùm Dei timorem, &* SANCTÆ REGVLÆ *auctoritatem, vt sit vobis Pater, Pastor, & Frater.* Idem ad eosdem: *Conuersationem vestram secundum Dei timorem, &* SANCTÆ REGVLÆ *auctoritatem componite.* S. Petrus Damiani: SANTA REGVLA, inquit, *quasi ampla quædam,*
C *capax, & spatiosa domus facta est, ad omnia genera hominum capienda.* Loquitur autem de Regulâ Benedictinâ, quam ibidem hoc titulo sæpius exornat. Idem lib. 6. Epist. 12. *In illis igitur* SANCTÆ REGVLÆ *verbis, quæ suprà posuimus, perspicuè declaratur, quia* S. BENEDICTVS, *dum in Monasterio hominem ponit, ad eremum dirigit:* Et paulò pòst: *In ipso* SANCTÆ REGVLÆ *reperiuntur exordio.*

Betfrido. Ann. 664. Apud Simond. to. 1. Conc. Gall.

Leutherio.

Malmesb. l. 1. de gest. Reg. Angl. cap. 2.

Ludou. Pio.

Candid. in vit. Ægil. lib. 1.

Petr. Damiani. Opusc. 13. cap. 7.

Similiter Concilia loquuntur: Moguntiacum sub Carolo Magno: *Abbates autem censuimus ita cum Monachis suis pleniter vi-*
D *uere, sicut ipsi qui in præsenti Synoda aderant, palam nobis omnibus promiserunt: id est, secundùm doctrinam* SANCTÆ REGVLÆ BENEDICTI. Ibidem: *Quæ verò professionē* SANCTÆ REGVLÆ BENEDICTI *fecerunt.* Iterūque. *Sicut in* SANCTA REGVLA *dicitur: Monasterium ita debet constitui, vt omnia necessaria &c.* Et Trosleianum, anno 909. celebratum: *In ipso ingressu sectionis* SANCTÆ REGVLÆ *legitur de eligendo Abbate, & qualis esse debeat.*

Concil. Moguntinæ. Canon. 11.

Can. 13.

Can 20.

Trosleiano cap. 1.

Sed quibus de caussis *Regula* dicitur
E SANCTA?

PRIMÒ. Quia aliarum Legum instar sancita, & inuiolabiliter statuta est: Lex autem dicitur sanciri, cùm auctoritas ei conciliatur, comminatione pœnarum aduersus transgressores. *Quod enim sanctione quâdam subnixum est, id* SANCTVM *est,* inquit Iustinianus. Sacratas verò eas Leges appellatas Festus scribit, quibus cautū erat, vt si quis aduersus eas fecisset, sacer alicui deorum cum familiâ pecuniâque esset. *Sacrasanctum,* inquit Cicero, *nihil potest esse, nisi quod*

Caussa huius nominis Prima.

ff. de diuisione rerū 9. §. propriè.

Cicer. pro Corn. Balbo.

DE REGVLA S. BENEDICTI. *quod populus plebsve sanxisset.* Quòd si omnis Lex hoc modo SANCTA; cur non etiam Monastica, sanctiori populo præscripta?

Secundò. L. 1. ff. de Leg. SECVNDÒ. Ab ipso fonte Lex & Regula est SANCTA. Demosthenes siquidem dixit, Martiano teste; *Omnis lex inuentio quædam, & donum Dei est.* Expressiùs Augustinus: Aug. lib. de ver. Rel. cap. 31. *Conditor Legum temporalium si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de quâ nulli animæ iudicare datum est, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum, vetandumve discernat.* A Deo igitur sanctissimo, velut ab Auctore, Lex SANCTA. Quod nostræ *Regulæ* tantò magis conuenit, quantò luculentiùs deinceps probabitur, ex Spiritus sancti peculiari instinctu, à sancto Patriarchâ exaratam fuisse.

Tertiò. TERTIÒ. Regula potissimùm SANCTA, quia in sanctum finem ab auctore destinata, insigne sanctitatis instrumentum est; vt probat innumerus ille Sanctorum numerus, qui per eam æternam sanctitatis gloriam sunt cõsecuti. Vt non immeritò Sanctus Pater dixerit: Reg. cap. 73. *Quisquis ad* PATRIAM CÆLESTEM *festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adiuuante Christo, perfice.*

Regula Patrum est S. Benedicti Regula. Alterum verò titulum, quo hæc ipsa Regula dicitur SANCTORVM PATRVM; exsculpit Menardus ex vitâ S. Wilfridi, qui cùm Romam adiret, vt diem celebrandi Paschatis, & Monachorum viuendi rationem addisceret; dicitur proposuisse REGVLAM PATRVM seruandam. Constat id ex Beda lib. 5. hist. Eccles. cap. 20. eiusdem Epitaphio, quod apud Bedam legitur:

Inque locis istis Monachorum examina crebra

Colligit, ac monitis cauit, quæ REGVLA PATRVM

Sedulus instituit.

At Romæ tum temporis nulla obseruabatur Regula, quàm S. BENEDICTI. Et Guilielmus Malmesburiensis ait, S. Wilfridum Malmesb. lib. 3 de Pôtif. Angl. §. de Ebora. cens. Episc. iussisse Monachos obseruare Regulam S. BENEDICTI. Nec alia fuit Regula quàm S. BENEDICTI, quam S. Martinus Vertanensis Abbas, attulit ex Transalpinis regionibus, de quâ hæc Auctor vitæ: *Ipse quoque cum eis* (Monachis) *regulari lineâ morum se subdidit; quam* REGVLAM *priorum* PATRVM *decretis institutam à Transalpinis ferunt regionibus ab ipso delatam.* Hunc autem fuisse Benedictinum, inde colligi potest; quod eius discipulus S. Ebrulphus, Vticensis in Nortmannia Abbas, Regulam S. BENEDICTI seruauerit, vt ibidem Menardus probat.

In priuilegio quoque Betfridi Ambianẽsis Antistitis, quod iam ante citauimus, ita legitur: *Vt Monachi ibidem* (in Corbeiâ) *degentes sub* REGVLA SANCTORVM PATRVM, *quieti conuersari possint, &c.* Sed hic locus non de Benedictinâ tantùm Regulâ, sed S. Columbani quoque intelligendus erit. Præcesserat enim: *Illud etiam addi placuit, vt ipsi Monachi sub Regulâ* S. BENEDICTI, *vel S. Columbani conuersari & viuere debeant.* Cur ita vocata. Quare autem Sanctorum *Patrum Regula*, S. BENEDICTI vocetur, eam esse arbitror rationem, quod S. Legislator noster præcedentium Patrum Pachomij, Basilij, Cassiani aliorumque vestigia presserit, eorumque non rarò verba, in suam Regulam transtulerit.

DISQVISITIO VII.

Quibus alijs nominibus REGVLA S. BENEDICTI *appelletur.*

SVNT præter iam dicta & alia quædam nomina, epithetaque, quibus Regulam suam sanctissimus Legislator subinde appellat; aut appellari posse, vtcumque insinuat.

Hæc porrò, cùm ad eiusdem Regulæ commendationem, aut Regularium instructionem non parum conducant; hîc quoque recensenda, & nonnihil illustranda putauimus. Regula Benedictina dicta.

PRIMÒ. Nuncupat Regulã suam SCHOLAM DOMINICI SERVITII: ita enim in Prologo ait: Schola Dominici Seruitij. *Constituenda est ergo à nobis* DOMINICI SCHOLA SERVITII. Vt enim variæ sunt disciplinæ, litterarum, armorum, aliarumque artium, eæque singulos suos habent magistros, sua etiam Gymnasia, vbi tractantur, exercentur, & addiscuntur; sic virtutum disciplina in Religione traditur, vt si Religionẽ definire velimus, iure eam virtutis SCHOLAM appellare possimus. In hoc sensu fuit Magnus Basilius, ita loquẽs: Basil. de laud. Erem. *Solitaria vita* CÆLESTIS DOCTRINÆ SCHOLA *est: ac diuinarum artium* DISCIPLINA. *Illic Deus est totum quod discitur, via quâ tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam peruenitur.* Cùm autem nulla virtus in nostrâ Regulâ expressiùs doceatur, quàm Humilitas, virtutum omnium fundamentum; aptissimè S. Bernardus Ordinem nostrum SCHOLAM dixit *Humilitatis*, Bern Hom. 1. super Miss. dum conqueritur, *nonnullos post spretam sæculi pompam, in* SCHOLA HVMILITATIS *superbiam magis addiscere: ac sub alis mitis, humilisque* MAGISTRI *grauius insolescere.*

Sanctus verò BENEDICTVS vt hanc pietatis SCHOLAM suâ Regulâ constitueret; Valdè adæquatè. nihil eorum, quæ ad eam pertinent, prætermisisse videtur. Magistrum enim ipso limine indicat, dicens: *Ausculta, ô fili, Præcepta* MAGISTRI. Id est suam. Discipulos passim nominat

Mona-

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Cap. 6. Lectiones huius Scholæ. Cap. 48.

Monachos. Hinc ait: *Loqui & docere, Magistrum condecet: tacere & audire, Discipulo conuenit.* Lectiones autem vult non tantùm quotidianas, sed etiam bis, terve repetitas. Prælegitur enim quotidie Regula in Capitulo: deindè, est Lectio Spiritualis, de quâ ait: *Quod certis horis fratres occupari debeant in Lectione diuinâ.* Et hæ sunt Lectiones ante meridiem: quibus succedit meridiana, siue mensalis, tempore refectionis; & serotina, quæ est Lectio Collationum. Quænam verò ars, vel disciplina in hac SCHOLA tradatur, satis ex ipso nomine manifestum est; cùm dicitur DOMINICI SCHOLA SERVITII: summo enim rerum omnium Domino, ac Deo nostro, hîc discimus seruire: & *sub hoc vno Domino, æqualem seruitutis militiam baiulamus.* Et qui *nihil sibi Christo charius existimant, propter Seruitium sanctum, quod professi sunt,* sine morâ obediunt. Atque hæc de *Scholâ*. De quâ rursum * inferius.

Cap. 2. Cap. 5. * Parr. 2. Catech. disquis.

Regula Magistra nominatur. Cap. 3.

SECVNDÒ. Ab ipso Scholæ nostræ Magistro *Regula* quoque dicitur MAGISTRA. *In omnibus,* inquit, *omnes* MAGISTRAM *sequantur* REGVLAM: *neque ab eâ temerè declinetur à quoquam.* Quemadmodum enim Prælatus, viua dicitur esse Regula; ita Regula muta censetur MAGISTRA. Hoc loquendi modo Ecclesia Romana, dicta est MAGISTRA CHRISTIANORVM: Experiẽtia, MAGISTRA agendorum: Cella Laurentio Iustiniano, *Magistra Silentij*: Regula S. BENEDICTI, MAGISTRA Monachorum; quos docet honestatem morum, initium conuersationis, & disciplinam Monasticæ perfectionis.

Laur. Iust. de vit. Solit. c. 12.

Institutio.

TERTIÒ. Affinis nomenclatura est, quâ Regula ab eiusdem editore INSTITVTIO nuncupatur. *In quâ,* inquit, INSTITVTIONE *nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus.* Frequenter occurrit in Diplomatibus; REGVLARIS INSTITVTIO S. BENEDICTI &c. Imperialium *Institutionũ* Libros Iustinianus Imperator vocat *prima Legum cunabula, & totius legitimæ scientiæ prima elementa.* Non secus *Regulam* suam prima Monasticæ vitæ cunabula, primaq; Christianæ perfectionis elementa censeri voluit, qui eam *minimam* INCHOATIONIS REGVLAM appellauit.

In proœm.

Discrimen inter Institutiones, & Instituta.

Differunt autem INSTITVTIONES ab INSTITVTIS: quod INSTITVTA, mores sũt consilio & ratione instituti: INSTITVTIONES verò Præceptiones, quibus instituuntur & docentur homines. Quâ notione INSTITVTA accipere videtur S. BENEDICTVS, cùm ait: *Collationes Patrũ, &* INSTITVTA, *& vitâ eorum, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum?* Intelligit au-

Reg. c. 73.

A tem per INSTITVTA, Bernardo Cassinensi expositore, XII. Libros INSTITVTIONVM Cassiani: quibus alij titulum faciunt; *De* INSTITVTIS *Cœnobiorum,* vt S. Thomas in Summâ Theologicâ; editio Basileensis, & Cuyckij: Ciacconius autem: *De* INSTITVTIS *Renunciantium.* Nimirum, ipse Cassianus primum caput sic exorditur: *De* INSTITVTIS, *ac Regulis Monasteriorum dicturi.* Quo loco, si quis INSTITVTA cum INSTITVTIONIBVS, idem esse contenderit; non admodum repugnauerim. Nam & ipsos Imperialium INSTITVTIONVM Li-
B bros Iustinianus Nouell. 18. INSTITVTA vocauit: vt & Harmenopolus lib. 1. tit. 1. Balsamon ad Nomocanonem Photij tit. 11. cap. 1.

Norma vitæ humanæ.

QVARTÒ. Dici potest hæc Regula, RECTISSIMA NORMA VITÆ HVMANÆ: quo nomine, quamuis S. Pater veteris nouique Testamenti paginas appellet; idem tamen & ipsius Regulæ, inferiori quodam modo, tribui potest. Aptissimè enim, & rectissimè, ceu *Norma* & amussis humanam vitam in suum dirigit finem. Amussis enim
C Festo est *Regula, ad quam aliquid exæquatur.* Vndè & DIRECTRIX, vel DIRECTORIVM actuum religiosorum vocari possit.

Instrumentum virtutum.

QVINTÒ. Quemadmodum S. Pater Collationes Patrum, & Regulam S. Basilij vocat INSTRVMENTA VIRTVTVM; ita & ipsius Regula, quæ iis valdè est conformis, accommodatissimum dici queat INSTRVMENTVM VIRTVTVM. Quæ enim virtus est, quæ hac Regulâ non doceatur; in quâ etiam integra reperitur officina, pluribus INSTRVMENTIS BONORVM OPERVM in-
D structissima?

Reg. cap. 4

Via vitæ æternæ.

SEXTÒ. Nominari etiam potest VIA VITÆ ÆTERNÆ; ὁδοιπορικὸν, siue ITINERARIVM AD PATRIAM CÆLESTEM; vel, vt Sanctus BENEDICTVS loquitur, quo *recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum.* Totius enim Regulæ scopus huc tendit, *vt ad Deum per obedientiæ laborem redeamus, à quo per inobedientiæ desidiam recesseramus:* * Sanctus Franciscus quoque inter laudes Regulæ suæ refert, quòd sit SPES SALVTIS, ARRHA
E GLORIÆ, CLAVIS PARADISI, PACTVM ÆTERNI FOEDERIS: Quæ vide ab Lucâ Waddingo illustrata.

Prolog. * Ibid. in fin.

Wadding. tom. 2. Opusc. S. Franc. pag. 185.

Hactenus ferè ex ipsâ Regulâ produximus nomina, quibus duo hæc adijcere licet.

Limes Disciplinæ.

PRIVS, Isidorum Hispalẽsem eam, quam scripsit Regulam, appellare LIMITEM DISCIPLINÆ. *Qui,* inquit, *iussa priorum explere nequiuerit, in huius* LIMITEM DISCIPLINÆ *gressus constituat.* Idem, vt arbitror, nomen suæ Regulæ tribui pateretur S. BENEDICTVS:

Isid. Præfat. in Regul. Monach.

Regul. cap. 13 & 17. Cap. 63.

CTVS: cùm Capita inscripserit, *De* DISCIPLINA *psallendi; De* DISCIPLINA *suscipiendorũ Fratrum*; statueritque, vt *Pueri, vel adolescentes in Oratorio, vel ad mensas cum* DISCIPLINA *ordines suos consequantur; foris autem, vel vbiubi custodiam habeant &* DISCIPLINAM. Et receptissimæ passim sunt hæ voces: *Disciplina* Regularis, *Disciplina* Monastica, *Disciplina* Religiosa, ea notione, quâ dicimus, *Disciplina* Christiana, vel Christianæ perfectionis: quâ etiam S. Cyprianus librum scripsit, hoc titulo: *De* DISCIPLINA B *& habitu Virginum.* Sic & S. Bonauenturæ legimus *Speculum* DISCIPLINÆ *ad Nouitios:* Notus quoque B. Laurentij Iustiniani Liber *De* DISCIPLINA *Monasticæ Conuersationis*: Et alter Thomæ à Kempis *De* DISCIPLINA *Claustralium.* Quarũ inscriptionum satis euidens est ratio; quod nimirùm DISCIPLINA propriè sit eruditio, quam à præceptore discipulus accipit: & sicut doctrina est in Magistro; ita DISCIPLINA in Discipulo.

Regulam aptè dici Speculum.

POSTERIVS nomen est, quo suam B. Augustinus appellauit Regulam, SPECVLI C titulum ei tribuens. *Vt autem vos in hoc libello*, ait, *tamquam in* SPECVLO, *possitis inspicere*, &c. Cur non & S. BENEDICTI Regula SPECVLVM sit, quæ non minùs quàm S. Augustini, Religioso ostẽdit animæ suæ faciem: vt videat quantum à virtutis perfectione distet, & animæ maculas intuens, abstergere eas possit, atque eluere? Regulam nostram esse Legem, & diuinæ Legi Euangelioque quadantenus similem, suprà considerauimus: proinde ei etiam congruunt, quæ de diuinis præceptis generaliter S. Leo, & Euangelicâ Lege Bernardus dixit. Illius hæc est sententia: *Artifex misericordia Dei splendissimum in Mandatis suis condidit* SPECVLVM, *in quo homo suæ mentis faciem inspiceret; & quam conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset agnosceret.* Hic verò ita scribit: *Euangeliũ* SPECVLVM *veritatis, nemini blanditur, nullum seducit: talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit. Renunciauit*, ait Augustinus, *tibi* SPECVLVM *faciem tuam: sicut* SPECVLVM *non sentit adulatorem, sic nec te palpes.*

DE REGVLA S. BENEDICTI. Leo serm. 11 de Quadrag. Bern. serm. 1. de sept. pau. August. in Psalm. 103. conc. 1.

Ad Religiosos.

Quare quod de Ægyptijs mulieribus, Cyrillus Alexandrinus & Procopius Gazæus retulerunt, eas nimirum linea stolâ amictas, & sacro habitu indutas, SPECVLVM sinistrâ, dexterâ verò sistrum gestantes, templum adire solitas; idem ego à Religiosis omnibus spirituali quodam modo fieri optarim. Vt videlicet animæ & corporis puritate, ceu syndone vestiti, sinistrâ *Regulam* suam, velut manuale SPECVLVM, in quod subinde intueantur, circumferât: dextrâ verò sistrum diuinæ laudis, ac boni operis gestent; atque ita in templum illud cæleste magnis passibus tendant: vbi non in SPECVLO & ænigmate, sed facie ad faciem, videtur Deus super omnia Benedictus.

TRACTATVS III.

DE REGVLÆ

S. BENEDICTI præstantiâ.



VT propriis nominibus dignitatum plerumque adijcimus titulos, ita quoque expositis hactenus nominibus, quibus S. P. BENEDICTI Regula censetur, eiusdem nunc excellentiam & præstantiam oculis obijcimus. De quâ disquiremus, Primò, *An sit à Spiritu sancto.* Secundò, *Quàm suauis S.* BENEDICTI *Regula?* Tertiò, *Quàm discreta?* Quartò, *Vt omni hominum generi Regula S.* BENEDICTI *sit accommodata?* Quintò, *Quam plena S.* BENEDICTI *Regula?* Sextò, *An S.* BENEDICTI *Regula sit spiritualis & interna?* Septimò, *An Regula S.* BENEDICTI *sit perfecta?* Octauò, *Qualis inter S.* BENEDICTI, *& aliorum Sanctorum Regulas collatio?*

DISQVI-

DISQVISITIO I.

An Regula S. BENEDICTI *sit à Spiritu sancto?*



PRÆSTANTEM Regulæ nostræ eminentiam ab ipso fonte, à quo promanauit, hauriemus: eam siquidem absque veritatis præiudicio dicere licet, ab ipso Deo inspiratam, à S. BENEDICTO, velut calamo scribæ velociter scribentis, fuisse exaratam. Quod pronunciatum ne cui fortè temerarium, aut nimis audax videatur; latiùs hîc probandum suscepimus. Illud cum primis Prologi verbis satis innuitur, cùm dicit: *Ausculta, ô Fili, præcepta* MAGISTRI, *& inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij* PATRIS *libenter excipe.* In quibus verbis, nomine MAGISTRI & PATRIS, non seipsum; sed Deum, vel SPIRITVM SANCTVM, aut Christum Dominum intelligit, sciens scriptum: *Patrem nolite vobis vocare super terram: Vnus est enim* PATER *vester, qui in cœlis est. Nec vocemini Magistri; quia* MAGISTER *vester vnus est,* CHRISTVS. Hunc autem *Magistrum, Patremque* ab eo intelligi, ex sequentibus verbis satis colligitur, quibus ait: *Vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* A Deo autem recessimus, & ad Deum redire oportet. Hic ergo est *Magister,* & *Pater* quem auscultare, cuiusque admonitiones excipere monemur. Neque verò hæc noua, aut nostra est horum verborum interpretatio; sed omninò antiquissima: preterquam enim quod ante annos septingentos & amplius, ita Smaragdus interpretatus sit; grauissimis eam verbis Sanctus Petrus Damiani expressit, cùm ait: *Quod in ipso libri principio manifestè colligitur, si ad quem sua verba Spiritus Sanctus dirigat, subtiliter attendatur; Spiritum Sanctum dico. Neque enim vir sanctus, tantaque cultor humilitatis, protinus vt in verba prorumperet, Magisterij cathedram, & præcipuè pij Patris sibi priuilegium vsurparet, dicens:* AVSCVLTA, *ô* FILI, *præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe. Sed ille seruum suum propriæ vocis organum fecit, qui similiter in ipso vaticinij incipientis exordio clamare per Isaiam cœpit: Filios,* inquit, *enutriui & exaltaui.* Hæc Sanctus Doctor. Probari eadem quoque veritas potest ex eo, quòd Dux & Legifer noster conditam à se legem, SANCTAM REGVLAM, semel iterumque nominauerit: non enim summus sui contemptor, & humilitatis Magister scripta sua *Sancta* vocare auderet, si propriâ eâ adinuentione excogitasset, & non magis à Spiritus sancti vnctione edoctus fuisset. Cùm enim Regulam vt opus à se elaboratum contemplatur, eam vocat MINIMAM INCHOATIONIS REGVLAM.

Regula S. Benedicti à Spiritu sancto. — *Quem nomine Magistri intelligit.* — Matth. 23. — *Ex mente Smaragdi, & Pet. Damiani.* — Opusc. XIII. cap. 6. — *Probatur assertio nostra.* — Cap. 23. & 65. — Cap. 73.

Sed assertionem nostram Sanctorum, & Doctorum virorum testimonijs roboremus. Atque in primis Sancti Gregorij Papæ, qui in Commentario in librum primum Regum ita scribit: *Qui arctissimam conuersationis viam imperant, nouiter accedentibus facilè aditum non impendant: quare & eiusdem arctissimæ vitæ Magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus, præcipit, dicens: Probate spiritus, si ex Deo sint; & item: Nuncientur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* Quæ verba desumpta sunt ex Regulâ Sancti BENEDICTI, cap. 58. Cur autem Sanctum Patrem nostrum vocat Gregorius *summæ veritatis discipulum eruditum;* nisi vt doceret, Regulam Sancti BENEDICTI non in scholâ hominum, sed in scholâ Spiritus sancti fuisse compositam, eruditionemque ac doctrinam Beati BENEDICTI, diuinam potius, quàm humanam esse censendam? Sancto Gregorio succedat Sanctus Bernardus, qui eodem sensu ait: *Quod Beati Patris nostri Regula docuit, hoc nobis lectio Euangelij commendat, nec aliud sonuit veritatis præco, quam* VERITAS *ipsa* PRÆDOCVIT. Sed luculentius huic rei testimonium, idem prohibet in Declamationibus, vbi sic loquitur: *Neque enim venire in dubium aliquatenus potest, quin omnino sacer sit modus conuersationis, &* DIVINA MAGIS INSPIRATIONE *atque consilio, quàm humanâ prudentiâ, vel adinuentione formatus; quo nimirum tantam in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem* BENEDICTVS *obtinuit.* Hæc Bernardus.

Sed & longè ante eum Goffridus Vindocinensis Abbas, & S. R. E. Cardinalis, idem docuit, dicens: *Præter Regulam Monachorum, vbi inuenitur omnis perfectio Monachorum, quam dictante Spiritu sancto scripsit, nec ipse quidem minus perfectè vixit, quàm docuit.* Itemque post pauca: *Per laudabilem*

Auctoritate Gregorij Magni. — S. Gregor. in lib. 1. Regum lib. 4. cap. 4. — *S. Bernardi.* — Homil. Ecce nos reliquimus — *Goffridi Vindocinensis.* — Serm. de S. Bened.

dabilem Patrem BENEDICTVM, COOPERANTE SPIRITV SANCTO, *est veritas reuelata.* Petrus Damiani: *Infelix non illud ad memoriam reuocans, quod per os Beati* BENEDICTI SPIRITVS SANCTVS terribiliter clamat: *Qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationē reddendam.* Sanctus quoque Petrus Venerabilis, Bernardo coætaneus, & ad eum scribens, ait: *Audi & ipsum Regulæ scriptorem immò* IPSIVS REGVLÆ DICTATOREM SPIRITVM SANCTVM.

Petri Damiani. Opusc. 22. cap. 1.

Petri Venerabilis. Li. 4. Epist. 17.

Fas erit & fœminæ hîc suffragium admittere, sed fœminæ omninò Sanctissimæ; cuius testimonia credibilia facta sunt nimis, quòd ea Apostolica sedes approbauerit. Sancta igitur Hildegardis, Beato Bernardo familiarissimè nota vitam sancti Disibodi Episcopi describens, narransque cum Monasterium sub Regula S. BENEDICTI construxisse, hæc habet, *Agente autem Spiritu Sancto omne animi sui studium & voluntatem, ad vitam & doctrinam* S. BENEDICTI *(qui iam ad Deum transierat, & quosdam beatos viros, sanctæ Institutionis suæ fideles administras, ijs temporibus adhuc superstites reliquerat) appulit: & ad longinqua loca, vbi ea constitutia religiosè & sanctè colebatur nuncios misit supplices preces afferens, vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabbaoth, ad præscriptum doctinæ* B. BENEDICTI *plantaturi. Is enim S. Pater* BENEDICTVS REGVLAM, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, SANCTO SPIRITV DOCENTE ET OSTENDENTE, *condiderat.* Hæc illa: ex quo testimonio habemus & Regulam Spiritus Sancti instinctu scriptam, & ex eiusdem inspiratione, Sanctum Episcopum eam suo monasterio delegisse. Eadem Virgo Sanctissima humano magisterio indocta, sed diuino lumine illustrata, Regulam S. BENEDICTI expositura, de eodem sic præfatur: *Ipse enim gratiâ Spiritus sancti hac modo perfusus erat, quòd in nulla opere suo velut in puncto momenti & ictûs oculi virtute* SPIRITVS SANCTI *carebat.* Si autem in nullo opere, ne ad momentum quidem virtute SPIRITVS SANCTI caruit; Quis vltra ambigat, quin eadem ei maxime præsens fuerit, cùm opus illud moliretur, quod tanti Ordinis erat futurum fundamentum; & cùm eam scalam construeret, per quam ipse, & post ipsum tot millia, ad cælum ascenderent perfectorum Monachorum? Adfuit sanè illi SPIRITVS SANCTVS, quia vt eadem Sancta, post pauca subdit; *Nihil ei* (*Regulæ* S. BENEDICTI) *deest, quoniam in* SPIRITV SANCTO *facta & completa est.*

S. Hildegardis.

Vit. S. Disib. c. 11. & 12.

Eiusdem.

Intellexit hoc quoque Sanctus Bartholomeus, Cryptæ Ferretæ Abbas, describens enim vitam Magistri sui sancti Nili, exponensque quo affectu ab Aligerno Abbate, & Monachis Cassinensis Monasterij susceptus fuerit, sic ait: *Nec aliud quippiam videbantur audire, aut videre, quàm si Magnus Antonius Alexandriâ aduenisset, vel è mortuis magnus* BENEDICTVS *surrexisset, Diuinus ille ipsarum Legislator & Magister.* Cur autem diuinum legislatorem & magistrum vocat? nisi quòd non humano studio aut Magisterio, sed diuinâ magis inspiratione, atque consilio (vt suprà loquebatur Bernardus) Regulam suam instituerit, atque conscripserit? Sed & qui eodem sæculo vixit Rupertus Tuitiensis Abbas, hîc audiendus. *Olim*, inquit, *conuenerat nobis sermo de iam dictâ Regulâ Patris eiusdem Sanctissimi* BENEDICTI, *quòd eam verè per mentem eius disposuisset, & per os eius locutus fuisset* SPIRITVS SANCTVS, *quo ille plenus fuit, & quòd omnino superædificata esset super fundamentum diuinæ positionis, fundamentum Euangelicæ auctoritatis, cui nimirum talis ædificator, siue scriptor, apertos sua mentis oculos, dum scriberet, intendit.*

Bartholomæi Abbatis.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Baron. an. 980.

Ruperti Tuitiensis. Lib. 1. in Reg. S. Benedi.

Amplissimum porrò est testimonium, quod Benedictinæ Regulæ eiusque Auctori tribuit Augustinus Cisterciensis, citatus à Constantino Caietano; quod etsi longiusculum, in laudem Magistri nostri, eiusque doctrinæ non grauabor adscribere. *Eadem gratia qua ad instituendam, corroborandamque Monastici Ordinis disciplinam prædictos sanctos Patres* (BASILIVM puta, & PACHOMIVM, & ANTONIVM, aliosque) *contulit Orienti, non inferioris meriti virum dignatione suâ prærogauit Occidenti, Sanctissimum videlicet Patrem nostrum* BENEDICTVM, *qui non solum Antonij & Basilij spiritu, verùm etiam (teste Beato Papa Gregorio) Iustorum omnium spiritu plenus, singnanum sidus purissimum & lucidissimum prærogatiuâ sanctitatis superexcellenti puritate, conseruatiane, singularum denique miraculorum inæstimabili gloriâ, ab Occidente vsque ad Orientem clarissimè refulsit. Ita vt quidquid Oriens in diuersis partibus, diuersis charismatibus habere se gaudet; hoc totum in vno Sanctissima Patre suo* BENEDICTO, *Iustorum omnium spiritu plenose possidere Occidens non immeritò gloriatur. Scripsit namque idem Reuerendissimus Pater Monachorum Regulam, quam diuturno virtutum exercitia, nan per hominem, sed per vnctionem illius, qui docet hominem scientiam, didicit: in qua mirabilis* ARTIFEX SPIRITVS SANCTVS, *summam perfectionem, moderatissimam discretionem, tam subtili conexione copulauit: vt quantumcunque Religiosus in eâ inuenerit, vnde adhuc proficiat, quantumcunque pusillanimis aut infirmus infirmitatis suæ in eâ remedia inueniat.* Hactenus Augustinus.

Augustini Cisterciensis.

In Chronico.

Mm Verùm

DE REGVLA S. BENEDICTI.

A Verùm ne allata hactenus elogia ideò minoris fortaſſis fiant, quod ab ijs profecta ſint, qui ſub eadem Regulâ Deo militauerint, adeoque in parentis ſui, eiuſque Regulæ præconijs nimiùm effuſi videantur; teſtimonium hic adijcimus omni exceptione maius, à vidua Sanctiſſimâ Birgittâ, quæ aliud quàm S. BENEDICTI inſtitutum ſequebatur, deſcriptum; vel potiùs illi à beatiſſima Virgine reuelatum, quæ ita Sanctam Birgittam alloquitur: *Vt ignis ille bonus, qui erat in* BENEDICTO, *igniret plures; vocauit Deus* BENEDICTVM *in montem. Qui conuocatis ad ſe pluribus ſcintillis, fecit, de eis* PER SPIRITVM DEI *maximum Rogum, & compoſuit* REGVLAM DE SPIRITV DEI, *per quam multi perfecti facti ſunt, ſicut* BENEDICTVS.

Sanctæ Birgitta. Reuelat. li. 3 cap. 20.

B Concilium Duziacenſe II. *Beatus gratiâ & nomine* BENEDICTVS, SANCTO SPIRITV INSPIRATVS *conſona Sacris Scripturis, & aliorum Orthodoxorum Patrum prædicationibus in Regulâ ſuâ dicit.* Et; SANCTVS SPIRITVS per B. BENEDICTVM *eodem ſpiritu, quo & ſacri Canones conditi ſunt, Regulam Monachorum edidit.*

Cap 8. Conc. Duziacenſi.

C Ludouicus Imperator in allocutione ad Fuldenſes Monachos: *Qui,* BENEDICTVS, *hanc eandem Regulam Monachorum* SPIRITV SANCTO *repletus cum magna diſcretione conſcripſit, ſuiſque ſecum ſeruandam mandauit alumnis.* Eadem his verſibus, expreſſit Candidus Presbyter Fuldenſis.

Ludouici Py.

Candidi. In vit. Ægil.

Hanc BENEDICTVS *ouans* SACRO SPIRAMINE *plenus*
Legem conſtituit, Monachorum ritè Magiſter.
Seruandamque ſuis ſecum mandarat alumnis.

D Hincmarus apud Flodoardum, Epiſtolâ ad Richildem: *Legat Capitula Regulæ* S. BENEDICTI *de Ordinatione Abbatis vel Abbatiſſæ, & inueniet, quàm grauiter pro hac ordinatione in* SPIRITVM SANCTVM, QVO IPSA REGVLA EST PROMVLGATA, *peccauerit.*

Hincmari. Flod. Hiſt. Rhem. Eccl. l. 3. c. 27.

E Neque verò obſtat, quod pluribus S. Baſilij, Caſſiani, aliorumque Patrum vtatur ſententijs, & nonnunquam etiam verbis, adeóque humano potiùs ingenio ſtudióque videatur contexta. Nam & in his ſeligendis, & ſuis locis prudenter diſponendis, ſcriptoris mentem manumque SPIRITVS SANCTI gratia promouere, ac dirigere potuit. Longè enim inferiori modo ac gradu dicimus hanc Regulam à SPIRITV ſancto promanaſſe, quàm Sacras & Canonicas Scripturas, quibus nec SS. Patrum ſcripta, nec Pontificum decreta rectè quis æquauerit.

Occuritur dubio.

Nemini autem vt credo, mirum videbitur, ſi S. P. BENEDICTVM diuinitus edoctum aſſeramus; ſi enim *initium ſapientiæ timor Domini, & recedere à malo intelligentia*: iam tum quaſi ſe ad diuinam Sapientiam præparauerat, cùm litterarum ſtudia deſeruit, veritus, *ne, ſi quid de ſcientiâ mundi attingeret, ipſe quoque in immane præcipitium* (vt S. Gregorius loquitur) *totus iret.* Si centuplum Dominus promiſit relinquenti domum, aut Patrem, aut Matrem, aut vxorem, aut filios aut agros, propter nomen Chriſti: cur non centuplum melioris ſcientiæ donauerit ei, qui pro eodem ſeculares ſcientias contempſerit? Ipſe certè beatiſſimus Pater, quia etiamnum puer aridum mundum cum ſuo flore deſpexit; id præmij à Deo in hac vitâ conſecutus eſt, vt totum mundum ſub vno ſolis radio collectum aſpiceret: quid ni ergo, qui *ſoli Deo placere deſiderans, receſſit ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus*, à diuinâ Sapientiâ illuſtraretur, fieretque non BENEDICTVS modò ſed etiam BENE-DOCTVS à Domino? Ab hoc igitur fonte diuinæ Sapientiæ dimanauit, quidquid in Regulâ ſuâ propoſuit.

Pſalm. 110. Congruentia aliquot huius inſpirationis. Prouerb. 3. 7.

Dialog lib. 2. cap. 1.

Ibid.

Quare, vt Diſquiſitionem hanc concludam, ſicut Magnus Gregorius vniuerſos Chriſti fideles admonuit, non aliter ſacram Scriptam legerent quàm velut Epiſtolam Dei ad ſe ſcriptam: ita Benedictinos Fratres meos hortor, vt Regulam ſuam pro ſuâ dignitate & merito æſtimantes, ita legant; ac ſi cæleſtis quædam eſſet Epiſtola, à Deo Opt. Max. ad nos per manum S. BENEDICTI tranſmiſſa, in quâ perſcripſerit diuina bonitas, quid à nobis Famulis ſuis fieri velit.

Gregor. l. 4. Regiſt. Epiſt. 4. Ad Religioſos.

DISQVISITIO II.

Quàm ſuauis S. BENEDICTI *Regula?*

SPIRITVS Domini, qui in Sacrâ ſcripturâ *bonus & ſuauis* eſſe dicitur, atque etiam *ſuper mel dulcis*, diſponit omnia ſuauiter, & quæ profert eloquia, dulciora ſunt *ſuper mel & fauum.* Deguſtarunt hanc diuinam ſuauitatem Sanctiſſimi viri Ezechiel Propheta, & Ioannes Euangeliſta qui oblatum ſibi cælitus librum comedentes, vnanimi voce dixerunt: *Comedi illud, & erat in ore meo tanquam mel dulce.* Liber quoque Regulæ Beatiſſimi Patris BENEDICTI, vti inſpirante eodem ſuauiſſimo Spiritu ſcriptus eſt, ita quoque mirâ dulcedine repletus eſſe cognoſcitur.

Sap 12. 1. Eccleſiaſt. 24. Sap. 8. 1.

Pſal. 18. 11. Ezech. 3. Apocal. 10.

Regulæ Benedictinæ ſuauitas.

Quod

Quòd Goffridus Vindocinensis Abbas, & Cardinalis, agnouit, dicens: *Sapientis Benedicti institutio, sancta, suauis, & lenis est, & matre virtutum discretione videlicet plena.* Suauitatem hanc in ipso Regulæ exordio quoque animaduertit sancta Hildegardis, sic loquens; *Doctrina* S. BENEDICTI *in spiritu Sancto facta & completa est; & quia filius Columbæ erat, ausculta ô fili, præcepta Patris tui, dicebat.* Alibi quoque eadem Theodidacta Virgo, à Deo ipso hausit, Sanctum BENEDICTVM Christo comparari, ex eo, quòd sicuti rigidam legem Moysis Saluator noster in suauissimam Euangelij commutauit, ita quoque Sanctus Pater noster antiquiorum Monachorum non adeò certum viuendi modum, eumque valdè rigidum certis Regulis circumscripserit, ac suauissimè mitigauerit. Sed Dei ad sanctam Virginem verba audiamus: *Primus Moyses in lapideis tabulis ex præcepto meo, asperam & duram legem scribens, Iudæis dedit; sed vt filius meus eandem Legem per dulcedinem Euangelij perforauit; sic etiam* BENEDICTVS *famulus meus propositum huius Ordinis, quod ante ipsum diuersissima conuersatio fuit,* PER DVLCEDINEM INSPIRATIONIS SPIRITVS SANCTI, *discretam & planam viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suæ Religionis collegit, vt etiam filius meus per* SVAVITATEM ODORIS SVI, *Christianorum populum sibi coadunauit.*

Vindoc. serm. de S. Bened.

Vt veterum Monachorũ austeritatẽ temperauerit S. Benedictus.

Hildeg l. 2. vis. 5.

Quemadmodum ergo de Euangelicâ lege Christus Dominus pronunciauit, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*: ita quoque de Regulâ suâ, eadem verba Beatissimus Legislator noster non iniuriâ vsurpare posset, quia reuera mandata eius grauia non sunt. Quod sanè ipsemet in Prologo Regulæ disertissimis verbis testatur, vbi ait: *Constituenda est ergo à nobis Dominici schola seruitij; in qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus.* Quod si in eadem Regulâ aliquid fortasse rigoris atque austeritatis inesse videatur, audi quantâ verborum dulcedine id mitiget, & rationem reddat, quare necessum fuerit id admittere: *sed & si quid,* inquit, *paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conseruationem charitatis processerit, non illicò pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde,* INENARRABILI DILECTIONIS DVLCEDINE *curritur via mandatorum Dei.* Ac si dicat; noli ad primum aspectum alicuius difficultatis nimiùm terreri, aut laborem fingere in præcepto, vsus & exercitium tollet, atque etiam cuncta reddet facilia. Strictissima vincula, quæ initio premunt; diuturno ferendi vsu sensim laxantur: Ita quoque ipso exercitio difficultas tollitur, cordis angustia ampliatur, nihil vt graue aut difficile æstimetur, vt non tantùm in viâ Domini, quæ arcta primùm videbatur, ambulare possimus, verùm etiam expeditissimè currere, & cum Dauide dicere: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ex parentis sui sensu, Smaragdus Abbas Regulam Sancti BENEDICTI in initio difficilem, deinde verò facilem ac perquam suauem esse definiuit. Ita enim in elogio Regulæ, quod Commentarijs suis præmisit, cecinit.

Matth. 11.

Dura & aspera exercitio molliuntur.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Psal. 118. 32.

Est Monachis SANCTI BENEDICTI REGVLA *Patris*
Pefectus plana, suauis & ampla via.
Aspera sed pueris, nec non tyronibus arcta,
Quos aluit gremio, lactea vita diu.

Et post pauca

Hanc nullus nolens; cupiens implebit at omnis,
Estque grauis grauibus; suauis & apta bonis.

Hæc verò *Regulæ* nostræ *suauitas* in duobus potissimùm consistit. PRIMÒ: quòd extremum rigorem veterum Monachorum, pro exigentiâ temporum & personarum, discretione maximâ temperauerit; quod ipse S. BENEDICTVS satis insinuat, qui scribens *Vinum omninò Monachorum non esse, tamen quia id Monachis omnino persuaderi nõ poterat;* parcum eis vsum, & mensuratum permittit. Ita quoque ciborum abstinentiam temperauit, taliaque ieiunia indixit, vt sine magnâ difficultate ea seruari queant, saltem ab ijs, qui integrâ vigent sanitate. Aliàs secundùm antiquam Monachorum austeritatem loquens, ait: *Omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debet obseruationẽ habere.* Angelicus Doctor in Opusculo contra retrahentes homines ab ingressu Religionis, ait, Sanctum BENEDICTVM communes possessiones admisisse, quia ipsemet in suâ Regulâ dixerit, se aliquid remisisse de rigore Monasticæ vitæ; condescendendo infirmitatibus sui temporis Monachorum. Psalmodiam verò, quæ admodum prolixa olim erat, ita mitigauit, *vt omni hebdomadâ Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur,* cuius ordinationis eam rationem assignat, quòd tantundem veteres Monachi quotidie persoluere soliti fuerint. *Nimis,* inquit, *iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minus Psalterio cum Canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt: cùm legamus, sanctos Patres nostros vno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinã septimâ integra persoluamus.*

Regulæ suauitas declaratur. Primò.

Cap. 40.

Reg. ca. 49.

Cap. 16.

Cap. 18.

DE REGVLA S. BENEDICTI. Secundò. Comm in prolog. Reg n. 121.

SECVNDÒ, suauis dicitur S. BENEDICTI Regula, quia iuxta explicationem R.P. Antonij Perez, quantùm fieri potuit, à præceptis, & censuris ecclesiasticis abstinuit. Grauia enim & aspera Monasticæ institutionis non alia habentur, nec sunt, quàm præcepta formalia & censuræ, quibus innodamur ab illâ quæ tanto pretio digna non apparent. Quare Constitutio & Regula, quarum violatio ad pœnam dumtaxat temporalem obligat, suauis & lenis censetur; quæ verò ad spiritualem, acerba, nisi violatio fit vt crimen læsæ maiestatis, qualis est votorum solemnium similiumque transgressio. Hactenus ille.

DISQVISITIO III.

Quàm discreta S. BENEDICTI Regula?

Cass. collat. 2. cap. 4. Discretio commendatur.

TAM *Beati Antonij quàm vniuersorum sententiâ definitum est*, inquit Abbas Moyses, apud Cassianum, *discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum Monachum perducat ad Deum, virtutesque iugiter conseruet illæsas, cum quâ ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, & sine quâ multi etiam propensius laborantes, perfectionis nequiuerint culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est.* Ab hâc potissimum virtute, Regulam nostram Magnus Gregorius commendandam duxit, cùm dixit: *vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit* MONACHORVM REGVLAM DISCRETIONE *præcipuam, sermone luculentam.* Quod tanti viri elogium alij passim transcripserunt, suisque tractatibus inseruerunt. At non vicarij modò Christi, sed ipsius etiã Christi Domini testimonio Regulæ nostræ summa discretio comprobari potest: Sanctissimæ enim viduæ Birgittæ Iesus animarum sponsus aliquando dixit: *Monachus qui saluari desiderat, attendat quod Regula* BENEDICTI *mei permittit habere necessaria cum moderantiâ, vtilia, non superflua, honesta & expedientia, omnia humilia, nullaque superba.* Quę sine dubio discretione temperata omnia Regulę pręcepta arguunt. Nec aliud voluit S. Hildegardis, cùm scripsit: *Omnia quæ in hâc Regulâ* (S. BENEDICTI) *descripta sunt, nec nimis remissa, nec nimis constricta sunt: sed ad dexteram, & non ad sinistrã respiciunt, quapropter ea conseruantem ad cælestia mox perducunt.* Vbi vides ab hâc Sanctissimâ Virgine id Regulę tribui, quod Moyses Abbas de discretione paulò antè dixerat, quòd nimirum *Monachum perducat ad Deum.* Otholonus, Fuldensis Monachus, Regulam vocat discretissimam: *Non paucis*

A qua laudat Regulã S. Benedicti S. Gregorius Dial. lib. 2. cap 36.

S. Birgitta. Lib. 4. reuel. ca. 117.

B. Hildegardis. In exposit. Reg.

Otholonus.

A *fratribus spiritalis exercitij feruore coadunatis, honestissimam atque discretissimam* S. BENEDICTI *Regulam obseruare Pater almus* (Primunus) *instituit*, Sanctus quoque Petrus Damiani Cardinalis & Episcopus Ostiensis *Regulæ* nostræ *discretionem* deprædicat, dicens: *Auctor S. Regulæ librato discretionis examine alia ex auctoritate præcipit, alia propter imbecillitatem fragilium ex necessitate permittit.* Quod quidem ex eo probat, quòd S. BENEDICTVS pro suo viuendi rigore censuerit, *vinum Monachorum omnino non esse*, ijs tamen B moderatum & parcum eius vsum permiserit, cùm dixit: *Infirmorum condescendentes imbecillitati, credimus heminam vini singulis sufficere per diem.* Quâ moderatione etiam circa cibum, aliasque Religiosorum suorum vel infirmitates, vel necessitates vsus est. Vnde apertè protestatur, *Cum aliquâ scrupulositate à se mensuram victûs aliorum constitui.* Et propter *diuersorum infirmitates*, indulget *cocta duo pulmentaria, vt fortè qui ex vno non potuerit edere ex alio reficiatur.* C Quinimmò in arbitrio & potestate Abbatis relinquit, aliquid augere propter laborem. Hinc quoque debilibus & ægrotis carnium esum, alijs interdictum, permittit. Quantâ verò discretione senum & infantum imbecillitati prospicit, cùm decernit, vt, *nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio?* nec minore circumspectione vsus est in quotidiano manuum labore, quem cùm singulis iniunxisset, ita tamen moderatus est: *Omnia moderatè fiant propter pusillanimes.* D Et: *Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur.* Cùm verò officiales Monasterij varias sæpe habeant difficultates & molestias in administratione officiorum suorum; discretissimus Magister ijs quoque occurrendum suâ prudentiâ putauit, itaque statuit: *In omnibus officijs Monasterij ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia accommodentur eis.* Atque in particulari solatia talia tribuenda censet E hospitum seruitoribus; Portario c. 66. Septimanarijs coquinæ cap. 35. Cellerario, 31. cap. alijsque &c, ne longior sim in re manifestâ: omnia Regulæ præcepta hoc *discretionis* salecondita inueniuntur.

In vitâ S. Primini. Pet. Damiani.

Probatur ex ipsâ Regulâ in Corporalibus. Cap. 48. Cap. 40. Cap. 39. Cap. 37. Cap. 48. In Officialibus. Cap. 53.

Verumenimuerò, cùm totâ Monasterij ordinationẽ in vnius Abbatis pendere arbitrio voluerit, vt Monachorum regimen, adeoque perfectissimũ constitueret, tum vel maximè ei hanc *discretionem* inculcat, cùm ait: *In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus: siue secundùm Deum, siue secundùm sæculum sit. Opera, quæ iniungit* DISCERNAT *& temperet, cogitans* DISCRETIONEM *sancti Iacob, dicentis: si greges meos plus in ambulando*

Et maximè in Abbate. Cap. 46.

fecero

fecero laborare, morientur cuncti vnâ die. Hæc ergo, aliaque testimonia DISCRETIONIS *Matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt & fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant.* Similia passim per totam Regulam videre est; inter cætera tamen egregia est sollicitudo pij Patris, summaque *discretia*, quam circa delinquentes fratres, cap. 27. & prudentissimum corripiendi modum 2. cap. Abbati præscribit, quem alibi quoque monet vt sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur: & quod faciunt fratres, sine vllâ murmuratione faciant. Quæ sine dubio iustissima est æquitatis & discretionis mensura. Ex his porrò alijsque locis, quæ sparsim in totius Regulæ decursu occurrunt, facilè apparet, quā meritò de Sanctissimâ Regulâ nostrâ dixerit Cardinalis Turrecremata: Summâ prudentiâ, quæ Mater est omnium virtutum, mensurata sunt vniuersa huius (B. BENEDICTI) Sanctæ Regulæ instituta.

DISQVISITIO IV.

Vt omni hominum generi Regula S. BENEDICTI *sit accommodata?*

EX suauitate illâ atque discretione, quâ Regulam nostram præcellere docuimus, illud consequens est, vt eadem quoque omnibus quam maximè accommoda censeatur. Quod quidem ad laudes eius plurimùm facit; bonum enim quò vniuersalius est, pluribusque communicabile, eò etiam melius habetur. Eo ipso enim magis refert imaginem illius, qui per essentiam bonus est, Dei, inquam, optimi, maximi: à quo omnia bona procedunt, nihilque bonum nisi ex illius bonitatis participatione dici potest. Regulam autem nostram tanto moderamine esse temperatam, vt cuiuis commoda satis atque apta iudicari possit, testatur in primis Beata Hildegardis aliquoties iam à nobis citata, iterumque citanda, cui nimirùm excellens Sanctitas auctoritatis pondus conciliauit. Illa igitur in Expositione Regulæ S. BENEDICTI, sic ait: *Fons quoque clausus fuit* (S. BENEDICTVS) *qui in discretione Dei doctrinam suam effudit, cum acutum clauum doctrinæ nec nimis in altum, nec nimis in profundum, sed in medium rota fixit, ita vt vnusquisque siue fortis, siue imbecillis sit ex eâ secundùm possibilitatem suam bibere competenter possit.* Hæc illa. Eiusdem animi & sensus fuit Sanctus Petrus Damiani, qui in Opusculo de perfectione Monachorum, ait *Sancta Regula quasi ampla quædam, capax & spatiosa domus facta est ad omnia genera hominum capienda, pueros videlicet & senes, fortes & debiles; deliciosos & multimodâ morum inæ-*

Regulam S. Benedicti omnibus conuenire probatur.

Ex B. Hildegarde.

In exposit. Reg. S. Bened.

Petro Damiani. Opuscul. 13. cap. 7.

A *qualitate diuersos.* Peritissimus nimirùm legislator, iuxta formam Apostolicam, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaciat, ita vniuersa Regulæ suæ præcepta temperauit, vt fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Vnde senes & infantes, & laicos, & Clericos, & fortes, & imbecilles ad conuersionem admisit: quibus omnibus ne quid deesset, Regulæ auctoritate prospexit.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Et Regulâ ipsâ.

Tam librato quoque discretionis examine Sanctissimam Regulam suam Beatus B BENEDICTVS disposuit; vt omnibus bonorum operum exercitijs secundùm eum vacare quis possit, adeò vt nulla propemodū perfectionis opera in alijs ordinibus fiant quæ per hanc Regulam excludantur; ita ex Historijs, & Sanctorum vitâ, constat Benedictinos suos habuisse Anachoretas, soli contemplationi rerum diuinarum vacantes. Alios deinde habuerunt Euangelij prędicatores, & Regnorum Apostolos. Alij in ipsis Monasterijs misericordiæ operibus dediti, Infirmis in hospitalibus, quæ Monasterijs coniungere solebant, inseruiebant. C Alij in scholis iuuentutem in bonis artibus erudiebant. Alij Academici Professores superiores scientias Philosophiam, Iurisprudentiam, Theologiam è cathedrâ docebāt. Nec defuere, qui captiuis redimendis sese dedicabant: quæ omnia ex Benedictino Chronico probari possunt. Ex quibus euidens fit, omnibus istis exercitijs, Regulam nostram contrariam non esse, sed cum ijs etiam stare posse eiusdem obseruantiam.

Cap. 37. & 48.

Quæ omnia bonorū operum exercitia admittit.

Verùm & hinc probari potest, quàm D conueniens cuicunque hominum generi nostra sit Religio, & Regula; quòd eius suaui iugo ex omnibus regnis & prouincijs tot tantique se submiserint, vt præ multitudine numerari vix possint. Quos inter tamen illustriùs emicant illi, qui firmioribus retinaculis sæculo alligati, minùs apti videbantur disciplinæ & rigori monastico subeundo; Principes, inquam, viri ac mulieres, diuites secundùm sæculum, quorum difficilem admodum conuersionem considerans Christus Dominus, dicebat: *Amen* E *dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnū cælorum. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Verū quæ miserentis Dei benignitas est, habet Ordo noster quàplurimos tales camelos, qui deposito gibbo diuitiarū, per arctū foramen Benedictinę Regulæ, intrauerunt in regnū Cælorum. Ad hunc enim Ordinē è sæculi pompis conuolarunt Principes, Duces, Marchiones, Comites vltra ducentos quadraginta tres, Regum & Imperatorum liberi centum quadraginta sex, Reginæ quinquaginta & vna, Imperatores qua-

Numerus eorum qui sub eâ militarunt innumerus.

Matth. 19. 21.

Regum & Principum copiosus.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

quatuor, Imperatrices duodecim: quem numerum alij etiam augent, de quibus videndus noster Arnoldus Wion, toto libro quarto Ligni vitę, qui singulos nominat, & citatis auctoribus, eorundem Benedictinismū probat. Hi igitur pro regali paludamento, Benedictinam cucullam; pro militari Baltheo, Monasticum cingulum; pro coronâ regiâ, tonsuram religiosam assumētes; liquidò satis probarunt quàm bonum, & iucundum sit Benedictinos inter fratres habitare in vnum. Quis iam non dicat cum Bernardo: *Legeram, non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus: at nunc præter Regulam, mirâ Dei potentiâ talium conuertitur multitudo.* Et cum Hieronymo; *Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nesciuit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles, Christiani: Nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles.* Vt igitur Disquisitionem hanc concludamus, quod de Religione vniuersim Hugo Victorinus affirmauit, id de nostrâ Regulâ peculiariter etiam dicere possumus: Est enim ea, perinde atque Religiosus status, *abundans pauperi, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti: infirmis larga, delicatis compatiens: fortioribus moderata: pœnitentibus misericors: peruersis seuera: bonis optima.*

Bern Epist. 109.

Hieron. Epist 26.

Hugo lib. 1 de claust. anim. ca. 8.

DISQVISITIO V.

Quàm plena S. BENEDICTI *Regula?*

SANCTISSIMÆ Regulæ nostræ ea peculiaris, ac veluti propria laus est, quòd singula quæque religiosam vitam concernentia, tam exactè, perspicuè, ac luculenter tradat; ei vt nihil omninò deesse videatur. Mirum sanè est, tam paucis verbis, quibus Regulæ textus absoluitur, adeò numeris omnibus absolutum viuendi modum præscribi: vt cū aliæ ferè Regulæ multa intermiserint, quæ adiectis Constitutionibus vel supplēda, vel latiùs explicanda fuerint hæc vna ita sufficienter omnia complexa sit, vt sine vllis Constitutionibus, Statutis, aut Ordinationibus, quidquid ad Monasticam disciplinam necessarium est, in eâ facilè inueniatur. Id verò in omnibus prorsus legibus requirit, atque admodum commendat Aristoteles dicens: *Maximè expedit bene institutas leges, omnia quæcumque possunt, complecti ac definire, minimamque partem iudicum arbitrio relinquere.* Id verò in Sancti BENEDICTI Regulâ fieri, omnes facilè animaduertunt. Ad cuius rei Demonstrationem, aliâ opus non esset probatione, nisi accuratâ Regulæ ipsius Lectione, ac cum alijs collatione: ex quâ id quod hîc asserimus, quilibet manifestissimè posset

Sufficientia Regulæ Benedictinæ.

Aristot. li. 1. Rhet. ca. 3.

colligere; Id verò S. BENEDICTVM ipsâ suâ Regulâ expressisse, aliqui putant. Cornelius enim exponens illud Prouerb. 22. *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui*; ait, hanc gnomen intorqueri posse in eos, qui Euangelio, Religioni, Regulis à Patribus sancitis, aliqua quasi perfectiora addere volunt: quo circa S. BENEDICTVS prudenter Regulis suis quippiam addi vetuit. Quæ quidem hausisse videtur ex Petro Ribadineira, qui in vitâ Sancti BENEDICTI, ait eum Abbatibus præcepisse, ne vltra Regulam rigidiora, aut perfectiora quàm institutum & status requirat, introducerent. Sed in totâ Regulâ nihil tale repetitur: forsitan in aliquo exemplari id ad calcem Regulæ fuerit adscriptum, & inde pro verbis S. BENEDICTI citatum. Verissimum tamen est, quod hâc Disquisitione ostendere nitimur; nimirum, Regulam S. BENEDICTI præ cæteris esse *Plenam*; vt opus non sit ei multa superaddere. Quod ne sine fundamento, hoc primùm excogitasse videamur, aliorum id testimonijs cōfirmabimus; & eorum quidem, à quibus vel leuiter fingendi suspicio quàm longissimè semper abfuerit. Primus, idemque antiquissimus huius asserti testis sit Auctor libri, *De conflictu virtutum & vitiorum:* quē alij S. Leoni Papæ, alij S. Ambrosio, alij S. Augustino tribuūt; verùm cùm S. BENEDICTI mentionem faciat, qui Sanctis istis posterior fuit, nulli illorū tribui potest. Quare alij S. Gregorium; alij Sigebertum sequuti, S. Isidorum Hispalensem libri auctorem faciunt. Cuiuscunque tandem sit ita de S. BENEDICTI Regulâ loquitur. *Tu igitur iuxta Regulas Patrum viuere semper stude, maximè autem S. Confessoris* BENEDICTI: *non declines ab eâ quoquam, nec illi addas quippiam, nec minuas: totum enim quod sufficit habet, & nusquam minus habet, cuius verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cæli palatia.* Ita ille. Nō impar est testimonium, quod perhibet Beatissima Virgo Hildegardis, cuius ob summam sanctitatem auctoritas multo maxima est. Illa ergo in Expositione Regulæ, sic ait: *Et quoniam ipse* (S. BENEDICTVS) *in timore, & pietate, in Charitate, & Castitate doctrinam suam scripsit; ideo nihil eidem doctrinæ addendum, vel inferendum est: quia nihil ei deest; quoniam in spiritu sancto facta & completa est.* Hæc illa indicans simul caussam, quare nihil Regulæ nostræ desit; quia scilicet à Spiritu S. facta sit: Dei autem perfecta sunt opera, vt proinde nisi ab eodem, vlteriùs perfici, illisque adijci aliquid minimè fas sit. Quod sanè in omni Regulâ ita Chrysostomus requirit, vt sine eo nomen & essentiam suam amitat. Sic enim ait: *Regula nec addi sibi quidquam, nec demi susti-*

An cautum à S. Benedicto, ne quid ei adderetur

Videri non.

Auctor libri de conflictu Virtut. &c.

Regula plenitudinem adstruit.

Et Hildegardis.

Chrysost. hom. 12. in Epist. ad Ephes.

sustinet; alioquin hoc ipsum, quod Regula est, amittit ac perdit. Agnouit porrò, atque ipsâ experientiâ docente, probauit hanc *Regulæ* nostræ *sufficientem plenitudinem* S. Odo, qui Cluniaci Abbas constitutus (vt in eius officio canimus) *thesauros in Regulæ obseruatione latentes, Monachis explicauit; nullumque illius apicem prudenti inconsultum, proficienti inutilem, credenti difficilem, pœnitenti asperum esse, suo & multorum exemplo docuit.*

S. Odo.

Alij eius rei testes.

Verùm, ne domesticos tantùm testes, sub S. BENEDICTI vexillis militantes protulisse videamur; audiamus alios aliquot scriptores doctissimos, & eminentes in ecclesiâ Dei auctoritatis, qui sub aliâ Regulâ Monasticam vitam ducentes, eandem tamen veritatē prorsus adstruxerunt Primus sit S. Antoninus, ex Ordine Prædicarorum Archiepiscopus Florentinus, qui de Benedictinâ Regulâ loquens, affirmat eam esse præ cæteris in omnibus directiuam, & quod singula quæque clarè describat, eoque nomine etiam illi præfert, sub quâ ipsemet professionem emiserat, S. videlicet Augustini.

S. Antoninus. Part. 2 hist. tit. 15. §. 8.

Turrecremata.

Secundus testis ex eodem Ordine, est Cardinalis Joannes à Turrecremata, qui expositioni Regulæ S. BENEDICTI eiusdem elogia præmittens; Eam inter cætera commendat *à plenitudine*, vt ipse Loquitur *continentiæ. Traditur sanè in eâ*, inquit, *totius perfectionis Monasticæ norma: cùm vniuersa virtutum instrumenta, ac Religionis præcepta contineat, sicut apertissimū est singula ipsius Regulæ capitula contemplantibus, vt de eâ meritò dicamus illud Sapientiæ: Doctrix est disciplinæ Dei, & electrix operum eius.* Ita Cardinalis ille doctissimus.

Sap 8.

Tertius eiusdē instituti, Siluester Prieras, Magister sacri Palatij, testis hîc audiatur. *Hæc Regula*, inquit, *non indiget declaratione mitigatiuâ, cùm sit præcipuæ discretionis: nec illustratiuâ, cùm in luce sua claritatis dicatur luculenta.* Cui quartus subscribit Jacobus de Vitriaco S.R.E. Cardinalis, sic loquens: *Qui enim diligenter & districtè primas Nigrorum Monachorum Institutiones obseruare studeret, nihil prorsus addere oporteret.* Ludouicus Pius Jmperator ita Ægilem Abbatem Fuldensem alloquitur: *Regulam verò vir Dei* BENEDICTVS *luculento sermone conscripsit; in quâ nihil doctrinæ latentis, nihil obscuritatis comprehendit, quapropter non indiget Expositione, sed admonitione. Hæc est enim angusta porta, & arcta via, quæ sequentes se ducit ad Deum.* His accedat Auctor Glossæ in Capitulum, *sunt non nulli*, vbi cùm Bonifacius Papa Monachis Sacramentorum administrationem competere diceret, *quia B.* BENEDICTVS *Monachorum præceptor almificus huius rei interdictor nō fuerit*; addit Glossa, quod omnia quę non prohibuit S. BENEDICTVS, sint concessa Monachis: quod etiam argumentationis Pontificiæ forma exigit, alioqui admodum infirma esset ea consecutio; Sanctus BENEDICTVS non vetuit: ergo hoc licet. Debet proinde ex mente huius Glossatoris: tam plena esse S. BENEDICTI Regula, vt nihil omninò intermiserit. Idem elogium Regulæ tributum ab S. Hildegarde: *Quæ enim fieri recusat, ait, ea apertè interdicit: & quæ fieri exhortatur, illa apertè manifestat. Hæc autē de quibus tali modo reticet, arbitrio & discretioni Abbatis, & fratrum dimittit.*

Silu. V. Reg. 1. n. 10.

Iacobus de Vitriaco. Hist. occident. c. 20.

Lud. Pius.

Cādidus in vitâ Ægilis lib. 1.

Auctor Glossæ. Causa 16. q. 1.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

S. Hilegardis in explicat Reg.

Nigron. in explicat. tit. part. 1 Reg. societ. §. 18.

Breues Regulæ ferè explicandæ.

Obseruat Iulius Nigronus, eos, qui breuem primam formulam habuerunt ab Institutore, vt Ordo Minorum S. Francisci, Carmelitarum, & alij; coactos fuisse posteà multas alias ordinationes & Constitutiones scribere, quibus primæua Regula declararetur, ac sepiretur: tum vt Religiosi in viâ perfectionis dirigerentur, in quâ vel pericula erant, vel errores esse poterant; quibus Regulæ breuitas non occurrerat. Accuratior proinde illa Regula, quæ omnia complectitur, & vix quidquam relinquit regentium arbitrio & voluntati: ita enim excluditur quæ suboriri solet crebra mutatio & varietas Regularium obseruantiarum. Eo nomine Regula nostra passim commendatur.

Fleming. in trac. M.S. de reg. S. Columb.

An Regulæ Columbani sint statuta Benedictina.

Atque hoc ipso titulo negat P. Patricius Flemingus, regulam S. Columbani esse statuta quædam, ad Regulam S. BENEDICTI superaddita. Cùm enim huiusmodi, *Statuta* (vt ait) introduci soleant ad disciplinam conseruandam, vel lapsam restituendam; & ipsa S. BENEDICTI Institutio multâ prudentiâ & vigilantiâ omnes relaxationi vias præcluserit & ipsi eius cultores, pro primæuo iam exorientis Ordinis feruore, cuncta ad amussim obseruare satagerent: quâ ratione iudicasset Columbanus talem Regulam tam copiosam, tot contra impendentia dissolutionis mala præceptis & documentis instructam, tantâ à suis professoribus obseruantiâ & rigore excultam, nouis legibus & constitutionibus onerandam? Ita ille: quem catenus tantùm hîc produxerim, vt sufficienti *plenitudine Regulæ* S. BENEDICTI testimonium perhiberet. Ex quâ sanè plenitudine, multa posteriores Ordines acceperunt, quæ in Constitutiones Legesque suas transtulerunt.

DE REGVLA S. BENEDICTI. Monachos. Hinc ait: *Loqui & docere, Magistrum condecet: tacere & audire, Discipulo conuenit.* Lectiones autem vult non tantùm quotidianas, sed etiam bis, terve repetitas. Cap. 6. Lectiones huius Scholæ. Prælegitur enim quotidie Regula in Capitulo: deinde, est Lectio Spiritualis, de quâ Cap. 42. ait: Quod *certis horis fratres occupari debeant in Lectione diuinâ.* Et hæ sunt Lectiones ante meridiem: quibus succedit meridiana, siue mensalis, tempore refectionis; & serotina, quæ est Lectio Collationum. Quænam verò ars, vel disciplina in hac SCHOLA tradatur, satis ex ipso nomine manifestum est; cùm dicitur DOMINICI SCHOLA SERVITII: summo enim rerum omnium Domino, ac Deo nostro, hîc discimus seruire: & *sub hoc vno Domino, æqualem seruitutis militiam baiulamus.* Et qui Cap. 2. Cap. 5. *nihil sibi Christo charius existimant, propter Seruitium sanctum, quod professi sunt,* sine morâ obediunt. Atque hæc de *Scholâ*. De quâ rursum * inferius.

* Part. 2. Catech disquis.

Regula Magistra nominatur.

SECVNDÒ. Ab ipso Scholæ nostræ Magistro *Regula* quoque dicitur MAGISTRA. *In omnibus*, inquit, *omnes* MAGISTRAM *sequantur* REGVLAM: *neque ab eâ temerè declinetur à quoquam.* Cap. 3. Quemadmodum enim Prælatus, viua dicitur esse Regula; ita Regula muta censetur MAGISTRA. Hoc loquendi modo Ecclesia Romana, dicta est MAGISTRA CHRISTIANORVM: Experientia, MAGISTRA agendorum: Cella Laurentio Iustiniano, *Magistra Silentij*: Regula S. BENEDICTI, MAGISTRA Monachorum; quos docet honestatem morum, initium conuersationis, & disciplinam Monasticæ perfectionis. Laur. Iust. de vit. Solit. c. 12.

Institutio.

TERTIÒ. Affinis nomenclatura est, quâ Regula ab eiusdem editore INSTITVTIO nuncupatur. *In quâ*, inquit, INSTITVTIONE *nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus.* Frequenter occurrit in Diplomatibus; REGVLARIS INSTITVTIO S. BENEDICTI &c. Imperialium *Institutionũ* In proœm. Libros Iustinianus Imperator vocat *prima Legum cunabula*, & *totius legitimæ scientiæ prima elementa.* Non secus *Regulam* suam prima Monasticæ vitæ cunabula, primaq; Christianæ perfectionis elementa censeri voluit, qui eam *minimam* INCHOATIONIS REGVLAM appellauit.

Discrimen inter Institutiones, & Instituta.

Differunt autem INSTITVTIONES ab INSTITVTIS: quod INSTITVTA, mores sũt consilio & ratione instituti: INSTITVTIONES verò Præceptiones, quibus instituuntur & docentur homines. Quâ notione INSTITVTA accipere videtur S. BENEDICTVS, cùm ait: *Collationes Patrũ, &* INSTITVTA, *& vitâ eorum, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum?* Reg. c. 73. Intelligit autem per INSTITVTA, Bernardo Cassinensi expositore, XII. Libros INSTITVTIONVM Cassiani: quibus alij titulum faciunt; *De* INSTITVTIS *Cænobiorum*, vt S. Thomas in Summâ Theologicâ; editio Basileensis, & Cuyckij: Ciacconius autem: *De* INSTITVTIS *Renunciantium*. Nimirum, ipse Cassianus primum caput sic exorditur: *De* INSTITVTIS, *ac Regulis Monasteriorum dicturi.* Quo loco, si quis INSTITVTA cum INSTITVTIONIBVS, idem esse contenderit; non admodum repugnauerim. Nam & ipsos Imperialium INSTITVTIONVM Libros Iustinianus Nouell. 18. INSTITVTA vocauit: vt & Harmenopolus lib. 1. tit. 1. Balsamon ad Nomocanonem Photij tit. 11. cap. 1.

Norma vitæ humanæ.

QVARTÒ. Dici potest hæc Regula, RECTISSIMA NORMA VITÆ HVMANÆ: quo nomine, quamuis S. Pater veteris nouique Testamenti paginas appellet; idem tamen & ipsius Regulæ, inferiori quodam modo, tribui potest. Aptissimè enim, & rectissimè, ceu *Norma* & amussis humanam vitam in suum dirigit finem. Amussis enim Festo est *Regula, ad quam aliquid exæquatur.* Vndè & DIRECTRIX, vel DIRECTORIVM actuum religiosorum vocari possit.

Instrumentum virtutum.

QVINTÒ. Quemadmodum S. Pater Collationes Patrum, & Regulam S. Basilij vocat INSTRVMENTA VIRTVTVM; ita & ipsius Regula, quæ ijs valdè est conformis, accommodatissimum dici queat INSTRVMENTVM VIRTVTVM. Quæ enim virtus est, quæ hâc Regulâ non doceatur; in quâ etiam integra reperitur officina, pluribus INSTRVMENTIS BONORVM OPERVM instructissima? Reg. cap. 4

Via vitæ æternæ.

SEXTÒ. Nominari etiam potest VIA VITÆ ÆTERNÆ; ὁδὸς ὀμαιακον, siue ITINERARIVM AD PATRIAM CÆLESTEM; vel, vt Sanctus BENEDICTVS loquitur, quo *recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum.* Totius enim Regulæ scopus huc tendit, Prolog. *vt ad Deum per obedientiæ laborem redeamus, à quo per inobedientiæ desidiam recessimus:* * *& regni eius mereamur esse consortes.* Sanctus Franciscus quoque inter laudes Regulæ suæ refert, quòd sit SPES SALVTIS, ARRHA GLORIÆ, CLAVIS PARADISI, PACTVM ÆTERNI FOEDERIS: Quæ vide ab Lucâ Waddingo illustrata. * Ibid. in fin. Wadding. tom. 2. Opusc. S. Frã. esse. pag. 185.

Hactenus ferè ex ipsâ Regulâ produximus nomina, quibus duo hæc adijcere licet.

Limes Disciplinæ.

PRIVS, Isidorum Hispalẽsem eam, quam scripsit Regulam, appellare LIMITEM DISCIPLINÆ. *Qui*, inquit, *iussa priorum explere nequiuerit, in huius* LIMITEM DISCIPLINÆ *gressus constituat.* Isid. Præfat. in Regul. Monach. Idem, vt arbitror, nomen suæ Regulæ tribui pateretur S. BENEDICTVS:

Regul. cap. 33 & 57. Cap. 63.

CTVS: cùm Capita inscripserit, *De* DISCIPLINA *psallendi; De* DISCIPLINA *suscipiendorū Fratrum;* statueritque, vt *Pueri, vel adolescentes in Oratorio, vel ad mensas cum* DISCIPLINA *ordines suos consequantur; foris autem, vel vbiubi custodiam habeant &* DISCIPLINAM. Et receptissimæ passim sunt hæ voces: *Disciplina* Regularis, *Disciplina* Monastica, *Disciplina* Religiosa, ea notione, quà dicimus, *Disciplina* Christiana, vel Christianæ perfectionis: quâ etiam S. Cyprianus librum scripsit, hoc titulo: *De* DISCIPLINA *& habitu Virginum.* Sic & S. Bonauenturæ legimus *Speculum* DISCIPLINÆ *ad Nouitios:* Notus quoque B. Laurentij Iustiniani Liber *De* DISCIPLINA *Monastica Conuersationis:* Et alter Thomæ à Kempis *De* DISCIPLINA *Claustralium.* Quarū inscriptionum satis euidens est ratio; quod nimirùm DISCIPLINA propriè sit eruditio, quam à præceptore discipulus accipit: & sicut doctrina est in Magistro; ita DISCIPLINA in Discipulo.

Regulam apud dici Speculum.

POSTERIVS nomen est, quo suam B. Augustinus appellauit Regulam, SPECVLI titulum ei tribuens. *Vt autem vos in hoc libello*, ait, *tamquam in* SPECVLO, *possitis inspicere*, &c. Cur non & S. BENEDICTI Regula SPECVLVM sit, quæ non minùs quàm S. Augustini, Religioso ostēdit animæ suæ faciem: vt videat quantum à virtutis perfectione distet, & animæ maculas intuens, abstergere eas possit, atque eluere? Regulam no- A stram esse Legem, & diuinæ Legi Euangelioque quadantenus similem, suprà considerauimus: proinde ei etiam congruunt, quæ de diuinis præceptis generaliter S. Leo, & Euangelicâ Lege Bernardus dixit. Illius hæc est sententia: *Artifex misericordia Dei splendidissimum in Mandatis suis condidit* SPECVLVM, *in quo homo sua mentis faciem inspiceret; & quam conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset agnosceret.* Hic verò ita scribit: *Euangelii* SPECVLVM *veritatis, nemi-* B *ni blanditur, nullum seducit; talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit. Renunciauit*, ait Augustinus, *tibi* SPECVLVM *faciem tuam: sicut* SPECVLVM *non sentit adulatorem, sic nec te palpes.*

DE REGVLA S. BENEDICTI. Leo serm. 13 de Quadrag. Bern. serm. 1. de sept. pan. August. in Psalm. 103. conc. 1.

Ad Religiosos.

Quare quod de Ægyptijs mulieribus, Cyrillus Alexandrinus & Procopius Gazæus retulerunt, eas nimirum lineâ stolâ amictas, & sacro habitu indutas, SPECVLVM sinistrâ, dexterâ verò sistrum gestantes, templum adire solitas; idem ego à Religiosis omnibus spirituali quodam modo C fieri optarim. Vt videlicet animæ & corporis puritate, ceu syndone vestiti, sinistrâ *Regulam* suam, velut manuale SPECVLVM, in quod subinde intueantur, circumferāt: dextrâ verò sistrum diuinæ laudis, ac boni operis gestent; atque ita in templum illud cæleste magnis passibus tendant: vbi non in SPECVLO & ænigmate, sed facie ad faciem, videtur Deus super omnia Benedictus.

TRACTATVS III.

DE REGVLÆ

S. BENEDICTI præstantiâ.



VT *proprijs nominibus dignitatum plerumque adijcimus titulos, ita quoque expositis hactenus nominibus, quibus* S. P. BENEDICTI *Regula censetur, eiusdem nunc excellentiam & præstantiam oculis obijcimus. De quâ disquiremus,* Primò, *An sit à Spiritu sancto.* Secundò, *Quàm suauis* S. BENEDICTI *Regula?* Tertiò, *Quàm discreta?* Quartò, *Vt omni hominum generi Regula* S. BENEDICTI *sit accommodata?* Quintò, *Quam plena* S. BENEDICTI *Regula?* Sextò, *An* S. BENEDICTI *Regula sit spiritualis & interna?* Septimò, *An Regula* S. BENEDICTI *sit perfecta?* Octauò, *Qualis inter* S. BENEDICTI, *& aliorum Sanctorum Regulas collatio?*

DISQVI-

DE REGVLA S. BENEDICTI.

DISQVISITIO I.

An Regula S. BENEDICTI *sit à Spiritu sancto?*



PRÆSTANTEM Regulæ nostræ A eminentiam ab ipso fonte, à quo promanauit, hauriemus: eam siquidem absque veritatis præiudicio dicere licet, ab ipso Deo inspiratam, à S. BENEDICTO, velut calamo scribæ velociter scribentis, fuisse exaratam. Quod pronunciatum ne cui fortè temerarium, aut nimis audax videatur; latiùs hîc probandum suscepimus. Illud enim primis Prologi verbis satis innititur, cùm dicit: *Ausculta, ô Fili,* B *præcepta* MAGISTRI, *& inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij* PATRIS *libenter excipe.* In quibus verbis, nomine MAGISTRI & PATRIS, non seipsum; sed Deum, vel SPIRITVM SANCTVM, aut Christum Dominum intelligit, sciens scriptum: *Patrem nolite vobis vocare super terram: Vnus est enim* PATER *vester, qui in cælis est. Nec vocemini Magistri; quia* MAGISTER *vester vnus est,* CHRISTVS. Hunc autem *Magistrum, Patremque* ab eo intelligi, ex sequentibus verbis satis colligi- C tur, quibus ait: *Vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* A Deo autem recessimus, & ad Deum redire oportet. Hic ergo est *Magister,* & *Pater* quem auscultare, cuiusque admonitiones excipere monemur. Neque verò hæc noua, aut nostra est horum verborum interpretatio; sed omninò antiquissima: præterquam enim quod ante annos septingentos & amplius, ita D Smaragdus interpretatus sit; grauissimis eam verbis Sanctus Petrus Damiani expressit, cùm ait: *Quod in ipso libri principio manifestè colligitur, si ad quem sua verba Spiritus Sanctus dirigat, subtiliter attenditur; Spiritum Sanctum dico. Neque enim vir sanctus, tantaque cultor humilitatis, protinus vt in verba prorumperet, Magisterij cathedram, & præcipuè pij Patris sibi priuilegium vsurparet, dicens:* AVSCVLTA, ô FILI, *præcepta Ma-* E *gistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe. Sed ille fernum suum propriæ vocis organum fecit, qui similiter in ipso vaticinij incipientis exordio clamare per Isaiam cœpit: Filios,* inquit, *enutriui & exaltaui.* Hæc Sanctus Doctor. Probari eadem quoque veritas potest ex eo, quòd Dux & Legifer noster conditam à se legem, SANCTAM REGVLAM, semel iterumque nominauerit: non enim summus sui contemptor, & humilitatis Magister scripta sua *Sancta* vocare auderet, si propria eâ adinuentione excogitasset, & non magis à Spiritus sancti vnctione edoctus fuisset. Cùm enim Regulam vt opus à se elaboratum contemplatur, eam vocat MINIMAM INCHOATIONIS REGVLAM.

Regula S. Benedicti à Spiritu sancto.

Quem nomine Magistri intelligat.

Matth. 23.

Cap. 73.

Ex mente Smaragdi. & Pet. Damiani.

Opusc. XIII. cap. 6.

Probatur assertio nostra.

Cap. 23. & 65.

Sed assertionem nostram Sanctorum, & Doctorum virorum testimonijs roboremus. Atque in primis Sancti Gregorij Papæ, qui in Commentario in librum primum Regum ita scribit: *Qui arctissimam conuersationis viam imperant, nouiter accedentibus facilè aditum non impendant: quare & eiusdem arctissimæ vitæ Magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus, præcipit, dicens: Probate spiritus, si ex Deo sint; & item: Nuncientur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* Quæ verba desumpta sunt ex Regulâ Sancti BENEDICTI, cap. 58. Cur autem Sanctum Patrem nostrum vocat Gregorius *summæ veritatis discipulum eruditum;* nisi vt doceret, Regulam Sancti BENEDICTI non in scholâ hominum, sed in scholâ Spiritus sancti fuisse compositam, eruditionemque ac doctrinam Beati BENEDICTI, diuinam potius, quàm humanam esse censendam? Sancto Gregorio succedat Sanctus Bernardus, qui eodem sensu ait: *Quod Beati Patris nostri Regula docuit, hoc nobis lectio Euangelij commendat, nec aliud sonuit veritatis præco, quam* VERITAS *ipsa* PRÆDOCVIT. Sed luculentius huic rei testimonium. Idem prohibet in Declamationibus, vbi sic loquitur: *Neque enim venire in dubium aliquatenus potest, quin omnino sacer sit modus conuersationis, &* DIVINA MAGIS INSPIRATIONE *atque consilio, quàm humanâ prudentiâ, vel adinuentione formatus; quo nimirum tantam in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem* BENEDICTVS *obtinuit.* Hæc Bernardus.

Auctoritate Gregorij Magni.

S. Gregor. in lib. 1 Regum lib. 4. cap. 4.

S. Bernardi.

Homil. Ecce nos reliquimus

Sed & longè ante eum Goffridus Vindocinensis Abbas, & S. R. E. Cardinalis, idem docuit, dicens: *Præter Regulam Monachorum, vbi inuenitur omnis perfectio* Monachorum, quam *dictante Spiritu sancto scripsit, nec ipse quidem minus perfectè vixit, quàm docuit.* Itemque post pauca: *Per laudabilem*

Goffridi Vindocinensis.

Serm. de S. Bened.

dabilem Patrem BENEDICTVM, COOPERANTE SPIRITV SANCTO, *est veritas reuelata.* Petrus Damiani: *Infelix non illud ad memoriam reuocans, quod per os Beati* BENEDICTI SPIRITVS SANCTVS terribiliter clamat: *Qui suscipit animas regendas, praparet se ad rationē reddendam.* Sanctus quoque Petrus Venerabilis, Bernardo coætaneus, & ad eum scribens, ait: *Audi & ipsum Regulæ scriptorem immò* IPSIVS REGVLÆ DICTATOREM SPIRITVM SANCTVM.

Petri Damiani. Opusc. 12. cap. 1.

Petri Venerabilis.

Li. 4. Epist. 17.

Fas erit & fœminæ hîc suffragium admittere, sed fœminæ omninò Sanctissimæ; B cuius testimonia credibilia facta sunt nimis, quòd ea Apostolica sedes approbauerit. Sancta igitur Hildegardis, Beato Bernardo familiarissimè nota vitam sancti Disibodi Episcopi describens, narransque eum Monasterium sub Regulâ S. BENEDICTI construxisse, hæc habet, *Agente autem Spiritu Sancto omne animi sui studium & voluntatem, ad vitam & doctrinam* S. BENEDICTI *(qui iam ad Deum transierat, & quosdam beatos viros, sancta Institutionis suæ fideles* C *administros, ijs temporibus adhuc superstites reliquerat) appulit: & ad longinqua loca, vbi ea constitutio religiosè & sanctè colebatur nuncios misit supplices preces offerens, vt quidam ad ipsum venireut, vineam Domini Sabbaoth, ad præscriptum doctinæ* B. BENEDICTI *plantaturi Is enim S. Pater* BENEDICTVS REGVLAM, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, SANCTO SPIRITV DOCENTE ET OSTENDENTE, *condiderat.* Hæc illa: ex quo testimonio habemus & Regulam Spiritus Sancti instinctu scriptam, & ex eiusdem inspiratione, Sanctum Episcopum D eam suo monasterio delegisse. Eadem Virgo Sanctissima humano magisterio indocta, sed diuino lumine illustrata, Regulam S. BENEDICTI expositura, de eodem sic præfatur: *Ipse enim gratiâ Spiritus sancti hoc modo perfusus erat, quòd in nullo opere suo velut in puncto momenti & ictûs oculi virtute* SPIRITVS SANCTI *carebat.* Si autem in nullo opere, ne ad momentum quidem virtute SPIRITVS SANCTI caruit; Quis vltra am- E bigat, quin eadem ei maximè præsens fuerit, cùm opus illud moliretur, quod tanti Ordinis erat futurum fundamentum; & cùm eam scalam construeret, per quam ipse, & post ipsum tot millia, ad cælum ascenderent perfectorum Monachorum? Adfuit sanè illi SPIRITVS SANCTVS, quia vt eadem Sancta, post pauca subdit; *Nihil ei (Regulæ* S. BENEDICTI*) deest, quoniam in* SPIRITV SANCTO *facta & completa est.*

S. Hildegardis.

Vit. S. Disib. c. 11. & 12.

Eiusdem.

Intellexit hoc quoque Sanctus Bartholomeus, Cryptæ Ferretæ Abbas, describens enim vitam Magistri sui sancti Nili, exponensque quo affectu ab Aligerno Abbate, & Monachis Cassinensis Monasterij susceptus fuerit, sic ait: *Nec aliud quippiam videbantur audire, aut videre, quàm si Magnus Antonius Alexandriâ aduenisset, vel è mortuis magnus* BENEDICTVS *surrexisset, Diuinus ille ipsarum Legislatar & Magister.* Cur autem diuinum legislatorem & magistrum vocat? nisi quòd non humano studio aut Magisterio, sed diuinâ magis inspiratione, atque consilio (vt suprà loquebatur Bernardus) Regulam suam instituerit, atque conscripserit? Sed & qui eodem sæculo vixit Rupertus Tuitiensis Abbas, hîc audiendus. *Olim*, inquit, *cannenerat nobis sermo de iam dictâ Regulâ Patris eiusdem Sanctissimi* BENEDICTI, *quòd eam verè per mentem eius disposuisset, & per as eius locutus fuisset* SPIRITVS SANCTVS, *quo ille plenus fuit, & quòd omnino superædificata esset super fundamentum diuinæ positionis, fundamentum Euangelicæ auctoritatis, cui nimirum talis ædificator, siue scriptor, apertos suæ mentis oculos, dum scriberet, intendit.*

Bartholomai Abbatis.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Baron. an. 980.

Ruperti Tuitiensis. Lib. 1. in Reg. S. Bened.

Amplissimum porrò est testimonium, quod Benedictinæ Regulæ eiusque Auctori tribuit Augustinus Cistertiensis, citatus à Constantino Caietano; quod etsi longiusculum, in laudem Magistri nostri, eiusque doctrinæ non grauabor adscribere. *Eadem gratia quæ ad instituendam, corroborandamque Monastici Ordinis disciplinam prædictos sanctos Patres* (BASILIVM puta, & PACHOMIVM, & ANTONIVM, aliosque) *contulit Orienti, non inferioris meriti virum dignatione suâ prarogauit Occidenti, Sanctissimum videlicet Patrem nostrum* BENEDICTVM, *qui non solùm Antonij & Basilij spiritu, verùm etiam (teste Beato Papa Gregorio) Iustorum omnium spiritu plenus, tanquam sidus purissimum & lucidissimum prærogatiuâ sanctitatis superexcellenti puritate, conseruatione, singulorum denique miraculorum inæstimabili gloriâ, ab Occidente vsque ad Orientem clarissimè refulsit. Ita vt quidquid Oriens in diuersis partibus, diuersis charismatibus habere se gaudet; hoc totum in vno sanctissimo Patre suo* BENEDICTO, *Iustarum omnium spiritu pleno se possidere Occidens non immeritò glorietur. Scripsit namque idem Reuerendissimus Pater Monachorum Regulam, quam diuturno virtutum exercitio, non per hominem, sed per vnctionem illius, qui docet hominem scientiam, didicit: in qua mirabilis* ARTIFEX SPIRITVS SANCTVS, *summam perfectionem, moderatissimam discretionem, tam subtili connexione copulauit: vt quantumcunque Religiosus in eâ inuenerit, vnde adhuc proficiat, quantumcunque pusillanimis aut infirmus infirmitatis suæ in eâ remedia inueniat.* Hactenus Augustinus.

Augustini Cistertiensis.

In Chronico.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Verùm ne allata hactenus elogia ideò minoris fortassis fiant, quod ab ijs profecta sint, qui sub eadem Regulâ Deo militauerint, adeoque in parentis sui, eiusque Regulæ præconijs nimiùm effusi videantur; testimonium hic adijcimus omni exceptione maius, à viduâ Sanctissimâ Birgittâ, quæ aliud quàm S. BENEDICTI institutum sequebatur, descriptum; vel potiùs illi à beatissima Virgine reuelatum, quæ ita Sanctam Birgittam alloquitur: *Vt ignis ille bonus, qui erat in* BENEDICTO, *igniret plures; vocauit Deus* BENEDICTVM *in montem. Qui conuocatis ad se pluribus scintillis, fecit, de eis* PER SPIRITVM DEI *maximum Rogum, & composuit* REGVLAM DE SPIRITV DEI, *per quam multi perfecti facti sunt, sicut* BENEDICTVS. Concilium Duziacense II. *Beatus gratiâ & nomine* BENEDICTVS, SANCTO SPIRITV INSPIRATVS *consona Sacris Scripturis, & aliorum Orthodoxorum Patrum prædicationibus in Regulâ suâ dicit.* Et; SANCTVS SPIRITVS per B. BENEDICTVM *eodem spiritu, quo & sacri Canones conditi sunt, Regulam Monachorum edidit.* Ludouicus Imperator in allocutione ad Fuldenses Monachos: *Qui,* BENEDICTVS, *hanc eandem Regulam Monachorum* SPIRITV SANCTO *repletus cum magna discretione conscripsit, suisque secum seruandam mandauit alumnis.* Eadem his versibus, expressit Candidus Presbyter Fuldensis.

Sancta Birgitta. Reuelat. li. 3 cap. 10.

Cap 8. Conc. Duziacensis.

Ludouici Py.

Candidi. In vit. Ægil.

Hanc BENEDICTVS *ouans* SACRO SPIRAMINE *plenus*
Legem constituit, Monachorum ritè Magister.
Seruandamque suis secum mandarat alumnis.

Hincmari. Flod. Hist. Rhem. Eccl. l. 3. c. 27.

Hincmarus apud Flodoardum, Epistolâ ad Richildem: *Legat Capitula Regulæ* S. BENEDICTI *de Ordinatione Abbatis vel Abbatissæ, & inueniet, quàm grauiter pro hac ordinatione in* SPIRITVM SANCTVM, QVO IPSA REGVLA EST PROMVLGATA, *peccauerit.*

Occurritur dubio.

Neque verò obstat, quod pluribus S. Basilij, Cassiani, aliorumque Patrum vtatur sententijs, & nonnunquam etiam verbis, adeòque humano potiùs ingenio studióque videatur contexta. Nam & in his seligendis, & suis locis prudenter disponendis, scriptoris mentem manumque SPIRITVS SANCTI gratia promouere, ac dirigere potuit. Longè enim inferiori modo ac gradu dicimus hanc Regulam à SPIRITV sancto promanasse, quàm Sacras & Canonicas Scripturas, quibus nec SS. Patrum scripta, nec Pontificum decreta rectè quis æquauerit.

Nemini autem vt credo, mirum videbitur, si S. P. BENEDICTVM diuinitus edoctum asseramus; si enim *initium sapientiæ timor Domini, & recedere à malo intelligentia*: iam tum quasi se ad diuinam Sapientiam præparauerat, cùm litterarum studia deseruit, veritus, *ne, si quid de scientiâ mundi attingeret, ipse quoque in immane præcipitium* (vt S. Gregorius loquitur) *totus iret.* Si centuplum Dominus promisit relinquenti domum, aut Patrem, aut Matrem, aut vxorem, aut filios aut agros, propter nomen Christi: cur non centuplum melioris scientiæ donauerit ei, qui pro eodem sæculares scientias contempserit? Ipse certè beatissimus Pater, quia etiamnum puer aridum mundum cum suo flore, despexit; id præmij à Deo in hâc vitâ consecutus est, vt totum mundum sub vno solis radio collectum aspiceret: quid ni ergo, qui *soli Deo placere desiderans, recessit scienter nescius, & sapienter indoctus*, à diuinâ Sapientiâ illustraretur, fieretque non BENEDICTVS modò sed etiam BENE-DOCTVS à Domino? Ab hoc igitur fonte diuinæ Sapientiæ dimanauit, quidquid in Regulâ suâ proposuit.

Psalm. 110. Congruentia aliquot huius inspirationis. Prouerb. 3. 7.

Dialog lib. 2. cap. 1.

Ibid.

Quare, vt Disquisitionem hanc concludam, sicut Magnus Gregorius vniuersos Christi fideles admonuit, non aliter sacram Scripturam legerent quàm velut Epistolam Dei ad se scriptam: ita Benedictinos Fratres meos hortor, vt Regulam suam pro suâ dignitate & merito æstimantes, ita legant; ac si cælestis quædam esset Epistola, à Deo Opt. Max. ad nos per manum S. BENEDICTI transmissa, in quâ perscripserit diuina bonitas, quid à nobis Famulis suis fieri velit.

Gregor. l. 4. Regist. Epist. 4. Ad Religiosos.

DISQVISITIO II.

Quàm suauis S. BENEDICTI Regula?

SPIRITVS Domini, qui in Sacrâ Scripturâ *bonus & suauis* esse dicitur, atque etiam *super mel dulcis*, disponit omnia suauiter, & quæ profert eloquia, dulciora sunt *super mel & fauum*. Degustarunt hanc diuinam suauitatem Sanctissimi viri Ezechiel Propheta, & Ioannes Euangelista qui oblatum sibi cælitus librum comedentes, vnanimi voce dixerunt: *Comedi illud, & erat in ore meo tanquam mel dulce.* Liber quoque Regulæ Beatissimi Patris BENEDICTI, vt inspirante eodem suauissimo Spiritu scriptus est, ita quoque mirâ dulcedine repletus esse cognoscitur.

Sap 12. 1. Ecclesiast. 24. Sap. 8. 1. Psal. 18. 11. Ezech. 3. Apocal. 10.

Regula Benedictina suauis est.

Quod

Vindoc. serm. de S. Bened. Quòd Goffridus Vindocinensis Abbas, & Cardinalis, agnouit, dicens: *Sapientis Benedicti institutio, sancta, suauis, & leuis est, & matre virtutum discretione videlicet plena.* Suauitatem hanc in ipso Regulæ exordio quoque animaduertit sancta Hildegardis, sic loquens; *Doctrina S.* BENEDICTI *in spiritu Sancto facta & completa est; & quia filius Columbæ erat, ausculta ô fili, præcepto Patris tui, dicebat.* Alibi quoque eadem Theodidacta Virgo, à Deo ipso hausit, Sanctum BENEDICTVM Christo comparari, ex eo, quòd sicuti rigidam legem Moysis Saluator noster in suauissimam Euangelij commutauit, ita quoque Sanctus Pater noster antiquiorum Monachorum non adeò certum viuendi modum, eumque valdè rigidum certis Regulis circumscripserit, ac suauissimè mitigauerit. Sed Dei ad sanctam Virginem verba audiamus: *Primus Moyses in lapideis tabulis ex præcepto meo, asperam & duram legem scribens, Iudæis dedit; sed vt filius meus eandem Legem per dulcedinem Euangelij perforauit; sic etiam* BENEDICTVS *famulus meus propositum huius Ordinis, quod ante ipsum diuersissima conuersatio fuit,* PER DVLCEDINEM INSPIRATIONIS SPIRITVS SANCTI, *discretam & planam viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suæ Religionis collegit, vt etiam filius meus per* SVAVITATEM ODORIS SVI, *Christianorum populum sibi coadunauit.*

Vt veterum Monachorũ austeritatẽ temperauerit S. Benedictus. Hildeg l. 2. vis. 5.

Matth. 11. Quemadmodum ergo de Euangelicâ lege Christus Dominus pronunciauit, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue:* ita quoque de Regulâ suâ, eadem verba Beatissimus Legislator noster non iniuriâ vsurpare posset, quia reuera mandata eius grauia non sunt. Quod sanè ipsemet in Prologo Regulæ disertissimis verbis testatur, vbi ait: *Constituenda est ergo à nobis Dominici schola seruitij; in qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus.* Quod si in eadem Regulâ aliquid fortasse rigoris atque austeritatis inesse videatur, audi quantâ verborum dulcedine id mitiget, & rationem reddat, quare necessum fuerit id admittere: *sed & si quid,* inquit, *paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conseruationem charitatis processerit, non illicò pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde,* INENARRABILI DILECTIONIS DVLCEDINE *curritur via mandatorum Dei.* Ac si dicat; noli ad primum aspectum alicuius difficultatis nimiùm terreri, aut laborem fingere in præcepto, vsus & exercitium tollet, atque etiam cuncta reddet facilia. Strictissima vincula,

Dura & aspera exercitio molliuntur.

A quæ initio premunt; diuturno extendi vsu sensim laxantur: Ita quoque ipso exercitio difficultas tollitur, cordis angustia ampliatur, nihil vt graue aut difficile æstimetur, vt non tantùm in viâ Domini, quæ arcta primùm videbatur, ambulare possimus, verùm etiam expeditissimè currere, & cum Dauide dicere: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ex parentis sui sensu, Smaragdus Abbas Regulam Sancti BENEDICTI in initio difficilem, deinde verò facilem ac perquam suauem esse definiuit. Ita enim in elogio Regulæ, quod Commentarijs suis præmisit, cecinit.

DE REGVLA S. BENEDICTI. Psal. 118. 32.

B

Est Monachis SANCTI BENEDICTI REGVLA *Patris*
Perfectis plana, suauis & ampla via.
Aspera sed pueris, nec non tyronibus arcta,
Quos aluit gremio, lactea vita diu.

Et post pauca

Hanc nullus nolens; cupiens implebit at omnis,
Estque grauis grauibus; suauis & apta bonis.

C Hæc verò *Regulæ* nostræ *suauitas* in duobus potissimùm consistit. PRIMÒ: quòd extremum rigorem veterum Monachorum, pro exigentiâ temporum & personarum, discretione maximâ temperauerit; quod ipse S. BENEDICTVS satis insinuat, qui scribens *Vinum omninò Monachorum non esse, tamen quia id Monachis omninò persuaderi nõ poterat;* parcum eis vsum, & mensuratum permittit. Ita quoque ciborum abstinentiam temperauit, taliaque ieiunia indixit, vt sine magnâ difficultate ea seruari queant, saltem ab ijs, qui integrâ vigent sanitate. Aliàs secundùm antiquam Monachorum austeritatem loquens, ait: *Omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debet obseruationẽ habere.* Angelicus Doctor in Opusculo contra retrahentes homines ab ingressu Religionis, ait, Sanctum BENEDICTVM communes possessiones admisisse, quia ipsemet in suâ Regulâ dixerit, se aliquid remisisse de rigore Monasticæ vitæ; condescendendo infirmitatibus sui temporis Monachorum. Psalmodiam verò, quæ admodum prolixa olim erat, ita mitigauit, *vt omni hebdomadâ Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur,* cuius ordinationis eam rationem assignat, quòd tantundem veteres Monachi quotidie persoluere soliti fuerint. *Nimis,* inquit, *inerts deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minus Psalterio cum Canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt: cùm legamus, sanctos Patres nostros vno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinã septimâ integro persoluamus.*

Regulæ suauitas declaratur. *Primò.* Cap. 40.

D

Reg. ca. 49.

Cap. 16.

E

Cap. 18.

DE REGVLA S. BENEDICTI. *Secundò.* Comm in prolog. Reg n. 122.

SECVNDÒ, suauis dicitur S. BENEDICTI Regula, quia iuxta explicationem R.P. Antonij Perez, quantùm fieri potuit, à præceptis, & censuris ecclesiasticis abstinuit. Grauia enim & aspera Monasticæ institutionis non alia habentur, nec sunt, quàm præcepta formalia & censuræ, quibus innodamur ab illâ quæ tanto pretio digna non apparent. Quare Constitutio & Regula, quarum violatio ad pœnam dumtaxat temporalem obligat, suauis & lenis censetur; quæ verò ad spiritualem, acerba, nisi violatio sit vt crimen læsæ maiestatis, qualis est votorum solemnium similiumque transgressio. Hactenus ille.

DISQVISITIO III.

Quàm discreta S. BENEDICTI *Regula?*

Cass. collat. 2. cap. 4. *Discretio commendata.*

TAM *Beati Antonij quàm vniuersorum sententiâ definitum est*, inquit Abbas Moyses, apud Cassianum, *discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum Monachum perducat ad Deum, virtutesque iugiter conseruet illæsas, cum quâ ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, & sine quâ multi etiam propensius laborantes, perfectionis nequiuerint culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est.* Ab hâc potissimum virtute, Regulam nostram Magnus Gregorius commendandam duxit, cùm dixit: *vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit* MONACHORVM REGVLAM DISCRETIONE *præcipuam, sermone luculentam.* Quod tanti viri elogium alij passim transcripserunt, suisque tractatibus inseruerunt. At non vicarij modò Christi, sed ipsius etiã Christi Domini testimonio Regulæ nostræ summa discretio comprobari potest: Sanctissimæ enim viduæ Birgittæ Iesus animarum sponsus aliquando dixit: *Monachus qui saluari desiderat, attendat quod Regula* BENEDICTI *mei permittit habere necessaria cum moderantiâ, vtilia, non superflua, honesta & expedientia, omnia humilia, nullaque superba.* Quę sine dubio discretione temperata omnia Regulę pręcepta arguunt. Nec aliud voluit S. Hildegardis, cùm scripsit: *Omnia quæ in hâc Regulâ* (S. BENEDICTI) *descripta sunt, nec nimis remissa, nec nimis constricta sunt: sed ad dexteram, & non ad sinistrã respiciunt, quapropter ea conseruantem ad cælestia mox perducunt.* Vbi vides ab hâc Sanctissimâ Virgine id Regulę tribui, quod Moyses Abbas de discretione paulò antè dixerat, quòd nimirum *Monachum perducat ad Deum.* Otholonus, Fuldensis Monachus, Regulam vocat discretissimam: *Non paucis*

A quâ laudat Regulã S. Benedicti S. Gregorius Dial. lib. 2. cap. 36.

S. Birgitta. Lib. 4. reuel. ca. 117.

B. Hildegardis. In exposit. Reg.

Otholonus.

A *fratribus spiritalis exercitij feruore coadunatis, honestissimam atque discretissimam* S. BENEDICTI *Regulam obseruare Pater almus* (Priminus) *instituit*, Sanctus quoque Petrus Damiani Cardinalis & Episcopus Ostiensis *Regulæ* nostræ *discretionem* deprædicat, dicens: *Auctor S. Regulæ librato discretionis examine alia ex auctoritate præcipit, alia propter imbecillitatem fragilium ex necessitate permittit.* Quod quidem ex eo probat, quòd S. BENEDICTVS pro suo viuendi rigore censuerit, *vinum Monachorum omnino non esse*, ijs tamen B moderatum & parcum eius vsum permiserit, cùm dixit: *Infirmorum condescendentes imbecillitati, credimus heminam vini singulis sufficere per diem.* Quâ moderatione etiam circa cibum, aliasque Religiosorum suorum vel infirmitates, vel necessitates vsus est. Vnde apertè protestatur, *Cum aliquâ scrupulositate à se mensuram victùs aliorum constitui.* Et propter *diuersorum infirmitates*, indulget *cocta duo pulmentaria, vt fortè qui ex vno non potuerit edere ex alio reficiatur.* C Quinimmò in arbitrio & potestate Abbatis relinquit, aliquid augere propter laborem. Hinc quoque debilibus & ægrotis carnium esum, alijs interdictum, permittit, Quantâ verò discretione senum & infantum imbecillitati prospicit, cùm decernit, vt, *nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio?* nec minore circumspectione vsus est in quotidiano manuum labore, quem cùm singulis iniunxisset, ita tamen moderatus est: *Omnia moderatè fiant propter pusillanimes.* D Et: *Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur.* Cùm verò officiales Monasterij varias sæpe habeant difficultates & molestias in administratione officiorum suorum; discretissimus Magister ijs quoque occurrendum suâ prudentiâ putauit, itaque statuit: *In omnibus officijs Monasterij ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia accommodentur eis.* Atque in particulari solatia talia tribuenda censet E hospitum seruitoribus; Portario c. 66. Septimanarijs coquinæ cap. 35. Cellerario, 31. cap. alijsque &c, ne longior sim in re manifestâ: omnia Regulæ præcepta hoc *discreotinis* salecondita inueniuntur.

Verumenimuerò, cùm totã Monasterij ordinationẽ in vnius Abbatis pendere arbitrio voluerit, vt Monachorum regimen, adeoque perfectissimũ constitueret, tum vel maximè ei hanc *discretionem* inculcat, cùm ait: *In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus: siue secundùm Deum, siue secundùm sæculum sit. Opera, quæ iniungit* DISCERNAT *&* *temperet, cogitans* DISCRETIONEM *sancti Iacob, dicentis: si greges meos plus in ambulando*

fecero

In vitâ S. Pirmini. Pet. Damian.

Probatur ex ipsâ Regulâ in Corporalibus. Cap. 48. Cap. 40. Cap. 39. Cap. 37. Cap. 48.

In Officialibus. Cap 53.

Et maximè in Abbate. Cap 46.

fecero laborare, morientur cuncti vnâ die. Hac A *ergo,aliaque testimonia* DISCRETIONIS *Matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt & fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant.* Similia passim per totam Regulam videre est; inter cætera tamen egregia est sollicitudo pij Patris, summaque *discretio*, quam circa delinquentes fratres, cap. 27. & prudentissimum corripiendi modum 2. cap. Abbati præscribit, quem alibi quoque monet vt sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur: & quod faciunt fratres, sine vlla murmuratione faciant. Quæ sine dubio iustissima est æquitatis & discretionis mensura. Ex his porrò B alijsque locis, quæ sparsim in totius Regulæ decursu occurrunt, facilè apparet, quã meritò de Sanctissimâ Regulâ nostrâ dixerit Cardinalis Turrecremata: Summâ prudentiâ, quæ Mater est omnium virtutum, mensurata sunt vniuersa huius (B. BENEDICTI) Sanctæ Regulæ instituta.

DISQVISITIO IV.

Vt omni hominum generi Regula S. BENEDICTI *sit accommodata?* C

EX suauitate illâ atque discretione, quâ Regulam nostram præcellere docuimus, illud consequens est, vt eadem quoque omnibus quam maximè accommoda censeatur. Quod quidem ad laudes eius plurimùm facit; bonum enim quò vniuersalius est, pluribusque communicabile, eò etiam melius habetur. Eo ipso enim magis refert imaginem illius, qui per essentiam D bonus est, Dei, inquam, optimi, maximi: à quo omnia bona procedunt, nihilque bonum nisi ex illius bonitatis participatione dici potest. Regulam autem nostram tanto moderamine esse temperatam, vt cuiuis commoda satis atque apta iudicari possit, testatur in primis Beata Hildegardis aliquoties iam à nobis citata, iterumque citanda, cui nimirùm excellens Sanctitas auctoritatis pondus conciliauit. Illa igitur in Expositione Regulæ S. BENEDICTI, sic ait: *Fons quoque clausus fuit* (S. BENEDICTVS) *qui* E *in discretione Dei doctrinam suam effudit, cum acutum clauum doctrinæ nec nimis in altum, nec nimis in profundum, sed in medium rotæ fixit, ita vt vnusquisque siue fortis, siue imbecillis sit ex eâ secundùm possibilitatem suam bibere competenter possit.* Hæc illa. Eiusdem animi & sensus fuit Sanctus Petrus Damiani, qui in Opusculo de perfectione Monachorum, ait *Sancta Regula quasi ampla quædam, capax, & spatiosa domus facta est ad omnia genera hominum capienda, pueros videlicet & senes, fortes & debiles; deliciosos & multimodâ morum inæ-*

Regulam S. Benedicti omnibus cõuenire probatur.

Ex B. Hildegarde.

In exposit. Reg. S. Bened.

Petro Damiani. Opuscul. 13. cap. 7.

qualitate diuersos. Peritissimus nimirùm legislator, iuxta formam Apostolicam, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaciat, ita vniuersa Regulæ suæ præcepta temperauit, vt fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Vnde senes & infantes, & laicos, & Clericos, & fortes, & imbecilles ad conuersionem admisit: quibus omnibus ne quid deesset, Regulæ auctoritate prospexit.

DE REGVLA S. BENEDICTI

Et Regulâ ipsâ.

Tam librato quoque discretionis examine Sanctissimam Regulam suam Beatus BENEDICTVS disposuit; vt omnibus bonorum operum exercitijs secundùm eum vacare quis possit, adeò vt nulla propemodũ perfectionis opera in alijs ordinibus fiant quæ per hanc Regulam excludantur; ita ex Historijs, & Sanctorum vitâ, constat Benedictinos suos habuisse Anachoretas, soli contemplationi rerum diuinarum vacantes. Alios deinde habuerunt Euangelij prędicatores, & Regnorum Apostolos. Alij in ipsis Monasterijs misericordiæ operibus dediti, Infirmis in hospitalibus, quæ Monasterijs coniungere solebant, inseruiebant. Alij in scholis iuuentutem in bonis artibus erudiebant. Alij Academici Professores superiores scientias Philosophiam, Iurisprudentiam, Theologiam è cathedrâ docebãt. Nec defuere, qui captiuis redimendis sese dedicabant: quæ omnia ex Benedictino Chronico probari possunt. Ex quibus cuidens fit, omnibus istis exercitijs, Regulam nostram contrariam non esse, sed cum ijs etiam stare posse eiusdem obseruantiam.

Cap. 37. & 48.

Quæ omnia bonorũ operum exercitia admittit.

Verùm & hinc probari potest, quàm conueniens cuicunque hominum generi nostra sit Religio, & Regula; quòd eius suaui iugo ex omnibus regnis & prouincijs tot tantique se submiserint, vt præ multitudine numerari vix possint. Quos inter tamen illustriùs emicant illi, qui firmioribus retinaculis sæculo alligati, minùs apti videbantur disciplinæ & rigori monastico subeundo; Principes, inquam, viri ac mulieres, diuites secundùm sæculum, quorum difficilem admodum conuersionem considerans Christus Dominus, dicebat: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnũ cælorum. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Verũ quæ misericors Dei benignitas est, habet Ordo noster quãplurimos tales camelos, qui deposito gibbo diuitiarũ, per arctũ foramen Benedictinę Regulæ, intrauerunt in regnũ Cælorum. Ad hunc enim Ordinẽ è sęculi pompis conuolarunt Principes, Duces, Marchiones, Comites vltra ducentos quadraginta tres, Regum & Imperatorum liberi centum quadraginta sex, Reginæ quinquaginta & vna, Imperatores qua-

Numerus eorum qui sub eâ militarunt innumerus.

Matth. 19. 23.

Regum & Principum copiosus.

sustinet; alioquin hoc ipsum, quod Regula est, amittit ac perdit. Agnouit porrò, atque ipsâ experientiâ docente, probauit hanc *Regulæ* nostræ *sufficientem plenitudinem* S. Odo, qui Cluniaci Abbas constitutus (vt in eius officio canimus) *thesauros in Regula obseruatione latentes, Monachis explicauit; nullumque illius apicem prudenti inconsultum, proficienti inutilem, credenti difficilem, pænitenti asperum esse, suo & multorum exemplo docuit.*

S. Odo.

Verùm, ne domesticos tantùm testes, sub S. BENEDICTI vexillis militantes protulisse videamur; audiamus alios aliquot scriptores doctissimos, & eminentes in ecclesiâ Dei auctoritatis, qui sub aliâ Regulâ Monasticam vitam ducentes, eandem tamen veritatē prorsus adstruxerunt. Primus sit S. Antoninus, ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopus Florentinus, qui de Benedictinâ Regulâ loquens, affirmat eam esse præ cæteris in omnibus directiuam, & quod singula quæque clarè describat, eoque nomine etiam illi præfert, sub quâ ipsemet professionem emiserat, S. videlicet Augustini.

Alij eius rei testes.

S. Antoninus. Part. 2. hist. tit. 15. §. 8.

Secundus testis ex eodem Ordine, est Cardinalis Joannes à Turrecremata, qui expositioni Regulæ S. BENEDICTI eiusdem elogia premittens: Eam inter cætera commendat *à plenitudine*, vt ipse Loquitur *continentiæ. Traditur sanè in eâ*, inquit, *totius perfectionis Monasticæ norma: cùm vniuersa virtutum instrumento, ac Religionis præcepta contineat, sicut apertissimū est singula ipsius Regulæ capitula contemplantibus, vt de eâ meritò dicamus illud Sapientiæ: Doctrix est disciplinæ Dei, & electrix operum eius.* Ita Cardinalis ille doctissimus.

Turrecremata.

Sap 8.

Tertius eiusdē instituti, Siluester Prieras, Magister sacri Palatij, testis hîc audiatur. *Hæc Regula*, inquit, *non indiget declaratione mitigatiuâ, cùm sit præcipuæ discretionis: nec illustratiuâ, cùm in luce suæ claritatis dicatur luculento.* Cui quartus subscribit Jacobus de Vitriaco S.R.E. Cardinalis, sic loquens: *Qui enim diligenter & districtè primus Nigrorum Monachorum Institutiones obseruare studeret, nihil prorsus addere oporteret.* Ludouicus Pius Imperator ita Ægilem Abbatem Fuldensem alloquitur: *Regulam verò vir Dei* BENEDICTVS *luculento sermone conscripsit; in quâ nihil doctrinæ latentis, nihil obscuritatis comprehendit, quapropter non indiget Expositione, sed admonitione. Hæc est enim angusta porta, & arcta via, quæ sequentes se ducit ad Deum.* His accedat Auctor Glossæ in Capitulum, *sunt non nulli*, vbi cùm Bonifacius Papa Monachis Sacramentorum administrationem competere diceret, *quia B.* BENEDICTVS *Monachorum præceptor almificus huius rei interdictor nō fuerit*; addit Glossa, quod omnia quę non prohibuit S. BENEDICTVS, sint concessa Monachis: quod etiam argumentationis Pontificiæ forma exigit, alioqui admodum infirma esset ea consecutio; Sanctus BENEDICTVS non vetuit: ergo hoc licet. Debet proinde ex mente huius Glossatoris: tam plena esse S. BENEDICTI Regula, vt nihil omninò intermiserit. Idem elogium Regulæ tributum ab S. Hildegarde: *Quæ enim fieri recusat, ait, ea apertè interdicit: & quæ fieri exhortatur, illa apertè manifestat. Hæc autē de quibus tali modo reticet, arbitrio & discretioni Abbatis, & fratrum dimittit.*

Silu. V. Reg. 1. n. 10.

Iacobus de Vitriaco. Hist. occident ca. 20.

Lud. Pius.

Cādidus in vitâ Ægilis lib. 1.

Auctor Glossæ. Causa 16. q. 1.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

S. Hilegardis in explicat Reg.

Obseruat Iulius Nigronus, eos, qui breuem primam formulam habuerunt ab Institutore, vt Ordo Minorum S. Francisci, Carmelitarum, & alij; coactos fuisse posteà multas alias ordinationes & Constitutiones scribere, quibus primæua Regula declararetur, ac sepiretur: tum vt Religiosi in viâ perfectionis dirigerentur, in quâ vel pericula erant, vel errores esse poterant; quibus Regulæ breuitas non occurrerat. Accuratior proinde illa Regula, quæ omnia complectitur, & vix quidquam relinquit regentium arbitrio & voluntati: ita enim excluditur quæ suboriri solet crebra mutatio & varietas Regularium obseruantiarum. Eo nomine Regula nostra passim commendatur.

Nigron. in explicat. tit. part. 1 Reg. societ. §. 18.

Breuis Regulæ ferè explicanda.

Atque hoc ipso titulo negat P. Patricius Flemingus, regulam S. Columbani esse statuta quædam, ad Regulam S. BENEDICTI superaddita. Cùm enim huiusmodi, *Statuta* (vt ait) introduci soleant ad disciplinam conseruandam, vel lapsam restituendam; & ipsa S. BENEDICTI Institutio multâ prudentiâ & vigilantiâ omnes relaxationi vias præcluserit & ipsi eius cultores, pro primæuo iam exorientis Ordinis feruore, cuncta ad amussim obseruare satagerent: quâ ratione iudicasset Columbanus talem Regulam tam copiosam, tot contra impendentia dissolutionis mala præceptis & documentis instructam, tantâ à suis professoribus obseruantiâ & rigore excultam, nouis legibus & constitutionibus onerandam? Ita ille: quem eatenus tantùm hîc produxerim, vt sufficienti *plenitudine Regulæ* S. BENEDICTI testimonium perhiberet. Ex quâ sanè plenitudine, multa posteriores Ordines acceperunt, quæ in Constitutiones Legesque suas transtulerunt.

Fleming. in trac. M.S. de reg. S. Columb.

An Regula Columbani sint statuta Benedictina

DE REGVLA S. BENEDICTI.

DISQVISITIO VI.

An S. BENEDICTI Regula sit spiritualis & interna?

CVM anima plus sit quàm corpus, & Spiritus præstet carni; doctrina illa, quæ animæ salutem, atque interioris hominis eruditionem potissimùm tradit, multò excellentior iudicanda est ea, quæ externum tantùm hominem atque ipsum corpus componit. Ex quo capite non modicè augetur laus Regulæ S. BENEDICTI, qui velut alter Paulus *spiritualia spiritualibus comparans*, Regulã suam ita condidit, vt potiorem spiritus, quàm corporis rationẽ habuerit, decebat nimirum Regulam illã, quã à Spiritu sancto inspiratã atque dictatam suprà docuimus, prorsus esse spiritualem, suumque Authorem toto opere testari. Locuples huius rei testis est Beata virgo Hildegardis, cuius hoc est de S. BENEDICTI Regula Elogium: S. BENEDICTVS *Regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, sanctis viris sancto Spiritu docente & ostendẽte condiderat.* Quod quidem quàm ex vero pronunciatum sit, ipsamet Regula luculentissimè probare potest: quæ cùm Abbati ad subditorum directionem auctoritatis plurimùm conferat, tum vel maximè monet, vt spiritualium curæ animarumque saluti potissimũ intendat. Audiamus verò, quàm grauiter id inculcet. *Ante omnia, ne dissimulans, aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, non plus gerat solicitudinem de rebus transitorijs, & terrenis atque caducis: sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè substãtiâ, meminerit scriptum: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Eundem porrò & alibi monet vt *nouerit se infirmarum curam suscepisse animarum*; atque ideò, *omni solicitudine curam gerat circa delinquentes fratres.* Atque iterùm cum instruit, vt, *sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur: & quod faciunt fratres, absque vllâ murmuratione faciant.*

1. Corinth. 2

Regula S. Benedicti valdè spiritualis.

In vitâ S. Disibodi apud Suriũ.

Quod ex ipsâ ostenditur.

Dum Abbatem instruit.

Reg. cap. 2.

Cap. 27.

Cap. 41.

Iam verò quod omnes concernit, quid, quæso, toto capite quarto aliud facit, quã assignare INSTRVMENTA ARTIS SPIRITVALIS, *die noctuque incessabiliter adimplenda*, vt ipse S. Pater ait? Quorum officinam, dicit esse *Claustra Monasterij.* Quam verò interna ac spiritualia sunt illa, eodem capite recensita: *A sæculi actibus se facere alienum: Nihil amori Christi præponere: vitam æternam omni concupiscentiâ* SPIRITVALI *desiderare: Actus vitæ suæ omni horâ custodire: Omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & seniori* SPIRITVALI *patefacere.*

Et instrumenta spiritualia omnibus prebet.

Quæ omnia quidem ad interioris hominis officia vel maximè spectant. Quæ autem de *Humilitate*, spiritualis vitæ fundamento, præscripsit, adeò quidẽ spiritualia sunt; vt ex eo solo capite facillimè appareat quàm internum, recollectum, Deoque vnitum deceat esse Monachum Benedictinum. In eo siquidem præscribitur: *Vt ad omnia quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum & indignum se iudicet: & omnibus se inferiorem & viliorem non solùm suâ linguâ pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu.* Et cùm præscripsisset, vt Monachus *vbicunque sedens, ambulans, vel stans inclinato semper esset capite, defixis in terram aspectibus*; non contentus hâc externâ humilitate statim subiunxit interiorem actum, qui exteriori coniungendus est; dicitque, Vt hoc faciens *reum se omni horâ de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari existimet.* In hospitibus *Christum adorari & suscipi*, vult; eosque deduci ad *orationem, propter illusiones diabolicas.* Quantâ verò curâ ac solicitudine cauit, *Ne Monachis esset necessitas vagandi foras, quia* (vt inquit) *omninò non expedit animabus eorum*; Et verò, si qui egressi, aut certâ de causâ absentes essent *semper ad orationem vltimam operis Dei* eorundem *commemorationem fieri* voluit. Summo quoque studio hoc egit, vt si fortè quid detrimenti in viâ spirituali egressi Fratres accepissent, id communi oratione dilueretur, ac quantum fieri posset resarciretur; Itaq; statuit: *Reuertente autem de viâ fratres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus: ne quid fortè surrepserit in viâ visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis.*

Quæ de humilitate præscribat.

Cap. 53

Cap. 66. Circa egressum ex monasterio.

Cap. 67.

Quòd si diligentiùs oculos reflectere voluerimus ad eam perfectionem, cum quâ omnia Monachorum suorum opera Sanctus BENEDICTVS fieri voluit; sine dubio fateri cogemur, illa maximè esse spiritualia. Vt enim alibi ex ipsâ Regulâ declarabimus voluit S. Pater actiones nostras fieri in Dei præsentiâ, cum diffidentiâ de viribus proprijs, & confidentiâ auxilij diuini; cum humilitate item, & obedientiâ: vtque totũ opus tanquam à Deo & non à se factum, in eius solius gloriam referatur. Hisce enim conditionibus, velut spiritualibus quibusdam alis, opera nostra, ad longè eminentiorem dignitatem euehuntur, quàm aliàs per se haberẽt. Fit enim hoc modo, vt ea quæ indifferentia ex se essent

Qui suorum Opera fieri velit S. Benedictus.

sent opera, nihilque prorsus ab Ethnicorum, aut sæcularium saltem actionibus distantia; iam prædictarum virtutum vera sint exercitia actusque multiplicium meritorum feracissimi. Et nescio sane an sublimius ac spiritualius quid præscribi, aut excogitari potuerit: vnde meritò Cardinalis à Turrecrematâ dixit, quod Regulę Sanctissimi P. BENEDICTI consideratio maximè circa spiritualia versetur. Ioannes verò Trithemius descripturus Religiosis spiritualia exercitia, nō dubitat asserere ipsam S. BENEDICTI Regulam ad omnem institutionem spiritualē satis esse, ita enim ait: *Ad spiritualis exercitij tam vtilis, tamque necessarij commeatū* REGVLA *Sanctissimi Patris nostri* BENEDICTI *Monacho videtur sufficere, quàm constat omnem materiam exercitiorum, tam spiritualium quàm corporalium ad custodiam Regularis disciplinæ necessariam Monachis continere. Et idcircò omnia Monachorum exercitia constitutionibus Regulæ humiliter submittendo sunt, quoniam quidquid velò nobis, vel ab alijs pro restitutione Monachorum præcipitur, totum ad obseruantiam normæ monasticæ deputatur. Nam totius Religionis nostræ summa, quæ continuatione spiritualis exercitij acquiritur, in* REGVLA *Monasticæ traditianis quasi in radice per compendiū habetur. Omne igitur, vel spirituale vel corporale monachorum exercitium quo mens ad humilem obedientiam, & abnegationem sui ipsius ex amore inducitur, instituitis* S. REGVLÆ *conformatur.* Hæc Trithemius.

Trithem. Præfat. in lib. de trip. hici Relig. Claust. *Trithemius Regula Spiritum commendat.*

Quibus omnibus attentè consideratis, absque vllâ prorsus iniuriâ cum Apostolo de Regulâ nostrâ dicere poterimus: *Scimus quia lex spiritualis est.* Et sanè alia esse non poterat ab illo, qui Iustorum omnium spiritu plenus, *gratiâ Spiritus Sancti eo modo* (vt loquitur S. Hildegardis) *perfusus erat, quòd in nullo apere suo velut in puncto momenti & ictus oculi, virtute Spiritus Sancti carebat.* Quidni enim *spiritualis* esset *Regula*, quam Beatissima virgo Maria, vt iam aliàs citauimus, dixit compositam *de Spiritu Dei?* Quare quicunque in spiritu proficere desiderant, meritò sibi gratulari possunt, se sub eâ Regulâ Religiosam vitam ducere, quæ & *spiritualis* cum-primis sit, & *spiritualia* præcepta professoribus suis præscribat. Qui proinde hisce S. Pauli verbis conueniri, & admoneri se arbitrentur: *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia.* Sectamini, inquā, Charitatem; quia charitas totius Regulæ finis est, vt posteà ostendemus, & ad illam omnia regularia exercitia diriguntur. Æmulamini spiritalia: lex enim spiritalis spiritualia mandatā præscribit; vt carnales spirituales efficiat, adeoque spiritualiter seruari atque adimpleri debet.

Rom. 7. 14. *Quem illa ab Auctore suo accepit.*

1 Corinth. 14. 1.

DISQVISITIO VII.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

An Regula S. BENEDICTI *sit perfecta?*

CARDINALIS à Turrecrematâ, qui plurimis ex capitulis Regulam dignissimis elogijs exornauit, eam quoque commendandam dicit ab eminentiâ Euangelicæ perfectionis. *Planè enim* (vt verba eius exhibeam) *nihil de voluntate propriâ, nihil de corporis proprij potestate, nihil de rerum mundanarum possessione, nihil de tempore dereliquit. Equidem perfectionem Paupertatis inclusiuè deduxit, vsque ad graphiū: perfectionem Obedientia deduxit vsque ad momentū; cuius exuberantissima perfectionis gratiâ de huius perfectissimi & Deo acceptissimi Patris Regulâ dicere meritò possumus illud Ecclesiastici* BENEDICTIO *illius quasi fluuius inundauit.* Hęc ille. Cuius si inhęrere vestigijs voluerimus, absque veritatis prejudicio addere licebit perfectionē *Paupertatis* non modò vsque ad graphium, sed vsque ad corpus proprium definitam; quòd nimirum S. Pater neget esse in potestate Monachi. Similiter perfectionem *Obedientiæ* non tantùm vsque ad momentum, verùm vsque ad impossibilia deduxit; neque eam tantùm Abbati aut Superioribus, sed æqualibus, & sibi inuicem voluit impendi. Modum verò obediendi exquisitum requisiuit vt non murmurationem modò, & responsum nolentis, sed malum etiam animum, & interiorem contradictionem excluserit. Addamus hisce quoque perfectionem *Silentij*, cui omni tempore studere voluit Monachos; atque propter taciturnitatis grauitatem etiam perfectis discipulis rarā concedi loquendi licentiam de bonis quoque, & Sanctis ad ædificationem spectantibus eloquijs. Quæ sanè valde eximia taciturnitatis perfectio est. Quantæ verò perfectionis est *Humilitas* illa duodenis gradibus descripta & pro totius perfectionis basi ac fundamento Religiosis proposita? vbi inter cætera vult, *Vt omnibus se inferiorem & viliorem nō solùm suâ linguâ pronunciet Monachus; sed intimo cordis credat affectu.* Ex quibus alijsque Regulæ locis, satis superque constare puto, S. P. BENEDICTVM non qualescunque virtutum gradus à suis requirere discipulis sed eximios, heroicos, & maximè perfectos, neque paucis aliquibus virtutibus contentus fuit, sed omnes vno quasi fasciculo colligatas quarto Capite, exercendas præscripsit.

Regula Benedictina perfectio. Ecclef. 49. *In Paupertate.* *Obedientia.* *Silentio.* Cap. 6. *Humilitate* Cap. 7.

Meritò proindè noster venerabilis Beda in vitâ S. Outhberti nominandam censuit *Regulam Monasticæ perfectionis*; quasi dicere voluisset illâ contineri omnia ea, quæ ad Religio-

Cap. 17.

DE REGVLA S. BENEDICTI

Goffrid. Serm. de S. Benedict.

Religiosam perfectionem requiruntur, prout absolutè asseruit Goffridus Cardinalis Vindocinensis, dicens: *In Regulâ eius* (Sancti BENEDICTI) *inuenitur omnis perfectio Monachorum.*

Occurritur obiectioni.

Neq; verò opponi hîc potest, perfectionē Christianam in moralibus virtutibus, aut Euangelicis consilijs sitam non esse. Licet enim id ex doctrina S. Thomæ verissimum sit; eodē tamen Doctore discimus, Euangelica consilia perfectionis instrumenta esse, & efficacia quædam ad eam consequendā media; tum quia per illa impedimenta perfectionis remouentur, & cordis munditia acquiritur; tum etiam quia vt aliarum virtutum seminaria ad ipsam perfectionem proximè manuducunt. De Paupertate enim dixit ipsa veritas: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & veni, sequere me.* De Castitate: *Incorruptia proximum facit esse Deo.* Conformitas autem cū voluntate Dei, quæ sine dubio ad perfectionem requiritur, per obedientiam obtinetur. Alijs porrò virtutibus perfectionem adscribi, ex Apostolo constat; qui ad Ephesios scribens, ait: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Exponēs verò quęnā sit illa armatura Dei, subiungit: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei.* Iacobus quoque Apostolus ait, *quod patientia opus perfectum habeat.* Quam perfectionem idem quoque silentio tribuit, cùm ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Eodem ergò modo virtutibus à S. P. BENEDICTO commendatis nomen perfectionis tribuimus, atque ab illis non immertiò Regulam posse dici *perfectam* asserimus.

2.2. q. 184. a. 3. — Matth. 19. — Sap. 6. — Ephes. 6. 13 — Iac. 1. 4. — Cap. 2. 3.

Charitas à S. Benedicto cōmendata.

Atenim si absolutè Christianam perfectionem consideremus, quam in charitate coustitutam, Angelicus Doctor tradit, inueniemus eam à S. BENEDICTO neutiquā fuisse prætermissam. Non minus enim de eius Regulâ, quàm de Euangelicâ lege, dicere licebit: *Finis præcepti est Charitas:* Itemque illud; *Plenitudo legis est dilectia.* Vt enim Beata illa Hildegardis ait: *S. P.* BENEDICTVS *murum sanctitatis Regulæ suæ in charitate Dei cōstituit.* Quod ipsum pluribus infra probabitur, cùm de fine Regulæ nostræ agemus. Quod igitur de Sanctorū Patrū Doctrinâ, ipse Legislator noster asseruit, id de eius quoque Regulâ dicere licebit; videlicet, quod Regulæ *obseruatio perducit hominem ad celsitudinē* PERFECTIONIS. Id verò licet in confesso sit, nihilominus tamen ipsius Reginæ cæli testimonio confirmatū legimus. Ad S. enim Birgittam verba faciens, de B. BENEDICTO ait: *Composuit Regulā de Spiritu Dei, per quam multi* PERFECTI *facti sunt, sicut* BENEDICTVS. Quod quidem testimonium omni exceptione maius, etsi vlteriori probatione non egeat; satis superque tamen confirmari potest ex tam innumero Sanctorum numero, quos Benedictina Religio cælo adscriptos, tanquam huius Regulæ fructus veneratur ac colit. Neq; verò longo temporis spatio hæc Sanctorum adeoq; perfectorū Monachorū copiosa multitudo collecta est, sed statim in ipso Ordinis nostri exordio, superstite etiamnum eiusdem conditore Benedictinorum Monachorum *perfectio* non in vno aut altero, sed in multis omninò millibus clarissimè eluxit. De B. enim BENEDICTO primus eiusdem discipulus S. Maurus, suos exhortans, hęc dicere non dubitauit. *Itaque & nos per omnia vestigia Patris nostri Sanctissimi* BENEDICTI *imitari satagamus, qui relictâ domo & rebus patriæ, & ad vltimum nutricem suam occultè fugiens ac soli Deo placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post Beatos Apostolos vnquam fuerit secundus, sed potius Deo se iuuante, tot Sanctorum exstiterit fundator cænobiorum; tantaque Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum.*

1. 2. q. 184. a. 1. — 1. Timo. 1. — Rom. 13. 10. — Tract. 7. Disquisit. 1. — Cap. 73. — *Quā multi Sancti ex obseruantiâ Regulæ Benedictinæ.* — *Etiam viuente S. Benedicto.* — Faust. in vitâ S. Mauri.

Quàm excellens igitur debet esse illa arbor, à quâ tam eximij fructus, quàm perfecta causa, quæ tam nobilis & perfectos producit effectus. Vt enim Aquinas Doctor ait: *Quidquid perfectionis est in effectu oportet illud perfectiori & eminentiori modo inueniri in causâ agente.* Iam verò quis ambigat, quidquid est virtutis & gratiæ, quidquid perfectionis & sanctitatis in sanctâ plebe tot Sanctorum BENEDICTINORVM, quin illud totum de huius Regulæ, quasi quodam lucidissimo omnium riuulorum fonte, emanauerit?

1. p. q. 4. a. 2.

DISQVISITIO VIII.

Qualis inter S. BENEDICTI & aliorum SS. Regulas collatio?

ODIOSA plerumque esse solet præstantium rerum inter se comparatio, præsertim si vna alteri præstare probetur. Quare etiam ad inuidiam declinandam, & ne sanctissimis aliarum Religionum Constitutionibus derogare voluisse viderer, ab hac disquisitione omninò abstinuissem, nisi animaduertissem hanc rem ab alijs fide dignissimis Scriptoribus ita esse pertractatā, vt non tam nostrâ commentatione, quàm testimoniorū descriptione id conficiatur, quod lemma, Disquisitioni præfixum continet.

Regulam S. Benedicti alijs præfert Goffridus Vindoc.

In primis igitur, Goffridus Vindocinensis Abbas, qui ante quingentos & ampliùs annos vixit, nostram Regulam omnibus,

quæ

Serm. de S. Bened. eam præcesserunt præfert. *Fuerunt namque* A *ante S. BENEDICTVM Abbates & Abbatum Institutiones, sicut ante Christum Legislator exstitit Moyses. Bonam siquidem & sanctam Iudæo populo Moyses attulit legem, sed Christus Christiano populo contulit meliorem. Ita Sancti viri illius temporis secundum datam sibi à Deo gratiam, Monachorum Leges statuerunt; sed Pater ac legislator noster BENEDICTVS, sicut à Deo maiorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit. Nam, quidquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt, vel fieri permi-* B *serunt, ipse post illos correxit.* Pluribus ille, vt suprà vidimus Regulæ præeminentiam ad comparationem legis Mosaicæ & Euangelicæ prosequutus est, quæ hîc nō repeto. Illud tantùm ex eodē addo; quòd, *sicut post beatos tres Euangelistas, Matthæum scilicet, Lucam, & Marcum eorum quartus Ioannes Apostolus scripsit, & meliùs. Sic vir iste Beatus post alios Patres Monachorum Regulam scripsit, quâ tanquam dulcioris charitatis cæmento, viuo lapidi Christo homines diligentiùs iungit.* Cæ- C quidem S.R.E. Cardinalis iudicium de Regulæ nostræ excellentiâ ex eo non modicū probari potest, quòd statim ab ipsâ conditâ Regulâ, passim ab omnibus pænè Italiæ Monasterijs, aliud ante Institutum profitentibus, recepta sit. Similiter vbi in Galliam per S. Maurum hæc Regula illata est, eam Monachi, qui ibi erant, passim admiserunt; vt de nobilissimo Monasterio Lirinensi clarissimum est: Illud enim proprijs dimissis Institutis, S. BENEDICTI Regulam D à S. Mauro traditam suscepit obseruandam, vt Auctor vitæ S. Honorati, & post eum Cardinalis Baronius, alijque testes sunt. Quod aliàs etiam factum fuisse, probat idem Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum. Quinimò, Sanctum Equitium, multorum Monasteriorum in Valeriæ Prouinciâ Patrem, Regulæ Benedictinæ obseruantiam suscepisse, licet anteà sub sancti Basilij, aut alterius cuiusuis S. Patris Regulis vixis- E set, pluribus probat admodum Reuerendus Dominus Henricus vanden Zype, ex Priore Monasterij S. Ioannis in monte Ipras translati, meus in hac Affligeniensi Præpositurâ prædecessor, & nunc S. Andreæ iuxta Brugas Abbas dignissimus, in suo de Monastico Ordine S. Gregorij libro.

Quæ passim vbique recepta in suo ortu.

Tomo 6.

11. Iunij.

Part. 3. c. 7. & sequentibus.

Verissimè proinde dixit Antonius Gallonius, Congregationis Oratorij Presbiter: S. BENEDICTVS non est suâ laude fraudandus, vtpotè qui scribens Regulas, non

Latini nihil Græcis debent in causâ Regularum.

de Monachis tantùm suis, sed de omnibus est benè meritus, factus toti orbi proficuus atque conspicuus, vt iam non habeat quod fastu tumens Græcia Latinis insultet, viuere Occidentales Monachos Orientalium Regulis, cum tanti Patris beneficio, habeat Latina ecclesia in thesauris, quod Græcia mutuari possit ab ipsa, nam pænè exolescentibus Regulis reliquis BENEDICTI vbique locorum, frequentiori sunt vsu receptæ, & obseruantiori cultu retentæ. De his enim Honorius Augustodunensis ait: BENEDICTVS *Abbas Casinensis Monasterij scripsit Regulam Monachorum, per totum mundum promulgatam.*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Lib. de script. Eccles.

Quod verò approbatas in Ecclesiâ Dei Regulas spectat, quamquam ego inter eas nostræ palmam tribuere minimè auderem, ne proprij Instituti amore id potiùs, quàm ex veritate fecisse viderer, tamen quæ vir doctissimus, & S. Ecclesiæ publico testimonio Sanctissimus, aliâ sub Regulâ Monastice professus, de nostræ Regulæ præeminentiâ scripsit, non grauabor transcribere. Sanctus igitur Antoninus, Ordinis Prædicatorum, qui sub S. Augustini Regulâ militat, quatuor Regulas inter se componens, ita ait: *Sicut Basilius dicitur Pater Monachorum in Oriente, ita etiam Beatissimus* BENEDICTVS *Pater Monachorū in Occidente. Ipse enim vt ait Gregorius, scripsit Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam, & præ cæteris (vt ita dicam) in singulis directiuam. Nam Regula Basilij satis intricata est. Regula Augustini multum generalis, & ad particularia parum descendens: sed per Constitutiones ei additas à diuersis Religionis eius professoribus, austeritatibus & cærimonijs adornata. Regula S. Francisci breuis, & propterea multa ibi præcepta scrupulis plena: Sed Regula sanctissimi* BENEDICTI *singula quæque clarè describit. Quæ etiam vt approbata allegatur in Decretis cap. 18. q. 2. Cap. Perniciosam. Hanc omnes Monachi Occidentis pro fundamento tenent, exceptis Carthusiensibus, sed habitibus, & Constitutionibus additis, ac cærimonijs distinguuntur.*

S. Antonin. part. 2 tit. 15. c. 12. §. 2.

S. Antonini de Regula Benedictina præstantiâ testimonium.

Ita Beatus ille Antistes Florentinus, cuius verbis nescio quid amplius ad Regulæ commendationem, vel ab ipsis BENEDICTINIS addi possit. Quare non in immensum de hac eâdem Regulâ gloriatus est Trithemius, cùm scripsit: *Scripserunt multi sancti Patres Monachorum proposito Regulas: sed* BENEDICTI *Regula iure omnibus præfertur, quæ discretior, solidiorque in singulis comprobetur.*

Trithem. lib. 1. de viris illust. ord. S. Benedict. c. 2.

TRACTA-

TRACTATVS IV.

DE VTILITATE

Regulæ S. BENEDICTI.



EI cuiusque præstantia non rarò colligitur ex eâ, quam vtentibus præstare solet, vtilitate. Hanc proinde post illam recto ordine in S. BENEDICTI *Regulâ cousiderandam suscipimus. Disquirentes* Primò, *Quàm ea vtilis?* Secundò, *An perducat ad regnum cœlorum? quo cum nihil vtilius esse possit, meritò acquiescimus.*

DISQVISITIO I.

Quàm vtilis S. BENEDICTI *Regula.*



IHIL est quod adeò hominum mentes ad rei alicuius amorē & prosecutionem alliciat, quàm probè cognita, atque expensa eiusdem rei vtilitas. Vtilitate enim ducimur, imò rapimur omnes; & prout res aliqua ad destinatum animo finem consequendum magis, minùsve apta est, eò etiam magis minùsve in pretio est, atque diligitur. Hinc pecunia, quòd eâ alia omnia, quæ homines ad necessitatem aut voluptatem concupiscunt, facilè comparentur, tanti passim fit, vt de eâ dictum sit: *Pecuniæ obediunt omnia.* Itemque,

Vtile trahit homines

Eccle. 10. Horat. li. 1. epist. 6.

Et genus & formam Regina pecunia donat.

Ita agri, vineæ, Arbores, fructuum causa coluntur: ita peruerso iudicio,

Ouid. li. 2. de Ponto. eleg. 3.

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Adeò scilicet homo naturâ suâ vtilitatis auidus est, vt ei nil nisi quod prodest charū sit. Quare ne quidquā Regulæ S. BENEDICTI ad absolutam laudē desit, hanc quoque vtilitatē ei inesse confirmabimus. Et quidem tantò etiam excellentius, quantò ad ampliora bona consequenda ipsamq; adeò Beatitudinē æternam, quę bonum summū est, efficaciora media suppeditat. Ab hoc capite Regulam nostram cùm primis celebrandā censuit Cardinalis à Turrecrematâ sic loquens: *Commendatur Regula S. Patris* BENEDICTI *à magnitudine vtilitatis: studuit siquidem Sanctissimus Pater in hâc suâ Regulâ vtilia docere, exemplo Domini dicentis: Ego Dominus docens te vtilia. Docet enim huius Clarissimi Patris Regula, sobrietatem, Prudentiam, Iustitiam & virtutem: quibus vtilius*

Vtilitas Regulæ Benedictinæ expenditur.

Turrecremata.

Isa. 48.

Sap. 2.

A *nihil est in vitâ hominibus.* Quod si, vt veritas ipsa dixit; ex fructibus arbor dignoscenda sit; luce meridianâ clarius erit, Benedictinæ Regulæ arborem longè optimam esse; quæ nimirum vberrimos Fructus dominicis horreis intulerit, vt quidam nostri æui magnæ auctoritatis scriptor dicere non dubitarit: *Post Sacratissima & sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, nihil ita in Ecclesia vtile fuisse, ac Sanctorum Monachorum Benedictinorum Ordines, & instituta*, vt refert Arnoldus Wion. Quam Ordinis nostri vbertatem, etiam alij Auctores passim B celebrant: & in primis Iacobus Vitriacus Cardinalis, qui de eo refert, quòd nulla Religio alia tot Sanctis viris abundauerit, aut tanto tempore rigorem disciplinæ conseruauerit, aut tot genuerit Ecclesię Pastores; qui excellentis vitæ exemplo, & doctrinæ verbo collustratis tā multis regionibus, tot è diaboli faucibus animas eripuerint. Hæc Vitriacus. Cui omninò consentit Thomas Bozius, sic loquens: BENEDICTVS Adolescens, nullis humanarum rerum, quibus C mortales interdum capiuntur, præsidijs & ornamentis instructus, audet ante annos mille atque ampliùs normam vitæ inducere longè austerissimam, ac tot post se sectatores abduxit, vt eorum numerus iniri nullo modo possit. Ex eius verò Familiâ prodierunt tot ac tanti in omni laudum genere virtutumq; florentes viri, vt quoquò te conuertas, admiratione defixus tenearis. Quot enim Martyres, quæso, ex illius Ordine? Quot miraculis ac sanctimoniâ præstantissimi viri exierunt?

Ex fructibus varys & copiosis.

Wion. li. 1. Qui strictim recensentur.

Vitriac. histor. Occiden. cap. 20.

Bozius de sig. Eccl. l. 6. c. 6. n. 17.

Quot

Quot Pontifices summi, & admirandi? Hæc ille.

Quid de ijs scripserit Baronius. Paria quoque adfert, si non maiora, qui eiusdem cum illo est Ordinis, Magnus Annaliū conditor Baronius, cuius hæc verba. *Anno Christi 529.* Quis Dei consilium non magnopere admiretur, dum considerat, eo fermè tempore, quo in Oriente Monachismus esset magna ex parte collapsus, eodem in Occidente à S. BENEDICTO instaurari, atque longè latéque diffundi obseruantiā monasticæ disciplinæ, eamq; adeò fæcundo germine propagari, cū veluti ex tenui surculo B prægradium exortæ sint frugiferarum arborum siluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam, extiteritque locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sint sanctissimi diuersarum Ecclesiarum Episcopi; nec defuerint ex ijs, qui in throno Apostolico considentes, vniuersam Catholicā Ecclesiam, cum vehementiores vrgerent fluctus, constantissimè gubernarint: progressique ex eodem Monachorum Ordine sint, qui Apostolico munere complures Barbaras nationes, Christi C iugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem sponte capescendam conuerterint; prodierintque alij, qui ob susceptra grandia pro religione certamina sint victores consecuti coronam martyrij. Prætermus modo illos, qui sacrarum rerum scientiā nobiles inter scriptores Ecclesiasticos floruêre; nec numeramus, quæ numerari vix possint, sacrarum examina virginum. Hæc tanta tibi hîc vno intuitu, tanquam immensum cælum in paruo globo descriptum, inspicienda obiter modò D proponimus. Ita Illustrissimus Cardinalis. Sed si spatiosissimi huius Cæli vniuersa sidera, toto orbe clarissimè radiantia, singillatim spectare atque enumerare non possumus: liceat saltem eorum congeriem in certas classes, veluti sphæræ huius maiores circulos distributā, aliquousque contemplari. Quod vt iucundius faciamus, lubet è sacræ Scripturæ thesauro figuram quandam ac typum præmittere, quæ totius huius discursus adumbret atque repræsentet argumentum.

Gloriosus Apostolus Domini Ioannes, cælestis Ierusalem topographiam exhibēs, inter cetera describit eius flumen ex vtráque parte arboribus consitum, de quo sic *Apocalyp. 22.* loquitur: *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Sanctam hanc ciuitatem in sensu accommodato, Ordinem S. BENEDICTI A designare accipimus. Quid enim ille aliud est, quàm amplissima quædam ciuitas supra montem posita? Ciuitas, inquam, Domini virtutum, Cælestis illius æmula, quæ meritò etiam illo nomine glorietur, *Dominus ibidem.* Vt enim S. BENEDICTVS diuinæ præsentiæ considerationem discipulis suis, huius Ciuitatis ciuibus, non semel commendauit; ita etiam Dominus Ordinem hunc, ceu ciuitatem suam, semper protexit, & Benedictione suâ repleuit. Hæc est Ciuitas, non vocanda *Derelicta*, aut *Desolata*, sed iuxta Isaiæ vaticinium, nomine nouo, quod os Domini nominauit; appellanda, *voluntas mea in eâ.* Nihil enim aliud in Benedictino Ordine docetur, quàm abnegatâ propriâ voluntate per veram obedientiam probare, quæ sit *voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta;* adeò vt tota ciuium nostrorum vita sit *in voluntate eius.* Fluuium autem aquæ vitæ, cuius impetus vniuersam hanc ciuitatem Dei lætificat, quid aliud esse dicemus, quàm S.P.N.BENEDICTI Regulam, quæ non immeritò *aqua vitæ* vocatur, quia ad veram & perpetuam vitam properanti facem præferr, viam commonstrat, & ad vitam æternam introducit. Est hic fluuius splendidus, tanquam crystallum, quia, vt iam suprà vidimus, præ cæteris Regula hæc dilucida est, & vt S. Antoninus dixit; *singula quæque clarè describit.* Procedit autem *de sede Dei & Agni*, quia, vt multis iam anteà probauimus, Spiritu sancto docente & ostendente, scripta est; & vt sanctissima Virgo Maria apud Sanctam Birgittam ait: *Composita est de spiritu Dei.* Spiritus autem sanctus, huius Regulæ dictator, procedit à Patre & Filio, non secus ac fluuius sic à throno Dei & Agni emanare dicitur, quæ est interpretatio nostri Ruperti. De cuius Regulæ exuberantissimæ perfectionis gratia, Cardinalis Turrecremata iure affirmari posse ait illud Ecclesiastici: *Benedictio illius quasi fluuius inundauit.*

DE REGVLA S. BENEDICTI. *Ordo S. Benedicti Ciuitas magna.* *Ezec. 48.* *Isaiæ 62.* *Rom. 3.* *Regula fluuius.* *Birgitta l. 3. Reuelat. cap. 20.* *Ecclesiast. 39.*

Sed quænam sunt hæc ligna (ita enim *Arbores vitæ.* pluralis numerus per singularē intelligen- E dus est) ex vtrâque parte fluminis posita, afferentia *fructus duodecim*, nisi magna illa Ecclesiæ lumina, Ordinis nostri Proceres atque Senatores; quorum aliqui inter herbas germinauerūt *quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* *Isaiæ 44.* Alij, vt palma floruerunt, & sicut cedrus Libani multiplicati, fructum dederunt in tēpore suo; vt de Sanctissimo Parente nostro illud Ecclesiastici vsurpare liceat: *Quasi Oliua pullulans, & Cypressus in altitudinem se extollens; circa illum corona fratrum quasi plantatio Cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami* *Eccli. 50.*

N n palmæ;

DE REGVLA S. BENEDICTI.

palma, & omnes filij eius in gloriâ. At vnde arboribus his varijs fructibus grauidis tanta vbertas, nisi ab irrigatione præterlabentis fluminis? Ab ipsâ, inquam, Regulâ, quæ totius Religionis nostræ fons & scaturigo est? A quâ omnis vtilitas in ipsos Religiosos, & per eos in totam Ecclesiam dimanauit.

Et Fructus duodecim.

Vt igitur admirabiles hos *Fructus* duodenario numero comprehẽsos, vno veluti fasce colligatos, lectorum oculis obiiciamus, fuit Sacratissima S. BENEDICTI Religio.

1. In vniuersalis Ecclesiæ gubernatione admirabilis.
2. In particularium Ecclesiarum & Diœcesium regimine solicita.
3. In Gentilium conuersione infatigabilis.
4. In hæresium oppugnatione & extirpatione inuicta.
5. In Schismaticorum ad Ecclesiam reductione pacifica.
6. In Scholarum & Academiarum erectione vtilis.
7. In Sacræ Scripturæ Interpretatione assidua.
8. In Iuris Canonici collectione fidelis.
9. In Historiarum & veterum monumentorum conseruatione incurrupta.
10. In Deiparæ Virginis cultus propagatione pia.
11. In Ceremoniarum ac Rituum SS. Missæ Sacrificij & Diuini Officij ac Festorum institutione deuota.
12. In vtilium rerum adinuentione, ac disciplinarum illustratione ingeniosa.

Hæc omnia igitur magnalia Sacrosanctæ Ecclesiæ decora, & Reipub. Christianæ ornamenta Orbi dedit S. BENEDICTI

Arbor vna nobilis.
Nulla Silua talem profert
Fronde, flore, germine.

Sed *Fructus* hos singillatim aliquousque, in gratiam Nostrorum delibabimus.

PRIMVS FRVCTVS.

Ecclesiæ vniuersalis gubernatio.

ORDINIS nostri emolumenta ab eâ dignitate ordimur, quę parem in terris nõ habet, vnique Deo tantùm inferior est, Pontificiâ, inquam, quæ vniuersalis Ecclesiæ molem humeris suis sustinet; ad quam ex nostro Ordine plures assumpti fuerunt, qui magnâ sapientiæ & Sanctitatis laude, Petri nauiculam direxerunt. De numero inter Historicos nõ omninò conuenit. Trithemius noster, de viris Illustribus Ordinis S. BENEDICTI, lib. 1. cap. 5. & lib. 4. cap. 20. octodecim cognoscit; qui tamẽ & alibi aliquoties 24. extitisse fatetur. Petrus à

Trithem. de viris Ill. lust. lib. 1. cap. 5. & l. 4. cap. 20. Benedictini Pontifices variè numerati.

A Bugiano, Pontificibus Ordinum, Camaldulensis, Cistertiensis, & Cælestini exclusis, legitimos 37. nouem verò schismaticos cum Francisco Gonsaluo Illescas, & Hieronymo Plato, & aliis, fuisse contendit. Omnium autem discussione exactissimâ factâ, ita Wionus statuit: Põtifices Sanctos, quorum locus professionis constat, fuisse numero octodecim: quibus si alios septem addas, eosdemq; Sanctos, sed quorum professionis locus ignoratur, exurget numerus viginti quinque: qui ab omnibus pænè

Petrus à Bugiano. *Yuanez.* *Sancti XVIII.* *Vel, XXV.*

B Historicis adducitur. De quibus intelligendus est Ioannes XXII. de quo in fine Chronici Cassinensis legitur:

Ioannes Papa XXII. fecit extrahi Canonizatos de Ordine & Regulâ Sanctissimi BENEDICTI, *ex libris summorum Pontificum: & reperit, quod à tempore dicti Patris, vsque ad tempus suum, fuerunt infrascripti Romanæ sedis Pontifices XXV. &c.*

C His verò si eos annectamus, qui in Sanctorum numerum relati non sunt, de quorum tamen Benedictino Monachatu constet; qui decem referuntur, addamusque alios quinque, de quibus dubitatur an Monachi fuerint; inueniemus omninò quadraginta, quibus Deus statuit Sacerdotiũ hoc magnum, & beatificauit eos in gloriâ. Præterea autem quinque Antipapas, qui ex Monachis ad summam Cathedram eue-cti, non rectè se pro Pontificibus gesserũt; vti etiam sex illos Põtifices Schismaticos,

Simul Quadraginta. *Antipapæ aliquot.*

D qui à sede suâ deiecti, Ordinem Benedictinum profiteri coacti sunt, aut eiusdem habitu induti; de quibus Wion, lib. 2. cap. 6.

Pontificibus porrò eos subijciamus, qui in vniuersalis Ecclesiæ regimine iisdem dati sunt cooperatores S. R. E. *Cardinales:* quorum numerus ab Historicis probatæ fidei ab ipso S. Patre BENEDICTO, adusque Concilium Constantiẽse dicitur fuisse 184. quibus si adiungantur alij quatuordecim, à tempore dicti Concilij ad

Cardinales Benedictini 300.

E hæc vsque nostra tempora creati, omninò resurget numerus à Genebrardo proditus, *Cardinalium* videlicet ferè ducentorum.

Genebr. lib. 1. Chronol.

SECVNDVS FRVCTVS.

Aliarum Ecclesiarum Regimen.

VT iam ad particularium Ecclesiarum gubernationem descendamus, illi recensendi sunt, qui fuerunt *Principes sacerdotum & fratres eorum in diebus suis.* Patriarchæ, scilicet, Archiepiscopi, & Episcopi. *Patriar-*

1. Esdræ 12.

Benedictini Patriarchæ 50. Archiepiscopi 1600. Wion lib. 2. cap. 13. Episcopi 4000.

Patriarcharum verò numerus fuisse refertur quinquaginta. *Archiepiscoporum* verò, mille quingentorum & sexaginta quatuor, siue vt alij legunt, mille sexcentorum: quod ex Trithemio, Sabellico, Volaterrano, Genebrardo, & Plato, Wionus recipiendum putat, lib. 2. cap. 13. qui ex ijsdem quater mille, & eo amplius, astruit fuisse ex Benedictino Ordine *Episcopos.* Illi autem supra candelabrum positi, quantum alijs præluxerint, & vtilitates Ecclesiæ Dei attulerint, vix oratione consequi datur. Ab his enim maximè profluxit, qui Ordine sequitur

TERTIVS FRVCTVS.

Gentium conuersio.

Apostoli Ordinis S. Benedicti.

DVCES ac Præceptores Gentium, magnos Ordinis nostri Apostolos, qui *directi sunt diuinitùs in pænitentiam gentis, & tulerunt abominationes impietatis*, prolixo sermone commemorare necessum foret; sed compendio vtentes, eorum nomina, & Regnorum siue Prouinciarum, quibus fidei lumen intulerunt, annotasse suffecerit. Quem verò delectat penitiùs cognoscere, quæ per eosdem magnalia diuina bonitas effecit, citatos à nostro Wiono Historicos adeat.

S. Augustinus, & Socij.

Anno igitur Domini 596. *Augustinus*, alijque S. Gregorij discipuli in Angliam missi, Reges, Gentemq; ad fidem conuerterunt; totamque Regionem Monasterijs repleuerunt, quæ magnâ parte Metropolitanæ, & Cathedrales Ecclesiæ fuerũt, quarum Præsules & Canonici aliquot sæculis non alij quàm Benedictini Abbates & Monachi fuisse reperiuntur. Hi porrò Christo plures lucrifacientes discipulos, Euangelij lumen per totum Septemtrionem sparserunt. Nam anno 683. *S. Chilianus* in Franconiam, siue Orientalem Franciam à Conone Papâ missus, Ducem Gentemque ad fidem adduxit. Circa eadem tempora duo *Evvaldi* Westphaliam Christo & Ecclesiæ acquisierunt, Martyrio coronati anno 693. *S. Lambertus* Tungrorum Episcopus Taxandros, siue Kempinienses à gentilitatis errore reuocauit, Martyrij palmâ donatus anno 698. Quid verò dicemus de *S. Bonifacio* Moguntino Episcopo & Martyre?

Chilianus. Evvaldi duo. S. Bonifacius Moguntinus Episc.

> *Quò Duce Germanis pietas se vera, fidesque*
> *Insinuans, cepit ritus abolere profanos.*

Hic enim totius ferè Germaniæ, & Frisiæ Apostolus, Martyrij gloriâ Apostolatus munus cumulauit, anno Christi 754. ex eodem nostro Ordine *S. Stephanus* Vpsalensis Episcopus, Sueciæ, & Helsingæ Apostolus extitit, Martyrio affectus anno 850. *S.*

S. Stephanus.

A *Wigbertus* Sorabos, siue Frigio-Saxones ad fidei confessionẽ adduxit. Vti etiam *S. Abbo* Vascones conuertit. S. verò *Adalbertus* Pragensis Episcopus, in Bohemiâ, Hungaria, Polonia, Liuonia, & Prussiâ factæ fidei cultum plantauit; quem continuis prædicationibus in Polonia S. BENEDICTVS, ex Monacho Sancti Alexij Romæ ad Gentium conuersionem Episcopus constitutus rigauit, adeoque ad maturitatem perduxit, vt post S. Adalbertum Poloniæ Apostolus dici meruerit. Eodem tempore ex B eodem Monasterio S. Alexij eductus *S. Bonifacius*, primus Bosnensis Archiepiscopus, Hunnorum, Slauorum, & Russorum Apostolus fuit. Sanctus verò *Gerardus* Hungaros in Pannoniâ Euangelicâ luce illustrauit. *S. Bruno* Ruthenorum Archiepiscopus Prussos, & Lituanos Sarmatiæ populos sacro Baptismate tinxit, atque ipse, vt etiam præcedentes quatuor, Apostolatus gloriam etiam Martyrij laureâ condecorarunt. Longum porrò foret alios omnes Apostolos nominatim suis elogijs exprimere: C quare vt de Confessoribus Apostolis confertim dicamus; *S. Chilenus* Atrebatenses; *S. Willibrordus* Frisios; *S. Amandus* Brabantos, Flandros, Sclauos, & Vascones; *Vulfrannus* item Frisones; *Wilfridus* Hollandos ad fidem adduxit. Franconiam secundò *Willehadus* Bremensis Episcopus Christo adiunxit. Frisijs, Hollandis, Saxonibus *S. Wilbertus*; Succis, Gothis & Aquilonaribus *S. Ansgarius*; *S. Ludgerus* Saxonibus, & Frisijs Orientalibus; *S. Vicelinus* Wandalis & Slauis. *S. Lebuinus* Transiselanis; D *S. Wimo* Gothis Aquilonaribus. *S. Otto* Bambergensis Episcopus, Pomeranis in Sarmatia Euangelium Christi annuntiauit. In hisce Regionibus Christo iam subiugatis passim Monasteria, velut spiritualia militum Christi fortalitia, excitarũt, in quibus ad tuendam, ampliusq; propagandam fidem Monachorum præsidia collocarunt.

DE REGVLA S. BENEDICTI. Wigbertus. S. Adalbertus. Benedictus. Bonifacius. Gerardus. Bruno. Chilenus. Willibrordus. Amandus. Willehadus. Ansgarius. S. Otho.

Postremo loco adijciendus hic est Dominus *Bueillus*, qui penetrans inferiores partes terræ, Antipodum, siue noui Orbis, E & Americæ Apostolus primus fuit. Ob singularem Sanctitatem, & admirabilem doctrinam, Indiarum Archiepiscopus, & Patriarcha, summique Pontificis Vicarius apud illas Regiones constitutus anno Domini 1493. sub Alexandro sexto.

Bueillus Americæ Apostolus primus.

Inter plurima verò, quæ Cœnobitarum nostrorum Euangelicam messem consecuta sunt bona, non postremo loco habendum est, quod post illatum regnis Christi Euangelium, populi ad voluntatem magis adducti, Oppida & Ciuitates exædificare cœperint. Vt enim ex Strabone, Iulio Cæ-

Vnde vrbes ædificatæ in Septemtrione.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

fare, Tacito, Pomponio Melâ, Senecâ, & Herodiano, Bozius probat, Germani olim, & Boreales populi in subterraneis specubus, aut sub frondibus cubabant; cùm domos aut ciuitates non haberent, quas tamen magno numero postquam fide Christi imbuti sunt, construxerunt. Illud autem, ait Bozius, non pigebit repetere, plerasque Septentrionis vrbes iuxta Monasteria conditas, quod à Monachis scilicet ad omne bonum populi olim Boreales inculti & agrestes instituerentur. Id hæreticus Munsterus in descriptione Luçernæ tradit: Ciuitas, inquit, Lucerna post Monasterium, & partim ratione Monasterij est condita; id quod in multis Oppidis quoque videre licet, quæ iuxta Monasteria successu temporis succreuerunt, præsertim iuxta Monasteria Diui BENEDICTI. Rhenanus, damnatæ fidei scriptor, ait occasione Cœnobiorum in Germanicis Prouinciis oppida fieri cœpta, eoque modo Argentoratum fuisse restitutum, ędificato prius Monasterio, cui cupiebat optimus quisque ædes habere coniunctissimas, itaque ex oppidulo Cœnobiali (nam Cœnobium potior pars erat) contractis eò vicis proximis, tandem posteriori tempore esse vrbem cõstitutam. Eadem ratione, inquit, nunc propius Rhenum visitur Maguncia-cum, quod olim plusculum distabat. Idem accidisse Spiræ conijcio. Hæc ille.

Thomas Boz. lib. 22. cap. 6.

Plurąs in Germaniâ ex Monasterijs conluerunt.

Munst. l. 3. Geograph.

Rheo. lib. 2. rer. Germ.

A

B

QVARTVS FRVCTVS.

Hæresum extirpatio.

NON tantùm eam in curam Benedictinorum Monachorũ pia solicitudo incubuit, vt fidem plantaret; verùm etiam vt euelleret impietatem, opera diaboli destrueret, errores disperderet, hæreses dissiparet. Fuit enim Ordo noster fidei fortalitium, Sanctæ Ecclesiæ Armamentarium, & fortissima turris Dauid, in quâ omnis armatura fortium. Sęuientibus enim hęresibus, ex nostris exstiterunt, qui se opponerent murum pro domo Dei, & vel hæreticos coram confutarent, vel eorum scripta absentes refellerent. Ita S. Gregorij industriâ Longobardi in Italiâ, & Sancti Leãdri Hispalẽsis Episcopi Visigothi in Hispaniâ, ad fidem Catholicã reducti sunt. Ita Martinus Dumiensis ab eâdem sectâ Sueuos partem aliquam Hispaniæ incolentes reuocauit. Et an nõ Benedictini nostri Sacramentariam hęresin in semine suo, & capite Berengario suffocarunt? Cùm enim ille vndecimo sæculo cor & animam Religionis nostræ, veritatem dico Sacrosanctæ Eucharistiæ, impeteret; an non statim exsurrexerũt nostri, Fulbertus eius Magister,

Benedictini Monachi hæreticos cõfutarunt.

Arianos.

Sacramentarios.

C

D

E

Lanfrancus, Albericus, Guitmũdus, Guido, alijque? Quid verò de Paschasio Ratberto dicemus, qui prophetico spiritu necdum natam hæresin, tanto tempore ante refutauit? vixit enim anno 880. Quod eodẽ spiritu etiam fecit Ratherius Veronensis primùm, ac deinde Leodiensis Episcopus, qui insuper Anthropomorphitarum hæresim extirpauit. Gilebertus Porretanus, Petrus Bruisius, Abaelardus, Hẽricus, & Arnoldus de Brixiâ hæretici, à quo refutati fuit, nisi à nostris SS. Petro Cluniacẽsi, & Bernardo Claræuallensi Abbatibus? Gręcorum errores scriptis confutauit S. Anselmus: coram etiam mirâ verborũ facundiâ Humbertus Cardinalis Michaëlem Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum Episcopos, pręsente Imperatore confudit conuicitq́;. Albigenses quoque primos, ac præcipuos aduersarios Benedictinos è Cistertiensi familiâ senserunt; vt pluribus refert Abrahã Bzouius ãnno Christi 1199. Lutheranis, & Caluinistis strenuè occurrit doctissimus Genebrardus noster, Archiepiscopus ad Aquas Sextias; & vt alios omittã, Gabriel Gifford, fiue à S. Mariâ ex Benedictino Archiepiscopus Rhemensis, qui suis Concionibus Caluinum, eiusque sequaces validissimè oppugnauit.

Anthropomorphitas.

Petrobusianos.

Græcos.

Albigenses.

Lutheranos.

QVINTVS FRVCTVS.

Schismaticorum reconciliatio.

PACIFICI Regis filij ad pacem & vnitatem S. Romanæ Ecclesiæ, quos schisma ab illa diuiserat, reducere semper studuerunt. Quo in genere nostrorum industria maximè enituit. Petrus enim Damiani Mediolanenses ducẽtis annis à Romanâ Ecclesiâ abductos, Simoniacâque labe, ac Nicolaitarum hæresi infectos, ad Ecclesiæ Catholicę gremium gloriosissimè reduxit. Et memoratus suprà S. Bernardus ingens illud schisma inter Innocentiũ secundum, & Antipapam Anacletũ suâ vnius auctoritate & opera sustulit. Henricum Angliæ Regem Pontifici conciliauit, Galliam ei, omnemque Germaniam coniunxit, vrbem ipsam, totamq́; Italiã liberauit; Rogerium Siciliæ Regem confutauit, Petri Leonis partes fregit: Guilielmum Aquitaniæ Ducem, schismatis defensorem emolliuit, & ad pœnitentiam permouit. Idem etiam Mediolanensium schisma contra Ecclesiam sustulit.

Benedictini schismata sustulerunt.

S. Bernardi in hanc rem labores.

SEXTVS FRVCTVS.

Scholarum ac Academiarum institutio.

INTER pręcipua Reipub. Christianę bona sine dubio censeri debet Iuuentutis institu-

institutio, quæ tanti est, vt beneficio huic Philosophi testati sint, homines vicem reddere non posse. De quo, ne (quod dici solet) sine die & Consule loquamur, iuuat loquentem introducere nostrum Trithemium. *Erat*, inquit, *his temporibus in Monasterijs nostri Ordinis hæc consuetudo celeberrima, vt Scholæ Monachorum in singulis penè Cœnobijs haberentur, quibus non sæculares homines, sed Monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi: qui non solùm in diuinis scripturis docti essent, verùm etiam in Mathematicâ, Astronomiâ, Arithmeticâ, Geometriâ, Musicâ, Rethoricâ, Poësi, & in cæteris omnibus sæcularis litteraturæ scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solùm in Romanâ linguâ docti erant, sed etiam in Hebraicâ, Græcâ, & Arabicâ peritissimi. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam prouinciam in suo Cœnobio Monachum Abbas minimè habuisset, de aliquo alio Monasterio petere aptum, non erat verecũdum. Sic namq; doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus, multo tempore in Cœnobio S. Vincentij Metensi, Monachorum Præceptor, quamquã de alio Monasterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldiâ: Notgerus Sãcti Galli in Stabulaus: Albinus Monachus Anglicus in Fuldâ, Milo S. Amandi in Corbeiâ, atque alij complures in alijs Monasterijs, docendi ad tempus tenuerunt officium, vbi conuersionis primordia non sumpserunt. Hæc autem cõsuetudo sanctissima primum in Angliâ cœpit, vbi venerabilis ille Monachus, & Presbyter Beda Monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos.* Anno quoque 952. idem scribit, in omnibus Monasterijs fuisse Scholas litterarias, in maioribus autem Cœnobijs fuisse generalia studia Sacræ Scripturæ, & aliarum disciplinarum: ad quæ ex alijs Monasterijs, tanquam ad Vniuersitates, Monachi transmitti solerẽt. Et sanè Alcuino, siue Abbino Flacco Parisiensis Academia originem suam debet, de quo vetus Poëta.

Trithem. in Chron. Hirsaugiẽs. anno 890.

Scholæ olim variarum scientiarum in Cœnobijs.

Magistri Monachi ex alij Monasterijs petiti.

Beda instituit.

Benedictini Academias fundarunt.

Quid non Alcuino *facunda Lutetia debet?*
Instaurare bonas ibi qui fæliciter artes,
Barbariemque procul, solus depellere cœpit.

Parisiensem.

Oxoniensem Vniuersitatem noster Neotus Diaconus fundauit: in quâ tria principiò constructa erant collegia, Grammaticis vnum, Philosophis alterum, tertium Theologis. Quatuor alij Monachi Cantabrigiense studium excitarunt. Ticini, siue Papiæ in Italiâ Vniuersitatem fundauit Ioannes Scotus, Venerabilis Bedę discipulus. Quorũ exemplo Benedictini hodieq; varijs locis è cathedrâ docent. In Hispaniâ Vallisoletani Patres decreuerũt, vt in Congregatione perpetuò sint tria Collegia, in quibus Artes liberales, & Philosophia doceãtur, & quartum, in quo Theologia. Pro Philosophiâ designantur S. Stephani de *Ribas del Sil*, S. Iuliani *de Samos*, & S. Mariæ *de Trache*: pro Theologiâ, S. Vincẽtij Salmanticæ. Prætereà designãt 12. alia Monasteria particularia, in quibus Artes, & Theologia prælegantur: vt videre est in eorum Constitutionibus Barcinonę impressis. A Benedictinis quoque regitur Salisburgensis in Bauariâ Vniuersitas. Parisijs in Galliâ prælegunt Patres Congregationis S. Mauri: Duaci in Flandriâ, Vedastini, & Missionis Anglicanæ; alijque alibi. Ex hoc porrò fructu alij aliquot sequentes prodierunt, atque in primis,

Oxoniensem.

Cantabrigiensem.

Papiensem.

Vbi hodie doceant.

DE REGVLA S. BENEDICTI

Cap. 113. & seq.

SEPTIMVS FRVCTVS.

Sacræ Scripturæ Interpretatio.

IN hâc sanè adeò Nostri se indefessos exhibuerunt, vt aliis palmam præripuisse videantur. Dedit enim Ordo noster S. Matri Ecclesiæ decem Doctores, qui totam sacram scripturam à capite, quod aiunt, ad calcem suis lucubrationibus exposuerunt. Quorum primus fit Venerabilis Beda. Secundus, Rabanus Maurus. Tertius, Haymo Halberstadensis Episcopus. Quartus, Strabo, qui Glossam ordinariam; & Quintus, Anselmus Laudunensis, qui interlinearem composuit. Sextus, Rupertus Tuitiensis. Septimus, Petrus Berchorius, qui omnia penè Scripturæ verba in suo Dictionario moraliter explicat, alteroque libro Moralitates totius Sacræ Scripturæ plano stylo interpretatur. Octauus, S. Paterius ex S. Gregorij scriptis exceptiones in omnes veteris & noui Testamenti libros exhibuit. Nonus, Hieronymus Lauretus Siluam Allegoriarum ad totius sacræ scripturæ intelligentiam ex SS. Patribus conscripsit. Decimus, Isidorus Clarius Brixiensis, Græcè, Hebraicè Latinèque doctissimus, ex Monacho Cassinensi Episcopus Fulginatensis, sacra Biblia ad Hebraicam Græcamque veritatem castigauit, & scholiis locupletibus illustrauit, in quo tamen quædam corrigenda ex sententiâ PP. Concilij Tridentini annotata sunt. Prætereo nunc alios clarissimos Doctores, Gregorium Magnum, Alcuinum, Anselmum, Angelomum, Ambrosium, Ansbertum, aliosque innumeros in hoc studio diligentissimè versatos. Neque defuit nobis alter Hieronymus, qui Hebraismos, Hebræorumque Chronica, & Rabinorum aliquot tractatus Latinis auribus daret, Gilbertus Genebrardus, hæreticorum expugnator acerrimus, & scriptis suis orbi notissimus.

Ex Benedictinis decem totam S. Scripturam interpretati sunt.

Alij in hoc studio nobiles.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

OCTAVVS FRVCTVS.

Iuris Canonici collectio & interpretatio.

Quæ præstiterint Benedictini in Iure Canonico.

VTILEM toti Ecclesiæ, ac præsertim Iuriscõsultis operam nauasse Benedictinum Ordinẽ, nemo non fatebitur, qui considerauerit ab eo profluxisse tot Canonum, ac Decretorum Collectores, & clarissimos Pontificij Iuris Interpretes. Inter eos autem, qui sacros Canones collegerũt, primo loco Cardinalis Baronius ponit B Dionysium Exiguum, nostri Ordinis Abbatem. Tertio loco Martinum Dumiẽsem ac Bracarensem Episcopum. His addẽdus sextus, S. Burchardus, qui libros viginti ex SS. Patrum, & Generalium Conciliorum sententijs, ac Pontificum Decretis composuit. Quantus verò fuit Gratianus, qui nobile illud opus de Concordantiâ discordantium Canonum, siue quod Decretum appellatur, compilauit: quo Juris Canonici Professores, præcepto Eugenij III. in scholis vtuntur. Cuius gloriam æmulatus est C Ioannes Abbas Niuicellensis, qui præclarum opus, & à nullo alio tentatum, Bibliæ, scilicet & Canonum concordantiam, posteris reliquit. Quem alius Abbas Lapus nomine, secutus est, qui omnium primus Sextum Decretalium, & Clementinas exposuit. His omninò par, vel etiam maior fuit Nicolaus Tudescus, Abbas Catanensis, & Archiepiscopus Panermitanus, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, qui octo Tomis quinque Decretalium libros, Clementinas, aliaque multa ad Pontificium Jus spe- D ctantia explicauit.

Baron. anno 527.

S. Burchardus.

Gratianus.

Panermitanus.

NONVS FRVCTVS.

Historiarum conseruatio.

Benedictinorum industriæ fortunatam debemus Historiam.

EA fuit Benedictinorum Cœnobitarum in annotandis rerum suo, & præcedenti tempore gestarum historijs, diligentia, ea in describendis, vel in Epitomen contrahendis priorum chronographorum monumentis fidelitas; vt penes eos veterum Annaliũ repositorium, & Sanctæ Ec- E clesiæ Archiuum fuisse videatur. Hinc scilicet prodierunt Chronographiæ & Chronica nostrorum Mariani Scoti, Hermanni Contracti, Reginonis Abbatis, Lamberti Schafnahurgensis, Anastasij Bibliothecarij, Sigeberti Gemblacensis, Leonis Ostiensis, Petri Diaconi, Dodechini, Roberti Montensis, Aimoini, Roberti Remensis, Ioannis Trithemij, Helinaldi-Matthæi Paris, Matthæi Westmonasteriensis, Thomæ Walsinghami, Witichindi, Pauli Lãgij, Genebrardi, & aliorum plurimorum. Quid? quòd

A plerææque Sanctorum vitæ, quas Surius refert, à Benedictinis Monachis scriptæ legantur.

Ipsorum Martyrologia.

Qui verò Martyrologia scripsêre, soli pænè Benedictini fuerunt. Venerabilis scilicet Beda, Florus, Vsuardus, Wandelbertus, Ægidius de Dammis. Addendum denique, quod ad omne disciplinarum genus spectat, tradi à nostro Wiono ex historicorum fide, fuisse nostri Ordinis quindecim millia Auctorum, scriptis & eruditione celebrium. Nec silẽtio prætereundum, B à nostris veterum Patrum monumẽta potissimùm conseruata esse, quę vel ipsi ante exortam typographiam describebant, vel à suis discipulis exarari curabant. De his enim in Floriacensi Bibliothecâ ad vitam S. Abbonis sic annotauit Ioannes à Bosco: *Scholæ quondam adeò insignes atque celebres, in Cœnobio Floriacensi habebantur, vt scholasticorum plus quinque millibus recenserentur. Hi Didascalis suis, muneris honorarij gratiâ, pro candelis, Edictisve, in Parisiensi Academiâ, nostrâ ætate, Classium moderatoribus exhiberi con-* C *suetis: bina manuscripta (eò quòd necdum typographica ars emerserat) offerebant volumina. Quorum numerositas, locupletissimam Floriacensem conflarat Bibliothecam.* Hæc ille.

Scriptorum numerus.

Wion lib. 2. cap 61.

Et litteras seruandis ratio.

Ad vit S. Abbon. c. 1.

DECIMVS FRVCTVS.

Cultus Deiparæ Virginis propagatus.

CVM Spiritu Sancto inspirante, scriptum sit: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem.* Benedictini Monachi volentes habere thesaurum in Cœlis, D summo studio & industriâ conati sunt Sãctissimam Deiparentem Virginem *Mariam* honorificare. Ipsa enim rectiùs, quàm Eua, *Mater viuentium* est appellata; quia vt Epiphanius ait: *Ab eâ vita mundo genita est, & per eam Filius Dei venit in mundum.* Hanc igitur Saluatoris nostri, omniumque in eum credentium Matrem, præcipuo deuotionis affectu nostri semper & coluerunt, eiusque cultum, quantum in ipsis fuit, longè latèque propagarunt. Atque vt Christus Dominus vitæ suæ scriptores E quatuor habuit Euangelistas, & Ecclesiã quam acquisiuit sanguine suo, totidẽ præcipuos agnoscit Doctores; ita à Benedictino Ordine gloriosa Regina Cœli quatuor accepit laudum suarum egregios Præcones, & Doctores verè eximios: Ildephonsum Toletanum, Anselmum Canturiẽsem Archiepiscopos, Rupertum Tuitiensem, & Bernardum Claræuallensem Abbates, quos vulgò *S. Mariæ* Sacellanos nuncupãt, & verè passis velis in eius laudibus deliciosissimè spatiantur.

Eccli. 3.

Epiph. l. 3. hæres. 78.

Benedictinorũ in propagando B. Mariæ cultu studium.

Doctores Deiparæ.

Nec defuit aliorum Nostrorum circa eiusdem

eiusdem Virginis venerationem studium.

Atque vt ab Apostolicâ Sede incipiamus, S. Gregorius Magnus cum solemnes illas Supplicationes instituisset, in quibus B. Virginis Imago à S. Lucâ delineata præferebatur, quæ pestem quaquauersum auertebat: cùm Angeli Canticum illud, *Regina Cœli lætare, Alleluia* &c. canerent, ipse subiecit: *Ora pro nobis Deum, Alleluia.* Idemque in capite Litaniarum tertiò eam inuocari voluit, creberrimasque Stationes ad eius templum instituit. Officium Circumcisionis Domini, siue Octauæ Natiuitatis, cùm collectâ, *Deus qui salutis æternæ*, ad eiusdem honorem composuit. Bonifacius IV. Gentilium Deorum templum, quod *Pantheon* dicebatur, Deiparæ Virgini, omnibusque Martyribus dedicauit: quod inde SANCTA MARIA *ad Martyres* dictum, nunc ab ædificij formâ, S. MARIA *rotunda* nuncupatur. Octauam *Assumptionis B. Mariæ* Leo IV. instituit: Officium *S. Mariæ in Sabbato*, & præfationem illam, *& te in Veneratione* B. MARIÆ, Vrbanus II. cui etiam *paruum Officium* tribuitur; licet alij illud S. Petro Damiani, itidem Benedictino adscribendum putēt. Eiusdem inuentum est pulsus matutinus, & vespertinus, in honorem Virginis Matris, quē restituit, ac meridiano pulsu auxit Gregorius IX. itidem Benedictinus. Abstinentiā à carnibus diebus Sabbati, in honorē eiusdē Sanctissimæ Virginis Gregorius VII. in Ecclesiam introduxit. Innocentius IV. ad Festum *Natiuitatis B. Mariæ* Octauam adiunxit. S. Ildephonsus Festum *Expectationis B. Mariæ* Virginis in Hispaniâ instituit, vti S. Anselmus Festum *Conceptionis*: atque alius quidam Abbas S. Nicolai, primarius Auctor fuit institutionis Festi *Præsentationis* S. MARIÆ. *Rosarij* quoque inuentionem, siue Coronæ Marianæ, cuidam Petro Monacho Benedictino tribuit Pontacus in Chronologiâ, Polydorus Vergilius, & ex ijs noster Wion. Quam verò gloriosum est, à nostro Hermanno Contracto dulcissimam illam Dei Genitricis salutationem, SALVE REGINA, Ecclesiam habere, & toties cum gaudio & fructu illi recitare! Postremum verò illud Epiphonema, *O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!* S. Bernardus Spiræ existens adiecit. Idem Contractus alteram quoque Antiphonam, *Alma Redemptoris Mater*, Sacratissimæ Virgini meritò consecrauit, à quā ingenium, & Sapientiam acceperat. Decantatissimum illum in totâ Ecclesiâ Hymnum, *Aue Maris Stella*, Beato Bernardo acceptum ferimus.

Gregorij Magni affectus in eamdem.

Bonifacij IV. & aliorum Pontificum.

Festa plurima B. Virg. à Benedictinis instituta.

Polydor. de Inuent. rerum lib. 10. cap. 1. §. 4.

Auctor Salue Regina.

Admirabilis prorsus est pietatis affectus, quē erga Cœli Reginam habuit, aliosque docuit S. Gerardus Episcopus, Hungarorum Apostolus & Martyr, qui cōsecratā A in honorem Sanctissimę Virginis pulcherrimā Ecclesiā, eius deuotione ita renebatur, vt ne nominare quidem eam vel audire, sine Lacrymarum profusione valeret: & quod maius est, ad eiusdem Sacratissimæ Virginis cultum promouendum, per singulas suę Diœcesis Ecclesias, Sabbatum diem in eius honorem sacrum instituit; & vt eumdem omnes sub officio nouem lectionum, sicut in die Assumptionis celebrarent, præcepit: tantamque in animis Hungarorum, ipsinsq; Regis pectore, huius Sacræ Virginis deuotionem excitauit; B vt & ipsius Regis familia, totaque Pannonia, *S. Mariæ familia* appellata sit: & insuper ab ipsis Hungaris, in quorum ore nomen eius non auditur, sed tantùm DOMINA, pro Patronâ & protectrice in perpetuum electā. Qui verò de eā loquēs, *Dominæ* nomen tacuisset, ei ex Gerardi lege genua ilicò flectenda erant, & corpus humi prosternendum. Ad eiusdem Virginis aram thuribulum argenteum collocauit, duosq; prouectæ ætatis homines adhibuit, qui perpetuò vigilarent, darentque operam, ne C vnquam thimiama deficeret. Ad eandem cum sacrâ pompâ, & supplicatione post Matutinas & Vespertinas preces veniebat. Nihil vnquam denegauit, quod S. MARIÆ nomine peteretur; adeò vt sontes impunitos dimitteret, si errati veniam Sacrosanctæ Virginis interposito nomine postulassent.

S. Gerardus eximius B. Mariæ cultor.

Surius 14. Septemb.

Hungari B. Virginem Dominam vocant.

Quid referam Ioscionem, Bertinianum Monachum, qui Sacratissimum Virginis nomen tot Psalmis, quot litteras continet, suo exemplo honorandum docuit? quàm D verò id gratū Virgini *Mariæ* fuerit, quinque Rosæ, quæ super demortui faciem inuentæ sunt, & in medio earum aureis litteris exaratum dulce nomen MARIA, satis superque declararunt. Odiloni quoque Cluniacensi Abbati tanta in Virginem pietas fuit, vt cùm in choro psallentium ad illum versum ventum esset, *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum*, sese protinus in terram prosterneret; quod S. Lutgardem quoque fecisse, suumque Confessarium Thomam Cantipratanum edocuisse, accepimus. Solemne E item Cluniacensibus fuit, quotidie sacrum de Beatā Virgine decantare, & in Ecclesiā infirmorum, quæ in eius honorem consecrata erat, quotidie horæ de Domina ab alijs, quàm qui in conuentu publico horas persoluebant, decantabantur. Ne longior sim, omitto plurium nostrorum Hymnos, Prosas, Cantica, Homilias, aliaque ad sanctissimæ Virginis honorē excogitata: mira item obsequia à S. Petro Damiani, S. Gertrude, & Mechtilde, alijsque pluribus delata.

Ioscionis in eamdem pietas.

B. Odilonis. S. Petr. Damiani in vitâ.

Et Cluniacensium.

Aliorumq.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

lata. Hæc autem paulò fusiùs prosecutus sum; vt Benedictam inter mulieres Matrem, à Benedictino Ordine maximi habitam, semperque cultam fuisse, nec posterioribus Ordinibus nostrum hac in parte quidquam cedere, sed exemplo potiùs præluxisse, ostenderem.

VNDECIMVS FRVCTVS.

Ecclesiast. 47. v. 12.

QVOD in Regij Prophetæ laudibus positum legimus. *Dedit in celebrationibus decus.* Id ad Ordinem nostrum non iniuria transferre quoque possumus. Nam B sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Horarum Canonicarum officium, eorumdemque ritus & cæremoniæ potissimùm instituta atque amplificata sunt à S. Gregorio, qui ex nostro Ordine Pontifex Maximus exstitit. Ille verò *Introitum*, prout nunc dicitur, *Alleluia, Tractus, Collectas, Orationes secretas, Post communionem* composuit. *Offertorium* post Euangelium fecit, & decantari iussit. *Præfationes* plures fecit: in Canone verba illa: *Diesque nostros in tuâ pace disponas*, &c. apposuit. Orationem Dominicam, cùm C humili illa præfatione, *Præceptis salutaribus moniti*, &c. in Missa dici instituit; & plura alia, quæ in eiusdem Antiphonario, & Sacramentorum libro videre est. *Breuiarij* totius ordinatio ab eodem facta est, atque ex B. BENEDICTI Regula supplet, vt Horis singulis præponeretur: *Deus in adiutoriū meum intende.* Idem ieiunium Aduentus, & Officium Dominicarum eiusdem, Officium item Commemorationis S. Pauli, & Dedicationis Ecclesiæ, Litanias Maiores, Stationes ordinauit. Ab eodē habemus piam D illam cæremoniam imponendi cineres in capite Ieiunij, Adorationis S. Crucis in die Parasceues, Lotionis pedum in Cœnâ Domini. Idem Cantum firmum, qui ab eo *Gregorianus* dicitur, in Ecclesiam inuexit, & Cantorum scholas excitauit. Missæ triginta pro defunctis, ab eo etiam *Gregorianæ* dictæ inueniuntur.

Quæ circa diuinum officium instituerit S. Gregorius.

Sequentiæ in Missâ à Notkero nostro compositæ.

Vt verò ad alios progrediamur, Notkerus, S. Galli Monachus, inuenit composuitque Prosas, siue sequentias, quæ inter Alleluia & Euangelium decantari solēt. quas E Nicolaus Papa I. approbauit. Gregorius IV. festum omnium Sanctorum: S. Odilo Cluniacensis Abbas Commemorationem Fidelium Defunctorum, Guido ex Generali Cisterciensis Ordinis Abbate S. R. E. Cardinalis Diaconus, pium ritum pulsandi campanulam ad eleuationē sacræ Hostiæ, & cum eâdem ad infirmos defertur, adinuenit. Hymni, *Vt queant laxis*: Paulus Diaconus, Cassinensis Monachus auctor fuit. Theodulphus Aurelianensis Episcopus hymnum, *Gloria, laus, & honor*, quem in Do-

Et alia ab alijs.

A minicâ Palmarum Ecclesia canit, item, & alterum, *Vexilla Regis prodeunt*, composuit. Officium SS. Trinitatis, & S. Stephani Alcuinus Abbas Ecclesiæ dedit. Atque alij alia.

DVODECIMVS FRVCTVS.

Benedictinorum inuenta.

VLTIMVS sic fructus variarum & vtilium rerum, quas nostri vel adinuenerunt, vel illustrarunt, fasciculum floridum exhibebit, quorum in superioribus nulla facta mentio. Michael igitur Floren-B tinus, Camaldulensis Eremita, Coronam Christi Domini inuenit; qua trigintarti-bus Orationibus Dominicis, & quinque salutationibus Angelicis annos vitæ Saluatoris nostri veneramur. Quod salutare inuentum Leo X. diplomate suo confirmauit, & Indulgentijs exornauit. Gerbertus Episcopus Rhemensis, qui posteà Pontifex maximus, Siluester II. est appellatus, Horologia, & Organa hydraulica composuit. Et quamuis de ijs Vitruuius meminerit; neglectam tamen, & ab hominum me-C moria absconditam praxim Siluester in vsum reuocauit: qui etiam plura scripsit de Arithmeticâ, de Sphærâ, & compositione Astrolabij. Guido Abbas notas Musices, *Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La*, adinuenit, Manum prætereà, vt vulgò vocant, per litteras flexuris digitorum sinistræ manus adiungere docuit, ex quibus, vt omnes fatentur, facillima reddita est Musicæ institutio. Dionysius Exiguus Cyclum Paschalē, & morem computādi annos à Natiuitate Domini N. IESV CHRISTI primus excogitauit, quo D duo bona Ecclesiæ inuexit: Primum, vt memoria Diocletiani tyrāni, à cuius Principatus initio anni denominabantur, tolleretur, & beneficium Incarnationis mēti nostræ obuersaretur. Ptolomæi Tabulas, totamque Cosmographiam reparauit Nicolaus de Donis, Monachus Richenbacensis, Congregationis Bursfeldensis. At quantus, quæso, fuit Constantinus Afer, sacri montis Cassini Monachus, verè Polyglottos; qui Hebræam, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Persicam, A-E rabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, & Indicam linguam perfectè nouerat? Hic Grammaticâ, Dialecticâ, Rhetoricâ, Geometriâ, Mathesi, Astronomiâ, Musicâ, Physicâque Chaldæorum, Arabum, Persarum, Saracenorum per triginta nouem annos edoctus, Orientis, & Occidentis Magister, nouusque Hypocrates orbi effulsit. Factus enim Monachus, ex diuersarum gentium linguis plurima transtulit, ipseque alia ad Medicinam pertinentia conscripsit. Ciceronianam Eloquentiam Ioachimus Perionius imitari studuit, dum quędam Aristo-

telis,

Corona Christi.

Horologia.

Vitru. lib. 9. cap. 9.

Musica.

Cyclus Paschalis.

Illustrata Cosmographia.

Linguæ orientales.

Medicina.

Eloquentia.

telis, & Porphyrij nitido & eleganti stylo è Græco in Latinam linguam transtulit. Iustinum quoque Martyrem interpretatus, alia quoque plura conscripsit.

Benedictinæ Prophetides IV. Coronidis loco subijcio quinque prudẽtes Virgines, veterum Sibyllarum æmulas, ijsq; Sanctitate longè maiores. S.Elisabeth Schonaugiæ Abbatissam, S.Hildegardem, S.Gertrudem itidẽ Abbatissam. S.Mechtildem & Roswidem Sanctimoniales: quarum priores quatuor prophetiæ spiritu, Sanctitatis gloriâ, & litterarum monumentis clarissimæ fuerunt. *Roswidis doctissima.* Roswidis verò Poetria, Græcè, & Latinè doctissima, Oratores dicendi arte supergressa, Poëtarum sui temporis nulli inferior, multa versibus composuit, Virginesque sacras ad Continentiam hortando, Comœdias sex composuit, Laudes B.Virginis, & S.Annæ, aliorumque Sanctorum diuerso metri genere. Quamuis autem gentilis vates cecinerit, haud sibi placere fœminam, quæ

Iuuenal. Satyr. 6. ——— *curtum sermone rotato*
Torqueat enthymema.

Nobis tamen hæc, & quæcumque ei similis, meritò videtur eximium Ordinis nostri ornamentum, &

Gloria fæminei, & decus admirabile sexus.

Atque hi sunt amplissimi *Fructus*, quos in Ecclesiæ Paradiso magnâ copiâ attulerunt Benedictinæ arbores, plantatæ secus decursus aquarum, quæ fluunt impetu de Libano; consitæ, inquam, iuxta fluuium Regulæ, qui à S.BENEDICTO Montis Libani nomine designato, impetu quodam descendit, ad cuius humorem arbores hæ radicem mittentes, omnem ab eo vigorem & fructum acceperunt. Vnde de Beatissimo P. N. BENEDICTO Isaias vaticinatus fuisse videri posset, cùm ita ait. *Isai. 43. 5. cap. 44. 3.* Ab Oriente adducam Semen tuum, & ab Occidente congregabò te. *Effundam* Spiritum *meum super* Semen *tuum, &* Benedictionem *meam super* stirpem *tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Ad dexteram enim, & ad Lauam penetrabis: & SEMEN tuum gentes hæreditabit, & Ciuitates desertas inhabitabit. Et ponam vniuersos filios tuos, doctos à Domino: & multitudinem pacis filijs tuis.* *Cap. 54.* *Cap. 65.* *Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione: quia* SEMEN BENEDICTORVM *est, &* NEPOTES *eorum cum eis.*

DISQVISITIO II.

An S.BENEDICTI REGVLA *perducat ad Regnum Cœlorum?*

OMNIVM, quas hactenus enumerauimus Laudum atque excellentiarum, hæc vna facilè princeps est, quod *Regula* S.BENEDICTI Obseruatorem suum rectà ducat, atque etiam introducat ad Regnum Cœlorum. *DE REGVLA S. BENEDICTI.* Quantum enim exaltatur Cœlum à terrâ, tantùm hæc prærogatiua omnibus aliis anteſtat. Quid enim aliud est *Regula*, nisi spes salutis, arrha gloriæ, pactũ æterni fœderis, Clauis paradisi, via Regni Cælestis? *Cœlum ferventibus Regulam promissum.* Spes, inquam, est salutis; quia ideò nos Regulæ subdidimus, *Vt ab ipsius Magisterio nunquam discedentes, & in eius doctrinâ vsque ad mortem in monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus; vt regni eius mereamur esse consortes.* *Prolog. Regul.*

Atque vt recens quidam Scriptor: Credere ac profiteri quisque Religiosus de suâ *Regulâ* debet, quod eâ ingrediens, & sine errore, & cum magno lumine, magnâ etiã & perpetuâ voluptate, ad immarcessibilem cælestis patriæ voluptatem perueniet. *Hieronym. Plat. lib. 1. de bono stat. Relig. cap. 41.* Arrha est gloriæ, & pactũ fœderis æterni, quia qui Regulam hanc profitentur, cum Deo pactum ineunt; vt pro regulari obseruantiâ æternæ vitæ conferat gaudiũ. Hoc verò pactum Deus libentissimè admittit. *Omni enim vouenti Deo*, vt ait S. Fulgẽtius, *& reddenti quod vouit; ipse quoque Deus reddet Cælestis Regni præmia quæ promisit.* *Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 1.* Huius autem promissionis pignus & arrham in Sacrâ Regulâ nobis exhibuit. Clauis deinde est Paradisi, huius enim portas sicuti primorum Parentum transgressio nobis occluserat; ita mandatorum Dei obseruatio easdem nobis recludit, idque de suâ *Regulâ* Sãctissimus Legislator noster apertè significat, cùm ait: *Admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* *Prolog.* Regulæ ergò obedientia obserata Paradisi ostia referat atque patefacit. Via postremò est regni cælestis, quia ad eam rectà ducit. Hæc est enim arcta via, quæ ducit ad vitam. Vnde optimè suos discipulos Beatissimus Magister monuit: *Si quid paululùm restrictius (dictante æquitatis ratione) propter emẽdationem vitiorum, vel conseruationem charitatis processerit; non illicò pauore perterritus refugias* VIAM *salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda.* *Ibid.* Finemque iungens principio, optimè de hâc *viâ* concludit: *Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice.* *Cap. 73.*

Verùm, ne verbis tantùm quantumuis verissimis hanc cælestis hæreditatis promissionẽ adstruamus; Cæleste prodigium in medium adferemus, quo Diuinæ bonitati placuit eam omnibus reddere certissimam. Adferemus autem non ex nostrâ interpretatione, sed eorum, quorum auctoritas in Ecclesiâ est multo maxima, & Sanctitas

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Regula S. Benedicti Scala in Cœlum.

Sanctitas notissima, Sanctorum scilicet A Gregorij Magni, & Bernardi Abbatis, qui *Regulam* nostram tanquam scalam in Cœlum porrectam, per quam S. BENEDICTVS ascendisset, describit: quod eius verbis etsi plusculis hîc describendum duxi. *Humilitatis gradus ille Iustorum omnium spiritu plenus in Regulâ suâ tradidit verè per omnia* BENEDICTVS. *Ille enim spiritualem nobis erexit scalam: cuius vtique summitas cælos tangit, quod in eius glorioso transitu euidenti legimus miraculo commēdatū, B. Papâ Gregorio sic scribente. Inter discipulorum manus imbecillia mēbra sustentans, erectis in cælum manibus stetit,* B *& vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Quâ scilicet die duobus fratribus, vni longiùs posito, alteri autem in cellâ commoranti, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strato pallijs, & innumeris corusca lampadibus via, rectò Orientis tramite ab eius cellâ in cælum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent inquisiuit. Illi verò se nescire professi sunt. Quibus ille ait: Hæc est Via, quâ dilectus Domini Cælum* BENEDICTVS *ascendit. Quæ est enim Via ab* C *eius cellâ prodiens, nisi Ordo quem idem vir Beatus instituit, & forma vitæ quæ ab eo sumpsit exordium? Quâ nimirum viâ Domini dilectus ascendit, quia non potuit vir Sanctus aliter docere quàm vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius vtcumque student inhærere vestigijs, ipsum præceptorem præuiumq; sequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium potest, quia omninò sacer sit modus conuersationis, & diuinâ magis inspiratione atque consilio, quàm humanâ prudentiâ vel adinuentione formatus, quo nimirum tan-* D *tam in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem verè* BENEDICTVS *obtinuit.* Hactenus Bernardus.

Bernard in declamat. Ecce nos reliq.

Petr. Damiani opusc. 36. cap. 16.

Cuius sermonem luculento testimonio S. Petrus Damiani confirmat, atque hoc nomine fælices Cassinenses, adeoque omnes Benedictinos censens, instar Reginæ Sabæ exclamat: *Beati qui vobiscum viuunt! Beati qui inter vos, & in sanctis operibus vestris moriuntur! Piâ nimirum fide credendum est, quia Scala illa, quæ de Cassino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadi-* E *busque coruscat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem: nec ab eius glorioso tramite exorbitāt declinantes iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viuerent, vestigia sunt secuti.* Hæc ille.

Birgitta l. 3. reuel. cap. 21.

Quæ etiam Deipara Virgo Maria apud S. Birgittam, confirmat, sic loquens: *Cùm his ignibus incœpit Religio* BENEDICTI, *quæ vnumquemque iuxta dispositionem & capacitem sensus sui dirigebat in viam salutis & æternæ felicitatis.*

Numerus Sanctorum Ordinis D. Benedicti.

A Sed quis vel mente complectatur innumerabilem prorsus numerū SS. militum, qui Ducem secuti per hanc *Scalam* ad cælestia tabernacula ascenderunt? De Sancto enim BENEDICTO ita cecinit Mantuanus:

Mant. lib. 3. Fastor.

Progenies huius longos imitata per annos
Acta Patris Diuos auxit, ditauit olympum
Ciue nouo.

Et alius quidam:

Iste quot indigites! quot Diuos protulit Ordo!
Vix fasti capiunt numerum; sunt æthere plures,
B *Quàm qui Sanctorum sunt in monumenta relati.*

Vix iniri potest.

Pett. Damiani homil. 9. de S. Benedict.

Petrus autem Damiani multitudinem Sāctorum ex Ordine Sancti BENEDICTI admiratus, ita ait: *Solus iste militarem manum excelso Principi cæteris abundantiùs præsentabit, & Monachorum turmis, Angelorum more viuentibus, cælorum adimplebit palatia. Quam igitur refulgens, & splendidus miles astabit imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus?*

C Vt autem quæ de innumero pæne nostrorum Sanctorum numero tradita accepimus, hîc recenseamus; scribit Wionus eum tantum fuisse, vt secundum Trithemium millenariū quintumdecimum, iuxta Petrum Messiam, trigesimum, secundùm alios, trigesimū septimum, & iuxta Petrū Bugianum, quinquagesimum excedere feratur. At Antonio Yepez numerus quinquaginta quinque millium Sanctorum satis exiguus videtur, certoq; credit multò plures omninò fuisse. Quod ne cui fidem excedere videatur, aut per hyperbolen ni- D miâ exaggeratione dictum, duobus ex capitibus astruere conatur. Primum ex multitudine Monasteriorum, quę noster Ordo obtinuit. De quibus Folengius explanans illum versiculum: *In conuertendo populos in vnum*, scribit: Pontificia decreta referunt, vno eodemq; tempore Benedictini instituti fuisse supra septem & triginta millia Cœnobiorum, quas Abbatias vocari libuit. Quibus Antonius de Yepez putat Prioratus, & Monialium Monasteria non connumerata, quorum illi quatuordecim millia, E hæ verò quindecim millia aliquando habuerint. Et Genebrardus in suâ Chronologiâ ad annū Domini 524. non longè ab hoc numero recedit. Hanc porrò multitudinē non credit per excessum expressam; tum quia præter Ordinem nostrum aliquot seculis vix aliquis in Ecclesiâ viguerit, atque ita omnia Monasteria eiusdem fuerint Ordinis. Vnde in solâ Viennensi Diœcesi Surius in vitâ S. Clari Abbatis, refert sexaginta Cœnobia fuisse: tum quia Ordo per totum mūdum propagatus fuit, vt per Apostolos

Yepez ann. 545. *Videtur excedere LV m.*

Probatur I. ex multitudine Monasteriorum.

Foleng. in Psalm. 101.

Quæ ingens.

Nec supra fidem.

Sur. 1. Ian.

stolos nostros, qui varijs locis Euangelium disseminarunt, passim multiplicata fuerūt Monasteria; quorum alia Cathedralium Ecclesiarum, alia Parochialium loco erant, atque ita nostri multis locis totum Clerum constituerint, omniaque ea obierint munia, quæ iam vel sæcularis Clerus, vel diuersorum Ordinum Religiosi laudabiliter exercent: tum etiam quod singulorum Ordinum ac Congregationum sub Regula S. BENEDICTI militantium plurima referantur fuisse Monasteria. Cistertiensium fuerunt quatuor millia Monachorum, & sex millia Monialium Cœnobia; quibus si aliarum Congregationum & ordinum, atque etiam plurima, quæ à nullâ Congregatione dependent, adiiciantur; magnum sine dubio numerum effecerint.

II. *Ex Monachorum infinito numero.* Alterum caput statuit noster Chronographus infinitam quasi Monachorū multitudinē, quam partim ex iam dicto Cœnobiorum numero, partim ex historiis colligere liceat; aitque sine auxesi dici posse, fuisse tempus, quo tot fuerint nostri Ordinis Monachi, quot iā in omnibus aliis Ordinibus simul sumptis Religiosi numerentur. In Hispania enim in Monasterio S. Petri de *Cardenâ*, reperit fuisse ducentos. In S. Petri de *Arlancâ*, ducentos quadraginta. In *Alcobaßio*, nongentos nonaginta nouem. In Francia, vt ex vitâ S. Clari Surius refert, in aliquibus Monasteriis quingenti, aut sexcenti Monachi erant. Vno quoque tempore in sua Claraualle septingentos S. Bernardus habuit. In S. Germani de Pratis, centum viginti nutriri solebant. In Dunēsi Monasterio, refert Meyerus olim fuisse trecentos sexaginta. *Meyerus ann. 1391.* In Monasterio de *Poblet* in Catalauniâ, vsque ad quingentos. In Luxoniensi Abbatiâ, tempore S. Columbani erant trecenti, & tempore S. Eustasij sexcenti. *Ibid.* In Gemmetico, teste Meyero, erant nongēti ad chorum professi, vltra mille quingentos laicos. In Fuldensi Monasterio, exceptis conuersis, iisque qui diuinis Officiis destinabantur, quadringenti Monachi studiosi residebant. In Benchorensi Monasterio, vt S. Bernardus refert, *Bern. in vit. S. Malac.* tria millia Monachorum exstiterunt, qui succedentibus sibi vicissim choris continuarent solemnia Diuinorum; ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacarent à laudibus: qui psallendi modus *laus perennis* dictus est, & in pluribus Ordinis nostri locis vsitatus, nominatim in Agaunēsi, quod S. Mauritij dicitur, & S. Medardi.

Et Sanctimonialium. Neque exiguus fuit Monialium numerus. Lugduni enim S. Salaberga sub se habuit trecentas. *Sur. 17. Septemb.* S. Flora Parisiis totidem, vt auctor est S. Antoninus. In Monasterio *Wimbum*, quingentæ erant: & S. Florentia SS.

A Leandri & Isidori soror, præerat mille Sanctimonialibus, in quadraginta Monasteria distributis. *DE REGVLA S. BENEDICTI.*

Ex his porrò duobus capitibus colligi vult immensum Sanctorū numerum, cùm magna passim viguerit sanctitas: quòd si in singulis Monasteriis vnus atque alter tantùm fuisset Sanctus; vel sic magnus conficeretur numerus. Quid igitur dicendum erit, cùm aliqua centurias aliquot, & chiliades Sanctorum dederint? Sacrum enim Cassinense Monasterium quinquies mille, *Sancti Meßis Cassini plures V. m.* B quingētos, & quinquaginta quinquè Sanctorum numero adscriptos computat, vt antiqui versus indicant.

Metis, & inuicte Christi verna BENEDICTE,

In Cælo sisti, tot Fratres promeruisti;

Quingentos quinque quingenos millia quinque,

Ad te translatos, priùs omnes canonizatos.

Alij aliorum Cœnobiorum. His porrò iungamus Monachos nongentos in Benchorensi Cœnobio à Pictis occisos fuisse, alios item nongentos à Danis in *Wion in Prologo Martyrol.* C Gemmeticensi, mille & ampliùs iterum à Danis in Angliâ, cum Sanctâ Leofronâ Abbatissâ, Turonis à Normannis centum & sedecim, Floriaci sexaginta; *Martyres.* Messanæ vsque tertiò à Piratis, & Lerini ab infidelibus, in S. Vincentio propè Vulturnum, à Saracenis, nonantulæ, ab Hūgaris, & aliis in Cœnobiis, tam virorum, quàm mulierum, infinitos ferè per Martyrij gloriam ad cœlos euolasse. Et iam dictum Gemeticum *Sur. 15. Septemb in vitâ S. Aicardi.* vno die quadringētos quinquaginta Confessores cœlo dedit, quæ res valdè admi- D rabilis legi potest apud Surium.

Confessores. Hisce demum si annumerentur Pontifices, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Monachi, Sanctimoniales, & Conuersi in numerum Sanctorum sub Confessorum nomine relati; quis non videat facilè ad eum numerum summam peruenturam, quem noster Historicus assignauit. Sed te toto numero nil certius affirmari posse arbitror, quàm si cum Discipulo, quem diligebat IESVS, dixerimus esse *turbā magnam*, *Soli Deo cogniti.* *quam dinumerare nemo poterat*, nisi ille, *cui* E *soli cognitus est numerus electorum in æternâ felicitate locandus*; qui omnium nomina in libro vitæ descripta tenet.

Et nobis prolucent. Atque hæc quæ de Sanctorum Ordinis nostri multitudine hactenus dicta sunt, non eò tantùm faciunt, vt Ordinis splendorem magnificè commendent; sed insuper magnæ omnibus in eo degentibus consolationi sunt, quod animaduertant se sub eâ Regulâ Deo militare, per cuius obseruantiam tam innumerabiles cœtus æternæ gloriæ hæreditatem adepti sunt. Quin & illud accedit, quod tot viæ spiritualis

DE REGVLA S. BENEDICTI. tualis habeant Duces ac spirantes Monasticæ pietatis imagines, tot item apud Deum Patronos & Intercessores, quot eiusdem secum professionis in Cœlo regnantes Sanctos venerantur ac colunt.

TRACTATVS V.

DE REGVLÆ

S. BENEDICTI Approbatione & Auctoritate.



EXCELLENTIAM *Regulæ nostræ ab ipso, ex quo profluxit fonte, Spiritu sancto, à varijs eiusdem Elogijs, ab vtilitate & fructibus, velut interna ipsius bonitatis luculentissimis testimonijs, comprobauimus. Nunc quæ ab externâ Approbatione, & quam passim obtinuit Auctoritate, eidem accesserit commendatio, inuestigabimus: quatuor hisce Disquisitionibus: Quarum* Prima inquirit, *Quàm variè* REGVLA S. BENEDICTI *approbata?* Secunda, *Quanta eiusdem Auctoritas?* Tertia, *Quibus versibus celebrata?* Quarta, *Qui Commentarijs, vel quouis modo eam illustrauerint?*

DISQVISITIO I.

Regula S. BENEDICTI *quàm variè approbata?*



Quadruplex Regulæ S. Benedicti Approbatio. DE Regularum *Approbatione* A primo Libro disquisiuimus; nunc iis suppositis, quàm variè, & quàm solenniter S. P. N. BENEDICTI *Regula* sit approbata, considerandum.

Prima ab Episcopis facta. Prima autem APPROBATIO ea censeri debet, quæ facta est ab Episcopis, in quorum Diœcesibus vel S. BENEDICTVS, vel Discipuli eius, vt S. Maurus in Galliâ, S. Placidus in Siciliâ, alij alibi, Cœnobia extruebant. B Nam cùm citra eorum consensum peculiaris viuendi forma introduci legitimè non posset; ipsam S. BENEDICTI Regulam, quam in Monasteriis obseruari videbant, vel expressè, vel saltem tacitè, eam scilicet tolerando, dicendi sunt approbasse. Quod tum maximè contigerit, cùm ab ipsismet Episcopis ad noua fundanda Monasteria, Monachi inuitabantur. C Sicut accidit S. Mauro, qui etiam Regulam S. BENEDICTI ex Italiâ secum in Galliam detulit: & ita in aliis de more factum, existimari potest. Neque tum temporis aliâ opus erat APPROBATIONE, cùm necdum exstaret decretum; quo talis APPROBATIO Sedi Apostolicæ reseruatur: quod ab Innocentio III. posteà emanauit, de quo videatur Suarez tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 17. *Cap. vlt. de relig. dom. in 6.*

Secunda à Ioanne III. Secunda APPROBATIO implicitè facta est à Ioanne III. circa annum Domini 562. nouemdecim scilicet post S. BENEDICTI obitum annis, viuente adhuc B. Mauro. Qui in Priuilegio, Monasterio S. Medardi (cuius etiam meminit S. Gregorius lib. 12. Epist. vltima) concesso, ita ait: *Monachi Deo vacent liberi, & per omnia Regulæ* S. BENEDICTI *artibus obedient sine vlla inquietudine.* Quod etiã refertur apud Choppinum, lib. 1. Monasticõn, tit. 2. num. 19. Hanc autem implicitam Regulæ APPROBATIONEM appellaui, quia ex eo quod Pôtifex mandet, vt *Regulæ obediant*; non censetur eam peculiariter voluisse approbare: licet virtualiter id fecisse putandus sit, aut suppossuisse eam iam antea fuisse probatam. Qui enim præscribere eam Monachis in Franciâ degentibus potuit, nisi eam Sanctam, & omni acceptione dignam iudicasset?

Tertia à Gregorio Magno. Tertia APPROBATIO fuit Gregorij Magni, ita loquentis: *Vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit* MONACHORVM REGVLAM, *discretione præcipuam sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eâdem Institutione* REGVLÆ *omnes Magisterij illius actus inuenire.* Hæc enim verba pro expressâ *Greg. Dial. lib. 2. cap. 36.*

expressâ. Regulæ nostræ approbatione adducuntur apud Tamburinium, tom. 1. de Iure Abbat. disput. 25. Quamuis Suarez tom. 3. de relig. dicat quòd Gregorius ibi Regulam non approbet vt Pontifex, sed vt Doctor, & Sanctus.

Quæst. 1. n. 256. lib. 1. c. 17. nu. 11.

Eadem plenior. Clarior proinde & celebrior REGVLÆ APPROBATIO facta est ab eodem S. Gregorio in Synodo Romanâ, vt refert Baronius, ad annum Domini 595. Cuius confirmationis tenor ex priuilegio Sublacensi Monasterio concesso sic se habet. *Tom. 8.*

Ego GREGORIVS *S. R. E. Præsul, scripsi* VITAM BEATI BENEDICTI, *& legi* REGVLAM, *quam ipse Sanctus manu propriâ scripsit; laudaui eam, &* CONFIRMAVI IN SANCTA SYNODO, *& per diuersas partes Italiæ, & vbicumque Latinæ litteræ legerentur,* PRÆCEPI VT DILIGENTISSIME OBSERVARENT, QVICVMQVE AD CONVERSIONIS GRATIAM *accessuri essent, vsque ad finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quæ ipse Sanctus construxit.*

Quæ in pretio fuit & æstimatione. Amplissima hæc APPROBATIO magni semper habita fuit: nam perhonorifica eius mentio fit in secundo Concilio Duziacensi, Anno 874. celebrato, vbi sic legitur: *Cæterum quoniam eadem Regula* (S. BENEDICTI) *à S. Spiritu promulgata, & laudis* AVCTORITATE *B. Papæ Gregorij inter Canonicas scripturas, & Catholicorum Doctorum scripta, est teneri decreta,* &c. Quod ait: *Canonicas Scripturas*; intellige non libros Scripturæ sacræ, sed vt Catholicorum Patrum scripta contra Apocrypha distinguuntur. Pluribus Rupertus Tuitiensis Gregorij APPROBATIONEM extollit verbis, ita scribens. *Scriptum est:* Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. *Dic mihi, Regulam Beati* BENEDICTI, *fateris esse de terminis quos posuerunt Patres? Primus beatus Gregorius de notissimis Patrum tuorum, vel Patrum nostrorum, est sedis Apostolicæ lampas splendida, & pro merito sermonis egregij, sanctæ vniuersalis Ecclesiæ columna argentea, & reclinatorium aureum, in quo sine dubio reclinauit se ipsa Sapientia. Hic dixit, & scripsit, quia* beatus BENEDICTVS omnium iustorum spiritu plenus fuit. *Et Regulam ab eo conscriptam primus ipse laudauit discretione præcipuam, sermone luculentam, & post illum cuncti Patres Apostolici, Christiani, omnes Catholici. Ergo Regula hic defenditur iure terminorum antiquorum, quòd eam nullâ vnquam nouâ traditione superductâ transgredi licet.*

Conc. Duz. cap. 7.

Rup. Tuit. in Reg. S. Bened. lib. 4. cap. 7.

Gregor. lib. 2. Dialog.

QVARTA APPROBATIO facta est à Zacharia Papâ, hoc tenore: *De Regula S. Benedicti Quarta Approbatio per Zachariam.*

ZACHARIAS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, OMNIBVS CHRISTI sanguine redemptis salutem & Apostolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quòd gloriosus in Sanctis suis atque mirabilis est; & virtutes ac dona ineffabili largitate dispergit. Ipse quippe beatissimum BENEDICTVM *Patrem omnium constituit Monachorum. Ipse illius meritis Casinense Monasterium, in solo Tertulli Patricij fundatum, omnibus per totum orbem Cœnobijs clementi benignitate præfecit: vbi ipse Sanctus* MONACHORVM REGVLAM *scripsit, quam Sanctæ memoriæ Prædecessor noster Gregorius in libro Dialogorum satis* APPROBAT *& laudat, & nos* APPROBAMVS, *& laudamus, &* SANCTAM CONSTITVIMVS *& ordinamus, in dedicatione eiusdem Ecclesiæ, dum ibidem, cum tredecim Archiepiscopis, & sexaginta octo Episcopis adessemus.*

Quæ priores sint aliorum Ordinum approbationes. Hæ autem *Approbationes* aliorum Ordinum præcesserunt. Basilius enim, & Augustinus (vt ait Bellarminus) nullam leguntur à Pontifice *Approbationem* quæsiuisse; propterea quòd nondum extaret Ius Ecclesiasticum id præcipiens. Huius autem Benedictinæ Regulæ APPROBATIONIS non meminisse videtur R. P. Petrus Marchant, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ Definitor Generalis, dicens: Regula S. Francisci prima est, quæ vnquâ à Summo Pontifice approbata fuit. Sed fortè intellexerit S. Franciscum inter Ordinum Fundatores primum esse, qui Regulæ suæ Approbationem à Sede Apostolica petierit.

Lib. 1. de Monach. cap. 4.

Expofit. in cap. 1. Reg. S. Franc.

DISQVISITIO II.

Quanta Regulæ S. BENEDICTI *auctoritas?*

MAGNVM Dominicanæ familiæ ornamentum, Humbertus, vir pietate & doctrinâ illustris, ac sui Ordinis post S. Dominicum quartus Generalis, Benedictinæ Regulæ mentionem faciens, eam hoc elogio decorauit: *Beatus* BENEDICTVS, *cuius Regula est in grandi* AVCTORITATE *in Ecclesiâ Dei, composuit Regulam ad exemplar vitæ Cœnobitarum priorum.* Hanc porrò *auctoritatem*, cùm ipsius Legislatoris eximia sanctitas, tùm præceptorũ eius perspicuitas, discretio, summaque perfectio pepererunt. Quare summi Pontifices Monachis Iura præscribentes, huius Regulæ auctoritate potissimùm Decreta sua roborarũt. *Pontifices Regulæ auctoritate vsi.*

In Expofit. Reg. S. Augusti. cap. 3.

 Ita

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Ita allegatur in Iure Canonico caussa 16. quæst. 1. Capitulo, *Iuxta*, vbi dicitur: *Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilij Monachis, quamuis religiosis ad normam* S. BENEDICTI *intra claustra morari præcipimus.* Eadem quoque quæstione Bonifacius Papa decernit Monachos presbyterij honore decoratos potestatem habere ligandi & soluendi, *quia Beatus* BENEDICTVS, *Monachorum præceptor almificus* id non interdixit. Alexander II. ex Beati BENEDICTI Regulâ ante vnius anni probationem, quempiam Monachum fieri posse negat; vti B quoque eum secutus Angelicus Doctor S. Thomas 2. 2. quæst. 189. artic. 2. Innocentius deinde II. in Concilio Romæ habito, Regulæ Sancti BENEDICTI meminit, eamque ante S. Basilij, atque Augustini nominat.

Cap. sunt nonnulli.

Caus. 17. q. 1. c. Gondaldus.

Caus. 18. q. 2. c. permiciosam.

Sed & Gregorius IX. Ministro & Fratribus Ordin. Minorum, ne intra probationis annum quempiam ad professionem inducant aut recipiant, prohibet, eò quòd S. BENEDICTVS præscribat, vt, *ad conuersionem venienti non facilis tribuatur ingressus: sed sicut dicit Apostolus; an sit ex Deo spiritus comprobetur.* Ita refert Waddingus ex Registro Vaticano. C

Waddin. an. 10. Gregor. 9.

Idemque Clariss. carnium esum interdicit, quia in Cistertiensi, & quibusdam alijs Ordinibus laudabiliter sit statutum, vt carnes infra Monasteriorum suorum septa, exceptis (secundùm B. BENEDICTI Regulam) infirmis & debilibus, non edantur.

Ex eod. Regist. Epist. 357.

At enim importunum fortè, ac superuacanei laboris esset, omnes Pontifices hîc D commemorare, qui Regulæ S. BENEDICTI testimonijs in suis Decretalibus vsi sunt: ex dictis autem facili negotio colligitur, quo loco vniuersalis Ecclesiæ Antistites eam Regulam habuerint, quam toties in suis scriptis allegarunt. Quinimò Ioannes Anania in terminis ait, B. P. BENEDICTI Regulam tantæ esse auctoritatis, vt pro Lege allegari possit.

Ioan. Ana. in Consil. 64.

Si verò Concilia adire velimus, multò frequentiùs videbimus ea ad S. BENEDICTI Regulam recurrere, tanquam ad ge- E neralem normam, secundùm quam Monachorum vita dirigeretur. In Synodo siquidem Ratisponensi, sub Zachariâ Papâ, & Carolo-manno principe, ita dicitur: *Decreuimus, vt Monachi & ancillæ Dei Monasteriales iuxta Regulam* S. BENEDICTI *viuere studeant.* In Moguntino, sub Carolo Magno, crebra Benedictinæ Regulæ mentio habetur. Vitam deinde Monachorum secundùm doctrinam Regulæ S. BENEDICTI Concilij istius Patres capitibus 11. 12. & sequentibus vsque ad 21. ordinant atque componunt. Concilium verò Aquisgranense sub Ludouico Pio, nihil aliud agit, quàm de rectâ Benedictinæ Regulæ obseruantiâ, vt alibi dicendum fusiùs. Cabilonense porrò Concilium secundum testatur omnes pænè Monachos Benedictinam Regulam secutos, cuius obseruantiam grauissimis verbis inculcat. Eiusdem meminit Concilium Turonense, eodem tempore celebratum, sicut & Synodus apud Altheum, siue Althin celebrata, atque etiam alibi.

Et Concilia.

Ann. Christi 742.

Concil. Aquisgr. Ann. 817.

Cap. 25. Caussa 18. q. 1. Capitulo, Statutum est.

Hîc verò velim consideret Religiosus Lector, cur vna hæc Regula, præteritis alijs etiam antiquioribus, à summis Pontificibus, & Sacrosanctis Concilijs ita passim proponatur. Id enim cur factum esse dicemus, nisi quod iudicauerint eam esse aptissimam formam, & pulcherrimum exemplar, iuxta quod Monachorum vitam dirigerent, eosque ad perfectionem promouerent. Aut ideò fortasse, quòd vsque ad annum Domini 836. nullos Europa agnouerit Monachos præter solos Benedictinos; vt pluribus probat noster Clemens Reynerus in Disceptatione Historicâ de antiquitate Benedictinorum in Angliâ.

Huius rei duplex ratio.

Tract. 1. sect. 1. §. 10.

His porrò & illud non immeritò adijciendum, quod sicuti Canones, qui post, aut propè Sancti BENEDICTI tempora de Monachis editi sunt, de solis Monachis Sancti BENEDICTI, vel qui ab eo duxerunt originem, loquantur, vt expressè tradit Suarez tom. 4. de Religione, idemque in Iure sit MONACHVS & BENEDICTINVS: ita quoque cùm nominatur REGVLA, sine aliquo addito; per antonomasiam intelligenda sit REGVLA S. BENEDICTI, vt ante me asseruit Antonius de Yepez. Hoc autē ad ipsius Regulæ commendationem spectare, nullus credo negauerit. Nam & Philosophum nominantes, intelligimus Aristotelem; & pro Poetâ, Virgilium, pro Apostolo, Paulum, pro Sapiēte, Salomonem, atque ex eo rectè colligatur eos in suo genere maximè excelluisse: Quis non videat S. BENEDICTI REGVLAM vel hoc nomine celebriorem atque excellentiorem censeri, quod nomen REGVLÆ per se positum, pro eâ sit accipiendum, atque inde ea sit maximæ auctoritatis?

Suarez lib. 2. cap. 2. nu. 7. & 11. Regula Benedictina commendatio.

Yepez to. Chron. anno 519.

DISQVISITIO III.

Quibus versibus Regula S. BENEDICTI *celebrata?*

EA quæ suo in genere præclara admodum atque eximia, sunt, amplam sacris Vatibus scribendi materiam præbere solent:

solent: id quod Regulæ Sanctissimi Patris A nostri BENEDICTI non defuit. Inter tot enim S. Viri discipulos omni dicendi genere versatissimos, aliqui etiam extitere, qui non modò vitam S. Patris, sed descriptam etiam ab eo Regulam, solutâ & astricta oratione celebrarunt; atque inter cos S. Simplicius, tertius post B. Patrem Cassinensis Abbas, Regulam quam magister ediderat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit, & cùm esset Poëtica etiam Laude clarus, versus nonnullos de eâdem re descripsit, vt habet Wion in Catalogo B Abbatum montis Cassini. Sed & S. Aldhelmus, Occidentalium Saxonum Episcopus, in opere de laude Virginum, S. BENEDICTI laudes prætexens, eiusdem quoque Regulæ meminit, aitque:

Simplicij versus in Regulam S. Benedicti.

Aldhelmi.

Primò qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia formam,
Quaq; modo properet directo tramite sanctus
Ad superûm scandens cælorum culmina cultor.

Pluribus verò eandem Regulam versibus ornauit Smaragdus Abbas, suoque eos præposuit Commentario, quos hîc, prout C inuenimus, apponendos duximus.

Et Smaragdi Abbatis.

Quisquis ad æternum mauult conscendere regnum;
Debet ad astrigerum mente subire polum.
Relligione piâ, vita perquirere callem:
Scandere quo valeat, aurea regna celer.
Est Monachis Sancti BENEDICTI *Regula Patris*
Perfectis: plana, suauis & ampla Via.
Aspera sed pueris, nec non tyronibus arcta:
Quos aluit gremio lactea Vita diu. D
Hæc est sancta via, prælucida semita cæli;
Carpere quam cupiunt, castra beata Dei.
Admonet hæc Monachos sublimis Regula cunctos,
Vt rebus careant, regna superna petant.
Propria dimittant, habeant vt propria cũcta,
Prospera quæ socijs cælica regna manent.
Patribus à nostris, in sacra carmine legis,
Regia rectigradis dicitur ista via.
Hæc est vita bonis, nec non & norma salutis;
Arcus & arma pijs, frigida tela malis. E
Hanc nullus nolens, cupiens implebit & omnis:
Estque grauis grauibus, suauis & apta bonis.
Florigeri Monachis ostendit hæc Paradisi
Regula, luciflu um desiderare locum.
Hæc benè materno natos castigat amore,
Arguit erudiens, & sine felle monens.
Hæc patiēter eos tenero cum verbere nutrit,
Candida post obitum prœmia multa dabit.
Pandit iter rectis; calestia pandit amicis,
Currere ne pigeat, sed patienter eant.
Examinat vitam, mores componit & ornat,
Librat & æquiparat, & moderando minat.
Adnihilat paruum, iustum conspascit vt aurum,
Limat & examinat, & polienda librat.
Est ouibus virga gracilis, moderatra iusta,
Lima piacla pians, regna beata parans.
Arguit, obsecrat, increpat, atque libenter emendat,
Quos sibi germano fœdere consaciat.
Nouit ad æternum Monachos perducere regnum,
Et sociare choro dulciter Angelica.
Quamuis hæc socios cæli deducat ad alta,
Est tamen angustus callis, & arcta via,
Arcta pios celsi deducit ad atria regni,
Ampla malos putei mergit in ima nigri.
Nemo viam timeat Monachorum intrare per arctam,
Ducit ad astrigerum castra beata polum.
Ille poli poterit leuiter conscendere celsa,
Quem nocuo nulla pondere culpa grauat.
Aliger æthereus grauido cum corpore nullus
Verberat æthereas sæpè volando vias.
Nullus enim Monachus peccati pandere pressus,
Stelligeri poterit regna subire poli.
Omnis enim Monachus lacrymis commissa lauare
Debet, & vlteriùs nulla lauanda pati.
Temperet intereà Monachi discretio mētem,
Et via per medium regia ducat eum.
Vt caueat dextram solers, timeatque sinistram,
Hortantur sacra munia legis eum.
Tristia non timeat, timeat sed prospera mũdi,
Scandere tunc poterit regna beata poli.
Quisquis amat rutilos Sanctorum carpere fructus,
Actibus in cunctis consocietur eis.
Moribus ornatus, & casto corpere camptus
Viuat, & à Domino semper amatus erit.
Sit tacitus, humilis, mitissimus atque benignus,
Sit patiens, sobrius, prouidus, atque pius,
Indolis & docilis, sapiens, ac mente pusillus,
Campunctus placidus, & bene cautus eat.
Excitet intereà cordis campunctio fontem,
Qui sordes animæ, illuuiesque lauet
Chrismate perfusa lacrymarum fusio fonti
Æquiparat, maculas tergit vt ille nigras
Tergit, & ablutos paradisi ritè colonos
Efficit, vt cines iam sine fine petat.
Qui iugiter laudis possint persoluere grates,
Viuere cum Domino, semper & esse suo.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Vt elogia hæc tandem concludam, lubet pro coronide subijcere, id quod de hâc Regulâ Sāctì BENEDICTI Cardinalis Turrecremata asserit, dicens: *Huius Regulæ amplitudine vtilitatis, & excellentiâ Sanctitatis ac perfectionis pensatâ, audacter dicere valemus,*

DE REGVLA S. BENEDICTI. *mus, quod,* QVICVMQVE HANC REGVLAM SECVTI FVERINT, PAX SVPER ILLOS ET MISERICORDIA. Et illud: *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.* Ad Gal. 6. Psalm. 18.

DISQVISITIO IV.

Quinam S. BENEDICTI *Regulam Commentarijs, vel alio quouis modo illustrarint?*

Catalogus Commentatorum Regulæ S. Benedicti. INSTITVTI nostri ratio postulare videtur, vt eorum quoque exhibeamus Catalogum, qui S. BENEDICTI Regulam vel totam, aut aliquam eius partem exposuerunt; aut aliàs quoquo modo illustrarunt. Quo in genere vel primus, vel inter primos commemorandus *Paulus Diaconus,* Paulus Diaconus. qui Carolo Magno in delicijs fuit, vt testantur versus ipsius Imperatoris ad hunc Paulum scripti. *Hic igitur rogatus ab Abbate & Fratribus expositionem Regulæ* S. BENEDICTI *perutilem edidit; vbi multa de veteri Monasterij huius Casinensis consuetudine necessariò inserit.* Ita Leo Osticnsis. Ostiensis lib. 1. Chron. Cassin. cap. 17. quam Manuscripti litterâ Longobardicâ in Bibliothecâ Cassinensi, & litterâ Italicâ in Bibliothecâ Sancti BENEDICTI Mantuæ asseruari, Wionus testatur. Annotat tamen Hugo Menardus, quæ Pauli Diaconi nomine feruntur Commentaria, eius non esse: in quibus quod S. BENEDICTVS ait: *Nascentia leguminum,* ita Dubium. exponitur: *Nascentia leguminum intelligantur germinantia: quia mos est illius terræ & Romanæ, & aliarum Prouinciarum mittere legumina in aquam.* Quæ si essent Cassinensis illius Diaconi, dixisset, *huius terræ,* non, *illius terræ:* sensit prôinde hæc tribuenda Ruthardo.

Ruthardus. Trithem. Chron. Hirsaug. ann. 863. Quis verò hic *Ruthardus?* Audi Trithemium. *Ruthardus Hirsaugiensis Monachus, Rabani & Strabi auditor, primus inter omnes, quos ego legerim, Regulam Sanctissimi Patris Nostri* BENEDICTI *Commentario glossare ausus est: cuius expositionis proœmium incipit post exordium ipsius Regulæ: Tres enim sunt Ecclesiasticæ disciplinæ,* &c. Quod si Rabani auditor, Trithemij iudicio, primus in Regulam Sancti BENEDICTI scripserit; Rabano ipsi neutiquam tribuendus est Commentarius, quem sub eius nomine citat Pamelius, Notis ad libr. Tertulliani de Pallio. Rabani Commentarius in Regulam. Sed nusquam Trithemius tertiò Operum ipsius texens Catalogum, hunc fetum illi assignat. Neque enim eius meminit in libr. de *Eccles. Scriptoribus,* nec de *Viris Illustribus Ordinis* S. BENEDICTI nec in *Catalogo Illustrium Germaniæ Scriptorum.* Locus ergo ille à Pamelio citatus, totusque Commentarius in Regulam Sancti BENEDICTI, qui habetur tomo sexto operum Rabani à Pamelio collectorum, eoque defuncto studio Georgij Coluenerij editorum, non Rabani, sed *Smaragdi* Abbatis est, prorsusque idem, qui cum Turrecremata Coloniæ excusus est, Anno 1575. Est Smaragdi Abbatis. Est penes nos vetustum eiusdem Commentarij exemplar manuscriptum, quod *Smaragdi Abbatis* nomen præfert. Inuenerit forte Pamelius hunc librum absque Auctoris titulo operibus Rabani coniunctum, quem proptereà ipsi tribuendum putauerit.

Agendum proinde hîc de eodem *Smaragdo,* Abbate Monasterij S. Michaelis in Saxoniâ, vt eum Trithemius vocat, cuius exstat Commentarius in *Regulam Sancti* BENEDICTI. Trithem. de Script. Eccl. & lib. 2 de Vir. Illust. Ordin. S. Bened. c. 83. Etsi autem Antonius Posseuinus eum vixisse asserat anno Domini 680. adeòque alijs præponendus videretur; Nos tamen eum hoc loco collocamus, Eius ætas. quòd Trithemius tam in libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis,* quàm in *Catalogo Illustrium Virorum Germaniæ,* itemque in libro de *Illustribus Viris Ordinis Sancti* BENEDICTI, vbique eum post annum nongentesimum reponat. Vnde & noster Wion dubiè de eo scribit, referens aliquos sentire eum claruisse 940. Alios verò 680. Error fortè contigerit, ex Numeri notâ, facilè enim 6. pro 9. inter se commutantur. Nec potuit vixisse anno 680. cùm citet Concilium Aquisgranense, celebratum anno 817. An fuerit Abbas. Sed occurrit Eruditissimus Menardus, Noris ad vitam Benedicti Anianensis Abbatis, dicens Ardonem Smaragdum, vitæ illius auctorem, horum quoque Commentariorum esse parentem. Exhibet enim velut epitomen *Concordiæ Regularum,* à suo Magistro pertextæ: aitque in Commentarijs in caput primum Regulæ tale præfigi lemma: *Incipit Regula eiusdem sancti Patris, cum Expositione Smaragdi Monachi.* Hic enim Smaragdus nunquam fuit Abbas, sed tantùm Monachus. Vide plura ibidem.

Benedicti Indensis Concordia. Suo igitur merito hîc reponendus *Benedictus Anianæ & Indæ Abbas,* qui ex ijs, quas vel ante, vel post Sanctum BENEDICTVM, scriptas reperit Regulis, suam concinnauit CONCORDIAM REGVLARVM. Quam doctissimis Notis & Obseruationibus illustratam Hugo Menardus publici iuris fecit. A Trithemio quidem, & alijs eum secutis, tribuitur hic liber BENEDICTO Biscopio, Anglo; sed haud solido satis fundamento, quòd id à nullo ante Trithemium legatur assertum: quòd Bedam Biscopij discipulum citet, adeòque illo posterior esse videa-

videatur: quod hæc ipsa CONCORDIA *Anianensi Benedicto*, ab Ardone eiusdem biographo expressè assignetur. A

Kero. Sed & *Kero* S. Othmari discipulus Alemannicam Interpretationem vocabulorum Regulæ S. BENEDICTI elaborauit; qua se adiutum, Menardus testatur,

S. Dunstanus. *Sanctus Dunstanus* quoque Archiepiscopus Cantuariensis, dicitur in Regulam S. BENEDICTI scripsisse Tractatum paruum, qui excusus est in Belgio in 8. vt ait Wion. Sed & Balæus, Centuriâ 2. Scriptorum Britanniæ, ait hunc Sanctum scripsisse super Regulam S. BENEDICTI. Vide quæ de eo diximus suprà Libro primo. *Tract. 1 Disq. 4.* B

Regula interpretatio Anglica. Illustrandæ quoque Legi Monasticæ facit, quòd circa huius Dunstani tempora, nempè ann. 964. transfusa fuerit in linguam Saxonicam. *Eadgarus enim Rex, & Alfreda (regina) dederunt S. Athevvoldo* (Wintoniensi Episcopo) *manerium, quod dicitur Suderborne, eo pacto, vt ille Regulam S.* BENEDICTI *in Anglicum idioma de Latino transferret: qui sic fecit.* Ita refert Historia Monasterij Eliensis. C

Theuzus. *B. Theuzus* discipulus S. Ioannis Gualberti, & Abbas Monasterij S. Pauli de Razzolo in eandem Regulam commentatus est, mortuus est 1095.

Petr. Diaconus. Scripserunt prætereà in eandem Regulam, *Petrus Diaconus*, libris 4. vt ipsemet testatur, lib. 4. Chron. Cassin. cap. 68. Anno 1115. *Rupertus.* *Rupertus Tuitiensis* Abbas, libris itidem quatuor; quorum vltimæ operum eius editioni accessere, curâ & studio Andr. Schotti. Anno 1119. *Hildegardis.* *S. Hildegardis* Abbatissa præcipua capita explicauit: obijt anno D Christi 1280. Exstat cum eiusdem Epistolis, editis Coloniæ anno 1566. & nouissimè in Lilijs Cistert. Henriquez.

Bernardus Casinensis. Eodem tempore *Bernardus Casinensis* Abbas, ac S. R. E. Cardinalis pretium eruditionis tulit edolato insigni in Regulam B. BENEDICTI Commentario. Habemus etiam ab eodem *Sermones ad Fratres*, &, *Speculum Monachorum* de præceptis Regularibus. Obijt Cassini, ibique sepultus ann. 1282. Anno deinde 1299. *Nicol. de S. Germano.* *Nicolaus de S. Germano*, I.V.D. Monachus primum Cassi- E nensis, posteà Abbas Monasterij S. Vincentij iuxta Vulturnum, eruditè secundùm Iura Canonica & Ciuilia *Regulam* exposuit, quæ MS. reperitur in eodem Monasterio.

Edmundus Stoutton. *Edmundus Stoutton*, Anglus, Monachus Glasconiæ, scripsit *Dialogum in Regulam* D. BENEDICTI. Claruit anno 1200. Auctor Posseuinus in Apparatu. A quo & *Guil. Peraldus.* innotuit nobis *Gulielmus Peraldus*, Episcopus Lugdunensis, qui scripsit *Expositionem Regulæ* Sancti BENEDICTI. Obijt an. 1255.

DE REGVLA S. BENEDICTI. *Benedictum* X. Pontificem Maximum, anteà vocatum Fratrem Iacobum, natione Gallum, Regulam S. BENEDICTI exposuisse, scribit Posseuinus in Apparatu sacro: sed credo designare voluisse *Benedictum XII.* qui X. vocatur. *Benedictus X.* Hic ab ineunte ætate Cistertiensem Ordinem amplexus fuit, vt in Menologio, 25. Aprilis, probat Chrysostomus Henriquez. Ante Pontificatum dictus est *Frater Iacobus dn Four;* quod autem ait Posseuinus, eum Regulam S. BENEDICTI exposuisse; arbitror intelligendum de Bullâ illâ, quam Summus Pontifex edidit, & *Benedictinâ* dicitur.

Petri Boërij duplex Expositio. *Petrus Boërius*, Gallus, Narbonensis I. C. Monachus, & Abbas S. Aniani, S. Pontij Thomeriarũ Diœceseos, vir eâ ætate perdoctus, deinde Episcopus Vrbeuetanus, nomen cõsecutus est apud posteros *duplici in Regulã* S. BENEDICTI *Expositione*. Quarũ *prima* cõciliat sentẽtias ipsius Regulę, cùm sententijs SS. Patrum; *Prima.* quam quidem scripsit petentibus Monachis Sublacensibus. Hæc secunda prima est, quam scripsit in Franciâ ante Episcopatum: sic enim ipsemet in fine ait:

Mille ter centum X. sex quoque semel,
Festo BENEDICTI, *quo cœpi te glossa finiui,*
Canonici iuris quod nullus ante me fecit
Anno reuoluto. Simplo calamo delibuto
Prædicti norma Boherij nomine Petrus,
Decreti Doctor, Sancti Præsulis Aniani
P. Bo. do signum petens iam fore benignum,
Qui me per lignum saluans fecit sibi dignum,
Si quis defectus est hic, vel error ineptus;
Dic quis perfectus, corrigas non eo profectus.

Secunda. *Secunda* verò nouo expositionis genere omnia Regulæ non solùm capita, sententias & dogmata; verùm etiam verba, consilia, & præcepta cum Iure Pontificio, Decretalibus, & Canonibus summorum Pontificum, & Patrum comprobat. Exstat vtraque manuscripta in Bibliothecâ S. BENEDICTI de Mantuâ. Posterior verò, quâ diu vsus sum, in Monasterio Hasnoniensi in Hannoniâ. Scripsit item in *Speculum Monachorum* lib. 1. de *Signis locutionum*, lib. 1. In *Benedictinam* Benedicti XII. Claruit Anno 1350.

Richardus de S. Angelo. *Richardus de Sancto Angelo*, Abbas S. Iustinæ de Paduâ, suo merito in horum Commentatorum referetur numerum; in cuius notitiam deueni ex periodo super Regulæ S. BENEDICTI cap. 21. *de Decanis*, quam ex ipso citat Arnoldus Wion, Ligni Vitæ lib. 1. cap. 64. *Ioannes Belga.* *Ioannes Belga*, Monachus, & Abbas Monasterij S. Bauonis Gandani, *Declarationes* edidit *in Regulam* S. BENEDICTI, & Librum *de esu carnium*, Anno 1390. Circa eadem tempora *Ioannes Germanes*, *Ioan. Germanus.* Germanus, Monachus Castellensis in

De Regula S. Benedicti. Diœcesi Distetensi, duobus libris Regulam exposuit. *Ioannes de Turrecrematâ*, Hispanus, Ordinis Prædicatorum S.R.E.Cardinalis, Episcopus Sabinus, petente Arsenio Abbate Casinensi, vtilem & piam *Regulæ expositionem* conscripsit 1442. *Ioannes Haghem*, dictus *de Indagine*, Carthusianus, qui vixit anno 1460. scripsit in Regulam lib. 1. qui incipit: *Probate Spiritus, si ex Deo sint*. Item alium de *Esu Carnium* in Ordine S.BENEDICTI.

Gabriel Biel. Eodem tempore *Gabriel Biel*, Theologus Germanus, quem Trithemius Ordinis B Clericorum in communi viuentium fuisse scribit, Commentarium in Regulam Benedictinam elaborauit. Qui exstat MS. in Bibliothecâ S.Pantaleonis, Coloniæ. *Ioannes Trithemius*, Abbas Spanhemensis, duos in eamdem Regulam libros dedit, editos à Ioanne Busæo cum reliquis eius Operibus spiritualibus, & seorsim Antuerpiæ ab Hērico Sommalio: neutra tamen expositio vltra caput septimum protenditur. Iacobus tamen du Breul, in Supplemento Antiquitatum vrbis Parisiacæ, citat eumdem Trithemium in caput quadragesimū Re- C gulæ, Tractatu C.V. vixit anno 1500.

Ex Bibliothecâ S. Martini Tornaci cōmunicatus est mihi libellus quidam, conscriptus à Fratre *Ioanne*, qui se dicit inter Cælestinos educatum, ipsúque suum laborem inscribit. Habet autem sensus abbreuiatos singulorum capitulorum. *Regulæ* S. BENEDICTI, & subinde etiam annotationes & citationes. Sed & in Bibliothecâ Monasterij S. Martini Coloniæ asseruatur lucubratio MS. *Wilhelmi Staden* in Regulā S.BENEDICTI. In quam & commentatum D fuisse *Wernerum Sigebergensem*, discimus ex Molani Bibliothecâ, v. *Regula*. *Carolus Fernandus* Brugensis, ab ineunte ætate cæcus, tantum in studiis profecit, vt Orator, Philosophus, ac Theologus eâ tempestate insignis euaserit, ex publico salario sacras litteras Lutetiæ sit interpretatus. Post cōtemptis omnibus, Monachus Benedictinus in Vincentiano cœnobio apud Cenomanos factus, scripsit de *Obseruatione Regulæ Benedictinæ Epistolam parænitic am*. Item *Speculū disciplinæ Monasticæ*, libris quatuor: E obiit anno 1515.

Siluanus Radius, Monachus Camaldulensis, vertit Regulam ex Latinâ in Italicam linguam, cui & annotationes aliquas adiecit; excusa fuit Florentiæ in 4. anno 1574. *Henricus Crixtede*, Anglus, Monachus Ordinis D.BENEDICTI, scripsit in Regulam Monachorum, vt testatur Possevinus in Apparatu sacro. *Ioannes Bertels* Louaniensis, Abbas S. Mariæ Munsteriensis intra muros vrbis Lucemburgensis, Dialogos A viginti sex in prædictam Regulam edidit. Sed & Venerandus Pater *Petrus à S. Audomaro*, aliàs de *Walloncappelle*, Prior S.Winoci (cuius *Illustrationes*, & *Institutiones* Monasticæ passim circumferuntur) eruditum Commentarium in Regulam conscripsit, qui MS. asseruatur in eodem Monasterio, & ad S.Petrum in Monte Blandinio. R.D. *Iacobus Marquais* ex Priore S. Vedasti, Abbas S.Martini Tornaci, iustum in eandem Regulam exarauit Commentarium, qui ibidem exstat MS.

B *Ludouicus de Estradâ*, Abbas Hortensis, Ordinis Cisterciensis in Hispaniâ, vir ingenij sublimis, & sanctimoniæ laude clarus, scripsit in Regulam S.BENEDICTI libros decem in folio, vt testatur Chrysostomus Henriquez, in *Phœnice reuiuiscente*, lib. 2. cap. 62. Qui & cap. 58. alium profert, qui idem argumentum pertractauit. *Ludouicus* enim *Bernardus de Quiros*, Reformator Generalis Congregationis Hispanicæ, Ordinis Cisterciensis, scripsit Reipublicæ Monasticæ, siue Commentariorum in Regulam sanctissimi P. N. BENEDICTI C libros duodecim.

Philippus de Lattre, Subprior Cœnobij Vedastini, Regulam S.BENEDICTI eruditis iuxta ac pijs lucubrationibus illustrauit. Testis Ferreolus Locrius in Catal. Scriptor. Arthesiæ. Crespetius quoque in *Summa*, Antonium *Pocquetum*, *Petrum Bardum*, & *Theobaldum Artauldum* Regulæ nostræ Commentatores laudat. Addit *Simonem de Corroy*, tertio Cælestinorum Prouincialem, & de his simul ait: Luculenter in hanc Regulam BENEDICTI disseruerūt, D & eam caliginosis mentibus lucidam reliquerunt.

Eandem quoque recenti memoriâ interpretatus est *Ioannes Craesbeeck*, Ordinis Cistertiensis, Monasterij S. Bernardi ad Scaldim quondam Prior. Luculentū quoque Commentarium dedit R. P. Magister *Antonius Perez*, Congregationis Hispanicæ quondam Generalis, nunc Vrgellensis Episcopus. Exstat passim Lugduni, & Coloniæ impressus, & demum ex Auctoris recognitione in Hispaniâ recusum intelli- E go. *Balduinus Moreau*, Religiosus Camberonensis, Ordinis Cistertiensis, textum Regulæ ad triginta MSS. exemplaria contulit additisque Opusculis S. BENEDICTI, aliisque vtilibus Prolegomenis, edendum curauit. *Iacobus Ferragius* S.T.D. Regulam S.BENEDICTI ad exemplar regalis Monasterij B.Mariæ *Vallis gratiæ*, pristino splendori restituit, & Canonibus, ac Conciliorum constitutionibus illustrauit, anno 1627.

Sunt præterea penes me duo alij Commentarij

Marginal notes: *Turrecremata.* — *Ioan. de Indagine.* — *Trithemius.* — *Ioan. Cælestinus.* — *Wilhelmus Staden.* — *Wernerus.* — *Fernandus.* — *Siluanus Radius.* — *Henricus Crixtede.* — *Ioan. Bertels.* — *Walloncappele.* — *Iacob. Marquais.* — *Lud. Estradâ.* — *Bernard. de Quiros.* — *Philippus de Lattre.* — *Cresp. v. Monachi. Cælestini quatuor.* — *v. Humilitas.* — *Ioan. Craesbeeck.* — *Antonius Perez.* — *Bald. Moreau.* — *Iacob. Ferragius.*

Petrus Vvalnem. Columbanus Vranex.

mentarij MSS. quorum prior est *Petri Walnem*, Religiosi Fratrum Guilielmitatum in *Peenem.* Posterior R. D. *Cornelij Columbani Vranex* S. T. L. ex Canonico ac Pœnitentiario Gandauensi, D. Petri in Monte Blandinio Abbatis, qui & Iubilum Monachorum, & alia quædam nondum edita conscripsit, quæ in eodem Monasterio asseruari, crediderim.

Hugo Menardus.

R. P. *Hugo Menardus*, Congregationis S. Mauri, vir eruditissimus, textum Regulæ S. BENEDICTI, prout in Concordiâ Regularum S. BENEDICTI, Anianæ Abbatis, exhibetur, ad septem MSS. & aliquot impressa exemplaria comparauit, & doctissimis Notis atque Obseruationibus illustrauit.

Ioannes Caramuel.

Denique Exim. D. M. N. *Ioannes Caramuel Lobkovvitz*, Abbas Melrosensis, Ordinis Cisterciensis, S. Theologiæ Doctor Louaniensis, in eamdem S. BENEDICTI Regulam scripsit *Commentarium*, vt vocat, Historicum, Scholasticum, Moralem, Iudicialem, Politicum: in quo varias quæstiones eruditè mouet, & resoluit.

Postremò Gallicâ linguâ non spernenda in nostram Regulam edita sunt opera. *Guido* enim *Iuuenalis*, Abbas S. Sulpicij Bituricensis, Regulam S. BENEDICTI Gallicè interpretatus est; & paraphrasticè subinde exposuit. Floruit anno 1490. *Matthæus Lambert*, Prior Monasterij Alnensis, expositionem breuem in totam Regulam edidit, Leodij excusam anno 1596. *Laurētius Benard*, S. T. D. & Prior Collegij Cluniacensis Parisijs, tribus Tomis *Parænefes* suas in Regulam digessit. Idemque scripsit de *spiritu Ordinum*, & præsertim S. BENEDICTI, additque Regulam Gallicè versam, eiusdemque Sanctissimi Patris vitam. Ex Reformatâ porrò Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingiâ, R. P. *Philippus François*, Nouitiorum eiusdem Congregationis Director, ac deinde Prior & Abbas Monasterij S. Agerici Verdunensis, varia ad Ordinis vtilitatem composuit, atque in primis *Meditationes* in totam Regulam, quas Latio donatas Carolus Stengelius in Germaniâ edidit; deinde etiam *Ducem Spiritualem* Nouitiorum ac Religiosorum nostri Ordinis, alterumque *Ducem* pro instructione Magistri Nouitiorum. Ac postremò *Nouitiorum exercitia*, quæ auctiora Montibus Hannoniæ euulgata sunt, cùm hac Epigraphe: Exercitia Spiritualia, siue Methodica explanatio finis vocationis Religiosæ, deque medijs eundem obtinendi, ex Regulâ gloriosi Patriarchæ S. BENEDICTI educta, ann. 1626. *Benedictus à S. Ioanne*, Cōgregationis Virdunensis, librum edidit de *Benedictionibus* & Gratiis à Deo Ordini S. BENEDICTI concessis, & de Excellentiâ Regulæ eiusdem Sancti. Parisiis an. 1629.

Guido Iuuenalis. *Matthæus Lambert.* *Laurentius Benard.* *Philippus François.*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Benedictus à S. Ioanne.

Henricus Zypaeus.

Tandem R. D. *Henricus Vanden Zype*, Abbas Monasterij S. Andreæ iuxta Brugas, S. P. N. Regulam in Belgicum idioma conuersam euulgauit, addiditque insignem Tractatum de *Professione Benedictinâ*, & *Clausurâ Monialium*. Hactenus enim (quod meritò admireris) nusquam Regula nostra nostrate linguâ typis impressa fuerat.

Atque hi sunt, quos equidem reperire potui, qui in totam Regulam lucubrationes aliquas conscripserunt. Vt verò subijciam eos, qui aliquam eius partem interpretati sunt; primùm occurrit *Elemon*, Monachus Benedictinus, & Doctor, qui scripsit elegantem tractatum super *Instrumenta bonorum operum*, siue cap. 4. Regulæ S. BENEDICTI, qui sic incipit: *Sicut sunt Fabrorum*, &c. Exstat MS. in membranis, in reliquiario Cœnobij S. Gregorij maioris Venetiis, sed aliqua ex parte imperfectus, quo autem vixerit tempore, non proditur. Caput 7. de *Gradibus Humilitatis* proprio, sibique primo opusculo exposuit *S. Bernardus*. Angelicus verò Doctor, *Thomas* Aquinas 2. 2. quęst. 161. art. 6. probat conuenienter hos gradus à S. BENEDICTO distinctos esse. Vberem de eisdem Tractatum exarauit Iacobus Aluarez de Paz tomo 2. lib.

Elemon. *S. Bernardus.* *S. Thomas.*

Andreas Belga Traiectensis, Monachus in Spanhem, qui obiit 1454. scripsit de abstinentiâ carnium, & vsu Floccorum. *Alardus* quoque *Gazæus*, Cœnobita Vedastinus, in suis ad Cassianum Annotationibus, plurima Regulæ nostrę loca sparsim accuratè elucidauit.

Andreas Traiect. *Gazæus.*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

TRACTATVS VI.

DE REGVLÆ

S. BENEDICTI Promulgatione.



ROPRIVM *Legibus est, vt promulgentur.* REGVLAM S. BENEDICTI *Legem esse, & à suo Auctore vocari, secundo Tractatu ostendimus. Superest proinde, vt de eiusdem Promulgatione hoc loco agamus.* Primò *autem Disquirendum, Num* S. BENEDICTVS *Regulam suam promulgarit, & secundum eam vixerit?* Secundò, *An eam quæ ante* S. BENEDICTVM *erant Monasteria, passim receperint?* Tertiò, *An toti mundo scripta, toto orbe sit promulgata?* Quartò, *Quinam Ordines sub eâ militent?* Quintò, *Quantum Regula & Ordo* S. BENEDICTI *alijs profuerit Ordinibus?*

DISQVISITIO I.

Num S. BENEDICTVS *Regulam suam promulgarit, & secundum eam vixerit?*

Occasio huius Disquisitionis.



VPERVACANEA videri queat hæc Disquisitio, quòd communi hominum iudicio quilibet Religiosæ vitæ Institutor eam, quam tulerit, seruasse putetur Legem: eamque non minùs exemplo, quàm scripto, sequacibus commendasse.

Verùm cum Antonius Gallonius, Congregationis Oratorij Presbyter, scripserit: Absque scriptis à S. BENEDICTO Regulis, non solùm ipso BENEDICTO viuente, sed & post mortem eius, vsque ad Abbatem Simplicium, Benedictinos Monachos in Italiâ gubernatos: de hâc ipsâ re paulò accuratiùs inquirendum videtur. Sed priùs argumenta ipsius proferamus. (Gallon. in Apolog de Monach. S. Greg. pag. 89.)

Gallonij argumenta de serâ Regulæ promulgatione. Exstat, inquit, in Vaticanâ Bibliothecâ veterrimus codex, in quo ipsa S. BENEDICTI Regula descripta habetur, & post eam Martyrologium Vsuardi eiusdem antiquitatis. Ante ipsam autem Regulam breuis præfatio præposita legitur his ipsis verbis: (Pag. 50.)

INCIPIT PROLOGVS DE REGVLA SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

Qui leni iugo Christi colla submittere cupis, Regulæ sponte da mentem, dulcia vt capias mella. Hic Testamenti veteris, nouique cuncta mandata. Hic ordo diuinus. Hicque castissima vita. Hoc BENEDICTVS *Pater constituit sacrum volumen, suisque* A *mandauit hæc seruanda alumnis. Simplicius Christi minister Magistri latens opus propagauit vt omnes. Vna tamen merces vtrosque manet in æternum.*

Incipit Regula. AVSCVLTA, ô FILI, &c. Ad istam planè præfationem visus est allusisse, quem diximus, Petrus Diaconus, dum ait: *Simplicius Regulam, quam suus Magister condiderat,* id est occultauerat, *publicè* B *legendam omnibus Monachis tradidit.* Et Sigebertus eadē ipsa recitata superiùs verba habet, dum ait: Simplicius, discipulus eius, latens Magistri opus publicauit. *Vt sit sensus secundum dictam præfationem ad Regulam, quòd Simplicius Regulam, quam* S. BENEDICTVS *occultauerat, publicauit. Sicque vox illa,* CONDIDIT, *non ibi significat, quod, composuit, sed quod, occultauit.* (Sigeb. de illust. Scrip. Eccles. c. 31.)

Hūc autem Simplicium vult fuisse tertium non Cassinensis, sed Lateranēsis Mo- C nasterij Abbatem, sociumque S. Mauri in Galliâ: ex quâ posteà in Italiam redijt, sed non ante annum Redemptoris 586. ante quod tempus nec Regula potuerit in Italiâ publicari. *Simplicius enim è Gallijs rediēs, illam, quam à* S. BENEDICTO *acceperat experiendam Regulam, iam annis* 43. *vsu probatam, saluberrimamque inuentam, promulgari curauit pariter in Italiâ, cū ex Galliâ ferò redijsset.* Hęc ferè deductio Gallonij. Sed antequam ad eam respondeamus, ipsam, quam impugnat assertionem nostram, stabiliamus. (Pag. 88.) (Pag. 51.)

PRIMÒ,

S. Benedictum Regulam suam seruasse Probatur. I. *Ex ipsa Regula. Cap.73.* PRIMÒ, credibile nõ est S. BENEDICTVM Monachorum scripsisse Regulam, quam nec seruauerit, nec publicauerit, sed occultauerit: cùm finis scriptionis alius ei non esset, quàm vt obseruaretur; quod ipsiusmet testimonio comprobamus. REGVLAM *autem* HANC *descripsimus, vt eam* OBSERVANTES *in Monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum nos demonstremus habere.* Et quoties hanc OBSERVANTIAM inculcat? nam citato capite ait: *Hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo* PERFICE. In ipsâ Nouitij admissione vult, *vt legatur ei* HÆC REGVLA. Capite 63. agens de Abbate, ait: *Et præcipuè vt præsentem* REGVLAM *in omnibus* CONSERVET. Et cap. 66. HANC *autem* REGVLAM *sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum, se de ignorantiâ excuset.* In quibus verbis cùm dicat, HANC REGVLAM, HÆC REGVLA, PRÆSENTEM REGVLAM; precluditur subterfugium, quo forsan diceretur S. Pater locutus de aliâ cuiuscumque Regulâ. Quis autem sibi persuadeat, hæc ab illo scripta, & præscripta, & tamen Regulam abdidisse, nec vmquam seruasse, quæ citatis verbis decreuit?

II. *Ex vitâ S. Mauri.* Probatur SECVNDÒ, quia S. Mauro in Gallias proficiscenti S. Pater suis manibus descriptam Regulam, & libram panis, & mensuram vini tradidit. Ergo iam tum in Cassinensi Monasterio, è quo discedebat, Regula nota erat. Et quî, quæso, Maurus in Galliâ Regulæ praxim doceret, quam ipse ad illam vsque diem, neque Cassinensium vllus, vel vidisset, vel seruasset.

III. *Ex S. Gregorio Magno. Dial. lib.2. cap.36.* TERTIÒ, probatur ex ipsâ S. BENEDICTI vitâ, eiusque Scriptore Magno Gregorio, qui ait: *Nam si quis velit subtilius mores vitamque eius cognoscere, potest in eâdem institutione* REGVLÆ *omnes Magisterij illius actus inuenire: Quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm* VIXIT. At Gallonio aliter vixit, aliter scripsit: vtri credendum censes, Lector? Deinde idem S. Gregorius refert morem non comedendi extra Monasterium cap. 51. in Regulâ præscriptum accuratè seruatum fuisse, verba eius sunt:

Ibid.c.12. *Mos etenim cellæ fuit, vt quoties ad responsum aliquod egrederentur Fratres, cibum potumque extra cellam minimè sumerent. Cumque hoc* DE VSV REGVLÆ SOLICITE SERVARETVR; *quâdam die* &c. Quis hîc non animaduertit Regulam iam tum fuisse *in vsu*, & quidem *solicitè seruatam*? Alibi quoque idem

Lib.4. Dialog. cap.8. Pontifex narrat duos nobiles viros, EIVS SE REGVLÆ *in sanctâ conuersatione* TRADIDISSE; *quos idem Pater Venerabilis in Monasterio, quod iuxta Tarracinensem vrbem construxerat, fecit habitare.* Quid euidentius, quæso, dici potuisset? Vide ergo, vt Gal-

A lonium ipsum S. Gregorius, pro quo tam acriter pugnat, expugnat.

DE REGVLA S. BENEDICTI. IV. *Ex Pontificum literis.* QVARTÒ, probatur aliorum Pontificum testimonio. Zacharias enim in Priuilegio Cassinensi Monasterio concesso, eiusdem loci Abbati celsiorem & celebriorem locum tribuit, *quia in eo loco* S. BENEDICTVS LEGISLATIONEM *suam scribens verbo & exemplo Cœnobiale propositum appetentibus, in toto mundo sole clarius enibrauit,* vt ait Pontifex. Qui mox subdit: *Illic lex Monastici Ordinis caput teneat ac principatũ, vbi eiusdem*

B *Legis descriptor* BENEDICTVS, *Pater sanctissimus eam describens,* PROMVLGAVIT REGVLAM. Ergo iam tum viuente adhuc S. BENEDICTO Regulæ obseruantia in vsu erat. Idem confirmatur ex testimonio Leonis IX. superiùs producto, in quo ait: *Neque credendum est, vt tot Monachi, tantaque ab ipso constructa Monasteria* SINE REGVLA FVISSENT. *Tract. 1. Disq. 3.*

V. *Ex Præfatione simplicij.* QVINTÒ denique, probatur ex ipsâ, quã allegat Gallonius Præfatione, & Sigeberto ad eiusdem confirmationem aduocato. In

C illa dicitur:

Hoc BENEDICTVS *Pater constituit sacrum volumen;*
Suisque mandauit hæc SERVANDA ALVMNIS.

Vbi nota, *hoc volumẽ*. Et quod illud, quod incipit vt ipse fatetur Gallonius, *Ausculta ô Fili.* Iam audi Sigebertum: BENEDICTVS *Cassinensis,* inquit, *prouectus ad summum culmẽ Monasticæ perfectionis,* SECVNDVM QVAM VIXIT, SCRIPSIT REGVLAM *Monachorum sermone luculentam.* At enim hîc tergiuer- *Sigeb. de Script. Eccles. cap.3.*

D satur Gallonius: & Sigeberti verbis lepidam hanc apponit glossam. *Secundùm quam vixit, scripsit Regulam, possumus intelligere præcessisse experimentum, indè verò subsecutam scriptionem, nempè vt S. Basilij Regulas ipso vsu ad suum institutum paulatim inflexerit, senex demum scriptis suas mandarit, non tamen viuens (vt audisti) promulgarit, sed potiùs occultarit.* *Pag. 18.*

Gallonij argumenta eliduntur. Agedum verò iam ipsa Gallonij argumenta expendamus. Plurimum roboris ponit in illâ Regulæ Præfatione, quam ex

E Vaticanâ protulit Bibliothecâ: & à nostris vt genuina admittitur. Inuenitur enim & in Cassinensi Bibliothecâ, & ea, quæ est Abbatis Caietani, & subijcitur ad calcem Regulæ Monasterij S. Hadriani Gerardi-Montensis. Sed quid in eâ est, quod premat? nimirùm quia dicitur: *Simplicius Christi minister Magistri latens opus * propagauit * vt omnes.* Et ad hæc verba allusisse ait Petrum Diaconum & Sigebertum. Si enim latuit hoc opus vsque ad Simplicium, quo modo anteà fuit publicatum? Respondet Lauretus, libr. de exist. corp. S. Bened. in Cass. ** Al. publicauit. * Al. in omnes.*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Quo modo Simplicius S. Benedicti Regulam promulgarit.

Cass. cap. 5. *Primò*, Simplicium ordinasse, vt in publicis conuentibus Regula coram omnibus legeretur, cùm antea priuatim à Monachis legi consueuisset. *Secundò*, Simplicium publicasse, siue promulgasse Magistri sui BENEDICTI Regulam, non quidem suis Monachis (quibus iam notissima erat, & secundùm quam vitam suam instituebant;) sed alijs etiam alterius Congregationis, & instituti viris, qui famâ peruulgante intellexerant, Regulam illam esse sanctissimã, atque discretione præcipuam: cumque eius desiderio tenerentur, ac participes fieri cuperent tanti boni; ad præfatum Simplicium Cassinensem Abbatem supplices obtulerunt preces, flagitantes, vt eandem Regulam illis transmittere dignaretur. Sic ille. Et aliquousque innuitur, in illo, *propagauit in omnes*, scilicet nationes: vel, *vt omnes eam sequerentur* nationes: quæ Antonij de Yepez coniectura est, historicis nostris conformis. Frustra ergo est Gallonij interpretatio: CONDIDERAT, *id est*, ABSCONDERAT. Nam & Grammatici docent, *condere* non semper idem esse quod *recondere*: Verùm etiam significare, *constituere*, *componere*; sic Virgilius dixit:

Condo pro constituo famosâ accipitur.

> ——— *Pallas quas condidit arces*
> *Ipsa colat.*

Horat. lib. 1. Epist. 1.

Et Horatius:

> Condo *& compono, quæ mox depromere possim.*

Prou. 8.

Sic enim sacra Scriptura ait: *Per me Reges regnant, & legum* CONDITORES *iusta decernunt.* Quare mirum valdè est, Gallonium alterum illum sensum secutum esse, cùm vix vmquam apud Auctores legamus, Leges *condere*, accipi pro *recondere*. In Catalogo Abbatum Cassinensium, quem lib. 1. cap. 3. adfert Wion, non legitur, CONDIDERAT, sed, *Regulam, quam suus Magister* EDIDERAT, *publicè legendam omnibus Monachis tradidit.*

Alij lapsus Gallonij.

In Simplicio autem non simpliciter labitur, dum eum vult esse eundem cum comite Sancti Mauri in Galliam, qui alius ab hoc est: & cùm statuit tertium Abbatem Lateranensem, cùm ex Sancti Gregorij verbis colligatur, fuisse tertium Cassinensem Abbatem. Vide quæ annotaui in Commentario ad Præfationem vitæ Sancti BENEDICTI numero 12. & alios, qui Sancti Gregorij Monachatum Benedictinum propugnant.

DISQVISITIO II.

An S. BENEDICTI Regulam alia quæ ante eum erant Monasteria, passim receperint?

Suarez to. 4 de Religione lib. 2. cap. 2. nu. 6.

QVÆSTIONEM hanc proponit & discutit Franciscus Suarez, qui supponit, ac probat fuisse ante S. BENEDICTVM, & circa illius tempora in Occidente Monasteria ab alijs fundatoribus excitata, alijsque paruisse Superioribus: ut etiam ex primo libro constare potest. Atque hoc posito ait, verisimile esse, vel statim, vel paulò pòst, institutam & diuulgatam Regulam S. BENEDICTI, omnes Occidentis Monachos ad illam se conformasse, adeòque post S. BENEDICTVM cessasse inter Monachos Religionum distinctionem. Adfert autem ad hoc probandum Antonium in secundâ parte historiali, sic loquentem: *Post* BENEDICTVM *omnes Monachi Occidentis militant sub Regulâ B.* BENEDICTI, *& ipsum habent in Patrem, exceptis Carthusiensibus.* Quod inter cætera confirmat, quia nullum vestigium alterius Monachatus in Europâ inchoati, (vt Augustinianam, inquit, & Carmelitanam familiam nunc omittam) ad nos peruenit, præter Religionem S. BENEDICTI, vel alterius, quæ ab illa originem ducat, aut certè propriam & notam aliam originem multo pòst tempore habuerit, vt de Carthusianis constat: Ergo verisimile fit, omnia alia cœnobia Monachorum, quæ per Italiam, & alias Europæ partes erant ante BENEDICTVM, eius Regulam & professionem assumpsisse, nam si postea durassent, in eâ professione inuenirentur. Sicut ergo de antiquitate traditionum, quarum principium ignoratur, argumentari solemus, reuocandas esse vsque ad initium Ecclesiæ: ita hîc cum proportione colligimus, vniuersalem tunc titum Monachorum statim ab initio Religionis S. BENEDICTI incepisse. Hæc & plura Suarez.

Quando institutum S. Benedicti Occidentis Monachi amplexi fuerint.

Anton. tit. 15. cap. 14.

Sed aliundè hæc etiam comprobemus. Profertur ex Cassinensi Bibliothecâ Epistola Bernardi Abbatis Fundensis ad Simplicium, qui tertius post S. BENEDICTVM Cassinensibus præfuit, quam ex eorum Bibliothecâ eruit Constantinus Caietanus, ea verò sic habet.

Epistola Bernardi Abbatis Fundensis.

Reuerendissimo Monachorum Patri Simplicio Bernardus Abbas Monsterij apud Fundanam Vrbem obedientiæ subiectionem. Experientiâ compertum est, multorum Rectorum mores, varias viuendi normas in Monasterijs peperisse. Hinc factum est iam omnia Monasteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & alia-

rum

rum prouinciarum Italiæ certam & rectam Regulam viuendi, quam Sanctissimus & Deo acceptissimus BENEDICTVS, *Magister tuus, instituit seruare decreuerint: vt iuxta illam viuentes, neque ad dextram, neque ad sinistram declinare præsumant. Hanc ego seruandam proposui huic Congregationi, cum nuper me in suum Abbatem elegerit indignum. Quam cupientes in hoc Monasterio; sicut in Casinensi Monasterio obseruare inuiolabiliter, decreuimus ad sanctitatem vestram destinare Religiosos ex eadem Congregatione viros, Hugonem & Paulum, Fratres nostros, iuxta prædictam sanctam Regulam, & obseruantiam plenius instruendos in Casinensi sanctâ Congregatione; quos commendatos apud Paternitatem Tuam humili obsequio rogamus. Datum in Monasterio propè vrbem Fundanam 7. Calend. Aprilis.*

Defenditur. Impugnat hanc Epistolam velut suppositiam Antonius Gallonius, sed egregiè eam propugnat Matthæus Lauretus, lib. de Epist. corp. S. Bened. in Cassin. R. P. Henricus Vanden Zype, & Clemens Reynerus. Ille etiam ex eo quòd pleraque Monasteria per Italiam se Benedictinæ Regulæ submiserint probabiliter admodum colligit, S. Equitium, multorum Monasteriorum in Valeriæ prouincia Patrem, aut saltem eius successores eandem suscepisse; præsertim cùm de Equitiano viuendi modo, formâ, ac Regulâ, nulla vsquam reperiatur fieri mentio.

Henric. Zyp. lib. de Monaster. Ord. S. Greg. Reyn. in Apost. Benedict.

In dies autem magis magisque relictis prioribus Regulis Monachos Benedictinam suscepisse tú arbitror, cùm S. Gregorius cā in generali Synodo confirmauit, & vt ipse loquitur, præcepit: vt, *Vbicumque Latina littera legerentur, eam obseruarent, quicumque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque ad finem mundi.* Quòd quidem disertè ita factum, asserit Robertus Autissiodorensis, Canonicus Premonstratensis in Chronico ad an. 538. *Huius* (BENEDICTI) *vitā sanctus Papa Gregorius scripsit* &c. Mox verò: *Quam etiam vitam, & Regulam idem Dominus Apostolicus auctoritate roborauit, & stylo. Vnde & ab illo tempore mos inoleuit, vt penè omnes, qui Monachico habitu induuntur, secundùm huius sancti Patris Regulam se viuere profiteantur.*

Gregor. in priuileg. Sublac. cit. à Baron. an. 595. Post approbationem Regula à S. Gregorio factam Benedictinismus viget.

In Galliâ quoque cum iam inde à Sancti Martini tempore Monachi varijs locis fuerint, susceperunt & illi tandem S. BENEDICTI Regulam; in ipso Turonensi Monasterio. Et de Lerinensi res est notissima, Cardinalis Baronij testimonio quoque cōprobata, qui ait S. Cæsarij Arelatensis Regulam cum ipso Lerinensi Monasterio in S. BENEDICTI transijsse, ita enim ait: Cùm adeò frequens mentio fit de Cæsarij Regulis editis de vitâ Monasticâ, nec exstent illæ quidem: putamus eas in S. BENEDICTI

In Galliâ Regula transiuit in Benedictinam.

Baron. ad anno Christi 508.

A Monastica instituta receptas, non autem perijsse: Sicut enim ipsum Lerinense cœnobium cessit vsui Monachorum S. BENEDICTI, ita & ipsas Cæsarij constitutiones Monasticæ vitæ, vt riuum in flumen deriuatas esse in Regulas S. BENEDICTI mihi facilè persuadeo. Susceptam autem Benedictinam Regulam in prædicto Lerinensi Monasterio viuente adhuc S. BENEDICTO, antiquus auctor vitæ S. Honorati Arelatensis Episcopi testis est, ita enim in præfatione habet: *Legitur quodam loco, quod S.*

DE REGULA S. BENEDICTI.

B *Maurus cum ad Galliam pergeret, huius Honorati discipulis in Lerinensi Insulâ beatissimi* BENEDICTI *Regulam tradiderit: quod reipsâ quidem nunc probari potest.*

Quinimò Clemens Reynerus probabili coniecturâ asserit, ex eo quòd in repetitione, quam ad Sanctimonialium Regulam S. Cæsarius fecit, in quâ duo integra capita ex Regulâ S. BENEDICTI ad verbum descripsit, iam tum susceptam fuisse Regulam S. BENEDICTI vnà cum ipsius Cæsarij Institutis, tam à Monialibus Arelatensibus,

Clem. in discept. de Antiquit. Benedictin. in Angliâ tract. 1. sect. 1. §. 10.

C quàm Monachis Lerinensibus. Neque mirum id esse, cùm ex emendatâ à Baronio temporum ratione cōnstet, S. Cæsarium decem totos annos S. BENEDICTO superuixisse, totidem B. Mauro in Gallijs agenti, exstitisse coæuum.

Sed vniuersa pænè Galliæ Monasteria repudiatis priscis constitutionibus Benedictinæ Regulæ post S. Mauri aduentum se subdidisse, tradit B. Odilo, cùm de S. BENEDICTO loquens, ait: *Post eius autem pijssimi Patris ex hac vitâ migrationem, per beatum*

Probatur ex S. Odilone.

In vit. S. Maioli.

D *Maurum eius discipulum, omnis pænè Gallia eius institutionis & Religionis instituto suscepit, atque per eundem Maurum, eosque quos ille ad iustitiam erudiuit, per longa temporum spatia eadem Religio ad perfectionis cumulum excreuit.* Atque ita sensim defierunt in Galliâ Monasticæ institutiones S. BENEDICTO antiquiores, adeò quidem vt Carolus Magnus anno Christi 811. in Capitulari interrogationum, quas Synodo, ni fallor, proponere intendebat, ita scripserit: *De conuersatione Monachorum, & vtrum aliqui Mo-*

Carolo Magno.

Interrog. 1. apud Sirmond.

E *nachi esse possint præter eos, qui Regulam S.* BENEDICTI *obseruant. Inquirendum etiam, si in Galliâ Monachi fuissent priusquam traditio Regulæ S.* BENEDICTI *in has prouincias peruenisset.* Et Franciscus Belforestius testatur: Nulla alia cœnobia fuisse in Galliâ, quam Benedictina, vsque ad annum M. LXVII. quo primum Monasterium alterius Ordinis, Canonicorum videlicet Regularium, Beluaci à S. Iuone constructum est. Id verò quod de Italiâ & Franciâ hîc asserimus, in alijs quoque Europæ partibus accidisse, minimè dubium est. Atque hæc sufficerint

Et Belforestio. Annal. Franc. lib. 1. c. 13. &c. Cosmogr. tom. 1.

DE REGULA S. BENEDICTI.

rint ad probandam excellentiam Regulæ S. BENEDICTI, quam alij tanti fecerint, vt suæ quam iam pridem seruauerant, eam meritò prætulerint.

DISQVISITIO III.

An Regula S. BENEDICTI *toti mundo scripta? & quàm latè propagata?*

LAVDIBVS sanctissimæ Regulæ nostræ & illud non initiria accenseri queat, quod prorsus vniuersalis sit, non vni tantum Monasterio præscripta, sed toti omnino terrarum orbi, omnibusq; cuiuscumque generis hominibus proposita. Non ignorans enim sanctissimus Patriarcha noster se futurum in gentem magnam, ei semen suum multiplicandum velut stellas Cœli, & adeò quidē, vt à solis ortu vsque ad occasum, ab Aquilone vsque ad mare, plantata ab eo Benedictina vitis, extenderet palmites suos; ita Regulam suam condidit, vt nulli nō loco vtilis esset, nulli non genti accōmodata. Id verò ex ipsâ Regula facile colligi potest, in quâ nō semel diuersorū locorum & Regionum meminit, in quibus eam seruandam iam tum fortasse sciebat. Ita cap. 40. ait: *Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprascripta mensura inueniri possit, sed multò minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, & non murmurent.* Innuens Regulam & ibi cum tempore introducendam, vbi aut nullus, aut exiguus esset vini prouentus. Manifestiùs autem idipsum probari potest ex cap. 55. vbi sic statuit: *Vestimenta Fratribus secundum locorum qualitatem vbi habitant, vel aërum temperiem dentur: quia in frigidis Regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus.* Ex quibus quis non videat, & frigidis & calidis, atque etiam mediocribus Regionibus Regulam hanc ab ipso Conditore destinatam esse? Quod vti sanctissimus Legislator noster diuino instinctu prænidit, ac certâ animi destinatione Regulā suām eò direxit, ita deinceps etiam est consecutus, vt in omnem terrā exiret sonus eius, & in fines orbis terræ verba Regulæ ipsius. Vndè non immeritò S. Petrus Damiani eum non tantùm *Auctorem*, sed *& Promulgatorem sanctæ Regulæ* appellat. Similiter Honorius Augustodunēsis de ipso dixit: BENEDICTVS *Abbas Casinensis Monasterij scripsit Regulam Monachorum* PER TOTVM MVNDVM PROMVLGATAM.

S. Benedictus prævidet Regulæ suæ propagationem.

Eam varijs regionibus temperat.

Opusc. 13. cap. 7.

Ordo S. Benedicti plantatus.

Etsi autem hęc promulgatio, atque adeò sanctissimi Ordinis nostri, longè latèque propagatio notissima omninò sit, eam tamen pluribus è nostris adstruunt Arnoldus Wion in Epilogo libri tertij ligni vitæ, & Carolus Stengelius in Coronâ lucidâ. Hugo quoque Menardus Libello singulari, de Origine & incremento Ordinis S. BENEDICTI. E quibus hanc breuem accipe Synopsin. Per ITALIAM, in qua Ordo noster cœpit, ab ipso sanctissimo Patre nostro BENEDICTO, eiusque Discipulis Regula, vt suprà probauimus, promulgata est. Per SICILIAM ab eiusdem Discipulo Placido. De Ordinis verò propagatione in Sardiniâ, & Dalmatiâ, & per totum Illyricum, agit Leo Ostiensis Chronici Cassin. l. 3. cap. 22. Et Petrus Diaconus l. 4. c. 82. & in Catalogo Abbatum Montis Cassini.

In Italia.

De GALLIA idem Ostiensis sic ait: *Per S. Mauru eiusq; discipulos, omnis ordo, & regularis disciplinæ normo, quæ per sanctissimum Patrem* BENEDICTVM *fuerat constituta, per totam Galliam diffusa ac disseminata est.*

Propagatur in Galliam. Lib. 1. cap. 2.

In HISPANIAM Monasticā Regulam detulerunt Discipuli S. BENEDICTI, ipso adhuc viuente, & iubente; circa annum Domini 540. vt colligitur ex testimonio S. Maximi, Cæsar-Augustani Episcopi, quod tale exstat. Era DXXVIII. (hoc est A. C. DXL.) *Sāctia Seueriani mater, ædificato Monasterio Monschis, quos* S. BENEDICTVS *primum misit in Hispaniam ad S. Petrum Caragdinēsem Toleti moritur, & in eodem Monasterio conditur.* Et paulò pòst. Era DXLII. (Anno C. DLIV.) *Athanagildus Rex in planicie suburbij Toletani ædificauit Monasterium Ordinis* S. BENEDICTI, *in honorem S. Iuliani apud Aurnos passi, dictum Agalliense ab Agallula villa.* Præ cæteris autem Institutum nostrum per Hispaniam magis propagauit S. Æmilianus, qui obijt circa annum Domini 574.

Hispaniam.

Apud Prud. Sandoual. p. 1. Fundat. Monast. Benedict. Hisp.

In Germaniam primus omnium Benedictinos aduocauit S. Disibodus, vt in eius vitâ testatur S. Hildegardis. Eos verò mirificè auxit S. Bonifacius cum suis discipulis, fundato celebri Fuldensi Monasterio, è quo multis locis Cœnobiorum Præsides, Gentium Apostoli, omnium disciplinarum Magistri prodierunt; à quibus Benedictinismus in varias oras delatus est.

Germaniam.

Per *Alsatiam*, Alemanniam, & Boiariam, Benedictina Monasteria fundauit S. Pirminius, Monachus Benedictinus, ac deinde Meldensis Episcopus.

In *Hungariā* Benedictinas Colonias è Cassinate Monte, ad Monasteria cōstruenda S. Stephanus Pannoniæ Rex inuitauit, vt auctor est Leo Ostiensis, lib. 2. Chronici Cassinensis cap. 79. & Bonfinius rerum Hungaricarum lib. 1. Decade 2.

Hungariam.

In *Bohemiam* idem Institutum aduexit S. Adalbertus Pragensis Episcopus 2. qui ex Romano S. Alexij Cœnobio sex secum Fratres deducens, in Breunouiensi Monasterio collocauit.

Bohemiam.

Ioan. Dubrauius lib. 6.

Promouit

Promouit porrò, maximèque hoc insti- tutum illustrauit, qui ex eodem Cœnobio prodijt S. Procopius, natione Bohemus. Sex deinde eiusdem Monasterij Monachi in *Poloniam* solitudinis desiderio migrarunt. Et Boleslaus primus in eodem regno alia deinde Monasteria ædificauit.

Poloniam.

Sed maximè Benedictinismum per *Poloniam* propagauit Casimirus Poloniæ Rex, qui Cluniaco, vbi Monachus fuerat, duodecim Monachos euocauit, quibus domicilia & templa exstruxit, vt refert Martinus Cromerus libro quarto Historiarum.

Sueciam, Daniam. De Cœnobijs *Sueciæ, Daniæ,* & partium Aquilonarium, legendi Albertus Krantzius, Ioannes Magnus, Gothus, Episcopus Vpsalensis, & Helmondus Presbyter in Chronico Slauorum.

Angliam. In ANGLIAM SS. Augustinus, Mellitus aliique S. Gregorij discipuli, Regulam Ordinemque S. BENEDICTI intulerunt; qui mira ibi incrementa accepit.

De Britanniâ, Scotiâ, & Hiberniâ, author est Petrus Diaconus sub Valentiniano, qui fuit sextus Casinensis Abbas, colla sua Monasticæ Regulæ submisisse. Et hæc de Ordine Diui BENEDICTI per totam ferè Europam propagato.

Benedictini in Asiâ. De *Asiâ* verò, & partibus Vltramarinis, ad quas propagines suas hæc sacratissima plantatio emisit, agit Guilielmus Episcopus Tyri, de bello sacro, lib. 18. cap. 5. Trithemius lib. 3. cap. 23. de Viris Illust. Ord. S. BENEDICTI. Et in libro de Script. Eccl. & alibi aliquoties. Petrus Diaconus in catalogo Abbatum Montis Cassini, de S. Oderisio primo Abbate, sic loquens: *Hic Hispaniæ iterum, Constantinopoli, Hierasolyma, Illyrico, Ordinem mittit.*

Græcia. Sed & Cluniacenses vsque ad Vallem Iosaphat, & sepulchrum Matris Domini nostri Iesu Christi propagines suas extenderunt, obtinueruntq; Monasterium, quod *Ciuitot* dicitur, in suburbio ciuitatis Constantinopolitanæ, vt habet Chronicon Cluniacense.

Ægypt. Apud Surium 10. Augusti. Penetrarunt etiam Benedictini inuias *Ægypti* solitudines, vt in vitâ S. Bononij Abbatis legitur, qui ad perfectiora charismata contendens, Ægypti solitudinẽ adijt, in quâ sanctissimè viuens, procerum ac populi in se amorẽ prouocauit, adeò quidem, vt potestatem ei facerent istis in locis instituendi quæ ad Religionis restaurationem pertinere censuisset. Quod ille sedulò perficiens, primùm diruta multis in locis templa restaurat: Et post iactum hoc virtutum suarum quasi spirituale fundamentum, Monasteria deinde plurima reparans, per quæ cœtus Monachorum distribuit, Abbates constituit, eosque secundùm à Diuo BENEDICTO præscriptam REGVLAM, vitam religiosè traducere iussit.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Postremò Benedictinam Regulam in Occidentales Indias, Regnum videlicet Peruanum, siue *Americam*, inuexit Bueillus, primus Indiarum Archiepiscopus & Patriarchâ, ac summi Pôtificis Vicarius, creatus anno Christi 1493. de quo Indiarum Scriptores videndi. Ex hisce porrò luculentissimè patet, per vniuersum terrarum orbem longè latèque Benedictinum Ordinem esse diffusum.

Primus Indiarum Apostolus fuit Benedictinus.

Quod vlteriùs etiam euidentissimè probari posset ex summi Pôtificis BENEDICTI XII. Bullâ, quæ vocatur *Benedictina*, in quâ Ordinem diuidens in triginta septem Prouincias, integra subinde regna vnius Prouinciæ nomine designat, vt regna Scotiæ, Bohemiæ, Daciæ, Sueciæ, Sardiniæ, Corsicæ, & Cypri. In eâdem quoque partitione ita vniuersam Europam distribuit, vt nullum in Occidente, Septentrione, aut meridie sit Regnum, Prouincia, vel Insula, quæ illâ non comprehendatur. Quinimò & Orientis plurimas ciuitates expressit, vt patet in designatione Prouinciæ 27. vbi his verbis vtitur Pontifex: *Prouincia Thebanensis, Atheniensis, Patracensis, Corinthiensis, & Neopacensis, cum toto Patriarchatu Constantinopolitano habeantur pro vnâ prouinciâ.*

Ordo S. Bened. in quot Prouincias diuisus.

Ex quibus liquet per vniuersam Græciam, ipsamque Syriam, Ordinem nostrum propagatum fuisse, & ne vlla loca in quibus Ordo noster viguit ab hâc Prouinciarum diuisione exclusa videantur, ita Pontifex eam concludit: *Cæterùm, si qui Episcopatus, aut si qua Monasteria, vel loca dicti Ordinis, vel Religiosi fuerint, quæ in aliquâ dictarum Prouinciarum minimè includantur quoad prædicta Capitula: de illâ prouinciâ esse volumus, cui Episcopatus, Monasteria & loca huiusmodi viciniora existent.* Atque hęc sine dubio sufficerint ad assertam hâc Disquisitione veritatem comprobandam.

DISQVISITIO IV.

Quinam Ordines sub Regula S. BENEDICTI *militent?*

HAVD facilè est recensere, quot ex vno Regulæ nostræ fonte flumina sint deriuata, quot ex tenui veluti surculo prægrandium exortæ sint frugiferarum arborum siluæ, quæ vniuersam Occidentalẽ Ecclesiam fœcundo germine repleuerint; quot, inquam, ex BENEDICTO diuersorum ORDINVM sint progressa agmina MONA-

Fœcunditas Ordinis S. Benedicti.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

CHORVM; qui licet diuerso nomine in Ecclesia Dei circumamicta varietate censeantur, Instituti tamen se esse S. BENEDICTI, & ab ipso progredi gloriantur. De his autem Ordinibus sub Sanctissimi legislatoris nostri signis militantibus, cùm fusius egerint Ioannes Trithemius libro primo de Viris Illustribus, cap. 3. Arnoldus Wion, lib. 1. ligni vitæ: Aubertus Miræus, Originum Monasticarum toto libro secundo. Ioannes Azorius, Institutionum Moralium lib. 12. cap. 21. Emmanuel Rodericus, tomo 1. qq. Regularium quæst. 3. articul. 2. Nos ex ijs breuem hîc Syllabum exhibebimus.

E quo XII. alij prodierunt.

Monastici igitur Ordines Benedictinã Regulam profitentes duodecim omninò numerantur: quorum *primus* est *Ordo*, seu Congregatio CLVNIACENSIS, quæ à S. Odone Abbate anno Domini 913. exordium sumpsit. *Cluniacenses.* Esse autem hunc Ordinem à reliquis omnibus distinctum, imò etiam contra ipsum Ordinem S. BENEDICTI distingui, ex Pontificum Diplomatibus, atque ipsis Cluniacensium scriptis, pluribus probat Clemens Reynerus in Disceptatione Historica de antiquitate Benedictinorum in Angliâ. *Reyn. tract. 2. sect. 2. §. 3.*

Secutus est deinde anno 1012. S. Romualdus, qui Ordinẽ CAMALDVLENSEM, sub candido amictu, in Italiâ instituit. *Camaldulenses.*

Tertium Ordinem, qui VALLIS-VMBROSÆ, à loco dictus est, S. Ioannes Gualbertus Florentinus instituit; qui obijt anno salutis 1073. vtitur verò hic Ordo Veneto seu grisco colore, & ab Alexandro II. approbatus est. *Vallu-Vmbrosa.*

Quartus Ordo fuit GRANDIMONTENSIVM Monachorum, qui in Lemouicensi Diœcesi circa annum Christi 1080. sumpsit exordium, Auctore atque Antesignano Stephano, miræ sanctitatis viro. Ordinem porrò hũc Benedictinæ potiùs, quàm Augustinianæ Regulæ addictum esse, docet Renatus Choppinus. *Grandimontenses.* *Sacræ Politiæ lib. 1 & 2. Monastico lib. 2. tit. 1.*

Quintus Ordo isque celeberrimus, est CISTERTIENSIS, à S. Roberto Molismensis Cœnobij Abbate anno Domini 1098. institutus: in quo Cucullâ candidâ, nigro scapulari Monachi vtuntur: Quem Ordinem plurimùm auxit propagauitque S. Bernardus. *Cistertienses.*

Sextus Ordo FONTIS-EBRALDI, in Galliâ per Robertum Blesælium Parisiẽsem anno Domini 1117. institutus: in quo etiam Viri Abbatissæ parẽt: exemplo S. Ioannis Euangelistæ B. MARIAM Deiparam Virginem in Matrem accipientis. Quem quidem Ordinem authẽticis Bullis multi Pontifices approbarunt; Docentes eum ab illis Christi verbis, ECCE FILIVS TVVS: ECCE MATER *Fontis Ebraldi.*

A TVA, Institutionis suæ originem traxisse. Posteris deinde temporibus, facta est Ordinis istius Reformatio iuxta Regulam S. BENEDICTI, & Statuta Roberti Institutoris, idque auctoritate Sixti IV. Pontificis Maximi.

Septimus Ordo HVMILIATORVM, in Insubria, seu Lõgobardiâ per S. Ioannem Medam, circa annum 1066. cœpit, & ab Innocentio III. anno 1200. auctoritate Apostolicâ confirmatus. Hunc Ordinem Pius V. anno 1570. ob nefarium scelus, quod quidam eius Ordinis Monachi in S. Carolum Borromæum machinati erant, deleuit; *Humiliati.* *Extincti à Pio 5.* B Annuos verò eius prouentus, qui triginta millium aureorum summam efficiebant, in alios vsus destinauit. Atque ita, inquit Ioãnes Azorius, deletus est optimus olim Monachorum Ordo, & tale edidit Pius exemplum neglectæ disciplinæ vindicandæ, vt cæteri discant sibi diligentiùs cauere, & susceptæ, ac voto promissæ vitæ Regulam studiosiùs tenere. *Azor. tom. 1. Inst. l. 12. cap. 21.*

Octauus Ordo est MONTIS VIRGINIS, à S. Guilielmo Vercellensi institutus, qui obijt C anno post Christum natum 1142. De habitu huius Ordinis hæc habet Wion: Monachorum primus habitus cãdidus Humiliatorum, vti à nonnullis intellexi, omninò persimilis: mutatus deinde formâ, non colore, simul cum Regulâ eiusdem Patris, IN REGVLAM S. P. N. BENEDICTI, suæq; Religionis Cassinensis habitum: sed aliquot post annos, transformata sunt. Factum id sub Roberto Sancti Guilielmi immediato successore, auctoritate Alexandri Papæ III. *Montis Virginis.*

D *Nonus Ordo* EREMITARVM S. GVILIELMI, siue vt vocant, *Guilielmitarum*; initia sua debet Aquitaniæ Duci & Pictonum Comiti, S. GVILIELMO, qui in Stabulo *Rhodis* ab hominum consortio se subducens, Ordinem Eremitarum fundauit; quem postea B. Albertus eius discipulus, qui in sæculo illi à secretis fuerat, & Reinaldus ex medico Monachus, alijque mirificè propagarunt. Militasse autem hunc Ordinem à multis retro sæculis sub Regulâ S. BENEDICTI, ex variorum Pontifi- *Guilielmitæ.* E cum, vt Innocentij IV. Alexandri IV. Vrbani IV. & aliorum diplomatibus probat Sampson Haius Guilielmita Parisiensis, in suo libro de veritate vitæ & Ordinis S. Guilielmi, Parisijs anno 1588. edito; quæ quidem diplomata exstant apud Mirçum. Quare erroris conuincuntur Raphael Volateranus, Iacobus Bergomensis, Onuphrius Panuinus, Iosephus Pamphilus, Morisius, & alij, qui Guilielmitas Regulæ Sancti Augustini subijciunt. Videndus etiam Chrysostomus Hẽriquez, singu- *Mirç. Orig. Monast. l. 2. cap. 15.*

singulari libro hoc argumentum prosecutus.

Cælestini. *Decimus Ordo* CÆLESTINORUM à Petro de Morono initium habuit: qui ad summum Pontificatum anno 1294. euectus, Cælestinus V. dictus est: à quo Ordo ab eo institutus nomen accepit, & à Gregorio X. approbationem.

Montis Oliueti. *Vndecimus Ordo* MONTIS OLIVETI, à B. Bernardo Senensi, coguomento Ptolomæo, cùm alijs socijs originem duxit anno Domini 1319. sub Ioanne XXI. qui eos ad Guidonem Episcopum Aretium cum litteris Apostolicis remiserat; vt ab eo Religionis habitum sub aliquâ probatâ Regula acciperent. Apparuit verò Episcopo B. V. MARIA Angelorum choro stipata, quæ ei viros illos commendans, candidum habitum, & Regulam S. BENEDICTI, quâ deinceps vterentur, porrexit; quam ille eis obseruandam tradidit. Approbatus autem Ordo est à Gregorio XII. circa annum 1372.

Siluestrini. *Duodecimus Ordo* SILVESTRINORVM, à B. Siluestro Vallis-Vmbrosę Monacho initium duxit, anno Domini 1232. & confirmatus est ab Innocentio IV. anno 1258. Olim hic Ordo dicitur fuisse subiectus Ordini Vallis-Vmbrosæ: nunc gubernatur curâ vnius Generalis Præpositi, qui olim solet esse perpetuus, sed nunc triennaiis est.

Congregationes aliæ. Alij Ordines Monastici, qui à quibusdam sub S. BENEDICTI vexillis militare scribuntur, aut alterius Regulæ esse dignoscuntur; aut certæ Congregationes tantùm, aut quædam Reformationes potiùs sunt, quàm noui Ordines, vt Ordo *Specuensis, Scotorum, & Gilbertinorum*: *Vallis* etiam *Caulium*, & *Fuliensis*; qui duo postremi sub Cistertiensi Instituto militant: de quibus consulendi Wion & Miræus.

Hi igitur duodecim Ordines, in Militante Ecclesiâ sunt veluti spirituales castrorum acies optimè ordinatæ, quas aduersus Dei hostes S. BENEDICTVS, spiritualis militiæ Dux, copioso numero eduxit: hi, inquam, sunt, qui sacris vigilijs pro Ecclesiâ Dei excubias egerunt. Hi Psalmodiæ & precationum iaculis tela in hostem miserunt: hi lacrymarum imbribus aduersas munitiones euerterunt: hi gladio verbi Dei subegerunt Gentes, conuerterunt Regna, destruxerunt hæreses, & innumeris ciuibus cælestem ciuitatem Ierusalem auxerunt.

Verùm & alias copias in sacratissimo exercitu suo victoriosissimus Imperator S. BENEDICTVS habet, quibus Ecclesiam Dei ciuitatem validissimè propugnat atque defendit.

De regula S. Benedicti. Sacros, inquam, MILITARES ORDINES, qui corporalibus armis contra Christiani nominis hostes cominus dimicantes, se Christi Athletas fortissimos, fidei defensores acerrimos, & sacrosanctæ Ecclesiæ propugnatores inuictissimos constituerūt, ipsoque facto sæpissimè exhibuerūt. *Ordines Militares sub Regula S. Benedicti.* Quos inter *Primus Ordo* est, qui de *Auis* vel AVISIUS nuncupatur, ab Alphonso primo Lusitaniæ Rege anno Domini 1147. fundatus, & Ordini Cistertiensi subiectus fuit. *Auisius.* Vtuntur huius Ordinis milites habitu albo, rubrâ Cruce insignito, qui postea militiæ Calatrauensi vniti, atque incorporati sunt.

De Calatrauâ. Quare proximo ab hoc Ordine loco ponendus est ORDO CALATRAVÆ à S. Raimundo Abbate, & Sanctio Castellæ Rege anno à Christo nato 1157. sub Regula S. P. BENEDICTI, & Cistertiensi habitu candido excitatus, quem Alexander Papa III. anno Christi 1164. suo diplomate confirmauit. Innocentius quoque III. & Paulus itidem III. priuilegijs auxerunt.

Tertium Equestrem Ordinem anno Domini 1170. Gometius Fernandus, nobilissimus miles, in Regno Legionensi instituit sub nomine MILITVM S. IVLIANI DE PIRO, quod nimirum in eo Oppido primum Cœnobium exstructum esset. *S. Iuliani de Piro.* Ordinem primus probauit Alexander Papa III. anno 1177. Comprobauit Lucius item III. anno 1183. & à Diœcesanis exemit, additâ Diui P. N. BENEDICTI Regulâ, quam sequerentur. Confirmauit tertio Innocentius & ipse III. idque anno 1305. Donati deinde Alcantaræ Oppido, ab eo *Milites* ALCANTARÆ dicti sunt: Cucullum & rubram fasciam, quâ antea distingui consueuerant, cruce viridi florida in candido scapulari mutarunt. *Seu de Alcantarâ.*

Quartus Ordo Militaris S. MARIÆ DE MERCEDE & REDEMPTIONE CAPTIVORVM institutus dicitur à Iacobo I. Aragoniæ Rege, post quem Petrus Nolascus, homo Gallus, Ducem sequentibus se præbuit, optimisque legibus & Institutis ad S. P. BENEDICTI normam nascentem familiam temperauit. *S. Maria de Mercede.* Gregorius IX. institutam viuendi rationem suo diplomate probauit. Alius est Ordo huic cognominis, sub S. Augustini Regulâ militans, quem cum hoc multi confundunt, sed distinguendos prorsus esse, contendit noster Wion. *Wion lib. 1. cap. 86.*

Quinto loco in Equestres Ordines recenseri potest, qui de MONTESIA dicitur, cui Templariorum Militum bona, quæ in Valentino tractu obtinuerant, attributa fuerunt: & quamuis Militia hæc Calatra- *De Montesiâ.*

DE REGVLA S. BENEDICTI. uæ subiecta sit, proprio tamen Magistro gaudet, vtiturq; veste candidâ, Cruce rubrâ & planâ insignitâ. Cistertiensium legibus, & S. BENEDICTI Regulâ Milites viuunt. Quorum Ordinem Ioannes XXII. approbauit.

Militu Christi. *Sextus* militaris Ordo à Dionysio, cognomento Perioca, Portugalliæ Rege anno Domini 1320. in Lusitaniâ erectus est, cui MILITVM IESV CHRISTI, siue de *Portugallo,* nomen inditum est; atque Ordo à prædicto Ioanne XXII. approbatus, ex Cistertiensium Instituto viuit, nigrâque veste, & Cruce partim rubrâ, partim candida induitur. Sunt enim quatuor eius brachia per medium discissa, & lineâ candidâ interfecante distincta: sic vt in singulis brachijs binæ Cruces appareant, rubrâ & candidâ.

S. Stephani. *Septimus* Ordo à *S. Stephano Papâ* appellatus, Cosmo Medicæo, Magno Hetruriæ Duci initia sua debet; quem Pius Papa IV. probauit, priuilegijsque auxit.

Templarij. His *Octauo* loco addi posset Ordo MILITVM TEMPLARIORVM, quibus viuendi modum Sanctus Bernardus descripserat; sed quòd omninò deletus sit, silentio præterimus.

Melitenses. *Nonus* Ordo, MILITVM S. IOANNIS BAPTISTÆ, siue Eleëmosynarij, vulgò Ierosolymitani, ac postmodum Rhodiani, nunc verò MELITENSES appellantur, superioribus accenseri posset; quòd olim, vt habet Arnoldus Wion, sub S. BENEDICTI Regulâ institutus fuerit, quamuis nunc S. Augustino pareat.

S. Mauritij. *Decimus* Ordo, qui apud Sabaudos ac Pedemontanos floret, est S. MAVRITII, quem Gregorius XIII. postliminiò restituit, & sub Instituto Cistertiensi contra hæreticos militare iussit; Cui idem Pontifex Ordinem Equitum Hospitaliorum *S. Lazari* Ierosolymitani, sub Regulâ S. Augustini militantem vniuit atque annexuit. Gestant porrò Equites isti Crucem viridem limbo candido conclusam, in cuius medio altera Crux, quæ S. Mauritij est, cernitur.

Recenset Miræus lib. 5. Originum Monasticarum, cap. 10. *Vndecimum* Ordinem *Ala.* *Equitum Alæ* nuncupatum, anno 1167. in Lusitaniâ institutum.

S. Bernardi. Ab eodē accipe *Duodecimum* Ordinem *S. Bernardi*, qui olim in Hispaniâ notissimus fuit. De quo Mariana lib. 7. cap. 11. & Montalinus tomo 1. Chron. Cistertiensis, lib. 2. art. 21.

Et alij. Alij autem si qui sint militares Ordines sub S. BENEDICTI Instituto militantes; ad supra enumeratos ferè pertinent. Ordo enim *S. Georgij de Alfamâ*, in Regno Valentiæ, Montesianis accessit, vt tradit Martinus Viciana in Chronicis Valentiæ, parte 3. *Ordo Montis Gaudij* in Castellâ, & Ordo militum *de Truxillo* in Extremadurâ, Ordini Alcantaræ, vt ex Andradâ & Montaluo, Miræus suprà citato loco scripsit.

DISQVISITIO V.

Quantum Regula & Ordo S. BENEDICTI alijs Ordinibus profuerit?

PLVRIMVM quoque ad Benedictinæ Regulæ excellentiam sine dubio facit, quod sicuti Deus (Teste Zachariâ Papâ) *dignationis suæ potentiâ Beatissimum BENEDICTVM, Patrem omnium constituit Monachorum:* ita quoque plerique, qui cum sequuti sunt Ordines Religiosi, huic Parenti eiusque Regulæ aliquid debere videantur, certumque ad Ordinem nostrum habeant respectum. Nam vt eos omittam, qui sub S. BENEDICTI Regulâ Deo seruiunt, (qui potiùs vnius Ordinis variæ Congregationes, quàm distincti Ordines censendi sunt.) *Ordo Carthusianus* plurima à S. BENEDICTO mutuatus est, totamque psallendi disciplinam, variosque ritus ac cærimonias illi debet. Guigo qui primus Ordinis sui Statuta litteris mandauit, scribit se ideò distulisse Consuetudines Ordinis sui describere, *quia in Regulâ Beati BENEDICTI, seu in cæteris scripturis authenticis omnia penè quæ hic religiosè agere consueuimus, contineri credebamus.* Idemque verbis & phrasi S. BENEDICTI non rarò vtitur. Ijdemque Carthusiani à Cistertiensibus silentij formam didicerunt, vt in ipsis Guigonis Statutis expressè legitur. Quare Doctissimus Dionysius Richelius S. BENEDICTVM vocat *specialem & felicissimum Ordinis sui Patrem.*

Zach. PP. in Priuileg. Mon. Cass. concesso in appen. ad Leon. Ostiens.

Quid Ordines Benedictino alij debeant.

Carthusienses.

Guigo. statut. cap. 55. Dionys. ser. de S. Bened.

Candidi deinde Præmonstratensis Ordinis gloriosus Institutor *S. Norbertus* apud Sigebergenses Benedictinos Monachos, diebus circiter quadraginta (vt vitæ Auctor scribit) Sacerdotij didicit vsum, certaque simul religiosè viuendi documenta. Ab illo igitur Benedictino Asceterio Ordo ille tam celebris suum Fundatorem instructum accepit. Quid, quod & primum locum *Præmonstratum*, aliaque Monasteria eius Ordinis à Cistertiensibus, vt S. Bernardus scribit, acceperint? Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum, lib. 12. Ioannes de Pinedâ, Ordinis S. Francisci, alijque, quos noster sequitur Arnoldus Wion, in Martyrologio Monastico; censent S. Norbertum sub S. BENEDICTI Regulâ Ordinem suum instituisse, ac in eo postea Regulam S. Augustini receptam.

Præmonstratenses.

Bern. Epist. 252.

Ioan. de Pinedâ in Monarch. Ecclesiast. lib. 22. cap. 22.

Quod

Quod cum veritate non vſquequaq; ſubſiſtere arbitror, cùm in Appendice ad vitam S. Norberti, ipſi Sancto Regula aurea à S. Auguſtino tradita legatur.

Prædicatores.

Vt verò ad alios Ordines tranſeamus; nobiliſſimus *Ordo Prædicatorum* Benedictino debet Inſtitutorem ſuum S. Dominicum, ſterili matri precibus S. Dominici Abbatis impetratum; cuius etiam nominis hæres fuit. Idemq; Magiſtrum poſteà habuit B. Didacum Azebes, Monachum Ciſtertienſem, à quo Cõſtitutiones, quas ſuis tradidit, accepiſſe fertur. Et antequam Religionem ſuam inchoaret, promotorem B habuit, & fautorem B. Fulconem Epiſcopum Toloſanum, ex Ordine Ciſtertienſi, qui ei primum templum in quo Ordinis fundamẽta iaceret, & multa bona conceſſit. B. Conradus Ciſtertienſis item Monachus eundem Ordinem authoritate Apoſtolicâ approbauit, & cõtra omnes aduerſarios defendit. Clariſſimum quoque huius Ordinis Sidus, & Theologiæ ille ſol, Thomas Aquinas in Monte Caſſino Monachis, litteris & pietati imbuendus traditus fuit.

Franciſcani in Italiâ à Benedictinis adiuti.

Sanctiſſimus deinde Ordo *S. Franciſci* C primarium locum ſuum, quique totius illius Ordinis caput eſt, à Benedictinis habet. Eccleſiam enim S. Mariæ de Angelis, quæ *Portiuncula* dicebatur, Abbas S. BENEDICTI ad Montem Cubaſum Sanctiſſimo Patri Franciſco ceſſit, cuius tamen non dominium, ſed vſum ſolùm Paupertatis Euangelicę Zelator ſummus admiſit; quare Abbati in ſingulos annos caniſtrum piſciculis plenum pendebat, vt refert P. Sedulius. De quo etiam S. Bonauentura ait: D *Hunc locum vir Sanctus amauit præ cæteris mundi locis: hic humiliter cæpit, hic virtuosè profecit, hic feliciter conſummauit. Hunc in morte Fratribus tamquam Virgini chariſſimum commendauit.* Hæc Bonauentura. Simile beneficium à Benedictinis Compoſtellæ in Hiſpaniâ idem Seraphicus Pater accepit. Ab Abbate enim S. Pelagij, ſiue *Paj* (cuius ſucceſſores modò in S. Martini conuentu degunt) fundum Monaſterij in vallibus Dei atque Inferni (ſic enim populus vocabat) pro conſtruendo Monaſterio accepit, promittens ſe pro annuo cenſu ciſtellulam piſcium perſoluturum, de quâ re tabulæ confectæ ſunt S. Franciſci, atque Abbatis chirographis munitæ, quod à noſtris in Sacrario etiamnum aſſeruatur. Et Philippus II. anno 1554. vt memoriâ & veneratione dignum ſibi oſtendi voluit. Viuente adhuc S. Franciſco, Moniales *S. Claræ* ſub Regulâ S. BENEDICTI, quam eis Gregorius IX. præſcripſit, inſtitutæ ſunt, & multis deinceps annis perſtiterunt; vt ex plurimis Pontificum diplomatibus patet.

Sedul. in Comment. ad c. 1. vit. S. Franc.

Et in Hiſpaniâ.

Wadding. in Annal. minor. an. 1214.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Capucini quid à Camaldulenſibus mutuati.

Sed & qui *Capucinorum* inchoarunt Reformationem, cum noſtris Camaldulenſibus aliquantiſper conuerſati, peculiaria quædam ſibi ab ijs ſibi ſeruanda deſumpſerunt; quale eſt barbam oblongam deferre: nec non ſine cantu, ſolaque diſtinctâ pronuntiatione diuinas laudes perſoluere, & alia multa his ſimilia. Vt ſcribit Archangelus Haſtiuillus, Hiſtor. Camal. dub. lib. 1. cap. 15. Quæ etiam Clementis VII. auctoritate confirmata ſunt, vt conſtat ex Bullâ editâ Anno 1528.

Regula Saluatoris quid à Benedictinâ habeat.

Reg. S Birgitt. cap. 26

Quid de *Ordine à Birgittâ* inſtituto dicam? approbatus ille quidem ſub Regula Sancti Auguſtini, & nouam Regulam à Chriſto Domino accepit, ſed in illâ ipsâ plurima veſtigia Sancti BENEDICTI reperire eſt. Nam ita legitur: *Deinde iſtâ Regulâ per Papam confirmatâ, inquirantur aliqui deuoti Fratres, de Regulis* BENEDICTI *vel Bernardi, qui huic Regulæ inſeribant, quomodo exceſſus emendandi ſunt in Monaſterio. Et omnia alia neceſſaria quæ in his verbis non narrantur, ad huius Regulæ roborationem aſſumantur de Regulis ſupradictis.* Quanta verò hæc Regulæ noſtræ laus, quod ea roboret ac ſuppleat Regulam Saluatoris noſtri, idque ipſiuſmet voluntate ac mandato? In Reuelationibus extrauagantibus iubet Chriſtus exponi gradus Humilitatis ex Regulâ Sancti BENEDICTI: *Vt diſcant*, inquit, *filiæ Matris meæ principium virtutum, in quo ſtabiliant ædificia ſua.* Quin & ſequenti capite Petro Priori de Aluaſtro dubitanti, an addenda eſſent aliqua de lectiſternijs vel indumentis; præcepit Chriſtus, quod adderet neceſſaria & vtilia, ſed nulla ſuperflua, & quod illi oſtenſum eſſet qualis eſſe debeat habitus Sancti BENEDICTI. Si quis verò attentius perlegat additiones ipſius Petri de Aluaſtro, planè videbit eas ex Benedictino fonte profluxiſſe: quas quidem non pro libitu ſuo videtur concinnaſſe, ſed ex mandato Chriſti Domini, vt aliàs dictum. Ex quibus apertè ſatis conſtat, quantam cum Benedictinâ Regulâ & Ordine affinitatem Chriſtus filias Matris ſuæ E habere voluerit.

In Reuelat. extrauag. Birg. cap. 3.

Societ. Ieſu multis nominibus obſtricta Benedictinis.

S. Ignatium initio Conuerſionis direxerunt.

Sed à Mariæ familiâ ad *Societatem Ieſu* tranſeamus. Parẽs & Auctor illius S. Ignatius Loyola in quatuor Ordinis noſtri Cœnobijs præclara quædam Ordinis ſui fundationem ſpectantia perfecit. Primitias enim Spiritus ſui in celeberrimâ beatæ Mariæ æde, quæ in *Monte Serrato* à Monachis Benedictinis incolebatur, hauſit. Apud eius Cœnobij Virum virtute inclytum Clanonium, veteris vitæ noxas generali confeſſione expiauit: ciq; ſua de vitæ ineundæ

incundæ ratione consilia ex ordine patefecit. In *Monte* deinde *Martyrum*, Sanctimonialiũ Ordinis nostri Monasterio, cùm primis Socijs prima vita æterno Deo nuncupauit. In *Cassinate Monte* Societatis suæ Regulas conscripsit, ibique, vt Antonius Scipio in Elogij, Abbatum Cassinensium prodidit, tum libris qui opus essent, tum vnius alterius que Monachi subsidio à Præside instructus, ad *Albanetam* se contulit, locum in eodem Cassinati saltu quingentos circiter passus à primario Cœnobio disiunctum; cique operi, quod Ignatius tũc moliebatur apprimè accommodatum & habilem. Hìc omni rerum humanarum curâ & cogitatione abiectâ, partim assiduis precibus explorandæ Numinis voluntati, partim studiosè lectitandis expendendisque Sanctorum Patrum, qui Religiosas familias condidêre, sacris decretis, plures dies traduxit: alia ab alijs, quæ aptè videbantur ad suum institutum transferri posse (sed sapienter mutuatus) sanctissimas leges præscripsit. Hìc inter orandum Socij cuiusdam è suis (qui per id tempus Romæ obierat) animam in cœlum ferri conspexit. Vt S. Patriarcha BENEDICTVS videri potuerit diuersanti domi suæ Ignatio, & pulcherrimo operi intento gratificari voluisse, impetratâ illi diuinitùs communicatione miraculi, qua ipse apud Cassinum degens Scholasticæ sororis, & Germani Capuæ Antistitis animas ad Superos euolantes clarè vidit. Denique confirmatâ ab Apostolicâ Sede Societate, in *Monasterio S. Pauli* viâ Ostiensi, quod nostri itidem Ordinis est, solemni ritu Professionis suæ vota ex Apostolici diplomatis formulâ, Ignatius ipse alijque cum eo nuncuparunt, vt scribit Nicolaus Orlandinus.

Apud ipsos Regulas scripsit.

Et Professionem emisit.

Orland lib. 3. hist. Soc. num. 11.

His & illud accedit ab Arnoldo Wion commemoratum: Patres scilicet Societatis Iesu omnem suæ Religionis perfectionem, meditandique modum sumpsisse ex EXERCITATORIO vitæ spiritualis libro, quem composuit Garsias à Cisneros, Monasterij S. Mariæ Montis Serrati Abbas, qui cùm esset Vir Sanctus, doctus & Religionis veræ Zelator, Congregationis Vallisoletanæ fundamenta iecit. Non immeritò igitur Iacobus Aluarez de Paz de nostro Legislatore agens, eum vocat venerandum omnium Sanctarum Religionum Patriarcham BENEDICTVM, ac specialiter nostræ Societatis Patrem sanctissimum, ad cuius honorem præscriptos ab eo duodecim Humilitatis gradus suscepit explicandos.

Wion lig. vit. lib 5. cap. 10.

Quid S. I. ex Cisneri Exercitatorio hauserit.

Paz tom. 3. lib. 4. part. 3.

Verùm non modò ipsis sacrorum Ordinum Fundatoribus Benedictina Religio aliquid, vti iam vidimus, cõtulit; sed etiam

A cum nascentium in Ecclesiâ Dei Ordinum instituta passim impugnarentur, illi qui eadem statuta scriptis libris propugnabãt, S. BENEDICTI exemplo & Regulâ se plerumque tuiti sunt: ad eum scilicet Ordinem prouocantes, qui iam Ecclesiæ testimonio, & Sanctorum numero pænè innumero, aliquot sæculis sanctissimus atque omninò probatissimus habitus esset. Ita cum Ordinibus Mendicantibus obijceretur, quòd ex Eleemosynis viuerent, nec manibus laborarent, eos defendens S. Tho-
B mas Aquinas, allato S. BENEDICTI exemplo, ab obtrectationibus vindicauit; vt videre est in opusculo contra impugnantes Religiosos. Eodem scuto Ordinem suum defendit S. Bonauentura contra Magistrũ Guillielmum. Prædicandi & docendi munus, Angelicus Doctor Religiosis competere docet, ex eo quod Bonifacius Papa dixerit, quòd huiuscemodi S. BENEDICTVS Monachorum Præceptor Almificus interdictor non fuerit. In opusculo quoque contra retrahẽtes homines ab ingressu
C Religionis, probat etiam eos admitti posse ad Religionem, qui priùs in præceptis exercitati non fuerint, quia S. BENEDICTVS nobilium pueros Omnipotenti Deo nutriendos susceperit. Idemque aliàs sæpè S. BENEDICTI exemplo & Regulâ vtitur ad Religiosi status defensionem ac instructionem; vt hæc nostra Religio aliarum sequentium sit veluti exemplar & propugnaculum. Vnde etiam Societatis Iesu Patres iuuentutis institutionem, litterarum studia, suaque collegia Benedictino potis-
D simùm exemplo tuentur. Quòd in vitâ S. Ignatij strenuè fecit Ribadineira: qui quoniam plura ad Benedictinorũ scholas pertinentia habet, dignissimus est, qui Disquisitionem hanc verbis suis concludat. Sic ergo ait: Diuus BENEDICTVS Monachorũ in Occidente Parens, pueros in Cœnobijs educabat, informabatque ad pietatem (in eum ferè modũ, quo Societas nostra quibusdam in Collegijs separatim nunc facit) sic Placidum & Maurum puerulos à BENEDICTO receptos legimus, & in omni
E genere virtutum excultos atque perfectos. Quæ consuetudo diu posteà tenuit. Nam D. Gregorius Anglos pueros magnâ diligentiâ conquiri iubebat, & in sui Ordinis Cœnobijs ali atque educari. Et D. Thomas Aquinas longo post tempore in Cassinensi Monasterio à puero institutus est. Neque verò pueros fingebant Monachi S. BENEDICTI ad omnem tantummodò virtutis laudem, sed etiam disciplinis, & omni scientiarum genere instruebant. Nam & in Germaniâ, & in Galliâ, & in Angliâ, magnâ cum laude docuerunt: au-

Ordines alij impugnati Benedictino se scuto protexerunt.

S. Thom. opusc. 15. cont impug. Relig. & 2. 2. q. 187 art. 4

Bonau. in l. de Paup. Christi cõt. Magist. Guil.

16. quæst. 1. cap. sunt nonnulli.

Soc. Iesu Clerice Scholas suas Benedictinorum exemplo tuentur.

Ribadin. lib. 3. cap. 25.

D. Greg. in vit. S. Bened.

Ioan. Diacon. lib. 2. de vit. S. Greg.

In vitâ S. Thom.

thore & principe huius inſtituti Venerabili Bedâ, qui ante annos 800. in Angliâ docuit, & ſcholæ præfuit: in cuius locum poſteà ſucceſſit Albinus, Caroli Magni Præceptor, & in locum Albini Rabanus Abbas Fuldenſis, qui poſteà etiam Archiepiſcopus fuit Moguntinus. Et Monachi S. BENEDICTI Collegia (quemadmodum nos nunc habemus) habuerunt, in quibus do- A cebant, ſcilicet quæ nos nunc docemus, vt videre eſt apud Ioannem Trithemium Monachum & Abbatem eiuſdem Ordinis, qui rem totam diligentiſſimè perſequitur. Atque eâ re tantopere floruit Ordo S. BENEDICTI, & ſanctiſſimis doctiſſimiſq; Viris ab[illegible]dauit, quorum doctrina vniuerſam Ec[illegible]am illuſtrauit. Hactenus Ribadineira.

DE REGVLA S. BENEDICTI. Trithem. in Chron. Hirſaugien ſi, anno Domini 854. & 890. & 952. & alibi.

TRACTATVS VII.

DE FINE AC SCOPO

Regulæ S. BENEDICTI.



VIS Regulæ noſtræ, & ex eius præſcripto viuentium Cœnobitarum finis ac ſcopus, neceſſarium cumprimis fuerit cognoſcere; ne religioſi ſtatus ex cepti nauigio, nullum certum petant portum. Hoc tales Satyricus perſtringens, non illepidè interrogat:

Eſt aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris coruos, teſtaque, lutoque, — Perſ. Sat 3.
Securus quò pes ferat, atque ex tempore viuis?

Hoc igitur Tractatu conſiderandum. Primò, *Quis Regulæ* S. BENEDICTI *finis?* Secundò, *Quis ſcopus, ſiue proximus finis?* Tertiò, *An Regulæ huic conſona Anachoretica vita?* Quartò, *An & illa quæ proximorum vacat ſaluti?* Quintò, *An vitæ actiuæ exercitia comprehendat?* Sextò, *Quis Regulæ Ordiniſque noſtri ſpiritus?*

DISQVISITIO I.

Quis ſit finis REGVLÆ S BENEDICTI?



Caſſian. Collat. 1. cap. 2.

E fine vocationis religioſæ apud Caſſianum verba facturus Abbas Moyſes, ſubtiliter admodum inter finẽ & ſcopum diſtinguit: *Omnes*, inquit, *artes ac diſciplinæ ſcopon quemdam, id eſt, deſtinationem, & telos, hoc eſt, finem propriũ habent: ad quem reſpiciens vniuſcuiuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores & pericula diſpendiaque vniuerſa æquanimiter libenterq; ſuſtentat. Sic agricola finem habens securè copioſèque viuendi in prouentu ſegetum fœcundarum, ſcopon, id eſt, deſtinationem gerit, agrum ſuum ſentibus cunctis expurgare, eumq; vniuerſis infructuoſis vacuare graminibus; nec aliter ſe quieti finis opulentiam adepturum eſſe confidit, niſi id quod vſu obtinere deſiderat, quadam priùs operis ac ſpei ſuæ ratione poſſideat. Negotiator quoque comparandarum mercium deſiderium non deponit, per quod poſſit quæſtuoſiùs diuitias congregare: quia fruſtra concupiſceret* A *lucrum, niſi viam quâ ad id tenderet, elegiſſet: & qui certis quibusque dignitatibus mundi huius cupiunt honorari, cui ſe officio vel ordini debeant mancipare, ante proponunt, vt per legitimum ſpei tramitem finem quoque valeant deſideratæ dignitatis attingere. Habet ergo & noſtra profeſſio ſcopon proprium ac finem ſuum, pro quo labores cunctos non ſolùm infatigabiliter, verumetiam gratanter impendimus.* Vltimus autem finis tam Religioſorum quàm B ſæcularium eſt vita æterna, vnde dixit Apoſtolus: *Habentes quidem fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.*

Finis conſideratio in quâlibet re neceſſaria.

Ibid. cap. 4.

Simili declaratur.

Finis Chriſtianorum vita æterna. Rom. 6.

Vltra hunc porrò finem alius quidam eſt, non vltimus, ſed medium quoddam ad prædictum finem conſequendum: & in eo omnes omnium Ordinum Congregationes conueniunt, & ad illum pariter tendunt; hîc autem alius non eſt quàm perfectio charitatis, vt idem Abbas Moyſes cap. 7. docet, & S. Thomas ita probat: *Vnumquodque*

Religioſorum Charitas.

2. 2. q. 184. art. 1.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

quodque dicitur perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est vltima rei perfectio. Charitas autem est, quæ vnit nos Deo, qui est vltimus finis humanæ mentis: quia, qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo, vt dicitur 1. Ioan. 4. *Et ideò secundùm Charitatem specialiter attenditur p[illegible]ctio Christianæ vitæ.* Quare rectissim[illegible]t Abbas Moyses infert: *Omnia igitur hu[illegible] gratiâ gerenda appetendaque sunt nobis; pro hac solitudo sectanda est, pro hac ieiunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere nouerimus: vt scilicet per illas ab vniuersis passionibus noxijs illæsum parare cor nostrum & conseruare possimus, & ad perfectionem Charitatis istis gradibus innitendo conscendere.* Illa enim enumerata *non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplina* Monasticæ *finis, sed per illa peruenitur ad finem.*

Cass. suprà cap. 7. Et ad eam omnia spiritualia Exercitia referenda.

Est finis Regulæ S. Benedicti.

Hunc autem finem esse à S. BENEDICTO in descriptione Regulæ suæ principaliter intentum (etsi nemo sit qui id negauerit) lubet tamen idipsum accuratiùs comprobare; vt discant Fratres nostri omnia religiosæ vitæ exercitia huc dirigere, totamque cordis sui intentionem in hunc scopum destinare. Obseruauit id S. Bernardus, qui Benedictini instituti potiores partes enumerans, *Charitatem* omnium veluti caput ac finem constituit. Ita enim ad Monachos Alpenses scribit: *Ordo noster est, esse sub Magistro, sub Abbate, sub Regulâ, sub disciplinâ. Ordo noster est, studere silentio, exerceri ieiunijs, vigilijs, orationibus, opere manuũ, & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est* CHARITAS. Expressiùs idipsum docuit Petrus Venerabilis. *Habes,* inquit, *institutionum tuarum* BENEDICTVM auctorem, qui ad FINEM CHARITATIS *vniuersa scripta sua redigi præcepit, & animarum saluti inseruire.* Et paulò pòst: *Regula illa illius S. Patris ex illâ sublimi & generali* CHARITATIS *regulâ pendet, ex quâ, & in quâ, iuxtà veritatis verba vniuersa lex pendet & Prophetæ. Quod si vniuersa lex, tunc & illius Regula lex. Monachus ergò Regulam Patris* BENEDICTI *profitens, tunc eam verè seruat, quando* CHARITATIS *legem vbique conseruat.* Hæc ille.

Ex mente S. Bernardi.

Epist. 142.

Petri Venerabilis. Lib. 4. Epist. 17.

Et maximè ipsius Legislatoris nostri.

Quòd si non Scriptorum modò testimonia, sed ipsum Patriarcham nostrum loquentem audire velimus; facilè animaduertemus hũc sibi finem propositum habuisse. Quarto enim capite generalem catalogum texens mediorum, siue vt ipse vocat, *Instrumentorum bonorum operum*, per quæ religiosa perfectio acquiritur, principem in ijs locum assignat Charitati, dicens: *Primum instrumentum esse, Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute; deinde proximum tanquam seipsum.*

A Cur enim CHARITATEM in capite proposuit, nisi vt insinuaret omnia reliqua instrumenta ad CHARITATEM, tanquam in finem tendere? etsi autem finis in actione sit vltimus (agẽdo enim ad finem venitur) in intẽtione tamẽ est primus. Quia propter acquirendũ media omnia adhibentur. Hîc CHARITAS perfecta finis est reliquarum omnium virtutum, quia ideò omnes exercentur, vt CHARITATIS perfectio acquiratur. Vnde dixit Apostolus: *Finis autem præcepti est* CHARITAS *de corde puro, & cõscientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Et alibi: *Plenitudo legis est* DILECTIO. Ad CHARITATIS enim perfectionem omnia præcepta ac tota lex ordinatur. Optimè proinde dixit S. Gregorius: *Omne mandatum de solâ* DILECTIONE *est, & omnia vnum præceptum sunt; quia quidquid præcipitur, in solâ* CHARITATE *solidatur.* Idem ex cap. 7. probatur, in quo volens quoddam compendium totius Regulæ ac perfectionis religiosæ tradere; scalam duodecim graduum humilitatis erexit, atque supremo loco CHARITATEM constituit, quæ iuxta Apostolum, est vinculum perfectionis. *His omnibus,* inquit, *humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad* CHARITATEM *Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuersa quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non iam timore gehennæ, sed amore Christi.* Ex quo patet totam Regulam ad CHARITATEM Dei tendere, ac veluti manuducere. Nec tantùm hoc capite B. Pater CHARITATIS meminit; sed finem iungens principio, penultimo capite Regulæ suæ, velut nobilem coronidem operi suo impositurus, rursus de CHARITATE erga Deum & Proximum agit; vt ostendat hunc esse totius Regulæ suæ finem & scopum. Inscripsit autem caput: *De zelo bono, quem debent Monachi habere.* Zelus autem, vt Angelicus Doctor ait, *est amor intensus non patiens consortium in re amatâ.* Vnde Legislator noster hunc exerceri vult feruentissimo amore, ita vt *Charitatem fraternitatis casto impendant amore: Abbatem suum sincerâ, & humili Charitate diligant; & Christo omninò nihil præponant.* Quibus verbis insinuat Charitatem habendam erga æquales, Superiores, atque erga Deum Opt. Max. Quibus quidem Regulam claudens, testatum reliquit omnia præcedentia præcepta eò spectasse, vt ad Charitatem deducerent.

In varijs Regulæ locis.

1. Timothe 1.

Rom. 13.

Greg. homil. in Euang.

Regulæ cap. 7.

Thom. 1. 2. q. 28. art. 4.

DISQVI-

DISQVISITIO II.

Quis sit scopus, siue proximus & immediatus finis REGVLÆ S. BENEDICTI?

Religioni cuiq; suus scopus.

PRÆTER communem illum finẽ, quem omnes in genere Religiosorum Congregationes habent, vnaquæque insuper particularem ac proprium quemdam scopum sortitur; qui ex potioribus cuiusque obseruantiæ partibus componitur. Ex hâc porrò specificâ differentiâ oritur admirabilis illa Religiosorum Ordinum varietas ac distinctio, quam in Ecclesiâ videmus, quæ illo ex capite dicitur circumamicta varietate. Tres igitur modos, siue vias Theologi tradũt, quibus Religiosi ad perfectionem Charitatis contendant. Aliqui enim sectantur *Vitam Actiuam*: alij *Contemplatiuam*: tertij denique ex vtraque *mixtam*. Idque rursum bifariam fieri potest, vel enim tantùm ex instituto vacant Contemplationi quantum Actioni; vel plus habent actionis & minùs cõtemplationis, aut cõtrà. Id igitur hîc disquirimus, quisnam horum trium sit sanctissimæ Regulæ nostræ, ac totius Religionis B. BENEDICTI scopus, siue finis proprius, legitimus atque immediatus? Ad quam quæstionem ita respondet Suarez. Constat in primis Religionem à BENEDICTO institutam, propriè & perfectè monachalem esse; nam finis illius solùm est propria perfectio ad diuinam Contemplationem & laudem ordinata, & comparanda per media vitæ Monasticæ propria: vt ex discursu eiusdem Regulæ constat. In quâ illa quæ pertinent ad Diuinum & canonicum Officium, & Psalmodiam, expressiùs & distinctiùs tradita inueniuntur, quàm in alijs Regulis Religionum ab Ecclesiâ approbatis: simul tamen in eâdem Regulâ artificia, seu opera & labores Monachorum commendantur, nam in eâ supponitur statum illum non fuisse per se institutum ad clericorum ministeria, sed ad vitam purè Monasticam, prout ante BENEDICTVM in vsu erat. Quocirca quantùm ad finem & substantiam Religionis spectat, non videtur fuisse diuersum BENEDICTI institutum ab antiquis institutis Monachorum. Ita Suarez. Contemplationem autem esse præcipuum institutum priscorũ Monachorum, testatur Cassianus: *Omnis*, inquit, *Monachi finis cordisque perfectio ad iugem atque indisruptam orationis perseuerantiam tendit: & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis ac perpetuam nititur puritatem. Ob quam omnem tam laborem*

Ex triplici vitâ sumptus.

Suarez to. 4. de relig. tract. 9. lib. 2. cap. 2.

Vita Contemplatiua Ordinis S. Benedicti scopus.

Cassian. Collat. 9. cap. 1.

Quæ propria veterum Monachorum.

A *corporis, quàm contritionem spiritus indesessè quærimus, & iugiter exercemus: & est inter alterutrum reciproca quadam inseparabilisque coniunctio.* Sic Cassianus. Ordinem autem S. BENEDICTI idem omninò institutum cum veteribus istis Monachis sectari, omnes passim admittunt; atque etiam probari potest. *Primò*, quia S. Thomas dicit ad vitã Contemplatiuam pertinere *Orationem, lectionem* & *Meditationem*: atqui hęc ipsa sunt exercitia, quæ S. BENEDICTVS in Regulâ suâ Monachis præscripsit; vt ex ipsâ Re-

B gulâ patet, & alibi pleniùs docebo.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Probatur I. Auctoritate.

2. 2. qu. 80. art. 3. ad 4.

Secundò, probatur ab exemplo & vitâ S. BENEDICTI, quæ altera & viua quædam Regula fuit. Vixit enim ille vir Sanctissimus in iugi quâdam nec interruptâ Contemplatione. Vnde de eo Petrus Blesensis scribit, S. Odilonem dixisse, S. BENEDICTVM consueuisse meditari quotidie vnâ horâ de die Passionis Dominicæ, nostræq; Redẽptionis beneficia. Et Dionysius Carthusianus, dicit eum ingressum *abyssum sapientiæ increatæ, Contemplationis secretum, re-*

C *uelationum altitudinem diuinarum; quia incerta & occulta sapientiæ suæ patefecit ei Altissimus, cordiumque arcana reuelauit, & spiritu Prophetiæ ipsum repleuit, Et erat Contemplator altissimus.* De cuius contemplationis altitudine, ita quoque S. Gregorius scribit: *Venerabilis* BENEDICTVS *in illa solitudine habitabat secum, in quantum se intra cogitationis claustro custodiuit: nam quoties cumq; hunc contemplationis ardor in altum rapuit; se proculdubio sub se reliquit.* Sed aliàs plura de studio Orationis S. BENEDICTI.

II. Exemplo S. Benedicti.

Petr. Blesens. Epist. 123.

Carth. ser. 2. de S. Bened.

Greg. lib. 2. Dialog. cap. 2.

D *Tertiò*, probatur: Ille est finis Religionis ad quem cætera præscripta in Regulâ exercitia diriguntur, omnia autem Regulæ nostræ exercitia ad orationis quietẽ præcipuè destinantur; quare & hæc Regulæ finis erit. Id autem non difficulter probatur, si per singula Regulæ capita discurrere velimus. Quid enim cellæ custodia & Monasterij clausura, quâ non solùm Monachi foris vagari prohibentur, verùm etiam ne Frater ad Fratrem iungatur horis incompetẽtibus, seriò interdicitur? Quid,

E inquam, aliud hæc volunt, quàm Monacho eam præstare commoditatem, quâ se faciliùs leuet super se, & meditationibus intendat diuinis? In capite de Instrumentis bonorum operum multa commemorãtur, quæ vel orationis materia sunt, vel ad eam disponunt, aut illam ipsam commendant. An non materia meditationis est: *Diem Iudicij timere; Gehẽnam expauescere; vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare; mortem quotidie ante oculos suspectam habere?* An non ad orationem disponit: *Corpus castigare; delicias non amplecti; à sæculi actibus se facere*

III. Ratione: nam quæ Regula præscribit, eò diriguntur.

Vt solitudo.

Instrumenta bonorum operum.

DE REGVLA S. BENEDICTI. *facere alienum?* Ipsam denique orationem, nonne apertissimè hæc insinuant: *Lectiones sanctas libenter audire; Orationi frequenter incumbere; mala sua praterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri; in* Vota. *Christi amore pro inimicis orare?* Ipsa verò vota Monastica optima sunt ad contemplationem adminicula. Humilitas porrò quam duodecim gradibus describit, orationis comes est: *Oratio enim humiliantis se nubes* Silentium. *penetrat.* De Silentio autem diuino oraculo edocemur, quàm illud ad contemplationem opportunum sit: *Bonum est* enim *præ-* B Threa. 3. *stolari cum silentio salutare Dei*: Et; *Sedebit* Abstinentia. *solitarius & tacebit, quia leuabit super se.* Abstinentia deinde à carnibus, & regulare ieiunium, optimam ad Contemplationem dispositionem esse, Moysis, Eliæ, Danielis, aliorumque exempla euincunt, & SS. Patres passim clamāt. *Ieiunium*, inquit Chry- Chrysost. homil. 5. in Genes. sostomus, *est animæ nostræ alimentum, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur & summa contemplari queat.* Labor verò manuum Labor manuum. à S. BENEDICTO præscriptus, adeò Contemplationi non aduersatur, vt vel ideò C eam ab Ægyptiis Monachis vsurpatam, Cassian. Instit. lib. 2. cap. 14. scribat Cassianus; ne meditationi spirituali finis imponeretur; *ita vt quid ex quo pedeat, haud facilè possit à quoquam discerni, id est, vtrum propter meditationem spiritualem manuum opus exerceant; an propter operis iugitatem tam præclarum spiritus profectum scientiæque lumen acquirant.* Sed & horarum Canonicarum pensum, quod integris duodecim capitulis S. BENEDICTVS descripsit, non tam ad orationem medium est, quàm ipsamet oratio, & exercitium vitæ contemplatiuæ. Atque ita clarissimè apparet, plerasque Regulæ nostræ constitutiones ad vnum orandi studium referri, illudque velut scopum spectare.

IV. Inductione. *Quartò*, idem inductione probatur hoc modo: E tribus illis enumeratis vitæ generibus, vnum aliquod Regula nostra pro fine & scopo habet. At constat non habere vitam actiuam, neque mixtam, quæ in animarum procurandâ salute sita sit (de eâ enim ne minima quidem in totâ Regulâ mentio fit) necesse igitur est, vt *pro fine habeat Vitam Contemplatiuam*, ad quam, vti iam ostendimus, tota Regulæ institutio dirigitur. Atque hic sensus fuit S. Petri Cluniacensis Abbatis, qui existimauit etiam laborem manuum intermittendum, ne eius occasione à Contemplatione, potiore & primario Monachorum exercitio, Religiosi auocarentur: ita enim S. Bernardo scribit: *Qui assiduè in claustro morari, silentio, Orationi, lectioni ac MEDITATIONI, ac cæteris Regulæ præceptis, & Ecclesiasticis ministeriis intentissimè operam dare præcipiuntur, his om-* Ita sensit Petrus Venerabilis. Lib. 1. Epist. 18.

nibus dimissis, rusticationi, & vulgaribus operibus intendant. Et qui, vt byssus tabernaculi, interiora sua pretiositate & subtilitate, hoc est, cælestium subtili CONTEMPLATIONE ornare debuerant; vt cilicium extrinsecus positum, ventorum impulsiones, hoc est, mundanorum operum nimias occupationes, eos ab intimis extra trahentes, sustineant. Hæc ille. Neque plura addenda arbitror, cum hanc veritatem omnes admittant; ne accensâ lucernâ solem illustrare velle videamur.

DISQVISITIO III.

An REGVLA S. BENEDICTI *etiam Anachoreticam vitam complectatur?*

CVM maximum adiumentum ad contemplandum afferat secessus ab hominum consortio, & perturbantium negotiorum declinatio, vt suo exemplo Saluator noster docuit, qui tam crebrò *secedebat in desertum, & orabat*: quæri hîc posset, Luc. 5. num S. BENEDICTVS, qui scopum Regulæ suæ in Contemplatione posuit, etiam Ereniticam vitam instituti sui limitibus incluserit; atque adeò Anachoretas instituendos susceperit? Ad quod quidem respondere potest, primò ac principaliter S. BENEDICTVM instituisse vitam Cœnobiticam, quę Anachoreticâ multò est tutior. S. Benedictus principaliter instituit Cœnobitas. Id patet ex ipsâ Regulâ, in quâ recensens quatuor Monachorum genera, primo loco ponit *Cœnobitarum*, id est, in commune degentium, siue vt S.P.N. loquitur, *Monaste-* Regulæ cap. 1. D *riale militans sub Regulâ vel Abbate.* Enumeratis deinde tribus aliis Monachorum generibus, quodnam suum sit institutum, ita explicat: *His ergo omissis, ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino veniamus.* Quibus verbis apertè demonstrat, cui Monachorum generi viuēdi præcepta, atque Regulam præscribat, *Cœnobitarum* nempe: quod fortissimum genus vocat, idque merito: *Frater* enim, *qui adiuuatur à Fratre, quasi ciuitas firma est.* Et Dominus ait: *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum*; tanquam Prouerb. 18. Matth. 18. E scilicet turris fortitudinis à facie inimici.

Quamquam autem hæc primaria S. Patris sit intentio; noluit tamen ab instituto suo Eremitas excludere: sed potiùs ipsâ Quos ad Anachoresim dirigit. Regulæ suæ institutione ad sublimius illud viuendi genus suos disponere, dirigere ac manuducere. Atque ideò legem suam *minimam inchoationis Regulam* appellat, indicans Eremitarum multò perfectiorem. Sed totum hoc Argumentum amplissimè prosecutus est Sanctus Petrus Damiani; Petr. Dam. lib 6. Epist. 22. dignissimus sanè, quem suis verbis loquentem

quentem hic audiamus, ſic igitur ait.

Oſtendamus nũc qualiter S.BENEDICTVS, *vt Monachus de Monaſterio feſtinaret ad Eremum, etiam prouocauit. Hæc itaque noſtra non ſunt, ſed eiuſdem Patris noſtri verba: Secundùm,* inquit, *genus eſt Anachoretarum, id eſt, Eremitarum. Horum, qui non conuerſionis feruore nouitio, ſed Monaſterij probatione diuturnâ didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio iam docti pugnare: & benè inſtructi fraternâ ex acie, ad ſingularem pugnam eremi, ſecuri iam ſine conſolatione alterius, ſolâ manu vel brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, ſufficiunt pugnare. Ex quibus vtique manifeſtè colligitur, quia Doctor almificus de Monaſteria Fratrem quemlibet ad eremum conſcendere non modò prohibuit, verùm inſuper monuit & docuit: inſuper etiam quibuſdam perſuaſionibus incitauit. Auctoritatem quippe dat, vt diuturnâ priùs probatione Frater in Monaſterio diſcat, qualiter in eremo contra callidi tentatoris argumenta confligat. Hic enim pugnare multorum ſolatia fretus inchoat, vt illic poſtmodum ſolâ manu vel brachio infatigabiliter ſe, & indeſinenter exercens, carnis ingruentibus vitijs, vel cogitationibus non ſuccumbat. Hic tyro, illic miles. Hic rudis & tener, qui ſub campi Doctore certaminibus aſſueſcit; illic roboratus iam cominus dimicat, & ſingulare certamen Chriſti Monachus non recuſat. Hic velut per ſimulatæ pugnæ proludium; illic docta manus ad prælia conſerit arma, nec perhorreſcit conſtipatos impetus bellatorum.* Et paucis interiectis. *In illis itaque ſanctæ Regulæ verbis, quæ ſuprà poſuimus, perſpicuè declaratur: quia* S.BENEDICTVS, *dum in Monaſterio hominem ponit, ad eremum dirigit. Hic quidem collocat, ſed illuc cohortatus inuitat. Hic ſpiritale certamen incipere, illic edocet conſummare. Hic admonet tyronatus arma corripere, vt illic nouerit phalangas hoſtium, vitiorumque barbariem non eneruiter obtruncare. Sed fortè dicatur, quia nos S. Viri verba ad noſtræ voluntatis arbitrium violenter inflectimus: & potiùs argumentis innitimur, quam in hâc interpretatione verborum nobis ſuffragetur veritas. Inquiramus adhuc beatiſſimum Virum, vt quod ſuper huius diſceptationis articulo ſentiat, enucleatiùs eluceſcat: & illâ quidem eius, quæ ſuprà poſuimus, in ipſo ſanctæ Regulæ reperiuntur exordio; videamus nunc, quo eandem Regulam fine concludat: Regulam autem hanc deſcripſimus, vt hanc obſeruantes in Monaſterijs aliquatenus, vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis non demonſtremus habere. Cæterùm, qui ad perfectionem feſtinat, ſunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum obſeruatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis. Vides igitur, quia Doctor inſignis in Monaſterio quidem conſtituit bonæ conuerſationis initium, ſed poſt ad ſublimioris vitæ in ſanctâ Religione* A *prouocat inſtitutum; vt illic honeſtè viuere, moreſque componere, velut in conualle primæ conuerſationis incipiat: Deinde iam ſpiritalibus exercitijs roboratus, tãquam à lacte ad ſolidum cibum tranſiens, verticem perfectionis aſcendat.* Et rurſum: *Hæc præterea nouimus, quia B.* BENEDICTVS *eremi cultor extitit, & hoc certè nos optauit eſſe, quod fuit: ſed quoniam, ſicut ipſe teſtatur, vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic, alius quidem ſic: nec omnes capiunt verbum hoc: diſpenſatiuè cõſtituit priùs Monaſterialis vitæ planitiem, vt illic diſciplinæ* B *flagellis attriti, & exercitijs roborati, iam faciliùs eremi cõſcendamus ad arcem.* Hæc ſanctus ille Doctor: cuius theoriã ipſa Ordinis praxis commẽdat, in quo vſitatiſſima olim fuit Eremitarum, qui diuiſis cellulis in deſertis & Montibus degerent, exercitatio; & hodieque in *Monte Serrata* plures Anachoreticæ ſunt cellulæ, atque Ordo Camaldulenſis, qui ſub S.BENEDICTI vexillis militat, Eremiticam vitam ſectatur. Ita quoque mons *Voſagus* Benedictinis Anachoretis repletus fuit, qui in ſpeluncis & C cauernis terræ abſconditi à conturbatione hominum, vitam Angelicam ducebant; cuius rei teſtis eſt auctor vitæ S. Pauli Epiſcopi Virdunenſis, apud Surium, vbi ſic loquitur: *Ad eremum Voſagi peruenit, eamque poſthabitis mundi rebus omnibus, lætus ingreditur, Chriſto Regi ſuo illic militaturus. Aiunt autem in illâ ſolitudine multos habitaſſe Anachoretas diſtinctis cellulis, quique demptis Sabbato & Dominico die, perpetuò ſoli degerent in arctiſſimo ſilentia, niſi vel morbus corporis, vel animæ ſalus ſecus poſtulaſſet.* Tradit quoque D Antonius de Yepez, priſcum fuiſſe noſtris morem exſtruendi Monaſteria in Montibus & ſolitudinibus, in quibus maiori aliquo ac principali exſtructo Monaſterio, circumquaque plures erant ſeparatæ cellulæ, ad quas ſolitudinis deſiderio ſe Monachi recipiebant: vt etiam nunc in Monte Serrato. Opportunitatem eamdem ſuis Monachis deeſſe paſſus non eſt Caſſiodorus, qui ita ſcribit: *Si vos in Monaſterio Viuarienſi, ſicut credere dignum eſt, diuinâ gratiâ ſuffragante, Cænobiorum conſuetudo competen-* E *ter* * *audiat, & aliquid ſublimius defectos animos optare contingat: habetis montes Caſtelli ſecreti ſuauia, vt vel Anachoretæ præſtante Domino feliciter eſſe poſſitis. Sunt enim remota & emicantia eremi loca, quando muris priſtinis ambientibus probantur incluſa. Quapropter aptum vobis erit eligere exercitatis iamq; probatiſſimis illud habitaculum, ſi priùs in corde veſtro fuerit præparatus aſcenſus.* Neque ſatis Benedictinis fuit deſerti ſolitudines incoluiſſe, ſed vt magis ſe ab hominibus elõgarent, inhabitatas Inſulas quæſierunt, vt ibi vorticibus maris circumſepti, vitam abſcon-

Landat Anachoretas.

Qua ratione Cœnobita ad Eremiticam vitam ſe comparare debeant.

Perfectio Anachoreſeos.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

S. Benedictus fuit Eremita.

Et olim in Ordine noſtro Anachoretæ viguerunt.

Sur. 8. Febr.

Hinc Monaſteria in montibus exſtructa.

Yepez in Chron. an. Dom. 532.

Caſſiod. diuinar. lection. cap. 29.

* Attideat

Benedictini ſolitudinis amantes Inſulas incoluerunt.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

absconditam ducerent in Christo. Notum A est ex historijs, cōplura ingentia & magnifica Ordinis nostri Cœnobia in Insulis longè ab hominum conuersatione exædificata fuisse. Qualia fuot in Anglia, Lindisfarunense & Eliense; In Germaniâ, diuitis Augiæ. In Franciâ, Leriocnse. In Hispaniâ S. Fructuosus plura Monasteria in Insulis collocauit. Et Abbo Floriacensis in vitâ S. Eadmundi Regis & Martyris, testatur Orientalem Britanniæ partem, quæ *Eastengle* vocatur, aquis pænè vndique allui à subsolano & Euro oceano, ab Aquilone B verò immensarum paludum vligine cingi. Hæ verò *paludes*, inquit, *præbent pluribus Monachorum gregibus optatos solitariæ conuersationis sinus, quibus inclusi, non indigeant solitudine eremi: ex quibus sunt S. Monachorum Patris* BENEDICTI *cælibes Cænobitæ, in loco celebri hac tempestate.* De Italiâ Leo Ostiensis refert, in Adriatico mari apud Insulam, Diomedis quondam nomine vocatam, extitisse Monasterium Tremiteose; quod XXX. circiter millibus à terrâ distaret: cuius famam cum Desiderius, qui C posteà Cassinensis Abbas fuit, & Pontifex Maximus Victor III. inaudisset; impetratâ Abbatis licentiâ, illuc perrexit: *ibique satis austeræ conuersationi se tradens, non paruum tempus exegit.* Subditque deinde, quomodo idem Desiderius Monasteriū *Maiellæ* (quod Gordianus ab ipso S. BENEDICTO constructum affirmat) adierit. *Audiens autem*, inquit, *celebre tunc Eremitarum nomen Maiellæ degentium: illic Deo seruire secretius cupiēs, comitem vt se illuc dirigeret rogat: idque incunctanter obtinuit. Vbi cùm tribus ferè mensi-* D *bus, in summâ continentiâ fuisset remotus, aduenit illuc memoratus Hyacinthus cum litteris ex parte Apostolici ad eremi ipsius Priorem: quarum tenore Priori sub interminatione iubebat, ne illum vltra retinere præsumeret: illi nihilominus mandans, vt nullas ibi moras auderet innectere.*

Sur. to. 20. Nouemb.

Leo Ostiens. lib. 1. cap. 5.

Desiderius Cassinensis Eremiticam vitam expetit.

Gord. vit. S Plac. c. p. 12.

S. Benedicti discretio in extruendis Cœnobijs.

Ex hâc verò historiâ tria notanda sunt. *Primò*, S. BENEDICTVM quædam Monasteria in salutem proximorum iuxta ciuitates extruxisse; alia verò in montibus & solitudinibus ab hominum consortio longè E remotis, vt hoc præsens *Maiellæ*, duodecim illaque in Sublaco construxit, atque ipsum caput Ordinis Cassinēsē. Id verò ideò fecit, vt Religiosi principalis *Monasterij probatione diuturnâ*, contra diabolum, *multorum solatio iam docti, pugnare, benè instructi, fraternâ ex acie ad singularem pugnam eremi* descenderēt; atque particulares in eâ existentes cellulas incolerent. Vbi verò eremi solitudo non suppetebat, Insulæ, vt vidimus, vicem illius supplebant. *Secundò* notandum, fuisse distinctionem inter Conuentuales Fratres & Eremitas, atque hos Priori subiectos, illos verò ipsumque eremi Priorem Abbati paruisse. Habuit enim illud Maiellę Cœnobium Abbatem suum, vt videre est apud eundē Leonem Ostiensem, lib. 2. cap. 52. *Tertiò* notādum est, multò strictiùs vixisse Eremitas, quàm reliquos: quæ causa fuit, vt Desiderius ad eos commigraret. Austerior quoque viuendi ratio in Insulis seruabatur, cuius rei testis est S. Gregorius, scribens Anthemio Subdiacono in hunc modum: *Quia autem dura est in Insulis congregatio Monachorum, pueris in ijsdem Monasterijs ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tuà eos experientia auferat, & in Romanam vrbem transmittat. Hoc & in Palmariâ, alijsque Insulis te per omnia volumus custodire.* Atque hęc de Anachoreticis & Insulanis Ordinis nostri Monasterijs.

Distinctio inter Conuentuales & Eremitas nostros.

Eremitæ austeriùs viuebant.

Greg. lib. 1. Epist. 48.

Subijciendum hîc esset de Inclusis, qui austeriorem Anachoresin sectati fuot: sed de his iam suprà lib. 1. Tract. VIII. Disq. 2. fusiùs egimus.

DISQVISITIO IV.

Sitne REGVLÆ *ac instituto* S. BENEDICTI *consentaneum proximorum saluti vacare?*

TANTVM solitudinis ac recollectionis studium, tanta ab hominum conspectu & populari conuersatione fuga atque elongatio, quantam nostros sectatos vidimus, id præ se ferre videtur, non aliam esse Ordinis nostri vocationem, quam Deo sibique vacare, neque vllatenus cum Marthâ satagere, & turbari erga plurima: sed cum Mariâ optimam partem eligere, sedere ad pedes Domini, & audire verbum illius. Hoc enim iam suprà diximus veterū Monachorum, quos S. BENEDICTVS æmulari voluit, proprium ac peculiare institutum fuisse. Deinde in totâ Regulâ nulla fit mentio de procurandâ aliorum salute, aut proximis per Catechesin, Scholas, verbi Dei prædicationem, aliaque media iuuandis. Tertiò, in Iure Canonico multis auctoritatibus probatur, Monachum officia Ecclesiastica obire non posse: *Quia nemo*, inquit, *potest & Ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in Monachicâ Regulâ ordinatè persistere.* Et, *Monachus*, vt ibidem ex Hieronymo dicitur, *non docentis, sed plangentis habet Officium, qui vel se, vel mundum lugeat; & Domini pauidus præstoletur aduentum.* Et capite 8. ex Eugenio Papâ: *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque pœnitētiam dare, neque filium* de *Baptismo*

Videri Benedictinos adstrictos tantum vitæ Contemplatiuæ. I.

II. Ex Regulâ.

III. Iure Canonico. Caus. 16. q. 1. c. 2.

Hieron. Epist. 13. ad Paulin.

de Baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad Ecclesiam sæcularem transire, neque alijs qualibuscumque negotijs se implicare: sit claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aquâ caret vitâ; ita sine Monasterio, Monachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Deinde quod nos maximè concernit, ex Concilio Chalcedonensi cap. 4. ita ibidem statuitur: *Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilij, Monachis, quamuis Religiosis, ad normam Sancti* BENEDICTI *intra claustrum morari præcipimus: vicos, Castella, Ciuitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omninò cessare censuimus; nisi fortè quis de suæ animæ salute solicitus, vt eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit.*

Benedictinis omninò licita Sacerdotalis Ordinis functiones.

Hisce tamen non obstantibus, omninò asserendum est, licere Monachis prædicare, & Sacramenta administrare, & alia Clericorum & Sacerdotum Officia obire: quod Bonifacius Papa IV. non tantùm ijs permisit, sed insigni Apologia aduersariorum audaciam repressit, vt habetur eâdem quæst. 16. cap. *Sunt nonnulli.* Quod quidem Capitulum non truncatum, vt in Iure habetur, sed prout illud ex Coloniensi Bibliothecâ edidit Constantinus Caietanus, ad longum hìc exhibere placet.

Probatur ex Bonifacio IV.

Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, sed magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotali officio indignos; neque pænitentiam, neque Christianitatem, seu absolutionem largiri posse, per sacerdotalis Officij iniunctam gratiam; sed omninò falluntur: nam si ex hâc causâ veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ sedis compar B. Gregorius, Monastico cultu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui soluendi & ligandi potestas concessa est. Augustinus quoque eiusdem Sancti Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius, alijque quamplurimi sancti Viri pretioso Monachorum habitu fulgentes, nequaquam à quoquam Pontificali Officio subarrarentur: neque enim BENEDICTVS, *Monachorum Pater & Præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos sæcularium negotiorum edixit fore expertes tantummodò. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium Patrum institutis, non solùm Monachis, sed etiam Canonicis imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Tantorum igitur Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi soluendique officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur Monasticæ professionis Presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omni modo præcipimus, vt ab huiusmodi ausibus reprimantur in posterum: quare quantò quisque est celsior, tantò & illis erit potentior.* Hæc Bonifacius.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Ex quibus facilè animaduertere est minimè Regulæ nostræ contrariari exercitia sacerdotalia. Etsi enim veteres Monachi ab Ecclesiasticis Ordinibus olim arcerentur; posteà tamen vsu & iure introductum est, vt ad Sacerdotium promouerentur: sic tamen vt extra Monasteria Clericorum muneribus non fungerentur. Atque ita S. BENEDICTVS expressum caput *De Sacerdotibus Monasterij* habet. Tandem autem vsus obtinuit, vt Monachi ijsdem atque Clerici officijs in Ecclesiâ fungerentur, quod eam ad rem magis idonei, & aptiores Clericis Monachi esse viderentur. A temporibus autem S. Gregorij Magni cùm nostri passim Euangelium Dei disseminarent, gentes ad fidem conuerterent; omninò necesse fuit, omnes ferè ad Sacerdotium promouere: vt in amplissimâ messe dignos haberent operarios, qui panem verbi Dei, & Ecclesiastica Sacramenta populo administrarent. Ita iam suprà visum est, nostros ad omnia Ecclesiæ munia & dignitatum gradus admissos fuisse, atque inde tantus extitit Archiepiscoporum & Episcoporum ex Ordine nostro numerus, sub quibus alij nostri Monachi, Archidiaconorum, Officialium, Archipresbyterorum, ac Parochorum munere fungebantur: vsque adeò, vt multis locis totus Clerus cõstaret ex meris Monachis Benedictinis.

Et Monachorum ad Ecclesiæ dignitates promotione.

Alijsque functionum & Officijs.

Prætereo nunc iuuentutis institutionem, omniumque scientiarum explicationem aliquot sæculis à Nostris potissimùm exercitam fuisse; vt latiùs suprà dicebamus, cùm de Benedictinorum Scholis & Academijs ageremus. Illud sanè sine aliorum inuidiâ dicere licet, nullum pænè exstare in Ecclesiâ Dei ad proximorum salutem promouendam, exercitium, quod à Nostris vsurpatum non fuerit. Nemo autem dixerit, tot viros doctrinæ & sanctitatis gloriâ excellentissimos à Regulæ suæ scopo exerrasse, & alienis ab Ordine suo exercitijs sese tanto studio tradidisse.

S. Benedictus conuersioni infidelium studuit.

Verumenimuerò, hisce nunc relictis, ipsum Ordinis nostri Patriarcham S. BENEDICTVM tanquam alterum & viuum Regulæ suæ exemplar intueamur; quod enim ab eo factum legimus, neutiquam Regulæ potest esse cõtrarium. Is ergo cùm ad Cassinum Montem venisset, vbi infidelium adhuc turba idolorum cultui vacabat, tanquam verus loci illius Apostolus, cõtriuit

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Idolum, subuertit aram, succidit lucos; *& commorantem circumquaq; multitudinē* PRÆDICATIONE CONTINVA *ad fidem vocabat*, vt S. Gregorius testatur. At non ipse modo Beatissimus Fater noster prędicationis officio fungebatur, sed & suos è Monasterio discipulos ad Euangelizandū populo, quin & ad Sanctimoniales exhortandū mittere solitus erar; de quo sic S. Gregorius: *Non longè autem à Monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorū cultu,* BENEDICTI *fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoque quadam Sanctimoniales fœminæ inerant: & crebrò istuc pro exhortandis animabus Fratres suos mittere* BENEDICTVS *Dei famulus curabat.* Hæc S. Pontifex. De scholis verò minimè mihi dubiū est, quin ipse S. BENEDICTVS iuuentutem instruxerit: cùm enim Faustum & Gordianum septennes pueros in Monasterio susceperit, atque illi posteà doctissimi euaserint, vt ex eorum scriptis liquidò patet; (alter enim vitā S. Mauri Latinè, alter S. Placidi Martyrium Græcè, pulchro disertoque stylo exarauit) ab ipso S. BENEDICTO tam hi, quàm alij pueri erudiri debuerunt, cùm circa ipsa primordia Ordinis nostri ad Religionem accesserint. Atque hęc suffecerint ad comprobādum, ab instituto nostro non esse alienum proximorum salutē procurare, iuuentutem instiruere, ludum aperire, sacras litteras, aliasque disciplinas in gymnasijs explicare.

Greg. lib. 2. Dial. cap. 8.
Ibid. cap. 19.
Adolescentes Nouitios docuit.

Iam verò vt ad argumenta in principio huius capitis posita respondeamus, parum vrget, quod *primo* loco adferebatur veterū Monachorum exemplum, qui ab hisce Ecclesiasticis officijs abstinebāt: non enim ad hoc obligabantur ex voto vel præcepto Regulæ, vt annotat S. Thomas, neque ipse starus Monachalis vllū adfert impedimentum talia exequendi; sed ex pietatis exercitio, quod assumpserunt, magis reddūtur idonei. Vnde P. Thomas à Iesu in Stimulo missionum, siue libro de procurandâ omnium gentium salute per Religiosos, latissimè probat Religiosis omnibus, quātumuis solitudini ac contemplationi deditis, valdè esse consentaneū, imò expedientissimum, Ecclesiæ conatus in animarum conuersione adiuuare: vnicuique enim Deus mādauit de proximo suo. Et sanè iam olim Aphraates Anachoreta pulcherrimè docuit licere Monachis, vrgēre Ecclesiæ necessitate, eremum & claustra relinquere, & proximorum saluti operam dare. Cuius historiam refert Nicephorus, lib. 11. cap. 25. & Theodoretus lib. 4. Histor. cap. 24. & in Philotheo estque talis: Cùm Valens Imperator Ecclesiam Dei affligeret, eiusque Doctores in exilium ablegaret, Aphraates ad communem pro Religione pugnam, quiete relictâ, accessit. Quem cum Imperator ad gymnasium eūtem vidisset, atque dixisset: *Quânam de caussâ vitam profitēs Monasticam, securè per forum ingrederis, silentio & quiete relictâ?* Respondit: *Dic, mihi, Imperator, si essem virgo abscōsa in thalamo, vidissem autem aliquem in domum patris ignem inijcientem, quid mihi consuluisses facere, videnti flammam ardentem, & domum quæ comburitur; intusve sedere, & domum quæ crematur despicere? Sed sic ego quoque fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis oportere properare, aquam ferre, & sursq; deq; currere flammamq; extinguere: ne me reprehendas, ô Imperator, si idipsum facio. Quod enim tu consulueris Virgini quæ est in thalamo, hoc ego cogor facere qui vitam sum professus monasticā.* Quod *si tu me reprehendis, qui quietem reliquerim, teipsum reprehēde qui hanc flammam in domum diuinam inieceris; & non me, qui conor extinguere. Nihil absurdum facimus, ô Imperator, neque cœpto nostro & instituto contrarium, si veræ Religionis alumnos congregamus & pascimus, & eis herbam diuinam exhibemus.*

Solumntur argumenta.
Premuum.
2. 2. quæst. 187. art. 1.
Lib. 2. part. 2.
Aphraatis factum in Ecclesiæ necessitate.
Theod. Philoth. cap. 8.

Ad Secundum verò facilis est solutio. Etsi enim de proximorum procurandâ salute nullum in Regulâ sit verbum, sufficit prorsus quòd in ea non prohibeatur, vt ex Bonifacio Papâ S. Thomas adstruit. Deinde soluta Regula non constituit religiosum institutum, sed est veluti materia quædam ac generalis institutio, quæ specificatur & contrahitur ad varios fines, quos Religionum fundatores sibi præfixerunt. Quare non ex solâ Regulâ, sed ex Fundatoris fine institutum Religionis est iudicandum: & magis etiam ex declarationibus, ac Bullis summorum Pōtificum. Nam cùm Regula sit ius quoddam humanū, quod à summis Pontificibus cōfirmationem suam accipit; ab ijsdem quoq; explicatur, extenditur, limitatur, corrigitur, aut ad altiorem finem, siue scopum extollitur. Atque ideò in hâc quæstione sufficit S. BENEDICTI exemplum, summorum Pontificum declaratio, & speciale etiam mandatum, quo nostri toties ad Gentium conuersionē missi sunt; & quæ hinc processit Ordinis tot sæculorum consuetudo. Neque opus est exstare in Regulâ de hâc materiâ peculiare pręceptum, tale enim nec in Regulâ S. Augustini inuenitur, sub quâ militant PP. Prædicatores, Præmonstratenses, Eremitæ Augustiniani, alijque Ordines, qui ex professo in salutem animarum incumbunt.

Arg. Secundum euertitur.
Loco citat.

Quæ verò ex Iure Canonico producta sunt Capitula, hisce minimè obstant: quia temporū distinctione hæc Iura soluuntur; quod enim priùs Monachis non licuit posterioribus decretis illis est permissum, ideoque

Respondetur argumentis ex Iure petitis.

ideoque quod illis non competit quà Monachis, competit quà Clericis. In noſtro verò Ordine non ſolùm permiſſum eſt, vt Religioſi ſacris Ordinibus initientur, ac ſtudijs vacent; ſed expreſſum etiam de eo exſtat ſummi Pontificis mandatum: nam Clemens V. in decretali, *Ne in agro*, ita ſtatuit: *Ad ampliationem autem cultus diuini, ſtatuimus quòd Monachi quilibet ad monitionem Abbatis ſe faciant ad omnes Ordines ſacros, excuſatione ceſſante legitimâ, promoueri. Rurſus vt ipſis Monachis proficiendi in ſcientiâ via opportuna non deſit: in ſingulis ipſorum Monaſterijs, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, idoneus teneatur Magiſter: qui eos in primitiuis ſcientijs inſtruat diligenter.* Quæ quidem Benedictus XII. non tantùm confirmauit, verumetiam voluit noſtros deinceps mitti ad generalia ſtudia; in quibus etiam liceat ijs Academicos gradus, Licentiam, & Doctoratum in Theologiâ, & Iure Canonico recipere. Vide *Benedictinam* cap. 7. & 8.

DISQVISITIO V.

An etiam vitæ actiuæ exercitia REGVLA S. BENEDICTI *comprehendantur?*

S. Benedictus vitæ actiuæ ſuas partes tribuit.

NON ita ſpecioſæ Dominæ Saræ B.P. noſter BENEDICTVS adhæſit, quin ancillam etiam Agar in familiam ſuam admiſerit. Poſt Annam quam dilexit, etiam Phenennam introduxit, neque Liam lippientem licet contempſit, qui pulcherrimam Rachelem præcipuo amore proſecutus eſt. Magdalenę quietem ac contemplationem non ita vniuerſim, aut ipſe ſectatus eſt, aut ſuis præſcripſit; vt Marthæ miniſteria prorſus excluſerit. Exempla enim vitæ actiuæ tam in eius vitâ, quàm in Regulâ apertiſſimè leguntur. Scribit namque S. Gregorius, Legiſlatorem noſtrum cum Fratribus ad agri opera egreſſum fuiſſe, indeque redeuntem ruſtici filium à mortuis excitaſſe. De eius verò diſcipulis, res eſt manifeſtiſſima eos ſæpè graues manuum labores ſubijſſe: ſic cap. 5. ſcribitur iuſſiſſe Monachis montis rupem cauare; & ſequenti, cuidam Gotho vepres abſcindere in loco in quo hortum fieri volebat. Aliàs eoſdem Fratres terram effodiſſe, lapides comportaſſe, murum ſtruxiſſe, atque cæmentarium opus exercuiſſe conſtat.

Conſtat ex eius vitâ.

Lib. 2. Dialog. cap. 32.

Et Regulâ.

In ipsâ porrò Regulâ idem etiam multò manifeſtiùs apparet; in quâ ſæpè laboris mentio fit. Vnde caput 48. inſcripſit, *de opere manuum quotidiano*: in quo ſanè notanda eſt illa ſententia; *Tunc verè Monachi*
A *ſunt, ſi de labore manuum ſuarum viuunt, ſicut & Patres noſtri & Apoſtoli.* Ex capite verò 57. *de Artificibus Monaſterij*, facilè conſtat varias artes in Cœnobijs exerceri ſolere; non tantùm in vſum domeſticum, ſed etiam externorum: vnde ibidem ſubditur de venumdandis Monachorum operibus benigniori pretio, quàm à ſæcularibus fieri ſolet. Ex quadrageſimo autem ſexto capite colligere licet, voluiſſe S. BENEDICTVM, Coci, Piſtoris, hortulani, aliaque officia non per famulos, ſed per ipſos Monachos fieri. Sic enim ibi ait: *Si quis, dum in* B *labore quouis, in Coquina, in Cellario, in Miniſterio, in Piſtrino, in Horto, in Arte aliquâ, dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit* &c. Et ne quis hæc de Laicis aut Conuerſis Fratribus ſolummodò accipienda putet, ex ipſa Regulâ apparet, voluiſſe Sanctiſſimum Patrem, omnibus hæc opera eſſe communia; cùm vniuerſis aſſignet *ſcapulare propter opera.* Et quotidie certas horas operi manuum deputauerit, cap. 48. Quinimò idipſum clariſſimè conuincitur ex 50. capite, vbi ſta- C tuit, vt *Fratres, qui omninò longè ſunt in labore, & non poſſunt occurrere horâ competenti ad Oratorium; agant ibidem opus Dei vbi operantur, cùm tremore diuino flectentes genua.*

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Hinc variæ artes in Cœnobijs.

Cap. 55.

Tales verò inſtituere Monachos, decretum fuit S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, qui Zachariæ Papæ ſcribens, ait, ſe velle conſtituere Monachos ſub Regulâ S.P. BENEDICTI *proprio manuum ſuarum labore contentos.* Et ſanè aſſecutus eſt quod animo conceperat: eo namque modo pri- D mi vixerunt Fuldenſes, perſeuerauitque mos etiam ſub ſecundo Abbate Baugolfo; de quo hæc Trithemius: *Viuebant de laboribus manuum ſuarum, ſicut veri Patris noſtri* BENEDICTI *ſequaces & Monachi, cùm nullos eo tempore in Monaſterio ſeruos permitterentur habere ſæculares. Nam quidquid operis neceſſarij faciendum in Monaſterio clauſtralibus occurriſſet, non ſæcularium, ſed manibus fiebat Monachorum.* Hæc ille. Cùm autem poſteà hic labor intermiſſus eſſet, ijdem Fuldenſes Monachi, oblato Libello ſupplici, Ca- E rolum Magnum Imperatorem rogarunt, hæc miniſteria per Religioſos exercenda ſuâ auctoritate reſtitueret. Ita enim habetur num. 16. Libelli ſupplicis, quem refert Chriſtophorus Browerus: *Vt ipſa Monaſterij miniſteria per Fratres ordinentur, id eſt, piſtrinum, hortus, bratiarium, coquina, agricultura, & cætera miniſteria, ſicut apud deceſſores noſtros fuerunt; quia deuotius & dignius per Fratres omne exercebitur officium, quàm per laicum, aut ſeruum maleuolum.* Hi autem manuum labores vitæ

Fuldenſes proprio labore viuūt.

Trithem. in vit. Rab. Mauri.

Browerus lib. 3. Antiq. Fulden. cap. 12.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

contemplatiuæ adeò non aduersantur, vt omnes ferè Anachoretæ, & antiqui Monachi eumdem vsurpauerint; non necessitate victûs id exigente, sed *pro solâ purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac perseuerantiâ cellæ, vel acediæ ipsius victoriâ & expugnatione*, vt ait Cassianus; & nos plura de Labore manuum trademus alibi.

Cass. Inst. lib. 10. c. 24.

Benedictini Valetudinaria olim curarunt.

Verùm quod propiùs ad actiuam vitam spectat, inuenimus nostros Xenodochia etiam rexisse, & pauperum ac ægrotorum curam gessisse. Sanctus Gregorius enim, vt in eius vita habet Ioannes Diaconus: Religiosos hospitalibus in Italiâ præfecit; & *Probum religiosum Abbatem* (Monasterij sui) *cum multis pecunijs Hierosolymam destinauit: cuius instantiâ Venerabile Xenodochium constituit, & tam ibi, quàm in monte Sina penes Arabiam, Dei famulis sub regimine Pallady constitutis, quotidiani victus, & vestimenti copiam quamdiu viuere potuit, annualiter mittere procurauit.* Eodem zelo Sanctus Stephanus, Hungariæ Rex, in eâdem ciuitate Hierosolyma Monasterium simul & hospitale excitauit, vt nimirum & melius pauperibus subueniretur, & Monachis exercendæ charitatis præstaretur occasio. Ex Epistolis quoque Sancti Gregorij intelligimus Brunichildam, Franciæ Reginam, & Theodoricum Regem, eius nepotem, Xenodochium in Augustodunensi ciuitate construxisse, cui Monasterium esset coniunctum; ita vt vtriusque administratio ad Abbatem & Presbyterum pertineret. Vnde ita S. Gregorius ait: *Constituimus, vt obeunte Abbate atque Presbytero supra scripti Xenodochij atque Monasterij, non alius ibi quicumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem Rex eiusdem Prouinciæ cum consensu Monachorum, secundùm timorem Dei elegerit, ac prauiderit ordinandum.* Vetat quoque ne Abbas fiat Episcopus, ne res Xenodochij in alios vsus transferantur: Itemque, ne Episcopus de eodem loco Monachos sine licentiâ Abbatis auferat, ne desint personæ hospitali deseruientes. Hæc ex S. Gregorio. Sed & alibi pluribus locis hospitalia nostris Monasterijs coniuncta fuerunt, vt in Monasterio Resbacensi; de quo piam admodum historiam vide tomo 2. Chron. Benedictini, Anno Christi 618.

Ioan. Diac. lib. 2. vit. Greg. c. 52.

Greg. lib. 11. Regist. Epist. 10.

Et Captiuos redemerunt.

Alterum actiuæ vitæ exercitium à nostris subinde vsiratum, est Captiuorum redemptio. Exercuit id per suos Gemmeticenses Monachos S. Philibertus, cui cùm multa pecunia à Rege & fidelibus offerretur; decimam partem inde seponebat, Captiuis redimendis, & alendis pauperibus eam impendens: idque verò liberaliter, vt etiam Monachos suos cum onustis nauibus in regiones transmarinas mitteret, qui illic Captiuorum greges redimerent, vt in eius vitâ apud Surium habetur. Ad quem locum Antonius de Yepez, Annalium nostrorum Conditor annotat, Regulam nostram esse accommodatam fini ac scopo diuersorum Ordinum; adeoq; Monachos nostros ex Regulâ non habere sibi certum finem ac scopum præstitum, instar aliorum Ordinum, quorum hic Contemplationi, ille Captiuorum redemptioni, iste verbi Dei prædicationi, alius ægrotorum in hospitali seruitio, ex professo vacat. Nostri verò Ordinis finis est, inquit, prorsus generalis, adeò discretè à magno Patriarchâ constitutus; vt nulla bonorum operum exercitia excludat. Hinc secundùm Regulam S. BENEDICTI viuentes Monachi, omnes ferè aliorum Ordinum functiones, pro locorum & temporum exigentiâ obiucrunt.

10. August. Yepez ad ann. Christi 634.

Quod quidem vt ex diuersis historijs satis probari possit, & verum esse fatear; ægrè tamen mihi persuaserim, S. BENEDICTVM in scribendâ Regulâ nullũ particularem finem intendisse. Quare ita potiùs dicendum putem, Regulæ nostræ principalem scopum esse, vitæ contemplatiuæ exercitijs vacare; ei tamen secundariò adiũcta esse aliæ actiuæ vel mistæ exercitia, prout Ecclesiæ necessitas, loci opportunitas, vel personarũ qualitas exigebat: atque ita Sanctos illos Monachos, charitate vrgente, & fortè etiam Spiritu S. inspirante, varia illa ministeria frequentasse; quia id ad Dei honorem, & proximorum vtilitatem omninò expedire indicabant. Aliàs autem propria Ordinis nostri exercitia in ipsâ Regulâ præscripta sunt, Diuini Officij recitatio, Oratio siue meditatio, lectio spiritualis, & labor manuum; quæ anctores passim fatentur ad vitam contemplatiuam pertinere. Cùm autem S. BENEDICTVS pueros & senes, nobiles & ignobiles ad conuersionem admitteret, vt velut alter Paulus, omnibus omnia factus, omnes lucrifaceret; omninò crediderim si quos reperiret contemplationi minus idoneos, eum actioni destinasse, & artificijs quibusdam ac ministerijs occupasse. Et verò, an non id ipse in Regulâ suâ insinuauit, dum ait: *Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet.* Quibus verbis minimè putandum est S. BENEDICTVM cuiusuis arbitrio & voluntati permisisse, vt legat aut meditetur, si velit, & si nolit, hæc intermittat; sed id credo voluit, vt qui minùs lectioni aut meditationi apti essent, siue id ex desidiâ & paruâ diligentiâ circa spiritualia, siue

Contemplatiua vita principalis Regulæ S. Benedicti scopus.

Secũdarius est vita actiua.

An S. Benedictus ineptos ad Contemplationem destinarit actioni.

Cap. 48.

ſiue ex naturali impotentiâ contingeret, eos iudicio Abbatis, alijs exercitijs eſſe applicandos. Quod facilè colligitur ex ſequentibus verbis: *Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec otioſi ſint, nec violentiâ laboris opprimantur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.* Maneat ergò, Regulæ noſtræ præcipuum ſcopum eſſe Contemplationem: cui ſecundariò accedat vita mixta, vel actiua, ſi quos Superiores iſtis deſtinandos iudicauerint.

DISQVISITIO VI.

Quis Spiritus REGVLÆ *atque Ordinis* S. BENEDICTI?

Spiritus duo ſignificat.

VT quod inquirimus, meliùs intelligatur; prænotandum eſt *Primò*, vocem hanc, *Spiritus*, duo ſignificare. Primum, id quod ſpirat, ſiue inſpirat, aut aliquò impellit; quale eſt Deus, Angelus, dæmon, & proprius ſpiritus, ſiue anima hominis. Secundò, vt notauit S. Thomas, nomen, *Spiritus, in rebus corporeis impulſionem quandam & motionem* denotat, *nam flatum & ventum ſpiritum nominamus.* Ad cuius ſimilitudinem in incorporeis rebus impreſſionem illam, quam homo à Deo, Angelo, dæmone, propriòve ſpiritu accipit, etiam ſpiritus vocatur: quia non ſecus ſpiritualiter hominem impellit, ac ventus corporaliter. Vnde idem ait, amoris proprium eſſe, *monere & impellere voluntatem amantis in amatum.* Spiritus ergo in hoc ſenſu eſt incitatus animi motus, impetus & ardor immiſſus, vel à naturâ & cupiditate, vel etiam à dæmone, tumque dicitur furor & inſanâ cupido: ſic vocatur Spiritus ſuperbiæ, iræ, fornicationis, Acediæ, &c. vel à Deo, tumque dicitur Spiritus Domini. Sic Apoſtolus ait: *Non dedit vobis Deus Spiritum timoris; ſed virtutis, & dilectionis.* Sic apud Zachariam, *Spiritus precum* nominatur. Atque paſſim ita dicitur Spiritus compunctionis, humilitatis, manſuetudinis. Nec aliter exprimuntur ſeptem Spiritus ſancti dona Iſaiæ 11. quàm, *Spiritus ſapientiæ, & Intellectus, Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & Pietatis, & Spiritus Timoris Domini;* cuius rationem aſſignat Angelicus Doctor: quia ſecundùm ea homo diſponitur, vt efficiatur promptè mobilis ab inſpiratione diuinâ. Quo igitur quiſque motu ad agendum incitatur & impellitur, eo ſpiritu agi ac duci dicitur. Ita *Zelotypiæ ſpiritu* concitatus perhibetur vir, qui ſuſpectam habens vxorem, eam ad Sacerdotes adducit. Sampſon verò *Spiritu* fortitudinis Heroica illa operâ patrauit. Ioannes Baptiſta quia magno zelo æſtuauit, dicitur præceſſiſſe ante Dominum in *ſpiritu, & virtute Eliæ.* Nam & ipſe Elias magno zelo zelatus eſt pro Domino exercituum. Cùm Samaritani Dominum non reciperent, dicerentque illi Diſcipuli: *Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de Cælo, & conſumat illos? Increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius Spiritus eſtis.* Ac ſi diceret, non ſunt modò Eliæ tempora, nec eius zelo ac ſpiritu procedendum eſt: non enim venit filius hominis vt perdat, ſed vt ſaluos faciat peccatores: quare potius Spiritu manſuetudinis & clementiæ agendum erit, atque illius eſtis Spiritus.

1. Part. qu. 56. art. 1. — Ibid. — *Quid ſit.* — In Sacris litteris. — 2. Timoth. 1. — Zachar. 12. — 1. 2. q. 68. art. 1. — *Motus incitans ad agendum, eſt Spiritus operantis.* — Num. 5. — DE REGVLA S. BENEDICTI. — Luc. 1. — Luc. 9.

Sancti vario Spiritu ducebantur.

Ex quibus iam facilè apparet, viros ſanctos diuerſo ſpiritu in actionibus ſuis ductos fuiſſe: etſi enim omnibus virtutibus exornati fuerint; illa tamen quæ magis in ijs eluxit, quæque veluti prædominans aliarum actus imperauit; dicitur eorum proprius fuiſſe Spiritus. Ita S. Hieronymus & S. Ephrem ſpiritu compunctionis, S. Auguſtinus & S. Catharina Senenſis Spiritu Amoris Dei, Sanctus Franciſcus Spiritu Paupertatis maximè repleti fuerunt.

Vnde notandum vlteriùs. Quemadmodum humani corporis, & omnium animalium ſanitas, in quatuor primarum qualitatum debitâ temperaturâ conſiſtit; ita tamen vt ex omnibus vna ſemper plures gradus habeat, teliquiſque prædominetur; à quâ alij Cholerici, alij Melancholici, alij Sanguinei, alij Phlegmatici denominantur: Ita quoque in Religioſis Ordinibus res ſeſe habet. Omnes enim in generali fine, qui eſt per charitatem ſe Deo vnire, & tribus eſſentialibus votis, conueniunt; atque hic dici poteſt Spiritus generalis omnium omninò Ordinum. At tria hæc vota, aliatumque virtutum exercitia, modificantur ac determinantur ad certos gradus intenſionis, aut remiſſionis, ſecundùm Regulas & conſtitutiones cuiuſque Ordinis: in vno ſiquidem plus viget obſeruantia huius quam illius voti, in alio autem alterius, ita quod vnaquæque Religio principale quoddam habeat alicuius voti aut virtutis exercitium, quod præ reliquis magis obſeruet, cæteriſque omnibus præpolleat; atque in eo ſpecialis cuiuſque Ordinis Spiritus conſiſtere dicendus eſt. Ita Carthuſiani, quia ſolitudini, ieiunijs, & carnis macerationi maximè vacant, peculiarem Caſtitatis curam habere noſcuntur. Franciſcani verò exactiorem Paupertatem ſectantur. Prædicatores & Societatis Patres in proximorum ſalutem ex profeſſo incumbunt.

Omnes Ordines Spiritum ſibi proprium habent.

 Vt au-

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Spiritus Regul. S. Benedicti est perfecta Obedientia. Probatur I.

Vt autem iam de nostro Ordine & Regula loquamur, proprius illius ac peculiaris Spiritus esse videtur perfecta Obedientia: prout ante me asseruit Laurentius Benard in lib. de Spiritu Religiosorum Ordinum. Et probari potest, *Primò*, auctoritate S. Petri Damiani, qui ait, totum scopum S. BENEDICTI in scribendâ Regulâ alium non fuisse, quàm vt Obedientiam edoceret: *Videamus*, inquit, *cùm scribere incipit* (S. BENEDICTVS) *quibus verba dirigit, ad quod hominum genus omnem vim secuturæ elocutionis intendit; ait enim: Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians proprijs voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus*, OBEDIENTIÆ *fortissima, atque præclara arma assumis. Quantum ergo ex sancti viri verbis colligere possumus, magis ad discendam Obedientiam, quàm ad peragendam pœnitentiam Regulæ huius schola cognoscitur instituta: non vt siue peccatores, siue iustos excludat, vel vnum genus hominum respuat; sed quia omnem vim, & intentionem ad edocenda obedientiæ præcepta constituit.* Hæc ille. Et nos infrà in Catechismo Monaltico pluribus probabimus, totius Regulæ summam in vnâ *Obedientiâ* esse constitutam.

Petr. Dam. Opusc. 13. cap. 6.

Part. 2. Disq. 12.

Probatur II.

Secundò idem probari potest, quia S. Pater non tantam perfectionem Castitatis ac Paupertatis requirit, quantam Obedientiæ. Cibum enim & potum, ieiunia, totamque carnis macerationem (quæ ad Castitatem spectant) Superioris discretioni magnâ ex parte permittit. Quoad Paupertatem verò, bona mobilia & immobilia, fundos reditusque in communi possideri concedit: in particulari verò, duas vestes bonæ iustæque quantitatis, vuicuique Religioso tribui voluit, & propter honestatem, paulò meliores egredientibus indulget; quod fuus S. Franciscus non permittit. Obedientiam autem exigit S. BENEDICTVS omninò exactam, atque perfectam: nam eius materiam extendit vsque ad impossibilia; vultque non Abbati modò, sed vt *sibi inuicem obediant Fratres*. Modum obediendi vult adeò esse velocem, vt imperfecta sua relinquat, quæ fortè erant in manibus. Vnde (vt alias circumstantias silentio prætercam) apertè liquet Sanctissimum Legislatorem primas Obedientiæ in suâ Regulâ dedisse.

S. Benedictus exactã in suis Obedientiam requirit. Regulæ cap. 68. Cap. 71.

Neque nescius sum alios asserere, *humilitatem* esse proprium Ordinis S. BENEDICTI spiritum, propterea quòd eam duodecim gradibus exactissimè describat, & in singulis discipulis suis requirat: verùm si penitius ea, quæ de humilitate perscripsit, inspiciamus; videbimus eam Obedientiæ esse subordinatam, & plerusque eius gradus ad Obedientiam spectare. *Primus* enim *humilitatis gradus est, Obedientia sine morâ.* Secundus, propriam non amare voluntatem. Tertius, *pro Dei Amore omni Obedientiâ se subdere maiori.* Quartus, *in ipsâ Obedientiâ duris & contrarijs rebus*, vel etiam irrogatis iniurijs patientiam amplecti. Quintus, Cogitatiues suas Abbati manifestare. Octauus, nihil agere, *nisi quod communis Monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.* Quæ quidem, quis non videat veros ac proprios virtutis Obedientiæ actus esse, & non minus ad eam, quàm ad humilitatem spectare? Cui & illud accedat, quod Obedientia excellentior longè virtus sit quam humilitas. Est enim velut Mater omnium virtutum, quia eas menti inserit, insertasque custodit, vt S. Gregorius ait. Inter virtutes autem morales principem locum tenet, tantò præstantior cæteris, quantò difficilius & præclarius est, propriam voluntatem, quàm aliud quoduis bonum, Dei caussâ relinquere & abdicare. Et, vt S. Thomas docet, in quarum procedit ex reuerentiâ Dei, Religionis actus est, & pertinet ad deuotionem; quæ est principalis actus Religionis. Quinimò, & sacrificijs præfertur: *Melior est enim Obedientia quàm victima.*

Humilitas non est proprius Spiritus Regulæ S. Benedicti.

Cap. 5.

Cap. 7.

Greg. lib. Moral. cap. 12.

2. 2. q. 104. art. 3 ad primum.

1. Reg. 15.

Declararo autem hoc modo Regulæ nostræ spiritu, reliquum est, vt eiusdem Professores omnes actiones suas eodem spiritu ducti obeant, easdemque hoc spiritu animent atque viuificer. Hic est enim velut character & notâ, quâ veri Benedictini dignoscuntur. Quemadmodum enim S. Paulus dixit: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*: ita quoque dicere licebit; Quicumque spiritu Regulæ S. BENEDICTI aguntur, ij sunt filij S. BENEDICTI. Et contrà, vt inquiebat Apostolus: *Si quis autem Spiritum Christi non habet; hic non est eius*: Ita ad S. BENEDICTVM non pertinet, qui eiusdem non fuerit Spiritu imbutus. Veri ergo Benedictini esse debent velut illa mystica Ezechielis animalia, de quibus dicitur: *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebatur, nec reuertebatur cùm ambularent.* Ad horum, inquam, similitudinem quocùmque eos Obedientiæ Spiritus egerit, eò ambulare debet; imò nusquam progredi, nusquam subsistere, nihil agere aut intermittere deberent, absque hoc Spiritu. Quare etiam Deus omnium Spirituum poderator supplíciter rogãdus est, vt Spiritum hunc rectum innouet in visceribus nostris. Neque enim dubitandum est, quin ille, qui dixit: *Petite, & dabitur vobis*. Et: *Omnis, qui petit, accipit; dabit Spiritum bonum petentibus se.* Quamobrem frequenter optaui, nostris vt Religiosis frequens esset in corde, frequens in ore hæc

Ad Religiosos Benedictinos.

Rom. 8.

Ibid.

Ezechiel. 1.

Luc. 11.

ORA-

ORATIO.

Excita, Domine, in Ecclesiâ tuâ Spiritum, cui Beatus BENEDICTVS *Abbas* A *seruiuit: vt eodem nos repleti, studeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit.* DE REGVLA S. BENEDICTI.

TRACTATVS VIII.

DE OBLIGATIONE ET OBseruantiâ Regulæ S. BENEDICTI.



ISCVTIENDVM *tandem, quam arcto professores suos Benedictina Regula obstringat vinculo, quóve studio obseruanda; quod hâc Disquisitionum decade explicabimus.* Prima est, *Quæ Regulæ* S. BENEDICTI *obligatio?* Secunda, *Quanta eam seruandi necessitas?* Tertia, *Quanta dignitas & vtilitas?* Quarta, *Quibus medijs Superiores Regulæ obseruantiam tueri possint?* Quinta, *Quanto amore & honore prosequenda Regula?* Sexta, *Quanto studio legenda & meditanda?* Septima, *An memoriæ mandanda?* Octaua, *Vt opere adimplenda?* Nona, *Quàm exactè & quo zelo seruanda?* Decima, *Vt Monachorum opera ad Regulæ amussim exigenda?*

DISQVISITIO I.

Quæ sit Obligatio REGVLÆ S. BENEDICTI?

Quæstio trita de Regularum obligatione.

COMMVNIS omninò circa omnium Ordinum Regulas excitari solet quæstio, quam obligandi vim vnaquæq; obtineat. Quæ vti à pluribus passim est pertractata, ita admodum difficilis est, & prorsus ardua. Cùm enim Regula Religiosa habeat vim & rationem legis; necessitatẽ aliquam operandi imponit, nec cẽseri debet merum consilium: potest autem obligare ad culpam mortalem, aut venialem, vel etiam ad nullam; sed tãtùm ad aliquam pœnam. Cùm autem Regulæ Conditores sæpè non explicent, quo horum modorum subditos suos obligare veliut, sed absolutè tantùm ea quæ agenda vel omittenda sunt, ordinent, statuant, aut præcipiant: hinc nimirùm oritur difficultas diiudicandi, quænam obligatio ex tali Regulâ, in profitentibus illam, oriatur. Vnde Cardinalis Caietanus pro huius dubij resolutione summum Pontificem adeundum putat, cuius declarationem circa S. Augustini Regulam Angelus desiderabat. Doctissimus Nauarrus adeò difficilem & abstrusam huius rei inuestigationem arbitratur, vt asserat optasse se, vt à Concilio Tridentino definiretur. Quod & Henricum, & Caietanum expectasse, asserit. Vsque adeò autem hæc difficultas Frattes Ordinis Minorum torsit, vt summos Pontifices, Gregorium IX. Nicolaum III. & Clementem V. suis precibus vrserint, vt obligationem Regulæ S. Francisci Apostolicâ auctoritate declararent. Hinc tot Doctissimorum virorũ ingenia circa Regularum obligationem explicandam desudarunt. De singulis enim his Regulis tractat B. Antoninus 3. part. tit. 16. cap. 1. §. 5. & seqq. Azorius Instit. Moral. part. 1. lib. 13. cap. 11. Eandemque materiam excutiunt ferè Scholastici Doctores in tractatu de legibus: quam de Religiosorum Regulis in genere etiam prosecuti sunt Gregorius à Valentiâ, tom. 3. in S. Thomam disp. 10. quæst. 4. puncto 5. Suarez tom. 4. de Religione, lib. 1. cap. 2. & 3. Sanchez to. 2. operis Moral. lib. 6. cap. 4. In particulari verò de Regulæ S. Augustini obligatione scripserunt Henricus Quodlib. 6. quæst. 17. Humbertus in Expositione eiusdem Regulæ, cap. 10. Ioannes Dominicus ex Ordine Prædicatorum. Seruatius de Lairuelz in Opticis Regularium, Laurentins

Quam eno-dari plures voluerunt.

Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9. in fine dub. magni.

Nauarr. cap. 23. nu. 48. verb. præcept.

Qui de Regularum obligatione scripserint.

Qq 4 Landt-

De Regula S. Benedicti. Landtmeter in Commentario Regulæ, qui duo postremi sunt Ordinis Præmonstratensis. De S. Francisci Regula, præter Pontificum decisiones, videndi sunt Antonius Cordubensis, & Hieronymus à Politio, Cyprianus Crousers in Lectionibus Parænecticis ad eandem Regulam. Carmelitarum Regula quomodò obliget, elucidat P. Thomas à Iesu, Carmelita Discalceatus. De Societatis Iesu Regulâ consulendi, quos citauimus, Suarez & Sanchez.

Vtrum ad Regulam S. Benedicti. Obligationem porrò S. BENEDICTI explicant S. Bernardus, lib. de Præcepto & B Dispensatione. Itemque Bernardus alter, Abbas Cassinensis in Speculo suo: Cardinalis à Turrecrematâ, tractatu 5. & 6. in Regulam, alijque qui eam sunt interpretati. Siluester narrat Summam Angelicam dicere, quod hæc Regula indigeat declaratione Papali, quibusdam ponentibus in eâ plura præcepta, quibusdam pauciora; quod ipsi Siluestro verum nō est, quia non indiget declaratione mitigatiuâ, cùm sit præcipuæ discretionis: nec illustratiuâ, cum in luce suę claritatis dicatur luculenta. Omnia autem præcepta eius sufficienter per prædicta cognoscuntur probabiliter: alioquin omnia humana iura indigerent Papali declaratione, & ipsa declaratio in infinitum, cum semper varientur opiniones. Ita ille. Nos verò totius huius dubij resolutionem Propositionibus aliquot comprehendemus; vnde fit

Silu. v. Religio 1. ... inst. 10.

Quæ non obligat ad mortale, nisi in materia voti. PROPOSITIO PRIMA. Regula S. BENEDICTI non obligat ad peccatum mortale, nisi apertè cōtineat materiam voti, aut aliquid, quod præcepto diuino positiuo, aut D naturali, aut Ecclesiastico, aliàs ad mortalem culpam obstringit: quod quidem vbi contingit, non tam ex Regulâ, quam ex voto aut alio illo pręcepto obligatio talis nasci censenda est. Vnde transgressio talis præcepti nec est speciale peccatum, nec grauius eò quòd sit contra Regulam. Non enim præsumendum est, voluisse S. BENEDICTVM nouam inducere obligationem circa res aliàs præceptas & in Regulâ expressas, cùm id nusquam explicet; & verò plus damni, quàm vtilitatis adferat, plures E obligationes circa eandem rem inducere.

Probatur Primò. Hæc verò propositio probatur. *Primò*, quia Regula S. BENEDICTI est discretione præcipua, teste S. Gregorio, at si omnia obligarent sub mortali, non discreta, sed admodum rigida foret, cederetque Religiosis in laqueum. Sed SS. Patres, vt ait D. Thomas, qui Ordines instituerunt, nolentes hominibus inijcere damnationis laqueum, sed magis viam salutis ostendere; ordinauerunt talem professionis formam, in quâ periculum esse non possit. Quod

Quodlib. 1. art. 20.

A quidē de suâ Regulâ ipse S. BENEDICTVS testatur, in quâ ait, se *nihil asperum, nihilque graue* constituturum; & iam aliàs satis probauimus totam Regulæ institutionem esse benignam, discretam, suauem, & nulli non hominum generi accommodatam. In Prolog.

Secundò probatur: quia nomen *Regulæ* de se non vendicat rigorosam vim præcipiēdi, sed dirigendi & instruendi. Vnde in ipsa Regulâ sunt multa tantùm per modum consilij, & cuiusdam monitionis tradita; quòd ipse B.P. BENEDICTVS in ipso exordio Regulæ satis indicat, cùm ait: *Ausculta, ô Fili, præcepta Magistri, & admonitionem pij Patris libenter excipe.* Euidētissimum autem est, hæc non obligare ad peccatum mortale. Alia verò quæ in eâ habentur, non sunt omnia præcepta, sed quædam (vt citato loco ait S. Thomas) ordinationes siue statuta, quæ non habent vim præcepti. Vnde infert stultum esse putare, quod Monachus frangens silentium post completorium, peccaret mortaliter, nisi fortè faceret hoc contra præceptum Prælati, vel ex C contemptu Regulæ. *Et similiter*, ait, *abstinere à carnibus non ponitur in Regulâ* B. BENEDICTI *vt præceptum, sed vt statutum quoddam: vnde Monachus comedens carnes, non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam, vel contemptum.* Hæc S. Thomas. Quod si autem hæc non sint præcepta, vix vlla præter, quæ essentialia vota spectant inuenientur. Aut vt demus ea esse præcepta, sed non obligantia ad culpam mortalem, neque alia his similia vel etiam leuiora ad eam obligabunt. Secundò.

Probatur *tertiò*. Hæc tanta Regulæ nostræ obligatio neque ex ipsis verbis S. BENEDICTI, neque ex pœnis, quibus transgressores afficiendos decernit, neque ex consuetudine Regulam ita interpretandi, colligi potest: ergo id de eâ non est asserendum. Antecedēs autem probatur quoad primum; quia nulla verba præceptiua vel imperatiua eam vim habent, vt ex originariâ significatione indicent obligationem ad mortale, sed ex subiectâ materiâ, & circumstantijs, verba & legis obligatio pensanda sunt, & in dubio potiùs interpretanda de veniali, vt multi Doctores tradūt apud Sanchez, lib. 6. in Decalogum cap. 4. num. 30. Quoad secundum verò itidem probatur, quia nulla pœna spiritualis in Regulâ S. BENEDICTI præscribitur, ex quâ necessitas præcepti sub graui culpâ apertè significetur, vt annotauit in hâc materiâ Suarez. Excipe tamen, nisi cum decernitur pœna ob votorū violationem, aut incorrigibilitatē. Tertium verò membrum satis patet, quia communis Interpretum Regulæ nostræ sensus est, eam Tertiò.

non

non obligare ad mortale, vt etiam S. Thomas, S. Antoninus, & passim Scholastici, & Canonistæ censent. Quinimò Pater Thomas à Iesu adserens discrimen, quare præcepta Regulæ S. Francisci ad mortale obligent, non item S. BENEDICTI; ait id euenire, quod consuetudine interpretante, in Ordine Minorum ab ipso Religionis primordio apud omnes eius proceres, & litteratos receptissimum semper fuerit, vniuersa suæ Regulæ mandata præuaricantes, letalis criminis fuisse participes: cuius contrarium in Ordine D. BENEDICTI, aut alijs, contrario etiam consensu, & consuetudine introductum est. Quare, cùm neque vtrobique deficiant præceptiua verba, & subsit materia grauis, sit vt totâ obligandi, vel non obligandi ratio à consuetudine deriuata sit. Alias probationes vide apud Bernardum Cassinensem, Turrecrematam, & S. Antoninum.

Discrimen inter obligationem Regulæ S. Benedicti, & S. Francisci.

PROPOSITIO SECVNDA. Ordinationes & Statuta, siue etiam præcepta Regulæ S. BENEDICTI, quæ non concernunt vota, aut essentialia Religionis, vel materiam alio præcepto ad mortale obligante iniunctam, probabile est obligare ad culpam venialem.

Ordinationes & Statuta Reg. S. Bened. obligant ad veniale.

Colligitur hęc propositio ex D. Thoma, qui ait: *Transgressio vel omissio aliarum* (quæ non sunt contra præceptum Regulæ) *obligat solùm ad peccatum veniale.* Vnde facilè colligas, quæ in Regulâ ponuntur per modum consiliorum, admonitionum, aut instructionum, ad nullam culpam obligare. Quod autem ab eodem Angelico Doctore dicitur, *Abstinere à carnibus non poni in Regulâ Beati* BENEDICTI, *vt præceptum, sed vt statutum quoddam;* non omnem (vt quibusdam fortè videtur) excludit culpam, sed tantùm mortalem. Fatetur enim, vt iam vidimus, venialem admitti in transgressione vel omissione aliorum, quæ non sunt contra præceptum Regulæ. Prętereà, cùm de suo Ordine peculiariter dicat similes transgressiones non obligare ad culpam neque mortalem, neque venialem; sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam; tacitè censet aliorum Ordinum Regulas, quæ non declarāt se obligationem ad culpam excludere, transgressores ad venialem obligare. Idemque de Regulâ S. Augustini fatetur Caietanus, tom. 1. opusc. 15. art. 1. De nostrâ autem S. BENEDICTI idem sentit S. Bernardus lib. de præcept. & dispensat. cap. 12. vbi hanc regulam constituit: *Vniuersorum quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut diuinâ institutione, aut propriâ cuiusque professione fixa non sunt, nō iussa quidem licitè, vtrumlibet, vel admittantur vel omittantur; iussa verò sine culpâ non negligantur, sine crimine non contemnantur.* Sentit ergò (inquit Suarez) quæ sunt in Regulâ, secluso contemptu, sine mortali omitti, hoc enim vocat crimen, non tamen sine aliqua culpâ; etiamsi ex negligentiâ fiat, quæ ad minimum erit venialis. Et passim toto illo libro S. Bernardus probat obligationem Regulæ ad venialem culpam, secluso contemptu. Et Bernardus Cassinensis ait: *In Regularibus obseruantijs, quæ non sunt de tribus in professione distinctè expressis, etsi non habent culpam mortalem, & per consequens æternam damnationem: possunt tamen habere grauem transgressionem. Nam quæ sunt maiora, erunt igne purgatorij quasi ligna: quæ sunt mediocria, sicut fœnum erunt in purgatorio consumenda, locumq; stipula tenebunt minora.* Quæ singula exemplis probat.

Probatur Auctoritate: S. Thomæ. 2. 2. q. 186. art. 9.

Quodlib. 1. art. 21.

S. Bernardi.

De Reg. S. Benedicti.

Bernardi Cassinensis. In Specul. part. 1.

Inter maiora reputat *esum carnium sine necessitate, vel reparationis vtilitate, vel Superiore mandante, cuius frequentatio sicut ligna longum cruciatum habebit. Fractio verò silentij post Completarium, loquacitas, scurrilitas, & verba mouentia risum cum suis similibus, credo esse de mediocribus, quæ tardiùs quàm stipula, citiùs tamen in igne consumentur quàm ligna. Sed & risus non multùm immoderatus, nec cum exaltatione vocis emissus, & locutio illis quibus aliquando licet horis, & illis quibus permittitur in locis, aliquantulum immoderata, & ex vanitate verbique qualitate aut quantitate, verba otiosa citiùs, quàm præmissa, vt æstimo, punientur, & iuxta modum stipulæ faciliùs succedentur.* Hæc ille. In eandem sententiam propendet Turrecremata, & S. Antoninus, & communiter sequuntur Canonistæ: vt videre est apud Abbatem, cap. *Relatum, ne Clerici vel Monachi.* Archid. cap. 1. 27. quæst. 1. Immolam, & Felin. in cap. *Nam Concupiscentiam* de constitution. Denique etiam multi Summistæ.

Ratione verò probatur à S. Thomâ & Suarez. Primò, quia verba Regulæ sunt præceptiua vel ordinatiua, ergo vi suâ inducunt aliquam obligationem, & intentio Legislatoris, quoad hanc partem præsumitur conformis significationi verborum: quia cessant coniecturæ omnes factæ de obligatione sub mortali, nam hæc minor obligatio est satis consentanea fini Regulæ, & Institutoris eius, & est valdè intrinseca ex vi talis modi ordinandi: ergò nisi expressâ & quasi reflexâ intentione excludatur, semper inest ex vi Regulæ.

Probatur ratione.

Et hæc quidē pro hac sententiâ; quamuis aliqui non improbabiliter sustineant Regulam nostram nulla continere præcepta, adeoque non obstringere nisi ad pœnam. Vtcumque ista se res habeat, benè annotauit Suarez, non multùm esse contendendum de obligatione peccati venialis, quia

Alij aliter sentiunt, nec improbabiliter.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

lis, quia illa vix separari potest à transgressione Regulæ; quia rarò contingit Religiosum operari ex fine honesto, quando agit contra Regulam, vel quod illa præcipit, omittit. Huiusmodi enim frequentiùs fiunt ex aliquâ otiositate, delectatione, aut animi tepiditate ad superandam aliquam difficultatem.

Regula transgressio in votis est mortalis. PROPOSITIO TERTIA. Trāsgressio Regulæ in materiâ trium votorum essentialium ex genere suo est peccatum mortale. Est sententia S. Thomæ ab omnibus recepta. Dixi autem *ex genere suo*; quia quando malitia est modica, voti transgressio est venialis. Vbi notandum Religiosum non teneri ex voto Obedientiæ ad seruanda singula in Regula contenta, ita vt transgressio sit culpa mortalis, aut venialis contra hoc votum; sed obligatur tantùm eo modo, quo ipsa Regula præscribit & obligat: quia vt S. Bernardus, & S. Thomas obseruarunt, non promittunt Religiosi seruare Regulam, sed *obedientiam secundum Regulam*, hoc est, non promittunt singula in particulari & collectiuè; sed solùm mores suos secundùm Regulæ præscriptum componere, atque ideò non alio modo obligantur, quàm ipsa Regula determinat: aliàs enim periculosissimus esset Status Religionis, multisque peccandi ruinis passim expositus.

Item facta ex contemptu. PROPOSITIO QVARTA. Regulæ transgressio facta ex contemptu, est peccatum mortale, etiam in minimis: itâ S. Bernardus, lib. de præcept. & dispensat. & S. Thomas 2.2. quæst. 186. art. 9. & est communis sententia Doctorum. In quo autem ille contemptus consistat, non omnes inter se conueniunt.

S. Thomas ait in Solutione ad tertium: *Tunc aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci Regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra Regulam.* *Quomodo id fiat.* Quod vt sit peccatum mortale, Suarez itâ intelligendum censet, vel quando intentio non viuendi secundùm Regulam talis est, vt vel simpliciter totam Regulam, nihil distinguendo inter grauia & leuia, substantialia & accidentalia, despiciat; vel quando tālis est, vt omninò quis statuat, nec seruare Regulam, nec subiacere Religiosæ disciplinæ; vel certè quando quis itâ despicit Regulam, vt non solùm non intendat totam seruare, sed etiam quasi positiuè intendat totam illam non seruare, ne illi subiectus appareat: extra hos verò casus non est peccatum mortale, nisi per accidens, ratione periculi. Vide hanc materiam explicatam ab eodem Francisco Suarez tom. 4. de Religione lib. 1. cap. 4. & à Thomâ Sanchez in opere Morali lib. 1. cap. 5. numer. 8. & lib. 6. cap. 4. num. 16. & seq.

PROPOSITIO QVINTA. Ea, quæ in Regulâ traduntur per modum consilij, ad nullum peccatum obligant; sicuti nec consilia Euangelica vllam obligationem inducunt, vt explicat S. Augustinus, lib. de sanctâ Virginitate cap. 4. & Chrysostomus to. 4. homil. in illa verba: *Salutate Priscillam*, quæ habetur post Commentariū in Epist. ad Rom. & S. Hieronymus ait: *Vbi consilium datur, offerentis consilium est, vbi præceptum, necessitas est seruientis.* *Quæ Regula consilii, non obligat ad peccatum.* *Hieron lib. 1 contr. Iouin.*

Vt respondendum obiectionibus Disquisitionis huius doctrinæ oppositis.

Obijcitur. Aduersus ea, quæ in primâ Propositione dicta sunt, plures fieri possunt obiectiones, quas pro maiori eiusdem intelligentiâ hîc dissoluemus. Sit igitur

Prima. *Prima obiectio.* S. BENEDICTVS in Prologo Regulæ ait: *Præparanda sunt corda & corpora sanctæ præceptorum obedientiæ militatura*: ergo innuere videtur omnia, quæ Regulâ continentur, esse præcepta, & per consequens obligare ad peccatum mortale. Confirmatur ex S. Bernardo, qui sic ait: *Omnia proinde S. BENEDICTI instituta, exceptis sanè nonnullis de spiritualibus, verbi gratiâ, charitate & humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse, Deū, & ob hoc penitus non esse mutanda. De cætero reliqua vniuersa non profitentibus quidem monita solùm seu consilia censenda sunt, nec grauant non obseruata, cùm tamen profitentibus in præcepta, præuaricantibus in crimina fiant.* *Bern. lib. de præcept. & dispens.* Per *crimen* autem S. Bernardus culpam mortalem intelligit; ergo putat totam Regulam ad eam obligare.

Resp. S. Benedictus nō vbiq; præcipit in Regulâ. Ad hanc obiectionem respondetur, verba S. BENEDICTI citata nō significare omnia in Regulâ esse præcepta, sed in ijs quædam esse præcepta, quæ nimirum sunt magis intrinseca ac proxima fini Religionis, ad quorum obedientiam & adimpletionem vti cor & corpus præparare debet is, qui sub lege Regulæ militare voluerit; itâ etiam substantialia illa ad mortalem culpam obligant. Vnde Bernardus Cassinensis Abbas ait, S. BENEDICTVM ibi expressè loqui de præceptis obedientiæ; nemo autem negauerit, quin ea, quæ in virtute sanctæ obedientiæ præcipiūtur, grauissimè obligent. Ad verba S. Bernardi respondent Turrecremata & S. Antoninus, S. Bernardum non accipere ibi *præceptum* propriè & strictè, scilicet pro iussione Superioris, cùm intentione ligandi in virtute obedientiæ; sed largè pro quâcumque iussio-

iussione, ordinatione, vel prohibitione, quę transgressorem non constituat reum culpæ letalis, sed tantùm venialis. Hęc autem solutio Thomæ à Iesu non probatur: grauiorem enim (inquit) culpam, quàm venialem sonare videntur illa verba, *cùm tamen profitentibus præcepta, præuaricantibus in crimina fiant*; quare dicendum est, D. Bernardum loqui ibi indiffinitè de aliquibus præceptis, quæ tangunt tria substantialia vota, quæ obligant sub grauiori culpâ; de reliquis verò in Regula contentis apertè tradit D. Bernardus in dicto libro, solùm ligare ad veniale, ità enim loquitur: *Ex his leuioribus, verbi gratiâ, dico esse vel risum interdictum, vel indictum silentium; hæc siquidem si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt, accedente mandato, si quominus iam obseruantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen. Ita sanè, si per subreptionem aut obliuionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit.*

Pro verbis S. Bernardi.

Secundò. Reg. cap. 58.

OBIECTIO SECVNDA. S. BENEDICTVS præcipit, vt Nouitius, cui Regula prælecta fuerit, *Si habitâ secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cũcta sibi imperata seruare, suscipiatur in Congregatione, sciens se sub lege Regulæ constitutum.* Hæc autem promissio est ipsa Religiosa professio, ergò ex voto professionis tenetur Religiosus omnia seruare, quæ in Regulâ continentur; & per consequens in omnibus transgressionibus, quas contra Regulam committit, peccabit mortaliter, quia erunt violationes voti. Respondetur negando minorem, verbum enim *promittendi* largè ibi sumitur, non pro obligatione voti, aut ipsâ professione, sed pro ostensione voluntatis, ità vt sensus sit; si ostenderit se velle cuncta seruare eo modo, quo habentur in Regulâ, atque vt ipsa obligat, præcepta scilicet vt præcepta, monita vt monita, atque ad omnia custodienda, quantum in se est, voluntatem suam dirigere se velle declarauerit, tunc suscipiatur. *Nemo enim*, vt rectè scripsit S. Bernardus, *si cautè profitetur, pollicetur in nullo se vltra transgressurum, & qui se ideò periurum putat, quod ad punctum Regulam non obseruat: videtur mihi non satis attendere, quid iurauerit. Nemo quippè, cum profitetur, spondet Regulam; sed determinatè secundum Regulam, sui quisque conuersionem, suamq; deinceps conuersationem sese pollicetur dirigere. Hæc profectò huius temporis omnibus fermè Monachis communis professio est.* Hæc Bernardus.

Responsio.

Bern. suprà.

Tertiò.

OBIECTIO TERTIA. De eodem Nouitio, *qui habitâ secum deliberatione promisit omnia custodire*, dicit S. BENEDICTVS: *Si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnãdum sciat, quem irridet*: ergo emissâ professione censet omnes Regulæ præuaricationes inducere culpam letalem. Respondetur negando Consequentiam, non enim de quacumque Regulæ transgressione, sed de ipsius professionis ac votorum violatione S. Pater ibi loquitur, in quo omnes Doctores conueniunt peccatum mortale admitti.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Responsio.

Quartò.

OBIECTIO QVARTA. S. BENEDICTVS c. 51. mandat excommunicari Monachos, qui extra Monasterium absque licentiâ Abbatis comederint, sed excommunicatio non fertur nisi ob peccatum mortale, ergò in violatione illius Regulę committitur peccatum mortale. Respondeo non intelligi hîc excommunicationem eam, quæ est censura Ecclesiastica, sed eam quę est Monastica, de quâ scribit cap. 24. *Secundùm modum culpæ, excõmunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura*, seque declarãs ostendit se à mensæ consortio & communione ob leuiores culpas delinquentes excludere. Vel accipitur, vt vult Turrecremata, de maiori vel minori excõmunicatione, pro varietate excessus, delicti, aut conditionis delinquentis personæ: ergò est qualitas personæ, & quantitas delicti pensanda, pro quorum varietate est culpa Fratris iuxta discretionem Abbatis maiore vel minore excommunicatione plectenda.

Responsio.

Quintò.

OBIECTIO QVINTA. In Extrauagante, *Ne Clerici*, cap. *Relatum* dicitur: *Relatum est nobis quod Monachi de N. viuunt sæculariter, & alios exemplo corrumpunt. Ideò mandamus, quatenus ad obseruantiam Regulæ appellatione remotâ compellas.* Nullus autem videtur posse compelli ad id, ad quod sub peccato mortali non tenetur: ergo apparet vniuersa quæ Regulâ continentur, ad mortalem culpam obstringere. Respondet Ioannes Andreæ in glossâ illius capitis, & ex illo Turrecremata & S. Antoninus, hinc quidem confici argumentum, quòd Regula sit in præcepto, sed id intelligendum indistinctè, quoad tria substantialia vota. *Alia autem* (inquit) *non credo esse in præcepto, aliàs vnus de mille Monachis non saluaretur.* Apparet autem ex ipso textu eos sæculariter viuentes substantialia fortassè violasse: atque insuper scandalo alijs fuisse, quod meritò præscribitur anferendum. Neque vniuersaliter verum est, quod in minore sumitur, neminem posse compelli ad id, ad quod sub mortali non obstringitur: iustè enim Superiores exigunt obseruantiam eorum, quæ sub veniali vel nullâ culpâ obligant.

Responsio.

Sextò.

OBIECTIO SEXTA. In Regulâ S. BENEDICTI statuitur, vt Monachi abstineant ab esu carnium: In Iure verò Canonico ita decernitur: *Carnem cuiquam nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia. Quod si quis Monachus violauerit, & contra sanctionem Regulæ, vsumque*

D. consecr. dist. 5. cap. carnem.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

vſumque veterum veſci carnibus præſumpſerit, ſex menſium ſpatio retruſioni, & pænitentiæ ſubiacebit. Ergo ſentit in hoc caſu Regulam obligare ad mortale. Pœna enim carceris, & præſertim ſemeſtris, non infligitur pro peccato veniali. Reſpondet S. Thomas, quòd pœna illa infligatur Monacho contumaciter & inobedienter carnes comedenti. *Abſtinere enim à carnibus non ponitur in Regulâ B.* BENEDICTI *vt præceptum, ſed vt ſtatutum quoddam, vnde Monachus comedens carnes non ex hoc ipſo peccat mortaliter, niſi in caſu propter inobedientiam vel contemptum.* Hæc Angelicus Doctor. Reſponderi etiam poſſet S. Fructuoſum, cuius eſt illud in ſua Regulâ decretũ, voluiſſe ſuos quoad hoc punctum grauiùs obſtringere, ideoq́; pœnam illam addidiſſe: nec conſtat eam in alijs Benedictinorum Monaſterijs cum illo rigore receptam.

Solutio. — Th quodlib. art. 20. — *Alia.*

Quamuis autem hæc ità ſeſe habeant, nemò tamen proptereà Regulæ ſtatuta liberius tranſgrediatur. Non enim modicum eſt in Religioſo, veniale peccatum ſponte admittere, & pronâ voluntate non leuiter in leues etiam Regulæ tranſgreſſiones ferri. Licet enim ad nullam culpam obligarent, magni tamen fieri deberent ea, quæ diſciplinã Religioſam ſartam tectam cuſtodiunt. *Qui* autem *ſpernit modica* (vt Scriptura ait) *paulatim decidet.* Quocirca (vt cum Bernardo Caſſinenſi materiam hanc concludam) *minimas etiam obſeruantias Regulæ & Ordinis noſtri ſtudeamus obſeruare, & de noſtrâ ſalute ſemper ſolliciti nihil vilipendamus, nihil in contemptum vel conſuetudinem reducamus.*

Nota Religioſe. — Eccli. 19. — Bern. Caſſ. in Spec.

DISQVISITIO II.

Quàm neceſſarium REGVLAM *obſeruare?*

PRVDENTER admodum ſcripſit Romanus Sapiens: *Vnam ſemel, ad quam viuas, Regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua.* Hic finis eſt omnium eorum, quæ hactenus toto hoc libro diximus. ideò enim prǽconia Regulǽ deprompſimus, vt illis excitati, ad amorem & obſeruantiam Regulæ prouocaremur. Ideò Finem, Scopum, Spiritum, & Obligationem Regulæ diſcuſſimus; vt illis cognitis, pro eorumdem exigentiâ eam adimplere ſatagamus. Hic ſcopus eſt, quem omnes Regularum conditores præ oculis habuerunt: huc S.P.N. BENEDICTVS reſpexit, cùm dixit: *Regulam autem hanc deſcripſimus, vt eam obſeruantes in Monaſterijs, aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis nos demonſtremus habere.* Obſer-

Senec Epiſt. 20. — *Superiùs dicta ſpectant ad Regulæ obſeruantiam* — Reg. cap. 73.

A

uatio ergo Regulæ deſcriptionis eiuſdem finis eſt: & verò id omnia vocabula, quæ Regulæ tribuuntur, & ſecundo Tractatu expoſita ſunt, apertè inſinuant: dicitur enim *Lex*; at cui illa bono ſeruit, ſi non ſeruetur? Ita ſanè in ipſa admiſſione tironibus ſuis diſertè ſanctiſſimus Legiſlator edici voluit: *Ecce Lex, ſub quâ militare vis, ſi potes ſeruare, ingredere; ſi verò non potes, liber diſcede.* Aut ſeruanda igitur eſt ex mente S. BENEDICTI Regula, aut Monaſterium deſerendum. Nullum enim in eo eſſe per-

B

mittit, qui non legibus pareat. Siquidem quod de legibus Philoſophi dixerunt, itidem aptè cadit in Regulas. Plato eas ſimiles ædificiorum fulcris cõcipiebat animo, quod ijs ciuitas fulciretur. Ariſtoteles vitam legibus tribuiſſe fertur tanquam animæ: quòd maximè congruit cum doctrina, quam tradit in Rhetoricis, ſalutem totius ciuitatis in legibus eſſe collocatam. Alij eas Reipub. neruum & fundamẽtum appellauerunt. Regius verò vates de diuina lege pronunciauit: *Lucerna pedibus meis*

C

verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Id quod & de Regula aſſeuerare poterimus: in viâ enim hac, in quâ filij Adam ambulamus, non niſi tenebræ & lubricum eſt, in quo vix quiſquam tutò pedem figere poſſit: verùm donec illuceſcat dies in caliginoſo hoc loco, *Regula* pedibus erit *lucerna*, ſemitis lux; quam meritò ſequi debemus, niſi in tenebris ambulare velimus.

Quæ ſcripta eo fine, & vocata Lex. — Cap. 58. — Plato Dialog. 7. de legib. Ariſt. lib. 1. Rhet. cap. 21. — Pſal. 118. — *Et dici poteſt lucerna.*

Eſt porrò hæc eadem Regula *Schola Dominici ſeruitij*, quam niſi frequentemus, ineruditi prorſus in ſcientia perfectionis

D

noſtræ remanebimus. Nullo vſui ſeruit Gymnaſium, quod diſcipuli non adeunt, & in quo nemo docetur; nec quidquam profuerit Regula, ſi ea ad mores educendos non adhibeatur, neque ab eâ nos inſtrui patiamur. Via deinde eſt Regula, & ſcala ad cæleſtem patriam; at niſi hanc ſcalam aſcendamus, inutiliter nobis erecta eſt: & humi repentes, ad cæleſtem beatitudinem minimè peruenire poterimus. Hæc eſt enim, & non alia via, *quâ dilectus Domini cælum* BENEDICTVS *aſcendit.*

Item Schola Dominici Seruitij.

E

Officina quoque artis ſpiritualis Regula noſtra vocatur: quo nomine aliud nobis non commendatur, quàm vt continuo exercitio in hâc Officinâ occupemur. Huc enim ſpectat tota illa ſupellex Inſtrumentorum bonorũ operum, quæ eam ob cauſſam nobis exhibita eſt, vt ijs die noctuq́ue diligenter atque inceſſabiliter ſalutem noſtram operemur.

Officina quoque.

Speculi deinde nomen iam aliàs diximus Regulæ maximè conuenire; verùm niſi hoc oculis noſtris obijciamus, & animæ vultum exploremus, nullo nobis vſui erit.

Regula eſt Speculum.

Optimè

Aug. con. 1. in Psal. 103.

A

Optimè autem speculi huius vsum B. Augustinus exposuit, cùm spiritualem sponsam sic alloquitur: *Vide*, inquit, *si hoc es quod dixit; si nondum es, geme vt sis. Renunciauit tibi speculum faciem tuam; sicut speculum non sentit adulatorem, sic nec te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille, quod es; vide quæ es: & si tibi displicet, quære vt non sis. Si enim cum fœda sis tibimetipsi displices, pulchro iam places.* Quæ Augustini verba si de Regulari Speculo intelligas, quid aliud quàm accuratam Regulæ obseruantiam, & morum nostrorum cum eiusdem præscripto

B

collationem insinuant? Iam & ipsum *Regulæ* nomen vsum suum satis indicat, qui est dirigere, & corrigere tortuosa; in quem sensum benè dixit Sanctus Augustinus: *Quamdiu integra est Regula, habes quò te conuertas, & corrigas prauitatem tuam; habes vnde corrigas quod in te tortum est.* De Regulâ proinde religiosâ illud accipere possumus quod Origenes scripsit in illud Cantici: *Recti diligunt te.* Pro quo ipse cum LXX. legit: *Rectitudo*, seu *æquitas dilexit te: Regulam quandam*, inquit, *di-*

Regulæ nomen quid importet.

Idem in Psalm. 93.

Cant. 1.

Orig. homil. 1. in Cant.

C

rectam ponamus esse æquitatem; vt si quid in nobis iniquitatis est, hanc adhibentes ac superducentes directoriam mandatorum Dei, si quid in nobis curuum, si quid tortuosum est, ab huius Regulæ lineâ resecetur, vt possit & de nobis dici: Æquitas dilexit te. Atque hæc quidem omnia Regulæ custodiam diligentem suadent, illa enim totius Religionis firmamentum est, quo semel neglecto, necesse est omnia

In præceps ruere, ac retrò sublapsa referri.

D

Hinc luctuosam Ordinum à primæuo feruore defectionem, & miserandam totius Religionis ruinam, spirituales Magistri in Regularum neglectum referre non dubitauerunt. Sanctus Ephræm ait: *Magnum quippe animarum naufragium, in quo Canones & rectæ vitæ institutiones non vigent.* Deplorat idipsum in nostro Ordine Ioannes Trithemius: *In cœnobijs*, inquit, *vbi Regula despicitur, vbi disciplina non seruatur, quid aliud quàm quædam scaturigo vitiorum omnium conspicitur? nulla obedientia, nulla paupertas, nulla castitas apud illos virtutis amore*

Ruina Ordinum à Regulæ neglectu profluxit.

Ephræm in doctr. varia, cap. 32.

Trithem. lib. Penthico, cap. 3.

E

tenetur. Causam eandem excidij Ordinis nostri adfert Iudocus Clichtoueus. *Deperijt*, inquit, *fructus bonorum operum, opportuno tempore nasci solitus, & in domo Monachorum prodijt quasi ex adipe iniquitas, fructus impietatis, horroris, & iniustitiæ. Sed quæ caussa subest tantæ permutationis, obsecro, & quod obscuratum est aurum puritatis Monasticæ, mutatusque color optimæ religiosæ sinceritatis? Nulla sanè potior quàm quod reiecto Regularis obseruationis iugo in omnem dissolutionem*

Clichtou. serm. in Capitulo Cluniacensi.

Eâdem de caussâ Ordo noster à primæuo feruore defecit.

A

vitæ morumque improbitatem licentiùs abducti sunt. Nempe quamdiu Regula à primo Patre vestro constituta ad amussim & ad vnguem seruata est, non habuerunt in domo Religionis locum hæc informia monstra vitiorum. Fuit enim illa repagulum quoddam & retinaculum, quo continerentur insolentes animorum motus, ne toto impetu ferrentur in vetita. At verò postquam id abruptum est vinculum, & effracto aggere, laxatisque habenis, instituta sanctissimæ Regulæ pessumdata sunt, & proculcata pedibus; tum demum, omnis vitio-

DE REGVLA S. BENEDICTI.

B

rum eluuies & sentina cœpit effrenatissimo agmine totum hunc sacratissimum Ordinem obruere atque labefactare. Tunc (vt Psalmographi verbis vtar) Exterminauit eam aper de siluâ, & singularis ferus depastus est hanc vineam, in domo Domini plantatam. Si caussa requiritur? quia destructa erat maceria eius, & vindemiarunt eam omnes qui prætergrediuntur eam, dissipantes hæreditatem Domini, & per conculcatam disciplinæ sepem, facilè transcendentes. Vnde omnis deformitas, irregularitas, scandalorumque cumulus, in hanc Domini

Psalm 79.

C

domum miserè inuectus est. Hactenus Clichtoueus.

Sed Ordinis ruinam multorum sine dubio præuaricatorum præcessit interitus; particularium enim personarum defectio generalem totius Religionis præcedere solet. Stabit florebitque Religio, in quâ singuli Regularum exacti obseruatores sunt; sensim verò deficiet illa, in quâ nunc vna, nunc altera Regula passim violatur. Væ autem Religiosis illis, qui laxitatem & dissolutionem suo exem-

Et præcesserunt particulares præuaricatores.

D

plo & agendi modo inducunt. Vt enim Salomon optimè dixit: *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Sepis autem nomine Ordinis Regula intelligi potest. Acerbas porrò pœnas, & infernalis colubri morsus manere eos, qui regularia instituta transgrediuntur, asserit Cassianus, cuius verba adscribo: *Sicut immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundùm institutionis* REGVLAM *ei cohærentibus repromittitur in futurum: Ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè eam negligenterque fuerint exe-*

Eccles. 10.

Cassian lib. 4. cap. 34.

Pœna Regulas præuaricantium.

E

cuti; & secundùm hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

DISQVISITIO III.

Quanta dignitas, & vtilitas REGVLAM *seruare?*

Merces Regulam obseruantibus parata.

NON damna modò spiritualia, & horrendas pœnas, Regulam seruantes effugiunt, sed plurima insuper animæ lucra, dignitatemque omninò eximiam à Deo consequuntur. Audiant igitur Benedictini nostri Alcuinum, Caroli Magni Magistrum, benè prudenterque monentem: *Regularis vitæ obseruationem diligentissimè custodite: quatenus æternæ benedictionis mercedem habere mereamini. Hæc est laus vestra, iste honor vester apud homines, & retributio apud Deum.* Potissimos verò fructus & emolumenta, quæ Regulæ custodia parit, Salomon enumerare visus est, dum ita scribit: *Fili mi, ne effluant hæc* (scilicet præcepta Dei) *ab oculis tuis: custodi legem atque consilium; & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in viâ tuâ, & pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus.* Præclarè & fusè explicat hanc sententiam Aluarez, tomo 2. libro 3. parte 4. cap. 8. agens de custodiâ Regularum Religiosarum: breuiter verò Georgius Tyskeuicius notat per exactam legum ac Regularum obseruationem, consequi nos in hâc vitâ, hæc quatuor inter alia. *Primum*, vt anima nostra verè viuat vitâ spirituali, scilicet non amittat gratiam iustificantem, imò etiam exerceat opera illius vitæ, grata nimirum Deo, & meritoria nobis vitæ æternæ, & propterea dixit: *Et erit custodia legis, vita animæ tuæ. Secundum*, vt Oratio nostra, quæ per gratiam faucium designatur, semper sit accepta Deo, ac exaudiatur ab eo. *Tertium*, vt peculiariter protegatur à Deo, anima nostra, ne non solùm non succumbat in tentationibus, sed etiam vt victoriam contra illas consequatur: & propterea addidit sequentibus verbis eodem capite Prouerb. *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris*; scilicet à malo, à tentatione, à dæmone. Quid præsente tali custode, tam potenti & vicino, timendum est? & quomodò non fidendum, imò audendum? *Quartum* & vltimum, & omnia nobis prosperè eueniant de die, & de nocte, in prosperis, ac in aduersis, & nihil nos terreat, nec in vitâ, nec in morte; imò nec in extremo die iudicij, cùm omnes alij trepidabunt, & *dicent montibus*, id est, Christianâ perfectione sublimioribus Dei

Alcuin. Epist 49. — *Prouerb. 3.* — *Quadruplex in hâc vitâ.* — *Tyskeuic. lib. de perf. Christ. cap. 31.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.*

A seruis, *cadite super nos, & operite nos.*

Luc. 23.

Ex eodem fonte manat pax interna animæ.

Internam verò animi tranquillitatem & copiosam Dei misericordiam insuper consequi eos, qui studiose Regulas obseruant, nos docet Apostolus, scribens: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.* Pacem, inquam, habent tam cum conscientiâ suâ quàm cum Deo, cuius voluntati etiam in rebus non præceptis concordes sunt. Transgressores verò, bellum cum Deo gerunt, quandoquidem voluntati eius aduersen- B tur; ac proinde internâ pace carent. Habent porrò & Regulæ custodes pacem cum Prælatis suis, qui Regularum obseruationem vrgent, & impensè optant, vt subditi secundùm præscriptum Regulæ conuersentur. Quare & illud eis euenire videtur, quod Dominus per Isaim dixit: *Ponam*, ait, *visitationem tuam pacem, & Præpositos tuos iustitiam.* Faciam, inquam, vt dum Præpositi tui iusta iubent, ipsi visitatores tui pacem in te inuciant. Præuaricatores autem cum Su- C perioribus pacem habere vix possunt, & Regularis visitatio, pacis illis videtur turbatio. Denique cum Fratribus & toto Religiosorum cœtu Regulam obseruantes, pacem habent: sine querelâ enim huiusmodi in omnibus iustificationibus Domini, & mandatis Regulæ incedunt. Quantas verò misericordias, gratias, auxilia & beneficia à Dei bonitate Religiosus consequatur ob integram & exactam Regulæ custodiam, longum foret, ne dicam impossibile, enarrare. Audiendus hîc D cumprimis S. Leodegarius, qui in Canonibus Augustodunensibus ait: *De Abbatibus verò vel Monachis ita obseruare conuenit, vt quidquid canonicus Ordo, vel Regula* S. BENEDICTI *edocet, & implere, & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monasteria conseruata: & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes assiduas, malis carebit contagijs.* Sic ibi. Nec prætereunda pulcherrima Christi verba, quibus apud S. Birgittam se auxilia- E torem & protectorem eorum constituit, qui Regulam instituti sui adimplere voluerint. *Ego*, inquit, *qui sum omnium cordium scrutator, & omnium verborum auditor, si aliquos inuenero, qui Monasterij sui errorem corrigere tentauerint, suamque Regulam tenere in omnibus quæ præcipit, scilicet in humili, & regulari habitu, in debitis abstinentijs, in fugâ proprietatis, in obseruantiâ castitatis, & veræ humilitatis, atque in omnibus bonis consuetudinibus; cooperabor eis, & circumdabor eis, & circumdabo eos di-*

Gal. 6. — *Et cum Prælatis, qui disciplinæ tenaces.* — *Isaiæ 6.* — *Alia bona ex Regulæ obseruantia.* — *Tom. 1. Conc. Gall. ann. 670.* — *Ex Christi promisso.* — *Regul. Saluat. cap. 28.*

eos dilectione meâ, sicut circum dare solent vineam macerià suâ, daboque eis gratiam, vt libenter se contentos reddant de solis vitæ necessarijs, superfluitatem omnem contemnendo. Hæc ibi. Meritissimo ergo iure S. Bernardus ita Religiosos alloquitur. *Vnde rogo vos Fratres, & multum obsecro; sic agite, & sic state in Domino dilectissimi, solliciti semper circa custodiam Ordinis, vt Ordo custodiat vos.* Atque eâdem mente dixit Sanctus Anselmus: *Sanctè viuitis, si Ordinem & propositum vestrum diligenter custoditis.* Per *Ordinem* autem, hi Sancti ordinatam Regulæ obseruationem intelligunt. Quam qui benè seruat, ab eâdem sine dubio seruabitur: & ex prędicta Christi promissione, habitabit in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Cui insuper & illud accedit, quod per Regulæ obseruantiã intimam quandam cum Domino nostro Iesu Christo familiaritatem & amicitiam ineamus. Quod ipsemet asseruit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.*

Bern. Epist. 321. ad Frat. de S. Anast.

Ansel. lib. 3. Epist. 125.

Ioan. 15.

Angelis similes qui Regulam diligenter obseruant.

Verùm & ad eam celsitudinem dignitatemque multo maximam diligens Regulæ custos subleuatur, vt cælestibus illis & Angelicis spiritibus quodammodò similis esse perhibeatur. Id quod S. Wolfgangus ex Benedictino Monacho de nostra Regulâ indicauit: *Perspectis enim & cognitis rebus Episcopatus sui, cùm animaduerteret in vrbe Ratisponensi Monastica vita religioni multum decedere, crebrò suspirans, dixisse fertur: O si Monachos haberem ii, cætera satis suppeterent. Quibusdam verò è familiaribus eius dicentibus, multis locis magnam esse Monachorum copiam, dolens & lacrymans dicebat: O quàm defecit Sanctus! O quàm diminutæ sunt veritates à filijs hominum! Quid prodest sanctitatis gestare habitum, operibus destitutum?* MONACHI, QVI AD REGVLÆ SVÆ PRÆSCRIPTVM VIVVNT, BEATIS COMPARANTVR ANGELIS: *qui verò sæculares & mundo dediti sunt, apostatæ censentur.* Cur autē Sanctissimus hic Antistes Regulæ seruatores, Angelis suppares fecit? non aliam arbitror ob causam, nisi quòd Angeli cælestis illius curiæ Regulas accuratissimè custodiant, vixque ipsum diuinæ voluntatis percipiant nutum, quin sine morâ perficiant. Quod optimè indicauit Regius Propheta, dicens: *Benedicitè Domino omnes Angeli eius; potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Quibus verbis celerrima Angelorum obedientia explicatur: illud enim, *facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius;* duplicem habet sensum, & vterque Angelicam commendat obediētiam. Prior autem hic est ad audiendam, siue in audiendo, id est, vt audierint vocem, absque vlla mora pareant, & verbum illius, id est, voluntatem Dei faciunt. Alter sensus est: vt his verbis significetur caussa finalis obedientiæ Angelorum, quasi dictum esset, facientes verbum illius, tantùm eo fine vt audiant, id est, obediant voci sermonum eius. Deo itaque obediunt, non ob aliquam suam vtilitatem vel necessitatem, sed solummodò vt se fideles seruos probent, idque præstent, quod Dominis famuli debēt. Atque hunc sensum vt Hebręo & Græco textui conformiorem, præfert Bellarminus. Ex quo iam discimus Religiosos illos, qui & celerrimè & eundem ob finem, cùm Superioribus, tum Regulæ obtemperãt, Angelis ęqualem dignitatem obtinere. Nam, vt Græcus quidam apud Agellium dixit: *Quorum studium idem, eorum & dignitas eadem est.* Nec video quî altius Regulæ obseruatores euehi possint, nisi fortè & illud addamus, eos, qui Angelicam hanc obedientiam sedulò constanterque secuti fuerint, eorumdem perpetuo consortio in cœlo fruituros, idque cum ijs facturos, ad quod S. Dauid inuitabat, laudare scilicet & benedicere Deum in sæcula. *Quisquis igitur* (vt cum Sancto BENEDICTO concludam) *ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adiuuante Christo perfice.*

Sur. 31. Octob. in vit. cap. 13.

Ratio huius comparationis.

Psal. 102.

DE REGVLA S. BENEDICTI

Locus Psalmi explicatur.

Regul. cap. 73.

DISQVISITIO IV.

Quibus medijs Superiores REGVLÆ *obseruantiam tueri possint?*

IN duplici genere sunt spiritualia præsidia & adminicula, quæ nos ad seruandam Regulam iuuare possunt. Alia enim Superiores, totamque congregationem in communi spectant: alia ad singulos in particulari pertinent. Vt autem de Prioribus primo loco agamus,

1\. PRIMVM MEDIVM sit, vt Superior ipse in omnibus Regulæ præceptis obediat, seque alijs obseruantiæ regularis exemplum præbeat. Nam, vt dixit Sanctus Isidorus Pelusiota: *Ita naturâ comparatum est, vt ad eius, qui præest, similitudinem, ij qui parent, sese effingant.* Et Velleius Paterculus: *Facere rectè ciues suos, Princeps optimus faciendo docet.* Cuius quidem rationem Sanctus Ephræm tradit: *Nihil æquè hominum animum ducit ad salutem, iunioresque ad laborandum incendit, atque si Doctorem reipsâ, & exemplo ad virtutem cohortatorem, inuenerint.* Illa enim vox libentiùs auditorum corda penetrat, quàm

Superior Regulam obseruare, & alijs prævio debet.

Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 209.

Vell. Paterc. lib. 2. hist.

Ephræm to. 1 tract. de vitâ spirit. cap. 37.

DE REGVLA S. BENEDICTI

Claud. Paneg. in 4. consul. Honorij.

dicentis vita commendat: quia dum quid A loquendo imperat, ostendendo adiuuat vt fiat. Idem porrò pulcherrimis passimque decantatis versibus Claudianus extulit.

In commune iubes si quid, censesque tenendum:
Primus iusso subi; tunc obseruantior aequi
Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis. B

Ægypti Reges legum seruantissimi.

Diodorus lib. 1. cap. 6.

Imitetur ergo Superior Benedictinus Ægyptios Reges, qui *pro consuetudine receptâ,* inquit Diodorus, *nihil agebant proprijs affectibus, sed omnia iuxta legum decreta. His enim nec iudicandi, neque pecuniam congregandi, neque puniendi quemquam per superbiam, aut iram aut aliam iniustam ob causam licentia permissa erat, sed veluti priuati legibus tenebantur, neque id agrè ferebant, existimantes parendo legibus se beatos fore.* Ita, inquam, non suprà Regulam se Superiores existimantes, ad eiusdem stateram mores suos exi- C gant: in eo felicitatem suam reponentes, quòd S. Regulæ strenui æmulatores fuerint.

Aichardus cælitus id edocetur.

Fulbert. in vit. Aichardi, apud Sur. 15. Sept.

Cælesti id visione edoctus est S. Aichardus, cui, dum Gemmeticensis cœnobij futurus esset Abbas, in somnis apparuit S. Philibertus, eius prædecessor REGVLAM S. BENEDICTI ei porrigens, ac dicens: *Accipe librum, vt tu primò quæ in eo exarata sunt custodias, & in his tibi subiectos informare ne desistas.* Quod ipsum S. Mater Ecclesia in consecratione Abbatum, sacris cærimonijs luculenter expressit. D

Pontific. Rom. in Bened. Abbat.

In Abbatũ consecratione Regulæ obseruantia commendatur.

Prima enim interrogatio examinis, quæ in Pontificali Romano habetur, hæc est: *Vis tuum sanctum propositum, & Sancti N.* (Ordo Romanus antiquus habet, BENEDICTI) *Regulam obseruare, tibique subiectos, vt idipsum faciant, diligenter instruere?* Posteà verò, cùm solemni ritu ei traditur Regula, ita dicit Pontifex: *Accipe Regulam à sanctis Patribus traditam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipse te confortauerit, & fragilitas humana permiserit.* Quibus E

Ordo Roman. in Ordinat. Abb.

verbis Ordo Romanus hæc, quæ maximè rem nostram confirmant, adiungit. *Accipe Monasticæ conuersationis Regulam, ad quam propriam & subditorum corrigere debes vitam, & vide, vt non solùm auditor, sed etiam satagas esse illius operator.* Sed & ipse S. P.

Cap. 2.

BENEDICTVS Abbatem suum monet: *Vt omnia bona & sancta factis ampliùs quàm verbis ostendat: & quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda.*

Abbas non est suprà Regulam.

Et cap. 64. eidem adiungit, mandatque præcipuè, *vt præsentem* REGVLAM *in omnibus conseruet.* A Benè ergo dixit Bernardus: *Non est Abbas suprà Regulam, cui semel & ipse spontaneâ se professione submisit*

Bernard. lib. de præcept. & dispens. cap. 7.

(dixerim Ego, cui in consecratione secundò se submisit) pergit verò Bernardus: *Super Fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur: mandatorum cultor & vltor vitiorum.*

Conu. Aquisg. c. 1.

Quare non immeritò Conuentus Abbatum Aquisgrani congregatorum ita statuit: *Vt Abbates, mox vt ad Monasteria sua remeauerint, Regulam per singula verba* B *discutientes pleniter legant, & intelligentes, Domino opitulante, efficaciter cum Monachis suis implere studeant.* Hæc ergo eorum sit prima cura. Proxima est, quam suggerit

II.

Superior Regulam in conuentu legi faciat.

Cap. 66.

MEDIVM SECVNDVM: vt nimirùm in communi cœtu Regulam legi faciat. Præceptum id est S. P. BENEDICTI, ita statuentis: *Hanc autem Regulam sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum se de ignorantiâ excuset.* Optimè sanè: nam vt tres Imperatores statuerunt: *Leges ne-* C *scire nulli licet.*

Cod. theodor. lib. 1. tit. 1.

Quæras autem, cùm sæpiùs S. Pater Regulam legi velit, quoties id fieri debeat? S. Augustinus de suâ ita ait: *Ne per obliuionem aliquid negligatis: semel in septimanâ vobis legatur.*

August. in Regul. cap. vlt.

Nostra autem non singulis septimanis, sed quotidie iam inde ab octingentis annis in Conuentu legi solet. Ita enim ad prædictum Regulæ locum commentatur Smaragdus: *Nos autem Regulam nostrã non solùm semel in Kalendis, vel in hebdomadâ, sed etiam quotidie in collatione legimus, vt eius præcepta cogno-* D *scere, & ad purum intelligere valeamus.*

Benedictinis olim in more Regulam quotidie legere.

Tract. 1. disq. 5.

De Bursfeldensibus dictum suprà. Cassinenses verò etiam singulis diebus legunt, præterquam in Dominicis & festis de præcepto Ecclesiæ, aut de consuetudine ciuitatum, in quibus legitur principium Euangelij, cum aliqua particulâ homiliæ. Ita declaratorium ad capit. 17. Regulæ. Quod quidem antiquo confirmatur exemplo. In Concordiâ enim regulari Sancti Dunstani, eodem ferè modo præscribitur: *Cunctis residentibus legatur Regula, vel* E *si dies festus fuerit, Euangelium ipsius diei, de quo Lectione à Priore, prout Dominus dederit, dicatur.*

Declarat. ad cap. 28.

Ijdem porrò Cassinenses decernunt, vt eadem Regulæ lectio, quæ manè lecta fuerit in Capitulo, vesperi in cœnâ in vulgari legatur, cùm totâ declaratione suâ, quæ etiam ad secundam mensam repetatur.

Rectè omninò.

Deut. 17.

Neque verò nimis crebra videri debet hæc Regulæ lectio: si enim Deus olim Regi præcepit, vt postquam sederit in solio regni sui, describat sibi Deuteronomium legis & habeat secum, legatque *illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominũ*

Deum

Deum suum, & custodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt; quantò magis Religiosis curæ esse debet, vt vitæ suę Regulam & legant, & intelligant?

III. *Superior ipse, vel alius Regulam explanet.* TERTIVM seruandæ Regulæ MEDIVM est: vt per se, aut per aliquem alium, Superior Regulam aliquando explanet, & ad eiusdem obseruantiam Fratres suos hortetur: nam, vt Celsus Iurisconsultus ait. *Scire leges, non est eorum verba tenere, sed vim ac potestatem.* Ad Superiores autem spectat, hæc rudioribus, & præsertim nouitijs explicare: Ita olim decreuit Clemens V. in celebri illâ decretali, *ne in agro;* vbi ita statuit: *Regula quoque cum in Capitulo legitur, ab illo qui præest ipsi capitulo, vel alio, cui ipse iniunxerit, propter iuniores vulgariter exponatur.* Cuius Pontificis mandato multis in locis à nostris obtemperatum fuit: vnde similem constitutionem in Capitulis Generalibus aut Prouincialibus sæpiùs insertam inuenimus, vsumque eius clarissimè insinuant Bursfeldenses, qui ita statuunt: *Lector finitâ lectione Regulæ, præsentet librum Præsidenti omni tempore. At ille omnibus expeditis, exponat lectionem Capituli, si expositione indigeret.* Sed & quingentis annis ante Clementem V. Albinus, siue Alcuinus Caroli Magni Magister, idem seriò monuit, ita scribens ad Fratres Wirensis & Gyruensis Ecclesiæ. *Vos verò, qui estis Patres & Pastores sanctæ congregationis, docete diligentissimè fraterno amore familiam, quam accepistis regendam; omneque bonitatis exemplum in vobismetipsis ostendite.* Sæpiusque Regula S. BENEDICTI in Conuentu Fratrum propria exponatur linguâ, *vt intelligi possit ab omnibus. Ad cuius institutionem vnusquisque suam corrigat vitam, vt quod vouistis ante altare, inuiolabiliter custodiatur à vobis.*

Clem. lib. 3. de Stat. Monach. c. 30.

Bursfelden. in Ordin. cap. 11.

Alcuin. Epist. 49.

Quod olim in Ordine nostro tuebatur factum.

Sed & ante hunc viguit in Ordine nostro consuetudo exponendi Regulam. De Sancto enim Cuthberto scribit Venerabilis Beda, translatum eum ab Abbate suo Eata in Monasterium, quod in Lindisfarnensium insulâ situm erat: *Vt ibi quoque Regulam Monachicæ perfectionis Præpositi auctoritate doceret.* Quo in Officio quam dextrè se gesserit, reclamantibus dissolutioribus Fratribus Beda deinceps enarrat. *Erant autem,* inquit, *quidam in Monasterio Fratres, qui priscæ suæ consuetudini, quàm regulari mallent obtemperare custodiæ: quos tamen ille modestâ patientiæ suæ virtute superabat, & quotidiano exercitio paulatim ad melioris propositi statum conuertebat. Denique* sæpius in cœtu Fratrum de Regulâ disputans, *cùm acerrimis contradicentium fatigaretur iniurijs, exurgebat repente, & placido vultu atque animo egrediens, dimittebat conuentum: ac sequente nihilominus die, quasi nil obiectionis pridie sustinuisset, eadem, quæ priùs, monita eisdem dabat auditoribus, donec illos paulatim, vt diximus, ad ea, quæ vellet, conuerteret.* Hæc Beda.

Beda in vitâ S. Cuthberti, cap. 16.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Quæ quidem attulimus, vt sanctum ac laudabilem vsum publicè legendi Regulam, ac de eâ disserendi, ab antiquitate comprobaremus; adeoque Ordini nostro commendaremus. Videtur autem hæc lectio Regulæ, eiusque interpretatio, typo lectionis legis, quam fecit Esdras filijs Israel, aliquousque præfigurata. PRIMÒ enim, stans in gradu ligneo, legit coram omni populo, quemadmodum coram toto Conuentu in capitulo Regula legi solet. SECVNDÒ, *legit in Libro legis Dei per dies singulos, à die primo vsque ad diem nouissimum.* Vti etiam diximus quotidianam esse Regulæ lectionem. TERTIÒ, scribitur, quod legerit *distinctè, & apertè ad intelligendum.* In quo Regulæ lectores eum imitari debent. QVARTÒ, quod à Prælatis requirimus, perfecit Esdras Sacerdos, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo. Quis autem det, vt eodem animo, & fructu, Religiosi Regulæ lectionem percipiant, quo Israelitæ isti legenti attendebant. Nam QVINTÒ, magna & diligens eorum attentio describitur, cùm dicitur: *Et aures omnis populi erant erectæ ad librum.* SEXTÒ, *flebat omnis populus cùm audiret verba legis:* pari modo compungi debent Religiosi, cùm audiunt Regulam legi, quam sæpiùs prætergressi sunt. SEPTIMÒ, cùm intellexissent in lege indictum esse festum Tabernaculorum; statim vniuersi fecerunt tabernacula. Vtinam autem & Religiosi ex Regulâ intelligentes, quæ eis facienda sunt, eadem & libenter excipiant, & efficaciter compleant!

2. Esdræ cap. 8. Lectio & expositio Regulæ ex S. Scripturâ exsculptitur.

Ad hanc autem communem Regulæ lectionem, pium exercitium tradit Ioannes Trithemius, quod hîc adscribendum duxi: *Dum lector passum vnum ex more de Regulâ recitat, deuotus cœnobita in corde dicat:*

Deuota praxis Lectionis Regularu. Trithem. in Exerc. Mon. tract. 3. consider. 1.

Adiuua me, dulcissime Domine IESV CHRISTE, *vt secundum hanc normam serui tui* BENEDICTI *religiosè possim viuere; & in tuo sanctissimo seruitio omni tempore fideliter permanere.*

Deinde cogitet, quoniam, sicut Regula bonis & deuotis ad profectum quotidie legitur, sic tepidis, malis, seu negligentibus, vt sint inexcusabiles, ad damnationis cumulum recitatur. Denique nouerit se ad fidelem constanter obligari omnium quæ Regula continet, quemadmodum tenor Professionis habet.

DE REGVLA S. BENEDICTI. IV.

Superior curet, vt subditi ad praescriptum Regulae viuant.

QVARTVM MEDIVM seruandi Regulã, est diligens attentio & cura Superiorum, vt omnes subditi iuxta Regulæ normam viuant, & quos exorbitare compererint, secundùm mensuram Regulæ corrigant ac puniant. Hoc enim proprium est Regulæ officium: ad discernenda enim recta & obliqua, vt Sextus Empiricus obseruauit, tribus opus est; *Artifice, Regulâ, & applicatione Regulæ.* Aliqua quidem eunt recta (quod Seneca adnotauit) vel casu, vel exercitatione: sed nisi Regula in manu sit ad quam exigantur, non credemus recta esse, quæ fecimus. Similiter in Religione Superior, tanquam peritus artifex, Regulam Religiosis applicare debet, & considerare, an iuxta eiusdem præscriptum mores suos componant: & si quid distortum fuerit, id, quo meliore potest modo, corrigat.

Sex. Emp. l. adu. log. cade ind. verit.

Seneca Epist. 9.

Frano pænarum, quæ decreta in præuaricatores.

Ex hoc capite Ordinum institutores in ipsis Regulis suis, pœnas decreuerunt, in transgressione regularis disciplinæ violatoribus imponẽdas. Quales legere est apud S. Pachomium, Basilium, Cassianum, & in nostrâ Regulâ passim occurrunt. Has autem Superiores tanquam Regulæ violatæ vindices iniungere; & subditi tanquam remedium acceptare & adimplere debent. *Pars siquidem Regulæ est* (vt B. Bernardus ait) *regularis correctio; & in eâ reperitur non solùm bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur in eâ & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia: vt ne peccando quidẽ à Regulâ recedatur.* Quare etiam monet, vt qui in aliquo fortè regularium mãdatorum deliquerit, & interdum obedientiæ limitem præterierit, consilium non respuat pœnitentiæ, & censuræ, quæ ex Regulâ est, disciplinam non subterfugiat. Illum enim censet fregisse votum, violasse propositum, pactum præuaricasse, qui & præceptum contempserit, & remedium.

Bernard. de præcept. & dispens.

DISQVISITIO V.

Quantò amore, & honore REGVLA *prosequenda?*

Regulæ amor stimulat ad eam obseruandam.

NVNC ea proponenda sunt media ad seruandam Regulam, quæ vnumquemque Religiosum in particulari concernunt. Horum autem PRIMVM sit vehemens Regulæ amor; quæ enim diligimus, ea cum gaudio adimplemus mãdata: quod Regius Vates testatur, cùm ait: *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi: & leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis.* Cur autem meditatus est in lege Domini? cur leuauit manus, siue eas ad operandum extendit? cur exercebatur in iustificationibus Do-

Psalm. 118.

A mini: nisi quia dilexit? Dilectio enim omnem difficultatem, quæ aliàs in seruandis mandatis occurrit, prorsus aufert. Probat id Chrysostomus hac similitudine: *Qui meretricis amore captus est, etiamsi afficiatur probro & contumeliâ, etiamsi verberetur, etiamsi bonis paternis euertatur, etiamsi grauiora patiatur, ea fert. iucundè & lubenter, propter amorem impudicum. Quòd si illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multò magis Dei præcepta, quæ sunt salutaria, & gloriæ plena, & magnam nobis præbent Philosophiam, & animam*

Amori difficile nihil.

Chrysost. tom. 1. in Psalm. 118.

B *meliorem efficiunt, oportet cum magnâ voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare?* Expertus id Regius Vates, iterùm canit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? totâ die meditatio mea est:* Ac si dicat, satiari non possum meditatione legis tuæ, quam toto die recogito, quia illam supra modũ dilexi; nempe illa est thesaurus meus; proptereà semper est in eâ cor meum, dulcis est illa faucibus meis super mel & fauum, & dilexi testimonia tua *super aurum & topazion.* Quid verò hanc dilectionem conse-

Psalm. 118.

C quitur, nisi diligentissima legis obseruatio? Nam vt dixit Sapiens: *Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum.* Ideò subdit Dauid: *Proptereà ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Quæ verba Claudius Aquauiua, meditatione sic expendit: Ad omnia, inquam, mandata tua, non ad vnum, aut alterum, non ad facilia tantùm & quæ delectant, sed ad omnia etiam aspera & ardua: ad omnia, iuquam, dirigebar, id est, recto & facili cursu ferebar. Amor enim ducit &

Sap. 6.

Locus Psalmi in hanc rem explicatus.

D portat. Dirigebar etiam ad mandata tua omnia, meipsum ad ea quasi ad normam dirigens & complanans. Cumque ipsa rectissima sint, ego curuus, non illa ad meam curuitatem inclinare iuxta voluptates, & voluntates meas conatus sum, sed me ad illorum normam, ac rectitudinem dirigere. Eodem planè modo Religiosus quisq; magno amore prosequi debet eam legem ac Regulam, sub quâ Deo militare professus est, quin & sibi persuadere debet, in eâ contineri efficacia media, quibus eum

Religiosus Regulam suam amet.

E Deus ad perfectionem & æternam beatitudinem perducere decreuit. Quare se, moresq; suos omnes ad Regulæ normam dirigere & conformare debet. Errat enim qui per alterius Ordinis semitam ad suæ Regulæ perfectionem tẽdere nititur, cùm Deus hanc illi non præscripserit, sed eam tantùm, quæ sui est instituti. Cùm autem singuli Ordines peculiarem sibi habeant scopum propositum; ad illum non quâlibet Regulâ peruenitur, sed eâ tãtùm, quæ ad hoc est ab Auctore instituta. Proprio iudicio nimiùm tribuere illum iudico, qui modò

Nec alterius Ordinis sectetur.

modò per hanc, modò per illam, modò per aliam Regulam incedēs, ad perfectionem Religiosā se currere arbitratur. Qui enim duabus vijs insistit, ad terminum non peruenit, fitque vt qui multas Regulas diuersorum Ordinum sectatur, nullam omninò teneat.

Prou. 7. Quod Salomon dixit scribēdam Regulam Dei *in tabulis cordis* nostri, idem Religiosus sibi dictum putet de suā Regulā, quam non in tabulis lapideis aut æreis; sed *in tabulis cordis*, hoc est, in memoria, intellectu, & voluntate, describere debet, adeò quidem, vt virtutes & perfectiones, quas Regula continet, maneant in animā exaratæ, & velut insculptæ. Non satisfaciet huic Officio, si ex alienā Regulā virtutum imagines & charecteres in animæ tabulā efformet: illi enim cum prototypo non conueniēt. Quippe non qualitercumq; virtutes Religioso exercendæ sunt, sed iuxta eam ideam, quam propria ipsi Regula præscribit. Expendit id optimè Ludouicus de Ponte, qui ait: Religiosus non scribit virtutes in tabulis cordis, ordine, quasi auctor librum componēs, & sententias scribens verbis, ordine, & modo, qui magis ipsi placet; sed quasi ex aliquo originali describens: qui non fungitur benè suo officio, dum sententiam, & sensum eius, qui in Originali est, ponit; sed etiam debet eadem verba, eodemque ordine, ac distinctione ponere: nec iotā, aut apice prætermisso. Cogita igitur: Regulam esse exemplar, & quasi originale virtutum religiosarum; & singulas virtutes esse quasi sententias; earumq; proprias actiones esse quasi charecteres; circumstantias verò illas exornantes, esse quasi apices, & commata: incumbere autem tibi ex officio totam Regulam, sicut verè est describere in animā tuā. Hæc ille. Perperam autem erit Regulæ transsumptum, quod non ex illā, sed ex aliā quāpiam descriptum fuit. Habeant alij Ordines sublimiora, forsan & meliora exercitia: illa tamen quisque sibi conuenientiora iudicare debet, quæ proprium institutum suppeditat. Non expedit quidem vnam Regulam alteri inuidiosè conferre, multòque minus anteferre, quod à Religiosā humilitate id alienum sit; professo tamen sua Regula pulcherrima videri debet, non secus (inquit Thomas Gallettus) atque vir coniugatus Helenam speciosissimam quidem iudicauerit, at vxorem in connubio illi iure prætulerit, tametsi minùs elegantem. Alioquin vix continget, vt quis præclarus Palæstrites euadat, cùm suum Agonothetam, ac Xistarchem non magni faciat, & Romæ manens, Carthaginis arenariam suspiret.

Regula vt animo insculpenda.

Ludou. de Pont. to. 3. de perfect. tract. 7. cap. 2.

Simile.

Perfectio à Religioso maximè quærenda in sua Regula obseruatione.

Gallet. in Religioso c. 8.

A Hæc ille. *Vnusquisque* ergo, vt Apostolus ait, *in quā vocatione vocatus est, in eâ permaneat. Va* enim, inquit Bernardus, *portantibus crucem, non sicut Saluatar suam, sed sicut ille Cyrenaus alienam. Va Citharadis citharizantibus non vt illi de Apocalypsi, in citharis suis, sed in alienis.* Cùm autem *impossibile sit vel vnum hominem omnes Ordines, vel vnum Ordinem omnes homines tenere*; faciamus quod idem monet, vt vnum Ordinem opere teneamus, cæteros charitate. Faciet autem charitas, vt ne illorum quidē fructu fraudemur, quorum instituta non sequimur.

B *Quicumque ergo perfecti sumus*, aut esse concupiscimus (cùm Paulo iterum loquor) *hoc sentiamus; vt idem sapiamus*, ET IN EADEM PERMANEAMVS REGVLA.

SECVNDÒ. Magno honore prosequenda est Regula, idque his nominibus: quia à viro Sanctissimo B. BENEDICTO scripta, à Spiritu S. inspirata & dictata, à sede Apostolicā approbata, & tot sæculorū consensu in tota Ecclesiā receptissima. Innuit hoc medium S. Bonauentura in Expositione Regulæ D. Francisci, sic loquens:

C *Nec in speciali ampliùs diffinia, nisi vt omnia Regula verba cum reuerentiā suscipiantur, & ipsorum transgressio penitus deuitetur: cùm certum sit, Regulam pro lege dari.* Hæc porrò reuerentia audaciam illam à Religiosorum mentibus arcebit, quā quidam forsan eam diiudicare præsumerent, aut aliquid aliter prudentiùs constitui potuisse, aut iam immutandam esse temerè censerent. Nam, vt Aristoteles dixit: *Probatæ leges id maximè vetāt, ne quis se legibus prudentiarem velit ostendere.* Et Plato eandem modestiam nos

D docet, cùm Lacones & Cretenses laudans, ita ait: *Vobis quidem rectè constitutæ sint leges: vna tamen lex est optima: quæ iubet, ne quis iuuenum quarere audeat, rectène an cantra se leges habeant; sed vno omnium ore vnaque voce rectè tanquam à Dijs positas cancedi pracipit: nec vllo modo aliter pati quisquam à quoquam dici.* Quod si nihil in Reipub. legibus ille carpendum, nihil de illis disceptari voluerit, quæ tamen ab hominibus errori obnoxijs conditæ erant; quis adeò præsumptuosus erit, vt sanctissimas Religiosi

E Ordinis Regulas, à Sanctissimo fundatore, non sine Spiritus S. assistētiā latas, summo Catholicæ Ecclesiæ iudicio comprobatas, expendere suā lance, suoque iudicio examinare audeat? In ijs porrò aliquid reprehendere tanquam superfluum aut minùs conueniens, nimis quàm temerarium est, & homine etiam sæculari indignum. Quā de re sic S. Bernardus: *Regule Sanctorum, Basilij, Augustini,* BENEDICTI: *necnon authentici canones, & si qua sunt alia Ecclesiastica instituta digna auctoritatis; qua quoniam à Sanctis*

DE REGVLA S. BENEDICTI

1. Cor. 7.

Bernard. in Apolog. ad Guil. Abb.

Apoc. 14.

Philip. 3. 15.

Quibus titulis ad honorandam Regulam promouemur.

Bonau. in expofit. R. S. Franc. c. 12.

Lib. 1 Rhet. ad Theod. cap. 15.

Plato Dialog. de leg.

Cauendum à Regula sugillatione.

S. Bernard. lib. de 1 præcept. & dispens.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

à Sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseuerant: nec omnino cuius subiectorum ea aliqua modo variare, vel mutare conceditur.

Et sanè horrenda animaduersione Deus olim puniuit calumniatores Regulæ S. Columbani. Agrestius enim quidam, vt est apud Ionam in vita S. Eustachij Abbatis Luxouiensis, aiebat, *superflua quadam, & à canonica constitutione aliena, ab eius Regulæ professoribus pari studia obseruari.* Cumque aliquos in suas partes adduxisset, qui S. Columbani Regulam abijciendam putabant; *non defuit vltio diuina. Cùm enim ad hoc iam omnes aspirarent, vt contemptui pristinorum documentorum subscriberent, & assensores se præberent: primum lupi rabie exagitati, duas ex huius assertionis fautoribus per intempestam noctem intra septa irrumpentes, morsibus lanîarunt, atque ipsos quoque rabie comprehensos, miserabiliter morti tradiderunt. Alium quendam* * *Plaretum, qui ad hunc discardiæ fomitem vehementer aspirabat, dæmoniacus furor peruasit, atque ignobiliter neci dedit: nam propriâ manu ipse se laqueo suspendit. Sed cùm hæc vltio necdum corrigeret delinquentes, pratinus maior secuta est. Nam subito fulgur lapsum è cælo magno fragore percutit locum, Ecclesiam peruagatur, tegumenta subuertit, plebem vrit & exanimat, scilicet vt præsens correctio illi, qua nimia simplicitate præueniente, calliditate euersâ, ignauæ persuasioni assensum præbuerat, monstraret futuram debere iam fugere.* Hæc ibi. Terribile autem hoc exemplum Religiosos ab audaci Regulæ diiudicatione compescere, & intra modestiæ limites continere deberet.

Ion. cap. 1. ap. Sur 29. Mart.

Cap. 6.

Terribilis vltio in calumniatores Regulæ S. Columbani.

* Plaretum.

Ad illius exoticè Regulam interpretari Religiosus non debet.

Spectat verò ad hanc modestiam & reuerentiam, Regulæ verba non detorquere in alienum sensum, aut exotico glossemate ita interpretari, vt eadem prauis quibusdam corruptelis, aut relaxationibus deseruiat. Quisquis autem eam de Regulâ suâ, quam debet, existimationem habuerit; nò tantùm ab his cauebit, verumetiam quæcumque illa præscripserit, vel ideò faciet, quia illa præscripsit: quantumuis forsasse aliter aliàs iudicaret faciendum. Id verò est congruum honorem Regulæ deferre: quod admodum laudat S. Petrus Mauritius, S. Bernardo scribens hunc in modum: *Habes tu huius propositi tui* BENEDICTVM *Auctorem, cuius licet scripta, vbi charitas iubet, ipso teste minimè sequi cogaris: sequi tamen quia tanto viro congrua visa sunt, deuotione laudabili* [illegible] *lectaris.* Digna est prorsus Religioso animo hæc erga instituti sui fundatorem obseruantia, cuius quidem tanta apud eum debet esse auctoritas, vt quidquid ille etiam in rebus indifferentibus eligendum iudicauerit, hoc sine dubio amplectatur: quia id tanto viro & parenti etiā

Petr. Ven. lib. 4. Epist. 17.

A suo congruum visum fuit. Hâc mente & intentione quicumque Regulæ paruerit, in singulis obseruantijs magnum honorem Regulæ conditori habebit. Vt enim præuaricatio legis est veluti contemptus legislatoris; ita eiusdem obseruatio, honore & reuerētiā legislatorem afficit, quæ hinc magnum sanè incrementum accipit, si ob solam eam, quam de eo habemus existimationem, legi obtemperauerimus.

DISQVISITIO VI.

B *Quanto studio legenda, & meditanda* REGVLA?

ALIVD medium seruandæ Regulæ, præcedentibus non minùs vtile, hîc annecto; frequentem nimirum, imò quotidianam ipsius Regulæ lectionem, quam priuatim quisque sibi impendat, ita vt modò hanc, modò illam partem ex ordine euoluat, serioque expendat. Neque verò quisquam obijciat, satis esse eam quotidie semel iterumque audire; si enim vsquam, C maximè hîc locum habet vulgatum illud:

Vtilem esse quotidianam Regulæ lectionem.

Lectia lecta placet, decies repetita placebit.

Si Deus, cùm pium codicem legis ad omnium vtilitatem scriptum, tecū loquitur, (vt Augustinus ait) quantò magis tecum loquetur, cùm legis non ad omnes scriptā, sed ad te, & ad tui instituti professores specialiter exaratā Regulam? Quis Deum specialiter sibi loquentem nō audiat? quis verba sapientiæ sibi proposita, & suæ necessitati accommodata, non libenter exci- D piat? Si Regula est Dei ad nos epistola per S. BENEDICTVM destinata; meritò eam & sæpius, & magnā attentione euoluere par est. Ob hanc, ni fallor, caussā voluit S. Franciscus in testamento suo, vt Fratres Minores Regulam semper haberent secum. Et S. Athanasius ait: *Regulam tuā gestabis per omne tempus vitæ tuæ.* Neque hoc nimium censeri debet, cùm Dominus olim de mandatis suis ita præceperit: *Ligabis ea quasi signū in manu tuā, eruntque & mouebuntur inter oculas tuas, scribesque ea in limine & ostijs do-* E *mus tuæ.*

August. ad Psal. 75.

Qua Dei ad nos Epistola.

Athan. in Reg. de seruandā virginit.

Deuter. 6.

Commendat autem Humbertus Monachum à se cognitum, qui fere semper in manibus ferebat Regulam S. BENEDICTI, modò legens in eā, modò studens, modò quærens eius dubitabilia, cùm inueniebat virum discretum. Dignum est autem hoc exemplum, vt Religiosi imitentur. Atque in sacrā quidem Scripturā crebram legis Dei lectionem frequentatam legimus. *Leuita enim* (vt ait Esdras) *legebant in volumine legis Domini Dei sui quater in die, &* *quater*

Humbert. cap 190. in Reg. S. Augusti.

2. Esdræ cap 9. 3.

quater confitebantur & adorabant Dominum Deum suum. Quibus verbis etiam modum lectionis indicari vult Ludouicus de Fonte: vt videlicet non vno tractu totam legem recitauerint, sed partem aliquam singulis vicibus, & quidem eo modo, vt lectionem interrumperent diuinis laudibus, aut lectionem & laudes aptè simul commiscerent. Atque ita docet lectionem Regulæ non siccè, & cursim fieri debere, sed paulatim cum aliquâ morâ, vt varij affectus ac petitiones lectioni misceantur, cõformes spiritui, qui in legente prædominatur, & quem eius auctor habebat. Quod præclare omninò admonitum est.

De Ponte tom. 2. de perfect. stat. 7. c. 2. *Quomodo legenda Regula.*

Lubet verò hic adijcere memorabile exemplum, quod inter legendum Regulam S. BENEDICTI, cuidam accidit. Refert Petrus Damiani. *Michael Polensis, inquiens, sicut nobis in confessione perhibuit, in ipso suæ conuersationis initio, circulo se ferreo sub hâc desiderij sui pactione constrinxit, rogans Dei Omnipotentis clementiam, vt cùm locum saluti suæ congruum reperiret, confestim ille circulus frangeretur. Porrò autem ipso die, quo eremum nouus hospes ingressus est, vix post trium horarum spatium, dum in B. BENEDICTI Regulâ, sicut est idiota, vtcumque syllabatim legeret; repentè compunctionis eum spiritus in lacrymas soluit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit.* Commendare & persuadere id potest tam Sanctæ Regulæ lectionem, quæ non Monachis tantùm, sed & multis laicis, & principibus viris admodum placuit: cuius rei testis sit Thomas Gallettus, qui Religiosum describens, inter cetera hæc habet: Memini sanè, Cosmum Medicem, magnum Æthruriæ Ducem, D. BENEDICTI REGVLAM crebrò præ manibus habere cõsueuisse, quemdam virum grauissimum sæpè referre, causamque eiusce studij assignasse, quòd ex tam prudentibus S. Patris præceptionibus ad populos suæ fidei concreditos gubernandos valdè accommodata remedia caperet. Quidni inde Monachus animæ quoque remedia, & vitæ ex Dei nutu instituendæ salutaria præcepta colligat? Id verò ideò magnoperè commendandum duxi, quia ex instituto Regulæ nostræ, tenemur *certis horis occupari in lectione diuinâ.* Quid autem vtilius legere potest Religiosus, quàm ipsã legẽ suam, sub quâ Deo militat? Si enim S. BENEDICTVS *collationes Patrum, & instituta, & vitam eorum; sed & Regulam S. Basilij,* ideò legenda commendat, quod sint *benè viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum;* quis non putet his etiam adiungendam ipsam S. BENEDICTI Regulam, quæ principem locum obtinere debet apud eum, qui se ad eius normam

Miraculum in eius lectione. Petr. Dam. lib. 2. Ep. 19. & Sue in vit. SS Rodulp. & Domin. cap. 11. Gallet. cap. 1. *Cosmus Medicis studiosè Regulam S. Benedicti legit.* Reg. c. 48. Cap. 73. *Imitentur Monachi, cum fructu.*

victurum spopondit? Vtinam verò Monachis in Regulæ suæ lectione id contingat, quod sibi euenisse dum D. Basilij Regulas legeret, scribit Gregorius Nazianzenus: *Cùm eas, inquit, in manibus accipio, animo & corpore purgor, templumq́ Dei capax efficior, atque instrumentum musicum à Spiritu pulsatum, diuinamque gloriam & potentiam decantans. Per eas corrigor & concinnor, atque diuinâ quâdam immutatione alius ex alio efficior.* Hos verò fructus tum maximè consequi poterunt, si lectionem hanc excipiat.

DE REGVLA S. BENEDICTI. Nazianz. Orat. in laud. Basilij Magni.

ALTERVM MEDIVM, crebra & attenta Regulæ Meditatio. Eam enim ipse Deus circa legem suam non semel exegit: *Quæ ego præcipio tibi hodie, erunt in corde tuo; & meditaberis in eis sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* Et alibi quoque: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Exemplo autem hanc meditationem eiusque modum Propheta Dauid toto Psal. 118. nos edocuit, in quo toties occurrit, *Lex tua meditatio mea est.* Et: *Meditabor in mandatis tuis.* Item: *Exercebar in iustificationibus tuis. Nam & testimonia tua meditatio mea est:* aliaque similia. Quis verò non aduertat orationem præparatoriam hisce versiculis contineri: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuâ. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Quæ etiam in Regularum meditatione vsurpari potest, in quâ quidem duo illa potissimùm consideranda fuerint, quæ S. Augustinus suæ Regulæ professoribus præscripsit. Primum; *Vbi vos inueneritis, ea quæ scripta sunt facientes: agite gratias Domino bonorum omnium largitori.* Hoc affectu gratus cantabat Dauid. *Custodiuit anima mea testimonia tua.* Item: *Seruaui mandata tua.* Et: *A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.* Atque ideò dicit in gratiarum actionem: *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas.* Ob eamque caussam: *Viuet anima mea, & laudabit te.* Et alia plura, quæ ad gratitudinis affectum, magnumque quo erga Dei mandata ferebatur, amorem, pertinent. *Alterum* ex S. Augustini mente in Regularum meditatione expendendum, est: vt, vbi quis *viderit aliquid sibi deesse, doleat de præterito, caueat de futuro: orans vt sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.* Fecit hoc sedulò S. Dauid, dicens: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Cautelam verò de futuro, & propositum deinceps seruandi legem, idem expressit: *Iuraui & statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Et: *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.*

Regulæ meditatio quàm vtilis. Deuter. 6. 6. Iosue 1. Psalm. 118. *Circa eam duo obseruanda.* *Primum.* August. in Reg. cap. 6. Psalm. 118. *Secundum.* August. supra. Ibid.

Sed

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Sed abundat ille Psalmus multiplicibus affectibus, quibus se sanctissimus Rex in Dei lege exercebat, quos omnes imitari potest, qui in Regulæ meditatione se diligenter, & sæpe voluerit occupare.

Ne quis verò in materia adinueniendâ, aut meditationum punctis disponendis, nimiùm laboret; exstant in hunc vsum piæ admodum & doctæ considerationes, in totam Regulam S. BENEDICTI scriptæ à R. P. Philippo François Abbate S. Agerici; quibus quisque se plurimùm adiuuare poterit.

Oratione petenda obseruatio Regulæ.

Affine est huic meditationi, Oratio pro impetrandâ gratiâ adimplendi Regulam: cùm enim sine eâ nec Dei legem, nec Euangelica consilia seruare possimus; meritò pro eâ supplices preces Deo offeremus. *Qui enim conseruat legem, multiplicat oblationem.* Humilis autem deprecatio genus quoddam oblationis est. Offeremus ergo pro Regulæ custodiâ impetrâdâ preces Domino, B. Virgini Mariæ, Angelo Tutelari, & præcipuè Sanctissimo P. N. BENEDICTO. Neque enim dubitandum est, quin ille, qui toties alijs in rebus multò minoribus opem tulit, in hoc proprio sibi negotio, filijs suis amplissimam *benedictionem dabit Legislator.* Meritò sanè præsidium hoc à benignissimo Patre filij exspectent; meritò hunc pro seruandâ Regulâ, Patronum ac Legislatorem commendo: cùm Hugo I. Franciæ Rex, huic basi regni sui molem imponere gloriosum duxerit, vt ad S. P. Nostri vitam pluribus annotauimus.

Ecclesiast. 15.

Commentar. ad cap. 38.

DISQVISITIO VII.

An REGVLA *mandanda memoriæ?*

Regulam ediscere quàm vtile.

NON modicum adiumenti ad Regulæ custodiam & illud adferre poterit, si ea de verbo ad verbum tota, aut saltem præcipua eius capita, memoriæ mandentur. Quod quidem adeò difficile videri nô debet, cùm id de suâ lege Deus Iudæis præcepisse videatur, per Moysen ita populo locutus: *Audi Israël cæremonias atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie; discite ea, & opere complete.* Quo loco exigit, vt non modò audiant, verùm etiam discât, siue ediscant; ac memoriæ infixam Dei legem retineant. Atque id, quod in Prouerbijs dicitur de eâdem Dei lege, *Liga eam in digitis tuis*; quidam eo modo exponunt: legem Dei ita memoriâ tenendam, quemadmodum decem vtrinsque manus digiti in prospectu sunt. Alij ad artem memoriæ respicientes (de quâ Quintilianus lib. 11.) putant Salomonê voluisse, vt qui mandata Dei memoriâ cõplecti vellet; singula sin-

Deuter. 5.

Prouerb. 3.

Locus Salomonis in hanc rem explicatus.

A gulis digitis, animo & cogitatione cõmitteret. Deinde verò ab ijsdem repeteret, atq; ita inter decem digitos, decem præcepta legis distribuens, semper ea faciléque memoriæ occurrant. Rursum alij apud Salazar: *Liga in digitis legem Dei*, idem volunt esse, atque, ad eum modum tibi sit in memoriâ, quo esse solent ea, quæ in annulis exarantur & inciduntur. Vel: hæreatDei lex in memoria, vt annulus in digito. Quæ quidem expositiones significât legem Dei memoriæ firmiter esse mandâdam. Atque

B idem innuit Salomon, cùm vult legem describi in *tabulis cordis*. Ita videlicet, vt memoriter, siue (vt S. BENEDICTI, atque Italâ, & Gallicâ phrasi loquar) *ex corde* recitari possit.

Prouerb. 3.

Reg. cap. 9.

Hæc autem si de totâ Dei lege scripta sunt, meritò quoquè à Religiosis exigetur, vt Monasticam legem memoriter teneant. Grammatices sanè Regulas pueri memoriæ mandât, vt congruè loqui sciant. Omnes quoque artifices artium suarum Regulas exactissimè callent; quidni & Mo-

Opifices Regulam suam callent.

C nachus, vt religiosè loqui, *& instrumenta artis spiritalis in officinâ Monasterij* ritè tractare queat, memoriæ commendet eam Regulam, quæ methodum illis vtêdi præscribit? Id à suis exegisse videtur S. Franciscus in *Laudibus* ijs, quæ *secundæ Regulæ* Fratrum Minorum subijciuntur, apud Lucam Waddingum, vbi sic scribitur: *Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, & in alleuiatione tadij, & memoriâ præstiti iuramenti, cum interiori homine de eâ confabulamini, cum intentione eam adimplendi semper præ oculis*

Quidni Monachi suam?

Cap. 4.

Voluit hoc S. Franciscus.

Wadding. to. 1. opusc. B Francisci.

D *portate; imò & cum ipsâ debetis mori.* S. Patris sui insistentes vestigijs PP. Capucini, in prima Generali Congregatione Aluacinæ anno 1529. coactâ, inter cęteras Constitutiones, & hanc ediderunt: *Nouitij tempore probationis totam Regulam ediscant, ac memoriâ teneant: in idque Magistri Nouitiorum incumbant.* Fecit hoc præclarè S. Didacus, qui *Omnes cogitationes suas, in eo potissimùm fixas habuit, idque omnibus viribus contendit; vt quam viuendi disciplinam sibi delegisset, eam singulari studio, atque omni officio exprimeret.*

Imitantur Capucini.

Bouerius tom. 1. Anal. Capuc. anno 1529.

Petr. Galesin in vit. B Didaci cap. 4.

E *Id quò rectiùs, & perfectiùs in Ordine Seraphico præstaret, illius Regulas, Constitutionesque memoriâ complexus, eas ad vitæ vsum, & consuetudinem quotidianam adduxit.* Inlius autem Nigronus scribit: In domibus probationis tantùm obseruari, vt Regulam memoriter discant; ne iam prouecti labore propemodum iuuenili onerentur.

Alijque.

Nigron. ad Regul. 49. comm. Societ. Iesu.

De nostrâ autem S. BENEDICTI Regulâ idipsum decretum inuenio in Aquisgranensi Concilio, sub Ludouico Pio, in quo ita statuitur: *Vt Monachi omnes qui possunt, Regulam memoriter discant.* Constat autem

Benedictinis idolim præscriptum.

Conc. Aquisg. can. 1.

Leo Ostie. l.1.chron. Cassin.c.18.

tem ibi agi de Regulâ S. BENEDICTI. Fuisse verò id vsu obseruatum, ex Leone Ostiēsi liquet, qui ait, Omnia ilia capitula perinde ferè fuisse seruata apud suos, ac Regulam S. BENEDICTI. Idem quoque insinuat Smaragdus Abbas, qui lectionem Regulæ præscribi ait; *vt eam intelligentes, & secundùm possibilitatem memoriâ retinentes, adiuuante Christo, implere operibus valeamus.* Fuitque id olim apud nostros antiquâ consuetudine receptum. Vnde Bernardus Cassinensis (citante Boërio) ait: *Nouitij debent eam* (Regulam) *sicut Psalterium mente scire.* Subiungit deinde Boerius: *Turpe namque est ignorare quod omnibus conuenit scire. Vtinam Romanus Pōtifex ordinasset, quod Monachi studentes iura in generalibus studijs, deberent audire per vnum annum præsentem Regulam: & primo anno sui Baccalaureatus ipsam solemniter legere Monachis, maximè cùm amica existat Canonum, & ab ipsis sæpiùs allegetur.* Exercitia autem Nouitiorum Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi, præscribunt ex Regula memoriæ mandari Prologum, & Capita 1.2.3.4.5.6.7. 20. 23. 31. 33.34. 35.38. 42. 43. 45.46.47. 48.49. 50.51.52. 53.54.55. 57.58. 60. 62. 67.68.69. 70.71. 72. 73. De totâ igitur Regulâ, aut hisce saltem Capitulis Religiosus quisque ita se à Salomone rursum moneri arbitretur. *Conserua, fili mi, præcepta Patris tui* (S. BENEDICTI) *& ne dimittas legem matris tuæ* (Religionis Monasticæ.) *Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris, custodiãt te, & euigilans loquere cum eis.* Quæ omnia varias industrias & diligentiam insinuant, quæ ab ijs adhibetur, qui firmiter aliquid memoriâ comprehendere voluerint.

Smaragd. in cap. 66. Reg. S. Ben.

Boërius ad c. 66. Reg.

Boerij votum.

Prou. 6. 20.

Praxis Regulam faciliùs ediscendi.

Affine huic MEDIVM erit, vt si difficile nimiùm videatur, vel totam Regulam, vel enumerata iam Capita, memoriâ complecti, eam in certum quoddam compēdium redigamus, quo ea potissimùm contineantur, quæ vnicuique erga Deum, Superiores, Confratres, Religionem, & seipsum agenda incumbunt: atque id nobis familiare reddamus; quod in huius libri Mantissa, quam CATECHISMVM MONASTICVM vocamus, pro modulo nostro fecimus. Duplex quoque Regulæ compendium, quorum posterius priori breuius est, à quodã Claræuallensi summatim collectum, subiungitur editioni Regulæ S. BENEDICTI, quam ex Latino in Gallicum sermonem traduxit Guido Iuuenalis, Abbas S. Sulpitij Bituricensis, in quo seruato ipsius Regulæ ordine, precipua capita breuiter perstringuntur: quod huic exercitio opportunum fortè fuerit, aut quisq; sibi similem aliquam Epitomen concinnare poterit.

A Denique preterire nequeo piam quandam industriam sese magno cum fructu in Regulæ lectione occupandi, quæ nimirum in eo sita est, vt ipsa Regulæ capita, aut tota Regula in formam orationis, siue precationis redigatur: vt hoc pacto Religiosus firmius illam menti imprimat, & simul orando gratiam à Deo impetret eam adimplendi. Ita accepimus Franciscum Borgiam nō dissimili ratione studio Theologico incubuisse; de qua Nicolaus Orlandinus: Adhęc, vt est mirè solers pietatis ingenium, solebat Borgia Theologicarum B rerũ à S. Thomâ deprompta capita in seriem quasi Litaniarum dirigere: vt studium esset oratio: deque Deo disputatio esset consuetudo cum Deo. Eadem mens fuit Patri Ioanni Michaeli Constantiensi, totius Ordinis Carthusiani Generali, qui methodum seruiendi Deo Alphonsi Madriliensis in formam orationis continuæ redegit, atque edidit; vt perfectionis & Orationis studio lectores simul vacare posset. Neque verò circa Benedictinam Regulam deest huius tam piæ industriæ C exemplũ. Alcuinus enim in libro de Psalmorum vsu, sub titulo ORATIO MONACHORVM, pleraque, quæ de Religiosi hominis virtutibus, & officijs in Regulâ habentur, ipsis ferè S. BENEDICTI verbis, per modum precationis pertexuit, & Monachis recitandum dereliquit.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Alia industria vtilissima.

Orland. in histor. Societ. lib. 9. num. 80.

DISQVISITIO VIII.

Vti opere REGVLA *adimplenda?*

D QVÆ hactenus suggessimus seruandi Regulam adminicula, ad intellectũ, memoriam, & cognitionem maximè spectant: nunc ea adijcienda sunt, quæ in ipso opere & exercitio Regulæ consistũt. Quorum primum, instarque omnium hoc sit, quod ipse S. BENEDICTVS dixit: *In omnibus omnes Magistram sequantur* REGVLAM. *neque ab eâ temerè declinetur à quoquã.* Neutiquam ergo satis est Regulam scire, aut etiam intelligere, nisi ipsa vitâ exprimatur. *Seruus enim sciens voluntatem Domini, & non faciēs,* E *plagis vapulabit multis.* Quare hîc locum habebit illud Hieronymi ad Celantiam: *Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoriâ tenere, & operibus obliuisci: sed ideò illa cognosce vt facias, quidquid faciendum didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt, sed factores legis iustificabuntur.* Etsi autem hæc de Dei mandatis dicta sint, aptè tamen ad Monasticam Regulam transferuntur, quæ magnam cum ijs habet similitudinem. *Sculpsit Rex Salomon*, vt ait scriptura, *Cherubim, & palmas, & cælaturas valdè eminentes: operuitq;*

Opere implenda quæ nouisti facienda.

Reg. c. 3.

Hieronym. Epist. 14.

Rom. 2. 13.

3. Reg. 6. 32. Figurâ, id expressum.

omnia

DE REGVLA S. BENEDICTI.

omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. Hac figura quid aliud designatur, quàm Religiosum hominem in templo animæ suæ sculpere debere figuras Cherubim, id est, vitam quasi Angelicam, quæ non exprimitur; nisi cœlo, vel scalpro mortificationis, omnia superflua exscindantur? Addere debet & palmas, multiplices scilicet victorias, quas de hostibus animæ suæ reportat in exercitio vitæ regularis, & obedientiæ. *Vir enim obediens loquetur victorias.* Debēt porrò cælaturæ hæ valdè eminentes esse, quia non qualitercumque Religioso virtutes exercendæ sunt, sed modo quodam eximio, qui sæcularium vitam multis gradibus excellat. Sibi enim dictum putare debet illud Ecclesiastici: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Cur autem omnia tegi debēt laminis aureis, nisi propter eà, quod opera nostra absque charitate nihil sint? Hæc autem charitas, quæ omnes actus nostros informare & animare debet, finis est totius Regulæ; imò ex ea vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

Eccli. 35.

Ad Regulæ trutinam omnia expendenda.

Reg. cap. 7.

Oportet denique omnia facta sint *ad Regulam*, vt nimirùm significetur id, quod S. BENEDICTVS ait: *Nihil agat Monachus, nisi quod cōmunis Monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exēpla.* Ad Regulæ igitur amussim omnia Religiosorum opera exigenda sunt: quidquid ab hac declinauerit normâ, obliquum & distortum iudicandum est. *Ad normam enim omnia diriguntur, & vtrum praua rectave sint, cùm Regula apposita fuerit, arguūtur,* inquit Hieronymus. Id verò perquam diligenter fieri debet, atque etiam solet in benè constitutis Religiosis domibus, in quibus optimus ordo conspicitur, vt aduertit S. Chrysostomus, ita dicens: *Ibi* (in Monasterio) *velut quâdam ex Regulâ, & librâ, cuncta diligentissimè sunt ordinata. Nulla ibi inæqualitas, cæterùm ordo summus & moderatio, & ineffabilis concordiæ seruandæ diligentia, iugisq́; ac perpetuæ lætitiæ materia. Quacirca omnes omnia patiuntur & faciunt vt vnà lætētur & gaudeant.* Qui igitur spirituali gaudio exultare cupit, Regulam exactè seruet, mentique suæ illud Legislatoris nostri inscriptum teneat. *In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam: neque ab eâ temerè declinetur à quoquam.* In quibus verbis tria præcipi animaduerto. 1. vt Regula seruetur ab omnibus. 2. in omnibus. 3. vt non temerè ab eâ declinetur. Quoad *Primum*, omnes omninò Regulam sequi debēt, tam Prælati, quàm Subditi; tam senes, quàm iuuenes; tam Sacerdotes, quàm nullis ordinibus initiati; tam Officiales, quàm ab officijs immunes; omnes enim Magistræ Regulæ discipuli sunt.

Hieron. in cap. 6. ad Galat.

Chrysost. lib. 3 contra vitæ Monast. vituperatoris.

Ex mente S. Benedicti.

Cap. 3. Reg.

I.

Nemo eximitur ab obseruantiâ Regulæ.

Quo in genere nonnumquam peccatur A à quibusdam, qui diuturnitate temporis, & annorum prærogatiuâ, putant se à Regulæ obseruantiâ exemptos, sensimque in laxitates quasdam declinantes, collum quasi excutiunt de sub iugo Regulæ; ac si exactior illa obseruantia à iunioribus tantùm exigenda foret. Optimè proinde admonuit S. Ephræm: *Canonem*, inquit, *vnum retine, sicut etiam SS. fecerunt Patres, qui ad quinquaginta & vltra annos, suum non mutarunt Canonem ac Regulam. Cur mundo renunciasti charissime: si mundana adhuc oble-* B *ctamenta quæris? ad tribulationem vocatus es: & tu requiem inquiris?* Idipsum alibi inculcat tanquam certam viam ad perfectionem: *Propterea*, ait, *perfecti Patres, fundantes semetipsos, per vnam Regulam in omnibus, perfecti inuenti sunt. Quidquid à principio assumpserunt, ad finem vsque vitæ nullis externis distracti rebus, integrum ac sanctum propositum seruare conati sunt. Vsque ad quinquaginta enim annorum, & ampliùs numerum excedentes, in nullo assumptam semel* REGVLAM *mutauerunt.*] Id verò alibi exemplo C comprobat S. Abramij Eremitæ, de quo inter alia sic enarrat: *Toto porrò tempore renunciationis suæ, Canonem seu Regulam semel arreptam nunquam mutauit; sed quinquagintæ annorum spatio in vita religiosa instituto se exercuit: omneque temporis illius æuum quasi dies paucos reputabat, nullaque satietate religiosi instituti sui capi vnquam poterat.* Vtinam verò exemplo hoc prouocati Religiosi omnes, Institutum suum eo amore prosequerentur, vt nulla eos vnquam eius caperet satietas! Maximè enim dolendum, D quosdam sensim adeò obtorpescere, vt non satietatem modò; sed etiam nauseam, & fastidiū illius Instituti concipiant, quod tanto ardore olim ambiebant, ad quod tot precibus admitti supplices rogabant; in quo tanta lætitia & animi gaudio, admissi exultabant.

Ephræm. serm. de secundo Domini aduentu.

Tom. 3. ser. Ascet. de vit. relig. *Sancti viri numquam, à primæuo feruore defecerunt.*

Tom. 3. in vitâ S. Abramij.

SECVNDVM à S. BENEDICTO requisitum est, vt Regula seruetur *In omnibus*, tam difficilibus, quàm facilibus; tam communibus, quàm particularibus; tam in magnis, quàm in paruis. Pium S. Petri Damiani E huc spectat votum. *Vtinam*, inquit, *nullus in eâdem* Sancti BENEDICTI *Regulâ mandatorum angulus sub negligentiâ delitesceret, quem nostri laboris, & exercitij aratrum non sulcaret. Nam vbicumque duriora, vel quantumlibet altiora præcepta conspicimus, illuc aratrum nostri sudoris immittere, velut in præruptum montem, vel in viuum lapidem formidamus.* Sed verò, Regulæ zelatori nihil vmquam tam paruum videbitur, quod temere leuiterque putet omittendum. *Qui enim spernit modica, paulatim decidit.* Hoc est, S. Gregorio exponente: *Qui*

II.

Nihil negligendum in Regulæ obseruatione.

Eccli. 19. 1.

Petr. Dam. op. 13. cap. 4.

Greg. part. 3. curæ Pastor. cap. 14.

Curanda minima.

Anselm lib. similit. cap. 122.

Simile.

Qui peccata minima flere & deuitare negligit, à statu Iustitiæ non quidem repentè, sed partibus totis cadit. Et noster S. Anselmus egregia id similitudine declarat: *Sicut pisces*, inquit, *decurrente aquâ viuarij moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpè crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum paulatim à seruare suo tepescit; attestante scripturâ, quæ dicit: Qui modica spernit paulatim decidet.* Omnes ergò rimæ, vt ait Cyprianus, *ne dicam portæ claudendæ sunt, ne per vnum foramen castra omnia penetrentur: Et vniuersa sunt companenda munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat.*

Cyprian. lib. de sing. Clericor.

Sancti Patres minimorum curam habendam docēt.

Frequentes admodum sunt SS. Patres in commendanda minimorum curâ; de qua accuratum tractatum edidit Iulius Nigronus, qui est decimus inter Asceticos; quo pluribus persequitur causas & rationes, cur tanto studio minimorum non minima sit habenda ratio. Etsi autem vniuersim hoc ita sit, maximè tamen in Regularum obseruatione minimorum curam habendam docet. Id verò ab omnium Ordinum, & Religiosorum exemplo probat; quibus curæ in primis fuit, ne minima negligerentur: de quo illud etiam S. BENEDICTI accipere possumus, quod Cellerario dixit: *Nihil ducat negligendum.* Addit verò idem Nigronus, S. Patrem in Regulâ multa scripsisse, quę studium hoc minimorum sapiunt, vtpotè cap. 32. tam accurata & minuta præceptio de custodiâ ferramentorum, quorũ negligenti tractatori graues imponuntur pœnæ. Item quod sequenti capite verbum, MEVM, à Monasterijs ablegct: aliaque passim huius generis occurrunt, vt *de his, qui falluntur in Oratorio; de his, qui in quibuslibet rebus leuibus delinquunt.*

Et inter eos S. Benedictus.

Reg. cap. 31.

Reg. c. 45. 46.

Obseruatum autem fuit in Ordine nostro magnâ diligentiâ hoc circa minima studium, sinę quo disciplina tota dissoluitur: vt expertus S. Anselmus testatur, cùm ait: *Certissimum namque est, quod in multis Ecclesijs experimento didicimus, quia in Monasterio vbi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inuiolabilis permanet: ibi pax inter Fratres, & in Capitula proclamationes conquiescunt.* Vbi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur & destruitur. *Si ergo de virtute in virtutem vultis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere.* Eadem porrò damna, quæ ex minimorum neglectu, Anselmus euenire asserit, multis Ordinibus euenisse, S. Antoninus tradit: cùm enim de Religionibus multis egisset; *Præfatæ*, inquit, *Religiones, quæ cũ magno seruare, & vitæ sanctimoniâ initium*

S. Ansem. Epist. 6.

Hæc doctrina magni æstimanda.

Ordines lapsi ob neglecta minima.

S. Antoninus part. historiali tit. 15. cap. vltimo §. 2.

A *habuerunt*, minima negligentes *traditionum paternarum, in processu temporis paulatim* defluxerunt, & exinanitæ sunt, *vsque ad fundamentum in eis, vota scilicet substantialia.* Et hinc tanta viris sanctis extitit cura, ne minimi sensim defectus irreperent, præsertim circa proprietatem: quare S. Eugendus Abbas *cellam, armarium, arcellamve nulli omninò concessit: nulla cuique de necessitate exiguæ proprietatis operandi dabatur occasio. Nam vsque ad acum ipsam, lanasque netas, et iam suendi consuetudine cuncta præbebantur in medium, dummodò subtilissima Fratribus destinan-*
B *di eximeretur occasio. Cæterum nouit Fraternitas cuncta* (inquit Auctor vitæ) *quæ dico: nunquam in cœnobio declinandi caussas deesse maximas, vbi non propelluntur etiam* MINIMA. *Quoniam* verò magni momenti est hęc in minimis diligentia; lubet huc adducere exempla quædam Ordinis nostri, ex quibus manifestè colligere licet, quantopere aduersarius noster diabolus gaudeat minimorum neglectu: vt inde vel ad grauiora nos inducendi, vel ad calumniam struendi, ansam arripiat. Patuit id in Cluniacensi
C Monasterio, in quo hæc erat consuetudo, vt micas ex panum sectione decidentes, singuli diligenter colligerent; & ante lectionis finem cum benedictione sumerēt. Finitâ lectione, nec illa, nec cibum vllum quispiam capere ausus erat. Has autem micas alijs cibis sacratiores existimabant propter miraculum. Frater enim quidam ad mortem perueniens, *circumstãtibus Fratribus, qui eius venerant orando commendare spiritum Domino, subitò emissâ voce clamauit, dicens: Adiuuate me, obsecra, Domini propter*
D *Deum. Modò,* inquit, *raptus sum ad iudicium, ibique protulit accusator humani generis diabolus, contra me ad testimonium, de micis panum sacculum plenum, quas comedere secundùm consuetudinem nolui, & de mensâ ceciderunt. Atque post pusillum iterum terribiliter clamare cœpit, & dicere: Ecce, de quo vobis dixi diabolus adest, deferens prædictum sacculum. Nam cùm territi Fratres mirarentur, adiecit rursum; illo in loco adest: at non videtis eum? Deinde iterum signo crucis totum se muniuit, & inter verba orationis spiritũ reddidit. Ab illo ergo*
E *die omni cum diligentiâ sunt collecta.* Sed & eadem historia aliud miraculum refert, quo demonstratur placuisse Deo morem illum. Quidã eius Monasterij Frater (quem S. Odonem, vitæ scriptor fuisse asserit) *cùm sederet ad mensam, tota anima lectioni intendebat. Contigit autem quandoque, vt collectis pro more micis, priusquam eas ederet, Abbas Berno lectioni finem imponeret. Tum ille, quid ageret, prorsus ignorabat. Absolutâ enim lectione, non audebat eas sumere: nec etiam relinquere, ne casu perirent. Tandem visum illi est, manu eas*

DE REGVLA S. BENEDICTI

S. Eugendus solicitè ijs obuiauit.

Sur. 1. Ianu.

Exemplis ostenditur cauenda minima.

I.

Fratris negligentis micas comedere.

Vitæ S. Odonis lib. 1. cap. 14.

Ibid. c. 17.

S. Odonis in his studium miraculo approbatum.

DE REGVLA S. BENEDICTI. *continere, & cùm post versum ab Ecclesiâ essent* A *egressi, Patri Monasterij exhibere: Itaque postquam ex Oratorio egressi sunt, mox ad Abbatis pedes se abiecit. Interrogatus ab eo, cur veniam peteret, ille explicatâ manu, ostendere micas voluit, & ecce in margaritas mutatæ visuntur, quæ posteà cuidam Ecclesiæ ornamento intextæ sunt.* Hæc ibi.

II. *Sanctimonialis minutias quasdam possidens in agone mortis infestatur.* S. Odo lib. 3. collat. cap. 21. Sed & ipse S. Odo refert ob minimam quandam proprietatem, dæmonem morienti Monachæ apparuisse, vehementerque exterruisse. *Nec prætereundum,* inquit, *quod in prædicto cœnobio cuidam puellæ morienti malignus hostis apparuit, quæ vehementer intremiscens recordata est, quòd vnam acu-* B *lam sine licentiâ haberet, quam de loco, vbi hanc esse dixit, sorores detulerunt, sed dæmon non recessit. Illa verò aliquid proprium, se adhuc habere cognoscens, pro quo malignus hostis instaret, tandem recordata: Tum,* ait, *filum sericum ad spondam habeo, quo vix reperto & allato mox diabolus recessit, & puella quasi subridens migrauit.*

III. *B. Aichardus à tamene observantius, dum tonderetur.* Sed mirum omninò est, quod in minima quàque offensâ B. Aichardo accidit: Narrat id Fulberrus vitæ Auctor, ad in- C cutiendam cunctis formidinem ne vanæ securitati dediti, dum in minimis peccare non timent, in magnis fiducialiùs offendant. Res autem sic se habet paucioribus
Apud Sur. 15. Sept. contracta: S. Abbas grauibus distentus negotijs, die quodam Sabbati, sequenris Dominicæ immemor, vespere tonsore accito, capillos sibi æquari forficibus iussit. Astitit illicò dæmon sub humanâ personâ, capillos colligens, numerans, & in libellum referens numerum eorum. Interrogatus quid illic ageret, respondit, suum D se officium exequi; seruorum Dei habitacula inuisere, peccata singulorum in suo Breuiario notare, ne vacuus ad Principem suum reuersus, actionibus supplicijs addi-
Nota. ceretur. Addidit se palmam à principe ex eo se consecuturum, quod nunciaturus esset Aichardum Abbatem, qui se formam & speculum Religionis cæteris exhibere debebat, Dominicæ noctis festiuum tempus operi illicito tribuisse. Tonsuram Abbas reliquit imperfectam, dæmoni respondit venialem esse culpam, quæ simplici E mente, atque ex incogitantiâ commissa esset: veniam à benigno Domino impetraturum. His dictis, baculo, & signo crucis belluam illam abegit è cellâ, post se fœda vestigia relinquentem: Fratribus rem aperit, fatetur culpam, veniam poscit: Orant pro Abbate Fratres; & post preces (res mira) tonsuræ illius inchoatæ signum euanuit; vnde coniecerunt culpam quoque fuisse deletam.

Hæ autem diaboli machinationes Dei seruos admonent;

A *Vt nunquam in vitijs quicquam paruique leuisque*
Ponderis esse putent. Qui paruis obuius ibit, Nazianz. carm. 3.
Is nunquam præceps scelera in grauiora feretur. Salubre monitum.

Vt igirur concludamus, audienda rursus S. Anselmi seria admonitio: *Hæc Fratres, &* Anselm lib. 3. Epist. 151.
filij mei charissimi, seruate. De Ordine vestro ita soliciti esse debetis, vt non in modico illum alicubi; vel aliquando in secreto, vel in conspectu aliorum violetis. Scriptum est enim: Qui mo- Eccli. 19.
dica despicit, paulatim decidit. *Si ergo coram Deo vultis proficere, nunquam minima mãdata velitis despicere. Sicut autem qui modica despicit, paulatim decidit: sic qui modica non despicit, non dico paulatim, sed efficaciter proficit.* Vt Tertium prędictæ sententiæ explicemus, nouum sumamus principium. Sit igitur

DISQVISITIO IX.

Quàm exactè, & quo zelo REGV*LA seruanda?*

QVOD Regius Vates de diuinâ lege Psalm. 118.
ipsi Deo dixit: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis:* quodque ipse Dominus Deuter. 5.
toties præcepit, *vt custodirent vniuersa mãdata eius, & non* DECLINARLNT *neque ad dextram, neque ad sinistram:* idem de suâ Regulâ S. Benedictus cauit, ne qui à Regulâ deflecterent.
pronũciasse visus est S.P.N. BENEDICTVS, cùm in explicatâ superiori Disquisitione sententiâ, ita ait: *In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam: neque ab eâ* TE- Reg. cap. 3.
MERE' DECLINETVR *à quoquam.* Quid enim hoc est aliud, quàm in *Scholâ Dominici seruitij* oculis nostris quodammodò *videntes* Isaiæ 3, 21.
Præceptorem nostrum, audire verbum post tergum monẽtis: hæc est via ambulate in eâ: & non DECLINETIS *neque ad dextram, neque ad sinistram?* Et meritò præcipit, ne quis à Regulâ temerè declinet, *cùm illius obseruatio* Reg. c. 73.
perducat hominem ad celsitudinem perfectionis, & facienti regna patebunt superna. Nihil igitur mirum est, adeò exactam requiri legis custodiam, cui tantæ felicitatis reddatur retributio.

Quos autem dicemus *temerè* à Regulâ Quidam *declinare*, nisi eos, qui nullâ legitima existẽ- fecius faciunt.
te causâ, sed ob vanos quosdam prætextus, modò hanc, modò illam Regulæ partem leuiter transgrediuntur? ita, proh dolor, videre sæpenumerò est Religiosos quosdam tam suæ sensualitati propitios, vt à seipsis acceptâ, vel potiùs præsumptâ dispensandi licentiâ, à pluribus regularibus actibus sese passim eximant: atque ita sensim laxitatem in Ordine inducant. Strenui verò Monachi adeò inuiolatè singula Regulæ capita seruant, vt ne iota vnum,

Ipse S. Pater præiuit in accuratâ Regulæ obseruantiâ.

vnum, aut vnum apicem prætetire sinant, donec omnia opere compleant. Præiuit hanc viam nobis ipse Legislator noster, cuius tota vita rectissima fuit norma viuendi, & viuá Regulæ suæ imago; ita enim de eo Magnus Romanæ Ecclesiæ Præsul Gregorius scripsit: *Cuius si quis velit subtiliùs mores vitamque cognoscere, potest in eâdem institutione Regulæ omnes Magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.* Hunc verò Patrem secutus est pænè passibus æquis *S. Maurus*, quem Fausto teste, Sanctissimus BENEDICTVS præ omnibus semper chariùs dilexit & instruxit: atque ita in Omnipotentis Dei informauit seruitio, vt nemini post ipsum in cœnobiali sacrosanctâ obseruatione fuerit secundus. Quinimò ipsi Magistro non raro admirationi erat tantâ discipuli perfectio, adeò vt sanctissimus de illo BENEDICTVS plerumque in conuentu Fratrum, suppresso eius nomine, quasi de alio liqueretur, iunioribus & negligentioribus illum proponēs sequendum. *Vidimus*, aiebat, *nostrâ ætate quemdam strenuissimæ nobilitatis iuuenem, infra annos adolescentiæ ita omnis Monasticæ Religionis subitò arripuisse perfectionem, vt alicui ex prioribus similis, imò æqualis per omnia dignissimè iudicetur.* Hæc ille. Nec inferior fuit *S. Placidi* virtus, tam strictè regulare silentium obseruantis; vt numquam alicui hominum locutus sit, nisi necessitas coëgisset, aut charitas: *semperque spiritus eius in Deo positus erat*, vt inquit Gordianus. Sed & in omnibus virtutibus, in quibus eum perfectissimus Magister suus BENEDICTVS instruxerat, de die in diem proficiebat atque crescebat. Hi fuêre generosissimi duces Regularis obseruantiæ, quorum vestigijs insistere oportet.

Lib. 2. Dial. cap. 36.

S. Maurus eum secutus.

Faustus in vitâ apud Surium 15. Ianuar.

Faustus in vitâ apud Sur. 15. Ian.

Et S. Placidus.

Gordianus in vit. apud Surium 5. Octob.

Exempla Benedictinorum, qui Regulam vel in minimis seruarunt.

Laudent alij Athenienses Solonis, & Lacedæmonios Lycurgi legibus rigidè obtemperantes: nostro Ordini non desunt plurima exempla eorum, qui religiosissimè etiam minima Regulæ mandata, magno animo seruauerūt. *Fuldensium* hęc magna laus, & ingens erga Regulam studium, de quo audiendus Ægil. *Cùm*, inquit, *Fratres Regulam* S. P. BENEDICTI *inhianter obseruare desiderassent, & ad Monasticæ disciplinæ normam sua corpora mentesque* TOTO ANIMO INCLINASSENT; *consilium vtile inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur Monasteria, vt Fratrum ibi concordiam, & conuersationem regularem perfectè discerent.* Nam vt idem ait: *Desiderium tunc ingens inerat Fratribus, ad omnia, quæ eis, dicta vel ostensa fuerant Sanctorum exemplis, semetipsos toto adnisu aptare, & Regulam* S. BENEDICTI, *quam se implere promiserant, ad omnia obseruabant.* Ijsdem Fuldensibus Religio fuit post vigilias æstiualiū noctium, atque in festis duodecim lectionum post matutinas, somno reficere corpus, nisi Ludouicus Pius à Papâ Gregorio id ipsis obtinuisset, vt refert Christophorus Browerus, qui subdit: Nefas tunc habitum vel tantillum à Regulâ discedere semel adamatâ, ni legis gratiam faceret legum summus arbiter. Quanto autem rigore Regulam seruādam putauit *S. Aygulphus* Abbas & Martyr Benedictinus? Hic enim cum socijs Monachis captus & grauiter cæsus, cùm ei circa horam tertiam Arcadius Monachus cibos detulisset, adhortareturq́; Sanctos, vt membra ieiunio, nimioque cruciatu iam defessa reficerent; B. Aygulphus, etsi interno languore fatigatus, respondit: *Nunquid non his diebus ieiunia ad horam nonam vsque protrahit Regularis institutio? An ignoras Regularem disciplinam debere occasione nullâ violari?* Dignum sanè generoso legis zelatore responsum. Laudat quoque Guilielmus Malmesberiensis *Lanzonem*, qui præ cæteris sui æui hominibus, Regulam Sancti BENEDICTI obseruabat: & vt noris quàm fuerit Religiosi tenax instituti, licet supremâ ægrotatione sic excruciaretur, vt nec sedens, nec ambulans, nec iacens, nec stans, ne momento quidem tranquillus fuerit: *Nunquam tamen noctibus est locutus: rogantibus Fratribus, vt silentium solueret, non acquieuit, rogans ne Monachatus sui pudicitiam libarent, quòd nunquam, postquam Monachicum habitum accepisset, à Completorio exiens, vsque ad sequentis diei Primam locutus fuisset.*

Ægil. in vit. Sturm.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

I. *Fuldenses.*

Browr. Antiquit. Fuldensium l. 2. cap. 16.

II. *Aygulphus.*

Ieiunium vid.

III. *Lanzo.*

Malmesb. lib. 5. de gest. reg. Angl.

Commendat Sacra Scriptura inuictos Machabæos, qui pro lege patriâ mori maluerunt, quàm legem violare. Quis verò satis deprædicet zelum & constantiam Eleazari, cui cùm data esset optio, vt simularet se Antiocho esum porcinæ lege vetitæ imperanti, obedire; allatis carnibus alijs, quibus ei iuxta leges patrias vesci licebat: *respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum:* & Adolescentibus exemplum fortè relinquere, si prompto animo ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus, honestâ morte perfungeretur. Atque hoc dicto, à carnificibus arreptus, gloriosissimè occubuit. Fortissimo huic viro similes illi Ordinis nostri sunt, qui pro Regulæ obseruantiâ temporalia damna, & vitæ discrimen adire non reformidarunt; non ignorantes quod Hegesippus ait: *Mori pro lege patriâ, insigne est immortalitatis.* Claruerunt hâc laude sub S. Odone Abbate Cluniacenses Monachi, de quibus in Ecclesiastico officio legimus, *quod aut Regulæ conuenienter viuere, aut mori cuperent.*

Hi similes Machabæis. 2. Machab. cap. 6.

2. Mach. 6.

Hegesipp. lib. 1. de excid. Hierosolym. c. 45.

Cluniacenses laudati ab exactâ obseruantiâ Regulæ.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

In vitâ S. Odonis, lib. 2.

rent. Et sanè Nortmannis Pictauorum atque Turonensium fines deuastantibus luculento id docuêre exemplo. Cùm enim duo Monachi ex eâdem Congregatione Turones missi, in Nortmannorum manus incidissent, capere eos quidem, *& ligare eorum manus, deinde minari potuerunt, sed eorum silentium rumpere nequiuerunt. Manè autem facto, applicuerunt in assignatum locum, in quo sibi congregandi posuerant constitutum.*

Duo Monachi nullis tormentis adigi possunt ad violandum silentium.

Prædicti verò Fratres paululum se ab eis sequestrarant, & sicut erant ligati, in terram se super facies suas dederunt, quatenus peracto Psalmorum cursu, silentio finem imponerent: nondum enim oratione completâ, venit pars reliqua, captâ multâ prædâ. Inueniens itaque Dux eorum prædictos Fratres in terram iacere, interrogauit qui essent; at illi retulerunt ei omnia quæ gesserant, per ordinem, addentes quòd nullo modo potuissent eos loqui facere. Ille itaque quia erat barbaricâ immanitate turgidus, ob nimiam elationem, cum eodem in quo sedebat phalerato equo, inclinato velut ad feriendum conto, irruit super eos, metum mortis eis incutiens, volens eos probare, an timerent. Cæterum vulgus vndique quod confluxerat ad hoc spectaculum vociferantes barbarico ritu, manibus plausum dabant. At illi vt erant animo constantes, ita & corpore permanserunt immobiles: & hoc non aliquâ fiebat apud eos in delusione, sed ius fasque sanctæ Regulæ, sub quâ videlicet cupiebant mori & viuere, & nunquam ab eâ declinare. Post aliqua interiecta, itâ Auctor concludit. *Si* autem hi *Fratres cum caderentur, & ab hostibus tunderentur, atque vincti minarentur, voce silentium rumpere non sunt passi; illi qui nullam vim patiuntur, nec à quouis coacti*, sed suâ sponte Regulæ iura transgrediuntur, quid *dicturi erunt simul positi ad iudicium, cum vtrorumq; causa in conspectu Dei & Angelorum examinabitur?* Hæc ibi.

Alter equū rapi patitur ne silentium rumperet.

Vbi etiam aliud exemplum habetur de eo, qui equum sciens auferri permisit, ne nocturnum violaret silentium. Digna sunt hæc generosis Benedictinæ Regulæ zelatoribus, digna quæ posteri pro loco & tempore imitentur, cùm in omnibus Regulæ mandatis, tum etiam in hoc de silentio, cui omni tempore studere debent Monachi, vt Legislator noster ait. Rectissimè siquidem Parisiensis Cancellarius obseruauit, & experientiâ docente clarum esse dixit, quòd *vbi hæc censura silentij seruatur arctiùs: ibi Religio viget laudabiliùs & perfectiùs.* Hæc Gerson.

Gerson tit. 2. in resp. ad 4. quæst. quæst. 1. conclu. 3.

S. Benedicti ad suos adhortatio.

Verùm, vt Fratres nostros ad excelsam illam animi fortitudinem, & feruentissimum zelum custodiendæ Regulæ exhortemur, imaginentur sibi Sanctissimum P. N. BENEDICTVM in Monasticâ cathedrâ confidentem, ijsdemque verbis discipulos suos alloquentem, quibus olim moriens Matathias filios suos Machabęos grauissimè admonuit, vt Mosaicam legem, ab Antiocho & Gentibus tantùm non pessumdatam, pro viribus in integrum restituerent: *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum.* Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis.

1. Machab. cap. 2.

DISQVISITIO X.

Vt Monachorum opera ad Regulæ amussim exigenda?

QVOD Ezechiel Propheta in mysticâ visione Angelum vidit, in cuius manu erat funiculus lineus, & calamus mensuræ, quo vniuersam templi fabricam interiùs & exteriùs mensurabat: idipsum spirituali quodam modo à Religiosis omnibus sæpiùs fieri, maximè par est. Quod enim est templum Dei, nisi anima viri iusti? de quo Hieronymus, vel potiùs Paulinus ad Cælantiam: *Nihil quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius eâ mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est; quam non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta delectant, sed anima ornata virtutibus.* Ideò & templum Dei Sanctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quisquis autem sanctuarij huius Deum cupit habere inhabitatorem, omnes eius partes sæpiùs examinare, & ad normam discutere debet, an exactè mensuris suis respondeat. Cæmentariorum itaque funiculus, & calamus mensuræ in manu sumendus est, singulisque structuræ partibus adhibendus: vt num rectè sibi constet ædificatio domus spiritalis, explorari possit. Quis autem hic funiculus: quis calamus mensuræ; nisi norma, secundùm quam vnusquisque vitam suam dirigere debet? Hęc autem Monasticen professis est sua cuique Regula, quæ velut amussis illud in Religioso agere debet, quod perpendiculum fabris cæmentarijs, alijsque artificibus præstat. Quid autem hoc sit, explicat Sanctus Gregorius: *In funiculo*, ait, *Cæmentarij hoc agi solet, vt cognosci æqualitas, vel rectitudo surgentis parietis debeat: vt si lapis intus est, foras ejciatur, si exteriùs prominet, interiùs reuocetur.* In calamo autem mensuræ idem ferè intelligitur: per quem idem Pontifex

Anima iusti templum Dei.

Hieron. Epist. 16.

1. Corinth. 3.

Examinandum id ad normam.

Quæ est Religiosorum Regula.

S. Gregor. homil. 13. in Ezech.

fex Sacram Scripturam intelligit, dicens, *Quiſquis hanc legit, in eâ ſemetipſum mettur, vel quantùm in ſpirituali virtute proficit, vel quantùm à bonis quæ præcepta ſunt, longè diſiunctus remanſit; quantùm iam aſſurgat ad bona facienda, quantùm adhuc in prauis actibus proſtratus iaceat.* Quæ ſine dubio in Religioſorum Regulam optimè conueniunt: illa enim vitæ noſtræ adhibita, facilè apparet morum noſtrorum probitas aut prauitas ſecundùm illam, quod prominet, intus reuocandum, quod nimis retruſum eſt in ſpirituali homine, ad æqualitatem foras educendum eſt. ab hâc profectûs aut defectûs ſpiritualis menſuram accipere oportet. Verè ergo dixit Sanctus Auguſtinus: *Stet Regula, & quod prauum eſt, ad Regulam corrigatur.* Partes igitur boni Religioſi erunt, Regulam ſuam ceu rectiſſimam amuſſim omnibus obſeruantiæ Monaſticæ partibus, ſingulisque ſuis actionibus per conſcientiæ examen frequenter adhibere; vt videat, num ad menſuram Regulæ conſurgat ædificium ſpirituale, quod in animâ ſuâ Deo exſtruere molitur. Metiatur itaque nunc parietem Obedientiæ, nunc Paupertatis, nunc Caſtitatis, aliàs fundum & pauimentum humilitatis, aliàs oſtium ſilentij, totamque interiorem domum Orationis, contemplationis, præſentiæ Dei, & rectiſſimæ intentionis; ſingulas denique Inſtituti ſui partes & exercitia ad Regulam exactiſſimè expendat: vt videat quantum Regulæ reſpondeat, vel ab eâ deflectat fabrica ſpiritualis. Non diſſimili ratione Chriſtus Dominus B. Mechtildem, magnum Ordinis noſtri decus, inſtituit quo ſe modo ad ſacram Synaxim præpararet. *Cùm vis communicare*, inquit, *diligenter animæ tuæ domum perſpicias, ſi parietes eius aut læſi ſunt, aut infecti.* Monens deinde quid in ſingulis partibus Orientali, Occidentali, Auſtrali, & Aquilonari peculiariter examinandum, ſubdit: *In Occidentali parte intuere diligenter, quantum profeceris ſiue defeceris in virtutibus, quàm obediens, & humilis, quàm patiens ad iniurias, ſi* REGVLAM TVAM ET STATVTA TVA BENE TENVERIS; *ſi vitia in te exterminaueris & deuiceris.* Et mox: *Si quam maculam aut læſionem in omnibus his inueneris, per humilem pœnitentiam, & ſatisfactionem ſtudeas reparare.*

Ipſorum vitæ applicanda, vt corrigat, dirigat.

S. Auguſt. in Pſal. 31. in Enarrat. 2.

Methodus idipſum exequendi.

B. Mechtil. lib. 1. viſion. 68.

Poſt S. Communionem.

Cui non incongruè ſubijci poſſet, recepto tanto hoſpite, & bonorum omnium fonte, enixiùs ab eodem petendum, vt gratiam & ſpiritum largiatur, ad Regulam cum omni puritate & feruore deinceps obſeruandam. Meritò ſanè Religioſi noſtri cùm hoc, tùm alio quouis tempore, cùm in ſe inquirunt, & hoc de Regulæ obſeruantiâ punctum adiunxerint.

Cum petitione Gratiæ diuinæ.

Sed vel maximè id faciendum, cùm ex hâc ad alteram vitam migraturi, ſe præparant ad reddendam æquiſſimo Iudici de omnibus actibus ſuis rationem. Hinc apud S. Birgittam Saluator noſter ait: *Ille eſt Monachus* BENEDICTI *qui plus obedit* REGVLÆ, *quàm carni, qui nec in habitu, nec in moribus, alicui placere deſiderat, niſi Deo: qui quotidie deſiderat mori, & parat ſe ad exitum de hoc mundo, ſollicitus eſt* QVOMODÒ REDDAT RATIONEM DE REGVLA BENEDICTI. Sed quod his verbis Chriſtus Dominus docuit, longè antea monſtrauit exemplo. In cruce etenim moriturus, ſeipſum ad Scripturarum, quæ de ipſo erant, Regulam, veluti expendit. Cùm enim veniſſet, non vt ſolueret legem, ſed adimpleret; iam proximè ſpiritum emiſſurus, animo percurrit omnia, quæ de vitâ & morte eius Prophetæ Spiritu S. pleni prædixerant; vt videret, num aliquid reſtaret adimplendum. Inſinuat hoc Ioannes, his verbis: *Poſteà ſciens* IESVS *quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Vnicum hoc decrat, vt in epilogo vitæ ſuæ dicere poſſet, CONSVMMATVM eſt. Non ſecus Chriſtiani, & maximè Religioſi, antequam vitæ ſuæ curſum conſumment, ſeriò inquirant, num ſuperſit aliquid de Regulâ ſuâ adimplendum, illudque mox faciant; & de alijs imperfectè peractis doleant. Fecit hoc S. Gertrudis Germana, quæ moribunda, inter cætera etiam Regulam ſuam intentiſſimè relegens, ſingula verba tam deuotiſſimis ſupplicationibus, ac ponderoſis ſuſpirijs remetiebatur, quod non ſolùm (vt prædictum eſt) neglecta, imò cooperante pietate Dei etiam perfecta nobiliſſimo ornatu decorare valebant.

DE REGVLA S. BENEDICTI

Ante mortem.

Birgitt. lib. 4. reuelat. cap. 127.

Exemplo Chriſti Scripturas implentis.

Ioan. 19.

Vt nihil Regulæ perficit ex Regulâ adimplendum.

S. Gertrud. Inſinuat. Diuin. pietat. lib. 5. cap. 25.

Quod verò ad praxim ſpectat, licebit examen hoc adhibere toti Regulæ, diſcurrendo per præcipua eius capita, eaque cum noſtrâ vitâ conferendo: vel vnum tantùm caput examini ſubijcere, & in quo ab eodem deflexerimus, ſtudiosè examinare & expendere. At non expendiſſe ſatis eſt, ſed tria inſuper adijcienda iudico. *Primum*, dolorem de defectibus contra Regulam admiſſis. Vt enim rectè Ambroſius dixit: *Dum dolemus admiſſa, admittenda excludimus, & fit quadam de condemnatione culpæ diſciplina innocentia.* Ita Ioſias Rex cùm audiſſet verba legis Domini, *ſcidit veſtimenta ſua*, & fleuit; ob culpas nimirum contra Legem admiſſas. Dignum id eſt religioſâ imitatione, vt qui contra Regulam ſe deliquiſſe meminerint, ex corde doleant de admiſſâ præuaricatione. Huic affine eſt, vt ex hoc examine cognitionem ſui,

Praxis pro examine Regulæ.

I. Dolendum de tranſgreſſionibus.

S. Ambroſ. lib. 1. de Pœnitent. cap. 10.

4 Reg. 22.

Cum humilitate, & ſui erubeſcentia.

DE REGVLA S. BENEDICTI.

sui, & spiritum humilitatis Monachus eliciat, atque erubescat de imperfectionibus suis, quibus à mensurâ Regulæ multum deficit. Innuit hoc Dominus, cùm per Ezechielem ait: *Fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam: & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Quid autem est Regula in chartâ scriptâ, nisi quædam idea & effigies sanctitatis; quâ Religiosi, qui sunt viua Dei templa, ornati esse debent? Hæc ostenditur eis, vt confundantur de defectibus in Regularum transgressione commissis. Vult autem eos metiri hanc fabricam, vt assequantur perfectionem virtutum, quas Regula proponit; atque erubescant videntes se tam procul ab illis distare, simulque se exstimulent ad eas procurandas: vt ita pulcherrimum quoddam templum, huic exemplari, quàm potest fieri maximè conforme, in animabus suis extruant. (Ezech 43.)

Vt porrò hunc humilitatis & confusionis propriæ spiritum ex Regulæ meditatione, & examine eliciamus; optimum erit imitari piam admodum industriam Monachi illius, quem S. Ioannes Climacus commendat, & in exemplum proponit. *Cuidam*, ait, *fortissimo athletæ Christi, qui ad hanc beatissimam virtutem festinabat, impuri dæmones laudem in corde subseminabant. At ille diuinâ inspiratione malignorum spirituum nequitiam pio & religioso compendio vincere aggreditur. Describit in cellulæ pariete altissimarum virtutum appellationes, puta perfectæ Charitatis, Angelicæ humilitatis, mundissimæ Orationis, incorruptibilis Castitatis, & huiusmodi virtutum reliquarum. Cùm ergo illum cogitationes extollere cœpissent, dicebat illis: Eamus ad arguentem, adueniensque relegebat appellationes illas, sibique ipsi clamabat: Cùm has omnes possederis, tunc scies quàm longè adhuc à Deo sis. Cùm enim eas possederis, seruus eris inutilis, fecisti enim quod facere debuisti.* Eodem modo Religiosus Regulam lecturus dicat animæ suæ: *Eamus ad arguentem Regulam*, scilicet. Quemadmodum enim S. Iacobus ait, personarum acceptores redargui à lege quasi trãsgressores, ita etiam Regula, Monastica lex arguit præuaricatores, dum ostẽdit etiam viam ab eâ, quam ipsi sectati fuerant. Dicat ergo Religiosus: *eamus ad arguentem*, relegatque sibi nunc Caput *de Instrumentis bonorum operum*; nunc *de Obedientiâ*, aliàs *de taciturnitate*; tum *de humilitate*; deinde *de reuerentiâ Orationis*; atque ita percurrat omnia, nunc hoc, nunc illud euoluendo: & quamuis vtcumque se illa perfecisse viderit, humiliet se nihilominus, & dicat: *seruus inutilis sum, quod debui facere, feci.* Hoc verò

(Clim. grad. 21.) (Monachi ad superandã vanam gloriam inuentum.) (Lucæ 17.) (Regula arguit præuaricatores.) (Iac. 1. 9.)

A si Regulam adimplens vsurpabit, quid illos dicere fas est, qui in multis delinquunt, nisi illud S. BENEDICTI: *Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confusionis est?* Ex quibus verbis apparet, hunc affectum humilitatis & pudoris conformem esse Spiritui S. BENEDICTI, qui ideò Regulam suam se descripsisse ait: *Vt eam obseruantes in Monasterijs, aliquatenus honestatem morum, aut initium conuersationis se demonstrarent habere.* Quod sine dubio vnusquisque de se meritò sentire debet, quantumuis fortè Regulam

B rarissimè transgrediatur. Cogitans enim se etiam seruatâ Regulâ, tantùm initium conuersationis habere; discet quotidie incipere, & renouato animo, initium hoc ad finem perducere, quod SS. Patres granter & sæpè inculcant.

(Regulæ cap. vlt.) (Quid sentire de se debeat Regulam obseruans.) (Eodem.)

II. *Secundum*, quod examen hoc comitari deberet, est propositum emendandi iam cognitos defectus. Ait namque Lactantius, *eum resipiscere, qui confirmat animum suum ad rectius viuendum, tum illud ipsum maximè cauet ne rursus in eosdem laqueos inducatur.* Fecit id sui inquisitor diligentissimus, Psalmista Dauid, qui cùm ad mensuram diuinæ legis sese expendisset, aiebat: *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Id est, consideraui actiones meas, an legi Dei conformes essent, & conuerti affectus meos à lege carnis, & peccati, ad legem tuam Domine, quæ sola est via recta. Non secus ergo Religiosus, qui, vt Ausonij versu vtar,

(Emendandi propositum.) (Lactant. l. 6. Instit. cap. 14.)

C (Psalm. 118.)

Iudex ipse sui totum se explorat ad vnguem,
Cogitat, & iusto trutina se examine pensat:

D vbi aduerterit se à Regulâ deflexisse, animo proponere debet gressus suos iterum ad Regulam dirigere, & exactius iuxta eiusdem præscriptum viuere.

III. *Tertium*, quod pro examinis huius coronide vtiliter admonendum adijcitur, est, vt pro commissis excessibus impositæ pœnæ æquanimiter sustineantur, & vel ipsi eas irrogari nobis postulemus, aut sponte aliquas pœnitentiæ loco suscipiamus. Monitum hoc est Sancti Chrysostomi, qui ait: *Neque peccata quæ nobis videntur parua, contemptim prætereamus; sed quotidie à nobis rationem repetamus & verborum, & spectationum; & pœnas de nobis ipsis sumamus, vt nos à futuro supplicio liberemus.* Vt etiam si nosipsos iudicauerimus, propter quotidiana peccata, minuamus supplicium, quod alibi futurum est. Exemplo nobis sit S. Iob, qui inconsideratam locutionem pœnitentia deleuit: *Insipienter*, inquit, *locutus sum, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauillâ & cinere.* Areopagitæ olim hâc mente prædití ad obseruandas Solonis leges sese

(Satisfaciendum pro culpis.) E (Chrysost. homil. 6. in Genes.) (Iob 42.) (Areopagitæ in Leges Solonis iurati.)

Plutarch. in Solone.

ges ſeſe adſtrinxerunt; Senatus quidem, vt Plutarchus ait, commune iuſiurandum peragendo, ſinguli autem Theſmothetæ peculiare iuramentum præſtando, ſe, ſi quam violaſſent legem, auream ſtatuam paris ſibi ponderis Delphis dicaturos. Quis non miretur hunc erga mortalis hominis leges amorem ac venerationem? Quis non leuiorem prorſus mulctam lubens ſuſtineat amore illius legis, quam non neſcit Deo inſpirante eſſe dictatam? Quare promptiſſimâ voluntate impoſitas à Superioribus pœnas veri Religioſi non tantùm ſuſtinuerunt, ſed vltrò etiam indulgente Præſide, eas ſibi efflagitarunt. Nobile exemplum hâc in parte dedit B. Margareta, Regis Hungarorum filia, quæ in Dominicano Ordine Religionem profeſſa, *obſeruantias ſiue inſtituta Regularia perfectiùs cunctis alijs totâ vitâ ſeruauit.* Nolebat autem, vt Garinus in eius vitâ ſcribit, *parci ſibi à pœnis, quæ cæteris Sororibus irrogabantur. Itaque rogauit Priorem Prouincialem, vt ipſi, ſicut alijs, mulctam irrogaret pro fractione ſilentij: ſicque factum eſt. Nam cum alijs humi diſcubuit, panem & aquam comedens.* Quis verò enarret pœnas eas, quas feruentiſſimi Religioſi ob ſummum perfectionis deſiderium, etiam in minimis tranſgreſſionibus à ſeipſis exegerunt? Occurrunt illæ paſſim in Sanctorum hiſtorijs: ſed memorabile cumprimis eſt, nec paſſim imitabile, quod de Euſebio Theodoretus refert; qui cum ſemel ab auditione lectionis Euangelicæ aſpectu quorumdam agricolarum diſtraheretur, qui in ſubiecto campo ter-

Apud Sur. 28. Ianuar.

Sancti Religioſi lapſus minimos ſeuerè expiarunt.

Theodor. in Philoth. cap. 4.

[A] ram excolebant; ita ſeipſum puniuit, vt per quadraginta annos, & amplius, quibus poſteà vixit, nec agrum aſpiceret, nec in cœlum & aſtra oculos attolleret: ſed ſemper iniecto in collum collari ferreo, inclinatus incederet. Interrogatus autem, quam ob cauſam ſe tam ſæuiter ob modicum defectulum caſtigaret, reſpondit dignam Sanctiſſimo viro ſententiam: *Ne,* dixit, *aduerſarius de rebus magnis bellum gerat, conor illum ad hæc parua traducere.* Frequentes autem fuerunt perfectionis amatores [B] exigendis mulctis, ob leues etiam tranſgreſſiones: ſed Benedictinis ex Sancti BENEDICTI ſcholâ propono exemplum, quod Petrus Diaconus ſic refert: *Et quia ſilentium illis diebus* (quibus obſeſſum erat Monaſterium Caſſinenſe) *tumultus cauſâ ſeruare non poterant: decreuerunt, vt tribus diebus tria pſalteria poſt Completorium in Eccleſiâ pſallerent. Priùs verò quam eam tridui obſecrationem inchoarent, Abbas ex Monaſterij conſuetudine in Capitulo ſurgens, veniam petijt: confeſſionem de ſuis exceſſibus fecit.* Si- [C] militer & Fratres poſt illum omnes, *in* BENEDICTI *Patris Regulam ſe deliquiſſe confeſſi ſunt. Sicque eos Abbas ab omni ſententiâ excommunicationis, ſi quam incurriſſent, abſoluit, indulgentiamque conceſſit.* Tanta illis fuit Regulæ reuerentia, vt leuem hanc & pænè nullam culpam rigidâ adeò cenſurâ caſtigarint: eo quippè modo ſibi non parcentibus ille parcit, *cuius altum iuſtumque iudicium* (vt Auguſtinus ait) *nullus contemptor euadit.* Atque hæc quidem dicta ſint, vt quantum fieri poteſt,

DE REGVLA S. BENEDICTI.

Euſebius euagationem oculorum.

Lib. 4. Chronici Caſſin. cap. 101.

Caſſinenſes violationem ſilentij in obſeruatione Monaſterij.

In omnibus omnes Magiſtram ſequantur Regulam: neque ab eâ temerè declinetur à quoquam.



CATECHISMVS MONASTICVS, SIVE DOCTRINÆ S. BENEDICTI SYNOPSIS ANALYTICA.

Audi, Fili mi, DISCIPLINAM PATRIS TVI: & ne dimittas Legem Matris tuæ. *Prouerb. 1.*

PRÆFATIO.

SVPERIORI Libro Mantissam adijcio CATECHISMVM hunc MONASTICVM; hoc loco, & tuâ, mi Lector, cõsideratione nõ prorsus indignum. Quam enim ille fusiùs, & in genere vrgebat Regulæ obseruantiam, hic velut ad praxim deducens, breuiter, & in particulari ostendit, quibus, & quâ ratione sit exhibenda. Religiosum enim ea, ad quæ ex suo tenetur Instituto, & quæ ei quotidie pręstãda, nosse cumprimis oportet. Hac siquidem de causâ voluit S.P. BENEDICTVS, quam suis præscripsit REGVLAM, *sæpiùs in Congregatione legi, ne quis Fratrũ de ignorantiâ se excuset.* Sed enim, cùm Regula sparsim, atque vt ferebat occasio, ea tradat, quę vniuscuiusq; erga Deũ, Superiores, Ordinẽ, Seipsum, & Confratres Officiũ concernũt; non inutiliter hæc inde excerpta, certo ordine disposita, & velut in fasciculum colligata, Monachis nostris visum est proponere. Sic enim ex ipsâ Regulâ eis subministrantur Religiosæ pietatis argumenta: in quibus se quotidie, vel crebrò saltem, possint exercere, & velut in speculo animæ suæ statum, dispositionemq́ue cognoscere.

Catechismi scribendi occasio.

Cap 66.

Exercitatio interni hominis.

C Enimuerò, & hinc Ordines quosdam à primæuo feruore sensim prolapsos, Ioãnes Mauburnus censet, quod ijs defuerit *totius Religionis conseruatiuum, Exercitatio scilicet interni hominis, studiumq́; deuotionis.* Et non ita pridem Ioãnes à S. Mariâ, Ordinis Prędicatorum, solerter indagãs scaturiginem ex quâ Religiosorum Ordinum relaxatio profluxerit, duo hæc adfert capita: quòd vel caruerint Regulis, quæ spiritualia & interna prǽscriberent exercitia; sed totæ potissimùm versarentur circa exteriora: vel, quamuis vitæ spiritualis doctrina in

Maubi Roset. spir distinct 1. tit. 2 cap 3. Ex cuius neglectu orta Religionum ruina Ioãnes in vit. SS Ordin Prædic. § 5.

A ipsis sanis Regulis esset expressa; (vt certè expressè S. BENEDICTI) ea tamen Nouitijs non fuerit inculcata, tanquam summè necessaria, & præcipuus exteriorum obseruantiarum scopus; imò, & anima: sine quâ illæ quid erũt, nisi merum cadauer? Quod non semel Bernardus perstringit: *Corporis,* inquit, *conuersio si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem conuersionis est, non veritas, vacuam virtute gerens speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergẽs in eâ quæ* FORIS *sunt, & ignarus* INTERIORVM *suorum, putans se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Exteriorẽ *quippe*

S. Bernardi de curâ internorum sententia. *Bern. serm. 2 de Quadrag.*

B *superficiem intuens, salua sibi omnia suspicatur: non sentiens vermem occultum, qui* interna *corrodit. Videas,* ait idem alio loco, *sic palliatum hominem: vt seducat etiam semetipsum: penitus non attendens vermem, qui* interiora *depascitur. Manet enim* superficies, *& salua sibi omnia arbitratur.* Monet proinde: Non sola inueniatur *in nobis* Exercitatio corporalis *ad modicum valens: sed inueniatur vtilis ad omnia pietas,* & EXERCITIVM SPIRITVALE. Sic ille.

Id. serm. 2. de Assump. B. Mariæ.

Copiosam quidem huic Exercitio sacra Regula suggerit materiam, quam in hâc ANALYTICA SYNOPSI vtcumque digessi, eamq; CATECHISMVM MONASTICVM non immeritò nuncupaui. Vt enim *Catechismi* titulo ij ferè prenotãtur Libri, quibus fidei rudimẽta, & doctrinâ traditur Christiana, ita hoc Regularis vitæ Compendium non prorsus abs re eodem gaudebit nomine.

Catechismus ex Regulâ concinnatus.

Bipartitus est autem hic CATECHISMVS. Priori Parte, vt iam insinuatum, explicat Monachi Ordinationẽ erga Deum, & Ordinem; erga Superiores, proximos, & seipsum; in quibus variarum virtutum occurrũt Exercitia. Posteriori, describuntur Monachi Officia sub ijs titulis, quos in suâ Regulâ

Eius partitio.

Regulâ S.BENEDICTVS expressit; additur denique totius Regulæ SVMMARIVM.

Ratio pro repetitis hîc S. Benedicti sententijs. Occurunt,fateor, nonnullæ S.BENEDICTI sententiæ aliquoties repetitæ, sed id factum,quòd diuersis subseruirent titulis: & ne quidpiam quod pietatẽ promouere posset,suo deesset loco. Vtile enim in hoc genere, quemadmodnm & in cibis nouo condimento nouam veteris, solitiqne alimenti prouocare orexin. Glycera coronaria ex ijsdem sæpè floribus, versicolori mixturâ alia atque alia concinnabat serta,
Plin.lib. 22. cap. 2. vt Pausiæ pictoris industria illa vix imitari

A posset, *essetque certamen artis & naturæ.* Non PRÆFATIO. secus pij scriptores ex ijsdem variè dispositis sententijs,diuersa in speciem concinnant pietatis exercitia, vt nouo flore ea Lectoribus commendent. Hoc fine quæ nostris deberet esse vsitatissima documentorum sacræ Regulæ meditatio,nnnc hoc, nunc illo expendenda modo proponitur, vt varietate fastidium tollatur, & vtilissima doctrina frequentiùs inculcetur.

Quoniam autem *prima litterarum elemẽta* non rarò *Catechismis* solent præmitti; & nos eorum imitatione hîc præfigimus

ALPHABETVM MONASTICVM.

Scribendorum Alphabetorum caussa. QVOD in Sacris litteris cernere est, A Psalmos quosdam, & Ieremiæ Lamentationes,ALPHABETI ordine decurrere,id eâ potissimùm factum est caussâ, vt.
Hieronym. Præfat. in lib.Regum. quemadmodum Hieronymus ait,*Hisce litteris & exordijs in Dei doctrinâ tenera adhuc & lactens viri iusti erudiretur infantia.Vt enim,*
Ambros. in Psal.118. Ambrosio teste, *paruulorum ingenia primis litterarum elementis assuescunt discendi vsum assumere;* ita etiam nos huiusmodi elementis vsum discamus viuendi.

Quinam Alphabeta conscripserint. Pium hoc artificium plures deinde imi- B tati sunt, qui viuendi præcepta breuibus sententijs litterarum serie dispositis,fidelibus tradiderũt.Nam & Gregorius Nazianzenus Iambicis viginti quatuor versibus morale *Alphabetum* digessit.Climacus quoque gradu 26. *Rudium,Mediocrium*, & *Magistrorum*, vt ipse loquitur, siue Incipientium,Proficientium,& Perfectorum terna exhiber *Alphabeta.* Ex Latinis S.Bonauentura tom.7.*Alphabetũ* scripsit *Incipientium.* Habet & Thomas à Kempis *Alphabetum* C *paruum Monachi in Scholâ Christi*, quod etiã inter opera S.Bonauenturæ cõparet.Ioanni Gersoni adscriptum *Alphabetum diuini amoris*,parte 3.operũ eius recẽsetur,quamuis eius verè nõ sit,cùm in eo ipse citetur. Adfert autem quindecim ad eleuandum mẽtem in Deum *Alphabeta.* Quarto autem capite tractans de viâ instructiuâ, ait eam à S. BENEDICTO Instrumenta bonorum operum enumerante,traditam: ex quibus ibidem spirituale concinnat *Alphabetum.* D Cùm autem S. BENEDICTVS dixerit se SCHOLAM DOMINICI constituere SERVITII, visum est eiusdem Scholæ discipulis summa monasticæ vitæ capita *Alphabeto* illo comprehensa in *Catechismi* huius frontispicio proponere.

Regula Gymnasium est: Monachi, benè discite, prima
Quæ Benedictinæ sint Elementa Scholæ.

A Indigetis enim vt doceamini quæ sint ELEMENTA exordij Sermonum Dei. Hebr.5.12.

Sed Rupertum hîc præloqnentẽ audire Rupert.lib. 1.in Ierem. cap. 12. iuuerit: *In eo,*inquit,*quòd singulæ sententiolæ singulis* ALPHABETI *litteris prænotantur,pulchrè nobis innuitur, vt humili conscientiâ paruulos nos esse indicemus, quatenus istorũ declaratione sermonum illuminari digni habeamur. Scriptum namque est:* Declaratio sermonum Psal.118. tuorum illuminat, & intellectum dat par- B uulis. *Igitur ad istud* ALPHABETVM *tanquam pueri* ABECEDARII *disponamur, sub istis vocibus contineri non dubitantes scientiam, quæ abscondita est sapientibus, & prudentibus, vt nec prima nouerint Elementa.*

A bnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.
B onum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet non sibi.
C C astitatem amare.
D elitias non amplecti.
E lationem fugere.
F acere se à sæculi actibus alienum.
G ehennam expauescere.
H onorare omnes homines.
I n omni loco Deum se respicere pro certo scire.
K aritatem non derelinquere.
D L ectiones sanctas libenter audire.
M ala præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in Oratione Deo confiteri.
N on velle dici sanctum antequam sit,sed priùs esse quo veriùs dicatur.
O s suũ à malo & prauo eloquio custodire.
P ræceptis Abbatis in omnibus obedire.
Q uod sibi fieri quis non vult alteri non facere.

R isum

PRÆFA-TIO.

R isum multum, aut excussum non amare.
S pem suam Deó committere.
T imere diem iudicij.
V itam ęternam omni cōcupiscentiâ spirituali desiderare.
X ρι amori nihil præponere.
Z elum & inuidiam non habere.

CONCLVSIO.

Scribe, nouelle MONACHE, ALPHABETVM *istud in corde tuo, quasi in libro vitæ, & per singulos dies chartulam tuam inspice, & bonos mores assuesce. Pauca sunt verba, sed magna habent mysteria & perfectorum opera: ornant exteriùs, & quietant interiùs.*

Thomas à Kempis Opusculo 3. breui.

Non abs re fortasse fuerit alterum hîc subijcere, quod in Cœnobitarum gratiam aliquando * lusimus.

* In Cantic. Catechet.

ALPHABETVM RELIGIOSORVM.

✠ ABSTRACTVS sęculo Dei clem –
Ex hoc te speculo disce dec –
A mato Dominum totâ pot –
B enefac omnibus, sine inuid –

C ellamque inhabitans, serua sil –
D iscursus fugias, Obedi –
E t verâ niteas indiffer –
F er iugum Domini cum pati –

G ulæ remedium sit abstin –
H onora Præsules cum reuer –
I n Dei iugiter viuas præs –
L aua à malitiâ cor pœnit –

M urmur, tepiditas, concupisc –
N eglectus Regulæ sint hîc abs –
O ra sæpissimè, pensa immin –
P auper, cum proprij viue car –

Q uousque sequeris hæc fugi –
R elinque vilia citò lab –
S ectare humilia, plus conduc –
T imor sit Domini prima prud –

V irtute studeas, & stet sent –
X ρι vestigia sequi fulg –
Y mnos in populi canta frequ –
Z eloque ferueas & dilig –

Hisce virtutibus Claustra nit –
Et in virtutibus profici –
Votaque Domino Deo redd –
Steterunt pristino flore flor –

Sed rerum subijt vbi afflu –
Heu pura perijt mox CONSCI –
Refrixit pietas, mansit SCI –
Hæc tedat: quid erunt? quid? meta

E N T I A

CATE-

CATECHISMI MONASTICI PARS PRIMA:

MONACHI RVDIMENTA,

SIVE

DOCTRINA REGVLÆ S. BENEDICTI ad quinque Capita reuocata.

REGVLA sanctissimi Patris A Nostri BENEDICTI spiritu Dei plena, dirigit Religiosum ad omnẽ perfectionem iustitiæ, eique discretione præcipua, sermone luculento describit (vt præmonuimus) quid Deo, quid Superioribus, quid Religioni, quid Sibiipsi, quid B denique Proximis siue Fratribus debeat. Quicumque autem debitis hisce exactè satisfecerit, næ omnes Iustitiæ adimpleuerit partes: Iustitia enim est virtus, quæ vnicuique tribuit quod suum est.

Catechismi pars I. circa tria versatur. Vis, ô Religiose, verbo vno intelligere quemadmodum multiplicibus Iustitię of- C ficijs ergà quemlibet satisfacies? Audi: Erga Deum & Superiores, qui Patres tibi sunt; erga Religionem ipsam, quæ Mater tua est, habe Cor filij; erga Fratres tuos, & proximos, Cor Matris; erga teipsum cor exhibe Iudicis: In his siquidem consistit tripartitum illud Iustitiæ munus, quod Propheta scribit Deum à nobis exigere. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtiq; facere Iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* *Mich. 6.* Ex his primum spectat ad nos, *Facere* nimirùm *iudicium*; alterum ad proximos; *Diligere misericordiam*: tertium verò ad Deum; *Solicitum ambulare cum Deo tuo.* Cùm autem tribus hisce tota Christianæ Iustitiæ perfectio, atque omne bonum nostrum contineatur, primâ hâc *Catechismi* parte declarabimus, quemadmodum S. P. BENEDICTVS Religiosos suos docuerit obligationibus hisce satisfacere; à *Deo* ipso, omnium rerum principio & auctore sumentes principium. Priùs autem totam Libelli materiam in hoc *Schemate* Lectorum oculis subijcimus.



CATECHISMI

Doctrina est

PARS PRIOR EXHIBET MONACHI RVDIMENTA.

RVDIMENTA MONASTICA exponunt quid Monachus debeat

- **DEO, vt**
  - Eum cogitet præsentem. *Reg. cap. 7.*
  - Timeat. *Ibid.*
  - In eum speret. *Instrum. 41.*
  - Amet. *Instrum. 1.*
  - Honoret. *Prolog. Reg.*
  - Christum imitetur. *Instrum. 10.*
- **SVPERIORI**
  - Amorem. *cap. 72.*
  - Reuerentiam. *cap. 63.*
  - Obedientiam. *Instrum. 60.*
  - Manifestationem cogitationum. *Inst. 50. & grad. 5. c. 7.*
- **RELIGIONI hæc tria, vt seruet**
  - **VOTA**
    - STABILITATIS.
    - CONVERSIONIS MORVM. } *cap. 58.*
    - OBEDIENTIÆ quoad
      - Personam
        - Superioris. *Grad. 3.*
        - Æqualis. *cap. 71.*
      - Materiam, vsque ad grauia, & impossibilia. *cap. 68.*
      - Modum, vt sit
        - Velox.
        - Cœca.
        - Bono animo impensa. } cap. 5.
        - Patiens. *Grad. 4.*
    - CASTITATIS.
    - PAVPERTATIS, quæ
      - Vetat habere, dare, accipere, præsumere, dicere *proprium.* cap. 33.
      - Suadet vilissimis & paucissimis esse contentum, *cap. 7. grad. 6.*
  - **REGVLAM, quæ præcipitur**
    - Amanda.
    - Honoranda.
    - Sæpè legenda.
    - Obseruanda.
    - Actionibus applicanda, vt probatum suprà. *Tract. VIII.*
  - **EXERCITIA, quæ sunt quatuor**
    - DIVINVM OFFICIVM, in quo commendatur
      - Festinus occursus. *cap. 25.*
      - Dei præsentia memoria. *cap. 19.*
      - Attentio. *Ibid.*
      - Honestas. *cap. 47.*
      - Reuerentia. *cap. 52.*
    - ORATIO, eius præscribit
      - Tempus post vigilias nocturnas. *cap. 8.*
      - Materiam,
        - Mala præterita. *Instrum. 58.*
        - Mortem. *Instrum. 47.*
        - Iudicium. *Instrum. 44.*
        - Gehennam. *Instrum. 45.*
        - Vitam æternam. *Instrum. 46.*
      - CONDITIONES
        - Humilitas. *cap. 20.*
        - Puritas cordis. *Ibid.*
        - Compunctio lacrymarum *Ibid.*
    - LECTIO, quæ est triplex
      - Ad mensam. *cap. 38.*
      - Ad Collationem. *cap. 42.*
      - Priuata cuiusque. *Ibid.*
    - LABOR MANVALIS, cuius assignat horas, *cap. 48.*
- **SIBI, vt**
  - VITIA extirpet, quorum multa recensentur, *cap. 4.*
  - **VIRTVTES inserat**
    - HVMILITATEM, cuius scalam 12. gradibus vsque ad Charitatis culmen pertingentem depingit, *cap. 7.*
    - MANSVETVDINEM iræ moderatricem. *Instrum. 23. 24. Grad. 10.*
    - MODESTIAM in
      - Visu. *Grad. 12.*
      - Vestitu. *cap. 55.*
      - Risu. *cap. 4.*
      - Incessu. *cap. 22.*
      - loquendo, cuius circumstantiæ
        - Quando
        - Quid
          - Non mala.
          - Non scurrilia.
          - Non otiosa, vel risum mouentia. } *cap. 6.*
          - Non foris visa, vel audita. *cap. 67.*
        - Quomodo.
          - Leniter.
          - Sine risu.
          - Humiliter.
          - Cum grauitate. } *Grad. 11.*
          - Pauca verba.
          - Rationabilia.
          - Non clamosâ voce.
    - SILENTIVM, cui omni tempore STVDENDVM: maximè
      - post Completorium. *cap. 42.* & in
      - Mensa, *cap. 38.*
    - SOLITVDINEM, quæ seruatur vitando
      - Crebrum egressum.
      - Discursum per domum. *cap. 67.*
      - Societatem hospitum. *cap. 53.*
      - Accessum ad Fratres horis incompetentibus. *cap. 48.*
    - ABSTINENTIAM, & SOBRIETATEM. *Instrum. 35.*
- **FRATRIBVS.**
  - Dilectionem. *cap. 72.*
  - Honorem. *Ibid.*
  - Defectuum tolerantiam. *cap. 72.*
  - Adiutorium. *cap. 35. 36. 39. &c.*
  - Circumspectionem in conuersando. *cap 69.*

MONASTICI

Bipartita.

PARS POSTERIOR MONACHI OFFICIA.

Vis tuum Monache agnoscere officium? Attende, AD QVID VENISTI? nimirum AD

- Servandam Regulam. *cap.* 58.
- Abrenunciationem. *Prol.*
- Militiam. *Prolog.*
- Iter vitæ peragendum. *Prol.* & *cap.* 73.
- Scholam. *Prolog.*
- Servitium Sanctum. *cap.* 2. & 3.
- Honestam conversationem. *cap.* 73.
- Conversionem. *cap.* 58.
- Patientiam. *Prol.*

Hinc oportet te fungi officio.

- REGVLARIS.
- ABRENVNCIANTIS
  - Rebus & hominibus.
  - Voluntati propriæ.
  - Inani Gloriæ.
  - Huius Praxis
    - Eius sæpè meminisse.
    - Sæpè renouare.
    - Vitâ exprimere.
- MILITIS, cuius arma
  - Galea Spei.
  - Lorica iustitiæ.
  - Baltheus Castitatis.
  - Calceamenta obseruantiæ Euangeliorum.
  - Scutum Fidei.
  - Gladius verbi Dei.
  - Seruetque has leges, vt
    - Constanter pugnet.
    - Hostem vltrò inuadat.
    - Ad internecionem deleat.
    - Cum eo non conspiret.
    - Militem sæculi imitetur.
- VIATORIS Per tris Militaris viæ,
  - Purgatiuæ.
  - Illuminatiuæ.
  - Vnitiuæ.
  - Tendentis ad
    - Timorem Dei. *Grad.* 1.
    - Imitationem Christi. *cap.* 4.
    - Charitatem. *Grad.* 12.
- STVDIOSI, cuius
  - MAGISTRI
    - Deus, *Prolog. Reg.*
    - Sanctus BENEDICTVS. *Ibid.*
    - Abbas. *cap.* 2.
  - LECTIONES.
    - Regulæ in Congregatione. *cap.* 66.
    - Priuata certis horis. *cap.* 48.
    - Ad mensam. *cap.* 38.
    - Ad Collationem. *cap.* 42.
  - CLASSES.
    - Paupertatis. *cap.* 33.
    - Obedientiæ. *cap.* 5. & 71.
    - Silentij. *cap.* 6. & 42.
    - Virtuosè conuersandi. *cap.* 4.
    - Humilitatis & Charitatis. *c.* 7.
    - Orationis. *cap.* 20. & 52.
    - Patientiæ. *Prolog.* & *Grad.* 4.
    - Studendi Modus sit, vt
      - Auscultet.
      - Discendi desiderio flagrêt.
      - Doctrinam excipiat.
      - Efficaciter compleat.
      - PROLOG.
- SERVI DEI cui incumbit
  - Ei soli seruire.
  - Ei adhærere.
  - Nihil sibi iuris in se vindicare.
  - Omnia ad Dei gloriam referre.
  - Obedire Superiori vt Deo.
  - Non refugere aduersa.
- Honestè CONVERSANTIS per
  - Modestiam. *Grad.* 12.
  - Moderationem linguæ. *Grad.* 9.
  - Honestatem morum. *cap.* 73.
- CONVERSI A
  - Sæculo
  - Peccatis
  - Vitijs
  - Voluptate
  - Superbiâ
  - Vanitate
  - Cupiditate
  - Voluntate propriâ
  - Carne
  - Externis
  - Multitudine
  - Creaturâ
  - ad
    - Religionem.
    - Pœnitentiam.
    - Virtutes.
    - Continentiam.
    - Humilitatem.
    - Veritatem.
    - Charitatem.
    - Dei Voluntatem.
    - Spiritum.
    - Interna.
    - Vnitatem.
    - Creatorem.
    - Modus est, vt fiat in toto corde, & ad eum conuertatur cordis nostri
      - Amor.
      - Timor.
      - Gaudium.
      - Tristitia.
- PATIENTIS.
  - Dura
  - Contraria
  - Iniurias
  - Superiorem immitem.
  - *Grad.* 4.
  - Infirmitates Fratrum. *cap.* 72.

His subseruit pia EXERCITATIO exhibens perfectè operandi

- Stimulum.
- Adminiculum.
- Exemplum.
- Scopum.
- Ex Consideratione.
  - Mortis instantis. *Instrum.* 47.
  - Dei præsentis. *Grad.* 1.
  - Christi operantis. *Grad.* 2. & 3.
  - Diuinæ gloriæ per puram intentionem. *cap.* 5.

Totius verò REGVLÆ SVMMARIVM consistit in Abrenunciatione voluntatis propriæ, & perfectâ Obedientiâ.

- Ad quam excitat
  - Amor Dei.
  - Obligatio professionis.
  - Metus gehennæ.
  - Spes mercedis æternæ.
  - *cap.* 5.

DOCTRINA S. BENEDICTI

DISQVISITIO I.

Quid Religiosus Benedictinus Deo debeat?

Benedictini debita ad Deum.



ERGA *Deum*, Dominumq; nostrum *Iesum Christum* sex potissimùm S. BENEDICTVS Religiosis præscribit.

I. *Præsentia Dei.* PRIMVM, vt eum præsentem vbique concipiant: vnde ait: *In omni* Cap. 4. *loco Deum se respicere pro certo sciat.* Et: *Æsti-* Cap. 7. *met se homo de cælis à Deo semper respici; & facta sua omni loco ab aspectu Diuinitatis videri, & ab Angelis omni horâ Deo renuntiari.*

Eius duo modi traduntur. Duplicem autem modum concipiendi diuinam Præsentiam à sancto Patre nostro tradi inuenio. Prior, qui allatis iam verbis insinuatur, quo Deum, tanquam Agonothetem de cœlo nos in huius vitæ stadio currentes aspicere cōcipimus. Alter multò perfectior est, quo Deum, non iam in cœlo, aut circa nos, vel etiam nosipsos in Deo, vndique nobis aëris instar, circumfuso, cogitamus; sed Deum intimè nos penetrantem, & in nobis existentem, verè credimus. Subindicat hunc modum, & ad humilitatis custodiam aptissimum nobis S. Legislator commendat, cùm in Prologo ita loquitur: *Timentes Dominum, de bonâ obseruantiâ suâ non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnifi-* Psalm. 113. *cant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Iuxta hunc igitur modum minimè necessarium erit, vt homo magno conatu, & mentis eleuatione, cœlum petat, ibique Deum præsentem contempletur: sed in ipso animæ suæ fundo, per solam humiliationem, & recollectionem suiipsius, *Dei in se operantis* præsentiam inueniet. Quod ad humilitatis spiritum, & gratitudinis affectum fouendum, medium est accōmodatissimum: atque id beati in cœlo cāticum gratiarum actionis decantantes Deo, apud Isaiæ 26. 12. Isaiam dicunt: *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Atque hunc diuinæ Præsentiæ iugem intuitum vult Sanctus BENEDICTVS nobis esse instar fræni, ab omni malo retrahentis; quare ita infert: *Ergo si oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de cælo semper respicit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum: Et si ab Angelis nobis deputatis die noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur; cauendum est omni horâ, Fratres, sicut dicit in Psalmo Propheta; ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliquâ horâ aspiciat Deus: & parcendo no-*

A *bis in hoc tempore (quia pius est, & exspectat nos conuerti in melius) dicat nobis in futuro: Hæc fecisti; & tacui.*

SECVNDVM est, vt Deum timeat. *Timorem Dei* (inquit) *sibi semper ante oculos ponens, obliuionem omninò fugiat, & semper sit memor omnium quæ præcepit ei Deus; & qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt.* II. *Timor Dei.* Cap. 7.

Eodem spectat: *Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo* Instrum. 58.
B *confiteri: & de ipsis malis de cætero emendare.* Itemque illud, vt Religiosus; *reum se omni horâ de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari existimet.* Quâ piâ consideratione perterritus studeat; *actus vitæ suæ omni horâ custodire.* Gradu 12. Instrum. 48.

Quid autem aliud, quàm *Timorem Domini* inculcat, cùm monet, ita nos geramus, vt Deus, *qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari? Ita enim* In Prolog. Reg.
C *ei tempore de bonis suis in nobis parendum est, vt non solùm vt iratus pater, suos non aliquando filios exheredet: sed nec vt metuendus Dominus, irritatus malis nostris, vt nequissimos seruos, perpetuam tradat ad pœnam, qui eum noluerint sequi ad gloriam.*

TERTIVM est, in *Deo sperare* & confidere; vnde S. BENEDICTVS docet: *Spem suam Deo committere, & de Dei misericordiâ nunquam desperare.* III. *Spes in Deum.* Instrum. 41. Instrum. 72.

Quia autem *Spei* exercitium est oratio,
D huc omnia spectant, quæ de eâ inferiùs adducemus; & illud præsertim quod S. Pater monet: *Vt quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissimâ oratione deposcas.* In Prolog. Reg.

Ad *Spem* quoque pertinet, vt Monachus *securus de spe retributionis diuinæ, in ipsâ obedientiâ duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacitâ conscientiâ patientiam amplectatur.* Tale quoque est: *Si cui Fratri aliqua fortè grauia aut im-* Cap. 7. Gradu 4. Cap. 68.
E *possibilia iniunguntur, vt ex charitate confidens de adiutorio Dei, obediat.*

Item, vt in temporalium rerum penuriâ *Benedicat Deum, & non murmuret.* Cap. 40.

QVARTVM est, *Deum amare*, quod à suis Religiosis S. Pater cumprimis requirit. Quare in Nouitio curiose voluit obseruari, *Si verè Deum quærat.* Omnibusque præscribit, *Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute,* docetque Monachum, *Omnibus humilitatis gradibus ascensis,* IV. *Amor Dei.* Cap. 58. Cap. 7 in fine.

ad cha-

ad charitatem Dei peruenire illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuersa, quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non iam timore gehennæ, sed AMORE CHRISTI, *& consuetudine ipsâ bonâ, & delectatione virtutum:* Cùm autem probatio dilectionis exhibitio sit operis, & mandatorum Dei obseruatio, iuxta Ioan. 14. Instrum. 2. Christi pronuntiatum; *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit:* Hinc S. Pater præscribit, *præcepta Dei factis quotidie adimplere.* Atque toto capite 4. plurima commemorat Instrumenta bonorum operum, quæ sunt Iuris diuini, vt nimirùm Religiosus intelligat, peculiari & magis spirituali modo se ea obseruare debere, quæ Deus præcepit, vt charitatem Dei, in quâ perfectio Christiana consistit, se demonstret habere. Quantò autem plus est esse Religiosum, quàm Christianum, tantò etiam magis prælucere debet obseruantiâ diuinorum præceptorum, quæ omnibus Christianis sunt communia. Hinc monet S. BE- Gradu 1. NEDICTVS, vt Monachus *obliuionem omninò fugiat, & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus.*

Cùm autem Monastica vita perpetuum sit Obedientiæ exercitium; hanc ipsam ex diuini Amoris radice non tam Superioribus, Cap. 5. quàm Deo in ipsis vult exhiberi: *Quia,* vt ait, *Obedientia, quæ Maioribus præbetur, Deo exhibetur.* Exigit insuper, *vt quis pro Dei* Cap. 7. *amore omni Obedientiâ se subdat Maiori.* Et alibi vrget, vt in grauibus & impossibilibus, Cap. 68. *ex Charitate obediat.*

V. Dei glorificatio. QVINTVM Deo debitum est, Honor & Gloria, Laus & gratiarum actio. Quod fit, Cap. 16. dum certis *temporibus referimus laudes Creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ; & nocte surgimus ad confitendum ei.*

Quod verò vnumquemque concernit, Instrum. 42. operam det, vt *bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi.* Nam vt alibi di- In Prolog. Reg. cit: *Timentes Dominum, de bonâ obseruantiâ suâ non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Prophetâ dicentes: Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da Gloriam.* Vt autem Deo tanquam bonorum operum Auctori honor debetur & gloria, ita & pro ijsdem eidem agendæ sunt gratiæ. Et hanc S. BENEDICTI esse mentem, nullus, vt arbitror, ambiget, qui expenderit; quo coquinæ hebdomadario post expletum Ministerij sui laborem præscripserit tertiò dicere: Cap. 36. *Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me.* Quod sanè spiritualibus expletis operibus, maiori crediderim iure dicendum.

A SEXTVM quod huc spectat, est IESVM CHRISTVM, Dei Filium imitari. Hùc enim Monasticæ vocationis scopum, omnisque Obedientiæ finem, S. P. BENEDICTVS videtur constituere, dum in ipso Regulæ exordio ait: *Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians proprijs voluntatibus, Domino Christo vero regi militaturus, obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumis.* Ex quo constat, voluntatis propriæ abnegationem, & obedientiæ laborem eò à S. Patre referri, vt Iesu Christo regi nostro B militemus, eumque, vt milites Ducem, sequamur. Quod & alibi inculcat, cùm inter Instrumenta bonorum operum recenset; *Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.* Et de *Obedientiâ sine morâ* ait: *Hæc conuenit ijs, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant.* Obedientes verò ait, illam Domini imitari sententiam, quâ dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.*

DOCTRINA S. BENEDICTI VI. Imitatio Iesv Christi. In Prolog. Reg. Quam plurimis vrget S. Benedictus. Instrum. 10. Cap. 5. Ioan. 5.

Ad hanc *Christi imitationem* spectat, *vt passionibus Christi per patientiam participemus.* C Et illud quoque: *Nihil amori Christi præponere;* &: *In Christi amore pro inimicis orare.*

In Prolog. Reg. Instrum. 21. & 69.

Vt autem faciliùs sit *Christum imitari,* monet nos: *Omnes in Christo vnum esse, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulare.* Hinc est quod in proximis voluerit nos Christum respicere, & honorare. Quare de Superiore ait: *Abbas autem quia vices Christi agere creditur, Dominus & Abbas vocetur; non suâ assumptione, sed honore & amore Christi.* De infirmis præscribit: *Vt* D *sicut reuera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me.* Similiter de hospitibus: *Tanquam Christus,* inquit, *suscipiantur, quia ipse dicturus est: hospes fui, & suscepistis me.*

Varijs motiuis. Cap. 2. Cap. 63. Cap. 36. Cap. 53.

Quoniam autem Dilectus Iesu Discipulus ait: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare;* audiamus S. P. BENEDICTI admonitionem, *Et succinctis fide, vel obseruantiâ bonorum actuum lumbis nostris, & calceatis in præparatione Euangelij pacis pedibus, pergamus itinera* E *eius: vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno suo videre.*

1. Ioan. cap. 2. In Prolog. Reg.

DISQVISITIO II.

Quid Religiosus suo debeat Superiori?

POST Deum Monachus illi potissimùm obstrictus est, qui Dei nomine ei præest, & Christi vices agere creditur, Abbas vel Superior. Erga hunc cor debet gerere amantis & obedientis filij, & ex affectu filiali, ei quatuor hæc impendere, Superiori debet subditus.

Tt 2 *Amorem,*

DOCTRINA S. BENEDICTI. *Amorem, Reuerentiam, Obedientiam,* & *manifestationem cogitationum:* de quibus singulis ità statuit S. BENEDICTVS.

I. Amorem. Cap. 72. *Primò,* de *Amore, Abbatem,* inquit, *suum sincerâ & humili Charitate diligant.*

II. Reuerentiam. Cap. 63. *Secundò,* de *Reuerentiâ,* vt in appellatione *Dominus & Abbas vocetur, non suâ assumptione, sed honore & amore Christi.*

Cap. 6. *Si qua requirenda sunt à Priore, cùm humilitate & subiectione reuerentia requirantur, ne videatur plùs loqui quàm expedit.*

Cap. 3. Ad Consilium vocati ab Abbate, *sic dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procacter defendere, quod eis visum fuerit; sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit, ei cuncti obediant.*

Ibid. *Neque præsumat quisquam cum Abbate suo proternè intus vel foris Monasterio contendere.*

Cap. 71. *Si quis frater pro quauis minimâ causâ ab Abbate, vel à quocumque priore suo corripitur quolibet modo; vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscumque contra se iratum, vel commotum quamuis modicè; mox sine morâ tam diu prostratus in terrâ ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio.*

III. Obedientiam. Cap. 4. Instrum. 60. *Tertiò,* de *Obedientiâ* vnumquemque instruit: *Præceptis Abbatis in omnibus obedire: etiamsi ipse aliter (quod absit) agat.* Et, *nihil quamuis paruum, sine Abbatis iussione facere.*

Cap. 67. Cap. 78. Quò spectat etiam, quod alibi ait: *Abbatis aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, non permittimus priuata imperia præponi.* Quin & illud, quod pro augmento ad solitum pensum seruitutis suæ, in quadragesimæ diebus Deo quisque offert, Abbati vult suggeri; vt *cum eius fiat oratione & voluntate:* Cap. 49. *quia quod sine permissione Patris Spiritualis fit: præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.* Plura vide Disquisit. 4. §. 3.

IV. Manifestationem cogitationum. Cap. 17. *Quartò,* cùm Spiritualis Medici munus Superior subeat, quem S. Pater monet, vt *nouerit se infirmarum curam suscepisse animarum;* Hinc subditi eidem vulnera sua, & tentationes, atque ipsum animæ statum interiorem, manifestare fas est. Præscribit Legislator: Instrum. 50. *Cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & Seniori Spirituali patefacere.* Et quintum Humilitatis gradum statuit: Cap. 7. grad. 5. *Si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconditè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.* Quare etiam cum præscribit, Cap. 46. vt qui alicubi *deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, continuò ante Abbatem, vel Congregationem, vltrò satisfaciat, & prodat delictum suum;* magna discretione A adiecit: *Si animæ verò peccati caussa latens fuerit, tantùm Abbati, aut Spiritualibus Senioribus patefaciat: qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere aut publicare.*

DISQVISITIO III.

Vt erga Religionem, siue Ordinem suum, se Monachus gerere debeat?

DEVS, qui patrem & matrem honorari præcepit, ijs qui pro eius amore abrenunciantes sæculo, carnales reliquerunt parentes, de spiritualibus eorum loco prouidit. (Religio mater nostra.) B Vt enim Superior cuique Religioso est vice Patris; non secus ipsa *Religro,* siue *Ordo Monasticus* eidem se exhibet *Matrem,* quæ eum iterum parturiat, donec formetur Christus in illo. Quò Salomonis illud spirituali sensu referas. Prouerb. 1. *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ:* Religionis scilicet Monasticæ. Cuius lex ipsa Regula. Matri huic cor & affectum filij pius Cœnobita debet: (Quæ illi debeamus.) C & ex eo tria hæc erga illam obseruare; *Vota* scilicet, *Regulam,* & præscripta ab eâ, vel in Ordine usitata *Exercitia:* de quibus ex Sancti BENEDICTI mente deinceps dicendum.

DISQVISITIO IV.

Quid de Votis Monasticis S. BENEDICTVS *præscribat?*

QVINQVE sunt *Vota,* quæ in professione Cœnobita Benedictinus edere censetur. (Benedictinorum vota quinque.) D *Stabilitas, Conuersio morum, Obedientia, Paupertas, & Castitas.* Quamuis enim duorum posteriorum in BENEDICTINA Professione nulla fit mentio, ad illa tamen etiam se Religiosi obligant: cùm adeò sint essentialia, vt sine illis Religiosus nemo esse queat, vt patet in Decretali, *cùm ad Monasterium,* de Statu Monachorum. Sed hæc *Paupertatis, & Castitatis* vota in aliquo præcedêtium censentur inclusa, (Duo in vno includuntur.) & eo ipso quo illa exprimuntur, & hæc voueri censentur. E Quare Bernardus Cassinensis ait, (Bernard. Cassin. in spec. part. 2. c. 10.) abdicationem proprietatis, & obseruationem cõtinentiæ salutaris in *morum Conuersione* includi. S. verò Thomas, (2. 2. q. 186. art. 8. in corp.) *votum* ait *Obedientiæ continet sub se alia vota: nam Religiosus etsi teneatur ex voto Continentiam seruare, & Paupertatem, tamen hæc etiam sub Obedientiâ cadunt.* Sed de hac quæstione alibi pluribus: nunc de singulis Votis compendio agamus.

§. I.

§. I.

De Stabilitate.

I. *Votum Stabilitatis.* PRimum in Benedictinâ professione Votum est, *Stabilitas*, quod quale sit, ipsemet Legislator noster expressit, cùm
Cap. 58. de Nouitio ità statuit: *Suscipiendus in Oratorio coram omnibus promittat de* Stabilitate *suâ, & si habitâ secum deliberatione, promiserit omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, & promiserit de* Stabilitate *suâ perseuerantiam; suscipiatur in Congregatione, sciens lege Regulæ constitutum, quod ei ex illâ die non liceat de Monasterio egredi* (absque Superioris licentiâ) *nec collum excutere de sub iugo Regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit recusare aut suscipere.* *Quid de eâ sanxerit S. Benedictus.*

Secundò, vt hanc loci *Stabilitatem*, & perseuerantiam in Monasterio B. P. ostenderet non debere esse otiosam; sed continuâ solidarum virtutum exercitatione negotiosam: vocauit eam *officinam bonorum operum*,
Cap. 4. ità loquens: *Officina vbi hæc omnia* (Instrumenta bonorum operum) *diligenter operemur, claustra sunt Monasterij, &* Stabilitas *in Congregatione.*

Tertiò, aperit idem Legislator in quem finem hæc *Stabilitas* dirigenda sit; ad Christi mirum imitationem, & æternæ vi-
In Prolog. Reg. tæ per eam adeptionem. *A Christi Magisterio numquam discedentes, in eius doctrinâ vsque ad mortem* in Monasterio perseuerantes, *passionibus eius per patientiam participemus, vt & regni eius mereamur esse consortes.*

§. II.

De Conuersione morum.

II. *Votum Conuersionis morum.* SEcundum Monasticæ professionis votum est, *Conuersio morum*. De quo B. P.
Cap. 58. N. ita decreuit: *Promittat suscipiendus* (Frater Nouitius) *in Oratorio Conuersionem morum suorum.*

Ad *morum* porrò *Conuersionem* vel maximè spectat, quod inter Instrumenta bonorum operum retulit: *A sæculi actibus se facere alienum.* Et quæ infrà dicemus de ijs, quæ Monacho fugienda, vel facienda; præsertim verò de Modestiâ, Moderatione Linguæ, alijsque Virtutibus.

§. III.

De Obedientiâ.

III. *Votum Obedientiæ, in quo quatuor consideranda.* TErtium & præcipuum Religionis nostræ votum est, *Obedientia*, de quâ multa passim S. P. N. BENEDICTVS in Regulâ suâ digessit, quæ vt analyticâ Methodo disponamus, considerandum est in

A *Obedientiæ* operibus quatuor attendi posse. *Primò*, præcepti Materiam, siue id quod faciendum iniungitur. *Secundò*, personam præcipientem. *Tertiò*, modum quo præcepti executio est facienda. *Quartò*, finem propter quem Obedientia adimplenda suscipitur. DOCTRINA S. BENEDICTI

Quoad *Primum*, vult Religiosos in omnibus omninò rebus vsque ad *impossibilia Obedientiam* exercere. *Si cui Fratri aliqua forte grauia aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine & Obedientiâ. Quod si omninò* *Primum. Materia præcepti.* Cap. 68.
B *virium suarum mensuram viderit pondus excedere; impossibilitatis suæ caussas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam, in suâ sententiâ Prioris imperium perdurauerit: sciat iunior ità sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei, obediat.* Vbi nota subiectionem commendari.

Secundò, quoad personam præcipientem statuit, vt Religiosus ante omnia *pro Dei amore omni Obedientiâ se subdat Maiori.* Deinde *Secundum, Persona præcipiens.* Cap. 7. grad. 3.
C præcipit etiam, vt æqualibus ac sibi inuicem obediant Fratres, *Obedientiæ bonum*, inquit, *non solùm Abbati exhibendum est ab* Cap. 71.
omnibus, sed etiam sibi inuicem ita obediant Fratres, scientes se per hanc Obedientiæ viam ituros ad Deû. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio (*cui non permittimus priuata imperia præponi*) *de cætero omnes iuniores Prioribus suis omni charitate & sollicitudine obediant.* Et cap. 72. *Obedientiam sibi certatim impendant.*

Tertiò, modum Obedientiæ præscribit *Tertium. Modus, eius conditiones 4.*
D prorsus perfectissimum, cuius perfectio hisce quatuor conditionibus continetur.
Prima est, vt sit VELOX: Hanc ità ipse Legislator describit. *Mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, morâ pati nesciunt in faciendo: sed relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquêtes, vicino Obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur, & velut vno momento prædicta Magistri iussio, & perfecta discipuli opera, in* VELOCITATE 1. *Vt sit velox Obedientia.* Cap. 5.
E *timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur. Hæc Obediêtia tunc est acceptabilis Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur, non tardè, non tepidè efficiatur.* Quibus vltimis verbis non modò obediendi volûtas, sed & feruor ac diligentia tanquam comites Obedientiæ adijciuntur, vt quæ tarditatem, & teporem omnem excludant.

Secunda conditio est, vt sit *Cæca*, à Patribus tantopere laudata, quæ in eo consistit, 2. *Vt sit cæca.*
vt proprium quis abneget Iudicium; vnde
S. BENEDICTVS: *Vt non suo arbitrio viuêtes,* Ibid.

 vel

DOCTRINA S. BENEDICTI *vel desiderijs suis & voluptatibus obedietes; sed ambulantes alieno iudicio & imperio, in Cœnobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderant.* Hinc requirit, vt Obedientia *non tepidè, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur;* volens vt ne quidem *corde murmurent*, aut interiorem contradictionem admittant. Cùm autem in ijs, quæ videntur rationi contraria, aut aliquo modo impossibilia, maximè intellectus captiuandus sit in obsequium sanctæ *Obedientiæ*, & proprium abnegandum iudicium;
Cap. 68. prudentissimè S. Pater monuit: *Sciat iunior ità sibi expedire:* ac si diceret; Non diiudicet, non arguetur, etiamsi virium suarum mensuram pondus excedat, allegatâ semel suâ impotentiâ, & persistente Superioris imperio, *sciat ità sibi expedire.*

3. Bono sit animo. Cap. 5. *Tertia* conditio est, vt ex *bono animo* obediat. *Obedientiam* enim, verba sunt sanctissimi Magistri nostri, *cùm bono animo à discipulis praberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus.* In hanc conditionem impingit is, qui cum *murmure, aut responsione nolentis*, opus imperatum exequitur: de quo ita
Ibid. idem Pater: *Cum malo animo si obedit discipulus, & non solùm ore, verùm etiam in corde si murmurauerit; etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam; imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.*

4. Obedientia sit patiens. Cap. 7. grad. 4. *Quarta* conditio, vt sit *patiens* ac *perseuerans. In ipsâ Obedientiâ duris & contrarijs rebus*, inquit S. BENEDICTVS, *vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tantâ conscientiâ patientiam amplectatur, & sustinens non lassescat, vel discedat.*

Quartum in obedientiâ considerandum, est finis. Cap. 5. Quoad *quartum, finem* scilicet, quem quisque sibi in obediendo statuit, is ex S. BENEDICTI instructione quadruplex esse potest. Primus isque infimus, *Propter metum gehennæ.* Secundus, *propter gloriam vitæ æternæ.* Tertius, *propter seruitium Sanctum quod professi sunt*, id est, vt vota sua quæ in professione emiserunt, Domino Deo reddant. Quartus, *propter amorem Dei:* Vnde
Cap. 7. ait tertium Humilitatis gradum esse: *Vt quis pro Dei amore omni Obedientiâ se subdat Maiori.* Sed fines hos, tamquam totius Regulæ obseruandæ stimulos, ad finem
Tres Stimuli ad obediendum. Part. 2. Disquis. 13. huius *Catechismi* rursus expendemus. Hîc verò tres ijs non prorsus absimiles ex S. BENEDICTI Regulâ Stimulos, quibus suos ad obediendum vrget, breuiter proponemus.

Primus. *Primus* est, inobedientiæ pœna, & Obedientiæ præmium, de quibus sic scribit:
Cap. 7. grad. 2. *Propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere;* sciens quòd propria *voluntas habeat pœnam: necessitas* verò (quam Obedientia imponit) *pariat coronam.*

Secundus. *Secundus* Stimulus est, quod non homini, sed Deo obediatur; vnde vult Deum in persona Superioris concipi. Quod insinuat cùm ait: *Abbas Christi vices agere in* Cap. 2. *Monasterio creditur.* Hinc quæ præcipit, *ac si diuinitus imperentur*, exequi vult. *Quia* Cap. 5. *Obedientia, quæ Maioribus prabetur, Deo exhibetur. Ipse enim dicit: Qui vos audit, me audit.*

Tertius, ex imitatione Christi. *Tertius* Stimulus est, exemplum & imitatio Christi Saluatoris nostri. Vnde ait de Religiosis, *qui ambulantes alieno iudicio & imperio, in Cœnobijs Abbatem sibi præesse desiderant: Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, quâ dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ioan. 5.
Alibi quoque hortatur, *vt propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere; sed vocem illam Domini factis imitetur; dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ac deinde ait; vt qui *omni Obedientiâ se subdit Maiori*, Dominum imitetur, de quo dicit Apostolus: *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ex quibus constat, quòd voluerit S. P. N. filios Obedientiæ respicere *in Auctorem fidei & Consummatorem Iesum*, tanquam perfectissimum Obedietiæ speculum & exemplar; qui cùm didicerit *ex ijs, quæ passus est, Obedientiam; factus est omnibus obtemperantibus sibi caussa salutis æternæ.* Quæ etiam Sanctus BENEDICTVS de Obedientiâ tractaturus, statim in ipso sermonis exordio dixit, *Eam conuenire his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant.*

Cap. 7. grad. 2. — Grad. 3. — Hebr. 12. — Ibid. 5. 9.

§. IV.

De Castitate.

IV. Votum Castitatis. CAstitatis votum professioni nostræ tacitè includitur: de quo etiam suos S. Pater non intermisit instruere. Et

Eius seruandæ media à S. Benedicto tradita. *Primò* quidem, inter Instrumenta bonorum operum ponit, *Castitatem amare.* Eiusdemque præsidia hæc suggerit.

Cap. 4. Afflictio corporis. *Corpus castigare; delicias non amplecti; ieiunium amare; non esse vinolentum, non multùm edacem, non somnolentum; A sæculi actibus se facere alienum.*

Malarum cogitationum, cogitationum. Cap. 7. *Secundò*, inbet vigili curâ attendi ad cogitationes, *vt sollicitus sit*, inquit, *circa cogitationes suas peruersas, dicat semper humilis Frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate meâ.* Ac deinde ostendit remedium, ad quod in conflictu malarum cogitationum confugiendum

Cap. 4. Instit. 50. giendum est: nempe, *Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefacere.*

Desideriorum proscriptio. Ibid. Cap. 7. grad. 1. *Tertiò*, quia ex cogitationibus oriuntur carnalia desideria, mandat *desideria carnis non perficere*: quomodo verò id fiat, clarijs alibi aperit, dicens: *Custodiens se omni horâ à peccatis & vitijs, id est, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ, sed & desideria carnis amputare festinet.* Ac si diceret; qui peccandi occasiones, lubricas cogitationes, oculorum, aliorumque sensuum euagationes sollicitè cauerit, is carnis desideria tali studio facilè amputabit. Quæ quàm noxia sint animæ, vt ab ijs prorsus abstinerent, manifestare non neglexit. Ibid. *Cauendum*, inquit, *ideò malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde Scriptura præcipit, dicens: Post concupiscentias tuas non eas.*

Memoria diuinæ præsentiæ. Ibid. *Quartò* tandem, contra hæc carnalia desideria antidotum præscribit efficacissimum; Memoriam diuinæ præsentiæ. *In desiderijs verò carnis ita Deum nobis credamus semper esse præsentem, cùm dicit Propheta Domino: Ante te est omne desiderium meum.* Hoc qui assiduè mente reuoluerit, ab omni actu carnali facilè immunis erit.

§. V.

De Paupertate.

V. Paupertas, quàm accuratè seruari mandat S. Benedictus. Cap. 33. PAupertatem valdè exactam atque perfectam in suis Cœnobitis S. P. BENEDICTVS requirit, quæ in his potissimùm consistit.

In receptione. *Primò, Omnia verò necessaria à Patre Monasterij sperare: nec quidpiam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat, aut præsumat.*

Ibid. Proprij extirpatione. *Secundò*, vt eliminetur proprietas & peculium: de quo ipsum iuuerit audire Legislatorem: *Præcipuè hoc vitium amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine iussione Abbatis*: neque aliquid habere proprium, *nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propriâ potestate.* Ecce, quot & quàm grauibus verbis *Proprium* è Monasterio proscribat; de

Cap. 54. quo rursus alio loco. *Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem litteras, aut eulogias, vel qualibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam à parentibus suis ei quidpiam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fue-*

A *rit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, aut illud iubeat dari. Et non contristetur Frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.* DOCTRINA S. BENEDICTI

Vsu rerum vilium: Cap. 7. grad. 6. *Tertiò*, Ad Paupertatis quoque cultum spectat, quod gloriosus Patriarcha ait: *Vt omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus.* Vnde in vestibus id adhiberi vult, *quod vilius comparari potest*, districtè inhibens, ne de earum *colore aut grossitudine causentur Monachi.* Cap. 55.

B Et necessariarum. *Quartò*, spectat & illud, vt non alia quàm necessaria desideret, & paucissimis contentus sit, etiamsi alij plura haberent: in quo casu ait S. BENEDICTVS: *Qui minùs indiget, agat Deo gratias, & non contristetur, aut murmuret.* Cap. 34.

DISQVISITIO V.

Quid de Regulæ obseruatione S. BENEDICTVS statuat?

C SEcundum, quod post essentialia vota Religiosus Ordini, & Religioni suæ, tanquam matri, filiali affectu impendere debet, est diligens custodia, & obseruantia Regulæ secundùm quam professus est. Religiosus debet Religioni Regulæ obseruantiam. Hæc enim liber ille est, qui in Scholâ illâ, quam S. P. BENEDICTVS construxit, assiduè prælegitur, & discipulis ediscendus proponitur. De quo ista præscribit: *Post duorum mensium circulum legatur ei* (Nouitio) *hæc Regula per ordinem, & dicatur ei:* Ideò toties Regula legitur. Nouitijs. Cap. 58.

D *Ecce Lex, sub quâ militare vis, si potes seruare, ingredere; si verò non potes, liber discede.* Nec semel legisse sat est, sed, *Si adhuc steterit, ait, ducatur in cellam Nouitiorum, & iterum probetur in omni patientiâ. Et post sex mensium circulum relegatur ei Regula, vt sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum legatur ei hæc eadem Regula.* Tertiò ergò tyrocinij tempore tota Regula Nouitijs est proponenda; quoad Professos verò ita statuit.

E Professis. Cap. 66. *Primò*, mandat frequentem & publicam Regulæ lectionem. *Hanc autem sæpiùs volumus in congregatione legi, ne quis Fratrum de ignorantiâ se excuset.*

Vt eam sequantur. Cap. 7. Gradu 8. Cap. 3. *Secundò, Nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.* Et multò clariùs: *In omnibus omnes Magistram sequantur Regulam, neque ab eâ temerè declinetur à quoquam.*

Quia initium est Conuersationis. Cap. 71. *Tertiò*, Finem propter quem Regulam scripserit aperit. *Regulam autem hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstraremus habere.*

DOCTRINA S. BENEDICTI

Deducit ad Patriam.

Quartò, proposito præmio ad Regulæ obseruantiam hortatur. *Quisquis ergò ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice.*

DISQVISITIO VI.

Quid de Exercitijs Ordinis obseruandis in Regula præscriptum?

Quanti referat Exercitia Ordinis obseruare.

POST diligentem Regulæ custodiam *tertio* loco debet Cœnobita *Exercitia Ordini suo peculiaria* piè & feruēter implere, credens in illorum obseruātiâ, magnam religiosæ perfectionis partem cōstitutam. Illa enim sunt quotidianum nostræ seruitutis pensum, quod fideliter, & cum spiritu certis horis Domino reddendum. Prudenter proinde Bernardus: *Singulis horis secundùm communis instituti canonem tua distribue* EXERCITIA, *cui spiritualia, spiritualia; cui corporalia, corporalia; in quibus se exoluat omne* DEBITVM: *Spiritus Deo, corpus spiritui, vt si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore, non abeat impunitum, vel irrecompensatum.* Caussam verò reddit Thomas à Kempis; quia *leuis omissio exercitiorum vix sine aliquo dispendio transit.* Quare notari velim quæ Auctor recentior in hæc verba scripsit: Scias Deum vnumquemque vocare non tantùm ad statum certum; sed certam viam ac gradum in hoc vel illo statu: quæ sunt EXERCITIA aliqua, quibus si homo insisteret, ad perfectionem venire posset, & non aliter. Hinc verò ferè est principiū apostasiæ à FINE ET VOCATIONE RELIGIOSA, quòd parua in speciem propria statui; re verò magna negligantur; & interrumpantur EXERCITIA; atque fluxus diuinæ gratiæ retardetur. Legislator verò noster volens à suo Ordine otium, omnis iniquitatis matrem, excludere, ita tempus omne dispertijt, vt nihil eius remaneret, quod non certis *Exercitijs* esset deputatum. *Exercitia* autem illa sunt quatuor. Primum est, *Officium Diuinum;* Secundum, *Oratio;* Tertium, *Lectio;* Quartum, *Labor manualis.*

Bernard. in Epistol. ad Fratres de monte Dei.

Lib. 1. de Imit. Christi cap. 19. Anton. Sucquet lib. 2. viæ vitæ æternæ cap. 34.

Quid de ijs S. Benedictus decernat.

§. I.

De Officiô diuino.

CIrca diuinum Officium, quod *Opus Dei* Sanctus BENEDICTVS peculiariter vocauit, hæc obseruanda proponit.

I. *Circa diuinum Officium.* Cap. 16.

PRIMÒ, Quid nomine *Operis Dei* intelligatur, describit his verbis: *Vt ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorijq́ tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus.* In quem verò finem? subdit. Vt his *temporibus referamus laudes Creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ: & nocte surgamus ad confitendum ei.*

In quo commendat.

SECVNDÒ, Præcipit *festinum* ad opus Dei *occursum. Ad horam Diuini Officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus,* summâ cum festinatione curratur: *cùm grauitate tamen, vt nō scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur.* Alibi monet, vt *festinent inuicem se præuenire ad Opus Dei, cùm omni grauitate & modestiâ.* Et pœnam in serò venientes decernit cap. 43.

Festinum occursum. Cap. 43. Cap. 22.

TERTIÒ, Sub ipsâ psalmodiâ admonet *Deum præsentem* esse concipiendum. *Vbique,* inquit, *credimus Diuinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos: maximè tamē hoc sine aliquâ dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum assistimus. Et consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu Diuinitatis & Angelorum eius esse.*

Præsentis Dei memoriam. Cap. 19.

QVARTÒ, *Attentionem* monet adhibendam: *Sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.*

Attentionem. Ibid.

QVINTÒ, decētem *ordinem & honestatem* in psallendo obseruari vult. *Psalmos vel antiphonas post Abbatē ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant. Cantare autem, aut legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore faciat, & cui iusserit Abbas.*

Honestatem. Cap. 47.

Si quis, dum pronuntiat Psalmum, Responsorium, aut Antiphonam, vel lectionem, fallitur: nisi cum satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit; maiori vindictæ subiaceat quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentiâ deliquit.

Cap. 45.

SEXTÒ, *Reuerenter* ab officio exeundum. *Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo.*

Reuerentiam. Cap. 52.

§. II.

De Oratione mentali siue Meditatione.

CVM vitam Contemplatiuam tāquam scopum Ordini suo S. BENEDICTVS proposuerit, vt omnium Auctorum consensus est, non satis habuit Religiosos suos eò dirigere per publicam diuini Officij recitationem: verùm & per prælectionis, & meditationis, siue mentalis Orationis exercitia, eos ad destinatum finem tendere voluit. At quamquam videri possit contem-

S. Benedictus solicitè Monachos dirigit ad Contemplationem.

Per meditationem. contemplationis ac meditationis vsum, vt notum satis, atque ex communi antiquorum Monachorum vsu iam tum receptum supposuisse; adeòque de eo peculiarem mentionem (vt nonnullis visum) in Regulâ non fecisse; non desunt tamen euidentia testimonia, quæ mentem eius de tam vtili, ac Religiosis prorsus necessario exercitio, luculenter satis aperiant. Nam præterquam quòd hortetur Monachos, *Orationi frequenter incumbere*, quod tam de mentali, quàm vocali intelligi potest; vult

Quam expressit in Regulâ.

Cap 4.

Agens de Nouitiis. Cap 58.

PRIMÒ, Nouitium recèns admissum fessim probari in *Cella nouitiorum, vbi* MEDITETVR*, manducet, & dormiat.* Alibi sic ait: *Quod verò restat post vigilias, à Fratribus, qui psalterij vel lectionum aliquid indigent*, MEDITATIONI *inseruiatur.*

Cap 8.

Materiam meditandi designans. Cap 4.

SECVNDÒ, Materiam Meditationis subministrat, cùm præscribit: *Mala præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Mortem ante oculos habere; diem Iudicij timere. Gehennam expauescere: vitam æternam omni concupiscentiâ spiritali desiderare.* Quod nihil est aliud, quàm præscribere nouissimorum quotidianam meditationem.

Item affectus, qui in Meditatione eliciendi. Cap. 20.

TERTIÒ, qui affectus in oratione excitandi sint, & qualis ipsa esse debeat, insinuat, cùm de reuerentia orationis sic præscribit: *Si, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reuerentiâ: quantò magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideò breuis debet esse & pura oratio: nisi fortè ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur.* Quis hîc non videat mentalem potiùs, quàm vocalem describi orationem? in illâ enim magis, quàm in hâc puritas deuotionis, compunctio lacrymarum, inspiratio diuinæ gratiæ, communicatur & sentitur. Quare Antonius Perez in Commentario Regulæ ait, hîc agere Sanctum BENEDICTVM de Oratione priuatâ & particulari, quâ priuatim quisque apud seipsum, siue corde tantùm, siue corde simul & ore Deum precetur. Eodem ferè modo alibi S. BENEDICTVS habet, vt *Frater, qui sibi peculiariter, vel secretiùs vult orare, oret, non in clamosa voce, sed in lacrymis & intentione cordis.* Vbi secretæ orationis nomen, lacrymæ, intentio cordis, exclusio vocis clamosæ, satis manifestè arguunt præter canonicum officium tempore S. BENEDICTI in vsu fuisse alias orationes, quas mentales potiùs, quàm vocales fuisse, adeoque maioris efficaciæ, rectè putat

Et alia ob saciunt.

A Cardinalis Turrecremata; quare etiam ab his S. BENEDICTVS voluit neminem impediri alterius improbitate, sed eum, *qui simile opus non facit, non permittit expleto opere Dei remorari in oratorio.* *DOCTRINA S BENEDICTI*

QVARTÒ, Consuetudinem prædictam à Regulâ satis insinuatam, manifestiùs comprobat praxis Monachorũ primitiuorum ipso S. BENEDICTO adhuc viuente; quam S. Gregorius declarat, referens Monachum quemdam, qui ad orationem stare non poterat, sed mox vt se Fratres ad studium orationis inclinabant, egressum foras, & B mente vagâ terrena aliqua ac transitoria egisse, de quo actum in Commentario ad S. BENEDICTI vitam. *Vita ipsius S. Benedicti.* *Lib. 1. Dialog. cap 4.*

§. III.

De examine Conscientiæ.

CONscientiæ discussio vel Orationis mentalis pars est, vel ante eam vtiliter exerceri conuenit; vt *Iustus in principio orationis accusator sit sui*, & in Oratione pro delictis suis deprecetur; quare quid C de eo S. P. BENEDICTVS decreuerit, hoc loco videndum. An non Conscientiæ examen præscripsisse censendus est, cùm Monachum moneat, *Actus vitæ suæ omni hora custodire?* Et: *Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipsis malis de cætero emendare?* *Quid S. Bened. de examine Conscientia statuerit.* *Instrum. 48.* *Instrum. 58.*

In quibus verbis non difficile est omnes Examinis partes annotare: nempe: 1. peccatorum discussionem. 2. dolorem pro ijs assumptum. 3. veniæ petitionem. 4. emendandi propositum. Quas piarum rerum D scriptores luculentiùs exponunt.

Fuit porrò hæc in se inquirendi cura Sancto Patri Nostro familiarissima. Exponens enim Sanctus Gregorius, quomodò solus habitauerit secum, ita ait: *Hunc ergo venerabilem virum* (BENEDICTVM) *secum habitasse dixerim: quia in suâ semper custodia circumspectus, ante oculos Conditoris se semper adspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.* Quod sanè aliud nihil est, quàm dicere eum quotidie & fortè etiam sæpiùs examini Con- E scientiæ vacasse. Quod verò Sanctus Gregorius paulò pòst subdit: *Venerabilis igitur* BENEDICTVS *in illa solitudine habitabat secum*, in quantum se intra cogitationis claustra *custodiuit.* Quid aliud est, quàm doctrinam suam præcurrere exemplo; & antè facere, quod posteà doceret; nempe, *Actus vitæ suæ omni hora custodire?* Vtinam omnes tanti Patris Filij hæc vestigia imitarentur, seque semper aspicientes, semper examinantes, interrogarent: Quid facis anima mea? quid dicis? *Greg. Dial. lib. 2.* *Et exemplo ostenderit.* *Formula examinis.*

dicis? quid cogitas? exercésne iam aliquam virtutem? Deúmne præsentem cogitas? Omne tempus sibi perijsse reputantes, quo non aliquod malum suum correxerint. Nam, vt Regula nostra dicit, *propter emendationem malorum, huius vitæ dies ad inducias nobis relaxantur.*

In Prolog. Reg.

§. IV.

De Lectione.

SPiritualem *Lectionem* (in quâ ex Sanctorum sensu Deus nobis loquitur, vti B nos in oratione Deo) frequenter S. P. BENEDICTVS commendat.

PRIMÒ in genere: inter Instrumenta enim bonorum operum ponit: *Lectiones sanctas libenter audire.* Et alibi ait; *Certis horis occupari debent Fratres in lectione diuinâ.* Atque ibidem horas omnes, quibus pro diuerso anni tempore, *Lectioni* vacandum est, accuratissimè determinat.

Instrum. 56.

SECVNDÒ, triplex est *Lectio* à Regulâ præscripta. *Prima* ad mensam, de quâ cap. 38. & fit ab vno audientibus omnibus; vt C sicut corpus cibo, ita anima pascatur Lectione. Sacra enim Lectio est mentis refectio. *Secunda*, est Lectio Collationis, de quâ capite 42. *Omni tempore, siue Ieiunij, siue prandij, mox vt surrexerint à cœnâ, sedeant omnes in vnum; & legat vnus Collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes. Tertia*, est Lectio particularis, quam quisque sibi facit quotidie, de quâ in cap. 48. agitur: eaque, vt apparet ex mente S. BENEDICTI in cellis aut alijs locis seorsim ab vnoquoque in- D stituēda est: ideò enim deputari vult *vnum aut duos seniores, qui circumeant Monasterium horis quibus vacant Fratres Lectioni; vt videant ne fortè inueniatur Frater acediosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus Lectioni.*

Triplex Benedictina Lectio præscripta.

TERTIÒ, modum hunc legendi insinuat. *Primò*, vt singuli legāt singulos libros, non autem multos, aut nunc hos, nunc illos. *Secundò*, vt legant per ordinem, non transcursim, modicum hîc, modicum ibi. *Tertiò*, legant ex integro, quod Turrecremata E explanante, est legere cum mentis attentione, non verba tantùm, sed sensum eorum, quæ leguntur attendendo.

Modus legendi.

QVARTÒ, quoad legendi materiam & Libros, commendat in genere, quidquid *ædificare potest audientes*; in particulari verò, capite vltimo Regulæ suæ, Monachis legendam insinuat Sacram Scripturam, *Veteris ac noui testamenti; item Libros Sanctorum & Catholicorum Patrum, Collationes Patrum, & Instituta, & Vitas eorum, & Regulam S. Basilij, quæ aliud nihil esse ait, nisi benè viuentium, & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum.* Quibus sine dubio adijcienda quoque ipsa Regula S. P. N. BENEDICTI, quam *sæpiùs* voluit *in Congregatione legi, ne quis Fratrum de ignorantiâ se excuset.* Quam non tantùm quotidie legere, sed etiam memoriæ mandare Monachi soliti sunt, vt dictum alibi.

Qui libri ex mente S. Benedicti legendi.

Cap. 66.

§. IV.

De labore manuali.

QVotidianum manuum Laborem, ad exemplum veterum Ægyptiorum Monachorum suis Religiosis S. P. BENEDICTVS præscripsit, certas ad hoc horas determinans; vbi & illud adiecit: *Si necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: Quia tūc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt, sicut & Patres nostri, & Apostoli.* Ex quibus liquidò constat, S. P. N. BENEDICTVM vitam actiuam iunxisse contemplatiuæ; vt qui mentali exercitio minùs aptus esset, corporali saltem occupare- tur. Vnde ait; *Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet.*

Laborem manuum præscribit S. Benedictus.

Cap. 48.

Circa hunc verò Laborem maximâ vtitur discretione, cùm ita statuit: *Omnia mensuratè fiant propter pusillanimes.* Item: *Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur, vt effugentur.* Ex capite verò 57. constat varias olim artes in Monasterijs exercere solitas: ac deinde monet quomodò, & per quos opera ipsa, seu opificia Monachorum venundari fas sit.

Cum magnâ discretione.

Quo autem modo, quóve spiritu externa opera peragenda, fusiùs suo loco exponetur.

DISQVISITIO VII.

Vt sibi ipsi Religiosus obstrictus sit?

IPse sibi Religiosus quoque debitor est, cius siquidem erga se officiū est, *Facere sibi indicium*, & cor iudicis assumere. Ad Iudicem verò spectat, bonū à malo discernere, vnde id quod Dauid dixit: *Declina à malo, & fac bonum*; Religioso erga seipsum maximè faciendum incumbit: vt videlicet omnia peccata etiam minima, quantum potest fugiat, & eorundem radices, passiones, prauasq; inclinationes cultro mortificationis exscindat, ac deinde animam suam virtutibus religioso homine dignis exornet.

Religiosus facere sibi iudex. Psal. 36. Discernat bonum à malo.

Vt primum illud consideremus, hæc Monacho maximè vitanda à S. P. N. capite quarto recensentur.

Monacho fugienda.

Elatio-

Elationem fugere: & non esse superbum. Non vinolentum, Non multum edacem: Non somnolentum: Non pigrum: Non detractorem.

Atque vltra hæc, aliaque, quæ vel omni Christiano sunt communia, vel alijs titulis iam reposita; otium maximè vitandum est Religioso, de quo S. BENEDICTVS.

Otium maximè Cap. 48. *Otiositas inimica est animæ, & ideò certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuinâ.* Adeò vt quotidianum laborem vel ideò potissimùm iniunxisse videatur, ne Religiosi otio vacarent, aut fabulis. Temporis verò tam accuratam rationem haberi voluit B. Pater, vt illud distribuerit vsque ad momentum, *Nihil*, vt inquit Cardinalis à Turrecrematâ, *de tempore derelinquens.* Ad vtilem porrò temporis deductionem, optimum omninò est, certum & inuariatum in exercitijs ordinem tenere, quem sine necessitate, aut obedientiâ non interturbes; ad quod Sanctissimus Legislator respexisse videtur, cùm præcepit, vt, *Omnia horis competentibus compleantur.* Item: *horis*, inquit, *competentibus dentur quæ dando sunt, & petantur, quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.* Quæ testimonia etsi de diuino officio, & necessariorum per Cellerarium subministratione agant; tamen cùm in alijs eadem quoq; ratio sit, & in Ordine Religioso maximè referat ordinem seruare, atque ordinatè procedere; de ijs quoque S. Patrem intellexisse, conijcere possumus.

Exercitijs tempus & Ordo inuariatè præfigenda. *Cap. 47. Cap. 31.*

Custodire se, præterea Religiosus debet *à murmuratione*; quæ, vt Sapiens ait, *nihil prodest*; imò verò animæ quàm maximè obest: Vitium hoc vt à Cœnobijs suis excluderet S. BENEDICTVS, Abbatem ita admonet: *Omnia sic temperet* (Abbas) *atque disponat, qualiter & animæ saluentur, & quod faciunt Fratres, absque vllo* murmuratione *faciant.* Vniuersè verò ita subditos ab hoc vitio arcet.

Vitiũ murmurationis omnino vitandum. Sap. 1. 11. Cap. 41.

Cap. 34. *Ante omnia ne* murmurationis malum *pro qualicumque caussâ, in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.* Idipsum ferè repetit cùm monet, vt, cùm *necessitas loci exposcit, vt nec præscripto mensuro* (potiùs) *inueniri possit, sed multò minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant*, & non murmurent. *Hoc ante omnia admonentes, vt absque* murmurationibus *sint.* Quæ verba exponens Sanctus Bernardus, ait: *Fortè aliqui leue peccatum æstimant* murmurare, *sed non hic, qui ante omnia monet esse cauendum. Puto autem ne illum quidem leue reputasse, qui* murmurantibus *aiebat.* Non cōtra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum: nos enim quid sumus? *Sed ne illum quoque, qui dixit.* Non murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore: *illo nimirùm exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, vt à terminis beato illius ciuitatis arceat* murmurantes, *& longè faciat à finibus eius, cui dicitur:* Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, qui posuit fines tuos pacem. *Nihil enim commune habent*, murmur & pax; *Gratiarum actio & detractio; Zelus amaritudinis & vox laudis. Itaque in ore trium, & talium testium* (S. P. nimirùm BENEDICTI, Moysis, & Pauli) *stet hoc verbum; vt pestem istam* murmurationis *summopere nobis nouerimus esse cauendam.* Hactenus Bernardus.

Cap. 40. *S. Bernardi de hoc notabile monitum. Bernard. in sentent. Philip. 2. 14. Exod. 16. 8.* *DOCTRINA S. BENEDICTI 1. Corinth. 10. 19. Psal. 147. 12.*

Cæterùm, non externum tantùm murmurationis actum aut verbum, Perfectionis Magister vetuit, sed & interiorē: vnde disertè præscribit, vt Obedientia *non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel responsione nolentis efficiatur.* Et quare? *Nam cum malo animo*, inquit, *si obedit discipulus, & non solùm ore, verùm etiam* in corde si murmurauerit; *etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit* murmurantis, *& pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam* murmurantium *incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.*

Etiam interius murmurare netas.

DISQVISITIO VIII.

Quæ Religioso sint potissimùm facienda?

RELIGIOSI muneris est, non tantùm vitia malosque habitus euellere & destruere, sed bonos insuper cordi inserere, illudque veris virtutibus exornare. Præcipuæ verò virtutes, quas S. BENEDICTVS in Cœnobitis suis requirit, sunt hæ:

Virtutes Benedictinis imperata.

Humilitas, Mansuetudo, Modestia, Moderatio linguæ, Silentium, Solitudo, Abstinentia & Sobrietas.

§. I.

De Humilitate.

ERECTVRVS B. P. N. BENEDICTVS Scholam Dominici seruitij; & officinam artis Spiritualis, non ignorans Euangelicæ perfectionis excelsam turrim se construere suscepisse, ante omnia de fundamento cogitauit *Humilitatis.* Cui cùm tantam disponeret superimponere molem ædificij, vt eius cacumen vsque ad ipsum Deum amandum assurgeret, *Scalam* duodecim *graduum Humilitatis* in Regula suâ construxit; vt eam Religiosi gradatim ascendētes, *Summæ humilitatis culmen* (vt ipse loqui-

Scala humilitatis à B. Benedicto erecta. Cap. 7.

ponunt, exterior quædam ac decens morum compositio, quam *Modestiam* vocant, consequi solet; est enim genuinus prædictarum virtutum fœtus; vnde à S. Paulo cum ijs simul connumeratur, ac Collossensibus commendatur. *Induite vos*, inquit, *sicut electi Dei, Sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatē, humilitatem, Modestiam, patientiam.* Huius autē virtutis partes subindicasse videtur Ecclesiasticus, cùm ait: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Circa omnes hasce partes S. BENEDICTI sollicitudo versata est.

Modestia vnde oriatur. — Coll. 3. 12. — Ecclesiast. 19. 26. — *S. Benedictus eam præscribit.*

I. *In visu.* Cap. 7. grad. 12.

Primò enim, visus Modestiam commendat, ita præscribens. *In Oratorio, in Monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite*, DEFIXIS IN TERRAM ASPECTIBUS. Quod ne vt nudam cæremoniam absque spiritu exerceat Monachus, huic externo actui, interiorem, à quo ille animetur adiungit: *Reum se omni horâ de peccatis suis existimans, iam se tremendo Dei iudicio præsentari æstimet: dicens sibi in corde semper illud, quod Publicanus ille Euangelicus, fixis in terram oculis, dixit: Domine, non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum. Et iterum cum Propheta: Incuruatus & humiliatus sum vsquequaque:* Insignis planè hæc oculos deijciendi, seque interiùs recolligendi praxis est, tantoque Doctore dignissima: Timore enim Domini, qui sapientiæ, ac pietatis omnis initium est, cor & carnes nostras validè configit. *Modestiam* enim timori etiam Apostolorum princeps coniunxit, dicens: *Cum Modestiâ & timore conscientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Et clariùs Salomon: *Finis Modestiæ, timor Domini.* Quare ad hunc finem omnes *Modestiæ* actus Religiosi magno meritò referre satagent.

1. Pet. 3. 15. — Prou. 22.

II. *In vestitu.* Cap. 55.

Secundò: amictus corporis, siue vestium Modestiam Sanctus Pater satis inculcat, cùm eas vult fieri ex viliori materiâ, quæ comparari potest, aut *qualis inueniri potest in prouinciâ, quâ degunt*; cauetque, *ne de earum colore aut grossitudine causentur Monachi.* Atque Abbati iniungit, *vt de mensurâ prouideat, vt non sint curta vestimenta vtentibus eis, sed mensurata.* In ijsque omne superfluum amputari mandat. Ipse sanè Monasticus habitus Benedictinos *Modestiæ* & grauitatis admonere videtur, vt Sanctus indicauit Basilius, dicens: Imbecillioribus, *veluti pædagogi disciplina fit quadam, quâ inuiti etiam à rebus flagitiosis prohibentur, hac qua in vestitu foris apparet professio.*

Quæst. 22.

DOCTRINA S. BENEDICTI III. *In Cachinnorum proscriptione.* Cap. 4. Instrum. 54 55. Cap. 7. grad. 10.

Tertiò: risum dentium, leuesque cachinnos longiùs à suâ congregatione vir Sanctus proscribit, volens Religiosum *verba vana aut risui apta, non loqui; risum multum aut excussum non amare.* Quod iterum repetit, cùm iubet, vt Monachus *non sit facilis ac promptus in risu: quia scriptum est: Stultus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens, vt* ibidē subdit sacer textus, *vix tacitè ridebit.*

IV *In incessu.* Cap. 22. Cap. 43.

Quartò: incessus *Modestiam* S. Pater insinuare nō prætermisit, cùm enim festinum ad opus Dei occursum suis præscriberet; & in præproperâ acceleratione facilè aliquam subrepere aut interuenire posse dissolutionem animaduerteret; suos præmonuit, vt festinarēt quidem inuicem se præuenire ad opus Dei, *cùm omni tamen grauitate & Modestiâ.* Alibi iterum sic monet; *Ad horam diuini officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, qualibet fuerint in manibus, summâ cum festinatione curratur: cùm grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem.* Id est, inquit, Turrecremata, occasionem alicuius leuitatis. A quâ vt longiùs absit cœnobita Benedictinus, hoc beati Basilij monitum incedendo obseruet: *Incessus esto, nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus insolenter incitatus, ne consternatos impetus animi significet. Habitus enim mentis* (vt pulchrè dixit Ambrosius) *in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contrà grauior & constantior, & purior æstimatur.*

Qualis in eo. — Basil. Epist. 1. ad Greg. Nazianz.

§. IV.

De Moderatione linguæ.

SI quis putat se Religiosum esse (inquit Iacobus Apostolus) *non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Quare plerique religiosæ vitæ Institutores plurima linguæ damna reformidantes, loquendi & tacendi tempora, modumque Regulis suis decreuerunt. In loquendo autem maximè considerandum est, *Quando, Quid, & Quomodò* loquendum sit. *Qui* enim *inconsideratus est ad loquendum*, ait Salomon, *sentiet mala.* De singulis aptè satis in Regulâ suâ B. P. BENEDICTVS.

Iacobi 1. — *Loquendi circumstantia à S. Benedicto definita.* — Prouerb. 13. 3.

I. *Quando.* Cap. 4. Instrum. 53. Cap. 6.

Primò enim, quo ad loquendi tempus, vniuersè suos monet, *multùm loqui non amare*; magis verò, *omni tempore silentio studere.* Atque ideò etiam *de bonis*, inquit, *& sanctis ad ædificationem eloquijs perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem rarò concedatur loquendi licentia.* Quare nisi necessitas, charitas, vel magna vtilitas vrgeat, tacendum potiùs quàm loquendum indicat. Quo etiam spectat illud Regulæ moni-

DOCTRINA S. BENEDICTI Cap. 7. grad 9. monitum, *Vt linguam ad loquendum prohibeat Monachus; & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem, non loquatur, monstrante scripturâ: Quia in multiloquio non effugies peccatum. Et quia vir linguosus non dirigetur super terram.*

II. *Quid loquendum.* Instrum. 28. Secundò, quid in sermone proferendum, insinuat, cùm præcipit, *veritatem ex corde & ore proferre*, ac deinde à quibus lingua cohibenda sit, aperit, Religiosum admonens, Instrum. 52 *Os suum à mala vel prauo eloquio custodire: verba vana aut risui apta non loqui.* Instrum. 54. *Non esse murmuriosum. Non detractorem.* Pluribus verò atque ex professo linguæ vitæ perstringit, sic scribens: Cap. 6. *Faciamus quod ait Propheta: dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quantò magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Scurrilitates verò, & verba ociosa, & risum mouentia, aeternâ clausurâ in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.*

Interdixit quoque sæculares rumores Cap. 67. in Monasterium inferri, cùm ait: *Nec præsumat quisquam alijs referre quæcumque foris Monasterium viderit, aut audierit: quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.*

III. *Quomodò.* *Tertiò*, quoad loquendi modum peritissimus architectus ostium illud circumstantiæ, quod Dauid sibi petebat, septem velut spiritualibus asseribus compegit, & discipulis suis custodiendum tradidit. Cap. 7. grad. 11. *Cùm loquitur*, ait, *Monachus*, 1. *leniter* 2. *sine risu*, 3. *humiliter*, 4. *cum grauitate*, 5. *pauca verba*, 6. *& rationabilia loquatur*, *&* 7. *non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.*

Has circumstantias Commentatores Regulæ fusiùs explicant. Vide porrò quæ infrà ad IX. & XI. humilitatis gradum annotamus.

§. V.

De Silentio.

Isaiæ 32. 17. Silentium, dicente Isaiâ, *cultus iustitiæ est. Bonum est præstolari* (vt docet Ieremias) *cùm* Silentio *salutare Dei.* Hunc Iustitiæ cultum, hanc omnium virtutum matrem, nutricem & custodem, quasi charissimam sponsam, Benedictinos amplecti par est; ac si ipsis peculiariter per Prophetam Isaiæ 30. 15. dictum esset: *In* Silentio, *& spe erit fortitudo vestra.* De hâc virtute hæc apud Sanctissimum Patriarcham nostrum præcepta leguntur.

Omni tempore Silentio *debent studere Monachi; maximè tamen nocturnis horis. Exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis Regulam; grauiori vindictæ subiaceat.* *Quid S. Benedictus de Silentio statuerit.* Cap. 42.

Pausent in lectis suis cum omni Silentio.

Expleto opere Dei, omnes cum summo Silētio *exeant, Summum fiat* Silentium *ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur. Si quid opus fuerit petere, sonitu cuiuscumque signi potiùs petatur quàm voce.* Cap. 48. Cap. 52. Cap. 38.

Circa quæ testimonia notandum. *Primò*, Summos Pontifices ab ipsâ Regulâ loca Siletij deputasse, *Dormitorium, Refectorium, & Oratorium*: vt habetur in Clementina, *Ne in agro.* Innocentius III. in celebri illa decretali, *Cùm ad Monasterium. In Oratorio*, inquit, *Refectorio & Dormitorio continuum semper* Silentium *obseruetur.* *Loca Silentij.*

Secundò, ex Smaragdi Abbatis Commētario notāda est distinctio *simplicis Silentij, & summi*; & quid de singulis sanctissimus Legislator noster statuerit, cōsiderandum; Sic autem ait: *Inter Silētium tantùm, & summum Silentium distantia est.* Silentium tantùm est, *vbi loquuntur, sed leniter & cum Silentio.* Vnde in Euangelio Martha vocauit Mariam, *Silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.* De hoc Silentio dicit Regula: *Omni tempore Silentio studeant Monachi.* Silentium summum *est, vbi nulla vox, nullaq; mussitatio sonat, de quo dicitur: Ad mensam, & in nocte summum* Silentium *fiat.* *Duplex Silentium.* In cap. 38. Regulæ. Ioan. 11.

Tertiò, S. Bernardi monitum obseruandum est, vt dum quiescūt labia à confabulando, non quiescant corda die ac nocte meditari in lege Domini, quę est Charitas. Hoc est enim quod alibi vocat *fructuosum, & negotiosum Silentium.* *Silente lingua, cor Deo loquatur.* Bernard Epist. 90. De ordine vitæ.

Tacendo enim apud homines, meliùs loquimur Deo. Multæ enim cōtemplationes sunt, quibus anima deuota tacendo, mirabiliter pascitur. *Quàm gloriosum tale Silentium, vbi eloquio Domini, eloquia casta sunt!* Et rursum: *Iuge Silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cælestia meditari.* Quare non immeritò Climacus. Taciturnitatem esse ait, *matrem orationis, speculationis opificem, secretum in Deum profectum, occultum ascensum.* Epist. 78. Gradu 11.

§. VI.

De Solitudine.

Germanæ sibi inuicem sunt silentium & *solitudo*, adeò vt qui illius accuratus obseruator esse velit, hanc necesse est, vt impensiùs colat. Tacere namq; is optimè poterit, qui hominum consortia declinare, secumque habitare didicerit. Docuit id Propheta, qui Religiosum veluti descri- *Solitudo Silentij soror.*

bens,

Thren. 3.

bens, ait: *Sedebit* solitarius, *&* tacebit, *quia leuauit super se.* Ac si dixisset, vt tacere, ac se supra se leuare possit, elongabit se, fugiens humanam conuersationem, & permanebit in solitudine, in quâ Deus loquitur ad cor. Hanc quatenus in Cœnobiticâ vitâ, & externorum hominum fugâ, intra cellarum recessus exerceri potest, suis discipulis S. BENEDICTVS voluit esse commendatissimam. Vnde

Quid de eâ S. Benedictus.

I.
Rarò permittit suos Monasterium egredi.
Cap. 66.

Primò, raram è Monasterio prodeundi suis concedit licentiam. *Monasterium*, inquit, *si potest fieri, ita debet construi, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur, vt non sit necessitas Monachis vagandi foras:* qua re? *quia omninò non expedit animabus eorum.* Parentis sui Spiritu imbutus Ordinis nostri Protomartyr Placidus, similem ferè sententiam protulit, dicens. *Non decet Monachum in domibus laicorũ stationem habere, quia contrarium est omnibus modis Ordini nostro.*

Gord. in vit. cap. 41.

Clausura Benedictinorum in Hispaniâ.

Ex hoc capite Benedictini Cõgregationis Vallisoletanæ in Hispaniâ in Professione vouent, seruantque *perpetuam Clausuram:* quam ad Regulæ nostræ obseruantiam, & spiritualem Monachorum consolationem, plurimùm conducere, in suis asserunt Constitutionibus Barcinonæ impressis. Videndus quoq; R. D. Antonius de Yepez, Abbas Vallisoletanus, in suo Chronico Benedictino ad annum Domini 554.

Const. Vallis. cap. 71. & 78.

Est sanè hæc *Clausura* Spiritui S. BENEDICTI, eiusque Regulæ satis conformis. Nam de Nouitio iam professo ait: Sciat *lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illâ die non liceat* EGREDI DE MONASTERIO: sine licentiâ scilicet Abbatis. Ex ipsâ enim Regulâ constat, Fratres aliquando dirigi in viam. At citra veniã, *qui præsumpserit*, ait S. BENEDICTVS, *claustra Monasterij egredi vindictæ regulari subiaceat.* Hinc apud Gratianum cap. *Placuit* 2. statutum: *Sit Monachus claustro suo contentus: quia* sicut piscis sine aquâ, caret vitâ; ita sine Monasterio, Monachus. *Sedeat itaque solitarius, & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem viuit.* Et Alexander II. in cap. *Iuxta*, ait: *Monachis, quamuis religiosis, ad normam* S. BENEDICTI *intra claustrum morari præcipimus: vicos, castella, ciuitates peragrare prohibemus.*

Cap. 58.

Cap. 67.

16. quæst. 1.

De licentiâ visitandi consanguineos.
Ad cap. 67. Reg. nu. 10.

Patres quoq; Cassinenses scientes, quòd Monachus extra Monasterium, vt S. Antonius dicere solebat, sit *veluti piscis extra aquam;* & quòd Religiosi commixti inter gentes & sæculares, facilè discãt opera eorum; statuerũt, licentiam eundi ad affines, vel consanguineos visitandos, vel ad alia loca recreationis causâ, vltra vnius diei iter à Monasterio, à nullo posse concedi, præterquam à Capitulo Generali. Eodem ferè modo Bursfeldensis vnionis Patres inhibent Prælatis, & Rectoribus, ne vnquam, vel saltem absque Visitatorũ permissione, licentiam parentes aut patriam inuisendi Fratribus illis concedant, qui ex proprijs motiuis, & sensuali quodam affectu, pro huiusmodi facultatis obtentu instantias faciunt, & importunè suos superiores sollicitant. Ita in compilatione statutorum eiusdem Capituli ab anno 1514. vsque ad annum 1614. articulo 15. Quæ omnia magis locum habere in sanctimonialibus, manifestum.

DOCTRINA S. BENEDICTI

II.
S. Benedictus vetat rumores.
Cap. 67.

Secundò; vt à sæculi actibus Religiosi magis sint alieni, ait: *Nec præsumat quisquam alijs referre quæcumque foris Monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.*

III.
Colloquium cum Hospitibus.
Cap. 53.

Tertiò, Conuersationem & colloquium cum hospitibus, qui in Monasterio fortè essent, interdixit. *Hospitibus cui non præcipitur*, ait, *nullatenus societur aut colloquatur: sed si obuiauerit aut viderit, salutatis humiliter, & petitâ benedictione pertranseat, dicens, non licere sibi colloqui cum hospite.*

IV.
Discursum per Monasterium.
Cap. 67.

Quartò, discursum per Monasterium vetuit, cùm *vindictæ regulari* subdit, *qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocumque ire.* Quod Bernardus Cassinensis explicat etiam *intra Monasterium:* quæ proba videtur interpretatio; nam olim etiam Monachis promiscua per domum discursatio interdicta à Pachomio *art.* 47. Cassiano, *lib. 4. cap.* 10. Regulâ Orientali, circa finem. Regulâ Fructuosi cap. 8. Basilij Reg. Breu. cap. 141. Quorum verba alibi dabimus.

V.
Confabulationem mutuam.
Cap. 48.

Quintò, vt ea, quæ ad mentalem orationem & cõtemplationem necessaria est recollectio, inter Fratres meliùs seruaretur, noluit vt se promiscuè adirent. *Neque Frater ad Fratrem*, ait, *iungatur horis incompetentibus:* quibus verbis, cùm ingressum cellarum, & officinarum Monasticarum, tùm cõfabulationem mutuam prohiberi puto. Horas autẽ incompetentes definiunt Cassinenses: *Totum tempus quod superest vltra Canonicas Horas, & refectionem, & exercitij tempus, & aliud tempus in quo qualitas negotij exegerit plures Fratres in vnum conuenire.* Ex quibus apparet, quàm debeant cellæ, solitudinis, & secessus Benedictini amantes esse, quo nimirùm in perpetuâ mentis recollectione Deo vnitos viuere par est.

Cassin. in hunc loc.

§. VII.

De Abstinentiâ, & Sobrietate.

CVm solitudo & silentium ideò potissimùm Religiosis à SS. Patribus præscripta

[DOCTRINAS BENEDICTI] [*Abstinentia bona.*] [Grad. 26.] [S. Benedicti de eâ decreta.]

scripta sint, vt eorum adminiculo mentem A ad cælestia contemplanda meliùs subleuare possent: meritò quoque hisce virtutibus, *Abstinentiam*, & *Sobrietatem*, veluti socias adiungent, per quas ad mentis exercitia homo redditur expeditior; nimio autem cibo & potu acies intellectus obtunditur. *Sicut enim impossibile est*, ait Climacus, *vt grauatæ nimis carnibus volucres in cælum euolent; ita & qui carnem suam nutrit & fouet, illuc ascendere non poterit.* Quocirca opportunum hîc erit, ea quæ de hac virtute à Sancto Legislatore præscripta sunt, in me- B dium adducere.

[Primum. Instrum. 35. & 36.] *Primò* autem, generatim vult Monachū esse *non vinolentum, non multùm edacem.*

[Secundum, Cap. 39.] *Secundò*, victus mensuram moderatam præscribens, statim monet: *Remoueatur præ omnibus crapula, vt nunquam subrepat Monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est omni Christiano quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: videte ne grauentur corda vestra crapulâ & ebrietate.*

[Tertium. Ibid. & Cap. 36. Cap. 40.] *Tertiò*, Præscribit vt *præter omninò debiles & ægrotos à carnibus omnes abstineant.* Et C quoad potum, *saltem hoc consentiamus*, inquit, *vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parciùs.*

[Quartum. Cap. 41.] *Quartò*, continuum indicit ieiunium ab Exaltatione S. Crucis vsque ad Pascha: Et omnibus ferijs quartis, & sextis à Festo Pentecostes.

[Quintum. Cap. 40.] [S. Benedictus optat Monachos esse abstinentes.] [Cap. 49.] [Cap. 40.] [Petr. Dam. Opusc. 13. cap. 7.] *Quintò*, significat se hæc tantùm ob infirmorum imbecillitatem constituisse. Et *quia*, vt loquitur, *nostris Monachis persuaderi non potest, vt omninò à vino abstineant.* Alioquin satis insinuat optare se, vt vinum non D bibant, monetque eos, qui ibi habitant, vbi præscripta mensura vini inueniri non potest, aut ex toto nihil; Deum benedicant, & non murmurent. Quam verò suos desiderauerit esse abstinentes, vel ex eo facilè apparet, quod scribat: *Omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debet obseruationem habere.* Quod licet non præcipiat, eò tamen retributionis spe propositâ prouocat. *Quibus donat*, ait, *Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.* Hæc & similia supererogationis opera in Re- E gulâ non præcepta, ita à B.P.N. commendari ait S. Petrus Damiani, ac si diceret: *Alta quidem ostendo, sed poplitibus teneris adhuc vos claudicare conspiciens, per plana deduco; si cui autem possibilitatis vigor accesserit, deserat ima, quæ inuitus indulgeo, teneat alta, quæ volo. Suscipientes quidem quod indulgeo, non peccatis; sed non suscipientes mercedem habetis: Admissa siquidem misericordia non incurritis pœnam sed propter Deum dimissa pertingitis ad coronam.* Ex quibus idem Auctor infert: *Non debemus ergo vanâ nosmetipsos securitate decipere, nec omnem clementiam Regulæ nostris quasi licenter vsibus arrogare. Et ideò hortamur*, inquit, *vt vnusquisque Frater, qui de suâ est salute dispositus, ad possibilitatis suæ conscientiam redeat, & de remissione Regulæ, non tam quod licet, quam quod necessitas postulet, in proprios vsus assumat.* Ita Doctor Sanctus. Addiderim ego ex S. BENEDICTI mēte & Regulâ: [Cap. 49.] *Hoc ipsum tamē quod vnusquisque assumit, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate, aliàs præsumptioni, & vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi.*

DISQVISITIO IX.

Quomodo erga Fratres se geret Religiosus?

SVPEREST exponere, quomodò erga Fratres & proximos suos sese habere debeat Monachus. Erga hos autē, vt initio diximus, tenerum & maternum induere oportet affectum. Is porrò se prodet, si in ijs Deum, ad cuius similitudinē facti sunt, cogitantes, & quòd, vt S. Pater noster loquitur: *Omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus.* [Cap. 2.]

[Quinque erga Fratres nobis præstanda.] *Primò*, Fratres nostros diligamus. *Secundò*, eosdem cōgruo afficiamus honore. *Tertiò*, eorū defectus toleremus. *Quartò*, cùm opus est opem impendamus. *Quintò*, circumspectè & cautè cum ijs conuersemur: de quibus singulis S. BENEDICTVS hoc modo nos instruxit.

§. I.

De Amore Fratrum.

[Primò, teneri diligendi.] PRimò, in genere monet, *Proximum diligere tanquam seipsum. Et, quod sibi quis fieri non vult, alij non faciat*, & charitatem non derelinquat. Alibi verò hortatur, vt, *Charitatem Fraternitatis casto impendant amore.* [Cap. 72.]

Secundò, vt hoc assequantur, monet vt vitia charitati contraria fugiant, nominatim hęc quarto capite inter bonorum operum instrumenta recensita, *Dolum in corde non tenere; pacem falsam non dare. Iram non perficere; iracundiæ tempus non reseruare; non esse superbum; non detractorem. Nullum odire. Zelum & inuidiam non habere.*

Tertiò ad charitatis actus exhibendos hortatur, cùm monet, vt *priores iuniores suos diligant. Omnes iuniores prioribus suis omni charitate & solicitudine obediant: infirmos visitare, dolentem consolari, in tribulatione subuenire.* [Cap. 63. Cap. 72. Cap. 4.]

§. II.

§. II.

De honorandis Fratribus.

Secundò, Fratribus honor debitus impendendus. EX amore nascitur *veneratio*, quàm Fratribus Christi amore, cuius sanguine redempti, cuius capitis sunt membra, cuius vitis sunt palmites, cuius Pastoris sunt oues; mutuo conuenit impēdere. De quâ hæc S. Pater statuit: *Iuniores priores suos honorent.* Et alibi: *Honore se inuicem præueniant.* Cùm autem *honoris* exhibitio in mutuâ compellatione, & congressibus familiaribus maximè eluceat, vt eundem sibi inuicem in istis casibus deferre debeant, optimè cap. 63. declarauit, dicens: Cap. 63.

Ibid. *In ipsâ appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare; sed priores iuniores suos* Fratres *nominent: Iuniores autem priores suos* Nonnos *vocent, quod intelligitur Paternâ reuerentiâ.*

Vbicumque autem sibi obuiant Fratres, iunior à priore benedictionem petat.

Transeunte maiore, minor surgat: Nec præsumat iunior consedere, nisi ei præcipiat senior suus, vt fiat quod scriptum est: Honore inuicem præuenientes. C

§. III.

De Fratrum defectibus tolerandis.

Tertiò, Fratrum defectus tolerandi. VT nihil est ab omni parte beatum, ita reperire est & in Congregatione Sanctorum quasdam motum animorumque asperitates in quas qui incurrerit, nisi benignitate & mansuetudine animum excoluerit, facilè potest ostendi. Quibus proinde S. Pater cognuam adfert medicinam. D

Cap. 71. *Infirmitates suas*, inquit, *siue corporum, siue morum patientissimè tolerent.*

Cap. 70. *Nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare, aut cædere.* Huc etiam spectāt hæc bonorum operum instrumenta.

Cap. 4. *Malum pro malo non reddere. Iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere. In Christi amore pro inimicis orare. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. Persecutiones pro Iustitia sustinere. Contentionem non amare. Cùm discordantibus ante solis occasum in pacem redire.* Ad E omnem porrò discordiam contentionemve præueniendam, non efficacius medium, quàm si seruetur, quod à BENEDICTO præscribitur. *Nullus quod sibi vtile iudicat, sequatur; sed quod magis alij.* Vbi enim viguerit iudicij proprij abnegatio, ibi quoque voluntatum maximus consensus, tam S. BENEDICTO dilectus, vt seriò præscripserit: *Nullus in Monasterio sequatur proprij cordis voluntatem.* Cap. 72. Cap. 3.

Quam verò solicitus fuit, vt si qua dissensio, etiam leuissima orta esset, ea humilitatis antidoto statim tolleretur; *Si quis autem Frater*, ait, *pro quâuis minimâ causâ ab Abbate, vel à quocumque priore suo corripitur quolibet modo; vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscumque contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè; mox sine morâ tamdiu prostratus in terrâ ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio.* Non stetit hîc pia S. Patris solicitudo; verùm vt homines sumus, & lutea vasa, quæ faciunt inuicem angustias, ne mutua fortè collisione lædantur, voluit B bis per diem in publicis precibus à Domino pro his offensiunculis veniam rogari, & expressis verbis, quod sibi inuicem Fratres ignoscant, declarari. *Planè*, inquit, *agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, nisi in vltimo ordine oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, quâ dicunt,* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *purgent se ab huiusmodi vitio.* DOCTRINA S. BENEDICTI S. Benedictus solicitè cauet, ne qua dissidia in Monasterio foueantur. Cap. 71. Cap. 13.

§. IV.

De adiuuandis Fratribus.

Quartò, Fratres adiuuandi. Prou. 18. FRater qui iuuatur à Fratre, quasi ciuitas firma est, inquit Sapiens; cui consonans S. P. N. vult etiam vt Fratres sibi inuicem auxilium impendant, ac vicissim tum in coquinâ, tum mensâ, ac alibi seruiant.

Fratres, ait, sibi inuicem seruiant, quia exinde maior merces, & charitas acquiritur.

Ad hoc etiam referre licet ex quarto capite: *In tribulatione subuenire; dolentem consolari; infirmum visitare.* Maximâ verò charitate mutui adiutorij leges implebunt, si id seruare studuerint, quod Sanctus Pater monuit, *vt Obedientiam sibi certatim impendant.* Cap. 72.

§. V.

De circumspectâ cum Fatribus conuersatione.

Ieremia 9. QVod Spiritus Sanctus monuit: *Vnusquisque se à proximo custodiat*; sibi dictum Religiosi meritò existimare possunt: atque adeò ex mutuâ conuersatione etiam eorum, quos vt seipsos diligere tenentur, animæ periculum nonnumquàm subuereri. Quod plerumque ex nimia familiaritate, & inordinato ad Fratres affectu nascitur. Vitium sanè in Religione valdè perniciosum, & charitatis specioso titulo charitatem lædens. Exclusisse id è suis congregationibus S. P. BENEDICTVS videri posset, Quintò, Circumspectè cum Fratribus conuersandum.

DOCTRINA S. BENEDICTI Cap. 48. *Familiaritas, & particularis amicitia vitanda.*

possct, cùm decreuit: *Ne Frater ad Fratrem iungatur horis incompetentibus.* Ista enim clancularia & coniunctio, & quæ eam subsequitur familiaris confabulatio, sensim particularem amicitiam gignit, & desiderium identidem mutuos conceptus communicandi generat. Hanc amicitiam quoque exclusit, quando vetuit, ne quid sibi inuicem darent, quantumuis paruum, sine expressâ Abbatis licentiâ. Multò verò clarius hisce familiaritatibus ostium clausit, quando districtè inhibuit, ne quis alterum præsumat defendere. *Summoperè*, inquit, *præcauendum est, ne quâuis occasione præsumat alter alterum defendere, aut quasi tueri, etiamsi quâlibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur, quia exinde grauissima occasio scãdalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coerceatur.* (Cap. 69.)

Inter consanguineos.

Obseruarat nempe accuratissimus spiritualis vitæ Magister, peculiares amicitias vt plurimùm coalescere inter sanguine iunctos, indeque sequi, vt inuicem sibi suffragentur, se mutuò laudent, aduersantibus iunctim resistant, alter alterutrum tueatur ac defendat. Persensit hanc reprehensibilẽ consanguineorum coitionẽ Magnus Basilius, & in eam ita calamum strinxit. *Quòd si quis inuentus fuerit, qui maiore quâdam propensione Monachum Fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quâuis de causâ videatur diligere, hunc castigare oportebit vt iniurium publicæ charitati.* Qui plura desiderat, Tractatum Asceticum XIII. Iulij Nigroni adeat, qui pestem hanc Monasteriorum insigni Commentario fugare studuit.

Basil. serm. 1 de instit. Monast.

De Munere Superioris.

Quæ officiales concernunt, à S. Benedicto aptè digesta.

QVæ hactenus ex Regulâ digesta sunt, neminem non concernũt: quæ verò ad quosdam certis officijs deputatos spectant, ea peculiaribus capitibus S. Legislator explicauit; v.g.

De Præposito Monasterij, cap. 65.
De Decanis, cap. 21.
De Cellerario, cap. 31.
De Sacerdotibus, cap. 62.
De Septimanarijs coquinæ, cap. 35.
De Hebdomadario Lectore, cap. 38.
De Infirmario, cap. 36.
De Hospitalario, & hospitibus, cap. 53.
De Artificibus Monasterij, cap. 57.
De Nouitijs, eorumque Magistro, cap. 58.
De Ostiario, cap. 66.
De Fratribus in viam directis, cap. 67.

Hæc cùm suis locis in Regulâ legi possint, opus minimè fuit in hâc analyticâ Synopsi describere. Quamuis autem de officio Abbatis, siue Superioris *cap. 2. & 64.* ex A professo egerit; plura tamen de eo totâ occurrunt Regula, quæ vt vno legi possent intuitu, ad certa reuocauimus capita, & hîc putauimus repræsentanda.

Quæ Abbatem, sparsim.

Cura autem Abbatis, vel Superioris, quocumque tandem vocetur nomine, in eo potissimùm versari videtur, vt nouerit quid sibi, & quid suis debeat subditis.

DISQVISITIO X.

Quæ sibi ipsi debeat superior?

Abbati incumbit, I. *Expendere officij sui dignitatem, & onus.*

B PRimum, quod Abbati erga seipsum incumbit, est, vt expendat officij sui dignitatem, & onus. *Abbas* (inquit S. BENEDICTVS) *qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet quod dicitur, & nomen maioris factis implere: Christi enim agere vices in Monasterio creditur. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore.* (Cap. 2. Cap. 63.)

Cogitet semper quale onus susceperit, sciatque sibi oportere prodesse magis, quàm præesse: Nouerit se infirmarum curam suscepisse animarum. (Cap. 64. Cap. 27.)

Sciatque quàm difficilem & arduam rem suscepit regere animas, & multorum seruire moribus. (Cap. 2.)

II. *Reddet strictam sui suorumq; rationem.*

Secundum, recogitet districtam quam redditurus est officij sui rationem. *Sciat*, inquit S. BENEDICTVS, *quia suscepit animas regendas, & præparet se ad rationem reddendam.* Quod cùm sæpiùs & varijs modis inculcet, animaduertere in ijs licet, de quibus ab eo ratio exigenda. Nam 1. *redditurus est rationem villicationis suæ.* (Cap. 64.) 2. *quantum sub curâ suâ Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem.* (Cap. 2.) 3. *sine dubio addita & suæ summa. Et ita semper timens futuram discussionem Pastoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus.* (Ibid.) 4. *Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ,* 5. *vel discipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio.* 6. *Sciatque Abbas, culpæ pastoris incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minùs potuerit inuenire.* 7. *Cogitet semper quia de omnibus iudicijs & operibus suis redditurus est Deo rationem.* (Cap. 63. & 65. Cap. 3.)

III. *Sit Abbas eruditus.*

Tertium, Instructus sit competenti doctrinâ, vnde ait: *Vita autem merito, & sapientia doctrinâ eligatur, qui ordinandus est. Oportet ergo eum esse doctum lege diuinâ, vt sciat vnde proferat noua & vetera.* (Cap. 64.) *Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere: sed iussio eius vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur.* (Cap. 2.)

IV. *Prudens & discretus.* Cap. 64.

Quartum, Vigeat prudentiâ & discretione. *In ipsis imperijs suis*, ait, *sit prouidus & consi-*

consideratus; siue secundùm Deum, siue secundùm sæculum sint. Opera, quæ iniungit, discernat & temperet; vt sint & fortes qui cupiant, & infirmi non refugiant. Sicut discipulis conuenit obedire Magistro, ita & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere. (Cap. 3.) *Omnia autem mensuratè fiant propter pusillanimes.* (Cap. 48.)

V. *Bona vita.* Cap. 2. *Quintum*, Sit superior exemplaris vitæ; & *omnia bona & sancta factis ampliùs quàm verbis ostendat.*

Ibid. *Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agendo: ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur.*

VI. *Vitia fugiat.* Cap. 64. *Sextum.* Vt hæc aliaque diligentiùs obseruet, vitet quod ait Regula: *Non sit turbulentus & anxius, non sit nimius & obstinatus, non sit zelotypus & nimis suspiciosus; quia numquam requiescit.* Quem insuper *oportet esse castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltantem misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur.*

VII. *Regulæ obediat.* Cap. 3. Cap. 64. *Septimum*, Ne supra Regulam se existimet; aut ab eâ exemptum, optimè Legislator noster illi inculcat, vt, *Cùm timore Dei & obseruatione Regulæ omnia faciat. Et præcipuè, vt præsentem Regulam in omnibus conseruet.*

DISQVISITIO XI.

Quid superior suis debeat subditis?

Superior debet I. *Subditos amare.* Cap. 64. P*Rimum*, quod à Superiore subditis exhibendum, est *Amor*, quem nec ob vitia personis subtrahat, quę cùm amari non possint, à personis secernenda sunt, vt fiat quod S. BENEDICTVS ait: *Oderit vitia, diligat Fratres.*

Cap. 2. *Æqualis sit omnibus ab eo charitas: vna præbeatur omnibus, secundùm merita, disciplina.* Nam *omnes in Christo vnum sumus: & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus, quia non est personarum acceptio apud Deum. Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plus ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientiâ inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis caussa existat.*

Ibid. *Miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magistri, pium* PATRIS *ostendat* AFFECTVM. *Et secundùm vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Quæ quidem vt amor suggerit, ita absque eo difficile fuerit præstare.

II. *Eorum curam gerere.* *Secundò*, Curam & solicitudinem, quæ ex amore profluunt, subditis impendere tenetur: Vnde S. Pater ait, tum Pastorem in iudicio Domini absoluendum, *si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuerso fuerit cura exhibita.* (DOCTRINA S. BENEDICTI Ibid.) Quare eundem monet: *Ante omnia, ne dissimulans, aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, non plus gerat solicitudinem de rebus transitorijs, & terrenis atque caducis.* Atque illud: (Cap. 63.) *Non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi liberâ vtens potestate, iniustè disponat aliquid.* Cùm autem omnia *necessaria à Patre Monasterij sperare* debeant Fratres, *nec quidquam* (Cap. 13.) *liceat habere quod Abbas non dederit aut permiserit: dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis, prout cuique opus erat. Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium.* (Cap. 55.)

Quoad *Officiales*: curet, vt *domus Dei sapienter sapientibus administretur.* Et *tales eligantur, in quibus securus partiatur onera sua. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundùm modum Congregationis, & positionem loci.* (In Officijs. Cap. 53. Cap. 21. Cap. 35.)

Quoad *Laborem & Lectionem*: ordinat, vt *Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.* (Labore. Cap. 48.)

Cura quoque maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur infirmi. Quod ipsum iteratò inculcat, dicens: *Curam autem maximam habeat Abbas, ne à cellerarijs aut seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur.* (Infirmis. Cap. 36. Ibid.)

Imbecillitatem senum & infantium cõsideret, geratque curam hospitum, pauperum, & peregrinorum. (Cap. 37. Cap. 53.)

Tertiò, Debet subditis instructionem & admonitionem: quæ quomodo impendenda, optimè S. Pater explicat: *In doctrinâ suâ Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in quâ dicit: Argue, obsecro, increpa, id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere: obedientes autem & mites, & patientes, vt in meliùs proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnẽtes vt increpet & corripiat, admonemus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus: & secundùm vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* (III. *Instruere & admonere.* Cap. 2.)

Quartò, Delinquentibus duo debet *Misericordiam*, & *Iudicium*, itâ tamen, vt *semper superexaltet misericordiam iudicio.* (IV. *Corripere delinquentes in Misericordiâ & Iudicio.* Cap. 64.)

Magnopere debet sollicitudinem gerere Ab- (Cap. 27.)

DOCTRINA S. BENEDICTI *bas circa delinquentes Fratres: & omni sagacitate & industriâ curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Et Pastoris boni exemplum imitetur exemplum; qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem, quæ errauerat, quærere: cuius infirmitati in tãtùm compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.* Faciatque quod Sapiens Medicus. *Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & iam viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam (quod maius est) suam & omnium Fratrum pro eo orationem: vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem.* Cap. 28.

In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne, dum nimis cupit eradere aruginem, frangatur vas. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia; sed prudenter & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire. Animaduertere hîc est piam *Misericordiæ* & *Iustitiæ* mixturam, sanctùmque Patrem imitari eum, qui disponit omnia fortiter & suauiter. Cap. 64.

De *Iudicio* verò & iustâ culparum punitione pluribus agit capitibus, nimirùm 23.24.25.26.27.28.29.30.43.44.45.46.54.69.70.71.

CATECHISMI
MONASTICI
PARS SECVNDA:
AD QVID VENISTI?
SIVE DE
MONACHI BENEDICTINI
OFFICIIS.

Vnusquisque sui ORDINIS gerat OFFICIVM, ne totum quod viuit, deputetur mendacium. Si enim, quod Ordinis sui est, non egerit, omnis eius exterior habitus mentitur, qui eum Ordinis illius esse testatur. *S. Anselm. in Similit. cap. 127.*

PRÆFATIO.



CHRISTIANA Catechesis nõ tantùm Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Decalogi, & Sacramentorum explicat Doctrinam; sed & officium tradit *Iustitiæ Christianæ*. *Monastici* huius *Catechismi* vnicũ ferè obiectum est Benedictini Monachi declarare OFFICIVM. Quid enim aliud hactenus egimus; quàm quod Monachi erga *Deum, Superiores, Ordinem religiosum, Confratres, & Seipsum*, munus expoſuerimus? His enim quisquis ritè satisfecerit, næ ille Officij sui partes probè expleuerit. Quia tamen in ipsa suâ Regulâ S. BENEDICTVS Monachi OFFICIVM varijs nominibus exponit; visum fuit de ijs hoc loco peculiariter agere; vt piæ cuiusdam exercitationis Religiosis nostris materiam suppeditaremus. Optandum enim quàm maximè, vt in lege, sub quâ Deo militant

Monachi Officium Catechismi huius obiectum. PRÆFATIO. *In Regulâ variè expressum.*

litant Monachi, meditentur die ac nocte; & in eius praxi ſe quotidie exerceant. *Omnis* enim *res*, inquit Ambroſius, *proprijs ac domeſticis* EXERCITIIS *augetur*. Item: *Quomodo ſine* EXERCITIO *doctrina, aut ſine vſu profectus?* Monachi proinde Officium variè nobis expendendum. *Officium*, inquit idem Ambroſius, *dictum putamus, quaſi efficium: ſed propter decorem ſermonis vnâ immutatâ litterâ*, OFFICIVM *nuncupari. Vel certè, vt ea agas, quæ nulli officiant, proſint omnibus.*

Ambr lib. 1. Offic. cap. 10.

Ambr lib. 1. de Offic. cap. 8.

Vt autem quiſq; ſui *Officij* ſingulis diebus meminerit, & ſe ad illud componat, ſeipſum ſeriò interroget

Amice, ad quid veniſti?

Formula excitandi Monachos ad officium ſuum implendum.

His enim Chriſti ad proditorem ſuum verbis, Monachi olim ſe alioſquè videntur excitaſſe, vt relictis alijs omnibus, vocationis ſuæ officium explerent. Quamobrem & S. P. BENEDICTVS agens de Sacerdote, qui in Monaſterio vult recipi, idipſum ei inculcat, dicens: *Sciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſeruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt ſit, ſicut ſcriptum eſt*: AMICE, AD QVID VENISTI? Ex quo colligimus hanc fuiſſe familiarem formulam, qua Nouitios, & iam Profeſſos olim officij ſui admonere ſoliti ſint. Vnde & B. Arſenius ſemper in ore habuiſſe ſcribitur: *Arſeni, propter quid exiſti?* Quod alij extulerunt, *Arſeni, ad quid veniſti?* Climacns quoque refert Abbatem quemdam interrogatum à Monacho, quid faceret, ſi Magiſter eius eſſet negligentior, reſpondiſſe: *Etſi fornicari illum videris, noli diſcedere, ſed ad teipſum conuerſus dic:* AMICE, AD QVID VENISTI? D *Tunc aſpicies tumorem tuæ mentis diſſipari, excandeſcentiamque miteſcere.* S. quoque Bernardus hoc dicto ſeipſum excitare ſolitus erat, nam vt Guilielmus in vitâ eius ait: *Hoc ſemper in corde, frequenter etiam in ore habebat; Bernarde, Bernarde*, AD QVID VENISTI?

Cap. 60.

Valdè antiqua: & à ſanctis viris vſurpata.

Pelag. in vit Patr. l. 5. libell. 11. num. 9.

Clim. grad. 4.

Guilielm. in vitâ lib. 1. cap. 4.

Exſtat porrò opuſculnm S. Bernardo adſcriptum, & inſcriptum, AD QVID VENISTI? quod ex MSS. Bibliothecæ Dominicanorum Romæ, euulgauit, & Libris de Cōſideratione ſubiecit Gerardus Voſſius. E Primo autem capite (quod toti libello Epigraphen fortè dedit) dictum hoc nonnihil explicat. *Primò*, inquit, *conſiderare debes* AD QVID VENERIS, *& propter* QVID VENERIS. *Propter quid veniſti? niſi ſolùm propter Deum ſolum, vt fieret merces tua in vitâ æternâ. Sicut enim propter nullum alium veniſti, ita propter nullum alium debes omittere, nec tepeſcere alterius exemplo, quin ſtudeas ad hoc, ad quid veniſti. Veniſti enim ad ſeruiendum Deo, cui ſeruire omnis creatura debet.* Sed & ante illum Smaragdus Abbas, S. BENEDICTI Regulam explanans, ad illa verba: *Amice ad quid veniſti*, ſubiungit: *Subaudiendum, hoc age. Hoc enim modo dicendum eſt Sacerdotibus, & omnibus in regulari vitâ degentibus, qui eius in omnibus non curant obedire præceptis. Dicatur enim, Amice ad quod veniſti, hoc age. Veniſti enim obedire, non imperare;* B *operari, non otiari: operibus exerceri, non fabulis vacare: humiliari, non ſuperbire. Ergo Amice ad quod veniſti, hoc age. Regularia veniſti obſeruare præcepta, in quantum vales domino adiuuante obſerua illa; vt iuſtificeris illa obſeruando, non pericliteris contemnendo.* Hæc ille. Qui non malè addit, *hoc age*: Nam vt Auguſtinus dixit: *Officium eſt, quod faciendum eſt, finis propter quid faciendum eſt.* Piiſſimus quoque Scriptor Thomas à Kempis ſententiam hanc Religioſis inculcat: *Eſto vigilans & diligens in Dei ſeruitio, & cogita* C *frequenter: Ad quid veniſti, & ſæculum reliquiſti? Nonne vt Deo viueres, & ſpiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferueas, quia mercedem laborum tuorum in breui recipies.* Seraphicus S. Franciſci Ordo, vt teſtatur Sedulius, quinque habet verba, (*Religioſorum Manum* appellant) ceu elemēta quædam, quæ ſuis tyronibus ſtatim in initio tradit, velut Iſagogen ad altiora perfectionis culmina, quæ tanquam digitos ſuos tenere debeant. Primum autem ex illis eſt,

Quid ſit, Ad quid veniſti?

PRÆFATIO.

Smarad in c. 60. Reg.

Auguſt. lib. 4. contra Iulian. cap. 3.

Lib. 1. de Imit. Chriſti cap. 25.

Religioſorum Manus.

Henric. Sedulius ad Spec. diſciplin. S. Bonauent. ad Nouit.

Ad quid veniſti?

cui ita reſpondet:

Non velle meum facere:
Sed paſſiones vincere.
Sanctamque Crucem tollere,
Et indies proficere.

Vt igitur ſe in pietate Benedictinus exerceat Monachus, & ad continuum vrgeat profectum; ſæpiùs, & ſi lubeat, quotidie interroget ſe;

Amice, ad quid veniſti?

Tum verò expendat, quid ex mente & Regulâ Sancti BENEDICTI reſpondendum, & quâ ratione nomini, murerique ſuo poſſit ſatisfacere; vt deinceps explicabitur, & in hoc aliquouſque patet *ſchematiſmo*.

AD QVID

PRÆFATIO.

AD QVID VENISTI?	1. Ad Seruandam Regulam.	EST ENIM BENEDICTINVS MONACHVS	Regularis.
	2. Ad Abrenunciationem.		Abrenuncians.
	3. Ad Militiam.		Miles.
	4. Ad Iter vitæ peragendum.		Viator.
	5. Ad Scholam.		Studiosus.
	6. Ad Seruitium Sanctum.		Seruus Dei.
	7. Ad Honestam conuersationem.		Conuersans.
	8. Ad Conuersionem.		Conuersus.
	9. Ad Patiendum.		Consors Passionis.

DISQVISITIO I.

Quid nomine REGVLARIS *à Monacho requiratur?*

DOCTRINA S. BENEDICTI *Religiosus venit ad obseruandam Regulam.*



NGREDERE nunc, Religiose Lector, internum hoc animi tui tribunal, & teipsum interroga:

Ad quid venisti?

Ad quid autem, nisi AD OBSERVANDAM REGVLAM. Hoc in ipso ingressu tibi denunciari Legislator voluit, cùm de Nouitio ait: *Legatur ei hae* REGVLA, *vt sciat* AD QVID *ingreditur.* Hæc est enim Lex, sub qua militare vult: hoc iugũ Regulæ, quod sub tam morosâ vnius anni deliberatione licuit recusare, aut suscipere: susceptum verò non licet collo excutere.

Reg. cap. 58.

Hinc dictus Regularis.

Ab hâc Regulæ obseruantiâ, nomen sortitus est REGVLARIS. Vide ergo, an hæc Regula sit norma rectissima vitæ tuæ? an actiones tuas ad eam, ceu libellam quamdam exigas? An iuxta hanc amussim exercitia tua dirigas? An denique, vt S. Pater loquitur: *In omnibus Magistram sequaris* REGVLAM, *nec ab eâ temerè declines?* Vide porrò quæ hoc ipso CATECHISMO de eâ diximus part. 1. Disq. 5. & Libro 2. Tract. VIII. Disq. 9. & 10.

DISQVISITIO II.

Vt ABRENVNCIANTIS *Officio fungi Monachus queat?*

Benedictina abrenuntiatio illustrata.

ALIVM nunc Officij tui titulum considera, & à teipso iterum inquire:

Amice, ad quid venisti?

Ad quid verò, nisi ad ABRENVNTIATIONEM? Cui enim suam Regulam scribat S. BENEDICTVS, in ipso aditu aperit, dicens: *Quisquis* abrenuntians *proprijs voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus*, &c. Sumpta phrasis ex verbis Saluatoris nostri apud Lucã: *Omnis ex vobis, qui non* renũtiat *omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Vnde ipsa Monastica Professio aliàs RENVNTIATIO nuncupatur, & ipsi profitentes, *Renuntiantes* dicebantur, vt patet ex Cassiano, qui Institutionum Librum IV. inscripsit: *De Institutis* RENVNTIANTIVM. Et cap. I. ait, *Ad institutionem eius, qui* RENVNTIAT *huic mundo, transimus.*

Prolog. Reg.

Luc. 14.

Nimirùm, vt in Baptismo solemus fit ABRENVNTIATIO mundi & satanæ; ita in susceptione Monachismi, qui alter sanctis Patribus Baptismus dicitur, altera fit ABRENVNTIATIO. Vnde Dionysius Areopagita describens mysteriũ Monasticæ Consecrationis, ait, Sacerdotem interrogare eum, qui futurus est Monachus: *An omnibus rebus diuiduis renuntiet, non solùm vitis, verùm etiam imaginationibus.* Quid autem hoc significet, explicat in scholijs S. Maximus: *Diuiduis*, inquit, id est, *temporibus, & multum distrahentibus, vt mercimonijs alijsque contractibus. Imaginationibus, id est, mentis cupiditatibus, & perturbationũ imaginibus.* Antiquam hanc formam sequentibus deindè sæculis, etiam post S. BENEDICTVM seruatam, constat ex *Ordine Romano*, in quo illius crebra mentio. Capite autem de *Ordine ad faciendum Monachum*, ita præscribitur: *Tunc exuatur ab Abbate ipse Nouitius proprijs vestimentis, & interroget eum, si propriâ voluntate* ABRENVNTIET *mundo, & omnibus quæ*

Ex ritu consecrandi Monachum.

Dionys. de Eccl. Hierarch. c. 6.

sunt

sunt mundi: & quod maius est, etiam voluntatibus. Ibidem paulo pòst in Oratione ita subditur: *Dignare, Domine, quæsumus, famulo tuo N.* RENVNTIANTI *secularibus pompis, gratiæ tuæ ianuas aperire.*

Memoria abrenũtiationis in Baptismo factæ Christianis inculcatur, Vides, si quid vides, quàm propria Monacho ABRENVNTIATIO. Sed hic neutiquam sistendum. Christianos frequentissimè monent SS. Patres, vt ABRENVNTIATIONEM ab vnoquoque in Baptismo factam, in memoriam reuocent. Caroli Magni Imperatoris ea fuit piissima sollicitudo, vt in *memoriali*, siue, vt vocant *Breui Capitulorum*, inter cæteros articulos, quos Episcopis & Abbatibus volebat proponere, num. 9. annotauerit inquirendum. *Quid vnusquisque Christo in Baptismo promittat, vel quibus causis abrenunciet.* Item, *Quæ sectando vel negligendo, vnusquisque nostrùm ipsam suam promissionem &* ABRENVNTIATIONEM *vel conseruet vel irritam faciat. Et quis sit ille Satanas, siue aduersarius, cuius opera vel pompas in Baptismo renuntiamus.* Hæc si Christianorum omnium debeat esse cura, cur non eandem requiramus à Monachis? Vt scilicet ABRENVNTIATIONIS in ipsâ Professione factæ iugiter meminerint, eâque quoad licuerit perficere studeant: *Parum est enim*, inquit Cassianus, RENVNTIASSE *Monachum semel, id est, in primordio conuersionis suæ contempsisse præsentia, nisi eis quotidie* RENVNTIARE *perstiterit. Vnde & Dominus in Euangelio: Si quis vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

(Tom. 2. Conc. Galliæ, anno 811.) (*Monachis in Professione.*) (Cassian. Collat. 24. cap. 2.)

Quid sit Renuntiatio. Quæ cùm ita sint, Quærendum, quid sit RENVNTIATIO: audi Magnum Basilium: *Perfecta* RENVNTIATIO *in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt passionibus omnibus careat, & nec ad vitam ipsam affectu inclinetur.* Quam definitionem pluribus exponit: Denique & hanc subiungit: RENVNTIATIO *est cordis ab humano viuendi ritu ad eum transcriptio qui in cœlis est, adeò vt iure optimo dicere possimus: Nostra conuersatio in cœlis est: &, quod omnium maximum est, similitudinis, quam cum Christo habere debemus, initium, qui ipse, cùm diues esset, egenus factus est propter nos: quam sine controuersia nisi priùs consequamur, nunquam viuendi ex Euangelio Christi Institutum poterimus attingere.* Hactenus ille.

(Regula 8. ex fus.) (Philipp. 3.) (2 Corinth.)

Triplex Renuntiatio. Quotuplex autem est RENVNTIATIO? Respondet Cassianus, ABRENVNTIATIONES *tres esse, & Patrum traditio, & Scripturarum sanctarum demonstrat auctoritas. Prima est, quâ corporaliter vniuersas diuitias mundi, facultatesque contemnimus: Secunda, quâ mores ac vitia, affectusque pristinos animi, carnisque respuimus: Tertia, quâ mentem nostram de præsentibus vniuersis ac visibilibus euocantes,* (Cassian Collat. 3. cap. 6.) *futura tantummodò contemplamur, & ea quæ sunt inuisibilia concupiscimus.* Ita ille. Paulò aliter Climacus: *Nemo* (ex Monachis) *in cælestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam & secundam & tertiam* ABRENVNTIATIONEM *impleuerit. Vt scilicet primò* ABRENVNTIET *rebus omnibus, hominibus & parentibus. Secundò, voluntati propriæ. Tertiò inani gloriæ, quæ solet obedientiam subsequi.* Ita ille. (DOCTRINA S. BENEDICTI) (Climac. grad. 2.)

Quænam ex S. Benedicti mente. Cuius secunda RENVNTIATIO illa ipsa est, quam à suæ Scholæ discipulo S. BENEDICTVS in primis requirit, cùm ait; *Ad te nũc meus sermo dirigitur, quisquis* ABRENVNTIANS *propriis voluntatibus, &c.* Quorsum autẽm hanc vsque adeò exigit ABRENVNTIATIONEM? Nimirùm quia Cœnobitarum fortissimum Monachorum genus suâ Regulâ suscepit informandum. *Finis autem Cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates;* vt apud Cassianum docet Abbas Ioannes. (Prol. Reg.) (Cass Collat. 19. c. 8.)

Triplex praxis Abrenuntiationis. Vis aliquam huius ABRENVNTIATIONIS praxim? Considera, quæ SS. Patres inculcant de communi illâ, quæ in Baptismo fit ABRENVNTIATIONE, & hoc ipsum in hac Monasticâ diligenter exerce. Tria in exemplum propono. *Primùm*, ipsius ABRENVNTIATIONIS memoriam, quam refricat Chrysostomus, *Vocis*, inquit, *illius recordaris, quam* dum sacris institueréris, emisisti: *Abrenuntio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo.* Et Concilium Parisiense VI. *Omnibus fidelibus studendum est, vt pactionis & sponsionis, quam cum Deo in Baptismate fecerunt, semper memores existant.* Ita quoque nunquam tibi excidat, ô Religiose, ABRENVNTIASSE te volũtati propriæ, cum Monasticen es professus, & hoc crebrò in memoriam tibi reuoces. *Secundum*, Quemadmodum citato loco Ioan. Chrysostomus scribit, nihil hac voce esse tutius: ABRENVNTIO *tibi Satana, & coniungor tibi Christe.* Hortaturque non modò cùm in forum prodimus, verùm etiam cùm fuerimus egressi ianuæ vestibulum, ijs priùs vtamur verbis: Non secùs Monachus identidem vel corde, vel ore renouet Monasticam ABRENVNTIATIONEM. Vnde S. Gertrudis diuinitùs inspirata, legit aliquando trecentis sexaginta quinque vicibus hæc verba Euangelica: *Non mea sed tua voluntas fiat amantissime Iesu.* Quod etiam sensit Domino plurimùm placere. SS. Epictetus & Aston Martyres, in omnibus suis tormentis licet grauissimis nihil aliud dixerũt, quàm; *Christiani sumus: fiat voluntas Dei nostri in nobis.* In hunc sensum dicit S. P. BENEDICTVS: *Rogamus Deum in oratione, vt fiat voluntas eius in nobis.* Illustrissimum porrò exemplum *resignationis* propriæ voluntatis in horto Gethsemani Christus Dominus

(Prima.) (Chrysost. homil. 21. ad pop Antioch.) (Conc. Parisf. VI. Can. 9.) (Secunda.) (Chrysost. ibid.) (Blos. in Monili c. 11.) (Vit. Patr. lib 1 cap 15.) (Cap 7. Grad. 1.)

DOCTRINA S. BENEDICTI

Luc. 22.

nus exhibuit, cùm Patri supplicans, secundùm Lucam dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, subijciens illi suam voluntatem secundùm totam substantiam. Secundum Marcum: *Non quod ego volo, sed quod tu*: indifferens ad quodque obiectum. Secundùm Matthæum: *Non* sicut *ego volo, sed* sicut *tu*: indifferens scilicet, & paratus ad quemcumque modum. Quæ verba magno affectu suaserim vt Religiosus identidem repetat.

Marc. 14.

Matth. 26.

Tertia.

August. de Symb. ad Catech. lib. 4 cap. 1.

Tertium: Baptizatos ita Augustinus alloquitur: *Huic* (inimico) *vos renuntiare professi estis, in quâ professione non hominibus,* B *sed Deo & Angelis eius conscribentibus, dixistis* (RENVNTIO.) *Renuntiate non solùm vocibus, sed etiam moribus, non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ, nec tantùm labijs sonantibus, sed operibus pronuntiantibus.* Monachus quoque professus est, se propriæ RENVNTIARE voluntati: Hoc proinde non verbis tantùm, sed operibus ostendat. Monet Legislator noster, *vt quis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini* FACTIS *imitetur dicentis: Non veni facere voluntatem meam,* C *sed eius qui me misit.*

Cap. 7. grad. 2.

Ioan. 6.

Quemadmodû autem id opere ipso sit explendum, pulcherrimè docet S. Dorotheus: *Breui cuilibet spatio (modò velit) suas amputare voluntates, & seipsum abnegare decies perfacile poterit. Quomodò autẽ id fiat, edocebo: Obambulat quispiam, & aliquid fortè conspicatur, suadetur acturum à cogitatione, vt illud aduertat. At is, si sapit, cogitationi & suasioni illi repugnat, seque auertit & dicit, Certè non aduertam, neque id penitus considerabo. Rursus offendit quis aliquos nugis, & varijs rumoribus occupatos, & ait illi* D *cogitatio cordis sui; Dic & tu verbum aliquod, immisce te huic turbæ: At ille negat se id acturum, & voluntatem suam abrumpit prorsus. Iterum dicit ei cogitatio; Adi cocum, & interroga, quid paret obsonij: at ille non adit, nec voluntati suæ obtẽperat. Item cernit fortasse quidpiam, suadet illicò cogitatio, vt interroget quisnam illud attulerit: At ille negat, & voluntati suæ repugnat, appetitum comprimit, nec percunctatur omninò. Atque ad hunc modum, si voluntates proprias frequenter præciderimus, breui fiet, vt quæcumque nobis aduenerint, perfa-* E *ctè illa præcidere (si voluerimus) assuescamus; & à paruis quidem ac minimis inchoandum est, vt iam summâ cum requie, maiora ac maxima præcidamus. Sic demum ad id perueniemus, vt voluntatem propriam penitus non habeamus: sed si quid factum fuerit ab alio, ita nos quietos reddat & pacatos, ac si à nostrâ proficisceretur voluntate.* Hactenus ille.

Doroth. serm. 1.

Methodus pulcherrima voluntatem propriam mortificandi.

Magno emolumento.

Solet autem *abrenuntiatio* hæc frequenter appellari ABNEGATIO sui. De quâ Sancti Patres, & Euangeliorum Interpretes legendi. Adi, si lubet *Regiam nostram Viam Crucis*, *Lib. 1. cap. 14.*

DISQVISITIO III.

Vt Officio MILITIS *Christi Monachus queat satisfacere?*

ITERVM tibi propone;

Amice, ad quid venisti?

Cui quidem responderi potest, ad MILITIAM. Quilibet enim Benedictinus est MILES Iesu Christi sub vexillo S. P. BENEDICTI, contra spirituales hostes Deo MILITANS. Descriptionem hanc suppeditat ipse huius sacræ MILITIÆ Dux, qui initio Prologi ait, se ad eum verba dirigere, *qui Domino Christo vero Regi* MILITATVRVS, *Obedientiæ fortissima atque præclara* ARMA *assumit.* Deinceps verò introducit Christum, supremum huius MILITIÆ Imperatorem suauissimè omnes inuitantem, & bellandi leges præscribentem: tandemque concludit: *Ergo præparanda sunt corda & corpora nostra sanctæ præceptorum Obedientiæ* MILITATVRA.

Miles Benedictinus.

Prolog. Reg.

Duplicis generis in suis castris habet MILITES: alios, qui in acie; alios qui duello depugnent. Prioris ordinis est *Cœnobitarum fortissimum genus*, MILITANS *sub Regulâ vel Abbate.* Posterioris sunt Anachoretæ, qui *benè instructi fraternâ ex acie ad singularem pugnam Eremi* descendunt: & *solâ manu vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante,* PVGNARE *sufficiunt.* Nullum verò Tyronem vult suscipi, nisi cui prælectâ Regulâ expresè dictum sit: *Ecce Lex, sub quâ* MILITARE *vis; si potes obseruare, ingredere: Si verò non potes, liber discede.*

Duplicis generis.

Reg. cap. 1.

Cap. 58.

Constat igitur Statum Monasticum esse MILITIAM *Christi, Militiam* cælestem, *Militiam* diuinam, vt appellauit Isidorus Hispalensis. Monachos esse MILITES, Monasteria castra spiritualia, cellas Monasticas esse tentoria siue tabernacula sacræ MILITIÆ. Quare S. Basilius in cellæ laudem se effundens, ait: *O cella turris Dauid, quæ ædificata es cum propugnaculis; mille clypei pendent ex te; omnis armatura fortium: tu campus diuini prælij, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum.*

Monastice est militia.

Isidor. in Reg. Monach. c. 4.

Basil. de laud. Erem.

Sed paulò attentiùs consideremus, quomodò Religiosi Christi dicantur MILITES; constat enim omnes Christianos in Baptismo Christi MILITIÆ inscribi, & in Confirmatione armis indui. Fidelium enim cõgregatio, siue quæ in terris est Ecclesia, vocatur MILITANS, & *castrorum acies* benè *ordinata.* Exercitus huius summus *Imperator* & Dux est Christus IESVS, *Vicarius* eius Summus Pontifex. *Vexillum* est signum Crucis; *Arma* sunt virtutes; *Tuba* verbum Dei.

Ecclesia Militantis Exercitus.

Cant. 6.

In tres acies diuisus.

Dei. In magno hoc Exercitu tres sunt, & numerosæ admodum *Acies*, Clericorum scilicet, Religiosorum, & Laicorum; quæ singulæ suis pugnant armis.

Legiones S. Benedicti.

In secunda hac *acie* suas S. BENEDICTVS explicat copias, tot instructus *Legionibus*, quot sub eius Regulâ *militant* Ordines, tot nobilitatus *Tribunis*, quot habet Ordinum Fundatores. Sed vel in vno Cœnobio cohortem Militũ vtcumq; adumbratã videre licet. *Centurionẽ* enim agit Abbas; *Optionem* repręsentat Præpositus, siue Prior; *Signiferũ* Supprior; *Decuriones*, siue Manipuli Præsides, Decani, *Circitores* illi sunt, quos deputat S. BENEDICTVS, vt *circumeãt Monasteriũ horis, quibus vacãt Fratres lectioni.* Quos *Circas*, & *Circatores* vocant. *Annonæ Structorem* exhibet Cellerarius; *Tympanistã* significator Horarũ, vt vocat Petrus Damiani; *Tirones* diximus esse Nouitios, Monachos omnes Petrus Abaelardus *Equites*, Conuersos *Pedites* facit. Huius MILITIÆ stipendia sunt auxilia diuinæ gratiæ: Finis & Victoria, regni Dei fieri cõsortem. Nam vt Imperator noster ait: *Regnũ Cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vis ordinatã Castrorum aciem in Monasterijs intueri? Vide Petrum Damiani velut digito commõstrantem. *Ad pugnã quasi castra contẽdimus, cùm, vt ita dicã, psalturi vel oraturi ad Ecclesiã festinamus. Illic enim tenebrarũ principes aduersũ nos feraliter dimicant, vt per illusiones phantasmatum ab his quæ per labia desluunt, vagabũdas mentes auertant. Et re verâ quã pulchra militiæ species, præcipuè nocturnis horis, cùm Fratres quasi tubarũ clangoribus excitati, cuneũ faciunt, & tamquam directâ acie properantes, attoniti ad procinctum diuini certaminis cõcorditer gradiuntur. Cùm videlicet puerorum ala procedit, iuuenum verò tanquam manipulorũ turma subsequitur: postrema autem legentes vestigia senes, belli scilicet robur, ne subsidat aliquis, ne vel hostis furtiuus immergat, totius exercitus terga custodiunt.*

Specimen centuriæ militaris in Monasterio.

Cap. 48.

Petr. Abael. Epist. 8.

Petr. Dam. Opusc. 13. cap. 17.

Et pugnæ adumbratio.

Adde quod laterna in primâ belli fronte præfertur, vt columna ignis per desertum præcedere populum aptissimâ similitudine videatur.

Hęc de toto Exercitu: nũc Militis cuiusque munus contemplemur. Militiæ huic adscripto Apostolicũ illud inculco: *Labora sicut bonus* MILES *Christi. Milita bonã* MILITIAM. Belli leges obserua. Admissi MILITES conceptis verbis sacramentũ edebãt, cuius summa erat, obtemperaturos se pro viribus Imperatori, signa secuturos, eaq; nullo tẽpore deserturos. An non idem omninò fit in Professione Monasticâ, de quâ S. BENEDICTVS: *Si habitâ secũ deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens lege constitutum, quod ei ex illâ die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub iugo Regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit recusare aut suscipere.*

2. Timoth. 2. 3.

Militis Benedictini leges & munera.

Cap. 58.

DOCTRINA S. BENEDICTI

I.

Constanter & sine remissione militandum.

Primò itaq;, vide quàm alacriter signa sequaris, an ea non deseras; & si nõ corpore, animo saltem castra nõ deserueris. Monet etiã Abbas Paphnutius apud Cassianum; *Vt quemadmodũ corpore parentes, patriam, diuitias mũdi, voluptatesq́; despeximus; ita etiã corde hæc omnia relinquẽtes, nulla rursus ad ea quæ dimisimus, cõcupiscẽtiâ reuertamur: sicut illi, qui educti per Mosen, cũ vtiq; corpore nõ redissent, corde tamẽ reuersi dicũtur in Ægyptũ; sicut Scriptura cõmemorat: Et reuersi sunt cordibus suis in Ægyptũ.* Vbi obiter liceat mirari eruditũ Cassiani Cõmentatorem negare hęc in editione vulgatâ haberi, nec apud aliũ Authorem reperire potuisse, cùm Actorum 7. 39. ita legatur; *Et auersi sunt cordibus in Ægyptum.*

Coll. 3. cap. 7.

Cassianus illustratus.

II.

Repellendus & vltrò inuadendus hostis.

Secundò, cõsidera, an fortiter cu hostibus congrediaris, an viriliter resistas, an vltrò inuadas. Sed quinã hostes? Cõmuniter recensentur Mundus, Caro, Diabolus. Sed in Monastico prælio nullus nobis magis formidandus, quã nos ipsi, siue propria voluntas, contra quã *militaturus, Obẽentiæ fortissima atq; præclara arma assumit.* Hinc Cæsarius Arelatensis, siue vt alijs placet, Eusebius Gallicanus: MILITIA, inquit, *nostra hoc à nobis requirit, vt non cõtra alios, sed cõtra nosipsos quotidie dimicemus: & vniuersos hostes nostros in nobis ipsis iugiter persequentes, palmas spirituales triũphi à Domino cõsequamur.* Pluribus Origenes: *Nouũ tibi videbitur, quod dicturus sum, sed tamen verũ est. Præter temetipsum extrinsecus nihil requiras, intra te est præliũ quod gesturus es, intrinsecus est mala ædificatio, quæ subruẽda est, hostis tuus de tuo corde procedit, nõ mea vox ista, sed Christi est dicentis: De corde procedũt cogitationes malæ, adulteria, homicidia, &c. Vide quãtus & qualis exercitus hostium de tuo corde procedit aduersum te, isti nobis primâ strage prosternẽdi sunt, horũ si subruere mœnia, ipsosq́; ad internecionẽ cadere poterimus, ita vt nõ relinquamus ex eis, qui renũciet, vel respiret, tũc nobis per Iesũ dabitur illa requies, vt vnusquisque sub vite suâ, & sub ficu suâ requiescat, cùm non sit iam, qui exterreat filios Israel.*

Hom. 8 ad Monachus.

Maximè Propria voluntas.

Orig. hom. 5. sup.

Cap. 5. Iosue.

Matth. 15.

III.

Ad internecionem delendi inimici.

Tertiò, vno hoste deuicto, aliũ inuade dicens cum Prophetâ: *Persequar inimicos meos, & cõprehendam eos: & nõ conuertar, donec deficiant. Calca mortuũ,* inquit Augustinus, *transi ad viuum, calca iacentẽ, conflige cum resistente. Mortua est enim vna delectatio, sed viuit altera, & illã dum non cõsentis, mortificas, cum cœperit omninò non delectare, mortificasti; hæc est actio nostra, hæc est* MILITIA *nostra: in hoc agone cum cõfligimus, Deũ habemus spectatorẽ, in hoc agone cum laboramus, Deũ poscimus adiutorẽ. Si enim nos ipse non adiuuat, nõ dico vincere, sed nec pugnare poterimus.* Nimirũ ille est, *qui docet manus nostras ad præliũ, & digitos nostros ad bellũ.*

Psal 17.

Serm. 13. de ver. Apost.

IV.

Nec cum ijs vnquam conspirandum.

Quartò, noli conspirare, aut vllam admittere cõmunicationem cũ hostibus: proditoris

DOCTRINA S. BENEDICTI

toris hoc est, & Ducis sui partes deserẽtis. Quod quidem eò magis faciendum, quòd præualere nobis hostes nequeant, nisi ipsis cõsentiamus. *Tres*, inquit Bernardus, *imminent stratores, horũ diabolus liuore malitiæ, mũdus vẽto vanitatis, homo semetipsum põdere suæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non euertit, si quidem tuum illi negaueris assensum; deniq; habes, resistite diabolo, & fugiet à vobis, iste est, qui stantes in Paradiso impulit inuidus, & euertit, sed consentientes, non resistentes, iste est, qui seipsum de cœlo superbus nullo impellente præcipitauit, vt scias multò magis hominẽ ipsius casui imminere, quàm propriæ substantiæ põdus grauat: est & Mundus impulsor, quia in maligno positus est, impellit omnes, sed solùm euertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Ex quibus satis claret, quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absq; suo cadere non potest.* Sic ille.

Serm. 85. in Cant.

V. Expendenda comparatio S. Basilij. Admonit. ad filium spirit.

Quintò, expende illam, quam S. Basilius inter sæcularem MILITEM & spiritualem instituit comparationem: *Ille*, inquit, *donec pugna geritur, arma à semetipso non proijcit, ne ab aduersario vulneretur: ita & tu nũquã debes esse securus, quia tuus hostis hoste illius est astutior. Illius quidem hostis ad tẽpus dimicat, tuus verò hostis quãdiu in stadio vitæ huius consistis, tecum pugnare nõ cessat. Illius arma grauia sunt & laboriosa ad portandũ, tua verò arma volentibus portare suauia ac leuia sunt. Ille cum superauerit aduersariũ, ad domum coniugis ac liberorũ reuertetur: tu verò hoste prostrato in illud cæleste regnum cum omnibus Sãctis intrabis. Ille pro labore terreno terrenum accipit donatiuum: tu verò pro spirituali labore cæleste recipies præmium. Cæleste enim donum expectet Monachus, qui terrenos actus à semetipso proijcit, ne implicet se negotijs sæcularibus* MILITANS *Deo.*

DISQVISITIO IV.

Quænam Spiritualis MILITIÆ *arma?*

MILITEM produximus, sed hactenus inermẽ; nunc *arma* illi assignanda, ne mutila sit hæc tractatio: & hac occasione nõnullę S. BENEDICTI sentẽtię dilucidẽtur.

Benedictina militia arma fortissima. Prolog. Reg.

De *armis* autẽ MILITIÆ nostræ Dux ait: *Ad te nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntiãs proprijs volũtatibus, Domino Christo vero Regi* MILITATVRVS, *Obediẽtiæ* FORTISSIMA *atq; præclara* ARMA *assumis*. Ab Apostolo didicisse videtur hęc, quæ *armis* tribuit, epitheta. FORTISSIMA vocat, quia ARMA MILITIÆ *nostræ non carnalia sunt sed potẽtia Deo*, id est per Deum. Sunt ARMA FORTISSIMA, quia de S. Scripturæ armamentario sumpta, in quo mille clypei & omnis armatura fortium. Sũt *arma fortissima*, quia Apostolus vocat *armaturam Dei*, qui est *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Sũt deinde *Arma præclara*, quia, vt vocat Apostolus, sunt *Arma lucis: Abijciamus*, inquit, *opera tenebrarum & induamur* arma *lucis*. Sũt *arma* iustitię, quę ab ipso Iustitię Sole Christo Iesu Fulgorẽ & Splendorẽ desumunt.

2. Corinth. 10.

Psalm. 23.

Rom. 13.

Quæ Arma Christianorum? Ephes. 6.

Sed quænã sunt hęc Obedientiæ *Arma*? S. Paulus assignat Christiani Militis *Arma* in hunc modum: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti* loricam *iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euãgelij pacis: in omnibus sumẽtes* scutum *fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et* galeam *salutis assumite: &* gladiũ *spiritus, quod est verbũ Dei.*

Monachis propriè tributa, & illustrata.

Quamuis autẽ hęc omnibus conueniant Christianis, peculiari tamen ratione ea etiã Monachis præscribunt S. Patres, Basilius in Admonitione ad filium spiritualem, S. Ephrem Tractatu de Panopliâ, siue armatura spirituali: Cassianus, Collatione 7. cap. 5. Climacus gradu 4. cum aliquâ tamen, sed exiguâ, vti videmus, differentiâ.

I. Galea.

Porrò vt ordine à capite ad calcẽ *Religiosum Militem* his *armis* induamus, atq; ornemus, initiũ à GALEA, capitis operimento sumemus. *Galeam salutis*, inquit Apostolus, *assumite. Galea salutis*, vt exponũt Theophylactus & Vatablus, est *galea salutaris*, quę caput seruet & saluet. Sed quænam hęc? Ipse Apostolus se explicat, *induti*, inquit, *Galeam spem salutis*. Ipsa ergo Spes est *galea*. Et sic in alijs videbimus ipsas virtutes esse spiritualia arma nostra. Sicut enim *Galea* principem hominis partem, caput scilicet, à quo cætera membra, totusq; homo pendet, tuetur & munit, ita *Spes salutis* munit interioris hominis caput, id est cogitationes, fines & intentiones. Hæc enim id sunt in actionibus, quod caput in homine: nam sicut caput dirigit, mouet & gubernat cętera mẽbra: ita intentio omnia nostra desideria, verba, & opera. Spes ergo salutis finem & intẽtionem nostram gubernat. *Primò*, quia facit, vt vltimus noster finis, nostra intentio, nostrum desiderium sit Deus, & ęterna salus, & vt omnia nostra eò referamus. *Secundò*, facit, vt homo cogitans æternam salutem & retributionẽ, repellat omnes alias cogitationes diffidentiæ, pusillanimitatis, carnalium desideriorum, vanitatum mundi, & sensualitatis propriæ, & cogitatione salutis armatus, fortia quæq; aggrediatur & sustineat. Vnde S. Ephræm & Cassianus *galeam* vocant *Spem futurorum*. Tria autem sperare debet Miles Christi. *Primum*, quod habebit vires ad resistendũ hostibus; imò quòd eos quoque sperabit, & *Vir obediens loquetur victoriam. Secũdum*, quòd non deerunt auxiliares copiæ à Summo Imperatore è cœlo submissæ, gratia scilicet Angelorũ & Sãctorum, quos inuocauerit in adiu-

1. Thessal. 5. 8.

Per quam Spes intelligitur.

Duas ob caussas.

Tria speranda Christi militi.

Prou. 21.

in adiutorium. *Tertium*, quod expectet Victoriæ triumphũ, donatiuum Imperatoris summi, vitam & salutẽ æternam: Hęc vno verbo inter Instrumẽta bonorum operum complexus est S.BENEDICTVS, *Spem suam Deo cõmittere*. Quia autem ex Spe nascitur Oratio, & inuocatio diuini auxilij, quo ea, quæ speramus, poscimus consequi: hinc Climacus *Galeam* interpretatus est, *Orationem Patris spiritualis*: volens subditum magnum præsidium in hoc bello ponere in oratione sui Superioris. Et S.BENEDICTVS loquẽs de operibus supererogationis, vult ea non tantum cum Obedientia & benedictione Patris spiritualis, sed etiam cũ illius fieri oratione. S.Paulus quoq; enumeratis omnibus Christiani Militis armis, veluti de subsidio sollicitus statim subiunxit; *Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantiâ*. Quid grauius dici, aut vehementius inculcari & vrgeri posset? Requirit enim *omnem orationem, omni tẽpore, omni instãtiâ*. Credi possit huc allusisse S.P.BENEDICTVM: Postquam enim dixit: *Ad te nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenũcians propriis voluntatibus, Obedientia fortissima atque præclara arma assumis*: mox subdit: *In primis, vt quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instãtissimâ oratione deposcas*.

Cap. 4.

Potest & per Galeam Oratio significari.

Cap. 49.

Ephes. 6.

Prolog. Reg.

II. Lorica.

Sed iam à capite nonnihil descendẽtes, LORICAM consideremus. *Lorica* autẽ Grecis *Thorax*, est pectoris munimentũ: & duas habebat partes apud Romanos, vt Lipsius annotauit, vnam anteriorem pectus defendentẽ, aliam posteriorem, quã dorsum obarmabatur. Inferiora enim scuto satis protegebãtur. Cornelius vero ait hic intelligi *Loricam Germanicam*, quæ à collo ad genua pottigitur, tegitq; tam femur, quã pectus; adeoq; ferè totum hominis corpus. Hanc autem *Loricam* Apostolus vocat *Iustitiam*, nõ eam quæ specialis est virtus, & vnicuique suum ius reddit: sed generalem quæ complexio omnium virtutũ est: Hęc enim totum hominem vndique obarmat, & ex omni parte cõmunit. Vnde Chrysostomus, *Lorica*, inquit, *Iustitia est Catholica & virtute prædita vita*. Sic apud Prophetam de Deo ipso dicitur: *Et indutus est Iustitiâ vt Loricâ*. Sed ne nimis fortasse generalis sit hæc *Loricæ* interpretatio, & cùm alia arma singulares quasdam exprimant virtutes; hæc vna omnium virtutum aggregationem significare non satis aptè videatur: Notandũ est, etiã alias inueniri *Loricæ* explicationes: Nam idem ipse Apostolus ait: *Induti Loricam fidei, & Charitatis*. Hinc SS.Ephrẽm & Basilius *Loricam* exponũt fidem, licet apud Basilium in margine scriptum sit: *Charitatem*. Et Cassianus solam ponit Charitatem:

Lipsi lib. 3. de milit. Rom. dial. 6.

Quæ est Iustitia.

Isa. 59.

Vel fides, & Charitas. 1. Thess. 5.

A *& Loricam*, inquit, *Charitatis. Ipsa namque est quæ vitalia pectoris nostri circumdans atque cõmuniens, lethalibus perturbationũ obiecta vulneribus, cõtrarios retundit ictus, nec ad interiorem hominem nostrum iacula diaboli penetrare permittit. Omnia enim suffert, omnia patitur, omnia sustinet*. Et rectè omninò Charitas Obediẽtiæ militaturo conuenit: nam hunc est quod Legislator noster agens de Obediẽtiâ, dicat: *Hæc conuenit ijs, qui nihil charius Christo existimant*: vt ostenderet ex radice Charitatis nostrã procedere debere Obe-B dientiam. Vnde cùm agit in Obedientiâ in rebus difficillimis, &, vt loquitur, impossibilibus præstãdã, ait: *ex Charitate confidẽs de adiutorio Dei, obediat*. Et tertiũ Humilitatis gradum esse dicit: *Vt quis pro Dei amore omni Obedientiâ se subdat Maiori*. Quia autẽ *Charitas*, vt Apostolus dixit, *patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; *hinc* scilicet Climacus Religioso Militi *Loricas ferreas, Patiẽtiã scilicet & mansuetudinis* assignat, *per quas omnẽ contumeliam & aculeum, sermonisq́; iaculũ repellat*. Excipiat, inquam, Patiẽtiæ *Loricâ* increpationes, in-C iurias, opprobria, probationis causâ, vel ex hominũ infirmitate sibi illata. Concinit & S.BENEDICTVS, quartũ humilitatis gradum constituens: *Si in ipsâ Obediẽtiâ duris & cõtrarijs rebus, vel etiã quibuslibet irrogatis iniurijs, tacitâ conscientiâ Patientiã amplectatur*.

DOCTRINA S.BENEDICTI Cass. collat. 7. cap. 5.

Quæ obediẽtiæ docet.

Cap. 5.

Cap. 68.

Cap. 7.

1. Cor. 13.

Et pati iniurias. Climac. gradu 4.

Cap. 7.

Sed iam ad alia Religiosi Militis *arma* descendamus. Sequitur *Baltheus*, siue Cingulum; quod loricæ superponitur, & lumbos siue renes circũdat: de quo Apostolus ait: *State ergo accincti lumbos vestros in veritate*. Vt autem varias *Balthei* explicationes, D quas adfert Cornelius, hîc prætereamus, cõmunis satis est ea interpretatio, vt castitatis symbolũ sit. Hinc Gregorius ait: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Et Sacerdos sacris se induẽs vestibus, ad Cingulum ait: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ & castitatis*.

III. Baltheus.

Qui Castitatis symbolum est.

Greg. hom. 13. in Euan.

A Baltheo veniamus ad OCREAS siue *calceamenta*; de quibus ait Apostolus: *Et calceati pedes in præparatione Euangelij pacis*. Nõ E dissimiliter S.BENEDICTVS: *Et calceatis pedibus nostris, per ducatum Euãgelij pergamus itinera eius*. *Calcei* ergo sunt *Ocreæ* (militares enim calcei non planras tantùm, sed & pedes, & tibias tegunt) adeoque *Ocreæ* Militis spiritualis sunt præparatio Euangelij: hæc autẽ præparatio, vt certè notat Theophylactus, & Chrysostomus, est alacris promptitudo; & propter alacritas animi, partim ad ambulandum viam Euã[illegible] pacis, partim ad eandem annunciandũ. Quod luculenter B.P.N. expressit, cùm ait: *Vt per ducatum*

IV. Ocreæ.

In Prolog.

Quæ designant præparationem Euangelij.

DOCTRINA S. BENEDICTI

Euangelij pergamus itinera eius: Sic nimirùm militē decet esse obarmatum, vt per viam Euangelij inoffenso pede ambulet; suaque exemplari & piâ vitâ alios ad eandem viam ineundam alliciat & trahat. Sed si ad Obedientię particulare certamē velimus hosce trāsferre *calceos*, dicere licebit significari ijs eam alacritatē & promptitudinē, quam in obedientibus Discipulis S.P.BENEDICTVS requirit: nimirùm, *vt non sit tarda, non tepida, non trepida, sed sine mora, & mox vt imperatum aliquid à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo.* Hi nempe, *vicino Obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur.* Ecce, quantam in obtemperando requirat velocitatem, cùm autem dicat, *vicino obedientiæ pede*; quis non videat pedem hunc, vt velociter possit currere, meritò *calcea* suo muniendum? Qui enim nudis incedit pedibus, is tardiùs, trepidè, timidè, & pedetentim graditur, veritus ne alicubi pedem fortè offendat. Sed obediēs debet habere pedes velocissimos, vt possit dicere, *Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum.*

Vel obedientiæ promptitudinem. — Cap.5. — Psal.17.34.

Sed & aliâ se offerunt in spirituali viâ Christiano Militi *calceamenta*. Gregorius enim Nyssenus ait *calceos* esse vitam *mortificationis* duram & asperam: vel, vt alij, *memoriā mortis*. Fiunt enim calcei ex mortuorum animaliū pellibus ac corio. Docemur igitur, *Mortificationem Iesu* Christi iugiter *in carne nostrā circumferre: Mortificate mēbra nostra, quæ sunt super terrā.* Alias *Ocreas* suggerit nobis S.Anselmus: *Calceamēta*, inquit, *quæ fiūt ex corijs mortuorum animalium, significant exempla Patrum tam defunctorum, quibus ab omni terrenā læsione defenduntur pedes nostræ mentis, id est affectiones, quibus tamquam pedibus ad faciendum aliquid promouemur. Sanctorū vita*, inquit Ambrosius, *cæteris est norma viuendi.* Atque vt S.Eucherius ait: *Armantur filiorum animi, dum Patrum recēsentur triumphi.* S.Ephrem religiosum armaturus militem, *Calceos* illi tribuit *Humilitatis*. Cōgruè sanè: nam vt calceamentis humum calcamus; itâ admonent nos Humilitatis nostræ, quod terra sumus, de tertâ sumpti, & in terram reuersuri. Climacus præterea de spiritualibus differens *Ocreis*, itâ ait: *Stēt præterea non vinctis pedibus, sed alterū quidem ad ministeria prætendant, alterum verò fixum in orationibus atque immobilē teneant.* In quibus verbis requirit agilem, promptā atque velocem ex vnâ parte obedientiam, ex aliâ verò perseuerantiam in oratione. Oratio enim obedientiam valdè exornat, & vires impetrat, vt facilè fieri queat quod Superior imperat. Sed satis non est *Calceamenta* hæc induisse; cùm illis enim incedendum & ambulandum, vt de cuiusq; animâ dici

Item, mortificationē. — Lib. de vit. Mos. — 1.Cor.4. — Colos. 3. — Anselm. in Epist. ad Ephes. — *Et exempla Patrum.* — Ambros. de Ioseph cap.1. — *Et alia.* — Gradu 4. — *Incedendum cum Ocreis.*

A possit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Vbi notandum, non ipsa *calceamenta*, sed gressus, qui in eis fiunt laudari. Deus enim maximè delectatur nostro in virtutibus progressu. Cant.7.

Quæ hactenus deprompsimus arma, spiritualem *Militem* ita muniunt, vt simul etiā vestiant: nūc ea promemus, quibus vel hostem offendit, vel corpus defendit. Vttamque manum B. Apostolus armat; sinistræ enim *scutum*, dextræ tribuit *Gladium*, vt hoc impugnet, illo autem inimico repugnet. V.

B De Clypeo ait: *In omnibus sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* In omni tētatione vult nos diaboli sagittas, & suggestiones instar ignis penetrantes, ardentes & inflammātes, *Clypeo* fidei excipere & retundere. Quam impenetrabile *Scutum* sit fides, S.Paulus ostendit, cùm ait: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Et S.Ioānes: *Hæc est victoria, quæ vincit mūdum*, fides *nostra*. Isidorus: *Ab incredulis*, inquit, *diabolus tenetur vt leo, à fortibus in fide vt vermis contēnitur.* S.Climacus paulò pro-

C piùs ad Monasticam respiciēs Militiam, ait: *Ne ipsum quidem fortissimorum bellatorum habitum negligenter prætereundū existimemus. Vt illi Clypeū teneant, fidem, scilicet ad Deum, atque ad exercitationis suæ Magistrū, per ipsum, vt ita dixerim, omnem infidelitatis omnemque præuaricationis cogitationem repellentes.* Iungit fidem in Deum, & erga Magistrum, quia hunc verus Obediens Dei vice habet, & credit sanctum, quod ille iusserit.

Scutum fidei, quo hostium impetus eluduntur. — Ephes.6. — Hebr.11. — 1.Ioan.5. — Isid. lib.3. de sum. bono cap.5. — Climac. grad.4.

Vltimum inter arma locum habet GLADIVS: de quo Apostolus: Et *Gladium spiritus*

D (assumite,) *quod est verbū Dei.* Hoc ipso *gladio* Dux noster Christus vicit & iugulauit dæmonem se in deserto tentantem. Hoc *gladio* vsa quoq; S.Paula Romana, vt in eius Epitaphio commemorat S. Hieronymus. Hinc liquet, quemadmodū spiritualia hęc arma conueniant Monachis. Quod & inde magis confirmatur, quod Græci in suo Euchologio, dum ritum ordinemq; præscribunt instituendi Nouitium, vel tradendi *magni & Angelici* (vt vocant) *habitus*: hæc ipsa arma vestibus Monasticis attribuunt. *Galeam* enim repręsentat Cucullæ; *Loricam*

E refert Tunica; *Baltheum* Zona, vel cingulū Monasticum; *Ocreas* calcei, vel pedules: *scutum* fidei exprimit scapulare; in quo videtur Monachus, vt in Euchologio illo dicitur, *assumere crucem suam in humeras, & sequi Dominum Christum.* pro Scapulari *cruce & fide munitus.* De *Gladio* spiritus, quod est verbum Dei, nihil ibi dicitur; sed interpretari possumus, illud in quotidiana lectione, siue S.Scripturæ, siue SS.Patrum, aut spiritualium librorū, Monacho abūdè suppeditari, atque ita vndique satis esse munitum. Hic teipsum

VI. — *Gladius Verbi Dei, quo iugulandus inimicus.* — *Arma hæc in veste Monastica expressa.*

teipsum examina, an armis his instructus sis, an nulla tibi desint, an integra omninò sint, vt nihil illis desit; quomodò illis vtaris, quàm promptus eorum tibi vsus, quàm crebra tractatio: neque enim decet ad militiam vocatum in his rudem esse & inexercitatum.

DISQVISITIO V.

Vt Viatoris Officium à Monacho implendum?

EXVLES nos, & peregrinos esse in hac lacrymarum valle, & S. Scripturę auctoritas, & quotidiani filiorum Euæ ad patriam suspirantium gemitus testantur. Inde adeò est, vt fi tepetito sermone inquiramus,

Amice, ad quid venisti?

Respondeti optimè possit, ad perambulandam viam, quæ ducit ad cœlum, ad peragendum iter in cælestem Ierusalem. *Benedictinus viator.* Quid enim aliud est Benedictinus, imò quilibet Christianus, quàm PEREGRINVS, & Viator? Sicut enim omnes communem *Matth. 6.* Patrem habemus Deum, cui dicimus: *Pater noster, qui es in cælis*; ità omnibus vna est patria, cælestis Ierusalem; ad quam properare debent. Verùm, quia Religiosi tutiorem *viam*, vt ad eam peruenirent, elegerunt; peculiari quodam modo, dici & esse debent *Viatores*, & iter agentes ex hâc vitâ ad alteram illam cælestem atque perpetuam. Sed ex eo capite maximè nobis considerandum est hoc *Viatoris* officium, quod illud ab ipso Legislatore nostro S. P. BENEDICTO inculcatum inuenitur. Sic *Redire debet ad Deũ, à quo recessit.* enim Regulam exorditur: *Ausculta, ô fili, præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per Obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* *Prolog. Reg.* Quibus verbis breuiter id quod diximus insinuatur; Patrem scilicet esse Deum, Patriam cœlum, ab vtroque nos recessisse per inobedientiæ desidiam; *viam* redeundi non esse aliam, quàm *Obedientiæ laborem*. *Greg. hom. 10. in Euangel.* Ad mentem verbaque S. P. sui allusisse videtur Magnus Gregorius, qui exponens quomodò Magi per aliam viam reuersi sunt in *Regionē* suam. *Regio*, inquit, *nostra Paradisus: ad quam, Iesu cognito, redire per viam quâ venimus, prohibemur. A regione etenim nostrâ superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus: sed ad eam necesse est, vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando, redeamus.*

Itinerantes igitur & *Viatores*, filios suos A vult esse S. Pater: & ne forsitan huc illuc vagentur per varias ambages vagentur, tradit eis Regulam, quæ tanquam Ariadnæum filum eos tutò deducat in tabernaculum Domini. *DOCTRINA S. BENEDICTI Dux Regulam ad id.* Vnde ait: *Quisquis ergo ad Patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice.* Per iter igitur Regularis disciplinæ nobis ad cælestem Patriam gradiendum est: nec declinandum ad dexteram vel sinistram, vt ipse viæ Dux monuit: *In omnibus omnes Magistram sequantur Regulam: neque ab eâ temerè declinetur à quoquam.* *Cap. 3.*

B Sed quia hæc in genere totam spectant Regulam, lubet in particulari aliquid de nostro *itinere*, eiusq; longitudine & duratione considerare. Videtur mihi *iter* hoc tribus, & satis magnis constare milliaribus, quæ non vno die possunt confici; sed sicut filij Israel trium dierum conficiebant *iter* in deserto, vt sacrificarent Domino; non secus nos in loco solitudinis nostræ à mundo sequestrati, trium dierum *itinere redire* conamur ad Deum Patrem nostrum, à quo per inobedientiam recesseramus. *Per iter trium dierum, seu milliarium.*

C *Primo* die, inchoandum est *primum milliare*, quod complectitur *viam purgatiuam*, siue *viam incipientium*, in quâ per considerationem nouissimorum, & præsertim gehennæ, incutitur *initium Sapientiæ timor Domini*. Pro hâc viâ præscribit S. Pater: *Diem iudicij timere: gehennam expauescere; vitam æternam omni concupiscentiâ spiritali desiderare; mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni horâ custodire.* Vt per hanc *Viam* expeditiùs & citiùs curra- D mus, ita nos admonet: *Si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus: & hæc omnia per hanc lucis Viam vacat implere; currendum & agendum est modò, quod nobis in æternum expediat.* Nemo autem dum naturæ suæ repugnantiam attendit, & rebellantem carnem sentit: illicò terrore perterritus refugiat: quia, vt optimè deinceps monet: *Via salutis non est nisi angusto initio incipienda.* Sed per angusta peruenitur ad augusta, per aspera ad plana, per telum ad E cœlum, per nubila ad iubila. *Processu verò conuersationis, & fidei, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur Via mandatorum Dei.* Sustineamus ergo primi diei difficultatem animo generoso, vt reliquum Viæ suauiùs lætiùsque percurramus. I. *Via purgatiua.* *Psalm. 110. Quam præit timor Domini.* *Cap. 4.* *Prolog. Reg.*

Secundum Milliare altero peragendum die, est *Via illuminatiua, via proficientium*: in quo anima à peccatis, vitijs, & tenebris suis expurgata, apta efficitur, vt radijs diuinæ lucis illustretur, & sequatur Christū, qui est *Lux mundi*: de quo intelligere illud II. *Via illuminatiua.*

 Psalmi-

DOCTRINA S. BENEDICTI

Pſalm. 33. *Ioan. 1.* *Duce Chriſto.*

Pſalmiſtæ licet: *Accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur.* Chriſtus igitur IESVS eſt *Dux*, & *Lux* huius *Viæ*; *qui* illuminat *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed Magiſtrum & Legiſlatorem noſtrum de hâc ſecundâ *Viâ* diſſerẽtem audiamus. *Apertis oculis ad Deificum* Lumen, *attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox, dicens: Et quid dicit?* Currite *dum* Lumen *vitæ habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Et poſt pauca: *Ecce pietate ſuâ demonſtrat nobis Dominus* Viam *vitæ. Succinctis ergo fide, vel obſeruantiâ bonorum actuum lumbis noſtris, & calceatis pedibus, per ducatum Euangelij pergamus* itinera *eius: vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno ſuo videre.* Videtis, ni fallor, ab ipſo S. P. N. aperiri nobis hanc *lucidam & illuminatam Viam*, eamque per ducatum Euangelij, per veſtigia Chriſti, per itinera virtutum eius, nobis emetiendam & percurrendam. Hinc illę eius voces, & adhortationes efficaciſſimæ, quibus vnũquemque admonet: *Abnegare ſemetipſum ſibi, & ſequatur Chriſtum. Nihil amori Chriſti præponere. Nihil Chriſto charius exiſtimare, in Chriſti amare pro inimicis orare. Vocem illam Domini factis imitari: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Imitari Dominum, de quo ait Apoſtolus, factus eſt obediens vſque ad mortem.* Denique; *Vt ab ipſius Magiſterio nunquam diſcedentes, in eius doctrinâ vſque ad mortem in Monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus, vt regni eius mereamur eſſe conſortes.* Hæc omnia S. P. N. BENEDICTVS. Et quis luculentiùs *proficientium Viam, Viam illuminatiuam*, & Chriſti imitationem ſibi quærat aut commendari, aut perſuaderi?

Prolog. Reg. — *Cap. 4.* — *Cap. 5.* — *Cap. 7.* — *Prolog.*

III. *Via vnitiua.*

Supereſt *tertium Milliare*, iter tertij diei: *Via vnitiua, Via perfectorum:* qui per Charitatem Deo & Chriſto vniuntur. De hâc Apoſtolus: *Et adhuc excellentiorem* Viam *vobis demonſtro: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Religioſę Vitæ perfectio conſiſtit in charitate; & ideò hoc eſt vltimum & ſupremum *Viatoris* ſpiritualis milliare: arduum ſanè & difficile, quia oportet aſcendere in montem excelſum, in quo charitas reſidet. Sed aſcenſum Dux *Viæ* noſtræ S. P. BENEDICTVS docet fieri per Humilitatem; iuxta illud. *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Sed ne nimiùm in aſcenſu huius montis defatigemur, erexit nobis idem S. Pater ſcalam duodecim graduum humilitatis, de qua ait: *Vnde, Fratres, ſi ſummæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cæleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire: actibus noſtris aſcendentibus, ſcala illa erigenda eſt, quæ in ſomno Iacob apparuit; in quâ diuerſos gradus humilitatis euocatio diuina aſcendendos inſeruit.* Hæc breuiter de ſcalâ; ſed quò peruenit eius ſummitas? In quod culmen per tot eius gradus aſcenditur? Summitas eius eſt Charitas, culmen eius diuinus amor: audiamus rurſus doctorem ductoremque *Viæ* noſtræ: *Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, Monachus mox ad* Charitatem Dei *perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem: per quam vniuerſa, quæ priùs non ſine formidine obſeruabat, abſque vllo labore, velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire: non iam timore gehennæ, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſâ bonâ, & delectatione virtutum.*

1. Cor. 13. — *Quæ ducit ad Charitatem.* — *Luc. 14.* — *Per ſcalam humilitatis à S. Benedicto erectam.* — *Cap. 7.* — *Ibid. Grad. 12.*

Per has tres vias non eundum, ſed currendum.

Ecce deſcripſimus triplicem noſtram *Viam*, quid reliquum eſt, niſi vt eam perambules, imò non tantùm perambules, ſed etiam percurras? Si enim aduertere volueris, inuenies S. P. BENEDICTVM nos non tam ad eundum, quam ad currendum & feſtinandum vrgere, & adhortari. *Currite*, inquit, *dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant.* Et disertè ait; *In cuius regni habitaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus* currendo *minimè peruenitur.* Item: *Si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam,* currendum, *& agendum eſt modò, quod nobis in æternum expediat. Proceſſu conuerſationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine* curritur Via *mandatorum Dei.* Denique concludit: *Quiſquis ad patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis Regulam deſcriptam adiuuante Chriſto perfice.* Viden, vt moneat & inſtet, vt velociter curras & feſtines; *Grandis enim tibi reſtat Via;* & quãtum temporis ad illam conficiendam indultum ſit, prorſus ignoras, & ideò properandum eſt, ne cùm vitæ venerit tempus, necdum *Viæ* attigeris terminum. Verùm ne hoc te reddat puſillanimem, audi piam S. Ephræm admonitionem: *Ingruente acediâ ne euadamus puſillanimes: verùm vim nobis ipſi inferamus, magnanimi* Viatoris *inſtar; quippe cui dum defectio atque debilitas per viam accidit, non cadit animo, neque à ſcopo deſiſtit propter longitudinem* Viæ; *ſed ſeipſum conſolatur, dicens: Adhuc modicum reſtat* Viæ, *& ad diuerſorium peruenies, atque quieſces. Et Dominus vim eius cernens, robur illi vireſque præbet,* Viæque *mollit ac mitigat aſperitatem.*

Prolog. Reg. — *Cap. 73.* — *Ephræm tom. 2. de virt. cap. 4.*

DISQVI-

DISQVISITIO VI.

Quâ ratione STVDIOSI *Officium Monachus obibit?*

EXAMINI te iterum sistens, inquire:

Ad quid venisti?

Ex mente autem S. BENEDICTI respondere licet, Ad SCHOLAM, quos enim instituit Monachos, *Scholasticos* facit, siue STVDIOSOS, & doctrinę suę Discipulos. De suâ autem Regulâ ita loquitur: *Constituenda est à nobis Dominici* SCHOLA *Seruitij*. Inquirendum proinde breuiter de huius SCHOLÆ *Magistro, Discipulis, Lectionibus, Classibus,* & *studendi modo.*

[Schola à S. Benedicto erecta. Prol. Reg.]

Atque vt à *Magistro* pro eius dignitate incipiamus: triplicem video in ipsâ Regulâ exhiberi. *Primus* idemque summus est ipse Deus, de quo ita loquitur: *Ausculta, ô fili, præcepta* Magistri, *& admonitionem pij Patris libenter excipe.* Hûc enim *Magistrum*, & pium Patrem, non ipsum S. BENEDICTVM, sed Christum intelligendum, docuit Smaragdus Abbas, & S. Petrus Damiani, qui ait, à S. BENEDICTI *humilitate alienum esse, vt se vocet* Magistrum, *& pium Patrem.* Et satis colligitur ex textu, quia de hoc *Magistro*, & Patre ait, *vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* Et: *qui nos in filiorum numero dignatus est computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari, ne vt iratus Pater aliquando filios suos exheredet.* Ex quibus patet agi de Deo, *Patre ac Magistro nostro*, quem introducit etiam sic loquentem: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Denique cùm dixisset, *inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei;* consequenter subiungit, *vt ab ipsius* (Dei procul dubio) *Magisterio nunquam discedentes, in eius doctrinâ vsque ad mortem in Monasterio perseuerantes.* Primus igitur summusque *Magister* est Deus Dei que Filius, qui in Euangelio ait: *Vos vocatis me* Magister, *& Domine: & benè dicitis: sum etenim.*

[Cuius Magistri tres. Primus est Deus. Ioan. 13.]

Secundus Magister est ipse S.P.N. BENEDICTVS, qui seipsum sine dubio insinuat, cùm ait: *Constituenda est à nobis Dominici Schola seruitij, in quâ institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus.* Qui & eam, quam præscripsit Regulam, *Magistram* vocat. *In omnibus igitur omnes* Magistram *sequantur Regulam:* quia nimirum *Magistri* nostri mentem & institutionem nos edocet.

[Secundus, S. Benedictus. Cap. 3.]

Tertius Magister est Abbas, *qui Christi vices agere in Monasterio creditur*, de quo ait: *Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere. Sed iussio eius vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergat. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda est discussio.* Et: *Cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis.* Et passim plura tradit de hoc *Magistro.* Huius porrò *Magistri*, siue Rectoris hypodidascalus, & veluti Subregens, est Præpositus; Cellerarius autem est Præfectus Conuictus. Primi verò Decuriarum qui alij sunt, quàm Decani, *in quibus securus Abbas partiatur onera sua?*

[Tertius, Abbas. Cap. 2. — DOCTRINA S. BENEDICTI — Cap. 21.]

Sed *discipulos* iam consideremus, quo nomine Monachos suos S. BENEDICTVS sæpissimè nominat, aitque inter cętera: *Discipulis conuenit obedire Magistro.* Et quintum caput inscripsit, *De obedientiâ discipulorum*, vultque *vno momento Magistri iussionem, & perfecta discipuli opera explicari.* Et vt bono animo à discipulis obedientia præbeatur. Cap. 6. ait: *Loqui & docere* Magistrū *condecet: tacere & audire* discipulo *conuenit.* Sed inspiciendum diligentiùs quosnam ad *Scholam* suam indicet admittendos, quosnam verò excludendos. Describit ipse ipso Regulæ initio quatuor Monachorum genera, Primum Cœnobitarum, secundum Anachoretarum, tertium Sarabaïtarum, quartum Gyrouagorum. Tribus autē alijs omissis, *Cœnobitarum fortissimum genus* ad suum Gymnasium admittit, illis suam præscribit Regulam, illos docet & instruit. Quod ipsum etiam in Professionis formulâ manifestè satis expressit: vult enim promitti *stabilitatem* contra Gyrouagos, *qui totâ vitâ suâ per diuersas Prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & nunquam stabiles.* 2. Promitti vult *Conuersionem morum* contra Sarabaitas, *qui adhuc operibus seruantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur;* qui adeò mores non conuertunt, vt *pro lege eis sit desideriorum voluptas.* Hos igitur procul arcet à suâ Scholâ. 3. Promitti vult *obedientiam*, vt ostendat se non includere Anachoretas, qui soli degunt, & vix vllam obedientiæ habent materiam, qui cùm perfecti esse debeant, *vt sine consolatione alterius, solâ manu vel brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante sufficiant pugnare;* non putauit eos ad suam Scholam pertinere, in quâ tradit tantùm, vt humiliter ipse loquitur, *minimam inchoationis Regulam: vt eam obseruantes in Monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere.*

[Discipuli huius scholæ qui sunt Monachi. Cap. 5. — Cœnobitæ, quibus Regula scripta. — Cap. 1. — Cap. 73. Reg.]

DOCTRINA S. BENEDICTI *Lectiones quatuor Scholæ Benedictinæ.* habere. Atque hæc de discipulis.

Restat videamus quæ nobis quotidie in hac *Scholâ* audiendæ *Lectiones*, nam & de iis Sapientissimus Magister noster valdè sollicitus fuit. Inuenio autem quatuor *Lectiones* ex vsu & præscripto, diebus singulis frequentandas. *Prima* est *Lectio Regulæ*, quæ post Primam in Capitulo nobis prælegitur, de quâ ita Legislator: *Regulam autem hanc sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum se de ignorantiâ excuset.* Quod autem sæpius legi voluit, vsu Ordinis iam inde ab octingentis annis obtinuit, vt quotidie legeretur. *Prima.* *Cap. 66.*

Secunda Lectio, quæ maiori durat tempore, est *Lectio spiritualis*, de quâ S.Pater: *Certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in* Lectione *diuinâ*; quas horas ibi curiosè designat. Quo modo autem legendum, vide suprà priore parte huius Catechismi Disq. 6. §. 4. *Secunda.* *Cap. 48.*

Tertia Lectio exhibetur in *mensâ*, vt cum ipso corporali comedamus simul animæ cibum spiritualem, nam pia *Lectio* mentis refectio. *Tertia.* *Cap. 38.*

Quarta Lectio ad finem diei est lectio *Collationis*, in quâ eam vult legi materiam, *quæ ædificet audientes*. Ecce, quàm multiplex nobis in SCHOLA Dominici seruitij singulis diebus exhibeatur *Lectio*: vt mirum sit, si post tot annos, post tot auditas lectiones, ijdem maneamus, & parum aut nihil profecerimus. *Quarta.* *Cap. 42.*

Classes porrò ipsas adeamus: & eos, qui in singulis prælegūtur, inspiciamus libros, sacrum enim hoc *Gymnasium* summus *Scholarum Præfectus*, Christus IESVS, pluribus distinxit Classibus, siue peculiaribus *Scholis*: in qualibet autem earum proprius explicatur *Liber*, virtutis alicuius tradens doctrinam à S. BENEDICTO Monachis quoque commendatam. *Scholæ Christi, quarum doctrina conformia tradit S. Benedictus.*

Primam SCHOLAM mundum ingrediens in Stabulo Bethlehemitico fundauit: in eâ autem ex Cathedrâ Præsepij sui non tam verbis, quàm opere exposuit Librum Euangelicæ *Paupertatis*, Religiosis omnibus necessariæ. Quam etiam inculcat S. BENEDICTVS, dum vetat Monachis *aliquid proprium habere: nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propriâ potestate.* Quinimò, vult eos *omni vilitate, & extremitate* esse contentos; vilitate scilicet victûs & vestitûs, extremitate loci, & abiectissimi officij, & imitentur eum, qui propter nos egenus factus, vilibus pannis est inuolutus, & infimo loco inter iumenta in Præsepio collocatus. *Prima, Paupertatis.* *Cap. 33.* *Cap. 7. grad. 6.*

Secundam Scholam erexit in Nazareth, vbi perfectæ *Obedientiæ* doctrinam explicauit, subditus Mariæ & Ioseph. Subsequitur S. BENEDICTVS, quinto Capite de Obedientiâ discipulorum suorum accuratè tractans, alibi quoque monens: *Vt obedientes sint sibi inuicem Fratres.* *Secunda, Obedientiæ.* *Lucæ 2. 51.* *Reg. cap. 71.*

Tertiam Scholam constituit in deserto, per quadraginta dies, *Silentij*, solitudinis, & recollectionis, suo exemplo omnes admonens. Quid verò S. BENEDICTVS? *Omni tempore*, inquit, *silentio studere debent Monachi*, & integro capite Taciturnitatem alibi commendat. *Tertia, Silentij.* *Cap. 42.* *Cap. 6.*

Quarta Schola à Christo constituta est in familiari cū discipulis suis conuersatione, in quâ omnigenas *Virtutes*, & modum cum proximis versandi eos docuit. Idem S. Pater noster in Regulâ suâ fecisse visus est, quam se ait descripsisse, *Vt eam obseruantes in Monasterijs aliquatenus vel honestatem morum aut initium conuersationis nos demonstremus habere.* In capite vero de *Instrumentis bonorum operum*; &, *de zelo bono, quem debent Monachi habere*, quid aliud quàm diuersarum virtutum instructiones tradit? *Quarta, Virtutum variarum.* *Cap. 73.* *Cap. 4. & 72.*

Quintam Scholam suppeditat grande illud Cœnaculum Montis Sion, in quo summus Magister opere & sermone *Humilitatem* docuit, cùm velut infimus seruus discipulorum lauit pedes, addens mandatum: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Sed humilitatis Lectioni subiunxit Librum *Charitatis*, quem expandit, & omnibus legendum proposuit, cùm institutâ sacrâ Eucharistiâ, infiniti sui erga nos amoris memoriali perpetuo, diuinissimum illum de *Charitate* sermonem ad discipulos habuit. Humilitatis Doctorem æmulatus est humillimus discipulus, S. BENEDICTVS, filijs suis erigens scalam duodecim *humilitatis* gradibus distinctam, cuius culmen ad perfectionem *Charitatis* pertingit; sic enim ait: *His omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad* Charitatem *Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem.* *Quinta, Humilitatis.* *Ioan. 13.* *Et Charitatis.* *Cap. 7. grad. 12.*

Ad *sextam Scholam* cum Scholarchâ nostro IESV CHRISTO ascendamus, ad hortū scilicet Montis Oliueti, in quo cælestem Patrem tertiò humiliter orans, *orandi studium* methodumque insinuauit: sed & S. Legislator noster psallendi disciplinam, orationis reuerentiam, eiusque tempora, oratorij locum, & peculiares orationes Monachis frequentandas Regulæ suæ libro complexus est. *Sexta, Orationis.* *Cap. 19. 20. & 52.*

Septima IESV CHRISTI *Schola* fuit Mons Caluariæ, in quo ex Cathedrâ Crucis, cùm omnes docuerit virtutes, tum vel maximè explicauit bonum *Patientiæ*: sed intento digito hanc summi Doctoris nostri nobis edificen- *Septima, Patientiæ.*

edifcendam S.BENEDICTVS defignat,cùm A ab ipfius *Magifterio* Monachos numquam difcedentes, *Paffionibus Chrifti per Patien-*
Prol.Reg. *tiam* vult *participare*; & hanc *Patientia* virtutem pluribus gradu quarto exponit, & nos infrà peculiari difquifitione *Patientia*
Parte 2. Difq.10. *Monachi officium* expendemus. Et hæc de SCHOLIS,fiue Claffibus.

Modus ftudendi quadruplex ex mente S. Bened. Quis verò STVDENDI MODVS? breuiter eum in ipfo Regulæ limine S. P. perftringit, cùm ita exorditur: *Aufculta, ô fili, præcepta Magiftri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple.* Quibus in verbis quatuor
Primum. à fuis exigit Difcipulis. *Primum*, vt *aufcultent*, fiue audiant: nimirùm & hinc Auditores illi dicti: nec aliâ vià,nifi per organû auditus in mentem defcendit fcientia. Sic
Rom.10. etiam Apoftolo tefte, *fides ex auditu.* Sed
Secundum. hìc S.Pater *fecundum* addit: *Inclina aurem cordis tui*:vt non corpore tantum, fed corde animoque præfens fit Auditor. Crebrà
Inclinare aurê quid? in facris litteris phrafis eft *Inclina aurem tuam*, quamuis enim hominis immotas natura dederit aures; *inclinari* tamen dicuntur, cùm fe totum homo ad audiendum
Orig.hom. 9.in Ioan. Lucæ 8. demittit. Aures cordis,vt Origenes annotauit,funt illæ de quibus Chriftus: *Qui habet aures audiendi,audiat*:eafq; ftatuit promptitudinem difcendi,& obediendi. Rectè omninò: nam pondus,quod cor ad aliquid inclinat,amor eft: propêfio per quam tendit in id ad quod eft inclinatum, defiderium eft, & cupiditas. Hinc aures cordis *inclinantur*, cûm magno defiderio & auiditate ad audiendum inftigamur. Vnde illud:

Amor eft Magifter optimus difcentium,

&:

Si fueris cupidus difcendi, plurima difces.

Sed quid vltra Magifter nofter requirit?
Tertius. *Tertium* eft, *Libenter excipe.* Ordine id quodam ex præcedêti fequitur; nam,vt Scri-
Eccli.6. ptura dicit: *Si inclinaueris aurem tuam*,excipies *doctrinam: & fi dilexeris audire, fapiens eris.* Vbi pofterius illud, *fi dilexeris audire*, exponit quod ante dixerat; *fi inclinaueris aurem tuam*,vt conftat ex Græco textu,qui inuerfo ordine legit: *Si dilexeris audire, recipies intellectum: & fi inclinaueris aurê tuam, fapiens eris.* Hæc autem fiue dilectio, fiue auris inclinatio,cordis finum extendit, vt capacior efficiatur ad inftillatam doctri-
Hebræorum fententia de difcipulis. nam EXCIPIENDAM. Vnde notandæ hîc quæ apud Hebræos in Capite 5. *Pirke Aboth*, funt fententiofæ Tetrades tres. Prima. *Qui fapientibus audiendis operam nauat difcipulus,vel fpongia eft, vel tubus,vel colum, vel cribrum.* Secunda. *Difcipulorum genera quatuor. Primò, quod dicitur, quidam citò capiunt, & citò perdunt. Secundò, quidam diffi-* A *culter capiunt, & difficulter perdunt. Tertiò, quidam citò capiunt, & difficulter perdunt.* DOCTRINA S. BENEDICTI *Quartò,quidam difficulter capiunt, & citò perdunt.* Tertia,*qui ad fcholas ingrediuntur, vel ingrediuntur, & non faciunt; vel faciunt, & non ingrediuntur; vel ingrediuntur, & faciunt; vel nec ingrediuntur,nec faciunt.* Vnde

Quartum, quod à difcipulo S. BENEDICTVS requirit,eft, *Efficaciter comple.* Hic *Quartus.* finis priorum. Ideò enim oportet *aufcultare*, aurem cordis *inclinare* libenter,doctrinam *excipere*, vt illa opere compleatur. Vnde August.fer. de blafph. in Spirit. fanct.
B Auguftinus. *Scopus Chriftiana Religionis eft, vt qua ex doctrinâ veritatis didicimus, opere impleamus.* Hortatur proinde Iacobus A- Iac.1.22.
poftolus: *Eftote factores verbi,& non auditores tantùm fallentes vofmetipfos.* Paulus quo- Rom.2.13.
que ait: *Non enim auditores legis iufti funt apud Deum,fed factores legis iuftificabuntur.*

His iam confideratis, refumpto examine attende:

Ad quid veniſti?

Attêde,inquam, vt in hoc ftadio ftudio- *Synopfis Scholaftici examinis.*
C que Scholaftico te geras;vt erga Magiftrû comparatus fis,qualis tu difcipulus;an diligês,an verò fegnis; an lectiones frequentes, an nullas intermittas; quem ex illis colligas fructum; ad quam Claffem perueneris, quos Libros audieris, quem ftudendi teneas modum: num diligenter aufcultes: num aurem cordis inclines: num falutarem inftructionem libêter excipias; an denique efficaciter eam compleas. Ex his interrogationibus tui notitiam comparabis; meliora propones, & ad fpiritualem
D profectum, tamquam fapiens difcipulus, teipfum promouebis.

DISQVISITIO VII.

Vt Serui Dei Officium implendum?

REPETE folitam quæftionem, & fedulò inquire:

Amice, ad quid veniſti?

Ad quid autê, nifi ad SERVIENDVM DEO?
E Quamuis enim omnes Chriftiani fint, atq; effe debeant SERVI DEI; peculiari tamen ratione hoc nomine Religiofi appellantur. Hinc Regulæ S. Auguftini titulus eft, *Regula S. Auguftini ad Seruos Dei:* atque ita nô *Religiofi Serui Dei peculiariter* vno loco Monachos nominat, & deliberationem de ftatu Religiofo vocat *Propofitum ferviendi Deo.* Saluianus Maffilienfis, Gregorius Papa, alijque, *Seruorum Dei* vocabulo non rarò Monachos afficiunt. Sed quid S. BENEDICTVS? *Omnes*, inquit, *in* Reg. cap.2. *Chrifto vnum fumus,& fub vno Domino æqualem feruitutis militiam baiulamus.* Et obedientiam

DOCTRINA S. BENEDICTI Cap. 5. dientiam sine morâ ait, *conuenire his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant, propter seruitium sanctum, quod professi sunt.* Monasticen igitur profiteri, idem iuxta S. BENEDICTI mentem est, atque *sancto Dei seruitio* se addicere; vt non immeritò hunc statum ambienti dicere liceat: *Fili accedens ad Seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & praepara animam tuam ad tentationem.* Vt igitur scias, an *serui Dei* officium expleas, & non frustrà illustre hoc nomen, quo etiam Apostolus Paulus gloriatur, geras; attende quid illud à te requirat.

Eccli. 2.

Quid in hoc titulo ipsi praestandum.

I. *Soli Deo seruiendum.* *Primum* huius sanctae *Seruitutis* praeceptum est, quod suo ore Dominus protulit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Soli*, inquit, vt nulli alteri seruias. Vnde Christus Dominus hoc explicans ait: *Nemo potest duobus Dominis Seruire: Non potestis Deo seruire, & mammonae.* Abdicandi sunt igitur omnes alij Domini, vt huic vni & soli *seruiatur.* Renunciandum Mundo, Carni, voluptatibus, & maximè peccato: *Qui enim facit peccatum, seruus est peccati*, inquit ipsa veritas. Peccatum enim velut iure suo imperat peccatori, vt desiderijs suis obsequatur. Rectè proinde Ambrosius: *Veniunt omnia vitia, & dicunt,* MEVS ES TV. *Venit Superbia, & ait, Meus es tu, venit Auaritia, & venit luxuria, venit acedia, & ait, meus es tu. Quem tanti capiunt, quàm vile mancipium est!*

Matth. 4.

Lucae 16.

Ioan. 8.

Ambros. in Psal. 118.

II. *Eique adhaerendum.* *Secundò*, abdicatis serio & perpetuo animi decreto omnibus alienis dominis, elige Dominum Deum tuum, cui soli *seruias.* Audi Augustinum: *Constanter Deo crede, eique te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius, & in tuâ potestate; sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum esse profitere:* Dic igitur cum Regio Vate: *O Domine, ego Seruus tuus, & filius ancillae tuae. Seruus* scilicet creatione, *seruus* emptione, *seruus* proposito & voto. Qualis, quàm exacta, quàm sincera debet esse *seruitus*, quae Domino exhibetur, quae tot titulis, tot nominibus fulcitur!

Aug. Soliloq lib. 1. cap. 15.

Psal. 115.

III. *Nihil iuris in se sibi vendicent.* *Tertiò*, quemadmodum *Seruus* non est suus, sed Domini; ita nihil in te iuris tibi superesse crede, sed totum te esse Dei, *propter Seruitium sanctum, quod professus es.* Apostolica haec argumentatio est: *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno; glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Quę si omnibus omninò Christianis scripta, quid dicendum de Monachis, & quidem Benedictinis, quibus, vt Legislator ait; *Nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propriâ potestate?* Igitur non corpus tantùm, sed ipsa etiam anima diuinae addicta est *Seruituti*, ex vi professionis Monasticae; vt Dauidicum illud vsurpare Monachus possit: *Et*

1. Corinth. 6.

Reg. cap. 33.

Psalm. 21.

anima mea illi viuet. Sic enim existimādum ei est, se suum nō esse, sed Dei: & quidquid habeat, non sibi, sed Deo vni seruire debere, atque ad eum semper dirigi. Rectè ac piè Bernardus: *Dignus planè est morte, qui tibi Domine* IESV *recusat viuere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia; & qui vult esse sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia.* Bern. serm. 20. in Cant.

IV. *Omnia ad Dei gloriam referant.* *Quartò*, vt seruus suo statu & comitatu Dominum afficit honore; ita studeat Religiosus, *vt in omnibus honorificetur Deus: vt sanctificetur nomen eius.* Atque hoc in primis, vt omnes actiones suas ad Dei gloriam & honorem dirigat; vtile fuerit hunc affectum Deum honorandi, & illi ex amore seruiendi, toties excitare, quoties in Psalmodiâ, vel orationibus occurrit verbum, *Dominus.* 1. Pet. 4.

V. *Obediant Superiori, tamquam Deo.* *Quintò, cum Serui*, vt ait Cyprianus (vel quisquis est Libri auctor de *Singularitate Clericorum*) *non possint à semetipsis scire quid suis Dominis placeat, nisi Dominorū sequantur imperia; & vtique homines hominum similium sibi non valeant voluntates agnoscere, nisi acceperint quod obseruent; multò magis mortales nesciunt immortalis Dei iustitiam comprehendere, nisi ipse iustitiarum suarum dignetur indicia demonstrare.* Saepiùs igitur cum Psalte dicas: *Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.* Et cum Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Atque ita cuncta fine ex Regulâ, siue ex Obediētiâ Superiorum tibi iniuncta perfice, quasi ipse Deus per illos ea tibi demandasset. *Nam hoc Deo dignum* (inquit citatus Auctor) *quod ipse Deus voluntati fatetur acceptum, vt exerceat per omnia dominatum. Alioqui nec nos serui adscriberemur, nec ipse Dominus haberetur, si secundùm voluntatem nostram permitteremus impendere seruitutem, & arbitrio nostro, non Dei, eligeremus excitamenta Iustitiae.* Psalm. 118. Act. 9. De singul. Clericor.

VI. *Non refugiant pati aduersa.* *Sextò*, memor illius Euangelici: *Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur*: non abhorreas conformitium, & similitudinem Domini tui, qui propter te formam *Serui* accepit, & in hoc mundo pauper, egenus, & abiectus fuit, & grauissima propter te sustinuit tormenta; atque ita discas, *Passionibus Christi per patientiam participare.* Circa haec, & similia teipsum frequenter examina, & vbi deliquisse te videris, veniam pete; & dic ex animo: *Non intres in iudicium cum Seruo tuo, Domine.* Prolog. Reg. Psal. 142.

DISQVI-

DISQVISITIO VIII.

Quomodo Officium honestè Conuersationis adimplendum?

SI resumpto examine, Religiose Asceta, abs te rursum petas,

Ad quid venisti?

Considera te venisse ad *Scholam Vrbanitatis*, in quâ morum discas ciuilitatem. Si
Benedicti-nus morum ciuilitati studere debet. enim S. BENEDICTVS profiteatur se ideò B Regulam suam descripsisse, *vt eam obseruãtes in Monasterio, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis se Monachi*
Cap. 71. *demonstrent habere*: Quid inde consequens est, nisi quod omnis hanc Regulam professus, morum ciuilitati, & *honestæ conuer-*
Quam venustati Monachi coluerunt. *sationi* debeat studere? Fuit enim hic modestiæ cultus priscis illis Monachis maximè cultus & commendatus, vt ex eorum scriptis patet: quorum vestigijs inhærere Sancto Patri nostro familiarissimum fuit.
Et S. Benedictus. De quo Auctor Apologiæ pro Henrico C IV. Imp. hæc habet:
Exstat inter Scriptores Germ. *Doctores dicunt morem esse consensum omnium simul habitantium, qui inueteratus consuetudinem facit: sicut est assurgere maioribus, & vultum atque incessum, & sermonem atque habitum ita moderari ac regere, vt honestas naturæ perpendatur ex morum probitate. Nam ipse Pater* BENEDICTVS *testatur, se Regulam descripsisse, vt hanc, inquit, obseruantes in Monasterijs, discant aliquatenus vel* HONESTATEM MORVM, *aut initium cõuersationis tenere.* Sic ille. Rectissimè omninò: displicent scilicet agrestes Monachi, D qui in solitudine rusticitatem quamdam videntur assumpsisse, vt decorè, & vtiliter cum hominibus agere, & conuersari nequeant. Vnde S. Dorotheus peculiarem de
Quid de eâ scripserit S. Dorotheus. hâc honestâ Monachi compositione sermonem scripsit, in quo inter cætera ait:
Doroth. serm. 16. *Asserunt Patres, & Maiores nostri, Sedere in cellâ, dimidium quoddam esse: Versari autem cum patribus & senioribus suis, alterum esse dimidium. Hoc autem vult innuere sermo, quòd in cellâ, & extra cellam, sobrietate, modestiâ, ac vigilantiâ pariter opus sit, vt pernoscamus, cur oporteat in cellâ quiescere, & habitare secum, & cur versandum sit cum senioribus ac Fratribus suis. Cùm quis alijs se adiungit, &* CONVERSATVR; *consideratat, perpendit, atque adeò intuetur conditionem & statum suum, vtrum ex* CONVERSATIONE *seu congressu & occursu fratrum quidquam lucretur, & proficiat, annon? atque etiam vtrum sine damno aliquo & iactura reuertatur in cellam suam, nec ne?* Hactenus
Et alij. ille. Legenda Oratio 3. B. Esaiæ Abbatis in
Disq. 2. §. 1. 4. & 5. Bibliothecâ PP. & quæ habet S. Bonauentura in Speculo Disciplinæ ad Nouitios, &

A quæ priori huius Catechismi parte diximus de *Modestiâ, Moderatione linguæ, Silen-* DOCTRINA S. BENEDICTI
tia, &c. Vt concludamus, audiendum S. Bern. serm. de Tuplici Iudicio.
Bernardi monitum: *Minister*, inquit, *Christi sic debet conuersari; vt ex moribus exterioris hominis qui videtur, existimetur compositio interioris animi, qui non videtur.*

DISQVISITIO IX.

Conuersi Officio vt Monachus satisfaciat.

REVERSVS ad pristinum examen, & in te inquirens;

Ad quid venisti?

Animaduerte ex S. BENEDICTI mente, & *Benedictinus est conuersus.*
Regulâ respõderi posse, AD CONVERSIONEM. Hoc enim ipse tibi Legislator indicat; cùm de Disciplinâ suscipiendorum Fratrum acturus, ita inchoat: *Nouiter quis* Cap. 58.
veniens ad CONVERSIONEM, *non ei facilis tribuatur ingressus.* Et ipsa Professionis formula statuit, vt idem promittat de CONVERSIONE MORVM SVORVM. Inde adeò Comment. ad vit. S Bened. & lib. 1. Tract. 1.
est, quod Monachi vocentur CONVERSI, vt alibi expendimus.

Sed iam nunc expende tuæ CONVER- Disq. 8.
SIONIS Modum, & terminos. Quis autem *Modus Conuersionis qualis.*
CONVERSIONIS modus? ille ipse quem expressit Propheta Ioel: *Conuertimini ad* Ioel 2.
me in toto corde vestro. In quæ verba Ber- Bern. serm. 2. de quadra.
nardus: *Vt conuertaris in toto corde tuo, Attende sollerter, quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, aut contristeris. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est. Conuertatur proinde amor tuus, vt nihil omninò diligas, nisi ipsum; aut certè propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus; quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid propter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & tristitia æquè conuertantur ad ipsum. Hoc autem ita fiet: si non nisi secundum eum doleas aut læteris.* Sed vnde hoc nobis, nisi ab eo, qui *conuertit animas*? ad quem magno affe- Psalm. 18.
ctu clamabat Dauid: *Domine Deus virtutum* Psalm. 79.
conuerte *nos*. Et Ieremias: *Conuerte nos Do-* Threni 5.
E *mine ad te, & Conuertemur.*

Qui autem piæ *Conuersionis* termini, A *Termini Conuersionis XII.*
QVO scilicet, & AD QVEM, deinceps attende. Facienda enim Conuersio hæc A Sæculo ad Religionem: A peccatis ad pœnitentiam: à vitijs ad virtutes: à voluptate ad Continentiam: à superbiâ ad humilitatem: à vanitate ad veritatem: à cupiditate ad Charitatem: à voluntate propria ad voluntatem Dei: à carne ad spiritum: ab exterioribus ad interiora: à Multitudine ad vnitatem: à creaturâ ad Creatorem.

En tibi spiritualem Zodiacum, quem anno

anno integro decurras, En tibi duodecim titulos, velut vnius anni menses ad Exercitium piæ CONVERSIONIS destinatos. *Spiritualis* enim *Conuersio*, vt Bernardus ait, *non vno die perficitur; vtinam vel in omni vita, quâ degimus in hoc corpore, valeamus consummari*: Verùm age, singulos repetamus.

Bern. serm. 2. de quadrag. in cap. ieiun.

I. *A sæculo ad Religionem.*

Primò, à sæculo ad Religionem. Censetur hîc fecisse quicumque Monasticen est professus, quò spectat illud Apostoli: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Item: *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* Et illud S. BENEDICTI: *A sæculi actibus se facere alienum.* Sed enim refert, vt non corpore tantùm, sed & corde fiat hæc *Conuersio. Corporis Conuersio*, inquit Bernardus, *si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem Conuersionis est, non veritas: vacuam virtute gerens speciem pietatis.*

Rom. 12. Reg. cap. 4. Bern. vt suprà.

II. *A peccatis ad Pœnitentiam.*

Secundò, Conuertat se Religiosus à peccatis ad Pœnitentiam. De quâ Christus: *Pœnitentiā agite, appropinquauit enim regnum Cælorum.* Et: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et S. BENEDICTVS: *Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare.* Vnde vulgò dicitur, Monachorum esse officium, sua & aliorum peccata plangere.

Matth. 4. Lucæ 13. Cap. 4.

III. *A vitijs ad Virtutes.*

Tertiò, Conuersio fiat à vitijs ad Virtutes. Hoc nimirum est, quod ait Propheta: *Declina à malo, & fac bonum.* Quæ autem S. BENEDICTVS Monacho fugienda, quæ facienda præscripserit, in primâ Catechismi parte perstrinximus.

Psalm. 36. Disq. 8. §. 1. 2 & seq.

IV. *A voluptate ad Continentiam.*

Quartò, A voluptate ad Continentiam. Inculcat hoc Legislator noster, monens: *Delicias non amplecti. Desideria carnis non perficere. Corpus castigare. Actus vitæ suæ omni horâ custodire.*

Cap. 4.

V. *A superbiâ ad Humilitatem.*

Quintò, A superbiâ ad Humilitatem. Nō potest quis conuerti ad humilem IESVM, nisi relinquat viam superbiæ, & ingrediatur viam Humilitatis: *Nisi conuersi fueritis*, inquit ipsemet, *& efficiamini sicut paruuli: non intrabitis in regnum Cælorum.* Huc spectat tota doctrina S. BENEDICTI de Humilitate.

Matth. 18.

VI. *A vanitate ad Veritatem.*

Sextò, A Vanitate ad Veritatem. Non potest coniungi Deo veritatis, & Deo vero, qui non oderit vanitatem. *Filij hominum*, ait Psalmista, *vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vanitatem & mendacium appellauit hæc omnia transitoria, mundana, caduca, mutationi ac vicissitudini obnoxia. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; & omnia vanitas.* Ab hac conuertendus animus ad incommutabilem veritatem. Quis autem animus rectior & erectior, & ab omni terrenâ fæce incorruptior cogitari, quis Deo similior fingi potest, quam qui *Veritatem* incommutabiliter singularum virtutum præscripta dictantem, sincerissimè, castissimè, ardentissimèque diligat, & præter ipsam nihil diligat? & hanc cùm diligit, nihil aliud, quam Deum incommutabilem diligit. Vnde Augustinus ad Honoratum: *Cùm sapiens sit ita mente coniunctus, vt nihil interponatur quod separet, Deus est enim Veritas; nec vllo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat.* Insipiens proinde est diligens vanitatem, quærens mendacium, auersus à veritate, vt idem sanctissimus Doctor tradit. *Ea quæ dicitur à veritate atque Sapientiâ separatio, peruersa voluntas est, quâ inferiora diliguntur.* Nimirùm, quia sicut voluntas veritatem diligens, recta est (nam iuxta Scripturam, *facere veritatem, ambulare in veritate, & diligere veritatem*, idem est quod opus bonum;) ita voluntas abrumpens veritatis illius dilectionem, & ab ea se separans, non potest vel esse, vel cogitari, nisi distorta atque peruersa. Vnde Augustinus: *Interfice in te quidquid contrarium est Veritati.* Item: *Lex tua veritas, & Veritas tu. Ecce tibi* Deus *est ipsa* VERITAS: *amplectere illam, si potes, & fruere illâ, & delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Psalm. 4. Eccle. 1. August. lib. de vtil. credendi cap. 15. Idem in Psal. 4. 4. Confess. c. 9.

VII. *A cupiditate ad Charitatem.*

Septimò, à Cupiditate ad Charitatem. Quare? quia *radix omnium malorum est cupiditas*: & omnium bonorū radix est Charitas. Vtrumque vrget S. BENEDICTVS. Prius, cùm citat Scripturam: *Post concupiscentias tuas non eas.* Posterius, cùm suadet, *Charitatem non derelinquere; Dominum Deum diligere ex totâ animâ, ex totâ virtute. Nihil amori Christi præponere.*

1. Tim. 6. Reg. cap. 7. §. 1. Cap. 4.

Videndum, inquit Augustinus, *quid sit vera dilectio, imò verò quid sit dilectio. Ea quippe dilectio dicenda est, quæ vera est, alioquin cupiditas est.* Quod rursum alibi ità exponit: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit, quod verbum amore concipitur, siue creaturæ, siue Creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis Veritatis. Ergo aut cupiditate, aut Charitate. Non quod non sit amanda Creatura, sed si ad Creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, sed Charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura; tunc non vtentem adiuuat, sed corrumpit fruentem.*

August. lib. 8. de Trinit. c. 7. Idem lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8.

VIII. *A propria ad Dei Voluntatem.*

Octauò, à Volūtate propriâ ad Volūtatem Dei. Hæc ipsa S. BENEDICTI doctrina est; *Voluntatem propriam ita facere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis: Et à voluntatibus tuis auertere. Et item rogamus Deum in oratione, vt fiat voluntas eius in nobis.* Vide suprà Disq. 2. de Abrenunciatione.

Cap. 7.

IX. *A carne ad Spiritum.*

Nonò, A carne ad Spiritum. *Si enim se-*

cundum

Rom.8. cundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

X. Decimò, ab exterioribus ad interiora, à
Ab exterioribus ad interiora. corpore ad cor. Redi, inquit Augustinus, ad
Aug tract. 18. in Ioan. cor, tolle te à corpore. Redi ad cor, vide ibi quid fortè de Deo, quia ibi est imago Dei. In interiore homine habitat Christus, in interiore homine renouaris ad imaginem Dei, in imagine suâ cognosce auctorem eius. Vbi autem ha-
Id. lib. 4. Confess. c. 12. bitat ille, quo loco inuenitur? Intimus cordi est, sed cor errauit ab eo. Redite praeuaricatores ad cor, & inhaerete illi, qui fecit vos. State
Esa. 46. cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? Nimirùm
August. de Spiritu & animâ c. 51. sunt aliqui quaerentes Deum per exteriora, deserentes interiora sua, quibus Deus interior est.
Lib. 3 Confess. cap. 6. De quo alibi: Tu eras interior intimo meo, & superior summo meo. Modum autem reuocandi se ab exterioribus ad interiora, opti-
Epist. 151. mè & breuiter docet idem Augustinus: Vbi vera est pulchritudo? In animo scilicet. Animus igitur magis amandus quàm corpus. Sed in quâ parte animi est ista veritas? in mente atque intelligentiâ. Quid huic aduersatur? Sensus. Resistendum ergo sensibus totis animi C viribus? Liquet. Quid si sensibilia nimiùm delectant? fiet vt non delectent. Vnde fit? Consuetudine iis carendi appetendique meliora.

XI. Vndecimò, A multitudine ad vnitatem.
A multitudine ad Vnitatem. Vni enim Deo coniungi non potest, qui turbatur erga plurima. Porrò vnum est
Psalm. 11. necessarium. In circuitu impij ambulant. Collige te ergo homo à circuitu erroris, ad centrum Veritatis, à circuitu multitudinis, ad centrum vnitatis. Quia & est in temporalibus multiplicatio, quae auertit ab vnitate
Thom. à Kemp. lib. 1. cap. 3. Dei. Benè Thomas à Kempis: Cui omnia D vnum sunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt, potest stabilis corde, & in Deo pacificus permanere. O Veritas Deus meus, fac me vnum tecum in charitate perpetuâ. Nec
August. Soliloq. cap. 38. minùs piè alius. Domine Deus meus, non me permittas ampliùs ex vno distrahi in multo, sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te, vt dicat tibi semper cor meum, Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

XII. Duodecimò, A creaturâ ad Creatorem.
A creatura ad Creatorem. Explicet hoc Augustinus: Bonus est, qui fe-E cit me, & ipse est bonum meum, & illi exulto
Idem lib. 1. Conf. c. 20. bonis omnibus meis. Hoc enim peccabam, quòd nō in IPSO, sed in CREATVRIS eius, mea voluptates, sublimitates, veritates quaerebam: atque ità irruebam in dolores, confusio-
Idem Conf. lib. 2. cap. 5. nes, errores. Rursumque: Propter vniuersa haec (creata) peccatum admittitur: dum immoderata in ista inclinatione, cùm extrema bona sint, meliora & summa deseruntur, tu Domine Deus noster, & veritas tua, & lex tua. Habent enim & haec ima delectationes, sed nō sicut Deus meus, qui fecit omnia, quia in ipso delectatur iustus, & ipse est deliciae rectorum corde. Aspi-
DOCTRINA S. BENEDICTI Conf. lib. 3. cap. 1. rans ad has delicias Creatoris sui idem sanctissimus Doctor, alibi se ità excitat: Exurgat in te à lassitudine animo nostra, innitens eis, quae fecisti, & transiens ad te, qui fecisti haec mirabiliter; & ibi refectio & vera fortitudo.

Ex duodecim hisce sanctae CONVERSIONIS gradibus liquet à quibus, ad quae conuerti oporteat. Pietatis sectator subinde se serioque examinet, quantum ab illis auersus, ad haec autem conuersus sit: stu-B deatque in his quotidie proficere, vt Deus ab eo iram suam auertat, & faciem suam ad eum conuertat.

DISQVISITIO X.

Quomodo Benedictinus passionibus Christi communicare, & Patientis officio possit perfungi?

VETERE instauratâ quaestione, iterum expende;

Ad quid venisti?

Ad PATIENDVM vtique: Docet enim S. BENEDICTVS Monachos in Monasterio vs-que ad mortem perseuerare, vt passionibus
Prol. Reg. Christi per patientiam participantes, regni eius mereantur esse consortes. Nota hic breui-
Benedictino Patientia necessaria. Cass. coll. 1. cap. 3. ter Monasticae vitae scopum, & finem, quae duo Abbas Moyses apud Cassianum distinguit. Sagittarij enim finis est obtinere praemium; scopus iaculis contingere metam. Finis vitae Monasticae est regni Dei
Quis scopus vitae Monasticae. fieri consortem; scopus passionibus Christi per patientiam participare. Quid igitur Benedictinus nisi particeps tribulationis passionum Christi, socius in tribulatione, & velut ouis occisionis? Hoc quisquis cupit implere officium, ita animo debet esse dispositus, vt cum Discipulo, quem diligebat Iesus, di-
Apocal. 1. cere possit: Ego Ioannes Frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Christo Iesu. In quibus vides scopum, & finem, quem diximus, coniungi. Eodem quo S. BENEDICTVS scripsit modo, quem & alibi seruat, cùm de Nouitio ait: Praedicen-
Cap. 58. tur ei dura & aspera: Ecce participationem tribulationis, deinde subiungit: Per quae itur ad Deum: en participium regni.

At verò, quàm frequens est in hoc sco-
A S. Benedicto inculcatur. Ibid. po proponendo. Tironem enim non vult admitti; nisi illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit PATIENTER portare: si post duos menses praelectâ ei Regulâ adhuc perseuerauerit; tum, ait, iterum probetur in omni PATIENTIA. Atque inter cetera vult obseruari, si paratus sit ad opprobria. Ita enim expe-

 dit, vt

DOCTRINA S. BENEDICTI dit, vt sanctæ preludat PATIENTIÆ, quam totâ deinceps vitâ oportet exhibere. Neque enim Nouitijs dumtaxat hanc præscribit PATIENTIAM; sed professis omnibus inter instrumēta bonorum operum inculcat: *Malum pro malo non reddere: iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere, & pro ipsis orare. Maledicentes se, non remaledicere, sed magis benedicere. Persecutionem propter iustitiam sustinere.* Hæc autem quis facere possit, nisi didicerit pro Christo, & cum Christo iniurias tolerare, & mala pati? Quā in re ipse Pater noster filijs suis preiuit. Nam, vt Gregorius ait: *Plus appetijt mala mundi perpeti, quàm laudes: pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli.*

Cap. 4.

Greg. lib. 2. Dial. cap. 1.

Vt autem Benedictinam hanc *Patientiam* melius intelligamus; memoriâ hîc repetendum, Ordinis nostri SPIRITVM esse OBEDIENTIAM: cui tanquam Reginæ Esther duas S. BENEDICTVS adiūxit pedissequas, HVMILITATEM scilicet, & PATIENTIAM: quas simul producit, & Monachis suis velut desponsat, cùm ait: *Quartus* HVMILITATIS *gradus est; si in ipsa* OBEDIENTIA *duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs tacitâ Conscientiâ* PATIENTIAM *amplectatur, & sustinens non lassescat, vel discedat.* In his quis non videat tria hæc, *Obediētiam, Humilitatem, Patientiam?* Sed obsecro te, *respice in faciem Christi tui*: aspice in *Auctorem fidei, & consummatorem* IESVM; & videbis ternas has virtutes ita in eo coniunctas, quasi ab hoc exēplari S. BENEDICTVS in Regulæ suæ tabulâ eas depinxisset. Audi Apostolum: *Humiliauit, inquit, semetipsum Dominus Iesus*: ecce Humilitas: *factus Obediens*, ecce Obediētia: *vsque ad mortem, mortem autem Crucis*, ecce *Patientia*. Vt facillimū iam sit aduertere, quā Spiritui Christi cōformis sit Spiritus S. BENEDICTI. Atque vt de PATIENTIA iā solùm dicamus, in hâc consistere genuinum Christi Spiritū, Apostolorum Princeps denunciarit, nam cùm dixisset: *Cōmunicantes Christi* PASSIONIBVS *gaudete*; caussam subiungens, ait: *Quia si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.* Quasi diceret: Summus honor, summa gloria, & ipsa Dei virtus in hoc elucescit, quod pro eo patiamini: & Spiritus Dei, Spiritus sanctus, super vos requiescit: ille enim in *patiente*, tamquam in templo & thalamo suo, requiescit & deliciatur.

Cap. 7.

Spiritus Ordinis nostri conformis Spiritui Christi.

Philip. 2.

Patet in Patientiā.

1. Pett. 4.

In quibus autem *Benedictina* hęc *Patientia* consistit? Quænam potissimùm sunt in quibus S. Pater nos vult *Passionibus Christi per* Patientiam *participare?* Quinque hęc in quarto HVMILITATIS gradu recenset. 1. DVRA, id est, aspera, difficilia, & carni molesta, 2. CONTRARIA, quæ inclinationi propriæ repugnant. 3. Illatas INIVRIAS. 4. Vt sustineat quoque durum & imperfectum Superiorem, de quo S. BENEDICTVS dicit: *Imposuisti homines super capita nostra.* 5. Vt cum Paulo Apostolo etiam falsos Fratres sustineat, siue vt alibi loquitur; *Infirmitates siue corporum, siue morum in Fratre patientissimè toleret.* Ecce, hæc sunt in quibus Passionibus Christi per PATIENTIAM oportet participare, vel communicare. Christus enim passus est, DVRA tormenta, flagella, spinas, crucem: passus est CONTRARIA, quia rogauit à se transire calicem Passionis: irrogatæ sunt ei INIVRIÆ, cùm blasphemasse dictus est, cùm audiuit, *dæmonium habes, homo vorax, potator vini, seductor.* Paruit in re *difficillimâ*, qualis est acceptatio mortis, & crucis, non tantùm æterno Patri, sed etiam sententiæ Pilati, ipsisque tortoribus arundinem in dexterâ dantibus, & eum cruce onerantibus, & crucifigentibus. FALSOS FRATRES sustinuit, cùm proditus fuit à Iudâ, negatus à Petro, & ab omnibus Discipulis derelictus. Disce in his similibus PATIENTIAM amplecti, & Christi Passionibus participare.

Benedictina Patientia consistit in quinque.

Psalm. 65.

Reg. cap. 62.

Quæ Christus passus sit.

Ioan. 7. Matth. 11.

Sed quid vlterius S. BENEDICTVS requirit? nimirùm, vt scopus Patientiæ tuæ sit ipse Christus, siue Deus, & ei dicere liceat: *Propter te mortificamur totâ die*: Item: *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Intentio enim nostra ferri debet in Deum. Pati enim miseriæ est; sed propter Deum pati, maximæ gloriæ, atque etiam meriti.

Pati oportet propter Deum. Grad. 4.

Iam igitur vt scias, *ad quid venisti*, attende, an tibi etiam persuadeas proprium officium tuum esse PATI, & tribulationes sustinere: quasi cùm Paulo dicas: *Nemo moueatur in tribulationibus* nostris, quoniam *in hoc positi sumus.* Vide vt te erga *Patientiæ* obiecta habeas, & quem in ipsâ *Patientiâ* scopum tibi prefigas. Denique quoad modum examina, an generosè te resolueris ad quælibet, quæ se offerre possunt, aduersa æquanimiter toleranda; an quamcumque crucem de manu Dei acceptes: an ipsâ cruce diuinæ voluntati, à quâ non permittitur solùm, sed & immittitur, acquiescas: an Christo in simili passione constituto, te studeas per omnia conformare: an in cruce gaudeas, & pro illâ etiam gratias agas.

Synopsis. 1. Thess. 3.

Hæc PATIENTIÆ documenta, si lubet, vide latiùs explicata in *Regiâ Viâ Crucis*, libro præsertim secundo.

DISQVI-

DISQVISITIO XI.

Quæ pia & quotidiana Benedictini Monachi Exercitatio?

Si cupis indultũ tibi sanctè expendere tēpus,
Quattuor hæc animo sæpè reuolue tuo.
¹ Fors hodie moriar; ² quid agam Deus aspicit; ³ Ecquî
Hoc faceret Christus? ⁴ quis scopus? EST-NE DEVS?

EN tibi, *Religiose Asceta*, quatuor veluti rotas, quibus quotidianarum, imò etiam singularum actionum tuarum currus moueatur; vt nec ad dexteram declines, nec ad finistram.

Benedictini exercitatio quotidiana quadruplex. *Prima* est timor Domini, ex instante vbique morte conceptus. *Secunda*, consideratio diuinę præsentiæ. *Tertia*, Imitatio Christi. *Quarta*, pura intentio, & actualis vel saltem virtualis operum in Deum, tamquam scopum directio, vt scilicet purè ad eius gloriam fiant.

Timor Domini operandi pręb et stimulum: Dei pręsentia perfectè operandi adminiculum. Christi imitatio operandi exemplum; pura intentio operandi scopum: de quo optimè Augustinus: *Magni interest eùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum, nō initio sed fine pensandum est, vt scilicet nō tantum si bonum est quod facimus, sed præcipuè si bonum est propter quod facimus cogitemus.* Sic ille: docens consequenter gloriam Dei debere esse finem cuiuscumque operis boni. (August. in Psalm. 18. conc. 2.)

Ex S. Benedicti mente desumpta. Prolog. Vis iam hęc quatuor ex ipsâ S. BENEDICTI mente eiusdemque pænè intelligere verbis? AVSCVLTA, Ô FILI, *& inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple.* Cùm nobis *propter emendationem malorum, huius vitæ dies ad inducias relaxentur; si fugientes gehēnæ pœnas,* (Ibid.) *ad vitam volumus peruenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus: currendum* (Ibid.) *& agendum est modò, quod nobis in æternum expediat.* Quid autem agendum?

I. Timor Domini. Cap. 4. PRIMÒ, *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.* Nec hoc tantum, sed humilis Frater *vbicumque sedens, ambulans, vel stans,* (Cap. 7.) *reum se omni horâ de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari æstimet.*

II. Dei præsentia. Ibid. SECVNDÒ, de diuinâ Præsentiâ ait: *Æstimet se homo de cœlis semper à Deo* RESPICI *omni horâ: & facta sua omni loco ab aspectu* DIVINITATIS VIDERI, *& ab Angelis Deo omni horâ renunciari.*

III. Imitatio Christi. Cap. 4. TERTIVM vtcumque insinuatur, cùm Monacho commendat, *Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christū.* Continuò enim pro-

A pria abneganda voluntas, & in Christum, tamquam ideam & prototypon respiciendum, vt illum in nostris actionibus possimus sequi & imitari. Hortatur quoque *vocem illam Domini* factis imitemur, dicentis: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* (DOCTRINA S. BENEDICTI)

IV. Recta intentio. Cap. 5. QVARTVM *conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant; & nihil amori Christi præponunt.* Hi enim se, suaque omnia ad eum, tãquam dilectionis suæ centrum, quod sibi proponunt, referunt: Nam vt do-

B cet S. Thomas, *Charitas omnium virtutum forma est, cùm per ipsam omnium virtutū actus in debitum & vltimum finē ordinantur.* Idemque ait: *Ad præceptum Charitatis, quo præcipitur vt diligatur Deus ex toto corde, pertinet, vt omnia referantur in Deum: & ideo præceptum Charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referat in Deum;* actu scilicet vel virtute, vt ipsemet S. Doctor exponit. Vnde illam Apostolicam sententiam; *Sine manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite;* sic interpretatur, (Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 8.) (1. 2. quæst. 100. art 10. ad 2.) (In 1. ad Cor. 10.)

C vt significet, *omnia facienda cum inuocatione Creatoris, eâ intentione, vt laudetur & glorificetur Deus.* Et illam: *Omnia vestra in Charitate fiant,* ad eundem modum explicat: *Omnia debent referri ad finem Charitatis, scilicet vt fiant propter Deum & proximum.* Pulchrè proinde monet S. Gregorius: *Vigilanti curâ per cuncta opera* INTENTIO *nobis nostra pensanda est, vt nil temporale in his, quæ agit appetat, & totam se in soliditate æternitatis figat. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus,* (In 1. ad Cor. 16.) (Greg. 28. Moral. cap. 6.) (Quæ in omnibus attendanda.)

D *virtutes verò in intimâ* INTENTIONE *subsistunt. Et quia scriptum est:* Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus; *tunc bases in fundamento sunt, eùm* INTENTIONES *nostræ in Christo roborantur. Incassum verò alta super se bases ædificia erigunt, si non ipsæ in fundamento solidatæ consistunt, quia nimirum quamlibet summa opera inaniter faciunt, si* INTENTIONES *cordium extra æternitatis certitudinem desfluntur.* Sic nimirùm SCOPVS VITÆ NOSTRÆ Christus: sic actionum no- (1. Cor. 3.)

E strarum FINIS ipse DEVS.

Pro praxi autem, notanda B. Bernardi doctrina varia INTENTIONVM genera distinguentis. *Duo quædam, inquit, in* INTENTIONE, *quam faciem animæ esse diximus, necessaria requirũtur, res, & caussa, id est, quid* INTENDAS, ET PROPTER QVID. *Ex his sanè duobus animæ vel decor, vel deformitas indicatur.* Ex diuersâ autem INTENTIONE quintuplicem animæ statum ostendit. Primò, INTENDERE *non in Deum, sed in sæculum, sæcularis anima est.* Secundò, INTENDERE *quasi in Deum, sed nō propter Deum, hypocrita planè* (Bern. serm. 40. in Cant.) (Varia intentionum genera.)

DOCTRINA S. BENEDICTI

animæ est. Tertiò, *vel solùm, vel maximè ob vitæ præsentis necessaria ad Deum conuertere* INTENTIONEM, mercenariæ animæ est, & *pusillanimitatis vitio*, vt Bernardus ait, *subobscuræ & minùs acceptæ*. Quartò, INTENDERE *in aliud, quàm in Deum, tamen propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotiũ est:* quæ cùm *turbetur erga plurima, non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non respergi, quem tamen citò facilèque deterget, vel in horâ sanctæ dormitionis casta* INTENTIO, *& bonæ conscientiæ interrogatio in Deum*. Quintò, *solùm inquirere Deum, propter ipsum solum, hoc planè est vtramque bipertitæ* INTENTIONIS *faciem habere pulcherrimã. Atque id proprium & speciale* Sponsæ. Vigila igitur, ô religiosa anima, circa hanc puritatem INTENTIONIS, vt (quod alibi ait Bernardus) quidquid *feceris, propter Deum facias, & ad locum, vnde exeunt gratiæ, reuertantur, vt iterum fluant*.

Pulcherrimum.

Bern. serm. 3. in vigil. Natiu.

S. Benedictus quæuis prædicta exemplo firmauit.

Quadripartitam hâc Exercitationem ex S. BENEDICTI Regulâ desumptam, suo ipse non parum confirmauit exemplo. Quia, vt Gregorius ait, *Sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit*. Et de singulis ex ipsâ vitæ historiâ satis constat. 1. *Mortem* enim præ oculis habuit, qui eam ex Dei reuelatione cognouit, Fratribus anteà denunciauit, & sepulchrum sibi ante sextum obitus sui diem aperiri iussit. 2. Iugem Dei præsentis memoriam ei adscribit Magnus Gregorius, his verbis: *In suâ semper custodiâ circumspectus, ante oculos Conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit*. Itã Deum se aspiciẽtem S. BENEDICTVS semper aspexit. 3. Quomodò autem Christum, tamquam actionum suarum exemplar sibi proposuerit, audi Petrum Damiani: *Currentem Christum cursu rapidissimo secutus est; nec destitit, donec cõsequeretur*. 4. Viuum Iesu Christi exemplar intuitus est, quem cælestis Pater, vt est apud S. Hildegardem, docuit *in vestitu conuersationis suæ Incarnationem Filij Dei colere, & in abnegatione voluntatis suæ Passionem illius imitari*.

2. Dial. cap. 36.

Greg. lib. 2. Dial. c. 3.

Petr. Dam. serm. de S. Bened.

Hildeg. lib. 2. vis. 5. nu. 21.

Lucæ 10.

Examen vtile.

Quid iam dicam, Religiose Lector, nisi illud Saluatoris: *Vade & tu, fac similiter*. Examina, an mortem & Dei iudicium assiduè præ oculis habeas, an non agas tamquam diu victurus, aut numquam moriturus: an Deum præsentem aspicias: an in tuis operibus Christum, tamquam exemplar inspicias: an verè Deum quæras: an ille actionum tuarum vnicus scopus sit & finis: an non tuum commodum, vanam gloriam, aut delectationem respicias.

1. Tim. 4.

Hæc meditare, in his esto. Hoc enim, ni fallor, est, quod Sanctus BENEDICTVS commendauit: *Actus vitæ suæ omni horâ custodire*.

Cap. 4.

Quid agendum ante, vel post opera quæq.

Prolog.

Sed quid vel ante, vel post actiones singulas piè faciendum; ex eodem S. Patre accipe: *In primis vt quidquid agendum inchoas bonum, à Deo perfici instantissimâ oratione deposcas*. Post opus, fac quod idem ait: *Timentes Dominum, de bonâ obseruantiâ suâ non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Prophetâ dicentes: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Vtiliter proinde actionibus subijcies tritam illam sanctissimæ Trinitatis doxologiam: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, &c.

Psal. 113.

DISQVISITIO XII.

Quodnam sit Regulæ totius Summarium?

Quæ documenta suis scripsit BENEDICTVS *alumnis*
Plurima, vis versu clausa videre breui?
LINQVE VOLVNTATEM PROPRIAM, ET MOX PROMPTVS OBEDI.
Regula vix aliud quod sacra mandet, habet.

Summarij huius ratio.

VT illi, qui suarum facultatum rationes accuratè volunt subducere, eas primò in certas classes singularum annotatis pretijs quàm diligẽtissimè distribuunt, ac deinde ad vnam omnes simul collectas summam reuocant: ita vtilissimum omninò nobis visum fuit, Regulam Sanctissimi Patris ac Legislatoris nostri BENEDICTI, quam in certa capita iam coëgimus, ad vnum aliquod punctum, velut ceterorum omnium caput, summam atque compendium contrahere; in quo breuissimè totius Regulæ, singulorumque præceptorum substantia contineatur. Id verò non tam ex nostrâ meditatione, quàm ipsius Sancti Patris nostri mente & verbis depromemus.

Ad quam respexit S. Benedictus.

Ipse siquidem ædificaturus, *Scholam Domini Seruitij, & officinam artis spiritalis*, in ipso vestibulo totius operis ichnographiã, & exemplar, quasi in tabellâ delineatum, spectandum proposuit. Ita namque exorditur: *Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians proprijs voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus*, OBEDIENTIÆ *fortissima atque præclara arma assumis*. Ac si luculẽtiùs sic dixisset: hæc scholæ meæ, aut potiùs Christi, tota disciplina, hoc artis spiritualis officium hæc religiosæ militiæ exercitatio est: vt proprijs quis abrenunciet volũtatibus, & perfectè obediat. Hoc est totius Regulæ, quam filijs ac discipulis meis præscribo, argumentum & anacephaleosis.

Celebra-

Celebrarunt olim scriptores Stoicæ sectæ Philosophum Epictetum, qui summam totius Philosophiæ duobus his verbis contineri dicebat, ἀνέχου, ἢ ἀπέχου, id est, SUSTINE, ET ABSTINE: potiori iure laudandus Ordinis nostri fundator ac Institutor BENEDICTUS, qui *Summam totius Philosophia Monastica* duobus his verbis inclusit: ABRENUNTIARE, ET OBEDIRE. Vel, vt alijs verbis alibi extulit, ABNEGARE SEMETIPSUM, VT SEQUATUR CHRISTUM. Cùm enim D. N. Iesus Christus per totam vitam factus sit obediens vsque ad mortem, maluerit; vitam perdere, quàm B obedientiam; quid aliud Christum sequi esse dicemus: quàm obedire, & obedientiæ fortissima atque præclara arma assumere? Tota ergo Benedictinæ vitæ professio duos contrarios terminos, & velut oppositos sibi inuicè polos respicit; à quorum vno quãtum recedere, tantum ad alterum debet accedere. Ab vno oportet auerti; voluntate nimirum propriâ, sicut scriptum est: *A voluntate tuâ auertere*: ad alterum verò Deum necesse est conuerti, iuxtà illud: *Conuerte ad Dominum Deum* C *tuum*. Hæc autem conuersio ad Deum potissimùm fit per veram Obedientiam, sicut auersio à Deo per inobediẽtiam. Quod optimè S.P.N. BENEDICTUS indicauit, dicens: *Admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per* Obedientiæ *laborem redeas, à quo per inobedientia desidiam recesseras.*

Abrenuntiatio, & Obedientia Regula S. Benedicti summa.

Eccli. 18.

Prol. Reg.

In his porrò duobus totius Regulæ nostræ summam quandam & epitomen esse constitutam, agnouit quoque S. Anselmus, Cantuariensis Archipræsul in proli- D xo carmine de *mundi contemptu*, & *vita Monachorum*, in quo ita cecinit:

Testimonio S. Anselmi.

Summa quidem virtus Monachi parere Priori,
Ferre iugum Norma, seque negare *sibi.*

Quod quidem nihil aliud est dicere, quàm vitæ Monasticæ summam in eo positam esse, vt quis obediat Superiori secundùm normam Regulæ, & abneget semetipsum.

Verùm enimuerò, si rem diligentiùs expendere velimus, id quod de Dei lege E Apostolus affirmauit, *Omnis lex in vno sermone impletur, diliges proximum tuum sicut teipsum. Et plenitudo legis est dilectio*: De nostra itidem lege vsurpare licebit: Omnis Regula in vno sermone impletur, *Præceptis Abbatis in omnibus obedire*. Et plenitudo legis Cœnobiticæ est *Obedientia*: Hæc autem (vt Sanctus Thomas ait) in abrenunciatione propriæ voluntatis consistit. Vnde & à S. Ioanne Climaco vocatur *anima propria perfecta abnegatio*, & A *sepulchrum voluntatis*. Ex quibus liquidò patet, duo illa quæ attulimus puncta, *abnegationem* scilicet voluntatis propriæ, & *Obedientiam*, in re vnum tantum esse perfectæ odedientiæ exercitium, quod cum propriâ voluntate consistere nequit. Quare etiam S. BENEDICTUS duo illa non tantùm in Prologo, sed alibi quoque coniunxit. Capite enim quarto cum dixisset: *Voluntatem propriam odire*, statim subdidit: *Præceptis Abbatis in omnibus obedire*; innuens nimirùm hæc inter se ita esse connexa, vt vnum sine altero obtineri non possit.

Galat. 5. Rom. 13.

Plenitudo legis Cœnobiticæ est Obedientia.

Cap. 4. S. Thom. Opusc. 14. de perfect. vitæ spirit. cap. 10. Climac. grad. 4.

DOCTRINA S. BENEDICTI

Qua includit Abrenunciationem.

Instrum. 59. & 60.

Agnouit porrò & noster S. Petrus Damiani, præcipuum medium acquirendi religiosam perfectionem, in vna Obedientiâ à S. BENEDICTO cõstitutum esse. *Videamus ergo* (inquit) *cùm scribere* (S. BENEDICTUS) *incipit, quibus verba dirigit, ad quod hominum genus omnem vim secutura elocutionis intendit: ait enim: Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians proprijs voluptatibus, Domino Christo vero Regi militaturus*, Obedientiæ *fortissima atque præclara arma assumis*. Quantum ergo ex sancti Viri verbis colligere possumus, magis ad discendam Obedientiam, quàm ad peragendam pœnitentiam, *Regula huius schola cognoscitur instituta: non vt sine peccatores, sine iustos excludat, vel vnum genus hominum respuat; sed quia omnem vim, & intentionem ad edocenda* Obedientiæ *præcepta constituat*, Ita Doctor Sanctus. Cuius doctrina ex alio quoque eiusdem Prologi loco adstrui potest, vbi dicit: *Ergo præparanda sunt corda & corpora nostra, sanctæ præceptorum* Obedientiæ *militatura*. Ex quo colligere possumus vitam religiosam, quæ spiritualis quædam militia est, in *Obedientia* virtute totam consistere, vt assumptis fortissimis atque præclaris *Obedientia* armis, *propriam* iugiter expugnemus *volũtatem*. Quod quidem adeò S.P.N. cordi fuit, vt minimè ei suffecerit id semel iterumque commendasse; verùm ita Regulam suam pertexuit, vt singulis propemodum capitulis, voluntatis propriæ abdicationem, atque Obedientiam, aut apertè, aut saltem implicitè insereret.

Petr. Dam. Opusc. 13. cap. 6.

Et medium est acquirenda perfectionis.

S. Benedictus Obedientiam & voluntatis abnegationem multis docet.

Monachorum enim genera describens, Cœnobitarum omnibus præfert, atque fortissimum appellat, *Militans sub Regulâ vel Abbate*. Abbatis deinde Ideam exprimens, eum admonet, *doctrinæ sua, & discipulorum* Obedientiæ, *in tremendo iudicio Dei faciendam esse discussionem: Inobedientibus cura sua ouibus pœnam esse ipsam mortem*. Item; *ne vnum plus amet quàm alterum, nisi quem in bonis actibus, aut* Obedientiâ *inuenerit meliorem*. Cap. 3. Disc. m. *Discipulus*, ait, *conuenit obedire Magistro*. Et: *Nullus in Mona-*

Cap. 1.

Cap. 2.

DOCTRINA S. BENEDICTI

Monasterio proprij sequatur cordis voluntatem. Quarto capite inter cetera præscribit, *voluntatem propriam odire*, & *præceptis Abbatis in omnibus obedire*. Quintum caput totum est *de Obedientiâ*. Sexto capite *tacere & audire*, ait, *discipulo conuenit*. *Et ideò si quæ requirenda sunt à Priore, cum subiectione reuerentiæ requiratur.* Ex humilitatis gradibus capite septimo descriptis, quinque priores *Obedientiam* propriissimè concernunt. Capitibus deinde sequentibus vsque ad 21. totius diuini Officij cursum describit; In quo Psalmos aut Antiphonas non vult imponi, nisi ab ijs, quibus iussum fuerit. Imo, *Cantare*, ait, *aut legere, non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, & cui iusserit Abbas.* Decanorum, & Præpositi officia describens, personas designat, quibus post Abbatem Obedientia impendi debeat. Cellerarius iubetur sine iussione Abbatis nihil facere. Similiter & admonentur Sacerdotes, *Ne occasione Sacerdotij obliuiscantur Regulæ Obedientiam.* In Nouitijs attendi vult, an sint sollicitî *ad Obedientiam:* Et nemine excepto suadet, *vt etiam sibi inuicem obediant Fratres*, & *Obedientiam sibi certatim impendant*. Ita vt Benedictina Obedientia tam sit generalis, vt nullam excipiat personam, nullam omninò rem: adeò vt si *grauia aut impossibilia iniungantur*, suscipi velit *iubentis imperium, cum omni mansuetudine & Obedientiâ*.

Cap. 47.

Cap. 21. & 65.

Cap. 31

Cap. 62.

Cap. 71. & 72.

Cap. 68.

Omnia verò & singula præcepta vel monita, quæ de Monasterij officialibus, Artificibus, infantibus, senibus, infirmis, hebdomadarijs coquinæ, lectore mensæ, disciplina psallendi, dormiendi, hospites suscipiendi, mensurâ ciborum, opere manuum, proprietate, vestimentis & ferramentis, oratorio, ieiunijs, totâque Regulari obseruantiâ, in Regula habentur; quid quæso aliud sunt, quàm obiectum, & materia circà quam ipsa Obedientia versatur? Ideoque Sanctus BENEDICTVS vniuersim decreuit, *Cùm voluntate Abbatis omnia agenda esse, & quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputandum & vanæ gloriæ, non mercedi.* Quæ autem de culparum excommunicatione, & regularium præuaricationum pœnis sparsim per Regulam traduntur, aliud sanè non sunt, quàm Inobedientiæ antidota & remedia; vt qui mandata non impleuerint, decretam pœnitentiam ex obedientiâ suscipientes, quantum Regulæ, & Obedientiæ deferendum sit, humilitate subiectionis demonstrent.

Cap. 49.

Ex hâc porrò inductione clarissimè patere arbitror, summam totius Regulæ S. BENEDICTI in vnius Obedientiæ exercitio esse constitutam. Et sicut ille ex diuinæ gratiæ dispensatione velut sub vno solis radio totum mundum collectum aspexit: ita discipulos eius sub vnius vocabuli *Obedientiæ* augustijs totam sanctissimè eius Regulæ latitudinem contractam intueri. Quod igitur ipse de *Collationibus Patrum*, & *institutis*, & *vitâ eorum*, sed & de *Regulâ S. Patris Basilij* affirmauit, id de eius quoque Regula, iure meritoque dicere possumus, eam scilicet aliud non esse, *nisi benè viuentiam*, & OBEDIENTIVM MONACHORVM *exempla & instrumenta Virtutum*. Ita scilicet sigillo *Obedientiæ*, à quâ in prologo exorsus fuerat, quamque per totam Regulam variè commendaueat, textum obsignauit, & finem iungens principio, præter eam aliud nihil toto libro se docuisse demonstrauit.

Obedientia Regulæ totius doctrinæ summa.

Cap. 73.

Aliud Regulæ compendium diuinitus reuelatum.

EA est Saluatoris nostri Iesu Christi gratia atque benignitas, vt non modo tunc cum patratâ incarnatione in terris visus est, & cùm hominibus conuersatus, viam vitæ edocuerit; Verùm etiam postquam iam cœlos ascendit, electis suis sæpè apparere dignatus sit, eosque per semetipsum diuinus Magister nonnunquam edocuerit omnem iustitiam & perfectionem. Id cùm pluribus Sanctis, tum crebberrimè beatissimæ Viduæ Birgittæ exhibitum legimus: cui etiam certâ quâdam occasione, summarium quoddam, atque epitomen Regulæ S.P.N.BENEDICTI tradidit, quod in gratiam nostrorum hîc adscribendum duxi.

Summarium Regulæ S. Benedicti reuelatum B. Birgittæ.

Frater quidam Benedictinus, rogauit Dominam (Birgittam) *vt requireret Deum, quatenus certificari posset de habitu suo, quia multum tribulabatur de multitudine abusionum habitus Religionis* S. BENEDICTI, *igitur cum* S. Birgitta *fuisset in spiritu*, post multa de habitus humilitate dicta, Filius Dei postremò hæc subiecit.

Birg lib. 4. Reuel. cap. 117.

Quomodò potest professor Regulæ ignorare Regulam, quæ quotidie legitur, & auditur? in quâ instruitur Monachus humiliari, & obedire, & habitum habere de vilioribus, non de mollioribus, & habitum portare exemplarem, non pomposum. Aut cuius conscientia sic obtusa est, quod non intelligat se professorem humilitatis, & totius paupertatis? Ergo ille est MONACHVS BENEDICTI, *qui plus obedit Regulæ, quam carni, qui nec in habitu, nec in moribus alicui placere desiderat nisi Deo: qui quotidie desiderat mori, & parat se ad exitum de hoc mundo, sollicitus est quomodò reddat rationem de Regulâ* BENEDICTI.

Quis verus Benedictinus.

In qui-

In quibus verbis institutum Benedi- A ctinum ad sex puncta reuocatur.

Regula ad sex puncta reducta. *Primum*, est Humilitas, de quâ legendum Caput 7. Regulæ, vel ea quæ superiùs *
1. annotauimus.

d Part. 1. Disq. 4. §. 2. *Secundum*, Obedientia, quam cap. 5. &
2. passim totâ Regula S.P.N. describit.

3. *Tertium*, Paupertas, de quâ agit cap. 33. & 34. & in hoc *Catechismo*, Disq. 4. §. 5.

4. *Quartum*, Charitas, siue desiderium placendi soli Deo. Vnde ait Obedientiam
Cap. 5. conuenite his, *qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant;* primumque instrumen- B tum bonorum operum facit, *Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute.*

5. *Quintum*, Desiderium moriendi, & preparatio ad exitum de hoc mundo, quæ 4.
Instrum. 46. 47. 48. cap. ita insinuat: *Vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni horâ custodire.*

6. *Sextum*, Cogitatio futuri iudicij, & rationis reddendæ de totâ obseruantiâ Regulæ Sancti BENEDICTI. Vnde S. Pater C
Instrum. 44. præscribit, *diem iudicij timere*, & assignatis omnibus bonorum operum instrumentis, ait: *Cùm* illa *fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata*, illam nobis à Domino reddendam mercedem, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

DISQVISITIO XIII.

Quibus Stimulis S. BENEDICTVS *ad Obedientiam, & totius Regulæ obseruantiam vrgeat?*

NE arduum nimis atque difficile fortasse videatur, promptam hanc atque expeditam obedientiam vbique præstare, itaque in omnibus Magistram sequi Regulam, vt ab eâ in nullo declinetur; quatuor Stimulos S. P. BENEDICTVS nobis exhibet, quibus languentem animum, ad regularem obseruantiam liceat incitare. Obedientiam enim discipulorum scholæ E
Cap. 5. suæ descripturus, ita exorditur. *Primus humilitatis gradus est, Obedientia sine mora. Hac conuenit his, qui nihil sibi Christo charius existimant, propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ; mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur,*
Quadruplex Stimulus ad obseruandam Regulam. *moram pati nesciunt in faciendo.* Ex quibus verbis Cardinalis à Turrecrematâ, alijque post eum Regulæ Commentatores, quatuor efficacia motiua & stimulos obediendi eliciunt.

A PRIMVS est, *Amor Dei* & Domini nostri IESV Christi, quo nil charius habentes, ob eius amorem obtemperant, qui propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, *factus est* Patri *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Validissimus autem ad obsequendum stimulus est Amor. Qui enim verè amat, amato nihil negat, sed quidquid petierit, libentissimè concedit. Cùm ergo obedientia, quæ maioribus exhibetur, Deo exhibeatur; is qui Deum diligit, Superiori eius vices gerenti facilè parebit. *Probatio* enim *dilectionis*, vt Sanctus Gregorius ait, *exhibitio est operis.* Et Christus ipse: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Similiter & discipulus, quem diligebat Iesus, ait: *Hæc est Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt;* Habenti nempè charitatem, quæ computrescere facit iugum, & onus alleuiat. Sic Iacob etiam septennis seruitutis labores non sensit, *præ amoris magnitudine.* Quare optimè dixit Sanctus Augustinus: *Qui amat, aut non laborat, aut ipsum amat laborem.* Religiosi ergo considerantes Christum esse Redemptorem, Pastorem, Medicum, & Saluatorem animarum suarum, ex eius amore studebunt omnem obedientiam Regulæ, ac superioribus deferre; atque hoc in omnibus conari, vt quæcumque opera ex præscripto religionis faciant, ea prodcant ex radice charitatis. Id quod non tam meum quàm ipsiusmet S. P. N. BENEDICTI monitum est, qui monet Fratrem, *cui impossibilia iniunguntur, vt* EX CHARITATE, *confidens de adiutorio Dei* OBEDIAT. Quod intelligendum arbitror, vt obedientiam atque vniuersa opera nostra ita faciamus, vt non modò fiant in statu gratiæ; sed ex actuali vel virtuali intentione charitatis, & propter ipsum Dei amorem, tanquam rationem, vt loquuntur, formalem, exerceantur. Re enim Theologicè expensâ, multò maioris meriti est opus quodcumque virtutis ex amore Dei procedens, quàm ex speciali bonitate, quæ in ipsa virtute reperitur. Quod de obedientiæ virtute Spiritus sanctus docuisse videtur, cùm ait: *Diligas Dominum Deum, atque* obedias *voci eius, & illi adhæreas.* Præmittit enim, vt Turrecremata exponit, dilectionem obedientiæ, innuens, quòd obedientia ex dilectione debeat oriri.

[DOCTRINA S. BENEDICTI. I. *Amor Dei.* Philip. 2. — Ioan. 14. — 1. Ioan. 5. — *Qui omnia suauia & facilia facit.* Gen. 28. — Lib. de Sancta Viduit. — Cap. 68. — Deuter. 30. 20. — In cap. 5. Reg. S. Benedict.]

II. SECVNDVS stimulus est, obligatio professionis, & voti, quoad seruiendum Deo sub obedientiâ & iugo Regulæ, Religiosus se astrinxit, quod Sanctus BENEDICTVS illis verbis indicauit: *Propter seruitium sanctum, quod professi sunt.* Sæpissimè autem

Obligatio Professionis, & Voti. — Cap. 5.

DOCTRINAS BENEDICTI autem nos Scriptura hortatur ad exactam votorum adimpletionem, vt ibi: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera:* Et alibi: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque voueris, redde: Multoque melius est non vouere, quam post votum, promissa non reddere:* Item: *Cum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Religiosi ergo considerãtes necessitatem sibi impositam reddẽdi vota, ita cuncta sua opera facere satagent, vt ex virtute religionis, & animo votum adimplendi procedant; sintque velut Sacrificia, & Holocausta Deo gratissima; cui se, & sua omnia per sanctam professionem obtulerunt. Etsi ad ea opera quæ communiter peragenda sunt, vi voti non obligentur, adeoque grauiter peccandi periculum vt plurimùm absit; expedit tamen Religiosorum actiones spiritu religionis animari, & propter seruitium sanctum, quod professi sunt, exerceri; cùm religionis virtus inter morales virtutes maximam omninò dignitatem, meritumque eximium obtineat.

Psal. 75. 12. Eccl. 5. 3. Deut. 23. 21.

III. *Metus gehennæ.* Tertius stimulus est, vt si neque Dei amore, neque ob emissa vota, quis se ad obedientiam vrgeri sentiat, eum saltem vel *propter metum gehennæ* amplectatur. Pœnarum enim infernalium consideratio, quas per bona opere enadimus, & per mala incurrimus, vehementer cùm ad virtutis exercitia, tùm ad peccatorum fugam animum impellit. *Nemo* autem *est*, Augustino teste, *qui non magis dolorem fugiat, quàm affectet voluptatem: quandoquidem videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus exterreri dolorum metu.* Quam ergo diligenter omnem præuaricationem & inobedientiam cauere par erit Cœnobitam, ne incidat in pœnas nunquam finiendas, & cruciatus per omnem sæculorum æternitatem duraturos. In hos autem incidere præceptorum Dei & votorum violatores, sacra Scriptura testatur, dicens: *Peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.* Et: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Hic ergo stimulus erit timoris Domini, quo metuens incidere in manus Dei viuentis, diligentissimè se accinget ad currendam viam salutis, nihilque negligendum. *Qui enim timet Dominum*, vt Ecclesiastes docet, *nihil negligit.* Et, *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Quare, ô Religiose, *Deum time, & mandata eius serua.*

Cap. 5. August lib. 84. quæst. Deuter. 8. Psalm. 118. Eccles. 7. 19. Prouerb. 15. 28 Eccles. 12. 13.

IV. *Spes mercedis æternæ.* Quartus & vltimus stimulus est, Spes retributionis æternæ. Quantumuis enim laboriosa videatur vita Monastica, quæ voluntarium quoddam Martyrium iure nuncupata est; leuis tamen apparebit, si gloria vitæ æternæ obedienti obuersetur. Nam, vt Sanctus Gregorius ait: *Cùm mens patriæ felicis quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ferventer amat.* Et alibi: *Mercenarius quod graue perpendit ex opere, leue reputat ex præmio;* sic iustus. Hinc Paulus aliquando supra modum, & supra virtutem grauabatur, sed linteo remunerationis tergebatur, dicens: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Greg lib. 7. Moral. cap. 7. Lib. 8. cap. 18. 2. Corinth. 1. Rom. 8.

Religiosus ergo iuxta S. P. N. Benedicti consilium, *Vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper reuoluat, eamque omni concupiscentia spirituali desideret;* vt hoc sibi proposito gaudio, libenter atque hilariter sustineat crucem religiosæ disciplinæ, & præcepta Dei factis quotidie studeat adimplere; dicens cum Prophetà Regio: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem.*

Cap. 7. grad. 1. Instrum. 46. Psalm. 118.

PERORATIO

Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI.

Fratres Charissimi,

Prolog. Reg.

Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ. Succinctis ergò fide, vel obseruantiâ bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius: vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno eius videre. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur.

Quare, *si fugientes gehennæ pœnas ad vitam perpetuam volumus peruenire; dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis viam vacat implere, currendum & agendum est modò quod in perpetuum nobis expediat.*

Quisquis

DOCTRINA S. BENEDICTI

Cap. 73. Quisquis ergo ad patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis REGVLAM deſcriptam adiuuante Chriſto perfice. Igitur

Qui	Legit, intelligat.	nam	Legere & non intelligere, eſt negligere.
	Intelligit, faciat.		Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.
	Facit, perſeueret.		Qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit; adeoque

Facientibus hæc Regna patebunt ſuperna. *Amen.*



SIT

NOMEN DOMINI

BENEDICTVM

EX HOC

NVNC, ET VSQVE IN

SÆCVLVM.

MONA-

MONASTICARVM
DISQVISITIONVM
LIBER TERTIVS:
COENOBIVM,
SIVE
DE PERSONIS MONASTICIS.

Quid, obsecro, videntur vobis esse COENOBIA? Nónne vnum videntur esse corpus, & inuicem membra? Qui autem administrant & gubernant, capitis loco habentur; qui verò speculantur & corrigunt, oculorum vicem tenent; at qui sermone prosunt, oris munere funguntur; qui obediunt, aurium loco putantur; qui opera exercent, manibus comparantur; qui reddunt responsa, & huc atque illuc ad ministeria diriguntur, vicem exequuntur pedum. *S. Dorotheus serm. 6.*

ARGVMENTVM.



Liber Tertius agit de Cœnobitis.

A *SCHOLA* & *Catechismo*, in quo prima Monasticæ vitæ *Rudimenta* dilucidè satis, vt arbitror, perspeximus, iam velut rude donati, proximã adeamus aulam COENOBII titulo insignatam. Præambula enim hactenus ad S. P. N. Regulam, variasque eiusdem excellentias expendimus; nunc Regulæ ipsius textum aggressuri, Regulares personas, siue institutos à S. BENEDICTO *Cœnobitas*, eorumque contemplabimur officia. Quemadmodum autem tota fidelium congregatio mysticum Christi

Christi corpus constituit quod est Ecclesia; (dicente Paulo: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*;) non secus vniuersa Monachorum multitudo Monasticum quoddam efficit corpus, cuius singuli in ordine suo sunt membra. Quod quidem intelligens S. Legislator, de Monacho peregrino superfluo aut vitioso inuento tempore hospitalitatis decernit, non debere *sociari corpori Monasterij*. Notum autem communitatem, collegium, siue congregationem, *corpus* vocari. Callistratus Iurisconsultus: *Quibusdam collegijs, vel* corporibus, *quibus ius coëundi lege permissum est, immunitas tribuitur: scilicet eis collegijs vel* corporibus, *in quibusdam artificij sui caussâ vnusquisq; adsumitur; vt fabrorum* corpus *est*. Monasticum igitur *corpus* exhibet hoc COENOBIVM, ex Monachis Cœnobitis, tamquam membris constructum: in quo caput est *Abbas*; collum, *Præpositus*, siue *Prior*; brachia & manus, *Decani*; humeri, *Cellerarius*, ferens pondus diei & æstus, satagensque circa frequens ministeriũ; crura & pedes, *Fratres Laici* siue *Conuersi*, & *Commissi*; manuum pedumque digitos appellare liceat auxiliares Socios, quos *Solatia* Regula nostra indigitat. Posse verò hoc modo *Monasterij corpus* explicari, suprascripta S. Dorothei sentẽtia ostendit, & Magnus cõfirmat Gregorius: *Quid enim*, inquit, *sancta Ecclesia, nisi superni sui capitis* corpus *est? In quâ alius alia videndo*, oculus; *alius recta operando*, manus; *alius ad iniuncta discurrendo*, pes; *alius præceptorum vocem intelligendo*, auris; *alius malorum fœtorem, bonorumq; fragrantiam discernendo*, naris *est*. Quemadmodum autem Paulus probans Christianos omnes vnum corpus esse, ait: *Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*; ita & Benedictini per professionem S. Regulæ, & participationem spiritus S. BENEDICTI, Ordini eius sunt incorporati, ac veluti membra corpori coagmentata, vnum corpus congregationis efficiunt. Cor igitur huius corporis, est *Spiritus* ille, cui B. BENEDICTVS *Abbas seruiuit*, quo inspirante Regulam condidit, quem obtinere quotidie postulamus, *vt eodem nos repleti, studeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit.*

1. Cor. 12. — *Qui corpus Monasticũ constituunt.* — *Reg. cap. 61.* — *ff. 50. tit. 6. L. 5. §. Quibusdam.* — *Cuius membra enarrantur.* — *Satis aptè.* — *Gregor. lib. 28. Moral. cap. 6.* — *1. Cor. 12.* — *Cor huius Corporis.*

Quemadmodum autem septenarius numerus totius corporis membra disponit, vt ait, probatque Macrobius; sitque *totius fabricæ dispensator & Dominus*; nos quoque Cœnobiticum hoc corpus in totidem *Tractatus*, velut maiora quædam membra diuidemus. *Primus*, explicat varia Monachorum nomina. *Secundus*, eorum genera. *Tertius*, habitacula & Monachorum in ijs numerum & ordinem. *Quartus*, quæ apta Religiosos compellandi formula. Atque hæc in genere quasi materiam Monastici corporis exhibent. Inde ad præ-

Macrob. lib. 1. in somn. Scipion. cap. 6. — *Libri Tertij Tractatus septem.*

ad præcipua descendentes membra, *Tractatu Quinto*, de capite, id est, Abbate agimus. *Sexto*, de Præposito, & Decanis. *Septimo*, de Sacerdotibus, alijsq́ue Officialibus.

Monita duo. Liceat autem hîc in transcursu mystici huius *corporis* membris

I. Apostolicam inculcare doctrinam, obiterq́ue monere. Primò, ne

Membrum quodlibet suo officio fungatur. humiliori destinatus officio, se velut extraneum à corpore existimet: Nec dicat *pes:* (Frater Conuersus) *Quoniam non sum manus,*

1. Cor. 12. 15. (Prior vel Decanus) *non sum de corpore.* Nec dicat *auris* (iunior vel obediens) *quoniam non sum oculus* (officio alicui superintendens) *non sum de corpore: num ideò non est de corpore? Si totum corpus oculus; vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodq́; eorum in corpore sicut voluit.* Quilibet ergò in quo positus est, remaneat loco, & officio, eoq́; strenuè perfungatur. Hinc

Doroth. serm. 6. S. Dorotheus: *Caput es? guberna. Oculus es? attende, mentemq́; adhibe, & considera. Os es? quæ recta sunt loquere & adiuua. Auris es? simpliciter obtempera. Manus es? Operare, & viriliter te exerce. Pes es? obsequere, & ministerium tuum exple.*

II. Deinde, vt cum Apostolo pergam: Cùm *non possit oculus dicere*

Habeat cum alijs vnionem. *manui: Operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi*

Citato cap. v. 21. *necessarij: sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse,*

22. *necessaria sint:* omni studio cauēdum, *vt non sit schisma in corpore, sed*

25. *idipsum pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, congaudent omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Et hæc ex occasione.

Explicantur autem hoc libro Regulæ S. BENEDICTI Capita decem, nimirùm: I. II. III. XXI. XXXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. & LXVI.



DISQVI-

TRACTATVS I.
DE NOMINE MONACHORVM.

REGVLAM *suam* S. BENEDICTVS *à quatuor Monachorum generibus orditur: nominis etymon & definitionem vt passim notam prætermittens. Sed enim, cùm* omnis, *vt Tullius ait*, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat à definitione proficisci, vt intelligatur id de quo disputatur; *nos quoque ne quid huic operi deesse videatur*, Primo hoc Tractatu *Monachorum nomina, descriptionesque discutiemus.* Primò, *Quid Monachus?* Secundò, *An nomen & res Monachi in sacris litteris inueniatur?* Tertiò, *Rectène Monachi dicantur Asceta?* Quartò, *An & Religiosi?* Quintò, *Quid Religiosi nomine significetur?* Sextò, *Num etiam dicendi Regulares?* Septimò, *Quæ alia Monachorum nomina?* Octauò, *De Laicorum Fratrum nominibus.*

Cicero 1. de offic.

DISQVISITIO I.

Quid Monachus?

Monachi nomen deductum, I. Ab orando

PRIMÒ, Quidam μοναχὸν dictum volunt, quasi μονευχὸν, παρὰ τῷ μόνῳ θεῷ προσεύχεσθαι, quod vnum Deum assiduè deprecetur. Quò respexisse crediderim Ioannem Climacum, qui sic definit MONACHVM: MONACHVS *est, qui solùm ad Deum acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, loco, & re.* Cui concinit Isaac Presbyter: MONACHVS *est, qui sedet extra sæculũ, & semper supplicat Deo, vt adipiscatur bona futura.* Et S. Maximus Confessor: MONACHVS *est, qui mentem suam à rerum terrenarum amore segregatam habet, atque per continentiam & charitatem, & precandi assiduitatem in Deo amando, & colendo perdurat.*

Climac. grad. 1.

Isaac presb. tom 5 Biblioth. Pat lib. 1. de contempt. mund c. 15.

S. Maxim. ibid cent. 2. nu. 54.

Philippus Bonæ spei Abbas, aliam, sed satis exoticã MONACHI adfert appellationem, ita scribens: *Monos vnus, siue singularis interpretatur, vnde qui à pluralitate populi, quietis gratiâ separatur, rectè* MONACHVS *appellatur. Siue, vt quidam volunt:* MONACHVS *quasi monoculus dicitur, id est, vnum tantùm oculũ habens. Qui enim priùs quasi gemino oculo vtebatur, dum & mundum appetere, & tamen Deum diligere specialiter videbatur, nunc reiectis omnibus, quibus temporaliter solebat delectari, sola cælestia indiuiso desiderio diligit cõtemplari. Et quia clausit, imò eruit, & proiecit oculum, quo ea, quæ mundi sunt auidiùs appetuntur, eum autem retinuit & mundauit, quo cælestia cognoscuntur, rectè* MONACHVS *quasi monoculus meruit appellari, qui bonæ cæcitatis* A *ignominiâ nõ abhorruit gloriari. Denique apud litteras sæculares vir quidam* MONICHVS *appellatur, qui singularem in fronte oculum habere perhibetur. Iaculatur*, inquit, MONICHVS *ornos. Noster autem* MONACHVS *non in fronte, sed in corde singularem oculum habere perhibetur, quo inuisibiliter intuetur: Et eum sibi oculum eruit, qui foris esse quasi in facie videbatur, quo carnalia carnaliter mirabatur.*

Philipp. lib. de Contin. Cler. c. 78.

Peregrinè à monoculo.

PERSONÆ MONASTICÆ.

II. *Ab vno tristi.*

SECVNDÒ. Eugenius Papa apud Gratianum: MONACHVS *idem est, quod vnus tristis.* B *Agnoscat*, inquit, *nomẽ suum; μόνος enim Græcè, Latinè est vnus. ἄχος Græcè, Latinè tristis sonat. Inde dicitur, id est, vnus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio vacet.* Hoc sensu rursum Climacus: MONACHVS *est afflictus & mærens animus, qui iugi mortis memoriâ, siue vigilans, siue dormiens, seipsum semper exercet.* Hinc tritum illud Hieronymi: MONACHVS *non docentis, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.*

16. quæst. 1. cap. Placuit 2.

Climac. grad. 1.

Hieron ad Ripatium aduers. Vigilant.

III. *A solitudine.*

C TERTIÒ. S. Hieronymus MONACHI nomen à solitudine deducit: *Interpretare*, inquit, *vocabulum* MONACHI, *hoc est tuum, quid facis in turbâ, qui solus es?* Et rursus: *Si cupis esse quod diceris,* MONACHVS, *id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?*

Epist. ad Heliod.

Epist. 13. ad Paul.

Ad hanc nomenclaturã alludit Rutilius:

Processus pelagi iam se Caprarta tollit,
Squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se MONACHOS *Graio cognomine dicunt,*
Quod soli nullo viuere teste volunt.

Rutil. in Itiner. lib. 1.

Z z Verùm

PERSONÆ MONASTICÆ. Verùm hæc etymologia Eremitis, & Anachoretis tantùm congruit, vt qui soli habitabant in desertis: MONACHORVM tamen nomen ipse Hieronymus Eustochio scribens, Cœnobitis, & Anachoretis vult esse commune.

Hieron. Epist. 22.

IV. *Ab vnitate.* QVARTÒ, S. Augustinus MONACHI nomen à μόνας vel vnitate, sed potiùs vnanimitate, simul in cōmunitate viuentiū vult deduci; exponens enim illud Psalmi: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare Fratres in vnum. Ista, inquit, verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico quàm in intellectu, etiam Monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt Fratres, qui in vnum habitare concupierūt: iste versus fuit tuba ipsorum. Sonuit per orbem terrarum; & qui dispersi erant, cōgregati sunt In vnum.* Et infrà: *Quare nō appellemus* MONACHOS, *cùm dicit Psalmus: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare Fratres in vnū? μόνος enim vnus dicitur. Et nō vnus quomodocumque: nā & in turbâ est vnus, sed vnā cum multis dici potest. μόνος non potest, id est, solus: μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciāt; & sit illis verè, quomodò scriptum est, vna anima & vnum cor; multa corpora, sed non multæ animæ, multa corpora, sed non multa corda; rectè dicitur μόνος, id est, vnus solus.* Videtur autē & hęc restrictior esse MONACHI acceptio, vtpotè quæ solis cōpeteret Cœnobitis, cū & Anachoretæ MONACHI in primis sint.

August. in Psal. 132.

V. *A singulari vita.* QVINTÒ igitur, MONACHI, Dionysio Areopagitâ auctore, à *monade*, ab indiuiduâ & singulari vitâ appellātur, *vt quæ illos sanctis diuisibilium complicationibus, in diuinam & Deo gratam monadem perfectionemq; promoueat.* Sic & Abbas Piammon apud Cassianū, ait: *Quod segregati à credentium turbis, ab eo quòd à coniugijs abstinerent, & à parentum se consortio, mundiq; istius conuersatione secernerent,* MONACHI, *siue Monazontes, singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sint.* Eodē alludit Canon Concilij Nicæni à Gratiano citatus, in hæc verba: *Placuit omnibus residētibus in sanctâ Nicænâ Synodo, vt* MONACHORVM *conuersatio, & vita secundùm etymologiā nominis, ab omnibus discrepet.* MONACHVS *enim Græcè, Latinè singularis dicitur. Vnde* MONACHVM *per omnia singulariter agere oportet.* Sic ibi.

Dionys. de Eccl. Hier. cap. 6.

Cassian. Coll. 18. c. 5.

16. quæst. 1. cap. Placuit 1.

Ex quo sequi ait Bellarminus, propriè MONACHOS nō esse, nisi eos Religiosos, qui soli vitæ cōtemplatiuæ dant operā: quales sunt Cassinenses, Cistertiēses, Carthusiani, Camaldulenses, atque alij id genus. Quod intelligētes, S. Thomas. S. Bonauentura, & alij Doctores posteriores, non vocant MONACHOS, Dominicanos, & Franciscanos, & similes, qui non soli contēplationi insistūt, sed in actione versantur, iuuantes Episcopos & Clericos in concionibus, & Sacramētis; sed *Regulares*, vel *Religiosos* appellāt. Communi tamē vsu & hi MONACHORVM nomine cēsentur, & de ijs sub MONACHORVM nomine, Infra subinde loquuntur.

Bellarm. l. 2. de Monach. c. 1. *Qui propriè dicti Monachi?*

Vt autem allatæ iam definitiones Monastici status dignitatem, & officiā manifestè insinuant; ita inueniūtur & aliæ apud auctores non dissimiles definitiones, vel potiùs descriptiones. Gregorius Nazianzenus ita ait:

Variæ Monachi definitiones & descriptiones.

Nazianz. Iam. 15.

Quid MONACHVS? *est qui viuit & legi, & Deo.*

Legi, intellige tam Diuinæ, quàm Monasticæ, siue Regulæ præscriptæ. Monasterium autem definit conformiter hoc modo:

μονὴ salutì quæ studet soli cohors.

A quâ definitione non abludit id quod ait Basilius, nempe; *Monastica vitæ institutum nihil aliud sibi propositum habere, quàm animæ salutem, atque vt quidquid ad eum finē prodesse potest, tanquam Dei mandatū cum timore obseruet.* Gregorius Magnus ait: *Hanc demum esse perfectam abrenuntiationem, quæ* MONACHO *nomen tribuit, vt vox nominis illius insinuet altitudinem dignitatis, & animus tantò ardentiùs ad conditoris visionem se erigat, quantò sublimitatem, in quâ semper debet consistere, quasi in fronte prælatam portat.* Sic ille.

Basil. ser. de instit. Monach.

Gregor. id lib. 1. Reg. cap. 1.

Sed insignes ac passim celebratæ sunt MONACHI descriptiones apud Climacum, quas prolixè interpretatur noster Carolus Ferdinandus in speculo disciplinę monasticę. *Prima.* MONACHVS, *est ordo & status Angelicus in corpore materioli & sordido cōsummatus.* Secunda. MONACHVS *est, qui solum ad Deum acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, & loco, & re.* Tertia. MONACHVS *est, perpetua naturæ violētia, sensuumq; vigilātissima & indefessa custodia.* Quarta. MONACHVS *est, castificatum corpus, expiatum os, animusque semper diuino lumine irradiatus.* Quinta. MONACHVS *est, afflictus & mærēs animus, qui iugi mortis memoriā, siue vigilans, siue obdormiens seipsum semper exercet.*

Ex Climaco.

Carol. Ferdinand. lib. 1. c. 5. & seq.

Climac. grad. 1.

Alibi & has addit. *Sexta.* MONACHVS *propriè est animi oculus omni elatione carens, immobilisque corporis sensus.* Septima. MONACHVS *est, qui hostes ferarum in morem prouocat & irritat, cùm illi ab illo fugiant.* Octaua. MONACHVS *est iugis excessus mentis, ac mæror vitæ.* Nona. MONACHVS *est, qui ita virtutibus affectus est, vt esset voluptatibus alius.* Decima. MONACHVS *est lux cordis, oculos iugiter irradians.* Vndecima. MONACHVS *est humilitatis abyssus, spiritum omnem præcipitans & suffocans.* Hæc Climacus. Audiendus & hic S. Nilus: MONACHVS *est, qui ab omnibus est separatus, & ad omnes aptè accommodatus.* Et S. Birgitta ait: *Nomen* MONACHI *est custodia sui, & abstinentiā etiam à licitis.* Sed prætermittere

Idem grad. 22.

Alibi.

Nil. lib. de orat. c. 118.

S. Birg. l. 4. Reuelat. c. 101.

Eadem lib. 4. Reuel. cap. 127. mittere nequeo eam Benedictini MONACHI descriptionem, quam ipse Christus eidem S. Fœminę tradidisse scribitur: ita ergo ait. *Ille est* MONACHVS BENEDICTI, *qui plus obedit Regulæ quā carni; qui nec in habitu, nec in moribus alicui placere desiderat, nisi soli Deo; qui quotidie desiderat mori, & parat se ad exitum de hoc mundo, & sollicitus est quomodò reddat rationem de* REGVLA BENEDICTI.

Benedictini Monachi descriptio.

Nuper Hermannus à Woestenraedt, Ordinis S. Crucis, conuentus Leodiensis Cœnobiarcha, *Mysticam edidit* MONACHI *Elucidationem*, quā omnes litteras huius nominis exponit, summamque libelli his versibus expressit:

Mēte elemēta sui MONACHVS *si singula pēset*
Nominis attētè, inueniet sibi quid sit agendū:
Militat, Obsequitur, Nil possidet, Ardet amore,
Continet, est Humilis, Verax, in Simplicitate.

DISQVISITIO II.

An nomen & res MONACHI *in sacris litteris inueniatur?*

QVAM SS. Patres multi sunt in commendandā monastice, eamque varijs exornāt elogijs: tam nostri Monacho-mastyges, Nouatores & Nouantes hæretici plurimis cōuitijs, & calumnijs Angelicum hunc proscindunt statum; incitati ab illo, de quo apud Athanasium Magnus Antonius: *Omnes quidem Christianos diabolus odit, sed probos* MONACHOS, *Christiq; Virgines tolerare nullo modo potest.* Hoc antiquum dæmonis artificium, per hæreticos insectari MONACHOS, in eosque debacchari. De Petiliano hæreticorum principe Augustinus: *Deinceps*, inquit, *perrexit ore maledico in vituperationē Monasteriorū, &* MONACHORVM, *arguēs etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Ioannes Wicleff sensit Religiosorū Ordines omnes ad vnū, à diabolo in Ecclesiā introductos, & Augustinū, BENEDICTVM, Bernardū ad inferos esse damnatos, nisi pœnitētiam egerint, quòd MONACHI, & PATRES MONACHORVM fuerint. Sic enim habent articuli eius postremi in Concilio apud Constātiam reprobati. Lutherus inquit eos omnes, qui cœlibē vitam in Monasterijs ducunt, idolo Moloch corpora sua cremare. Iterumque: Statū Religionis nihil valere, sed ethnicū, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse dicit, cùm è contrario statum coniugij spiritualem, cœlestem, diuinū, atque aureum esse prędicet. Caluinus vult Monasteria, lupanaria; vota monastica retia Satanæ esse; MONACHOS omnes Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesiā dissensionem fecerint, & se totos diabolo consecrauerint. Philippus Melanchton vota atq; opera MONACHORVM nūc

Hæretici Monachis infensi.
Athanas. in vitā Anton.
August. lib. 3. aduers. Petilian. cap. 40.
Bellarm. præfat. ad lib. de Monach.
Luther. in cap 7. 1. ad Corinth.
Caluin. lib. 4. Instit. cap. 13.
Melancht. in Apolog. pro confess. August. art. de votis.

A obseruationes fatuas, nunc hypocriticas simulationes, nunc etiā traditiones Pharisaicas, atque Mahumeticas vocat. Magdeburgēses MONACHOS hominum monstra, inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam tabulam delinquentes nomināt. Leuuenklaius (vt Billius citat) totum MONACHORVM genus ignauas pecudes; & ventres appellare non veretur.

PERSONÆ MONASTICÆ.
Magdebur. centur. 4. cap. 10.
Billius ad Iamb. 15. Greg. Nazianz.

Verùm, vt blasphemas has transeamus calumnias, nō defuit ita pridem in Belgio nostro, qui MONACHI nomē & institutum, B iam inde ab ipso orbis exordio à Deo Opt. Max. improbatum, ex sacris litteris ostendere voluit. Michael siquidē Hogius, Prædicans Seuenbergensis, hunc si Deo placet, in MONACHOS strinxit syllogismum.

Prædicantis inepta argumentatio. Hogius cōtra consultat. Lessij de fide capessendā.

Dixit quoq; Dominus Deus: non est bonum esse hominem solum, μόνον Græcè:
μόνος idem est quod μοναχὸς:
Ergo non est bonum hominem esse μοναχὸν.

Gen. 2. 18.

Cui reposuit P. Ioannes de Gouda.

μόνος est μοναχὸς,
Adam creatus est μόνος:
C *Ergo Adam creatus est μοναχὸς.*

Videbatur sibi plausibiliter hęreticus arreptā occasione, ex sacrā scripturā, & Dei verbo, MONACHOS perstrinxisse, eorumq; nomen tanquam sacris litteris contrarium explosisse; sed quid, si nos non paulò probabiliùs ex Dei verbo, non iuxta nostram, sed Patrum expositionem, MONACHI nomē è sacris litteris eruamus? Augustinus sanè exponens illa Psalmistæ verba: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare Fratres in vnum: Ex voce*, inquit, *huius Psalmi appellati* D *sunt &* MONACHI, *ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis.* Et infrà: *Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine* MONACHORVM *insultant? qui nobis dicunt, ostēdite vbi scriptū sit nomen* MONACHORVM, *ostēdant vbi scriptum sit nomē Agonisticorum:* (quò hęretici appellari gaudebāt) *& inuenistis*, ait Augustinus, *vnde appelletis, quia dicit Apostolus*, bonū agonem certaui. *Quare ergò & nos nō appellemus* MONACHOS, *cùm dicit Psalmus.* Ecce quàm bonū & quàm incundum, habitare Fratres IN VNVM? *μόνος enim vnus dicitur.* Quomodo E autem MONACHVS in cōmunitate viuens, sit *vnus solus*; deinceps exponit, vt suprà citauimus, demum subijcit de hęreticis. *Meritò insultant nomini* VNITATIS, *qui se ab* VNITATE *præsciderunt. Meritò illis displicet nomen* MONACHORVM, *quia illi nolunt habitare in* VNVM *cum Fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserūt.* Hęc Augustinus.

Monachi nomen S. Scripturā consignatum.
August in Psal. 132.
Psalmo CXXXII.
Interprete S. Augustino.
1. Timoth. 2.

Hieronymo adscriptus Commentarius in Psalmos asserit, propriè Psalmū istum, *Cœnobijs & Monasterijs conuenire, licet de ecclesijs intelligatur, quia ibi propositi diuersitate non videtur esse tanta concordia, cùm sit in Monasterijs*

S. Hieronymus.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Item Basilio.

Basil. in Constitut. Monast. cap. 19.

Psalmo LXVII. ex communi Interpretum mente.

nasterijs vnum propositum, vnus animus, & pro vno fratre qui dimittitur, tam multi acquirantur, & frater carnalis non tam amat MONACHVM, *quàm substātiam eius.* Sic ille. Basilius quoque agnoscit Dauidem hæc Psalmi verba dixisse de ijs, qui regularem vitam degunt in cœnobio.

Sed adijciamus etiam alium Scripturæ locum, in quo MONACHORVM exprimatur nomen. Quod Psalmo 67. in vulgata editione legitur: *Deus qui inhabitare facit* VNIVS *moris in domo*; ex alijs Translationibus, MONACHOS, & solitarios concernere, manifestum est. LXX. enim verterunt, *Pro vnius moris*, μονοτρόπους, id est, ait Bellarminus, vnius sensus, vnius voluntatis, vnius fidei, spei, dilectionis; quales erant in Ierusalem primi Christiani, quorum erat *cor vnum, & anima vna.* Idemque ait, non esse absurdum sensum eorum, qui hæc referunt ad MONACHOS, qui relictis mundi curis, solitarij habitāt. S. Hieronymus sanè vertit. *Qui inhabitare facit* SOLITARIOS. Nomine Hebræū יְחִידִים *iechidim*, significat, *solitarios, singulares, vnicos*, vt fatetur Pagninus in Dictionario, Genebrardus, Lorinus, & alij. *Solitarij* autē Græcè dicuntur μοναχοὶ. Rabbi Kimhi ita explicat: *Populum suū solitarium, & separatum à reliquis religione, & moribus, vel tristem, & afflictum in Ecclesiā collocat, seruat, & protegit.* Qui autē magis solitarij, & à reliquiorum consortio separati, secūdùm Deum tristes & afflicti, quām MONACHI? Huc etiam referri potest, quod habet Quinta editio. *Habitare facit eos, qui sunt eiusdē vita, vel eiusdē study ac præstantia in domo.* Sed manifestissimè Symmachus vertit, Δίδωσι μοναχοῖς οἰκεῖν οἰκίαν. *Dat* MONACHIS *habitare domum.* Commentarius in Psalmos Hieronymo tributus, ad hūc versum ita annotat. In Hebręo autem habet: *Dominus inhabitare facit*, MONACHOS *in domo, id est, in quibus non habitat peccatum.* Atque ex hoc velut Hieronymi testimonio, Alardus Gazæus contra sectarios notat, nomen MONACHI in sacris litteris reperiri. Hæc de nomine suffecerint: rem ipsam, aut saltem rei vmbram, & figuram, libro primo vidimus; cùm Nazaræorum, Rechabitarum, Eliæ, & Elisæi, filiorumque Prophetarum, Instituta expendebamus.

Act. 4.

Solitarij sunt Monachi.

Monachi nomen antiquum, vt res ipsa.

DISQVISITIO III.

Rectène Monachi dicantur Ascetæ?

VARIIS nominibus Monasticæ vitæ cultores olim hodieque appellari, ex sanctorum Patrum, aliorumq; monumentis, notissimum est. Ea recensere, atque expendere, non modicam pietati adferet vti-

A litatem. Lubet autem primò considerare nomen ASCETÆ, frequētissimè Monachis tributum: Videndum autem, an omninò rectè. Isaacus Casaubonus demonstrare nititur Annam Prophetissam, quam Cyrillus Ierosolymitanus vocat *continentem, religiosissimam & ἀσκήτριαν*, nō rectè ab interprete dici MONIALEM, ac Baronium interpretis fidem temerè secutum, non mediocriter hallucinatum esse. Causam verò reddens cur id reprehendat, *Quasi ἀσκεῖν*, inquit, *& ab eo deducta, in solis* MONACHIS *&* MONIALIBVS *locum habent: sequeretur inde omnes* B *Christianos esse* MONACHOS *&* MONIALES: *de omnibus enim id verbum promiscuè vsurpatur apud Patres.*

Casaubonus negat Monachos rectè dici Ascetas.

Cyrill. Ierosol. catech. 10.

Casaub. exerci. 2. in Baron. cap. 13.

Sed obiectioni huic occurrit doctissimus Andreas Eudæmon Ioannes, dicens, vocabulum ἀσκητοῦ, cùm absolutè, & sine addito ponitur, non minùs apud Græcos proprium Monachorum esse, quàm apud Latinos Religiosi nomen. Quamquā enim Christiani omnes, cum ad pietatem sese exerceant, ἀσκηταί; & cùm veram Dei Religionem colant, Religiosi dici possunt; ta- C men ea vocabula propter excellentem eorum pietatem, atque religionem, ijs veluti propria sunt imposita, qui exequēdis Christi consilijs, seueriorem inter Christianos disciplinam sectantur. Sic ille. Obseruauit quoque post Budæum Iacobus Billius, vocem *Asceta* adeò tritam esse apud Sanctos Patres, atque vsu scriptorum Ecclesiasticorum mollitam, vt virum religiosum planè denotet, nec alio modo, cùm sermo est de vitâ perfectiore, verti debere.

Soluitur eius obiectio.

Andreas Eudæm. castigat. exercit. Casaub. lib. 2. cap. 6.

Budæus Comment. Græc. linguæ Bill. lib. 1 sacr. obseruat. cap. 40.

Accedit Ludouicus Cresollius, dicens D τὴν ἄσκησιν propriè nonnūquam religiosæ vitæ tribui, quæ tota in pietatis, & heroicarum virtutum EXERCITATIONE consistit. Vnde ἄσκησις apud SS. Patres est *vita Monastica*, & *Asceta*, ipsi *Monachi*. In his similibusq; exponendis monet studium adhibendum, ne obscurè ambiguèque res dicatur. Cyrillus Ierosolymitanus S. Ioānem Baptistam ἀσκήσεως τύπον vocat: vertūt non sat benè: *Exercitationis typum, in seipso monstrantem.* Meliùs, *Vita Monastica typum, & exemplar.* Sic Dorothei interpres Doctrin. E 14. ἀσκητὴν vertit *fortē & industrium*: quasi de pugile & luctatore loqueretur. Qui S. Athanasium Latinum fecit, ἀσκητὰς interpretatur *deuotarios*, in quo mirum cur eâ voce minùs vsitatâ rē obscurare voluerit.

Cresoll. Mystag. lib. 2. exercit. sect. 10.

Ascesis est vita Monastica.

Cyrill. Catech 3.

Interpretes in his hallucinati.

Sed ne his tantùm Scriptoribus niti videamur; exemplis quibusdam ex antiquiorum monumentis notionem hanc illustremus Eusebius Cæsariensis: *Iam verò, cùm eorum viuendi rationem, qui apud nos ἀσκηταὶ, id est; Monachi religiosique, virtutis studio & exercitationi maximè dediti, appellati sunt, quā*

Probatur vlteriùs Monachos dictos Ascetas.

Eus. Eccl. hist. l. 2. cap. 16.

accura-

Lib. 8. cap. 21.

accuratißimè percenseat, &c. Idem de Seleuco martyre agẽs, agit: *Eorum qui* ἀσκηταὶ, *id est, pietatis cultores, vel Monachi qui dies noctesq́ diuinis meditationibus se exercent, æmulum se & imitatorem effecit*. Synodus VI. in Trullo celebrata: *Quod non oportet sacris initiatos, vel Clericos, vel Ascetas* (addit Latinus Interpres; *id est Exercitatores, seu Monachos*) *lauari cum mulieribus*. Vbi Theodorus Balsamon Scholiastes: ASCETÆ, ait, *sunt* MONACHI, *qui Episcopalem characterem non accepêre, sed solam tonsuram Monachalem. Monachi enim qui Episcopalẽ tonsuram accepere, dicuntur Clerici.* ASCETARVM *autem &* MONACHORVM *nulla est differentia.*

Can. 77.

Et Moniales Ascetriæ.

Porrò, vt *Monachi* dicti *Ascetæ*, ita Moniales *Ascetrias* appellari legimus. Iustinianus, Nouella 79. *Apud quos oporteat causas dicere Monachos &* ASCETRIAS. Ibidẽ in præfatione: *Præsumentes accedere intra loca sancta, & Monachos trahere, atque Monastrias vel* ASCETRIAS *inquietare*. Itẽ Nouella 123. cap. 27. vetat *Monastriam aut* ASCETRIAM *Monasterio abstrahi*. Et cap. 43. *Si quis rapuerit aut sollicitauerit, aut corruperit* ASCETRIAM, *aut Diaconissam, aut Monastriam*. Sequẽti deinde capite: *Omnibus interdicimus vti schemate Monachi, aut Monastriæ aut* ASCETRIÆ. Similia occurrũt in Photij *Nomo-canone*, & Balsamonis Scholijs, alijsq́ue passim Auctoribus. Et Zacharias Põtifex Dialogos S. Gregorij in Græcam conuertens linguam, nomen *Sanctimonialis*, quo Gregorius vtitur, subinde transfert ASCETRIAM: vt cap. 23. δύο τινὲς παρθένοι ἀσκήτριαι, id est, *duæ virgines* ASCETRIÆ.

Hinc Monasteria vocata Asceteria.

Baron. to. 2. an. 301.

Socrat lib. 4. cap. 18.

Iam verò ex his constat Monasteria, & præsertim Virginum, dicta *Asceteria*: quæ vox crebrò occurrit apud Imperatorẽ Iustinianum. Legitur quoq; eodem sensu in Actis legitimis quorũdam Martyrum Nicomediæ sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, apud Cardinalẽ Baronium. Clarissimè Socrates: *Ea loca quæ dicuntur* Ἀσκητήρια, *id est, in quibus Monastica viuendi disciplina excolitur, quamquam fortasse in Ægypto ante longum temporis spatium initium sumpsere*, &c.

Professio religiosa ascesis.

Iustinian. Nouel. 5. in Præfat.

Conc. Gangrens. can. 17.

Quia ipsa religiosa professio apud Græcos Scriptores ἄσκησις dicta est. Hinc apud Photium, μοναστικὴν ἄσκησιν ἐπαγγέλλειν, est, *vitam Monasticam profiteri*. Sic Iustiniano cõuersationis Monachalis vita dicitur: ὁ ἐν ἀσκήσει μοναχικῆ βίος. Concilium Gangrense: Εἴ τις γυναικῶν διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας.

Quod secunda editio vertit: *Quæcumque mulier, religioni iudicans conuenire, comam sibi amputauerit*. Omitto alia, quæ passim occurrũt, testimonia. Denique & hinc ASCETICA, siue sermones *ascetici*, rerum Monasticarum disputationes, & præceptiones de vitâ Religiosorum, significant apud S. Ephræm, Basilium, Nilum, atque alios antiquos Patres.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Nec quidquã obstat, quod omnes Christiani sint, aut esse debeant pietatis *exercitatores*; nam vt ante nos optimè respondit Eudæmon Ioannes: Casauboni à notatione nominis grammatica prorsus argumentatio: quâ nunquam vsus esset; si intellexisset quantam thesauris, ac lexicis cladem pararet. Nam eius quidem argumentationis nulla planè vis est, nisi pro comperto accipiat, *de quibus verbum aliquod dicitur; de ijs deducta etiam ab eo nomina verè dici*. Quid si autem eo posito, ita quisquam argumentetur. Reges à regendo, Consules à consulendo, ab imperãdo Imperatores, à fingendo figuli dicti sunt: Reges igitur sunt, qui siue suo, siue alieno iure, non res modò publicas, sed priuatas etiã, ac si libet, equos, ac pecudes regunt; Consules, qui vnicuipiam, aut sibi ipsi priuatim, rebusq́ue suis consulunt; Imperatores, qui vni, aut alteri mancipio imperant; Poëtæ verò etjam, ac statuarij figuli, auctore quidem Casaubono, dici poterunt. Sic ille.

Eudæm. vbi suprà Casauboni. grammatica argumẽtatio reiecta.

Cæterum, cùm ASCETÆ nomen Pugilem & Athletam significet; hoc ipso admonentur Religiosi militiæ & pugnæ spiritualis, quã totâ vitâ exercere debent. Nam vt S. Ephræm ait: *Bellum militum breue: sed Monachi pugna, donec emigret ad Dominum, semper durat*. Et Cassianus: *Athleta Christi in corpore commoranti nunquam deficit colluctationum palma: sed quantò magis triumphorum successibus creuerit, tãtò ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. Subiugatâ etenim carne atque deuictâ, quantæ aduersariorum cohortes, quanta hostium agmina aduersum victorem militem Christi triumphis eius instigata consurgunt? scilicet ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat obliuisci colluctationum suarum gloriosa certamina, ac securitatis inertiâ dissolutus, præmiorum stipendijs ac triumphorum meritis defraudetur.*

Pugna spiritualis monitor fit Asceta.

Ephræm in exhortat. ad pœnit.

Cassian. lib. 5. Instit. c. 19.

DISQVISITIO IV.

An Monachi dici possint Religiosi?

PÆNE' mihi fuerit religio prætcrijsse *Religiosi* nomẽ, tot iam sæculis magno hominum consensu ijs attributum, qui sæculo relicto, ad Monasteria se receperunt. Quibus quidem obluctatur Erasmus, & hoc nomine Cœnobitas perstringit, quòd *Religiosi* vterentur nomine. Nam in suo Ecclesiaste, siue de ratione concionandi, ita ait: *At, qui ob hoc ipsum* RELIGIOSOS *appellant, quòd in verba* BENEDICTI, *aut Francisci*

Eras. Ecclesiast. lib. 3. fol. 339.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Erasmus, aliiq; Monachis nomen Religiosi eripere tentant.

cisci iurarint (nam hi soli apud Latinos scripserunt Regulam) mihi quidem videntur ambitiosè facere. Nihil enim interest vtrum quis dicat, Ego sum RELIGIOSVS, *an, ego sum pius, ego sum sanctus. Quis autem ferat ita loquentem? Si professi a instituti quod* BENEDICTVS, *aut Franciscus tradidit, aut amictus quem illi præscripserunt, si tamen vllum certum præscripserunt homines pij, sed quorum neuter eruditione Scripturarum præcelluit, præstat homini vt* RELIGIOSVS *appelletur, quantò iustius id præstabit professio, quâ nas totos ad fontem sacrum Christo Redemptori addiximus?* Sic ille.

Argumenta ipsorum.

Hospin. l. 3. de Orig. Monach. cap. 5.

Rudolfus quoque Hospinianus ait, æuo S. Augustini & S. Hieronymi nullum vnquam Monasticen nomine *Religionis* appellasse. Nuper etiam magnæ dignitatis & auctoritatis scriptor, conatus est ostendere, malè Claustrales præ alijs Christianis *Religiosos* appellari, quod nomen hoc non adeò sit vetustum, vt canos ostendere possit; distinctionem Monachi & Religiosi ex cerebro phantastici cuiusdam natam esse: Et imperitum vulgus casu fortuito sæpiùs, quàm matura deliberatione, cœtibus quibusdam nomen imponere; cumq; Regulares nomen *Religiosi* à populo obtinuerint, stultum fore contra obniti. Priscis quoque Scriptoribus incognitum fuisse nomen *Religiosi*, non item Monachi.

Voyag. pag. 348.

Pettonille pag. 186. Voyag. pag. 350.

Exam. pag. 45.

Ob hæc aliaque, nominis huius antiquitas, & vulgatissimus in Ecclesia Dei vsus, hîc nobis adstruendus. Cuius quidem tam facilè fuerit canos ostendere, vt non Nestoreos tantùm, sed ipsius etiam Mathusalæ annos, absque vllâ exaggeratione vel auxesi, superare conuincantur: atque vt liberaliter omninò agamus, viciniora nobis sæcula, in quibus hunc vsum percrebuisse, non difficulter concedent, gratis pertransibimus: atque à duodecimo exordientes sursum ascendendo ostendemus hâc notione nomen *Religiosi*, singulis ferè sæculis, vsque ad Augustini & Hieronymi tempora, à probis Scriptoribus fuisse vsurpatum.

Refutantur sæculorum consensu, & Scriptorum testimonio.

S. Bernardi. Serm. 1. de Aleeas.

Duodecimo itaque sæculo vixit *S. Bernardus*, qui non semel per *Religionem* Monasticen, per *Religiosos* Monachos intelligit. *Nec minor*, inquit, *fortasse videbitur ipsis quoque* RELIGIOSIS *ex hoc verbo prouenire desperatia: quàm ex verbo priore vana spei data sæcularibus videtur.* Et alibi: *Peccasti in sæculo: numquid ampliùs Paula? Quod si & ipsa in* Religione; *numquid plus Petro?* Eodem sæculo claruit *Ioannes Saresberiensis*, Episcopus Carnotensis, qui Monachos ita describit: *Claustrales, qui planè verè* RELIGIOSI *sunt, dum professionibus seruiunt, ab hâc malitiâ immunes sunt. Nulla vita fidelior, nulla simpliciar, nulla felicior, quàm eorum qui in*

Serm. 1. de SS. Petr. & Paul.

Ioannis Saresberiensis. Saresber. Policrat l. 7. cap. 21.

A *claustris fideliter degunt.*

B. Petri Damiani.

Sæculo vndecimo viguit *B. Petrus Damiani*, qui sæpè sæpiùs eam Nomenclaturam vsurpat. Duos solùm locos profero, è quibus id colligas. *Nonnulli sic ad noua* Religionis *transeunt Ordinem, vt tamen præteritæ vitæ numquam deserant vetustatem.* Et infrà: *Erat autem ferè iam septennis in habitu* RELIGIONIS.

Pett. Dam. opusc. 15. cap. 4. Cap. 6.

Synodi Lingonensis.

Sæculo nono *Synodus Ligonensis* apud Saxonarias relecta Carolo Caluo assidente, statuit: *Vt Congregationes Canonicorum & Monachorum, ac Sanctimonialium secundum ca-* B *nonicam institutionē à proprijs Episcopis strenuè visitentur, & eorum* RELIGIO *& habitus exquiratur.*

Conc. Lingon. can. 9.

S. Bedæ.

Octauo sæculo non incognitum fuisse *Religionis* nomen, vel vnus *Beda* dicet, cuius hæc verba: *Vnde in magnâ erat veneratione tempore illo* RELIGIONIS *habitus, ita vt vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur.*

Bed. Hist. Angl. lib. 1. cap. 26.

Sed septimum sæculum plures dabit huius rei testes. Concilium Toletanum X. C RELIGIONIS *habitum*, RELIGIONIS *tonsuram*, in vno Capite quinquies repetit. In Toletano VI. ita legitur. *Quisquis virorum ac mulierum habitum semel induerit spontaneè* RELIGIOSVM, &c. S. Ferreolus: *Si quis veniens ad* RELIGIONEM, *expetens Monasterium*, &c. Idem: *Vt in vnum, more apum,* RELIGIOSORVM *turba collecta*, &c. Magister in Regulâ: *Per multorum* RELIGIOSORVM *testimonia conuenti ab Abbate:* Reges audiamus Wisigothorum hoc æuo in Hispaniâ dominatos. Chindasuindus. D *Sancimus*, inquit, *vt quicumque* RELIGIONIS *habitum, per honorabile tonsuræ signum, &c. & susceperint, & ad laicalem conuersionem, postmodum apostatizando redierint, iuxta sententiam canonicam, ad eundem* RELIGIONIS *Ordinem, quolibet prosequente perenniter relegati, districtiore macerentur pœnitentiâ, corrigendi.* Reccaredus: *Similis quoque de* RELIGIOSIS *forma seruabitur, quibus nubere, Canonum sententiâ prohibetur.* Demus & ipsum, quem tantopere expetunt, Magnum Gregorium. *Quidam noster* RELIGIOSVS, in- E quit, *vir vitæ valdè laudabilis, cum ante hac quadriennium moreretur, sicut* RELIGIOSI *alij qui præsentes fuerunt, testati sunt:* Alibi: *Tales in eis* (Xenodochijs) *qui præsint ordinentur, qui vitâ, moribus, atque industriâ inueniantur esse dignissimi:* RELIGIOSI *dumtaxat, quos vexandi iudices non habeant potestatem.* Et paullò infrà: *Eis verò qui ab Ecclesiasticâ communione suspensi sunt, nullus* RELIGIOSVS *secundùm canonum præcepta iungatur.* Nescio quid clariùs dici, aut ampliùs desiderari queat. Tamen

Conc. Toletani X. Cap. 6.

Tolet. 6. cap. 6.

S. Ferreoli. Ferr. in Reg. cap. 5.

Magistri. Cap. 83.

Leg. Wisig. lib. 3. tit. 5. Chindasuindi.

Reccaredi. Ibid. lib. 2. tit 5.

S. Gregorij Magni. Greg. lib. 4. Dial. cap. 14.

Lib. 3. regist. epist. 24.

Sexto

Aliquot Conciliorum.
Conc. Matisc. cap. 19.
Tarracon. can. 1.

Sexto Sæculo non pauciora Monachis pro auitâ nominis *Religiosi* professione suffragantur testimonia. Patres Concilij Matisconensis I. *Sancimus*, inquiunt, *vt tam illa, quam quæcumq́; alia Monacha, se de* RELIGIONIS *habitu, ad illecebras sæculi dare censuerit*, &c. Clarissimè Tarraconense I. *Si verò* RELIGIOSVS, *vel Monachus in cellâ Monasterij inclusus pœnitentiæ lamentis incumbat*. Vbi nota particulam, *vel*, expositiuè accipi: nec de Clericis intelligi posse, de quibus antea mentio fuerat. Nec omittendum hic

Aurel. cap. 7.

Aurelianense I. quod prohibet *Abbatibus, & in* RELIGIONIS *professione* viuentibus accessum ad Reges sine commendatitijs Episcopi. Subijcio duo loca ex Cæsario Arelatensi. Priore ait: *Putant quod illis sufficiat vestem mutasse, &* RELIGIONIS *tantùm habitum suscepisse*. Altero præscribit, *vt nulla quamlibet societatem nec cum* RELIGIOSIS, *nec cum Laicis seu viris, seu mulieribus secretam habeat*. Qui eadem ætate vixit Cassiodorus, ita Monachos suos affatur: *Data est vobis quædam vrbs propria, ciues* RELIGIOSI, *in quâ si concorditer & spiritualiter Domino præstante transigitis, cælestis patriæ præfiguratione gaudetis*.

Cæsarij Arelatensis.
Cæsar. ser. 21.
In recapitul. Reg. Monial. num. 1.
Cassiodori.
Cassiod. diuin. Lect. cap. 32.

Ascendamus porrò ad antiquiores, & videamus, an quinti Sæculi Scriptoribus religio fuerit RELIGIOSOS, & RELIGIONEM chartis suis allinere. *Saluianus* agēs de filijs, qui Deo offeruntur in Monasterio à parentibus, ait: *Sed præclaram videlicet, qui hæc faciunt, rationem consilij sui reddunt, dicentes: Quid opus est; vt filijs tam* RELIGIOSIS *æqua cum fratribus suis hæreditatis portio relinquatur?* Et paucis interiectis: *Dicitis: Quid opus est* RELIGIOSIS *æquam accipere cum Fratribus patrimonij portionem?* Vide eūdem lib. 4. de Prouidētiâ. *Eucherius Lugdunensis* Episcopus de Hilario & Petronio scribit: *Vnus in* RELIGIONIS, *alius in Sacerdotij nomen ascendit*. Cassianus: *Essetque inter eos* (Monachos) *pro* RELIGIONIS *Regulâ pia contētionis sancta diuersitas*. Accedat his *Vincentius Lerinensis: Cùm aliquamdiu*, inquit, *varijs ac tristibus sæcularis militiæ turbinibus volueremur, tandem nos in portum* RELIGIONIS *cunctis semper fidelissimum, Christo aspirante condidimus*. Atque vt omnem ponas ambiguitatem, audi quid præmiserit: *Remotioris villulæ, & in eâ secretum Monasterij incolamus habitaculum*.

Saluiani.
Salu. lib 3. ad Eccles. Cath.
Eucherij Lugdun.
Euch Epistol. ad Valer. de contem. mundi.
Cassiani.
Cass. Inst. 2. c. 5.
Vincentij Lerinensis.
Lerin. adu. Hæres.

Satis ista esse quispiam dicet: sed iuuat adhuc altius nomen hoc nostrum repetere, & lustrare quartum Sæculum; aureum, inquam, illud, quo Monastice per omnes mundi oras diffundi latiùs cœpit. In Concilio Carthaginiensi IV. cui D. Augustinus interfuit vetātur coniugia viduarum, *quæ se deuouerunt Domino, & veste laicali* (ita lo-A quuntur Patres) *abiectâ, sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ* RELIGIOSO *habitu apparuerint*. Rufinus in interpretatione Regulæ S. Basilij: *Si verò eum qui* RELIGIOSAM *vitam profitetur, videat quis paruum, vel aliud contra quod condecet facere, obseruant omnes & increpant, & ad* RELIGIONIS *opprobrium ducunt. Itaque velut pædagogus quis est infirmioribus habitus iste* RELIGIOSIOR. S. Ambrosius agens de Paulini Nolani Monachatu, *Si fortè*, inquit, *Christianus vir attentior sacrosanctæ* RELIGIONI, *vestem mutauerit,* B *indignum facinus appellant. Equidem doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in veritate negligentiam, vt confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam* RELIGIONEM *videri*.

Carthagin. IV. cui subscripsit S. Augustinus.
Carthag. 4. can. 105.
PERSONÆ MONASTICÆ.
Rufini.
Rufin. cap. 12.
S. Ambrosij.
Amb. Epist. 10. ad Sab.

Et hactenus quidem Testimoniorum hoc agmen instruximus, vt tot Sæculorum possessionem, & venerandam Religiosæ nomenclaturæ astrueremus caniciem, Mathusalæ ætatem, vt dicebamus, longè superantam.

Subijciamus his & illud, Monachos *Therapeutas*, id est, cultores *à sincero Dei famulatu* C *atque cultu*, vt Areopagita ait, fuisse appellatos. Sed *Religio* Dei cultum significat, & *Religiosus* Dei cultorem; ergo sicut *Therapeutæ*, sic & dici possunt *Religiosi*. Nam, vt Chrysostomus ait, *Totam vitam suam Dei cultui manciparunt, & se totos Deo dederunt, & pro pietate, ac Dei cultu cum dæmonibus bellum gerunt*.

Dion. Eccles. Hierar. cap. 6.
Chrysost. li. de comp. Reg. & Monachi.

Excutiamus nunc quæ allata sunt contra hoc nomen argumenta. *Ambitiosum* illud vocat Erasmus. *Nihil enim interest*, inquit, *vtrum quis dicat, Ego sum Religiosus, an,* D *ego sum pius, ego sum sanctus. Quis autem ferat ita loquentem?* Sed quid? an numquam audiuit Erasmus, quàm multi etiam proprio nomine vocentur *Pij*, & Græcè *Eusebij*? In Romano Martyrologio occurrit cum alijs Martyribus *Sanctus* Diaconus, & apud S. Gregorium *Sanctulus* Presbyter. *Iusti* nomen quàm non iniustè multis tributum, vt & *Beati*, quo & Rhenanus, vitæ Erasmi scriptor, appellatus est? *Beatas*, & *Beatrices*, *Macarios*, & *Cælestinos* quis non patienter audiuit? aut ambitiosos iudicauit, qui E hoc nomine vterentur? *Philosophorum*, *Theologorum*, *Doctorum* nomina insignia planè sunt, at quis ferat, statim dici ambitiosos, qui ita seipsos subscribunt? Et verò Monachi *Religiosi* dicuntur, non quod præ ceteris tales sint, sed tales esse nitantur; atque ita se certis diuini cultus operibus denouerunt, vt à reliquis omnibus, quæ impedire possint, separauerint. Sic *Poëtas*, *Rhetores*, *Medicos*, *Theologos* dicimus, qui hisce scientijs operam nauant; quamuis Magisterij titulum nondum sint adepti.

Respons. ad argum. opposita.
Erasm. Eccles. lib. 3. fol. 339.
I. Religiosi nomen non est ambitiosum.
2. Iunij.
Greg. Dial. lib. 3. c. 38.
Vt nec alia propria nominis,
Et dignitatum.
Item Scientiarum.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Dion. vbi suprà.

Nec minùs splendidum est *Therapeutarum* nomen, aut etiam, quo nos libenter appellant, *Monachorum*, si Magnum Dionysium nomenclatorem admittamus. Sic enim eos vult dici, *ab indiuiduâ & singulari vitâ, qua ipsos ad Deiformem quandam vnitatem, Deoque gratam perfectionem adducat.*

II.
Nomina multis communia rectè particulari tribuuntur.

Neque enim illud obstat, quòd sicuti *Religio*, ita & *Religiosi* nomen Christianis omnibus sit commune, atque ita ab Apostolo Iacobo vsurpetur; siquidem frequens non est, vt nomen generis certæ alicui tribuatur speciei, aut indiuiduo. *Christiani* nomen nonnullis proprium est, nullâ reliquorum fidelium iniuriâ. Hispaniarum Rex *Catholicus* dicitur, nemo tamen hoc sibi putat esse præiudicio. Infimus beatorum Spirituum chorus, *Angelorum* sortitur nomen, quod tamen superioribus omnibus commune est. Quis indignetur Sacrorum Antistites dici *Episcopos*, quamuis vocabulū illud speculatorē quemuis, siue inspectorē, & superintendētem significet? Nam & Homerus Hectorem vocat *Episcopum* ciuitatis. Cicero de seipso: *Vult me Pompeius esse, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον.* Et lepidè Palladius Ioāni Abbati vrbis Lyco interroganti: *Vis fieri Episcopus?* respondit, *Nequaquam*; iam enim se esse. Rogatus, *vbi?* dixit: *In coquinis, in penu, in mensis, in dolijs: ea diligenter* inspicio, *& si vinum acuerit, id segrego; bonum autem bibo: similiter ollam quoque diligenter* inspicio, *& si sal defuerit, vel condimenti aliquid, eam condio, & sic eam comedo. Hic est meus* Episcopatus, *mea inquam* inspectio. Apostolorum temporibus, Chrysostomus, alijsque Græcis auctoribus, *Episcopi* nomē Presbyteris erat commune. Vnde Presbyteri ciuitatis Ephesiorum (*Maiores natu* vocat Interpres) à Paulo appellantur *Episcopi. Attendite*, ait, *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit* Episcopos *regere Ecclesiam Dei.* Sic cum idem gratiā & pacem precatur ijs, *qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus*; per *Episcopos*, ait Cornelius intelligi Presbyteros. Nec suam hāc Presbyteri reputant iniuriam, si summis tantùm Sacerdotibus hæc appellatio tribuatur. Non malè in hanc rē Nigronus: Quod est commune, rectè quidam accipiunt, si alijs non fiat iniuria, nec vetet custos communitatis, sed potiùs probet; vt in pascuis, vijs, aquis & similibus rebus. Quid magis commune, quàm *Deus*: qui Parens, Dominus, & bonum est omnium nostrûm? At viri sancti sibi illum attribuētes voce, proprium faciunt ac suum. Dauid: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Paulus; *Primum quidē gratias ago Deo meo.* Cùm ergo summi Pontifices hanc nomenclaturam Monachis non negent, sed in Breuiarijs ac Diplomatibus non rarò vtantur; non est quod vnius aut alterius Scriptoris censurâ perstringatur.

Cic. lib. 7. ad Attic. Epist. 11.
Lepidum de culinario Episcopo.
Pallad. Hist. Lausiac. cap. 43.
Presbyteri olim dicti Episcopi.
Act. 20.
Philip. 1.
Nigron. Tit. part. 3. in Reg. Soc.
Communis licita vsurpatio dum abest iniuria.
Psalm. 15.
Rom. 1.

A B C D E

Nec est quod Erasmus inuidiosè interroget: *Si professio instituti, quod* Benedictus, *aut Franciscus tradidit, aut amictus quē illis præscripserunt, præstat homini vt Religiosus appelletur, quantò iustiùs id præstabit professio, quâ nos totos ad fontem sacrum Christo Redemptori addiximus?* Neque enim abrenunciationi, quæ fit in Baptismo, Monastica professio opponitur, sed apponitur; iustiusque censeri potest, vt qui duplici hoc titulo Deum impensius colere satagit, *Religiosus* appelletur, quàm qui vnico dumtaxat. Adde in his vsum maximè attendi,

III.
Rectiùs Monachi possunt dici Religiosi, quam alij.

Quem penes arbitrium, ius est, & norma loquendi.

Horat. art. Poët.

Claudat Disquisitionem hanc Eximius Doctor Ioannes Molanus, qui ex Carthaginiensi Concilio citans hæc verba: *Qui Religiosis fœminis præponendus est, ab Episcopo loci probetur*; ita concludit: Non igitur vnicæ Religionis nostræ hostes, aut quidam nimiùm litteris addicti, malè accipiant, quòd Monachos peculiari honore *Religiosos* vocemus, cùm videant hanc phrasim, *& ab Apostolis emanasse, & in Ecclesia Dei semper vsitatam fuisse.*

Cap. 97.
Molan. lib. 1. de Can. cap. 25.

DISQVISITIO V.

Quid Religiosi *nomine significetur?*

VINDICAVIMVS nobis Religiosi nomen; nunc illius etymon considerandum, vt ex eo pietatis argumenta desumere liceat. Prius tamen, ne mali ominis, aut exosum videri queat, à Nigidij Figuli, doctissimi iuxta Varronem hominis, censurâ absoluendum; is enim apud Agellium producto antiquo hoc carmine:

Nigidius censet vt Religiosus in vitium verti.
Agell. lib. 4. noct. Attic. cap. 9.

Religentem esse oportet, Religiosum *nefas*; ait: *Hoc inclinamentum semper huiuscemodi verborum; vt vinosus: mulierosus:* Religiosus: *nummosus: significat copiam quandam immodicam rei, super quâ dicitur: quocirca* Religiosus *is appellabatur; qui nimiâ & superstitiosâ religione sese alligauerat. Eaque res vitio assignabatur.* Sed opponit Agellius: Cur *ingeniosus*, & *formosus*, & *officiosus*, & *speciosus*, *disciplinosus, consiliosus, victoriosus, numquam in culpam, sed in laudem dicantur?* Nimirùm quæ desinunt in *osus*, non egressum vitiosum significant, sed copiam; quæ potest esse, vt & impleat decenter, aut indecenter exundet.

Negat Agellius.
Et rectè.

Religiosus autem, vt notissimum, à *Religione* deducitur. Quadruplex autem est vocis huius deriuatio, variéque ab auctoribus

Religionis quadruplex originatio.

ribus explicata: ita tamen, vt omnes Monachis quam maximè conueniant, & ex ijs ipsis ratio deduci possit, cur peculiariter *Religiosi* appellentur.

I. *A relinquendo.* Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 3.

Prima deriuatio est, quam tradit Macrobius: *Seruius Sulpicius*, inquit, RELIGIONEM *esse dictam tradidit, quæ propter sanctitatem aliquam remota ac seposita à nobis sit; quasi à* relinquẽdo *dicta, vt à carendo ceremonia. Hoc Virgilius seruans, ait:*

Est ingẽs gelidũ lucus propè Cæretis amnem
Religione *patrum latè sacer.*

& adiecit, quo proprietatem Religionis exprimeret:

——— *Vndique colles*
Inclusere caui, & nigrâ nemus abiete cingit.

quæ res vtique faciebat lucum à populi communione secretum. Quis hoc *Monachis* neget competere, qui à popularibus turbis secreti; deserti loci secretum petiuerunt: Exsules mundi, & à mũdo relicti, quorum typum expresserũt Nazaræi, sic dicti, quasi *separati*. Segregant enim se à vulgi tumultu Monachi, vt vni Deo in solitudine vacare possint. Quinimò, ipse Deus, cuius gratiâ id sunt, quod sunt, eos separat, cuius illa vox: *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à ceteris populis, vt essetis mei.* En finẽ, ô Religiose, cur Deus te à reliquis separauerit: vt nimirùm esses eius; quæ sanè maxima dignitas, de quâ idem apud Prophetam: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: Meus es tu*, cui cum regio Prophetâ optimè respondeas: *Tuus sum ego, saluum me fac.* Hoc igitur sensu remoti, sepositi, & *relicti Religiosi*. Possunt quoque sic dici ab eodem verbo actiuè sumpto, veluti *Relinquentes:* bona enim huius mundi, voluptates carnis propriamque voluntatem, propter Deum relinquunt, vt cùm Apostolis dicere possint: *Ecce, nos* reliquimus *omnia, & secuti sumus te.*

Monachis conuenit. — Leuit. 20. 26. — *Qui ideò omnia reliquerunt, vt Dei essent.* — Isa. 43. — Psal. 118. — Matth. 16.

II. *A relegendo.* Cicer. lib. 2. de nat. Deor. c. 28. Suar. tom. 1. lib. 1. de relig. c. 1.

Secunda deriuatio, quam tradit Cicero: *Qui omnia, quæ ad cultum Dei pertinerent diligenter retractarent, & tamquam* relegerent; *sunt dicti* Religiosi *ex relegendo.* Hæc est, inquit Suarez, probabilis deductio, siue vocum similitudinem, siue munus ipsum *Religionis* spectemus. Quid enim tam frequens in Religione, quàm legere, & relegere, quæ Deus siue in Scripturis, siue in alijs libris pijs à nobis requirit? Quotidiana hinc in Monasterijs viget lectio: vt sicut opifices à suis artibus denominantur, sutores, sartores, pistores, pictores; ita à *relegendi* studio dicti sint *Religiosi*. Quia autem ex relectione oritur diuini numinis metus, & conscientiæ timor; hinc *esse* dicitur *aliquid Religioni*, id est, curæ, ne Deũ offendat, &, *religionem inijcere*, id est, conscientiæ scrupulum. Sic & officium ad quod tenemur, vocatur *Religio*. Ego, inquit Cicero, *quos adhuc Magistratus mihi populus Romanus mandauit, ita accepi, vt me omnium officiorum* Religione *obstringi arbitrarer.*

Applicatur Monachis. — PERSONÆ MONASTICÆ. Cic. act. 4. in Verrem.

III. *A religando homines Deo.* Lact. lib. 4. Instit. c. 28.

Tertiam deriuationem adfert Christianus Cicero Lactantius: *Hac conditione gignimur, vt generanti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solùm nouerimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, &* religati *sumus: vnde ipsa* Religio *nomen accepit, non vt Cicero interpretatus est, à relegendo.* Alludit ad hanc etymologiam S. Augustinus: *Religet nos*, inquit, *Religio vni omnipotenti Deo.* Et: *Ad vnum Deum tendentes, & ei* religantes *animas nostras, vnde* Religio *dicta est, omni superstitione careamus.* Quo autem modo Deo alligemur, optimè docet Angelicus Doctor in hunc ferè modum disserens: *Ligare* rem dicimus, quam ita alteri astringimus, vt ei facultas adimatur aliò diuertendi. *Religare* autem, quam iterum eidem rei deuincimus, cum quâ primò coniuncta fuerat, & à quâ defluens distare cœperat. Omnis autem res creata ante in Deo exstitit, quàm in se ipsâ: cùm verò à Deo per creationem processit, quasi quibusdam passibus progressa, sese ab eo remouisse videtur. Quare eæ quidem quæ possunt, & eius capaces sunt, rursus in Deum reuocandæ, & cùm eo colligandæ sunt. Primum autem vinculum, quo homo coniungitur & alligatur Deo, fides est; cuius fidei officia & signa externis actibus exhibentur. Hinc omnes fideles *religiosi* dici possunt, & sic vocatur Religio catholica. Omnes enim baptismi professione sese ligant cum Deo, ac deuouent ad cultum Deo præstandum. Omnes enim tum vouerunt, tum professi sunt. Sed quia alij à Deo tracti, fortiùs se Deo religari cupiũt: nouis insuper votorum vinculis sese Deo astringunt: quibus non tantùm libertas peccãdi coerceatur sicut in baptismo; sed etiam libertas tractandi sæcularia. *Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus:* Sicut enim in baptismo morimur peccato: ita per religiosum statum morimur sæculo: & sicut per peccatum animæ vita tollitur: ita per occupationes sæculares famulatus Dei impenditur.

August. lib. de ver. Relig. cap. 55. — *Quo id fiat modo, explicatur.* S. Thom. opusc. 15. cont. imp. relig. c. 1. — 2. Tim. 2.

Alium *religandi* modum adfert S. Hieronymus, qui ait *Religionem* homines quasi in vnum colligare gregem; ac propterea *iustorum, seu electorum fasciculũ appellari, quòd vnâ Domini Religione constrictus sit. Vnde & ipsa Religio à* religando, *& in fascem Domini vinciendo, nomen accepit.* Sic Catholicâ religione fideles inter se religati sunt: claustrales quoque, quibus est cor vnum,

& anima

Hieronymus Religionem dictam putat, quòd homines inter se liget. Hier. in c. 9. Amos.

PERSONÆ MONASTICÆ. & anima vna, vna viuendi forma & norma, vna vestis, vna mensa; quibus meritò Psalmistæ illud applicatur: *Ecce, quàm bonum & quàm iucundum, habitare Fratres in vnum.* Placuit & Seruio à *religando Religionem* deducere. *Religio*, inquit, *id est, metus, ab eo, quod mentem religet, dicta Religio.* Metus autem coarctat & ligat animum. Intellige autem metum cum reuerentiâ, sicut idem alibi ait: *Religiosi sunt, qui per reuerentiam timent.* Quò mihi respexisse videtur Agellius: *Alio*, inquit, *diuerticulo significationis*, Religiosus *pro casto atque obseruanti, cohibentique sese certis legibus finibusque dici cœptus.* Quod sanè vel maximè in Cœnobitas, & deuotam Deo eorumdem castitatem quadrat. Sed quænam in Religione virtus exerceetur, quæ non vel corporis membra, vel animi affectiones liget? Verè S. Bernardus (vel quisquis est auctor Tract. de Passione Dom.) *Religa, ait, linguam tuam, si vis esse* Religiosus: *quia sine lingua* religatione Religio *vana est.* Nimirùm, vt Iacobus Apostolus ait: *Si quis putat se* Religiosum *esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est Religio.*

Psalm. 132. *Et alij Religionem à religando deducunt.* *Seru. in 8. Æneid.* *Idem lib. 4.* *Agell. lib. 4. cap. 9.* *Quæ Monachos ligent in Religione.* *Cap. 17.* *Iac. 1.*

His igitur modis à *ligando* dicta *Religio*, de quâ & illud Ecclesiastici accommodatè accipias: *Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum; subiice humerum tuum, & porta illam; & ne acederis in vinculis eius.* Per compedes autē torques, & vincula, aptissimè Religiosorum vota, quibus Deo deuincti sunt, intelliguntur: quorum etiam felicitatem deinceps ostēdit. Sed nos meritò de Religioso dicamus, quod scripsit Ambrosius: *Quis Christum refugiat, quem sequantur alligati vinculis, sed voluntarijs, quæ soluunt, non alligant?* & licet alligarent, quid felicius quàm alligari, & coniungi Christo? Christus vitis est, & nos palmites, & vitis nisi alligetur, humi serpet, & putrescet: Religiosus animus nisi Christo alligetur, in terram defluit, & fructum nullum adfert. Præclarè rursum Ambrosius: *Vt vinea dum alligatur, erigitur, & recisa nō minuitur, sed augetur: ita sancta plebs dum ligatur erigitur, dum humiliatur attollitur, dum reciditur coronatur.*

Eccli. 6. 24. *Statum esse Deo alligari.* *Ambros. Epist. 83.* *Idem lib. 9. in Luc. cap. 20.*

IV. *Quarta deriuatio* à S. Augustino tradita, qui *Religiosos* vult dici à *religendo*: sic enim ait: Deum *eligentes vel potiùs* religentes (*amiseramus enim negligentes*) *vnde & Religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quiescamus.* Eandem expositionem probat in Retractationibus, vbi ait: *Non me fugit aliam huius nominis originem exposuisse Latini sermonis auctores, quod inde sit appellata* Religio, *quod religitur. Quod verbum compositū est à legendo: id est, eligendo, vt ita Latinum videatur* Religio, *sicut eligo.*

Religio dicta à religendo. *August. lib. 10. de Ciuit. cap. 4.* *Retract. lib. 1. cap. 13.*

Dicti ergo sunt *Religiosi* quasi *religentes.* Quid autem? nisi Deum omnis beatitudinis fontem, omnium desideriorum nostrorum finem. Religionis autem quod prius erat electum, & posteà per negligentiam amissum, iterum illud eligimus, vt illud fortiùs & perpetuò teneamus. Prior electio facta est in baptismo; posterior fit in professione monasticâ: adeò vt iam professo dici possit: *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius.* Magnum hoc profectò Dauidico sensu: *Beatus*, inquit, *populus, cuius Dominus Deus.* Cuius autem non est? respondet Augustinus: *Omnium quidem Deus est, sed eorum propriè Deus dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui eum possident, qui illum colunt. Tanquam de domo ipsius magnâ sunt familia eius redempta magno sanguine vnici filij. Quantum dedit nobis Deus, vt ipsius essemus, & ipse sit noster.* Alibi verò idem Augustinus ait: *Etenim Deus tuus ei propriè dicitur, quem familiariùs habet Deus; tamquam in mancipio suo, tamquam in peculi suo. Deus Deus tuus sum ego. Quid vis ampliùs? pretium quaris à Deo, vt aliquid tibi det Deus, vt quod tibi dederit tuum sit? Ecce ipse Deus qui dabit, tuus est. Quid eo dulcius? dona quærebas? ipsum donatorem habes.* Et ipsum habens, quid non habes? In Deo sunt omnia, Deus habet omnia, Deus fecit omnia, Deus est omnia, qui ergo vnum habet, omnia habet.

Religiosi Deum religunt. *Deuter. 26. 17.* *Cuius possessione nobil Felicius.* *Psalm. 143.* *August. in Psalm. 55.* *In Psal. 49.*

Denique his addendum, Statum Monasticum dici *Religionem*, eiusque professores *Religiosos*, quia ad exercitium virtutis *Religionis* instituti sunt. *Religio* autem, vt Clemens Alexandrinus ait, *ceteras virtutes superans, antiquissimam & supremam caussam docet colere & venerari.* Colimus autem Deum actibus exterioribus & interioribus: interiores sunt, *Deuotio & Oratio*, quos in cœnobijs quotidie exerceri, manifestum est. Exteriores sunt, *adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, adiuratio, laus.* Ipse autem Status Monasticus quoddam est Sacrificium, imò & holocaustum, & in eo perpetuis votis se Monachi Deo consecrant, atque Angelorum instar, laudantium & colentium Deum diuinis pœnè iugiter insistunt laudibus. Nam quod agunt Angeli in cœlis, hoc agunt Monachi in choro, & in cellis. Dicamus igitur: *Benedicite Angeli Domini Dominum, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite omnes* RELIGIOSI *Domino Deo deorum.*

Monasticus Status rectè dicitur Religio. *Clem. 2. Strom.* *In quo exercetur multa virtus Religionis.* *Dan. 3.*

DISQVI-

DISQVISITIO VI.

An Monachi à suâ Regulâ dicendi REGVLARES?

Regularis nomine Monachos censeri quidem negat.

E T hoc nomine nonnemo Cœnobitas veteres possessores expoliandos putauit; quòd illud omnibus fidelibus Christi regulam sequentibus, potiori iure debeatur: quibus Paulus dixerit: *Et quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei.* Sed enim, si hæc argumentandi valeat forma, cur aliquos patiuntur dici *Clericos*, quasi peculiariter sint de sorte Domini: an non omnes ad eam pertinent fideles? an non omnium omninò Dominus sors est, & pars hæreditatis eorum? Iniuriâ ergo reprehendatur Caluinus, qui ait: *Hæc appellatio aut errore, aut certè ex prauâ affectione nata est, cum tota Ecclesia Clerus, id est, hæreditas Domini à Petro dicatur.* Qui & alibi ausus dicere: *Vtinam nunquam Patribus venisset in mentem, vt hâc voce vterentur.* Si præbendas, vt vocant, in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs obtinentes, meritò vocantur *Canonici*, à canone, id est, regulâ: de quibus Iuo Carnotensis Episcopus: *Ideò Canonici* (quidam codices addunt vocem *Regulares*) *appellati estis, quod canonicas regulas vel velle obseruare, ceteris arctiùs deuouistis:* quid caussæ erit, vt ad S. BENEDICTI v.g. aut Augustini Regulam viuentes, nefas sit appellare *Regulares*, cùm idem omninò nomen sit; licet hoc de Monachis, illud de Clericis plerumque intelligatur? Vnde in antiquis Concilijs aliud est *regulariter*, aliud *canonicè* viuere. Nam in Concilio Moguntino legitur: *Si Monachi fieri voluerint, regulariter viuant; Sin autem, canonicè viuant omninò.* Itemque: *Qua professionem sanctæ Regulæ* BENEDICTI *fecerūt, regulariter viuant; sin autem, canonicè viuant pleniter.* Hinc illa distinctio Ordinis *Canonici*, & *Regularis* sine Monastici. Concilium Arelatense VI. *Prouidendum necesse est vnicuique Episcopo, qualiter Canonici viuere debeant, nec non & Monachi; vt secundùm ordinem* Canonicum, *vel* Regularem *viuere studeant.* Quod idem repetitur in Capitulari Caroli Magni cap. 4. In Concilio Vernensi: *Placuit vt in Monasterio sint sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine canonico.*

Galat. 6. — *Non rectè.* — Calu. lib. 4. Instit. c. 4. §. 9. — Id. in c. 5. 1. Petri. — *Probatur à Regulâ dici Regulares.* — Iuo Epist. 202. — *Discrimen inter Canonicam & regularem vitam.* — Concil. Mog. c. 21. Cap. 13. — Arelat. can. 6. — Vern. cap. 11.

Monachi olim dicti Regulares. — In vit. Ioan. Reom. cap. 3.

Ipsos porrò Monachos, quod caput est, *Regulares* dictos inuenimus. In vitâ S. Ioannis Reomaensis scribitur de S. Sequano, quod decreuerit *Ecclesiasticum officium derelinquere, & Monasticam vitam silentio amicam arripere. Sed quoniam* Monachorum *ex-* A *pers erat* Regularium, *vota ipsius sunt paulisper à dispositione propriâ remorata.* Ad quem locum Rouerius: Hæc verba videntur innuere Monachos S. Sequano non defuisse, qui priuatâ deuotione ac legibus vitam instituerent, sed tantùm qui communi cuiusdam Regulæ obseruationi se adstrinxissent. Cur autē *Monachos Regulares* dixit, nisi vt eos, qui Regulæ cuiusdam Magisterium quasi mortuum sectarentur, secerneret ab ijs, qui suis vel alterius viuis oraculis regerentur? In Concil. Vernensi B decernitur, *vt vnusquisque Episcoporum potestatem habeat in suâ Parochiâ, tam de Clero, quàm de* Regularibus, *vel sæcularibus, ad corrigendum vel emendandum.* Et ne plura coaceruem, huc spectat titulus *De Regularibus* in Iure Canonico.

PERSONÆ MONASTICÆ. — Rou. Illust. hist. Reom. num. 61. — Concil. Vern. c. 3.

Necessariò id nomen ijs tribuendum. — Molan. lib. 1. de Can. cap. 5. — *Ne & ipso Monachi spoliare ipsos velint.* — Cassian. coll. 18. cap. 5.

Et hæc quidem satis confirmant huius nominis vsum: quod si nobis eripiatur, nescio quo tandem appellari nos velint, vt tale aliquod tribuatur, quod alijs non sit aliquo modo commune. Nam & Canonicos olim dictos *Clericos Religiosos, Claustrales, & Cœnobitales, Conuentuales Fratres*, simi- C libusque nominibus: Molanus affirmat. Et mirum fuerit, si non etiam *Monachi* nomen ad alios extendere velint. Nec enim soli Claustrales singulari illi, & ter sanctæ Monadi, à quâ Monachos dici ait Areopagita, intendunt. Si, vt Abbas Piammon apud Cassianum ait, Monachi dicti sunt ab eo, *quod à coniugijs abstinerent, & à parentum se consortio, mundique illius conuersatione secernerent;* quàm multi erunt in Clero, & extra illum, quibus huius nominis participatio, si quidem ambiant, possit indulgeri. D

DISQVISITIO VII.

Quæ alia Monachorum nomina?

Monachi quoque appellati.

PLVRIBVS præterea nominibus tam apud Græcos, quàm apud Latinos MONACHI inueniūtur appellati; quæ quia eorumdem officia & viuendi institutum plerumque explicant; Hîc etiam adferenda & elucidandâ fuerunt. Vt autem nunc Anachoretarum, Eremitarum, & Cœno- E bitarum nomina transeamus (de ijs enim postea cum S. BENEDICTO agemus) inueniuntur Monachi.

I. *Therapeutæ* — Philo lib. de vit. contemplat. — Dionys. Eccles. Hierarch. c. 6. — Galen. Orig. Monast. c. 1. — *Causa vocis duplex notio.* — Euseb. l. 2. Eccles. hist. cap. 16. — Epiphan. Hæres. 29.

Primò, dicti θεραπευταὶ, vt eos nominat Philo Iudæus, & Dionysius Areopagita, atque hîc ait: *Diuinos nostros Cathegemones, seu Duces* (quos Apostolos esse, Matthæus Galenus asserit) *sacro hoc cognomine eos, qui Monasticam sunt amplexi, dignatos esse.* Duplicem autem Etymologiæ rationem adfert Philo. Primò enim significare vult *Curatorem*, vt etiam placuit Eusebio, & S. Epiphanio,

PERSONÆ MONASTICÆ.

phanio, qui disertè *Medicum* exponit, aitque: IESVS *secundùm Hebraicam linguam, vocatur* θεραπευτὴς ἤτοι ἰατρὸς, καὶ σωτὴρ, hoc est, *Therapeuta*, siue *Medicus*, & *Saluator*. Apparet autem ex Philone, vtramq; Medicinā tam corporalem, quàm spiritalem, *Therapeutas* fuisse professos. Deinde ait, *Therapeutas* appellatos, *quod à naturâ, & sacris legibus fint formati ad colendum id, quod* EST, *quod etiam bono præstat, & vno est sincerius, ac purius; & monade, seu vnitate antiquius.* Areopagita similiter ita dictos censet, eò, quòd Deo purè ministrarent, ac seruirent. Nam θεραπεία apud Platonem, pro cultu ac religione B sumitur.

Plato in Euryphr.

Nigron. comment. ad Reg. com Societ. part 3. num 51. Apiè quadrat in Religiosos.

Duplex hæc notio (ait Nigronus) probè declarat naturam religiosæ vitæ. Nam respectu Dei debet *Monachus*, & quilibet regularis vitæ professor esse *Therapeuta cultor*, ac *seruiens*, hoc est, maximè Religiosus erga Creatorem in diuino seruitio: respectu sui, *Therapeuta Curator*, id est, *Medicus* sanandæ animæ perpurgandæque à vitijs, & passionibus studiosus. Si regularis sit Clericus, atque ad aliorum salutem procurandam ex instituto destinatus; debet C quoque proximorum esse *Medicus spiritualis*: atque ita quærere salutem eorum, vt boni, diligentis, prudentisque *Medici* partes exequatur.

II. Iecta dicti Monachi.

Secundò, ab eodem Philone Monachi vocantur ἱκέται, id est, *supplices*. Librum enim de vitâ Contemplatiua inscripsit, *de supplicum virtutibus*. Hoc antem nomen subsequentibus sæculis parum fuit vsitatum.

III. Philosophi. Basil. de instit. Monac. Chrysost. cont. vitup. Monach. S Nilus lib. Asc. et.

Tertiò, S. Basilius *Monachos* appellauit φιλοσόφους, quod S. Chrysostomo multò est familiarius, atque etiam Gregorio Na- D zianzeno: & B. Nilus librū Monastices inscripsit de *Christianâ* PHILOSOPHIA: quod existimet & meritò, locum eum à *Monachis* inter Christianos teneri; quem apud Ethnicos *Philosophi* tenuerūt, propter virtutem & sapientiam honestissimum. denique Iustinianus Imperator *Monachos* PHILOSOPHIÆ *Monasticæ certatores* nuncupauit.

Auth. coll. lat. 1. tit. 5. cap. 4.

IV. Claustrales.

Quartò, apud Latinos non tantùm *Religiosi* & *Regulares*, vt iam vidimus, verùm etiam CLAVSTRALES appellantur, & Monasteria *Claustra*, ab eo, vt Isidorus est Au- E ctor, quod *claudantur muris aut sepibus*. Vsus est hoc verbo ipse Pater S. BENEDICTVS, dicens: *Officinam in quâ* Instrumenta bonorum operum diligēter exercentur, CLAVSTRA *esse Monasterij*. Et ante eum Cassianus: *Agricultura dediti* Claustris *minimè cohibentur*: occurritque crebriùs in Iure Canonico. Hinc Eugenius Pontifex: *Sit Monachus* Claustro *suo contentus*. Et Alexander II. apud Gratianum: *Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilij, Monachis ad normam* A S. BENEDICTI *intra* Claustrum *morari præcipimus*. Innocentius III. Silentium seruare iubet certis horis & locis *in Claustro*. Plures Auctores citatos vide apud Gazæū ad Collationem 24. Cassiani. Hinc *Monachi* dicti CLAVSTRALES. Et Trithemius librū suum inscripsit *de triplici regione Claustralium*. Et Thomas à Kempis, ac Ioannes à IESV Maria, *De disciplinâ Claustrali*. Ab hâc voce Germanicè, & Belgicè, Monasteria vocantur **Cloosters** / Gallicè, & Anglicè, *Cloistre*; & Cœnobitæ, siue *Claustrales*, **Cloostervolck/ Cloosterlie/**

Isid. lib 15. Etym. cap. 6.
Cap. 4 Reg.
Cassia. collat 24. ca. 4. 16. quæst. 1.
Capit. Placuit 2.
Ibid cap. Iuxta.
Cap. Cum ad Monast. 3. decret. tit. 10.
Cap. 4.

V. Serui Dei.
Lib. 8. Confess. cap. 1.

Quintò, Peculiari nomine vocātur SERVI DEI. Augustinus Simplicium solitariæ vitæ cultorem consulit, quia *bonus apparebat ei* SERVVS DEI. Quo nomine Dionysius, Possidius, Saluianus Massiliensis, & alij vtūtur. Et S. Augustini Regula in editione Plantinianâ, hunc præfert titulum: *Regula B. Augustini ad Seruos Dei*. Quamquam non negauerim etiam alijs tribui nomen *Serui Dei*, vt non semper idē sit quod Monachus.

DISQVISITIO VIII.

De Laïcorum Fratrum nominibus. Cur dicti Conuersi, Commissi, Donati, Oblati?

VT in eâdem domo germanæ habitabant sorores, Maria, & Martha; ita in Monasterijs quidam orationibus & Choro, siue, contemplatiuæ vitæ exercitijs deputantur; quidam externis operibus, aliorumque obsequijs, & actiuæ vitæ officijs se ex obedientiâ impendunt. Hoc *Laïcos* D communi nomine dicimus, tamquam de populo, cùm alij Clerum olim repræsentarent, & iam plerumque ex illo sint. Sunt hi *Laïci* in corpore Monasticæ Congregationis velut manus, & pedes; nam vt testatur Origenes, in Ecclesiâ, *alij dicuntur manus pro bonis operibus, religiosisque ministerijs*. S. Dorotheus Cœnobium corpori comparans, & singula officia membris accommodans, *Qui opera*, inquit, *exercent*, manibus *comparantur; qui reddunt responsa, & huc atque illuc ad ministeria diriguntur, vicem* E *exequuntur pedum*. Et hos mox admonens: *Manus*, inquit, *es? operare, & viriliter te exerce. Pes es? obsequere, & ministerium tuum exple. Vnusquisque demum vestrûm communi corpori deseruiat; & munus suum non segniter, sed pro viribus suis, exequatur.* Subsidiarij hi Fratres, siue opitulatores & adiuuæ, varijs exprimuntur nominibus, quæ hîc quoque explicanda & illustranda.

Laïci externis operibus mancipantur.
Sunt velut manus, & pedes Monasterij.
Orig. hom. 2. in Cant.
Doroth. doct. 6.

Communissimum est nomen *Laïcorum*, quod hâc notione, quâ à Monachis distinguitur, inuenitur in Regulâ S. Fructuosi: *Monachi*,

Laïci à Monachis distincti.
Reg. Fruct. cap 13.

Monachi, inquit, *in Monasterio sanctè, & pudicè atque honestè viuentes persistant:* Laici *foris Abbatis, vel Præpositi mandata peragant.* De his & illud accipiendum arbitror, quod Iustinianus sanciuit, vt Nouitij, *nondum Monachicum habitum promerentes, tonsurâ, & veste eorum qui* Laici *vocantur*, vterentur. Ex quo colligas distinctam eorum fuisse vestem. Hos *Laicos* intelligo etiam, de quibus in Conuentu Abbatum Aquisgranensi cap. 62. statuitur: *Laicus caussâ manducandi & bibendi in refectorium non ducatur.* Non enim accipiendos hîc *Laicos* pro hospitibus, constat ex canone 27. eiusdem Synodi, vbi decernitur, *vt Abbas, vel quispiam Fratrum ad portam Monasterij cum hospitibus non reficiatur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi & bibendi exhibeat.* An & de ijsdem agit Isidorus, cùm ait: *Laici ministri mensis Monachorum nullatenus intererunt; nec enim poterit illis mensa communis esse locus, quibus diuersum est propositum?* Videntur enim hi ad seruitium Monasterij assumpti; & hâc forsan consideratione dicuntur esse diuersi propositi: quos ideò noluerit Fratrum refectioni interesse, ne nimia familiaritas induceret contemptum; nam & infrà ait: *Ars autem pistoria ad* Laicos *pertinebit: ipsi enim triticum purgant, ipsi * ex more molant. Massam tantumdem Monachi conficiant, & panem sibi proprijs manibus ipsi faciant. Porrò pro hospitibus, vel infirmis* Laici *faciant panes.* Aliter autem intelligendi *Laici*, vel *Laica* congregatio, in Concil. Arelatensi III. in caussa Insulæ Lerinensis, vbi dicitur: *Monasterij omnis* Laica *multitudo ad curam Abbatis pertineat: neque ex eâ sibi Episcopus quidquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, nisi Abbate petente præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, vt clerici ad ordinationem Episcopi debita subiectione respiciant:* Laica *verò omnis Monasterij congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij, quem ipsa elegerit, ordinationem, dispositionemque pertineat.* Hi enim *Laici* erant verè Monachi, choro & orationi iuxta Lerinensium instituta destinati; non autem seruilibus operibus saltem omnes addicti. Quod autem clericali non essent insigniti tonsurâ, dicti sunt *Laici*, non admodum propriè. Monachos enim Clericis adiungi, *non Laicis*, ab Dionysio Areopagitâ, probat Ludouicus Cellotius. Quos autem plerique Ordines *Fratres Laicos* vocant, in Societate IESV dicuntur *Coadiutores*, quod nomen exponit & illustrat Nigronus.

Iust. Nouel. 5. cap. 2.
Locus Concilij Aquisgranensis explicatus.
Isidor. in Reg. Mon. cap. 9.
Cap. 20.
* al. ex mole.
Laici etiam verè Monachi.
Tom. 1. Conc. Gall. an. 455.
Non propriè.
Cell. lib. 7. de Hier. c. 1. & seq.
Nigr. Reg. 14. comm.

Apud Monachos porrò non vnius generis sunt hi *Laici*. Quidam enim dicuntur *Conuersi*, & *Commissi*: alij verò, *Donati*, & *Oblati*, notabili sanè differentiâ professionis, habitus, & obseruantiæ. Quod nomina spectat, dicebantur olim Monachi *Conuersi*, vt in Commentario ad vitam Sancti BENEDICTI, & in Catechismo Monastico annotauimus; vbi ex ipso Sancto BENEDICTO nomen & officium *Conuersi* expendimus, quo etiam Saluianus vsus est: *Et licet de* Conuersorum *venerabili choro esse videaris, licet* Religionem *vestibus similes* &c. Et Magnus Gregorius: *Ne militiæ vel rationibus publicis obligati ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasterijs conuertantur.* Item Aurelianense I. *Monachus in Monasterio Conuersus.* Sicquoque intelligendus Isidorus in libello de *Conuersis*, id est, Monachis. Idem tamen Isidorus, per *Conuersum* intelligit nouitium, vti & Fructuosus. Quod Sanctus BENEDICTVS extulit: *Nouiter quis veniens ad Conuersionem.* Posterioribus tamen sæculis illi potissimùm dicti *Conuersi*, qui rei familiari administrandæ præficiuntur, & Marthæ ministerijs, vt diximus, deputantur, vt ex Cisterciensium, Bursfeldensium, aliorumque Constitutionibus notum est. Sed enim, quærat aliquis, cùm omnes Monachi ad Deum sint *conuersi*, cur hoc nomen peculiariter *Laicis* adhæserit Fratribus? Caussa hęc est, quòd, vt ex Sancti BENEDICTI patet Regulâ, quidam ad Monasterium veniant omninò pueri, alij verò prouectæ ætatis, & sæcularium rerum agendarum vtcumque expertes. Hi, cùm sæculum potiùs ignorarent, quàm desererent, dicebantur in Religione *Nutriti*: illi à sæculo, quod relinquebant, *Conuersi*, & quia nonnullâ pollebant experientiâ, ministerijs potissimum adhibebantur. Cùm autem posteà placeret his obsequijs peculiariter quosdam destinare, qui psalmodiâ & diuinis officijs non impedirentur, vt alij Monachi: nomen *Conuersorum* his eâ ratione tributum est, quod à sæculo *conuersi* sint, nec ab infantiâ in Monasterio enutriti. Ex Anselmo hoc discrimen discimus, qui contentionem inter *Conuersos* & *Nutritos* ita describit. *Quia*, inquit, *de* Conuersis *&* Nutritis *congregatur ordo Monachorum, solet inter eos quædam esse contentio. Attendunt enim* Nutriti, *se nulla crimina commisisse, nec se in sæculi sordibus coinquinasse, sed quia mundam ab infantiâ vitam duxerunt, & in Dei seruitio semper laborauerunt: illos verò è contrario vixisse considerant, & ideò meritò inferiores esse iudicant. At contrà,* Conuersi,

PERSONÆ MONASTICÆ.
Laici varij generis.
I.
Conuersi, quo nomine Monachi olim dicti.
Part. 2. disq. 9.
Salu. lib. 4. ad Eccl. Cath.
Greg. lib. 7. Epist. 11.
Aurel. can. 2.
Isidor. in Reg. cap. 4
Reg. Fruct. c. 21. & 22.
Cur Laici iam dicantur Conuersi.
Discrimen inter Nutritos, & Conuersos.
Ansel. lib. simil. c. 78.
Et contentio.

PERSONÆ MONASTICÆ.

uersi, *quia scientiam exteriorum habent, & res Monasterij sapienter tractant*, Nutritis *ipsis necessaria inueniunt, ordinem quoque suum feruentiùs plerumque custodiunt: Illos verò parum in his valere considerant, ideò se meliores illis æstimant; sicque alijs alij se præferunt, dum non suam, sed aliorum infirmitatem attendunt.*

Quomodo sapienda.

Sed si verè Monachi essent, sic esset inter eos, quomodò inter Angelos in cælis, & homines sanctos. Angeli enim sunt quasi Nutriti, *sancti, verò homines quasi* Conuersi. *Sed nec Angeli Sanctos despiciunt, quia tentationibus aliquando victi sunt; nec Sancti Angelos, quia nullam, quam vincerent, passi sunt tentationem.* Sic ille.

Quam admonitionem decet sanè vt omnes omninò Monachi cum Fratribus *Laicis* vicissim obseruent; nec illos despiciant in ministerijs suis. Hugo Victorinus, vel quibusdam videtur, Hugo de Folietto, lib. 4. *de claustro animæ*, cap. 43. in Christi ordine & Claustro Apostolos *Nutritis*, Discipulos *Conuersis* æquiparat: inter quos etiam summa fuit animorum consensio.

Trithem. Chron. Hirsaug. an. 1069. *Antiquitas, & Statuta Conuersorum in Germaniâ.*

Scribit Trithemius Wilhelmum XII. Hirsaugiensis Monasterij Abbatem, *Conuersorum* vsum *in Germania Cænobijs primum vel instituisse, vel potiùs abolitum renouasse, quem solùm in primæuâ Monachorum conuersatione olim nouimus celebrem. His Pater sanctus decreta sanctæ Regulæ conformia, pro pleniori institutione morum & mentium edidit, quæ missis Fratribus ad Cluniacum, vt illorum consuetudines discerent ac reportarent, in vno volumine variâ & pulchrâ distinctione compilauit. Harum consuetudinum codex in multis hodie Cænobijs habetur, testis priscæ religionis & sanctitatis Monachorum Hirsaugiensium, licet per nouarum constitutionem Bursfeldensium editionem, penè ab vsu videatur abolitus.* Sic ille.

Conuersi in plerisq. Ordinibus sunt veri Religiosi.

Iam quod rem ipsam spectat, *Conuersi* hi censentur veri nominis Religiosi, in Ordine nostro apud Cistertienses, Bursfeldenses; apud Carthusianos, Præmonstratenses, Prædicatores, Carmelitas, tam Mitigatos, quàm Discalceatos, apud omnes aliqua est distinctio habitus, quædam & diuersitas obligationis, ac obseruantiæ inter Monachos & *Conuersos:*

Cassinenses eosdem Cōmissos vocant.

quos Cassinenses vocant *Commissos*, dubites an ex eo quòd Monachorum curæ, an quòd externa negotia ipsis curanda committantur. Hos declarant Fratrum nomine censeri, & in eorum numero computari, omnibusque indulgentijs & immunitatibus, sicut ceteri Monachi, plenis-

A simè gaudere. Post completum annum probationis recipiuntur ad professionem. Quod autem dicunt: *Donec nobiscum perseuerauerint, teneantur seruare Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam;* ostendunt eos posse ex caussis dimitti, & à votis absolui, quæ tantùm censentur simplicia.

II. *Donati, & Oblati.*

Veniamus ad alterum *Laicorum* genus, qui *Donati*, vel *Oblati* communiter dicuntur. Nominis autem rationem ex probabili venamur coniecturâ. Valdè vsi-

Molan. lib. 3. de Can. cap. 17.

B tatum erat apud Maiores nostros, vt vel vltimæ voluntatis dispositione, aut quando ad Monasticam, vel Canonicam vitam transibant, seruos suos & ancillas, Monasterijs vel Ecclesijs offerrent, commoti ad id faciendum tum pietate erga Ecclesiam Christi, tum pio ac paterno affectu erga sua mancipia, quibus post mortem suam bonos patronos, aut dominos dare cupiebant.

Serui olim Ecclesijs & Monasterijs dabantur.

De quibus Seruis exstat textus apud Gratianum. Sic

Caussa 12. q. 2.

Ex Chron. Ipetij cap. 16. & 17.

C Rodualdus nobilem filium suum, Megensridum Monasterio Sancti Bertini obtulit, cum parte hæreditatis, & quatuor mancipijs, cui posteà adiecit mansum vnum, cum seruo vno, vxore, & liberis.

Ex Archiu. Affligen.

Anno 1175. Godesridus Louaniensis Bertam, mulierem suæ familiæ, cùm pueris suis, Sancto Petro in Affligeniensi Ecclesiâ liberaliter dedit, pro animæ suæ & parentum remedio, vt ipsa per succedentia tempora Abbati & Ecclesiæ, cùm pueris suis in perpetuum seruiat. Vetustam admodum hanc fuisse consuetu-

Aug. ser. 2. de comm. vit. Cler.

D dinem, apparet ex Sancto Augustino, qui de quodam Diacono ait: *Aliqui seruuli eius reliqui fuerant, iam quidem in* Monasterio viuentes, *quos tamen gestis Ecclesiasticis manumissurus est hodie.*

Isidor. Reg. c. 19. *Non tamen Monastica amplexabantur.*

In Regulâ tamen Isidori scribitur: *Abbati vel Monacho, Monasterij seruum non licebit facere liberum.* Quod ipsum prohibetur Abbati in Concilijs Agathensi, can. 56. & Epaonensi, can. 8. Solebant tamen Monachi seruos Ecclesiasticos, tam suos, quàm alios, à mundanâ seruitute, quos probatos agnouerant, ad

E spiritalem Monasticæ vitæ seruitutem, sine acceptione personarum, libenter transferre. Quod tamen absque præuiâ probatione faciendum non esse, docet nos Synodalis Magni Gregorij cōstitutio.

Lib. 4. regist. cap. 88. *Vnde dicti Donati, & Oblati.*

Hos igitur seruos credi potest dictos esse *Donatos*, quod Monasterijs donatione solenni traderentur, dictos quoque *Oblatos:* quia non simpliciter donabant seruos suos huic Ecclesiæ vel Monasterio, sed in altari eos offerre solebant Deo; & Patrono Ecclesiæ, vel Monasterij, vt ex ipsis donationum

formulis

formulis constat. Vtrumque nomen illis adhæsisse, si quãdo ad Monachatum transferebantur, probabile est. Postquam autem seruitio inter Christianos desierunt, & illos fortasse, ni fallot, dixerint *Donatos*, qui vltro se, suaque ad seruiendum Dei seruis in Monasterio donabant. Illustrat nonnihil hanc nomenclaturam, quod Cornelius à Lapide ad illa Christi verba, *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, scribat, Arabicum textum legere, *nisi qui* DONATI *sunt*, scilicet Deo & continentiæ. Sic in Religionibus, inquit, *Conuersi* vocantur *Donati*, scilicet Religioni. Insinuant id satis Patres Bursfeldenses, cùm de *Donatis* his ita loquuntur: *Cùm Dominus Deus omnes velit saluos fieri, nos etiam Laicales personas, quæ se suaque Monasterio offerentes, veniunt ad conuersionem, suscipere non abnuimus; quamquam nec habitum, nec omnem Conuersorum rigorem acceptare consentiant, dum aliàs sint bonæ famæ, & sufficientis ætatis, & aliàs vtiles, & ad laborem idonei: ita vt quisque eorum, vnius ex mercenarijs opus valeat compensare, & sint liberi ab humanâ seruitute & soluti, nec voto Religionis aliàs adstricti*, &c. In professione promittunt, quod erunt obedientes Abbati, & fideles Monasterio, votum autem Paupertatis, aut Castitatis non emittunt, sed expressè ante professionem monentur, *quòd in virtute obedientiæ præstanda, perpetua etiam continentia & carentia proprij sunt ei iniungenda*. Atque ita etiam fit, resignatque ad manus Abbatis *Donatus* quidquid possidet. Similes ferè sunt *Donati* Carthusianorum, vt videre est in eorum Statutis.

Matth. 19. 11.

Cerimon. Bursf. dist. 4. cap. 5.

Quomodò suscipiantur.

Quid promittant.

PERSONÆ MONASTICÆ.

3. Part. Stat. nou. cap. 3. & 3. compil. c. 11.

Atque hi, cùm solummodò votum simplex obedientiæ in manibus Prælati emittant, & ex vi voti non teneantur seruare Paupertatem, & Castitatem; non sunt verè & in rigore dicendi Religiosi. Secus tamen est de *Donatis* Congregationis Vallisoletanæ in Hispaniâ. Nam iuxta Constitutiones Barcinonæ ann. 1575. impressas, promittunt in promissione sua tria essentialia vota, & iniungitur Generali, vt à Pontifice petat Diploma, quo *Donatorum* & familiarum vota declarentur esse solennia: sic enim eorum stabilitati esse consultum. Mentionem tamen faciunt aliorum *Donatorum*, qui se cũ solo voto Obedientiæ Monasterijs offerunt, quibus peculiarem & breuiorem præscribunt habitum.

Non sunt veri nominis Religiosi.

Excipe Donatos Congregationis Vallisoletanæ.

Const. Vall. cap. 111.

TRACTATVS II.

DE GENERIBVS MONACHORVM.



LTERO hoc Tractatu, *quod in Regulâ* S. BENEDICTI *primum occurrit caput, cum eiusdem benedictione, pro nostro modulo explicabimus. Disquirendum autem,* Primò, *Quot sint Monachorum genera?* Secundò, *Qui qualésve Monachi Sarabaitæ?* Tertiò, *Quales Gyrouagi?* Quartò, *Qui & quales Anachoretæ, siue Eremitæ?* Quintò, *Qui & quales Cœnobitæ?* Sextò, *Cur Cœnobitarum genus* S. BENEDICTVS *appellauerit fortissimum?*

DISQVISITIO I.

Quot sint Monachorum genera?



D hanc Disquisitionem in ipso Regulæ suæ exordio ita respondet Legislator noster BENEDICTVS: *Monachorum quatuor esse genera, manifestum est. Primum, Cœnobitarum: hoc est, monasteriale, militans sub Regulâ vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum. Tertium verò Monachorum teterrimum genus, est Sarabaitarum. Quartum verò genus, est Monachorum, quod nominatur Gyrouagum.*

Monachorum quatuor genera statuit S. Benedictus. Cap. 1.

Contra hæc verò diuisionem obijci possit. *Primò*, quod S. Hieronymus in epistolâ ad Eu-

Contra obijcitur primò.

Hier. Epist. 22.

PERSONÆ MONASTICÆ.

ad Eustochium, tantùm tria Monachorum genera in Ægypto fuisse commemorat.

Secundò. August. de morib. Eccle. cap. 31. Secundò, D. Augustinus duos tantùm ordines, seu Monachorum genera agnoscit: vnum scilicet *Anachoretarum*, siue Eremitarum; & alterum *Cœnobitarum*: de quibus etiam Cassianus, lib. 5. Institution. cap. 36. Et probari videtur hæc sententia: *Sarabaitæ* enim, & *Gyrouagi*, non Monachi, sed Monachorum laruæ ac portẽta quædam sunt; ergo non nisi duo Monachorum enumeranda sunt genera.

Tertiò. Isidor. lib. 2. de diuin. offic. c. 15. Tertiò, Isidorus Hispalensis sex enumerat genera Monachorum: *quorum tria*, inquit, *optima; reliqua verò teterrima, atque omnibus modis euitanda.* Primum genus est, *Cœnobitarum*. Secũdum, *Eremitarum*. Tertium, *Anachoretarum*. Quartum, *Gyrouagorum*, Quintum, *Circumcellionum*. Sextum, *Sarabaitarum*, siue *Renuitarum*. Plura igitur sunt quàm quatuor Monachorum genera.

Probatur S. Benedicti sententia. His tamen non obstantibus dicendum cum S. BENEDICTO, tãtùm *quatuor esse Monachorum genera*; duo bonorũ, & duo malorum. Etsi autẽ mali verè Monachi non sint, nec officiũ nominis sui adimpleant; voluit tamẽ Legislator noster omnes illos recensere, qui suo tempore Monachi dicebãtur; siue verè, siue tantùm apparẽter essent, quod dicebantur. Nam, vt Augustinus ait; *Tam sunt Monachi falsi quàm Clerici falsi, & fideles falsi. Omnia ista tria genera habẽt bonos suos, habent malos suos. De tribus enim istis dictum est:* *August. in Psalm. 132. Sunt mali Monachi, vt & Clerici, & Christiani. Matth. 24.* Duo in agro; vnus assumetur & vnus relinquetur. Duo in lecto: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Et duæ in molẽdino, vna assumetur, & vna relinquetur. *In agro* enim *sunt* Clerici, *qui gubernant Ecclesiam. Videte, si non in agro erat qui dicebat:* Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. *In lecto sunt Monachi, qui amauerunt quietem, non se miscentes turbis, non tumultui generis humani, in otio seruientes Deo: & inde tamen vnus assumitur, & vnus relinquitur. Duæ in molendino, ex nomine generis feminini appellauit, plebes enim intelligi voluit. Quare in molendino? quia in isto mundo versantur, vbi molendinum intelligitur, quia sic vertitur mundus iste per rotam temporis, & eos quos conterit: Sic ibi versantur fideles boni, vt vna ex eis consumatur, altera assumatur. Quidam enim actiones mundi faciunt dilectores seculi, fraudatores, simulatores. Alij autem sic ibi sunt quomodo ait Apostolus: Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes sint. Præterit enim figura huius mundi.* *1. Cor. 3. 1. Cor. 7.* Hæc Augustinus. Vt ergo fideles, & Clerici inueniuntur boni & mali; ita & Monachi, in quibus optimè conuenit visio Ieremiæ, cui ostensi fuerunt duo calathi ficubus pleni, quorum vnus habebat ficus bonas valdè, & alter malas valdè, erãt autem positi ante templum Domini. Vnde Liranus per eos significari ait, Religiosos bonos & malos. *Religiosi boni & mali adumbrantur. Ierem. 24.* Hi enim sunt quasi in templo Domini, & terrestri paradiso Dei constituti, vt ficus, & fructus cęlestes proferant, offerantque Deo. Hinc rectè ait S. Augustinus: *Sicut non inueni meliores ijs, qui in Monasterio profecerunt, sic nec deteriores ijs, qui in Monasterio defecerunt.* *S. August. Epist. 137.*

Cur vtrosque recenseat S. Benedictus. Bonos igitur malosque enumerauit S. P. BENEDICTVS, vt ostenderet qui vitandi, qui essent imitandi; & quale ex quatuor his generibus instituendum sibi sumpsisset Monachorum genus: Cœnobitarum scilicet, quod omnium appellauit, atque est fortissimum. Ita autem professionis disposuit formulam, vt singulis quæ in eâ eduntur votis, ab alijs Monachorum generibus distinguerentur. *Stabilitas* enim aduersatur *Gyrouagis*: *Morum conuersio* repugnat *Sarabaitis*: *Obedientia* subiecti vix sunt *Anachoretæ*. Suâ igitur professione à tribus prædictorum Monachorum generibus *Cœnobitæ* secernuntur.

Respondetur obiectionibus. Prima. Sed iam ad obiectiones respondeamus. Ad *primam*, dicimus; Rectè à S. Hieronymo quartum Monachorum genus prætermissum: quod eius id tempore nondum esset exortum. Id autem manifestè satis indicauit Cassianus, qui Collationi decimæ octauæ hunc fecit titulum: *De tribus antiquis generibus Monachorum, & quarto nuper exorto.* Capite autem quarto agit de tribus illis à S. Hieronymo commemoratis Monachorum generibus, & octauo demum capite nouum illud, quod nuper emersisse ait, subiungit.

Secunda. Bellarm. l. 2. de Monach. cap. 3. Ad *Secundam* Obiectionem, dicendum cum Bellarmino, verè non esse nisi duo genera bonorum Monachorum; alia autem non esse Religiosorum genera, sed quasdam relaxationes, & corruptiones Religionum. Nam tertium genus vocant eorum, qui in cœnobijs viuunt, sed adhuc aliquas proprias retinent facultates, nec in omnibus obtemperãt suis Præpositis; quæ sine dubio est corruptio vitę cœnobiticæ. Quartum genus vocãt eorum, qui ex Monasterijs ad eremum transeunt, non vt sanctiùs, sed vt liberiùs viuant; nimirùm excusso iugo Superiorum, & Legum cœnobiticarum; quæ est corruptio vitæ eremiticæ, quare ista duo à Patribus vocantur deterrima genera Monachorum.

Tertia. Nec difficultatem habet obiectio *Tertia*. Isidorus enim, quia plura inuenit nomina Monachorum, eorumdẽ etiam multiplicauit genera: cùm tamen ijdem sint *Eremitæ* & Anachoretæ. Nam quod dicit *Eremitas* procul ab hominibus recedentes, deserta loca & vastas solitudines inhabitare:

tare: *Anachoretas* verò Cœnobiali conuersatione perfectos, semetipsos includere in cellis procul ab hominum conspectu remotis; leue admodum discrimen est, in verbis potiùs, quàm in ipsâ re consistens: vnde tanti non est, vt speciem aut genus Monachatûs nouum constituant. Deinde ijdē sunt *Gyrouagi* & *Circumcelliones*. Quartum autem genus innominatum apud Isidorum & Cassianum, non multùm differt à sexto *Sarabaïtarum* genere. Nam quos quarto loco recenset, ait sub *Anachoretarum* imagine sibi blandiri, & dum subdi seniorum imperio dedignantur, separatas expetere cellas, & solitarios sedere desiderare. Sarabaïtas verò construere sibi cellas, vt liberi ab imperio seniorum, arbitrio suo viuant, certatim in operibus laborantes. Vnde hoc tantùm in his videtur esse discriminis, quòd quarti generis degant in cellis soli: *Sarabaïtæ* autem (vt S. BENEDICTVS ait) *bini, aut terni, aut certè singuli sine Pastore, non Dominicis, sed suis inclusi sint Ouilibus.*

Monachorum non tot genera quot nomina.

DISQVISITIO II.

Qui qualésve Monachi Sarabaïtæ.

EX enumeratis Monachorum generibus S. BENEDICTVS Cœnobitarum, quod fortissimum appellat genus, suâ informandum Regulâ suscepit. Nos einsdem vestigijs inhærentes, de alijs tribus generibus primò disquiremus, vt deinceps totam Cœnobitarum Regulam, quantum Deus dederit, ex ordine discutiamus. Cùm autem quatuor Monachorum genera in duo liceat contrahere, bonorum scilicet, & malorum: boni enim sunt Cœnobitæ & Anachoretæ: mali, Sarabaïtæ & Gyrouagi; de his primò tractabimus. Nimirùm, vt in officijs Iustitiæ Christianæ, priùs est declinare à malo, quàm facere bonum: ita in his Monachorum generibus primò, quid fugiendum, deinde, quid sequendum, considerabimus. Quinam igitur *Sarabaïtæ?* S. BENEDICTVM audiamus. *Tertium Monachorum teterrimum genus est* SARABAÏTARVM; *qui nullâ Regulâ approbati, experientiâ magistrâ, sicut aurum fornacis: sed in plumbi naturâ molliti, adhuc operibus seruantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certè singuli sine Pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cùm quidquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt Sanctum, & quod noluerint, putant non licere.* Hæc B. BENEDICTVS imitatus alios ante se scriptores. Cassianus enim de iisdem agens, nuncupat *deterrimum &*

Ordo dicendorum.

Quales Sarabaïtæ. Cap. 1 Reg.

Cassian. collat. 18. cap. 7.

A *infidele Monachorum genus*, vel potiùs noxiam illam plantationem, quæ *per Ananiam & Sapphiram in exordio Ecclesiæ pullulans, Apostoli Petri seueritate succisa est.* Quod idem affirmat Isidorus Hispalensis, & Beda in Acta Apostolorum, c. 5. Hieronymus porrò hoc genus ait dici *Remoboth, teterrimum atque neglectum, & quod in nostrâ prouinciâ aut solum, aut primum est. Hi bini, vel terni, nec multò plures simul habitant, suo arbitratu, ac ditione viuentes; & de eo, quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant*

B *alimenta communia.* Pluribus eorum mores delineauit citato loco Cassianus: ex quo hæc de nominis etymologiâ accipe. *Ab eo*, inquit, *quod semetipsos à Cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas curarent necessitates, Ægyptiâ linguâ proprietate*, SARABAÏTÆ *nuncupati sunt.* Similiter Isidorus: *Ab eo quod semetipsos à Cænobiali disciplina sequestrant, suasque appetunt liberi voluntates, Ægyptiorum linguâ* SARABAÏTÆ, *siue Rennuita nuncupantur.* Ægyptium igitur vocabulum est, non Hebræum, quamquam, non malè vt Gazæus noster ait, ab

C Hebræâ dictione *Sarauim* appellatos dici queat. *Sarauim* enim *Rebelles* significat, vt sunt huiusmodi pseudomonachi, qui neque Regulæ, neque superioribus subdi volunt. Aliàs originationes minùs probabiles, quas videre est apud eundem Gazæum, lubens prætereo. Auctor verò Apologiæ Henrici IV. Imperatoris hunc Regulæ locum citans, ita legit: SARABAÏTARVM, *id est, sibi viuentium.* Lectio quidem infrequens, sed optima interpretatio,

D & quæ Cassiani ac Isidori etymologiam confirmet.

Subijciendum verò hoc loco, quod de SARABAÏTIS apud Turcas sub specie religionis degentibus, Cœlius Rhodiginus commemorat: SARABAÏTÆ *sunt*, inquit, *eo nomine in Ægypto sacerdotes, in saxorum cauitatibus ferè habitantes, sullis ac bubulis circumamicti exuuijs, funibus zonarum pracincti loco, pedibus nudis, cruore consperşi; vbi Scenopegiorum ingruit celebritas, è cauernis se promentes, Hierosolymam petunt, ac templum ad-*

E *euntes, inopiam & abstinentiam ostentui habent; ingerunt omnibus barbam sibi etiamnum acriter vellentes, vt spectent ista vniuersi, & velut cœlitus demissos homines opinentur, suspiciantque, etiamsi intercutibus nunquam non vitijs madeant. Proptere non esse imitandos, præcipit Augustinus, & commeminit facundus scriptor Hieronymus.* Sic ille.

Nostri autem SARABAÏTÆ ab Hieronymo vocantur *Romoboth*, vel *Remoboth*, quod vocabulum suspicatur Marinus Victorius esse Hebraicum, idque à superbo incessu dictum putat; nam, vt Hieronymus ait: *apud*

Isidorus Monach.
Isidor. Hisp. lib. 2. de offic. Eccles. cap. 15.
Hieron. Epist. 22.

Sarabaitarum nomen vnde deriuetur.

Isidor. sup.

Sarabaïtæ Sacerdotes apud Turcas.
Rhodig. antiq. lect. lib. 24. cap. 39.

Sarabaïtæ dicti Remoboth.

Marian. Victor. in Schol. ad Epist. 22.

PERSONÆ MONASTICÆ. *apud hos* (Remoboth) *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Clericorum*, &c. Vocantur ijdem ab Isidoro, vt vidimus, *Renuitæ*, eò quòd, vt Smaragdus ait, *maiorum exempla vel doctrinam sequi renuant*: vel vt alij, *Renuentes* iugum monasticæ disciplinæ; ita interpretatur S. Odo Cluniacensis Abbas, dum se suique temporis Monachos deplorans, ait: *Nos miseri, non sumus Monachi, vt falsò nominamur: sed* SARABAITÆ, *id est*, Renuitæ, *qui iugum regularis disciplinæ renuimus.*

Et Renuitæ.

S. Odo collat. lib. 3. c. 23.

DISQVISITIO III.

Quales Gyrouagi?

Gyrouagi vnde dicti.

QVARTVM, siue vltimum Monachorum genus apud Cassianum anonymum, à S. BENEDICTO conuenienti vocabulo appellatur GYROVAGVM, quod in circuitu ambulent, & in gyrum sæpè vertantur. Augustinus hos vocauit *Circumcelliones*, qui sic dicti sunt, quia (vt idem ait) *circum cellas vagantur. Solent enim ire hàc atque illàc, nusquam habentes sedes, & facere quæ nostis, & quæ illi norunt, velint, nolint.* Ex quibus patet, non rectè Isidorum distinxisse inter *Circumcelliones* & GYROVAGOS. Nam quod de illis Augustinus dixit, quod *circum cellas vagentur*, hoc & de GYROVAGIS S. BENEDICTVS affirmauit, dicens, eos *totâ vitâ suâ per diuersas prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuersarum cellas hospitari, semper vagos, & nunquam stabiles.* Ait autem, *ternis vel quaternis diebus per diuersorũ cellas hospitari*, quia Monachorum hospitalitas (vt alibi dicemus) triduo definiebatur. Si quis vlteriùs voluisset manere, ad communem vrgebatur legem, & consueta Monachis exercitia, quæ GYROVAGI subterfugiebant. Pluribus autem eorum mores describit Basilius: *Illi etiam deuitandi sunt, qui instabiles identidè locum demutãt, modò ad hos, modò ad illos Fratres se conferunt, & irrequieto acti impetu se in circumlustrandis assiduè Monasterijs occupant, & per simulationem spiritualis charitatis, carnis libidinibus obsequuntur: quorum in animo nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conuenit Ordinis, nihil denique prudentiæ inest, aut grauitatis: contraque summa curiositas, morum peruersitas, leuitas, inconsiderantia, dolus, hypocrisis; mendacis, & veteratoriæ orationis plenissima ostentatio in his redundat. Hi enim & linguâ rudes, & ventre intemperantes sunt.* Hæc Basilius.

August. in Exposit. Psal. 132.

Circumcelliones.

Metu gandent, & vagu cursibus.

Basil. in Const. Monast. cap. 9.

Inconstantes & intemperantes.

Leporibus similes.

Audi Pelusiotam, Philippũ Monachum GYROVAGVM, quem lepori ex cubili in cubile subinde migranti comparat, acriùs increpantem: *Loca subinde commutans: pinguiorem potiùs, vt videtur, mensam, quàm firmiorem ac solidiorem eruditionem quærens. Ac tibi, ni fallor, istud continget, vt omnibus terræ recessibus cum huiusmodi ventre, atque animi instituto peragratis, Euripus quidam sis, omni nidoris ciborum vento circumactus, ac perpetuâ instabilitate laborans.* Eosdem etiam depingit Augustinus, hoc modo: *Tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit* hostis scilicet humani generis, *circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum si tamen martyrum, venditant: alij fimbrias & phylacteria sua magnificãt: alij parentes vel consanguineos suos in illâ vel illâ regione se audisse viuere, & ad eas pergere mentiuntur; & ab omnibus petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis: cùm intereà in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.* Sic Augustinus. Eosdem GYROVAGOS poëticâ venustate ita pingit S. Paulinus

Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 41.

August. de opere Monach. c. 28.

Gyrouagi insignes hypocritæ.

Paulin. ad Cyther.

Qualia vagari per mare & terras solent
Auara mendicabula.
Qui deierando Monachos se vel naufragos,
Nomen casúmque venditant.

Basilius Magnus hâc eos oratione perstringit: *Horum volucris animus continenter flabris veluti quibusdam pulsatur, horum consilia assimilia vespertilianum volatibus sunt: quippe qui in directum nunquam feruntur, sed tortuosa, & incerta maximè volatu huc illuc temerè pererrant, ac circumuagantur.* Ijdem etiam antiquissimis temporibus nominabantur communiter VACANTIVI, hoc est, inertes, otiosi, nulli operæ addicti, fuci volantes, Clerici agyrtæ. De quibus ita Synesius Episcopus: *Vagantur quidam apud nos* VACANTIVI. *Hi certam quidem nullam sedem habere volunt, qui quam habebant antea reliquerunt: eâ* VAGANTES *vbi maius compendium est.* Porrò sequiori æuo, cùm nihil GYROVAGI de solitis cursibus & moribus remitterent, vocati sunt TRVTANI. Testis Cæsarius Heisterbacensis: qui memorat, venisse Claramuallem *quendam Clericum actu* TRVTANVM, *quales per diuersas* VAGARI *solent prouincias*, &c. vbi quidem malim legere, TRVANVM: voce quidem barbarâ, sed Germanis, Hispanis, & Gallis notâ; quâ vagabundos, vappas, & homines ignauos designant. Hinc Flandricum trouwant, Hispanicum *Truhan*, Gallicum *Truan*.

Basil. Cõst. Mon. cap. 9. Sunt vespertiliones.

Vocati quoque vacantiui.

Synes. Epist. 67.

Trutani, siue Truani.

Cæsar. lib. 1. cap. 10.

Sed

Pett. Dam. opusc. 27. cap. 1.
Inter Cœnobitas etiam reperiuntur.

Sed & ex nostris Petrus Damiani conqueritur etiam inter Cœnobitas, GYROVAGOS: proh dolor, inueniri. *In monachico,* inquit, *Ordine, quos in claustris sub Abbatis imperio regulariter manere conspicimus, consequenter vtique Monachos appellamus: quos autem proprium possidere, indifferenter huc illucque discurrere, solutis legibus, iuxta propriæ voluntatis arbitrium diffluere cernimus non Monachorum, sed* GYROVAGORVM *potiùs dignos vocabulo iudicamus.* Cõpescendis porrò his erronibus, & veris Monachorum monstris, sub Anachoretarum aut Cœnobitarum nomine discurrentibus; vtiliter tertia Constantinopolitana Synodus ita statuit; *Eos, qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris vestibus induti, & capite comati vrbes obeunt, & cum viris sæcularibus ac mulieribus versantur, & propriæ professioni faciunt iniuriam, statuimus, si elegerint quidem tonsis comis reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in monasterio constitui, & inter Fratres referri. Quod si hoc non elegerint, ex vrbibus expelli, & solitudines habitare, ex quibus sibi etiam denominationes confinxere.* Sic ibi.

Synod. 3. Constantinop. can. 42.
Olim coërciti.

Cur deteriores Sarabaitis.

Quod autem S. BENEDICTVS dicit GYROVAGOS hos per omnia *deteriores Sarabaitis;* eius rei tres assignat Turrecremata caussas. *Prima* est, quia Sarabaitæ cellas ædificant, & manent firmiter in eis. GYROVAGI verò non sic, sed tanquam hospites diuersas prouincias perecurrunt. *Secunda,* quia licet Sarabaitæ sint mali, nihilominus de labore proprio viuunt, imò quod multo tempore & labore quæsitum aut congregatum est, breui horâ isti consumunt. *Tertia,* quia isti per diuersa loca percurrentes, plurimos malæ vitæ exemplo perdunt ac corrumpunt. Sic ille.

DISQVISITIO IV.

Qui & quales Anachoretæ, siue Eremitæ?

RELICTIS malis hisce Monachis, assumentes pennas columbæ, volemus in solitudinem, tantisper illic commorantes, donec ANACHORETARVM institutum & viuendi rationem aliquousque gustauerimus. Secundum enim Monachorum genus à S. BENEDICTO recensitum, est *Anachoretarum*, id est, *Eremitarum.* Anachoretæ autem Græco nomine à *secessu* sic appellati sunt. Ἀναχωρία, est *secedo,* ἀναχώρησις, *secessio:* inde *Anachoretæ* dicti sunt, qui pietatis studio ab hominum consortio secedebant, vt rerum diuinarum contemplationi liberiùs vacarent. D. Hieronymus ad Eustochium: *Anachoretæ,* inquit, *qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserunt, nuncupantur.* Hos etiam ἡσυχάστας, hoc est, in quiete & silentio degentes, appellari solitos, scribit Iustinianus. Eosdem S. BENEDICTVS, alijque *Eremitas* vocant. Ἔρημος enim Græcè, Latinè dicitur desertum, vel locus solitarius. Vnde *Eremitæ* dicti incolæ locorum solitariorum, quos Cassianus etiam *solitarios* appellare solitus. Horum autem originem Cœnobitis facit posteriorem, atque illos ex his ait profluxisse. *Cœnobitarum,* inquit, *disciplina, à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium, cum* multitudinis credentium esset cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse *diceret. Sed cum post Apostolorum excessum tepescere cœpisset multitudo credentium, ab illâ districtione laxati sunt. Hi autem quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, discedentes ab illorum consortio, qui remissioris vitæ negligentiam licitam credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis meminissent instituta, priuatim exercere cœperunt, atque ita coaluit istorum disciplina, cuius professionis Principes S. Paulum vel Antonium nouimus extitisse.* Ita Cassianus. In eâdem sententiâ est S. Hieronymus, qui ait: *Ipsius vitæ* (Anachoreticæ) *Auctor Paulus, Illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, Princeps Ioannes Baptista.* Quod autem ait, Antonium hoc vitæ genus illustrasse, ita accipiendum est, quòd illud scilicet primum per viginti annos in solitudine exercuerit, licet postea, cùm multos Fratres diuino monitu in vnum collegisset, & vitæ Monasticæ præceptis imbuisset, vitam eum eis instituerit cœnobiticam, & multa diuersis locis excitauerit Monasteria, vt auctor est Athanasius. Tandem tamen ad Anachoreticam redijt, suorum interim curam non deserens, cuius exemplo (ait Gazæus) contigit reciproco quodam ordine *Anachoretas* generare *Cœnobitas;* & vice versâ *Cœnobitas* parere *Anachoretas;* qui scilicet sub imperio Abbatis, aut Senioris omnibus præsidentis agere solitarij permitterentur; vt tamen vinculo quoque Obedientiæ manerent astricti.

Anachoreta vnde appellati.

D. PERSONÆ MONASTICÆ.
Hieron. Epist. 22. ad Eustoc.
Hesychastæ. Iustin nouell 5. de Monach.
Eremitæ.
Solitarij.
Cassia collat. 18. cap. 5
Anachoretæ orti ex Cœnobitis.
Act. 4. 32.
Hieron. Epist. 22. ad Eustoch.
Hieronymi locus explicatus de Anachoresi B. Antonij.
Gazæus ad cap. 9. col. lat. 18. Cassian.

Atque inde est, quod Patres considerantes periculosum admodum esse absque vllius Magisterio in solitudine degere, censuerint Eremiticam vitam non permittendam nisi ijs, qui in cœnobitica anteà essent exercitati; ità disertè Legislator noster: *Secundum genus est Anachoretarum, id est Eremitarum: horum qui non conner-*

Anachoreta prius in Cœnobijs exercendi.
Cap 1 Reg.

PERSONÆ MONASTICÆ.

conuersionis feruore nouitio, sed Monasterij probatione diuturnâ didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare: & benè instructi fraterno ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi iamsine consolatione alterius, solo manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. Hausit hanc doctrinam ex Hieronymo potissimùm & Cassiano, quorum ille ad Rusticum sic scribit: *De ludo,* ait, *Monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos Eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando, nec saturitas superauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est.* Et Cassianus: *Solent,* ait, *nonnulli, ita diuturno silentio solitudinis efferari, vt prorsus hominum consortia perhorrescant, & cum vel paululum à secreti sui solitudine, interueniente Fratrum visitatione, discesserint, notabili mentis angore, & euidentibus pusillanimitatis indicijs æstuant. Quod vel maximè his euenire consueuit, qui non perfectè in Cœnobijs instituti, nec excoctis prioribus vitijs ad solitariam se vitam immaturo desiderio transtulerunt.* Et rursus: *Porrò Eremum perfectos, omnique vitio purgatos oportet expetere, & excoctis ad purum in congregatione Fratrum, vitijs, non pusillanimitatis profugio, sed diuinæ contemplationis obtentu, & desiderio intuitus sublimioris intrare, qui non nisi in solitudine à perfectis solummodo poterit apprehendi. Quæcumque enim vitia incurata in Eremum detulerimus, aperta in nobis non abolita sentientur. Solitudo namque sicut nouit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare; & intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam reuelare; ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solùm seruare, verumetiam exaggerare consueuit, tamdiuque sibi quis patiens videtur, & humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio.* Hæc ille: qui etiam ex sententiâ Ioannis Abbatis Medicinam adfert ijs, qui nimis citò de Cœnobijs discesserint, & non expurgatis vitijs solitudinem fuerint ingressi.

Hier. Epist. 4. ad Rust. — *Et variè probandi.* — Cassia. collat. 19. c. 10. — *Aliàs periculo exponuntur.* — Idem lib. 8. Institut. cap. 18. — *Permanent in vitiorum fuer.* — Collat. 19. cap. 11. & deinceps.

Quot autem annis in Cœnobijs oporteat exerceri, antequam ad Eremi quis pugnam prodeat, inquiri hîc meritò posset; in quâ re non puto vniuersalem tradi posse regulam, quæ omnibus conueniat, alij enim citiùs, alij tardiùs à vitijs expurgantur. S. BENEDICTVS *Monasterij probationem* requirit *diuturnam,* & vt *benè instructi Fraternâ ex acie* prodeant. Synodus in Trullo congregata, de *Anachoreticâ* & solitariâ vitâ ita definit: * *Quadriennio toto multis*

Quot annis instituendi in Monasterijs qui Anachoresim expetunt. — *Variant sententiæ.* — Can. 41. * Zonaras & Balsamō, triennio.

A *modis in Monasterijs probatos, & accedente Episcopi examine, & iudicio ad illam admitti posse.* Sed hæc Trullana definitio (inquit Posseuinus) laxior est, vt sunt pleraque alia, quæ in Canonibus huius Synodi continentur. Isidorus verò de iisdem agens Anachoretis, ait: *Sed isti examinatione Cœnobiorum probati in omnibus disciplinis Monasterij per XXX.* (Posseuinus legit XX.) *annos ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur.* Quam sententiam priore
B licet seueriorem, antiquiorum Patrum gestis, & Eremiticæ vitæ institutioni magis consentaneam, ait idem Posseuinus. Sanè S. Sabas solidum decennium habitauit apud Theoctistum, nec ad Anachoretarum Lauram priùs admissus est, quàm totam Monasticam persecutus esset vitæ institutionem, quæ est in Cœnobio, & ostendisset eam quæ exigebatur absolutionem.

Posseuin. lib. 5. Biblioth. cap. 57. — Isidor. lib. 2. de diuin. offic. cap. 15. — *Pro senioribus, sunt Patres.* — Vita S. Sabæ apud Sur.

De huius porrò vitæ excellentiâ, prærogatiuis, proprietatibus, & officio plura passim apud Sanctum Hieronymum,
C Basilium, Chrysostomum, Cassianum, aliosque occurrunt, ex quibus multa collegit Busæus. Verbulo hîc suffecerit adiecisse, quis Eremitarum scopus ac finis: quem ità explicat Cassianus: *Eremitæ,* inquit, *perfectio est, exutam mentem habere à cunctis terrenis, eamque quantum humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo. Quem virum Ieremias Propheta describens: Beatus,* inquit, *vir qui tulit iugum ab adolescentiâ suâ, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se.* Quæ eadem ad verbum habet Hie-
D ronymus *ad cap. 3. Lament. Ieremiæ,* additque: *Quam quidem speciem conuersationis boni Eremitæ, & Monachi, qui voto Monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt: sed raro est, & paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa.* Idem *Anachoretis* officium tribuit Augustinus: *Nihil,* inquit, *de ijs dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, & aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi,*
E *quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest.* Et infrà: *Hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non suâ sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostrâ videri qui potest?* Ita ille. Hanc etiam sublimissimam, & Monacho dignam exercitationē agnouit, & præconio suo prosecutus est Basilius, cùm de laudibus Eremi, inter cetera, ita ait: *O cella spiritualis exercitij, mirabilis officina, in quâ certè humano animo Creatoris sui imaginē in se restaurat, & ad sua redit originis puritatem: vbi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, & pro vitiata natura sinceritatis*

Busæ. de Stat. homi. tit. Eremi status. — Cassian. collat. 19. cap. 8. — *Scopus & finis Anachoretarum.* — Thren. 3. — August. lib. 1. de mor. Eccles. cap. 31. — Basil. de laude solit. vitæ. — *Laus vitæ Anachoreticæ.*

ritatis azyma reperitur. Tu das vt homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obuolutus tenebris Deum & teipsum priùs ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium, & de exilij deiectione ad antiqua dignitatis reuocas celsitudinem. Tu facis vt homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoq; in ipsa rerum labentium prospiciat decursione transire.

Anachoretæ ægroti ad Cœnobia remissi.

Sed enim, vt difficillima erat *Anachoretarum* vita, ita indulgentiam quamdam exhibebant ægrotis: quos ad Cœnobia plerumque curandos mittebãt. Hinc Aphrodisius cum 30. annos in Laurâ transegisset, mortis suæ præscius, petijt à S. Sabâ, *vt sibi liceat descendere* ad Cœnobium S. Theodosij. Sic & Barnabas Anachoreta cum pes eius, ob infixam ex arundine festucam, esset læsus, coactus est ascendere ad Monasterium Turrium, sibique vnam cellam accipere, vt est in Prato spirituali. Et opus sanè ijs erat hâc benignitate. Nam in Eremo non vtebantur Medicis, aut Medicinis, vt insinuat S. Diadochus, & Macarius Ægyptius, serm. 48.

Vit. S. Sabæ cap. 63.

Et meritò benignitàs habita.

Prat. Spir. cap. 10.

Diad. de perf spirit. cap 53.

Sancti viri solitudinis amantes iuxta Monasteria cellas eremiticas statuerunt.

Illud porrò hic pro coronide annotandum; cùm recollectio & solitudo ad animæ perfectionem maximè conducat; magnum semper amorem erga Anachoresim Viri sancti ostenderunt. Non longè enim à Cœnobijs Lauras quasdam, aut Eremiticas condebant cellulas, ad quas recederent, Deo sibique vacaturi. Vidimus id in Euthymio & Theoctisto, Sabâ & Theodosio, quorum hi Cœnobitis, illi Anachoretis in locis vtcumque vicinis præerant. Commendat Cassianus quatuor Abbates, quibus septem vltimas Collationes suas inscribit, quòd non solùm *Cœnobialem professionem Monachos expetere, verùm etiam Anachoreticam sitire sublimitatem* prouocauerint: *& quòd non longè à Cœnobijs suis secedentes, Anachoretarum* gestirent *sectari disciplinam.* Laudat & Climacus Ioãnem Monachorum præsidem, eiusque discipulos, ab exactâ obedientiâ: *Eratque*, inquit, *eidem laudando Viro & Laura subiecta, ex quo Cœnobio præsul ille omnibus numeris absolutus, ad solitudinis quietem perfectiores deducebat.* Vt Viuariensibus Cœnobitis in Castelli montibus, Eremi secessum præparauerit Cassiodorus, dictum nobis alibi, atque etiam de *Benedictinâ Anachoresi.* S. Romualdus vbicumque loci opportunitas se offerebat, nõ longè à Monasterio *Eremum* quoque condebat.

Lib. 1. tract. 3. disq. 14.

Cass. præf. ad 18 Coll.

Climac. ad Past. c. 14.

Lib. 2. tract. 7. disq. 3.

Benedictini præsertim. Hastiuill. hist. Camald. lib. 1. cap. 5.

Quod imitati sunt Minores.

Placuit idem Institutum posterioribus Religiosorum Ordinum Cõditoribus. Minores enim in Religionis suæ exordijs, frequenter desertum petijsse, ibique secundùm statas à B. Francisco Leges, liberiùs vacasse spiritui sub paupere tugurio & humili Eremitorio, scribit Portuensis Antistes in suis Chronicis: atque ipse sanctissimus Pater in quâdam Collatione ait: *Illi qui religiosè volunt stare in Eremitorijs, sint tres aut quatuor,* &c. tradens ibi Eremitis quandam viuendi formulam. Addit ibidem Waddingus: Adhuc hoc nostro æuo vidi certè in Lusitaniâ, & alijs Hispaniæ regionibus, in desertis locis quosdam ex nostris sub pauperculis tuguriolis cælestem ducere vitam, nihilo inferiorem admirabili illorum Thebaidæ Monachorum, & per integra lustra mundanam fastidientes conuersationem, in sæculo extra sæculum positos, quid in mundo agatur, & si mundus sit ignorantes; vt verè dixeris hos mundo mortuos, eorumque in cœlis esse conuersationem. Ijsdem vestigijs insistentes PP. Capucini in primâ congregatione Generali Aluacinæ coactâ ita statuerunt: *In omnibus Monasterijs vbi id commodè fieri poterit, vna aut altera cellula lõgiùs à Fratrum habitatione, in solitario aliquo loco exstruatur: vt si quispiam Fratrum perfectiori Dei spiritu inflammatus Eremiticam vitam in silentio ducere voluerit; idque Superiori benè visum fuerit, in eam possit cum Dei ac Superioris benedictione secedere, ac solitariè viuere. Eapropter vniuersos Superiores hortamur, vt si quos huic vitæ idoneos Fratres offenderint, hunc illis secessum minimè denegent.* Carmelitarum Ordo cum ex primæuâ institutione Eremiticus sit, vt hunc spiritum fouerent PP. Discalceati constituerunt in vnaquaque Prouinciâ Monasterium vnum Eremiticum in solitudine aliquâ situm, in quo perfectionis augendæ gratiâ commorentur ij, quos idoneos iudicauerint Superiores, vt videre est in eorum Constitutionibus, vbi plurima ad Eremiticam vitam idonea præscribuntur. De simili Conuentu aguot etiam Constitutiones Carmelitarum antiquæ Obseruantiæ ab Vrbano VIII. An. 1636. confirmatæ. Habent verò tam hi, quàm illi præter claustrum Eremi etiam separatas aliquot cellulas, in quibus ad tempus Anachoreticam ducunt vitam.

PERSONÆ MONASTICÆ.

1. Part lib. 1 cap 80. Tom. 1. opusc S. Franc. collat. 1.

Etiam nunc in Hispaniâ.

Capucinorum in hãc rem decreta.

Bouer. in Annal. an. 1529.

Carmelitarum Discalceatorum.

Item Carmelitarum antiquæ obseruantiæ.

Omnibus porrò his, siue Anachoretis, siue Eremitis, aut alio quouis nomine solitariam vitam degentibus, vtilissimum fuerit, legere & expendere ea, quæ de Anachoresi scripsit Ioannes Climacus Gradu XXVII.

DISQVI-

PERSONÆ MONASTICÆ.

DISQVISITIO V.

Qui & quales Cœnobitæ?

AB Anachoretarum quiete & silentio ad loquendum de communi *Cœnobitarum* vitâ accedamus. Dicendum autem de eorum origine, nomine ac fine.

Cœnobitarum natales à primitiuâ Ecclesiâ. *Cassia. collat. 18. c. 5.* Quod *primum* spectat, *Cœnobitarum* disciplina (inquit Cassianus) *à tempore prædicationis Apostolorum sumpsit exordium, talis enim tunc erat omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in Cœnobijs inuenire difficile est.* Eadem est sententia Chrysostomi homil. 11. in Act. Apostolorum, & libro 3. *contra vituperatores vitæ Monasticæ*, Hieronymi in Catalogo agentis de Philone. Augustini, serm. 1. & 2. *de communi vitâ Clericorum.* Isidori, lib. 7. Etymolog. cap. vltimo.

Basil. in constitut. Monast. c. 19. *A Christo.* Basilius verò ab ipso Christo *Cœnobiticæ* vitæ formam asserit institutam, sic enim ait: *Hi Liberatoris eiusque vitæ, dum inter nos versaretur, institutorum veri, perfectiq. imitatores existunt. Quemadmodum ille cætu discipulorum choro communia cuncta, seque ipsum communem Apostolis præbuit, ita hi quoq. Antistiti suo obtemperantes (qui modò vitæ suæ præscripta rectè conseruant) genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur.* Sic ille. *Turrecre. Tract. 8. in Reg. S. Benedict.* Cardinalis verò Turrecremata altiùs ascendens, ait *Cœnobitarum* genus quoad aliquid initium sumpsisse à Cuneis Prophetarum. *A Prophetis quidam putant.* Vnde Samuel dicitur primus instituisse Religiosorum conuentus ingiter psallentium Domino, vt ait Magister in historiâ *1. Reg. 10.* Scholasticâ, super illud: *Obuiam habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium.* In talium congregatione laudauit Dominum Dauid, dicens: *Psalm. 110.* *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo: in consilio iustorum & congregatione.* Quod autem istorum Prophetarum conuentus personam Religiosorum repræsentarent, testatur Hieronymus, dicens: *Hieron. ad Rustic. Epist. 4.* *Filij Prophetarum, quos Monachos legimus*, &c. *Istud ergo solum* (vt Cassianus ait) *fuit antiquissimum Monachorum genus; quod non modò tempore, sed etiam gratiâ primum est.*

Cœnobitæ à vitâ communi appellati. *Cassian. supra.* *Secundò*, quod nomen spectat, dicuntur *Cœnobitæ* à communi vitâ, quia in congregatione pariter consistentes, vnius Senioris iudicio gubernantur. Vnde Cassianus ait: *Ex communione consortij Cœnobitæ, cellæque ac diuersoria eorum Cœnobia vocantur.* *Isidor. Etymolog. lib. 15. cap. 4.* Isidorus autem *Cœnobium* ità definit: *Cœnobium, est habitaculum multorum in commune viuentium: κοινὸς enim Græcè commune dicitur.* Plenius ab alijs ita describitur: *Cœnobium* est locus, vbi communis vita ducitur: nam κοινὸς, est *communis*, βίος, *vita*.

A *Tertiò*, finem siue Scopum *Cœnobitarum* ita apud Cassianum Ioannes Abbas exponit: *Finis*, inquit, *Cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, ac secundùm Euangelicæ perfectionis salutare mandatum, nihil de crastino cogitare. Quam perfectionem prorsus à nemine, nisi à Cœnobitâ impleri posse certissimum est.* *Abnegatio propriæ voluntatis Cœnobitarum finis.* *Cassian. Coll. 19. c. 8.*

Quod dicit *Cœnobitarum* scopum ac finem esse, *omnes suas crucifigere voluntates*; id mirificè consentit cum S. BENEDICTO, qui ait; *Cœnobitarum genus esse Monasteriale,* *Ex mente S. Benedicti.* *Cap. 1. Reg.* B *militans sub Regulâ vel Abbate.* Quid enim hoc aliud innuit, quàm abnegationem voluntatis propriæ, eiusdemque sub Regulæ vel Abbatis imperio, subiectionem? Hæc enim est disciplina illa, quæ in Dominici schola seruitij, quam Magister noster nobis construxit, docetur. Hinc ad eum sermonem totum dirigit, *qui abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Christo vero regi militaturus, obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumit.* *In Prolog. Reg.* Et iterum: *Ergo præparanda sunt corda nostra, & corpora sanctæ præceptorum obedientiæ militatura.* C *Cœnobitarum* ergo Regula à S. BENEDICTO scripta ipsum vitæ *Cœnobiticæ* finem statim in exordio, totoque deinceps Regulæ decursu inculcat. Hinc & Hieronymus de *Cœnobitis* ait: *Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quidquid iusserint facere.* *Hieron. Epist. 22.*

Quod verò S. BENEDICTVS ait: *Cœnobitas* militare *sub Regulâ vel Abbate*, intelligendum est eâ ratione dixisse, quòd olim ante Regulas conscriptas Abbatis imperio regerentur, cuius voluntas in omnibus *Regula locus explicatus.* D pro Regulâ ipsis erat: atque ita Cassianus dixit: *Cœnobitarum genus esse, qui in congregatione pariter consistentes, vnius Senioris iudicio gubernantur.* *Cass. collat. 18. cap. 4.* Sed communior interpretum sententia est, *vel*, hic non disiunctiuè accipi, sed copulatiuè; pro, *&*, vt sit sensus; *sub Regulâ & Abbate.* *Vel copulatiuè quandoq. sumitur, vti hic.* Passim enim ab Auctoribus obseruatum, *vel*, nō disiungere tantùm, sed copulare. Emmanuel Sà, *Et apud alios.* *Leuit. 17. 16.* vbi olim legebatur: *Quod si non lauerit vestimenta sua vel corpus, portabit iniquitatem suam:* notat *vel* positum pro, *&*, quod nūc est in Sixtinâ correctione. Quin E & Schardius in Lexico Iuridico, *vel* pro, *&*, sumi scribit, *l. sæpe. ff. de verb. signif.* l. *cum quidam ff. eod. tit.* Quando autem disiungat, aut non, discutit Bartolus. *l. suprà iter ff. aqu.* & *aquâ plu. arcenda.* S. verò BENEDICTVS sæpius hâc disiunctiuâ pro copulatiuâ vtitur; vt in Prologo: *Succinctis ergo fide* vel *obseruantiâ bonorum actuum lumbis nostris.* *Et crebrius à S. Benedicto.* Item: *Memor sit Abbas, quia doctrinæ suæ* vel *discipulorum obedientiæ, &c. facienda erit discussio;* *Cap. 2.* *Scurrilitates verò* vel *verba otiosa, & risum mouentia, æternâ clausurâ in omnibus locis* *Cap. 6.*

damna-

Cap. 17. Cap. 18.

damnamus. Iam de nocturnis vel *matutinis digestimus ordinem psalmodiæ. Si exhibuit vstionem excommunicationis* vel *plagas virgarum.* Nam ex ipso textu patet hos esse distinctos correctionis gradus. Lemma cap. 37. est: *De senibus* vel *infantibus*; vbi in textu est, *Ætatibus senum & infantum.* Et hunc ipsum, de quo agimus, locum, sic olim intellectum liquet ex Clemẽte III. qui de Bartholomæo Monacho ait, *quòd sub Regulâ & Abbate Deo militans, in Diaconatus Ordinem sit promotus.* Cœnobitæ ergo militant sub Regulâ & sub Abbate. Sub Regulâ, quia obedientiam secundùm Regulam professi sunt, sciuntque non licere *collum excutere de sub iugo Regulæ.* Sub Abbate, quia ipsa Regula iubet, *Præceptis Abbatis in omnibus obedire.* Et: *Alieno iudicio & imperio in cœnobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Si quis contrarius extiterit Sanctæ Regulæ & præceptis Seniorum suorum*; ab Abbate corripiendus & puniendus est, iuxta mensuram à Regulâ præscriptam. Non disiungendus proinde Abbas à Regulâ, aut Regula ab Abbate, qui viuens quodammodò suorum est Regula; & illa Superior mortuus.

Extra. de corp. vit. c. ex parte 1.

Probatur de loco allegato. Cap. 58. Cap. 4. Cap. 5. Cap. 23.

DISQVISITIO VI.

Cur Cœnobitarum genus S. BENEDICTVS *appellauerit fortissimum?*

ENVMERATIS quatuor Monachorum generibus, quodnam ceteris antecellat, breuiter S. BENEDICTVS declarat, verbo dicẽs, *Cœnobitarum genus esse fortissimum.* Et quidem de Sarabaitis, ac Gyrouagis nulla hîc quæstio. *Quid enim opus*, ait Augustinus, *vt verbis nostris comparentur ebriosi cum sobrijs, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis?* Agendum ergò de solis Anachoretis, & *Cœnobitis*. Angelicus autem Doctor positâ quæstione, vtrum perfectior sit Religio in societate viuentium, quàm agentium solitariam vitam? post multa ita concludit: *Sicut ergo id quod iam perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur: ita vita solitariorum, si debitè assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima: nisi per diuinam gratiam suppleatur, quod in alijs per exercitium acquiritur, sicut patet de beatis Antonio & BENEDICTO.* Eandẽ quæstionem anteà disputauerat Basilius, qui non tantùm cœnobiticam præfert viuendi rationem, sed tot etiam responsi sui adfert rationes, vt quæstionem hanc planè absoluat, quem proinde instar omnium audire hîc iuuerit: *Equidem*, inquit, *ad multas ego res vtilius esse intelligo, si vno & eodem in loco plures viuant vnà: ac* PRIMÒ *quidem quod nostrûm est nemo, in quo vno ad res sibi necessarias ad vitam parandas esse satis præsidij possit, quando in his inquirendis, vicissim alios aliorum videmus operâ indigere. Hoc autem nimirum, vt alij vicissim aliorum operâ indigeremus, eo consilio statutum est ab opifice nostro Deo, vt officiorum permutatione, inter nos dando, accipiendoque hanc, ad mutuam coniunctionem, caussam haberemus.*

Cœnobitæ ceteris Monachis præferuntur. August. in Psalm. 132. Thom. 2. 2. q. 188. art. 8. Anachoretæ verè ijs præeminent. S. Basilius Cœnobitas prefert Anachoretis, multis ex caussis. Basil. in Reg. fus. disput. reg. 7.

PERSONÆ MONASTICÆ

I Socialis vitæ emolumentum.

SECVNDÒ, *In huiusmodi vita à ceteris secessione, illud etiam est incommodum, quod neque peccare se facilè quis intelligit; quippe qui neminem habeat, à quo & arguatur leniter, & clementer corrigatur. Quo fit vt in eum illud conueniat:* Væ soli; quoniam cùm ceciderit, non habet subleuantem se.

II. Eremitarum solitudo periculosa. Eccles. 4.

TERTIÒ, *Illud etiam accedit, quòd qui plures simul eodem in loco congregati sunt, ij pluribus etiam possunt simul præceptis satisfacere. Quod contra est in eo, qui solus est: dum enim vnum exequitur, ab alio impeditur. Veluti ægrum visitans, hospitem non potest recipere: neque in opere faciendo studium retinere, qui in partiendis distribuendisque ad vsum vitæ necessarijs rebus occupetur: præsertim quando in ministerijs hisce obeundis Fratres diutiùs necesse sit detineri.*

III. Cœnobitæ subsidio mutuo fulciuntur.

QVARTÒ, *Quòd si omnes in vnâ spe vocati, vnum corpus sumus, & caput Christum habemus; singuli autem vicissim alij aliorum membra: profectò nisi in hoc conspirauerimus, vt ad similitudinem corporis vnius, in Spiritu sancto nexi, aptique inter nos simus, ac non seorsim quisque disiunctam à reliquorum communione vitam instituerit, qui fieri poterit, vt in huiusmodi distractione, & quasi auulsione, mutuam inter ipsa membra conuenientiam, mutuaque præstemus officia? Neque enim in tali seiunctione res patitur, vt gaudenti quis congaudeat; aut patienti compatiatur: siquidem ea separatio facit, vt alter alterius statum non norit quidem.*

IV. Sunt vniti ideoque fortiores.

QVINTÒ, *Cùm nemo vnus idoneus sit, qui dona spiritualia omnia suscipiat, illud vsu venit in vitæ consociatione, vt donum, quod in vnoquoque est peculiare, id aliorum quoque commune sociorum fiat.* Alij enim datur sermo Sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij prophetia, alij gratia sanationum, *&c. Quæ singula qui habet, is non suâ magis, quàm aliorum causâ habet. Quamobrem necesse est in vitæ * societate, quæ in vno aliquo est spiritus efficacia, eam in vniuersis simul peruadere. Igitur qui seorsim à ceteris vitam degit, is vnum aliquod fortasse donum habet: & illud ipsum, eò quod nihil exerceat, sed in seipso defossum detineat, inutile facit. Contra verò, vbicumque multorum societas viget, eo fruitur quisque, quod suum est: & ex alienis nihilominus, vt suis, fructum capit.*

V. Inter ipsos est charismatum participatio. 1. Cor. 12.

* in communi vita.

SEXTÒ,

PERSONÆ MONASTICÆ.
VI.
Anachoretæ non tot exercendæ virtutis occasiones suppetunt.

SEXTÒ, *Adde, quod periculum etiam huiusmodi solitariam vitam comitatur, & assidet præter iam dicta: primum quidē & maximum, ne qui eam degit, is sibi veluti planè iam perfectionem adepto blandiatur. Cùm enim neminem in eâ sit habiturus, qui iudicare possit de his, quæ ab ipso fiant, cumulatissimè se omnia præstitisse arbitrabitur. Ex quo illud sequetur, vt cùm animi habitum, quem habet ad virtutem, assiduò apud se compressum tenuerit, ac veluti introclusum; neq; quibus rebus destituatur, intelligat: neque progressionem vllam, quam in virtutibus faciat, videat: quippe qui vndique materiam sibi exercendorum mandatorum omnem ademerit. Quâ enim re humilitatis suæ documentum dabit, qui neminem habeat, quo se humiliorem declaret? Quod item specimen edet suæ in alios commiserationis, à plurium communione dissectus, cui cum nullo penitus commercium sit?* Hactenus Basilius. Plura videre licet apud Turrecrematam, Tract.7.in Regulam S.BENEDICTI, & Hieronymum Platum.

Lib. 1. de bono Stat. Rel. cap.19.

Sed iuuat exemplo, & cælesti quâdam visione Cœnobiticæ vitæ prestantiam cōprobare, describitur apud Pelagium hoc modo. *Narrauit*, inquit, *aliquis Patrum, vidisse se quatuor Ordines in Cælo; quorum primus ordo erat hominum infirmorum, & gratias agentium Deo: secundus verò hospitalitatem sectantium, & instanter ministrantium eis: Tertius ordo in solitudine conuersantium, & non videntium homines: Quartus ordo eorum, qui ad obediendum Spiritualibus patribus se subijciunt propter Deum. Vtebatur autem ordo obedientium torque aureâ & coronâ, & maiorem* A *quàm alij gloriam habebat. Et ego dixi ei, qui mihi ostendebat omnia hæc: Quomodo iste Ordo, qui paruus est, maiorem quàm alij gloriam habet? Et ille respondens, dixit mihi: Quia qui hospitalitatem sectantur, secundùm propriam voluntatem idipsum faciunt. Similiter & qui in eremo se relegant, arbitrio suo de sæculo recesserunt. Hic autem ordo, qui se ad obediendum dedit, omnes voluntates suas abijciens, pendet ad Deum & ad iussionem Patris Spiritualis, proptereà & maiorem gloriam alijs habet. Quapro-* B *pter, ô fili, bona est obedientia, quæ propter Deum fit.* Hæc ibi. Quare non adeò mirandum, Abbatem illum Ioannem, de quo Cassianus, cùm triginta annos in Cœnobij congregatione egisset, aliosque viginti in solitudine, & vtrosque in summâ sanctitate, demum in illâ ætate, in illâ etiam sapientiâ tam prouectâ, ad priorem vitæ communitatem sese vltrò retulisse. Facti caussam rogatus, respondit: *Eremi fructibus non posse postponi* præceptum Euangelicum, *vt* C *scilicet de crastino nihil cogitaret, & vsque ad finem subiectus Abbati, illum imitaretur, de quo dicitur: Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, & cum illo mereretur dicere; *Quia non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris*. Ex his igitur colligas meritò hoc Monachorum genus dici fortissimum: quamuis negandum non sit ad Anachoresim, maiorem quandam animi constantiam, & robur esse necessarium, vt cùm vaferrimo & fortissimo hoste, solâ manu vel brachio sufficiant pugnare: Sed procliuior ibi lapsus, vbi fraternâ ex acie nullus adfert suppetias.

Lib. 5. de vit. Pat. libello 14. num.19.
Obediens Cœnobita præfertur solitario.
Aureola Obedientiæ.
Cassia. collat.19. cap.3.
Ioannes Abbas ex Eremitâ fit Cœnobita.
Ibid. cap.6.
Non sine caussâ.
Philipp. 2.
Ioan.6.

TRACTATVS III.

DE COENOBITARVM HABItaculis, eorumque in ijs numero, & ordine.



VIDIMVS *Monachorum hactenus genera, lustremus nunc, & quà licet, illustremus eorumdem mansiones &* Habitacula: Numerum *inhabitantium, & quem inter se seruent* Ordinem, *quæ sex Disquisitionibus expediuntur.* Prima, *Quibus nominibus Cœnobitarum habitacula appellata?* Secunda, *Quo modo construenda Cœnobia.* Tertia, *Quot in vnoquoque constituendi Cœnobitæ?* Quarta, *Quis in Congregatione seruandus ordo?* Quinta, *Quibus ex caussis possit alijs præponi, aut postponi?* Sexta, *An à tempore professionis, an ab ipso Monasterij ingressu hic ordo desumendus?*

DISQVI-

DISQVISITIO I.

Cœnobitarum habitacula quibus nominibus appellata?

Monachorum habitacula dicta I. *Cœnobium.*



PLVRIBVS rem vnam appellari nominibus, vt frequētissimum, ita quoque passim reperire est in Monachorū domicilijs siue habitaculis accidisse. *Primo* enim, dicta sunt COENOBIA, quâ consideratione & huic libro COENOBII titulum dedimus. Porrò COENOBIVM etiam apud Ethnicos Philosophos vsitatū fuisse, & quoddam *Cœnobiticæ* vitæ specimen ab ipsis adumbratum, docet Agellius, qui de Pythagoræorum disciplinâ agens: *Omnes*, inquit, *simul, qui à Pythagorâ in cohortem illam disciplinarū recepti erant, quod quisquis familia pecuniæque habebant, in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis; tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re, atque verbo appellabatur* κοινόβιον.

Agell. lib. 1. noct. Atticar. cap. 9.

II. *Monasterium.*

Secundò, à Monachorum nomine locus habitationis eorū vsitatissimè dicitur MONASTERIVM. Inter *Cœnobium* autem & *Monasterium*, hanc Piammon Abbas apud Cassianum tradit differentiam: *Licet*, inquit, *à nonnullis soleant indifferenter* Monasteria *pro Cœnobijs appellari, tamē hoc interest, quod* Monasterium *nomen est diuersorij, nihil amplius quam locum, id est, habitaculum significans, Monachorum:* Cœnobium *verò etiam professionis ipsius qualitatē disciplinamq; designat. Et* Monasterium *potest etiam vnius Monachi habitatio nominari;* Cœnobium *autem appellari non potest, nisi vbi plurimorum cohabitantium degit vnito communio. Dicuntur sanè* Monasteria *etiam, in quibus Sarabaïtarum collegia cōmorantur.* Ita ille. Quæ distinctio ab ipsis petita vocabulis proba satis apparet: non enim vnius Monachi habitatio potest dici *Cœnobium*, quia communis vita multorū est, non vnius. Sic *Monasterium* à solitudine deductum, non multorum, sed vnius significat mansionem. Ita Philo ait: *Vnicuique sacrum domicilium est, quod* Monasterium *vocatur, in quo manentes sanctæ vitæ mysteria celebrant.* Sic & alibi aliquando Anachoretæ, qui sibi cellulas ædificabant, dicuntur *Monasteria* construxisse.

Cassian. Collat. 18. cap. 18.

Distinctio inter Cœnobium, & Monasterium.

Philo lib. de vit. contempl.

Haud ita vsitata.

Verùm hæc distinctio vix est in vsu, & plerumque hæc vocabula pro eodem solēt accipi. Vnde & S.P.N. BENEDICTVS *Cœnobitarum* genus appellat *Monasteriale*. Quod si *Cœnobitæ* ijdem sunt, qui & *Monasteriales*; ergo etiam *Cœnobium* idem erit quod *Monasterium*. Atque hoc nomine passim totâ Regulâ habitationem Monachorum idem Legislator designat.

III. *Mone, id est mansio.*

Tertiò, præcedenti affine vocabulum est, Μονὴ, quod apud Scriptores sæpè occurrit, & Nazianzenus ita definit: *Monasterium est collecta salutis comparādæ caussâ multitudo.* Sine, vt Latino Iambo expressit Morellus:

Nazianz. Iamb. 15.

Μονὴ *saluti quæ studet tota cohors.*

Μονὴ dicta est quasi *mansio*, hinc & apud Latinos Ecclesiasticos Scriptores nomē *Mansionarij*. Malè verti ab Interprete Codini *Ædem*, cū sit *Monasterium*, obseruauit Meursius: Vide Gretseri notas ad orationē Pantalconis Presbyteri Monasterij Byzantinorum.

Non benè vertitur ædes.

IV. *Semneum.*

Quartò, Philoni quoque dicitur σεμνεῖον: *Singulis*, ait, *Therapeutis est domus sacra, quod* Semneum, *& Monasterium appellatur, in quo solitarij venerandæ vitæ mysteria peragunt.* Suidas quoque & Moschopulus σεμνεῖον interpretantur *Monasterium*.

Philo de contempl.

V. *Mandra, siue Ouile.*

Quintò, appellatur μάνδρα apud Theodorum Anagnostū: nimirùm vt fideles oues, eorumque rectores Pastores nominati; ita loca, quæ Religiosi ad Deo cultū exhibendum inhabitant, μάνδραι, siue, *ouilia*, rectè nuncupātur. Quo sensu Cęsarius Arelatēsis ait: *Si quo relictis parentibus suis sæculo renuntiare, & sanctum* Ouile *voluerit introire, vt spiritualium luporum fauces Deo adiuuante possit euadere, vsque ad mortem suam de Monasterio non egrediatur.* Sic quoque S.P.N. BENEDICTVS de Sarabaïtis ait: *Eos sine Pastore non Dominicis sed suis inclusos ouilibus.* Hinc Monachorum Superior dictus *Archimandrita*, apud Iustinianum, *Nouell.* 5. & 123. In Ordine S. Basilij Superiores *Archimandritæ* nominantur.

Eclog. 1.

Cæsar. in Reg. art. 1.

Reg. cap. 1.

Hinc Archimandrita.

VI. *Laura, quæ differt à cœnobio.*

Sextò, Monastica habitatio pluribus locis in Prato spirituali, & apud alios Auctores, vocatur LAVRA: quam à Cœnobio distinguit Benedictus Gononus, quod in hoc Monachi viuāt socialiter, & in commune, sub Abbate; in *Laurâ* licet subditi sint Abbati, tamē solitariam & Eremiticam vitam ducāt, in longè ab inuicem separatis cellis habitantes. Suidas *Lauram* interpretatur angustam Monachorū domum. Verùm, vt Godefridus Tilmannus annotauit: *Lauram* neoterici Gręci insigne dicūt Monasteriū, pro magnâ hominū copiâ, quæ deuotionis ergò instar multarum aquarum confluunt. Et hodieq; montis Atho incolæ Monachi sua Cœnobia vulgò *Lauras* nuncupant.

Gonon. in vit. Pat. orient. not. ad vit. S. Quiriaci.

Tilman. in Schol. ad Antioch. homil.

VII. *Asceterium.*

Septimò, dicitur quoque ἀσκητήριον, quasi dicas *Exercitatorium*. Apud Iustinianum Nouell. 105. & Latinè apud S. Eugenium,

PERSONÆ MONASTICÆ.

epist. ad Willinsindum Episcopum Pampilonensem.

VIII. *Phrontisterium.* Nazianz. orat. 21.

Octauò, φροντιστήριον appellatur à Gregorio Naziãzeno, quod Suida Interprete, Monasteriũ significat. Alij volunt esse Scholam, curarum domum. Nimirùm, φροντὶς, curam, solicitudinem, commentationem, cogitationem significat: hinc commune verbum in ore omnium; Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Cicero: *Posteriores enim cogitationes (vt aiũt) sapientiores solent esse.* Cœnobia igitur dicta *Phrontisteria*, quod in ijs sacris commentationibus, pijsque cogitationibus, velut in Scholâ quadam Monachi operam dent. Quare & S. BENEDICTVS affirmauit, à se constitui *Sholam Dominici seruitij*. Et Theodoretus in Philotheo, scribit à Marciano excitata *Philosophiæ Gymnasia.*

Cic. Philipp. 12.

Theodor. cap. 3.

IX. *Agneuterium.* Nazianz. Orat. 1. in Iulian.

Nonò, ab eodem Nazianzeno Monachorum mansiones dictæ ἁγνευτήρια; ità enim scribit: Ἔτι δὲ καταγώγια πήξασθαι καὶ ξενῶνας, ἁγνευτήριά τε καὶ παρθενῶνας καὶ φροντιστήρια. *Construere etiam diuersoria, Xenodochia eorum qui castimoniam colunt, Virginumq́; habitacula, ac phrontisteria.* Ἁγνευτήρια, ait Budeus, dicta sunt, quia ibi mens expiari debet, & à contagione vitæ ciuilis expurgari. Ἁγνεύω enim significat purus sum, castimoniam colo, seruo castitatem.

Bud. in Cõment. linguæ Græc.

X. *Hesychasterium.*

Decimò, Manuel Comnenus, Bulla medicatrice, ἡσυχαστήρια cellulas Anachoreticas, & habitacula Monastica simul nominauit. Cùm autem ἡσυχία significet otium, quietem, silentium, *Hesychasteria* dici queant *silentiaria*. Monachorũ siquidem est à tumultibus sæculi quiescere, nec turbari erga plurima, atque in silentio, & spe fortitudinem suam constituere. Hinc ipsi Monachi Iustiniano dicti ἡσυχασταί. Et hæc quidem aliaque Græca *Cænobiorum* sunt nomina.

Nouell. 5.

XI. *Cænobia Latinè dicta Claustra.* Reg. cap. 4. Cap. 67.

Vndecimò, Latinè Religiosorũ habitacula saltem apud Ecclesiasticos CLAVSTRA nominata reperiuntur. Ipse S. P. N. BENEDICTVS cum addito vocat *Claustra Monasterij. Officina*, inquit, *vbi hæc omnia diligẽter operemur*, Claustra *sunt* Monasterij. Et: *Similiter qui præsumpserit* Claustra Monasterij *egredi, vel quocũq; ire*, &c. Alij simpliciter *Claustra* vocant. Eucherius Lugdunẽsis in quâdam ad Monachos homiliâ: *Id Professio nostra in* Claustris *à nobis requirit, vt contra proprias cõcupiscẽtias repugnemus.* Et paulò pòst: *Multò peiores in* Claustro *efficimur, quàm eramus in sæculo.* Eugenius Papa apud Gratianũ: *Placuit nostro cõmuni consilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire ausu nefandissimo præsumat. Sit Monachus* Claustro *suo contentus*, &c. S. Bernardus quoque: *Verè Claustrum*, inquit, *paradisus est.* Quamquam & *Claustrum* non rarò pro particulari illa Monasterij parte sumatur, quæ quadrãgulari murorum ambitu circumcincta, & columnis plerumq́; exornata, *ambitus, Peristylium, Xystus*, & *Porticus* solet appellari.

16. q. 1. cap. Placuit 2.

Bern. serm in festo S. Nicolai.

XII. * Cõment. in 211. S. Ben. præfat. num 14.

Duodecimò, Monasterium etiam CELLA appellatur, de quâ voce alibi à nobis * actum, & rursum agendum.

Vtiliter hæc recensemus.

Sed dicet aliquis; Quæ, obsecro, vtilitas in recensendis tot Monasticarum ædium nominibus? Respõdeo, non sine fructu hæc commemorari; quot enim nomina, tot ad pietatem stimuli & incitamenta: Ipso enim *Cænobij* nomine statim admonemur cõmunis vitæ, & quod nobis debeat esse *cor vnũ & anima vna*, nihil proprium, sed omnia communia, vt ita degustemus, *quàm bonum & quàm iucundum, habitare Fratres in vnum.*

Cænobium monet nos vnitatis. Act. 4. Psal. 132.

Monasteriũ solitudinis.

Monasterij nomen solitudinem inculcat, & quàm deceat summæ illi atque sanctissimæ Monadi esse intentos, atque omnibus renuntiare diuisibilibus. Quis *Mandram* se inhabitare cogitans, non sentit tacitè moueri se, vt ouinã simplicitatem, humilitatẽ, & obedientiã in moribus exhibeat, suumq́; *Archimãdritam*, velut animæ suæ Pastorem agnoscat & sequatur? *Laura* angustias attendenti illud quasi ingeritur, *per angusta ad augusta*, & quantumuis arcta sit habitatio, vel monastica cellula, quod tamen

Mandra simplicitatis, &c.

Laura amplitudinis calorum.

Amplior in cælo domus est, & amænior aula.

Asceterium pugna. 1. Timoth. 4. 7.

Si in *Asceterio* te morari recordaris, strenuum *Ascetem* te præbe, & Apostolicum illud auribus tuis cõtinuò insonare existima: *Exerce teipsum ad pietatẽ. Phrontisterium* te hortetur *solicitum ambulare cum Deo tuo. Solicitudine non pigrum, spiritu feruentem, Domino seruientem.* Deuotã castitatem, animæ puritatem & sanctimoniã suo iure & vocabulo exigere videtur *Agneuterion*. Monachorum enim est ab omni pollutione mentis & corporis prorsus expiari, *animas suas castificantes in obedientiâ Charitatis, in fraternitatis amore.* Vt S. Petrus monet. Qui se *Hesychasterij* nouerit incolam, meminisse debet ex Legislatoris nostri præscripto, *omni tempore silentio studere* debere Monachos. Cui in *Claustro* sedenti Propheticum illud non aliquãdo occurrat, *Quam speciosa tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! vt valles nemorosæ, & horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas.* Et illud Saluatoris: *Tu autẽ cùm oraueris, intra in cubiculũ tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Phrontisterium solicitudinis. Mich. 6. Roman. 12.

Agneuteriũ castitatis.

1. Petr. 1. *Hesychasterium silentij.* Reg. cap. 42. Num. 24. 5. *Claustrum recollectionis.* Matth. 6.

Cella cæli. Bernard. ad Fratres de monte Dei.

Cella denique in cœlum Cœnobitæ mentem sustollit, dicente Bernardo: *Cella & cæli habitatio cognatæ sunt; quia sicut* cœlum & cella *ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim* cœlum & cella *nomen habere videntur; & quod celatur in* cœlis, *hoc & in* Cellis;

lis; *quod geritur in* cœlis *hoc & in* cellis. *Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cùm secundùm ordinem piè & fideliter celebretur in* Cellis; *audeo dicere, sancti Angeli Dei* Cellas *habent pro* cœlis *& æquè delectantur* in Cellis *ac in* cœlis.

DISQVISITIO II.

Quomodo construenda Cœnobia?

S. Benedictus præscribit modum, ædificandi Monasterij.

OPPORTVNE autem hîc illud explicabitur, quod idem accuratissimus Monachorũ Magister non neglexerit præscribere, quâ formâ Monasterium esset ædificandum; ità enim ait: *Monasterium autem si possit fieri, ita debet construi; vt omnia necessaria, id est, aqua, molẽdinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur: vt non sit necessitas Monachis vagandi foras; quia omninò non expedit animabus eorum.* Doctrinam hanc, vt pleraque alia à maioribus S. BENEDICTVS accepit, & videtur imitari voluisse hac in parte Isidorũ illum, cuius amplissimum Monasterium Ruffinus & alij describũt: *Vidimus*, inquit, *& apud Thebaidam etiam Isidori nominatissimũ Monasterium, amplissimis spatijs circumseptum, muroq́ circumdatum, in quo habitantibus viris, larga præbebantur habitacula. Intrinsecus putei plures, horti irrigui, omnium quoque pomorum arborumq́ paradisi, & quæcumq́ necessaria vsibus erant, sufficiẽter, imo & abundanter prouisa; ob hoc, vt nulli Monachorum habitantium intrinsecùs, necessitas vlla fieret exeundi foras ad aliquid requirẽdum. Senior quidam vir grauis, & de primis electus, ad ianuam sedens, hoc habebat officij, vt aduentantes eâ lege susciperet, quâ ingressi vltrà non exeant. Si ergo semel ingredi placuerit, stat immobilis lex; sed quod est admirabilius, ingressos non iam legis necessitas, sed vitæ beatitudo retinet ac perfectio.* Hactenus ille. Tãtâ igitur amplitudine, hic Isidorus, eumq́; secutus P.N. BENEDICTVS, exeundi licentiã voluerunt restringere. Cuius caussam assignat, quòd omninò non conueniat animabus Monachorũ. Hinc tritum illud, & à S. Antonio inculcatum: *Sicuti pisces extra aquam, ita Monachi extra Monasterium.* Hinc & S. Bernardus dicebat: *Meritò stagnis Monasteria comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces, euagandi non habeant libertatem, quo videlicet parati sint semper ad epulas spirituales.*

Cap. 67. Reg.

Imitatus Isidorum, cuius Monasterium amplissimum.

Ruff. lib. 2. de vit. Patr. cap. 17.

Omnibus abundabat.

Ne Monachi egrederentur.

Nec expedit.

Bernard. serm. 1. de S. Andreâ.

Notandum autem tanti habitum S. BENEDICTI de Monasterij constitutione decretum, vt illud nõ pro Monachis tantùm & Monialibus, sed etiam pro Canonicis in Concilio Moguntino tempore Caroli Magni fuerit insertum, sic autem ait: *Dignum ac necessariũ est, vt Missi per quæq́ loca directi, A simul cum Episcopo vniuscuiusq́ Diœcesis, perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum, similiterq́ puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, vbi commodum necessarium possit acquiri, quod ad vtilitatem pertinet Monasterij, sicut in sanctâ Regulâ dicitur:* (scilicet BENEDICTI Cassinensis, *cap.* 35. & 57. & alijs) *Monasterium autem ita debet constitui, vt omnia necessaria infra Monasterium exerceantur, vt non sit necessitas Monachis vel Clericis vagandi foras, quia omninò non expedit animabus eorum. Similiter quoque B ædificia Monasteriorum supradicti Missi, & cùm eis Episcopi, per diuersa loca prouideant, si apta sint, & congruenter sanctæ professioni composita; vel si claustrum firmum habeant, in quo saluari possint animæ in eis commorantium sub disciplinâ canonicâ vel regulari. Vbi autem aliter inuentum fuerit, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari; ita vt condignam professioni eorum custodiam habeant Canonici, vel Monachi, atque Nonnanes, ne detur eis occa- C sio malefaciendi, quod absit.* Hæc ibi.

Quanti æstimatum hoc S. Benedicti decretum.

Conc. Mogunt. 1. Canon. 20.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Clericis præscriptum à Patribus Concil. Moguntini.

Notat præterea Boërius, ex ijs quæ S. BENEDICTVS hîc intra Monasterium vult concludi, *aquam* nimirùm, *molendinum, hortum, pistrinum*, & diuersarum *artium* officinas, colligi Monasteria non construenda in vrbibus, ad hoc citans Hieronymum, sic loquentem: *Si cupis esse, quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique nõ sunt solorum habitacula, sed multorum?* Et cap. *iuxta*, vt proximè visum est. Item cap. *numquam*; ex Hieronymo interrogat: *Numquid omnes peribunt, qui in vrbibus habitant? Respondetque se non de Clericis dispu- D tare, sed Monachum instituere.* Insinuans Clericos in vrbibus esse posse, non autem Monachos.

An Cœnobia in vrbibus statuenda ex mente S. Benedicti.

Hieron. Epist. 13. ad Paulin.

16 quæst. 1. cap. iuxta. Epist. 5. de Consecrat.

Differendum hîc vlteriùs foret de Monasterij architecturâ, singulorum locorum situ, & ædificiorum formâ, si de ijs quidpiam in particulari Legislator noster statuisset. Magnam tamen eius rei habitam rationem, & non nisi ex præscripto S. Patris ædificia fuisse extructa, inde constat, quòd in vitâ eius legantur Fratres habitacula cellæ sibimet construxisse, & obortâ difficultate ad eũ recurrisse. Cùm ad Mo- E nasterium iuxta Tarracinensem Vrbem fundandum Fratres misisset, euntibus spopondit, dicens: *Ite, & die illo ego venio, & ostendo vobis in quo loco oratorium, in quo refectoriũ Fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæq́ sunt necessaria, ædificare debeatis. Statuto autem die vir Domini in somnis apparuit, & loca singula, vbi quid ædificare debuisset, subtiliter designauit.* Non potuit autem generali lege præscribi, qua ratione Monastica ædificia essent disponẽda: propter varium locorum situm & opportunitatem, nam

Benedictina Cœnobia qui olim extructa.

Cap. 9. in vitâ.

Greg. Dial. lib. 2. c. 22.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Ad certam formam, cuius vestigia eruuntur. *Isidor. Cap. 1. Reg.*

quod hîc aptè potest fieri, alibi non item. Apparet tamen in Ordinis nostri Monasterijs antiquis nonnulla conformitas, quã vel traditione acceperint, vel vsus ipse comprobauerit. Isidorus sanè Hispalensis hæc de Monasterio præscribit. Primùm, *vt miram conclauis diligentiam habeat, & firmitatem custodiæ munimenta claustrorum exhibeant.* Secundò, *vt vnam tantùm ianuam extrinsecùs habeat, vnamque posticum, per quem exitur ad hortum.* Tertiò, *vt villa remota sit à Monasterio; ne vicinius posita aut labis inferat periculum, aut famam inficiat dignitatis.* Quartò, *Cellulæ Fratribus iuxta Ecclesiam constituantur: vt possint properare quantocyus ad officium.* Quintò, *locus ægrotantium remotus erit à Basilicâ, vel cellulis Fratrum: vt nullâ inquietudine, vel clamoribus impediantur.* Sextò, *Cellarium Monachorum iuxta cœnaculum*, id est, Refectorium, *esse oportet, vt sine morâ mẽsis ministerium præbeatur:* Septimò, *Hortulus intra Monasterium sit inclusus: quatenus dum intus Monachi operantur, nullâ occasione exteriùs euagentur*, Sic ille.

Monasterij habitacula ordine relata.

Sed & omnia Monasterij habitacula, siue officinæ ordine quodam recensentur in *Libro Sacramentorum S. Gregorij Papæ*, in quo habentur peculiares orationes, in aditu vel transitu singularum, vt arbitror, dicendæ. 1. *In introitu Basilicæ.* 2. *In Sacrario.* 3. *Vbi vestimenta seruantur.* 4. *In Refectorio.* 5. *In Dormitorio.* 6. *In Cellario.* 7. *In Scriptorio.* 8. *In Hospitali.* 9. *In Domo infirmorum.* 10. *In Areâ.* 11. *In Granario.* 12. *In Pistrino.* 13. *In Coquinâ.* 14. *In Lardario.* 15. *In Caminata*, siue Calefactorio. Ex his pleræq; in Processionali nostro Monastico præscribuntur dicendæ à Sacerdotibus, Dominicis diebus, dũ per Claustrum solennis fit Processio, vt videri queant hâc caussâ à S. Gregorio cõposite, adeoq; tam vetustum esse hunc per claustrum procedendi morem: cuius commoditatem etiam Eremitis suis suppeditauit S. Petrus Damiani, vt Ipse testatur. *Claustrum quoque iuxta Ecclesiam construi hâc intentione censuimus, vt si quem adhuc insolita Monasterialis ordinis consuetudo delectat, habeat vbi in præcipuis festiuitatibus solenniter ex more procedat.*

Antiquitas processionũ per Claustrum. Petr. Dam. opusc. 14. de ordine Erem. font. Auell.

Claustri IV. Latera ædificijs cincta.

Quamuis autem nonnullam reperire sit Monasteriorum ędificijs diuersitatem; veteri tamen consuetudine, quatuor latera Claustri, siue ambitus, Monachorũ habitaculis certo ordine dispositis cingebantur. Prodit id Petrus Blesensis: *Inde est*, inquit, *quod in Claustris Conuẽtuum quatuor loca cum proprijs deputantur officijs. In latere Claustri occidẽtali est scholaris subiectio: in eo quod contingit Ecclesiam lectio moralis: in ipsâ Ecclesiâ lectio spiritualis. Ad orientem in Capitulo correctio materialis.* Per *scholarem subiectionem* (vt Menardus ad cap. 55. Concord. Regul. annotat) intelligit Nouitios, qui olim sedebant in parte occidentali. Richardus Cremonensis Episcopus in *Mitrali*, citatus à Durando, eadem ferè enumerat ædificia, eorumdem topographiam, & tropologiam ita exprimens: *In Claustro*, inquit, *sunt quatuor latera, scilicet, contemptus sui, contemptus mundi, amor Dei, & amor proximi. Vnumquodq́ autem latus suum habet ordinem columnarum. Contemptus sui habet mentis humilitatẽ, carnis afflictionem, humilem sermonẽ, & similia. Basis omnium columnarum, est patientia. In hoc Claustro diuersitas officinarum, est diuersitas virtutum. Capitulũ est cordis secretum. Refectorium, dilectio sanctæ meditationis. Cellariũ, sacra scriptura; Dormitorium, munda conscientia. Oratorium, vita immaculata. Hortus arborum & herbarum, cõgeries virtutum. Puteus aquarum viuentium, irrigatio donorum, quæ hic sitim mitigant, & in futuro penitus extinguent.* Sic ille. Eundem officinarum ordinẽ ex Monachorũ imitatione in suis Claustris imitati sunt Canonici, vt patet ex Concilio Turonensi, *cap. 23.* Aquisgranensi, *cap. 117.* & decreto Leonis IX. apud Gratianum, *causa 12. qu. 1.* vide Molanum, *Lib. 1. de Canonicis, cap. 13.*

Serm. 25.

Durand. lib. 1. Rational. cap. 1. num. 43.

Topographicè, & tropologicè exposita.

Monasterij olim fixione Crucis inchoata ædificatio. Nouella 5.

Denique non pretermittendus & ille ritus in Monasterijs ędificãdis olim obseruarus. Primò, locus sacer fiebat crucis fixione, quam Greci σταυροπήγιον, seu σταυροπηγίαι appellabant. Iustinianus Imperator. *Episcopus manus extendat ad cœlum, & per orationem locum Deo cõsecret, figens in eo nostræ salutis signum, dicimus autem adorandam & honorãdam verè Crucem: sicque inchoet ædificium, bonum vtique hoc ac decens fundamentũ ponens.* Hinc illæ loquendi formæ; *sub Stauropegio*, vel, *Cruce Patriarchicâ*, vel *Episcopali esse*, id est, Patriarchæ, vel Episcopi iurisdictioni subiacere. Vide hunc ritum pluribus explicatum apud Gretserum, *Tom. 1. Lib. 2. de S. Cruce cap. 8.*

DISQVISITIO III.

Quot in vnoquoque Cœnobio constituendi Cœnobitæ?

Conc. Trid. sess. 25. c. 3.

Religiosorum numerus ex censu statuendus.

QVÆSITO huic satisfacere videtur Concilium Tridentinum, dicens: *In Monasterijs & domibus tam virorũ, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum cõseruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari.*

Sed vlteriùs quæri posset, an suppositis sufficientibus medijs satius sit duo parua exstruere Monasteria, quàm vnũ magnũ? Quâ quidem in re illud certum videtur, cauenda esse extrema; neque nimis magnum,

Inconueniencia ex maiori & minori numero.

gnum, neque nimis exiguum constituendum numerum. Ex maiori enim Religiosorum numero, maxima existit regēdi difficultas, vt videre licet in exercitu copioso: in minori vix potest satisfieri religiosis functionibus in choro, alijsque Monasticis munijs, vnoque aut altero ægrotante, tota facilè dissoluitur obseruãtia. De certo autem Religiosorum constituendo numero, non eadem omnibus semper fuit mens.

S. Benedictus initio duodenos Monachos cuiq; cœnobio dedit. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 3.

S. P. N. BENEDICTVS duodecim extruēs Monasteria, in ijs *statutis Patribus duodenos Monachos deputauit*, vt ait Gregorius. A S. Basilio hunc numerum fortassis didicerit, qui serm. 1. ait: *Quemadmodum lex spiritualis, pauciores esse quàm duodecim vetat illos, qui mysticum pascha mãducent: item quoque eorum qui spirituali vitæ simul operam dant, denarius numerus ampliandus est, quàm restringendus.*

Quem imitati Carthusienses.

Ita ille. Carthusiani quoque in principio Ordinis statuerunt tredecim tantùm cellas Monachosque constituendos, vt habet

Petr. Sut. de vit Carthu. lib. 1. tract. 3. cap. 4.

Petrus Sutor, cuius caussã assignat, quòd corporeo labori, animalibusque alendis operã nauantes, inde pauperem vitam sustentare decreuerint. Si autem plures admitterent, forsitan vagari cogerentur. Addit deinde, duodecim fuisse filios Iacob, quibus si patrem addideris, numerus præfatus resultabit. Duodecim virgas à duodecim tribubus, & vnam ab Aaron Moyses accepit. Christus duodecim annumeratus Apostolis, hunc quoque decorat numerum. Postcà tamen plures admissi sunt, quod ità suaderet conuertentium feruor, & vt essent qui senibus iam decrepitis, onus Ordinis & officia subirent.

Accedebat, quod eleëmosynæ & fundationes sensim multiplicarentur, vt metus non subesset alicuius defectus rerum necessariarum.

Habentur tom. 1. Annal. Capucin. *Capucini olim paucos admittebant.*

Primæ Capucinorum Constitutiones editæ anno 1529. in Congregatione Aluacinæ coacta, ita habent: *Statuimus vt conuentum familia septimum vel octauum Fratrum numerum non excedant, præterquam in magnis ciuitatibus, vbi decem vel duodecim circiter Fratres commodè habitare poterunt. In reliquis vrbibus, aut Oppidis non ampliùs quàm septem vel octo Fratres commorentur: ob id potissimùm vt perfectiùs, & absque impedimento, Regula ac sancta paupertas obseruentur. Ea siquidem erat S. Patris Francisci voluntas, vt in chronico Ordinis habetur; vt pauci dumtaxat Fratres in locis degerent.*

S. Teres. in vit. suâ cap. 40. *S. Teresia Discalceatis idipsum denunciare iubetur.*

Inter quatuor illa monita, quæ Dominus S. Teresiæ reuelauit Discalceatis Patribus suo nomine denuntianda, secundum erat, *vt quamuis plures esset conuentus, in singulis tamen pauci essent Monachi.* Tanti autem hoc aliaque tria monita Dominus dixerat esse facienda, vt quamdiu illa seruarent, *Religio* A *quotidie magis ac magis cresceret; at si neglegerent, à suo principio & fundamento se scirent Fratres declinare.*

PERSONÆ MONASTICÆ *Caussa huius paucitatis.*

Non fuit autem minoris huius Monachorum numeri ea quam quidam dixit caussa, quòd nimirùm pro multis eleëmosynæ, cum magna distractione & solicitudine corrogari soleãt; sed vt ait P. Nicolaus à Iesu Mariâ: Vt Superiores meliùs subditis attendere, pleniùs prospicere, eorumque conscientias accuratiùs moderari valerēt. Pluribus enim non ęquè potest inuigilare Superioris industria.

In Apolog. vit. Spirit. propos. 88.

Idipsum fortassis & alij, interque eos S. P. B BENEDICTVS, in mente habuerunt, & primi illi Cistertiensis Ordinis imitatores hac in parte S. P. imitandum duxerunt; de quo ista continuator Sigeberti Robertus de Monte.

Primi Cistertienses pauco numero. Rob. de Mont. 1107.

Et sicut ille (BENEDICTVS) *per duodenos Monachos Monasteria constructa adiũcto patre disponebat, sic se facturos confirmabant.* Et Ioannes Craesbeeck ait: Auctoritate Ordinis nostri Cistertiensis statutum est, vt ad institutionem & fundationē noui Monasterij minùs quàm duodecim Religiosi cum Abbate, qui esset decimus tertius, C non mitterentur.

Craesbeeck comment. ad cap. 17. Reg. dist. 3. definit cap. 1.

Sed vt ad S. BENEDICTVM redeamus, videtur tantùm sub initium fundati à se Ordinis, Monachorum numerum ad duodecimũ voluisse restringere, idque in Sublacensibus dũtaxat Monasterijs fecisse.

S. Benedictus postea plures admisit.

Nam ex Regulâ, & ex ijs, quos in eâ assignat officialibus, colligitur eum supponere plures esse Monachos, quàm duodecim; vt aliàs etiam * obseruauimus.

* Lib. 2. tract. 1. disquis. 3.

Illud autem præcipuè notandum, S. Patrem expresè distinguere maiorem, & minorem Cōgregatio- D nem. De diurnis enim horis ait: *Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis: si verò minor, indirectum psallantur.* (Cap. 17.) Iterumque præscribit, *vt si maior fuerit Congregatio, eligantur de ipsis Fratres boni testimonij, & constituantur Decani.* (Cap. 21.) Et de Cellerario: *Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum.* (Cap. 32.)

Quæ dicenda maior congregatio.

Quæri autem posset, quænam dicatur *maior congregatio?* Respondet *primò* citatus Craesbeeck: Maior congregatio est, cuius E iustus & regularis est Religiosorũ numerus: Regularis autem numerus est duodenarius ad numerum duodecim Apostolorum Christi.

Primò.

Quæ sententia cōfirmari potest ex Clementinâ *ne in agro.* Vbi pręscribitur, vt *in locis in quibus Congregatio duodecim Monachorum, aut suprà, intra septa Monasterij Abbas, Prior, aut alius præsidens portet floccum de panno,* &c. *In his autem Monasterijs, & intra domos & alios prioratus, vbi non est tanta congregatio Monachorum, cucullas clausas deferant, & honestas.*

Secundò,

PERSONÆ MONASTICÆ. Secundò. Boerius in cap. 17 Reg.

Secundò, respondet Boërius *triplicem esse Congregationem, simplicem, maiorem, & minorem. Simplex namq; Congregatio est duodecim Fratrum præter Abbatem: si verò vltra hunc numerum sunt, maior est Congregatio; si infra duodecim sunt, minor Congregatio dici potest*, ex sententia Pauli Diaconi, quem citat.

Tertiò. Bernard. Spec. part. 3. cap. 4.

Tertiò, Bernardus Cassinensis in *speculo*, minorem congregationem duodecim facit Monachorum, ita enim differit: *Innuit Beatus* BENEDICTVS, *quòd non separatiores quàm duodecim in Monasterio esse debeant, nec pauciores simul etiam dormiant: & propterea vbi maior est numerus, decanos præcipit per Abbatem ordinari. Vnde rectè potest considerari, quod cùm Decanus debeat esse supra decem, & ita est vndecimus, & Præpositus supra Decanum, & ita est duodecimus, non debet esse minor numerus in Monasterio congregatus.*

Quartò. Turrecre. tract. 74. in Reg. & tract. 80.

Quartò, Cardinalis Turrecremata: *Maior Congregatio dicitur ab aliquibus à triginta & supra. Minor verò Congregatio, si minùs à triginta fuerint Fratres descendẽdo vsque ad duodecim. Nam minus à duodecim non videtur Cõgregatio Regularis*. Atque hæc de sensu verborum Regulæ.

Monasteria in quibus Monachorũ magnus numerus. Gordian. in vitâ.

Fuisse verò copiosum admodum Cœnobitarum numerũ in Cassinẽsi Monasterio, satis verisimile est; nam & S. Placidus plures in suo cœnobio habuit discipulos; cũ eo enim Donatus, Firmatus Diaconus, Faustus, alijque triginta Monachi eius discipuli martyrio affecti sunt. Et S. Maurus cum vniuersa sua congregatione statuit, vt centum quadraginta Monachi iuxta rationem prouentuum in suo semper nutrirentur Monasterio, atque hũc numerum nemo vel excedere, vel minuere auderet. Si quis autem Ordinis nostri historias reuoluat, inueniet deinceps in vno aliquando Monasterio aliquot centena Monachorum.

Faust. in vit. S. Mauri.

Per Decanos regebatur ex mente S. Benedicti.

Si autem objiciatur, difficile admodum esse tantam prudenter regere multitudinem. Respõdetur, S. Legislatorem incommodo huic occurrisse per Decanos, quos singulis decem voluit præfici. Eodem modo suis prospexit S. Pachomius, qui septẽ millium virorum fuit Pater, vt scribit Palladius. Habebat autem Pachomius præter Abbatem, quem Principem Monasterij vocat, & Præpositos domorũ, plures enim in vno Monasterio erant domus, in singulis autem triginta vel quadraginta Monachi.

Pallad. in hist. Lausiac. cap. 3.

Fatendum tamen est, & nimiâ multitudine, vt suprà dicebamus, difficillimam reddi gubernationẽ, & nimiâ rursus paucitate vix subsistere posse Congregationis corpus, & monastica adimpleri exercitia.

DISQVISITIO IV.

Quis in Congregatione Cœnobitarum seruandus Ordo?

Epist. 2. ad Seuer. Episc. *Ordinis in omni statu necessitas.*

QVAM necessarius in Ecclesiâ Dei sit Ordo, & diuersorum graduum distinctio, optimè docuit Dionysius Papa I. quem præloquentem hîc audiamus: *Ad hoc*, inquit, *diuinæ dispensationis prouisio, gradus & diuersos constituit ordines esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordia fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum generaretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas aliâ poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia verò creatura in vnâ eâdemque æqualitate gubernari vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sint Angeli, sint Archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate, & ordine, sicut nosti, differt alter ab altero. Si ergo inter eos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? Hinc etiam pax & charitas mutuâ se vice complectuntur, & manet firma concordia in alterna & Deo placita dilectione sinceritas.*

Ex cælo petita.

S. Benedicti de Ordine Congregationis decretum. Cap. 63. Reg.

Sic sapientissimus Pontifex, cui consentiens prudentissimus Legislator noster, ne in Ordine aliquid esset inordinatum, hanc de Ordine congregationis edidit sanctionem: *Ordines suos in Monasterio ita conseruẽt, vt conuersionis tempus & vitæ meritum discernit, vtque Abbas constituerit*. In his verbis notat Boërius, & post cũ Cardinalis Turrecremata, tribus modis Ordines disponi. 1. secundùm tempus conuersionis. 2. iuxta merita, vitæque sanctitatem. 3. secundùm cõstitutionem Abbatis. Quod autem dicitur de merito sanctitatis, nemo sibi hunc præsumere debet honorem, sed Abbatis exspectare prouisionem, sicuti de tertio subditur, *prout constituerit Abbas*, quod non solùm ad vitæ meritum refertur, sed etiam ad necessitatem vel vtilitatem: vt si aliquis sit bonus Cantor, in ordine Cantorum alijs præerit, licet vitæ meritum non suffragetur.

Explicatur.

Reg. Magistri cap. 92. *Aliter omnino statuit Magister.*

Mirum porrò est, & ab omnibus Religiosis congregationibus (quantum quidem cognoscere licuit) alienum, quod Regula Magistri præscribit, vt nimirùm Abbas Ordinũ gradus semper confundat, & per vices Fratres secùs se sedere faciat, per vices in Oratorio iuxta se stare, & psalmos imponere: *Vt nullus*, inquit, *de secundo honore reddatur elatus, siue de vltimo gradu se faciat*

ciat desperatum. Omnium proindè gradus (vt posteà subijcit) vult esse æquales, & primos aliquando fieri nouissimos, & nouissimos primos, idque propter humilitatis exercitium, & quia Dominus dixerit: *Qui vult esse inter vos maior, sit vester minister.* Sed hoc, vt dixi, communi omnium aduersatur cõsuetudini. Passim enim apud omnes obtinuit, vt qui dignitare præeminet, principẽ sortiatur locum. Ita inter Apostolos primus sẽper nominatur Petrus, caput scilicet eorũ, & Princeps Ecclesiæ à Christo constitutus. Sepositâ verò dignitate, qui prior est tempore, potior est iure.

Præcedentia ex dignitate potissimum.

Vel temporis prioritate.

Hoc autem antiquitùs obseruatum, vt qui prior ad Ordinem accessisset, præcederet alterum, quantumuis ætate maiorem, ex Philone discimus, qui de Essenis agens, *Nec seniores, ait, ex annis æstimãtur, sed quantumlibet grãdæuos habent pro pueris, si serò institutum hoc complexi sunt. Honorem verò senectutis tribuunt his, qui excoluerunt se à iuuentute in hâc pulcherrimâ diuinâque parte contemplatiuæ philosophiæ.* Cassianus idipsum narrat, laudatque in Ægyptijs Thebæisque Monachis, hisce verbis: *Ita namque renuntiantem huic mundo obedire cunctis necesse est, vt redeundum sibi secundum sententiam Domini ad infantiam pristinam nouerit, nihil sibi de consideratione æui, vel annorum numerositate præsumens, quam in sæculo inaniter consumptam sese putat perdidisse, sed pro rudimẽtorum merito, & tyrocinij nouitate, quam se gerere in Christi militiâ recognoscit, subdere se etiam iunioribus non moretur.* Sic ille. De S. Pachomij Monachis hæc habet Hieronymus. *Quisquis autem Monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensâ manum extendit, prior in Ecclesiâ communicet; nec ætas inter eos quæritur, sed professio.*

Philo de vit. cõtemplat.

Apud Essenos.

Monachos Ægyptios. Cassian. Institut. lib. 4. cap. 3.

Pachomianos.

Hier. præfat ad Reg. Pachom.

Hos ergo imitatus est S. BENEDICTVS, cùm ita statuit: *Ergo secundùm ordines, quos constituerit* (Abbas) *vel quos habuerint ipsi Fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt.*

Quos sequitur S. Benedictus. Reg. cap. 63.

Ita Legislator noster, quem S. Fructuosus vel imitatur, vel explicat, ita dicens: *Qui primus in Monasterio conuersus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in Ecclesiâ, primus loquatur cùm interrogantur Fratres pro aliquâ quæstione, prior psalmum dicat, in choro primus consistat, hebdomadam prior faciat, manum in mensam primus extendat. Nec ætas sola inter Fratres requirenda, sed conuersio est, & laboris studiùque propositum. Vnde & hæc discretio seniòris est postulanda, vt quem quomodo erga*

Et ipsum Fructuosus. Fructuos. in Reg. cap. 23.

Dei amorem cultumque feruentem viderit, sic honoret. Hæc ille.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Quoad ea verò in quibus S. BENEDICTVS ordinem seruandum dicit, *Primum* est, cùm *accedunt ad pacem*, ad quam in Missâ accipiendam videntur ordine olim singuli ad celebrantem accessisse. Vnde Bernardus Cassinensis hunc locum exponens, ait: *Hoc manifestiùs apud nos apparet in Natiuitate Domini, Resurrectione, & Pentecoste, quando singuli Monachi post* Agnus Dei *ante communionem ab Abbate pacem assumunt. Et qui prior assumit, secundus in ordine stat; & accedit secundus ab Abbate pacem assumpturus, quâ perceptâ, à Priore stante pacis osculum sumit, & stat iuxta Priorem. Accedit tertius ad Abbatem, & sumptâ pace ab ipso, & illo & secundo stantibus, stat & ipse. Et sic omnes ordinatim accedunt ad pacem, & singuli à singulis eam sumunt.* Ita ille. Subjicit verò Boërius: *Hoc quidem apud nos non seruatur: quia in Missa Monachorum, qui mundo sunt mortui, sicut in Missâ defunctorum pax non datur. Et est ratio, quia in perturbatione mundi non sunt, sed Abbas solus, vel Prior absente Abbate, vel alius qui primus fuerit in choro, recipit quotidie pacem in Missâ conuentuali, Diacono ministrante.* Quare illud, *sic accedant ad pacem*, intelligit de *osculo pacis, quod tribuitur hospitibus & peregrinis, vel de illo* osculo, *quod datur professis post missam, aut fortassis loquitur de osculo, quod in nonnullis Monasterijs recipitur Euangelio dicto à textu Euangelij siue cruce.*

In quibus seruandam S. Benedictus ordo. Primò, In acceptione pacis. Bern. Casfin. in Specul.

Cuius ritus expenditur.

Boët. in cap. 63.

Secundò, ordo seruandus est, *cùm accedunt ad Communionem.* Vbi animaduertit Boërius Ministris altaris, alios fratres præcedere, quando communicant, sicut & Sacerdos celebraturus, quia pro omnibus orat, & reddit sacrificium Deo, ante omnes stare debet, cùm sacris est indutus vestibus, id est, post Abbatem, vel Præpositum, aut Decanum.

Secundò, In Communione.

Tertiò, ordo seruandus *ad psalmum*, vt loquitur S. BENEDICTVS, *imponendum*, quod intellige de Antiphonâ, quæ psalmum præcedit. De quo & alibi: *Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant.*

Tertiò, Ad Psalmum imponendum. Cap. 47. Reg.

De ordine autem à se constituto generaliter ait: *In omnibus omninò locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt.* Hauserit hoc fortè ex S. Ignatio Martyre Magnesianos monente, ne Demam Episcopum ob ætatem contemnant, aut ad iuuentutem, quæ in eo apparebat, respicerent; quod Daniel duodecim annos natus senes calumniatores conuicerit: Samuel, paruus puellus nonagenarium Heli redarguerit. Vide hoc fusiùs in *Comment. ad vitam S. Bened. cap. 6. num. 3.*

S. Benedictus noluit haberi rationem ætatis.

PERSONÆ MONASTICÆ.

DISQVISITIO V.

Quibus de caussis possit quis in ordine Congregationis alijs præponi, aut postponi?

I. *Ob vitæ meritum possunt aliqui alijs præponi.* Basil. in reg. breuior. resp. 171. 1. Tim. 5.

PRÆPONENDI caussa prima esse potest, vitæ meritum. Nam, vt Basilius ait: *Digniori loco habendi sunt, quorum in rectè factis maior viget industria. Quod* (inquit) *in presbyteris Apostolus præcipit, cùm dixit:* Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. *Hoc rectum arbitror vt in omnibus qui istiusmodi sunt seruetur.* Sed S. BENEDICTI, de hac re audiamus constitutionem. *Ergò,* inquit, *exceptis his, quos (vt diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis de caussis, reliqui omnes vt conuertantur ita sint.* Vbi nota *Primò,* Abbatem non pro libitu, sed maturo iudicio, & alto consilio vti debere, cùm ob vitæ meritum aliquē voluerit superiori collocare loco. Vnde suprà etiam monuit: *Abbas non conturbet gregem sibi commissum: nec quasi liberâ vtens potestate, iniustè disponat aliquid, sed cogitet semper, quod de omnibus iudicijs, & operibus suis redditurus est Deo rationem.* Vbi notat Craesbeeck, nusquam absolutè, & sine adiunctione, Ordinem & locum religiosorum in Abbatis voluntate constitui, sed requiri caussam rationabilem, & singulare vitæ meritum. Nam si pro voluntate & libitu, non pro ratione, alium alij præponit, & ordinem suæ congregationis inuertit; conturbat gregem sibi commissum, & terrorem iudicij sui exaggerat.

Cap. 63. Reg. — *Abbas non debet pro libitu id decernere.* — *Ibid.*

Promotio ad altiora censetur perpetua. Cùm autem aliquis ex vitæ merito promouetur in altiorem locum, videtur ea promotio (vt subdit idem Auctor) non fore tantùm ad tempus, sed perpetua, quod colligitur ex eo, quod Legislator noster agens de Monacho peregrino suscipiendo, dicat: *Quem si etiam talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solùm autem Monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus sacerdotum, vel clericorum, stabilire potest Abbas in maiori, quàm ingreditur loco: si eorum talem perspexerit esse vitam.* Verbum autem illud *stabilire* videtur innuere non breuem aliquam, aut ad tempus stabilitatem; sed constantem & perpetuā. Exaltari hoc modo subinde possunt docti, & pij, zelumque animarum habentes, vt tanquam Lectores & Nouitiorum Magistri alios instruant: hoc enim cū maiore auctoritate, & ideò quoque cum maiore fructu faciet, consistens in superiori loco erga sibi inferiores, quàm in inferiore erga sibi superiores.

Cap. 61. Reg. — *Quales exaltandi.*

Spectanda Statuta Congregationum. Verùm quænam Personæ ob vitæ eminentiam, aut officium, altiorem sortiantur locum, singularum Congregationum declarari solet statutis; ne vel Abbates nimiū hîc sibi sumant, aut subditorum dilacerentur obloquijs & murmurationibus. Monet verò opportunè Basilius. *Si inferior doleat præstantiorem in pietate sibi anteponi, eum in parabolâ Euangelij manifestè malignitatis damnari, in quâ parabolâ Dominus ait ad eos, qui ægrè tulerunt quosdam pari præmio secum fuisse affectos: An oculus tuus malignus est, quia ego bonus sum?*

Basil. in reg. breuior. resp. 171.

II. *Qui sunt in Sacris præcedunt carentes eo ordine.* *Secundò,* Altiori loco collocari solent sacris Ordinibus initiati, qui tantisper ante se professos præcedunt, donec ipsi eodem Ordine fuerint insigniti: hoc autem ex Congregationum consuetudine, & iuxta Canones seruari consueuit, secundùm Regulam autem, *in quâ*, vt Boërius ait, *magis attenditur tempus sacræ conuersionis, quàm Ordinis, vel alterius dignitatis, non præcedit initiatus, nisi in ipso ministerio altaris, vel Ordinis officio;* quod ex eo colligitur, quod S. BENEDICTVS ordinatum sacerdotem moneat: vt *locum illum semper attendat, quo ingressus est in Monasterium, præter officium altaris.* Quod latiùs expendimus *Prolegomeno XVIII. ad vitam* S. BENEDICTI §. 12. Vnde quod cap. 60. dicitur de Sacerdote nouitio: *Concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, aut missas tenere,* id similiter intelligendum, vt tunc stet post Abbatem, quando hisce officijs de facto deseruit, alioqui plus concederetur Sacerdoti Nouitio, quā post professionem promoto. Vnde benè Vallisoletani, ob maius humilitatis exercitium, statuunt *Nouitios sacerdotes gradum sortiri in Monasterio iuxta tempus conuersionis, nisi aliquando ob sacerdotij reuerentiam ab Abbate iubeantur altiorem locum tenere, quàm ij, qui parum ante eos non sacerdotes ingressi sint religionem.*

Non ex vi Regulæ. Cap. 62. — *Ad cap. 60. Reg.*

Possunt quidam ob demerita alijs postponi. Iam verò quod S. BENEDICTVS ait: *exceptis ijs, quos Abbas degradauerit certis ex caussis* id declarat aliquos posse ob demerita alijs postponi, ac degradari, non quidem pœnâ illâ Canonici Iuris, sed depositione aut amotione à loco & gradu aliâs ei debito. Ita Regula statuit: *vt Frater qui proprio vitio egreditur aut proijcitur de Monasterio, si reuerti voluerit, in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur.* Nota erat & S. Pachomio hæc pœna, à quo fortè noster desumpserit: *Qui,* inquit, *absque Ordine Fratrum recesserit, & posteà actâ pœnitentiâ redierit, non erit in ordine suo absque Maioris imperio.* Et rursum art. 35. in iracundum & furiosum frequenter irascentem sine caussâ, & post sex monitiones non se corrigentem, eandem pœnam decernit.

Cap. 29. Reg. Casus. — *Reg. Pach. num. 69.*

Et

Et art.92. de quodam delinquente ait: *Degradabunt eum in ultimum gradum, donec corrigatur.* In Iure Canonico, eâdem puniuntur pœnâ Monachi, qui de Monasterijs ad audiendam Physicam, id est, medicinam, aut Leges ciuiles exeunt, & infrà duos menses non redeunt.

Cap. non magnopere.

DISQVISITIO VI.

An Ordo Religiosorum inter se à tempore professionis, an verò ab ipso Monasterij ingressu, vel Nouitiatu desumendus?

CONTINGERE non rarò potest, vt qui posterior ad Nouitiatum admissus est, professionem emittat ante alios Nouitios priùs receptos; siue quòd illi vlteriùs debeant probari, vel quòd necdum ætatem professioni congruam attigerint, vel aliam aliquam ob caussam remora iniecta sit, quæ votorum nuncupationem ad aliquod tempus differat. Quæstio ergò est, an hi tales emissâ professione, eos in ordine præcedere debeant, qui eam iam ante ediderint? Proponit hoc ipsum Boërius ad illa S. BENEDICTI verba: *Omnes vt conuertuntur ita sint.* Et resoluit, Ordinem desumendum à tempore professionis, non autem Nouitiatus. Atque illud: *Conuertûtur,* intelligit perfectè, scilicet per professionem: *Nam tempus, inquit, probationis in hoc consideratur.* Probat autem duplici argumento. *Primò*, quia toto titulo de *Conuersione Coniugatorum* intelligitur *conuersio* pro religiosâ professione. *Secundò*, quia ipse S. BENEDICTVS agens de disciplinâ suscipiendorum Fratrum, expleto probationis anno, ait: *Et si habitâ secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare*, tunc *suscipiatur in Congregatione.* Ergo non antè.

An prioritas loci sumenda ex conuersione, vel professione.

Videri ex tempore professionis.

Lib. 1. Decretal. tit. 31.

Cap. 58. Reg.

Contrarium tamen, nempè ab ipso Monasterij ingressu, vel Nouitiatus exordio tempus conuersionis esse numerandum, verosimilius videtur, & ex ipsis S. BENEDICTI verbis posse colligi.

Probabilius ab exordio Nouitiatus.

Probatur *Primò*, quia ex mente S. BENEDICTI, in Monasterio ordines suos conseruare debent, *iuxta conuersionis tempus.* Vnde ait: *Ergò exceptis his, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex caussis, reliqui omnes, vt conuertuntur, ita sint.*

Probatur 1. Ex verbis Legislatoris. Cap. 63.

Sed tempus *conuersionis* est illud, quo ingrediuntur Monasterium, & tum dicuntur *conuerti*: non autem cùm profitentur. A primo ergo ingressu desumendus est ordo & præcedentia Monachorum. Minor huius argumenti probatur: quia S. Gertrudis expressè distinguit tempus *Conuersionis*, & *Professionis*, duplex faciens exercitium: prius, *Cõuersionis Spiritualis* posterius, *Professionis animæ erga Deum*: priori autem hæc præmittit: *Quoties renouato bono proposito memoriam primæ* Conuersionis *tuæ, quâ mundo renuntiasti, celebrare* &c. Deinde Regularum conditores, cùm agunt de eo, qui se primum vt in Monasterio recipiatur, offert, vocant cum *Conuersum*, aut venientem ad *Conuersionem*, cui præscribunt prælegendã Regulam, & post experimenta aliqua suscipiendum ad probationem. Constat id ex Regulâ Serapionis, Macarij, Paphnutij, & aliorum cap.4. ex Regulâ Patrum, cap.1. ex Regulâ Macarij, cap.4. & recapitulatione Cęsarij Arelatensis, & Regulâ Aureliani, cap.1. Isidori Hispalensis, cap.4. Fructuosi, cap.21. Denique ipse S. BENEDICTVS, cùm ait: *Nouiter quis veniens ad Conuersionem*, de eodem mox subdit: *post quatuor aut quinque dies, si visus fuerit patienter portare illatas iniurias, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus*, in Monasterium scilicet: Nam post annum expletum, ad Professionem admittebatur.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Distinctio inter tempus Conuersionis & Professionis.

Conuersus & conuersio vsurpata pro ambientibus Monachatum.

Cap. 58.

Secundò, quasi vereretur S. BENEDICTVS ne non satis assequeremur, quid illis verbis indicauerit, *Omnes vt* conuertuntur, *ita sint*; se ipse explanat, cùm immediatè subijcit: *Vt verbi gratiâ, qui secundâ horâ diei venerit in Monasterium, iuniorem se nouerit illius esse, qui primâ horâ venit diei.* Vbi illud, *venerit in Monasterium*, meo indicio, valdè vrget, & ab ipso S. BENEDICTO inculcatur Sacerdoti ad Monasticen se conuertenti. *Illum*, inquit, *locum semper attendat, quando ingressus est in Monasterium, non illum qui ei pro reuerentiâ sacerdotij conceditur.* Quod ipsum & Monacho ad sacerdotium promoto inculcat; permittitque Abbati, Monachum peregrinum, Sacerdotem, vel clericum stabilire *in maiori*, *quàm* ingrediuntur *loco*. In quibus primum Nouitij ingressum, qui ei pulsanti & roganti, post quatuor aut quinque dies annuitur, attendi vides: vt *intrare in Monasterium* idem ferè sit, atque illud, *Nouiter veniens quis ad conuersionem*. Hinc Petrus Walnem & Walloncapellius vno ore dicunt, ordinem inter Religiosos constituendum, secundùm tempus & horam, quâ Monasterium ingrediuntur. Et in his ipsis quæ expendimus verbis, sanctissimus Legislator casum ponit inter duos, qui eodem die, sed diuersis horis ingrediuntur Monasterium, definitque: *Qui secundâ horâ diei venerit in Monasterium, iuniorem se nouerit illius esse, qui primâ horâ venit diei.* Quod locum non habet in Professione, quam vno die sæpius, & præsertim horis immediatè se subsequentibus

Probatur II. Ab indubitato sensu verborum S. Benedicti.

Cap. 60.

Cap. 61.

Authoritate Interpretum, & casu quem ponit S.P.

Cap. 63.

quentibus

PERSONÆ MONASTICÆ.

quentibus suscipi, vix credo fuisse in vsu. Quin & ipse Boerius fatetur hunc locum militare contra suam explicationem, quâ illud: *Omnes* vt conuertuntur, *ita sint*, interpretabatur de perfectâ, quæ per Professionem fit, conuersione. Quod autem hîc dicitur, *qui secundâ horâ diei venerit*, posse locum habere in casu, qui exprimitur cap. *ex parte*, in quo dicitur: *Nonnullos fuisse, qui pluribus annis gestauerint habitum Monachalem, professionem tamen monasticam non fecerunt*. In quibus proinde hora ingressûs in Monasterium consideranda. Sed quis non videat planius forè, vt eodem modo vterque textus intelligatur, & S. BENEDICTVS non quid in raro aliquo casu, sed quid ordinariè faciendum, determinauerit; cùm dixit: *Qui secundâ horâ diei venerit*, &c. quod confirmatur ex eo, quòd Anonymus quidam, qui ad textum Regulæ annotationes quasdam calamo exarauit, putet ideò post illa verba: *Iuniorem se nouerit illius, qui primâ horâ venit*, statim subiungi: *Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur*, ne fortè, inquit, crederetur, quòd puer qui iam habet in Ordine quinque annos, & adhuc puer est, puta quia quinquennis intrauit, decrepito vel presbytero præferatur, quod absurdum videretur & indecorum. Censuit igitur hîc in adultis ordinem ingressûs seruandum. Robur his adijciunt Carthusianorum Statuta, quæ Benedictinis plerumque inhærent vestigijs. Guigo enim ita primò decreuit: *Ordinem autem siue in refectorio, si*

Boerius se stringi fatetur.

Extra. de regular.

Frustra enadere nititur.

Anonymus sententia nostra adstipulatur.

Pro quâ & faciût Statuta Carthusiensium Stat. Guig. cap. 26.

A *ue vbicumque, eum cuncti tenemus, quem singulis suus dedit aduentus.* Quâ voce clariùs exponit tempus conuersionis, & ingressum in Monasterium, intelligendum de cuiusque Nouitij primo ad remanendum in Monasterio aduentu: vt manifestè patet ex aliâ resolutione, quæ habetur par. 2. antiquit. Statut. *Quando*, inquiunt, *nouitij duo ad aliquam domum veniunt, qui posterior venit, si prius professionem fecerit, primus deinceps remaneat.* Quâ exceptione Regula cōfirmatur: nisi enim in hoc casu ita fuisset

Cap. 24. §. 10.

B declaratum, ordinem aduentus sui debuissent sequi: atque ita faciendum existimo, vbi aliud non fuerit declaratum.

Neque verò multùm vrgent quæ pro contrariâ sententiâ allegantur. Ad *prius* enim dicendum, mirum non esse in titulo de *Conuersione Coniugatorum* semper mentionem fieri professionis, nam per illam conuersionem dissoluitur matrimonium, quod per solum Religionis ingressum non potest fieri. Ad *posterius* dicendum: Ideò tantùm à die professionis Nouitium in

Respondetur contraria sententia.

C congregatione reputari, quia tempore S. BENEDICTI, vt ex Regulâ patet, Nouitiatum peragebant extra communem Monachorum congregationem, *in cellâ*, vt loquitur, *Nouitiorum*, quæ, vt posteà dicetur erat in exteriore parte Monasterij; atque ita post professionem tātùm sociabantur corpori Monasterij. Deinde ait quidem B. Pater, *ex illâ die in congregatione reputetur*, sed non dicit secundùm Ordinem illius diei, aut emissæ professionis.

Cap. 58.

TRACTATVS IV.

DE RELIGIOSA COMPELLATIONE.



NOMINA *Monachorum primo* Tractatu *excussimus, nunc qui ijs, vt in omnibus seruetur decorum, honoris vel amoris in quotidianâ compellatione præmittendi tituli, deinceps expendendum.* Prima *itaque Disquisitio inquirit, Quæ in Religiosis compellandis seruanda honestas?* Secunda, *Cur Fratris nomen Religiosis tributum?* Tertia, *Quid vox Nonnus significet?* Quarta, *Quæ significatio vocis Domnus?* Quinta, *An Patris nomen rectè tribuatur Religiosis?* Sexta, *Quâ reuerentiâ iuniores prosequi debeant Seniores?* Septima, *Quæ apta inter Religiosos salutandi formula?*

DISQVI-

PERSONÆ MONASTICÆ.

DISQVISITIO I.

Quæ in Religiosis compellandis seruanda honestas?

Decora cōpellatio ad honestatem refertur.



AD Religiosam vrbanitatem, & honestatem morum proculdubio spectat, decorem in compellando obseruare, ne inciuilis quædam rusticitas hic subrepat. Quare Legislator noster prudenter admodum sanciuit, quid hoc in genere vitandum, quidve potissimùm sequendum. *Iuniores*, ait, *priores suos honorent: Priores iuniores suos diligāt*. Vbi benè annotauit Smaragdus: *Nō hic honor exigitur rerū, sed reuerentia expetitur verborum & morum.* Nimirùm, vt in verbis & moribus seniorum erga iuniores reluceat dilectio; in verbis verò vel moribus Iuniorum erga Seniores reuerentia. Muruus verò amor hūc honorem nutrit ac fouet. Quem enim non amat quis, hunc nec honorat, nec potest non honorare, quem diligit. Amor siquidem in caussa est, vt honoremus; honor facit, vt amemus, & vicissim amemur. Ex hoc autem fundamento elicit S. BENEDICTVS, quid in mutuâ compellatione vitandum. *In ipsa*, inquit, *appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare.* Quibus verbis non vetat, vt proprio quis nomine vocitetur; *sed*, *vt proprio nomini*, iuxta S. Bonauenturæ expositionem, *semper apponatur religiosæ prænominationis insigne.* Auctor vitæ S. Fulgentij, Ruspensis Episcopi: *Aliàs autem circa singulos ita mansuetus fuit, vt neminem Fratrum* puro nomine *clamitaret*. Ex quo videas ad mansuetudinem & benignitatem spectare, si proprio nomini amoris, aut honoris præmittatur titulus. S. Ignatius Martyr vetuit, ne vxores viros suos *ex nomine appellare audeant*. Nimirùm (vt mihi annotauit Vairlenius) compellare quemquam proprio nomine, contemptum quemdam præ se ferre videtur. Vult itaque Ignatius, vt vxores eos appellent vel *Dominos*, vel certè *Maritos*.

Reg. cap. 63.

Honor ex amore.

Vetat S. Benedictus puro nomine quemquam vocare. *Ibid.*

Bonauent. in spec. discip. part. 2. cap. 6. *Ita Sancti cauerunt.* *Apud Sur. 1. Ianuar. cap. 17.*

Ignat. E. pist. 9. ad Antioch.

Vitanda in compellatione religiosâ.

Variè autem in hanc partem peccari potest. *Primò*, si solo nomine quis compelletur, vt Domini seruos solent, dicendo v. g. *Petre, Paule, Ioannes, Nicolae*.

I. *Purum nomen*

II. *Solum cognomen.*

Secundò, si solo cognomine v. g. *ô Perez, ô Coeke, Verpoorten*: quod post S. Bonauētură in Constitutionibus Monachorum Montis-Olieti, sub Regulâ S. BENEDICTI militantium, expressè prohibetur. Rationem reddit Nigronus: quia cognomina sapiunt sæculum, etsi nobilium familiarum sunt, reuocant animum appellati ad complacentiam nobilitatis sæcularis. Si cognomina malè sonāt, vt sæpè accidit, qualia sunt, *Asinarius, Bubalus, Vitulus, Rusticus*; tametsi nobilia, displicent appellato. Proinde Religiosi aliquot Ordines cognominibus vti vetuerūt suos; atque ad distinctionem adhibent, vel patriæ nomen dicentes, *Frater Petrus de Cremonâ*, vt Minores; vel nomen alicuius Sancti, dicentes: *Frater Ioannes de S. Ioseph*, vt Carmelitæ Discalceati, Fuliensses, & alij. Hæc ille. Qui etiam censet Religiosos multò meliùs appellari proprio nomine, quàm cognomine; quantumuis præponeretur *Pater, Domine, Frater*, dicendo: *Pater de Christynen, Domine Cambier, Frater Boudewyns*. Ipsis enim nominibus memoria Sanctorum & Patronorum nostrorum renouatur, ad quorum imitationem, & venerationem hoc pacto accendimur. Vnde non modò Socrates apud Platonem, sed etiam S. Chrysostomus cupiebat nomina speciosa pueris imponi, vt ex commemoratione comparandæ virtutis, quam fortè significant, caperent vtilitatem: vt, *Pius, Iustus, Modestus, Prudentius*, &c. Vel, vt diximus, ad magnorum virorum imitanda exempla inuitarentur. Nescio autem, ait Nigronus, cur nobis Religiosis hæc vtilitas præripiatur per vsurpationem solorum cognominum.

Constitut. Mont. Ol. part. 2. cap. 91. *Nigron. in Reg. 22 Soc. Iesu n. 41.*

Quæ quidam Ordines abstinent.

Præstat nomine proprio, quam cognomine vti.

Plat. in Theage Chrysost. homil. 21. in Genes.

Loc. cit.

III. *Nomen nationis solum*

Tertiò, reprehendit S. Bonauentura, si solo nomine Nationis aliquis nuncupetur, puta, *Lombarde, Galle, Hispane, Flander, Walo, Lotharinge*; quod absurdum prorsus est, & inter personas variarum nationum offendiculum subinde & inuidiam parit. Idemque dicendum, si Patriæ, Ciuitatis, Municipij, aut Pagi nomine quis appelletur, v. g. *Bruxellensis, Antuerpiensis, Afscanes*; quod Magistri in scholis, vbi copiosior discipulorum numerus, factitare solent.

IV. *Nomen officij.*

Quartò, nonnihil offendit, qui solo officij nomine vtitur, dicēdo; salue *Prior*, vale *Subprior*; vbi est *Sacrista*? quid facit *Cellerarius*? etsi enim hæc dignitatum, & honorum nomina sint, insulsum tamen est, & præter decorem, illis non præponere *Pater, Domine, Frater*.

V. *Politiores proscribunt Tu, Tibi.*

Quintò, indecorum multis censetur *Tutissare*, vel hâc formulâ in loquendo vti: *Tu, Tibi, Te*; Nobilium enim ac politiorum vsus pro his reponit, vos, *vobis*, & abstracta, *Vestra dominatio, Vestra Reuerentia*. Hæc verò an Religiosis præsertim Latinè loquentibus

PERSONÆ MONASTICÆ. tibus conueniant, aliorum esto iudicium. Vmbertus Prædicatorum nouitios instituens, *Omnibus*, ait, *cum reuerentiâ loquantur per pluralem, dicendo potiùs, vos, quàm per singularem, Tu.* Eundem modum Tutissandi ablegant Clerici Regulares S. Pauli, tamquam Religiosis indignum. Societas IESV Sacerdotibus tribuit *vestro Reuerentia*, reliquis Socijs, si Latinè loquantur, *Tu, Tibi, Te*: si vernaculè, *vos*, & *vobis*. Petrus Blesensis ante quadringentos & ampliùs annos de hâc consuetudine ad Comitem quemdam electum in Episcopum Carnotensem scribens, ita censuit: *Quodque per* Tu, &, Tibi, &, Te, *scribo, molestè non feras: pluralis enim locutio, quâ vni loquendo mentimur, sermo adulatorius est, longè à sacro eloquio alienus.* Idem tamen Blesensis Cantuariensi Archiepiscopo scribens, non exhorruit hanc phrasim: *Vos verò Pater oretis altissimum*, & Epistolâ præcedenti: *Date igitur, Reuerende Pater, voci vestræ vocem virtutis &c.* Item ad Gualterum Roffens. Episcop. *Malo tamen vos offendere.* Et alibi sæpiùs.

Vmb. lib. de instruct. offic. cap. 5. S. quoad membra. Cler. Reg. S. Pauli in Reg. constit. p. 2. cap. 4. Nigron ad reg. 22. Comm. Societ. Iesu. Petr. Blesf. Epist. 15. Blesensis in aliâ sententiâ. Epist. 52. Non constanter. Epist. 51. Epist. 56.

Iam verò quomodo Religiosos suos Legislator noster compellari voluerit, ità aperit: *Priores iuniores suos Fratres nominent: Iuniores autem priores suos* Nonnos *vocent: quod intelligitur paternæ reuerentiæ. Abbas autem, quia vices Christi agere creditur,* Domnus & Abbas *vocetur, non suâ assumptione, sed honore & amore Christi.* Quæ in sequentibus ordine discutienda erunt.

Cap. 63.

DISQVISITIO II.

Cur Fratris nomen Religiosis tributum?

Fratris appellatio charitatis plena.

AD insinuandam eam, quæ inter Religiosos esse debet, animorum vnionem, mutuamque charitatem, nihil conuenientiùs, nihilque suauiùs FRATRIS nomine excogitari potuit. *Frater* enim, si vocis etymologiam spectes, teste P. Nigidio apud Agellium, dicitur quasi *ferè alter.* Côueniunt enim in multis *Fratres*, quibus nimirùm, vt Philosophus ait, *communes sunt parentes, vterus, sanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores.* Nô immeritò igitur Quinctilianus ait; *quod nulla amicitia possit esse tam felix quæ imitetur Fraternitatem.* Atque vt Hesiodus cecinit:

Agell lib. 13. cap. 10. Arist. 8. Ethic. cap. 11. Quinct. declam. 321. Fraternus amor valdè magnus. Hesiod. in Ergis.

> *Sed nec germano quisquam est æquandus amori.*

Certè coniugali, ac filiorum dilectioni præferendus quodammodò videtur: nam, vt maxima etiam sit, ascititia est, & violari facilis, neque semper reciproca, propter inæqualitatem. Illa autem inter Fratres est perfectissima. Vnde in sacro Epithalamio amátes illi, *sponsi*, & *sponsæ*, alijsq; hominibus nô côtenti, *Fratris*, & *Sororis* quoq; nomine vtuntur, vt se suauiùs arctiùsque complectantur. Audi illum: *Vulnerasti cor meum* Soror mea, Sponsa, &: *Aperi mihi* Soror mea, *amica mea, columba mea.* Audi iam & sponsam: *Quis mihi det te* Fratrem *meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, &c.* Sic Assuerus trepidæ & timore exanimatæ Esther dicebat: *Quid habes Esther? ego sum* Frater *tuus.* Vniuersè ergo qui inter se sociali vinculo colligantur, *Fratres* appellatos inuenimus.

Suauissimum. Cant. 4. 9. 5. 2. Cant. 8. 1. Esther 14.

I. Nam *Primò*, quia Deus voluit omnes proximos diligi, omnes *Fratres* appellantur; *quos* (vt inquit Ambrosius) *rationalis naturæ quidem vterus effudit, & eiusdem matris generatio copulauit: eadem enim natura omnium mater est hominum, & ideo* Fratres *sumus omnes, vna atque eadem matre generati, cognationisque eodem iure deuincti. Ideoque & Dominus Fratrem appellauit, & eum, à quo sanguis Fratris exquiritur.* Sic *Fratris* nomine etiam censetur inimicus, hæreticus, infidelis; quia, vt Lucretius cecinit:

Fratres dici possunt omnes homines. Ambros. de Noë, c. 26. Lucret. lib. 2.

> ——— *Cælesti sumus omnes semine oriũdi,*
> *Omnibus ille idem Pater est,* ———

Imò & aliâ ratione, quàm adfert Basilius, *Quoniam non modo spiritualis pater vnus est Deus, sed terrenus quoque Adam, & mater tum Ecclesia, tum terra.* Vnde Tertullianus gentilibus scribens, ait: *Fratres autem etiam vestri sumus, iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali Fratres.*

Basil. hom. 21. Tertull. in Apolog. adverf. Gent. cap. 39.

II. *Secundò*, Plato censebat omnes, qui in vnâ ciuitate viuũt *Fratres* esse. Atque apud Hebræos, vt Clemens Alexandrinus annotauit, *Frater dicebatur non tantùm ex eisdem natus parentibus, sed etiam qui erat eiusdem tribus, & eiusdem verbi particeps, atque ita lex prohibebat Fratri fænerari.* Sic in Leuitico dicitur: *Fratres vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.*

Ciues vnius oppidi. Plato in Menexe. Clem Alex. Strom. lib. 2. cap. 8. Deuter. 14. Leuit. 25.

III. *Tertiò*, Christus Dominus suos *Fratrum* nomine dignatus est appellare; *Ite*, inquit, *nuntiate* Fratribus *meis, &c.* Et Magdalenæ dixit *Vade ad* Fratres *meos, & dic eis: ascendo ad Patrem meum.* Vnde in primitiuâ Ecclesiâ Christiani omnes *Fratres* dicebantur, quo nomine frequentissimè vtuntur Apostoli Petrus & Paulus, alijque. Ridebant verò hanc appellationem Gentiles, quibus Patres optimè responderũt. Tertullianus: *Sed & quod* Fratres *nos vocamus, non aliàs, opinor, infamant, quàm quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est.* Fratres *autem etiam vestri sumus, iure naturæ matris vnius. At quantò dignius* Fratres & *dicuntur & habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis,*

Christus discipulos Fratres nominauit. Matth. 28. Ioan. 20. Et primi Christiani se mutuò. Tertull. in Apolog. aduersus gẽt. cap. 39. Quare ob causas.

ſitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem ad vnam lucem expauerint veritatis? Lactantius aliam addit rationem: *Nec alia cauſſa eſt, cur nobis inuicem Fratrum nomen impertiamur, niſi quia pares eſſe nos credimus. Nam cùm omnia humana non corpore, ſed ſpiritu metiamur, tametſi corporum ſit diuerſa conditio: nobis tamen ſerui non ſunt, ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu Fratres, religione conſeruos.* Sic ille. Teſtatur verò Tertullianus: Cœtum ipſum Chriſtianorum vocatum eſſe nomine *Fraternitatis*, ob incredibile amorem, vſque etiam ad gentilium ſtuporem, qui non poterant, quin exclamarent: *Vide, vt inuicem ſe diligant, & pro alterutro mori ſint parati.*

Lactant. Inſtit. lib. 5. cap. 16. — Tertull. vbi ſupra.

IV. *Religioſi meritò Fratres vocantur.*

Quartò, ob eaſdem has aliaſque rationes, meritò nomen *Fratris* appropriatum eſt Religioſis, qui ſacratiori vocationum nexu inuicem colligati ſunt. Quare S. Baſilius illum Regij Vatis verſiculum, *Ecce quàm bonum & quàm iucundũ habitare Fratres in vnũ*, ait pertinere ad eos, qui regularem vitam degunt in cœnobio. Et Auguſtinus ait: *Iſta verba pſalterij, iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia, tam in cantico quàm in intellectu, etiam Monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt* Fratres, *qui habitare in vnum concupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum, ſonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant, congregati ſunt in vnum.* Hæc Auguſtinus.

Baſil. conſt. Monaſt. cap. 19. Pſalm. 132. — Auguſt. in Pſalm. 132.

Declaratur.

Et ſanè nihil deeſt Monachis, cur *Fratres* vocari non poſſint: eſt enim ipſis vnus & idem Pater, vna etiam & communis Mater. Omnes enim eodem ſemine Spiritus ſancti progeniti ſunt, omnes ab vno Deo ſpiritualem hanc vitam acceperunt. Mater autem ipſa Religio, quæ eos omnes non ſuâ vi, ſed Dei vi generatos, ſuo tamen vtero eodem omnes concepit, eodemque lacte aluit, & tamquam veriſſimos fœtus ſuos formauit, enutriuit, & ad perfectionem prouexit. Inter ſe verò ita vniti ſunt, vt verè habitent vnius moris in domo, atque vt Auguſtinus ait: *Ita in vnum viuunt, vt vnum hominem faciant, & ſit in illis, vt ſcriptum eſt, vna anima, & vnum cor, & multa quidem corpora, ſed non multa corda.* Spiritualis autem hæc Fraternitas multò melior Fraternitate ſanguinis. *Hæc enim*, vt alibi Auguſtinus, *inter ſe communia cum æmulatione diuidit: illa etiam cum gratulatione communicat. Hæc conſortio ſæpè deſpicit Germanos: illa aſſumit frequenter alienum.* Et apud Caſſianum Abraham Abbas: *Fratrum* (ſanguine) *dirimit charitatem contẽtioſa diuiſio. Monachi ſoli perpetuam coniunctionis retinent vnitatem, atque indiſcretè poſſident vniuerſa: quia omnia ſua eſſe, quæ* Fratrum, *omnia Fratrum eſſe credunt, quæ ſua ſunt.* Et idcirco, vt idem Auctor alibi: *In*

Ibid. — *Fraternitas ſpiritualis præſtat carnali.* — Auguſt. ſer. 27. de verb. Apoſt. — Caſſia. coll. vlt. cap. vlt. — Collat. 16. cap. 3.

A *his tantùm indirupta poteſt dilectio permanere, in quibus vnum propoſitum, ac voluntas, vnum velle, ac nolle conſiſtit.* Hinc in vitis Patrum, & apud pleroſque Monaſticos Scriptores tam Græcos quàm Latinos, Monachi paſſim *Fratres* vocantur, & non *iuniores* tantum ita appellari S. BENEDICTVS voluit, ſed totâ Regulâ ſuâ diſcipulos ſuos *Fratres* appellat.

PERSONÆ MONASTICÆ. — *Monachi olim Fratres dicti.*

Caſſinenſes verò in *Declarationibus* ad hunc Regulæ locum ita ſcribunt. *Ex noſtrâ antiquâ conſuetudine ad differentiam Mendi-* B *cantium, Monachos noſtros appellamus Domnos, ſed affectu Fratres.* Diſplicet porrò hæc *Domni*, præſertim in Iunioribus appellatio, Columbano Vrancx Blandinienſi Abbati, & Petro Walloncappellio ad S. Winnoci Priori in MSS. ſuis ad Regulam S. BENEDICTI commentarijs, & nomen *Fratrum* ſeruari mallent. *Primò*, quia *Domni* nomen eſt Abbatis, iiſque tantùm conuenit, à quibus ex Regulâ benedictio petenda, & danda eſt. *Secundò Fratris* nomen maioris humilitatis, charitatis, & amici- C tiæ vocabulum eſt, quàm *Domnus*, quod dominationem, & arrogantiam ſonat, & iunioribus minimè conuenit. Abſurdè ſanè iuuenis ſeipſum *Domnum* vocitet, & omninò incongruum eſt, ſi puer ſexdecim annorum in profeſſione dicat: Ego *Domnus* N. &c. *Tertiò, Fratris* appellatio, vt iam dictum, à primis Chriſtianis, ipſiſque Apoſtolis, & Apoſtolorum Domino Ieſu Chriſto, in Religioſos velut hereditario quodam iure deriuata eſt. Retinenda igitur *Fratris*, & *Patris* vocabula, quæ mutuæ D charitatis ſunt indicia, & dulcia admodum nomina. Ita ferè illi. Vnde etiam nonnullæ Congregationes *Fratris* nomen retinent, vt Burſfeldenſis, Mellicenſis, Vallſoletana, & aliæ. Quibuſdam placet Sacerdotes *Domnos* vocare; alios eo ordine non initiatos, *Fratres*. Quod videtur etiam Caſſinẽſibus in vſu fuiſſe; vt enim ex chartâ Bernardi Abbatis apud Wion, ex quâ officiales pronuntiabantur, patet, non tantùm *Nonni* ibidem aſſignantur, ſed etiam *Fratres*; ita ſiquidem habet: *Epiſtolam* Frater *Deſide-* E *rius legat. Euangelium, Reſponſorium, & Verſum* Frater *Vincentius canat. Lectionem memoriter* Frater *Thomas legat. Lucernam* Frater *Andreas procuret, &c.* Quin imò, illa etiã mens fuiſſe videtur Abbatum in Concilio Aquiſgranenſi congregatorum. Dum enim decernunt: *Vt qui præponuntur, Nonni vocentur*; alios hoc nomine cenſeri minimè videntur voluiſſe, ſed *Fratris* nomen illis reliquiſſe. Probat nihilominùs Iulius Nigronus hanc Caſſinenſium in Iunioribus appellandis vocis *Fratris* ſuppreſſionem, quantumuis à Sancto BENEDICTO præ-

Caſſinenſes nunc vocat Domnos. — *Quod quibuſdam non placet.* — *Primò.* — *Secundò.* — *Tertiò.* — *Sacerdotes Domni, ceteri Fratres quibuſdam dicti.* — Arnold. Wion lib. 2. lig. vit. cap. 61. — *Probabiliter.* — Concil. Aquiſg. can. 54. — Nigron. Reg. 22. com. nu. 43. — *Caſſinenſes iuſtè Fratris nomen ſuppreſſerunt.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

tibus conueniant, aliorum esto iudicium. Vmbertus Prædicatorum nouitios instituens, *Omnibus*, ait, *cum reuerentiâ loquantur per pluralem, dicendo potiùs*, vos, *quàm per singularem, Tu.* Eundem modum Tutissandi ablegant Clerici Regulares S. Pauli, tamquam Religiosis indignum. Societas IESV Sacerdotibus tribuit *vestra Reuerentia*, reliquis Socijs, si Latinè loquantur, *Tu, Tibi, Te*: si vernaculè, *vos*, & *vobis*. Petrus Blesensis ante quadringentos & ampliùs annos de hâc consuetudine ad Comitem quemdam electum in Episcopum Carnotensem scribens, ita censuit: *Quadque per* Tu, *&*, Tibi, *&*, Te, *scribo, molestè non feras: pluralis enim locutio, quâ vni loquendo mentimur, sermo adulatorius est, longè à sacro eloquio alienus.* Idem tamen Blesensis Cantuariensi Archiepiscopo scribens, non exhorruit hanc phrasim: *Vos verò Pater oretis altissimum*, & Epistolâ præcedenti: *Date igitur, Reuerende Pater, voci vestra vocem virtutis &c.* Item ad Gualterum Roffens. Episcop. *Malo tamen vos offendere.* Et alibi sæpius.

Vmb. lib. de instruct. offic. cap. 5. §. quoad membra. Cler Reg. S Pauli in Reg. con. uers. p 2. cap. 4. Nigron ad reg. 22. Comm. Societ. Iesu. Petr. Bles. Epist. 15. Blesensis in aliâ sententiâ. Epist. 52. Non constanter. Epist. 51. Epist. 56.

Iam verò quomodo Religiosos suos Legislator noster compellari voluerit, ità aperit: *Priores iuniores suas* Fratres *nominent: Iuniores autem priores suos* Nonnos *vocent: quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem, quia vices Christi agere creditur,* Domnus *& Abbas vocetur, non suâ assumptione, sed honore & amore Christi.* Quæ in sequentibus ordine discutienda erunt.

Cap. 65.

DISQVISITIO II.

Cur Fratris *nomen Religiosis tributum?*

Fratris appellatio charitatis plena.

AD insinuandam eam, quæ inter Religiosos esse debet, animorum vnionem, mutuamque charitatem, nihil conuenientius, nihilque suauius FRATRIS nomine excogitari potuit. *Frater* enim, si vocis etymologiam spectes, teste P. Nigidio apud Agellium, dicitur quasi *ferè alter.* Cōueniunt enim in multis *Fratres*, quibus nimirùm, vt Philosophus ait, *communes sunt parentes, vterus, sanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores.* Nō immeritò igitur Quinctilianus ait; *quod nulla amicitia possit esse tam felix quæ imitetur Fraternitatem.* Atque vt Hesiodus cecinit:

Agell lib. 13, cap. 10. Arist. 8. Ethic. cap. 11. Quinct. declam. 321. Fraternus amor valdè magnus. Hesiod. in Ergis.

Sed nec germano quisquam est æquandus amori.

Certè coniugali, ac filiorum dilectioni præferendus quodammodò videtur: nam, vt maxima etiam sit, ascititia est, & violari facilis, neque semper reciproca, propter inæqualitatem. Illa autem inter Fratres est A perfectissima. Vnde in sacro Epithalamio amātes illi, *sponsi*, & *sponsæ*, alijsq; hominibus nō cōtenti, *Fratris, & Sororis* quoq; nomine vtuntur, vt se suauiùs arctiùsque complectantur. Audi illum: *Vulnerasti cor meum* Soror *mea, Sponsa*, &; *Aperi mihi* Soror *mea, amica mea, columba mea.* Audi iam & sponsam: *Quis mihi det te* Fratrem *meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, &c.* Sic Assuerus trepidæ & timore exanimatæ Esther dicebat: *Quid habes Esther? ego sum* Frater *tuus.* Vniuersè ergo qui inter B se sociali vinculo colligantur, *Fratres* appellatos inuenimus.

Suauissimus. Cant. 4. 9. 5. 2. Cant. 7. 1. Esther 14.

Nam *Primò*, quia Deus voluit omnes proximos diligi, omnes *Fratres* appellantur; *quos* (vt inquit Ambrosius) *rationalis natura quidem vterus effudit, & eiusdem matris generatio copulauit: eadem enim natura omnium mater est hominum, & ideo* Fratres *sumus omnes, vna atque eadem matre generati, cognationisque eodem iure deuincti. Ideoque & Dominus Fratrem appellauit, & eum, à quo sanguis Fratris exquiritur.* Sic *Fratris* nomine C etiam censetur inimicus, hæreticus, infidelis; quia, vt Lucretius cecinit:

I. Fratres dici possunt omnes homines. Ambros. de Noë, c. 26.

——— *Cælesti sumus omnes semine oriūdi,*
Omnibus ille idem Pater est, ———

Lucret. lib. 2.

Imò & aliâ ratione, quam adfert Basilius, *Quoniam non modo spiritualis pater vnus est Deus, sed terrenus quoque Adam, & mater tum Ecclesia, tum terra.* Vnde Tertullianus gentilibus scribens, ait: *Fratres autem etiam vestri sumus, iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali Fratres.*

Basil. hom. 21. Tertull. in Apolog. ad. uers. Gent. cap. 39.

Secundò, Plato censebat omnes, qui in D vnâ ciuitate viuūt *Fratres* esse. Atque apud Hebræos, vt Clemens Alexandrinus annotauit, *Frater dicebatur non tantùm ex eisdem natus parentibus, sed etiam qui erat eiusdem tribus, & eiusdem verbi particeps, atque ita lex prohibebat Fratri fænerari.* Sic in Leuitico dicitur: *Fratres vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.*

II. Ciues vnius oppidi. Plato in Menexe. Clem Alex. Strom. lib. 2. cap. 8. Deuter. 24. Leuit. 25.

Tertiò, Christus Dominus suos *Fratrum* nomine dignatus est appellare; *Ite*, inquit, *nuntiate* Fratribus *meis, &c.* Et Magdalenæ dixit. *Vade ad* Fratres *meos, & dic eis: ascendo* E *ad Patrem meum.* Vnde in primitiuâ Ecclesiâ Christiani omnes *Fratres* dicebantur; quo nomine frequentissimè vtuntur Apostoli Petrus & Paulus, alijque. Ridebant verò hanc appellationem Gentiles, quibus Patres optimè responderūt. Tertullianus: *Sed & quod* Fratres *nos vocamus; non aliàs, opinor, infamant, quàm quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est.* Fratres *autem etiam vestri sumus, iure naturæ matris vnius. At quantò dignius* Fratres *& dicuntur & habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis,*

III. Christus discipulos Fratres nominauit. Matth. 28. Ioan. 20. Et primi Christiani se mutuò. Tertull. in Apolog. aduersus gēt. cap. 39. Quas ob caussas.

ctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis? Lactantius aliam addit rationem: *Nec alia caussa est, cur nobis inuicem Fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares esse nos credimus. Nam cùm omnia humana non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diuersa conditio: nobis tamen serui non sunt, sed eos & habemus & dicimus spiritu Fratres, religione conseruos.* Sic ille. Testatur verò Tertullianus: Cœtum ipsum Christianorum vocatum esse nomine *Fraternitatis*, ob incredibilē amorem, vsque etiam ad gentilium stuporem, qui non poterant, quin exclamarent: *Vide, vt inuicem se diligant, & pro alterutro mori sint parati.*

Lactant. Instit. lib. 5. cap. 16. — *Tertull. vbi supra.*

IV. *Religiosi meritò Fratres vocantur.* *Quartò*, ob easdem has aliasque rationes, meritò nomen *Fratris* appropriatum est Religiosis, qui sacratiori quodam nexu inuicem colligati sunt. Quare S. Basilius illum Regij Vatis versiculum, *Ecce quàm bonum & quàm iucundū habitare Fratres in vnū*, ait pertinere ad eos, qui regularem vitam degunt in cœnobio. Et Augustinus ait: *Ista verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico quàm in intellectu, etiam Monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt* Fratres, *qui habitare in vnum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum.* Hæc Augustinus.

Basil. const. Monast. cap. 19. Psalm. 132. — *August. in Psalm. 132.*

Declaratur. Et sanè nihil deest Monachis, cur *Fratres* vocari non possint: est enim ipsis vnus & idem Pater, vna etiam & communis Mater. Omnes enim eodem semine Spiritus sancti progeniti sunt, omnes ab vno Deo spiritualem hanc vitam acceperunt. Mater autem ipsa Religio, quæ eos omnes non suâ vi, sed Dei vi generatos, suo tamen vtero eodem omnes concepit, eodemque lacte aluit, & tamquam verissimos fœtus suos formauit, enutriuit, & ad perfectionem prouexit. Inter se verò ita vniti sunt, vt verè habitent vnius moris in domo, atque vt Augustinus ait: *Ita in vnum viuunt, vt vnum hominem faciant, & sit in illis, vt scriptum est, vna anima, & vnum cor, & multa quidem corpora, sed non multa corda.* Spiritualis autem hæc Fraternitas multò melior Fraternitate sanguinis. *Hæc enim*, vt alibi Augustinus, *inter se communia cum æmulatione diuidit: illa etiam cum gratulatione communicat. Hæc consortio sæpè despicit Germanos: illa assumit frequenter alienum.* Et apud Cassianum Abraham Abbas: *Fratrum* (sanguine) *dirimit charitatem contentiosa diuisio. Monachi soli perpetuam coniunctionis retinent vnitatem, atque indiscretè possident vniuersa: quia omnia sua esse, quæ Fratrum, omnia Fratrum esse credunt, quæ sua sunt.* Et idcirco, vt idem Auctor alibi: *In*

Ibid. — *Fraternitas spiritualis præstat sanguinis.* — *August. ser. 27. de verb. Apost.* — *Cassia. coll. vlt. cap. vlt.* — *Collat. 16. cap. 3.*

his tantùm indirupta potest dilectio permanere, in quibus vnum propositum, ac voluntas, vnum velle, ac nolle consistit. Hinc in vitis Patrum, & apud plerosque Monasticos Scriptores tam Græcos quàm Latinos, Monachi passim *Fratres* vocantur, & non iuniores tantùm ita appellari S. BENEDICTVS voluit, sed totâ Regulâ suâ discipulos suos *Fratres* appellat.

PERSONÆ MONASTICÆ. — *Monachi olim Fratres dicti.*

Cassinenses verò in *Declarationibus* ad hunc Regulę locum ita scribunt: *Ex nostrâ antiquâ consuetudine ad differentiam Mendicantium, Monachos nostros appellamus Domnos, sed affectu Fratres.* Displicet porrò hæc *Domni*, præsertim in Iunioribus appellatio, Columbano Vranex Blandiniensi Abbati, & Petro Walloncappellio ad S. Winnoci Priori in MSS. suis ad Regulam S. BENEDICTI commentarijs, & nomen *Fratrum* seruari mallent. *Primò*, quia *Domni* nomen est Abbatis, ijsque tantùm conuenit, à quibus ex Regulâ benedictio petenda, & danda est. *Secundò Fratris* nomen maioris humilitatis, charitatis, & amicitiæ vocabulum est, quàm *Domnus*, quod dominationem, & arrogantiam sonat, & iunioribus minimè conuenit. Absurdè sanè iuuenis seipsum *Domnum* vocitet, & omninò incongruum est, si puer sexdecim annorum in professione dicat: Ego *Domnus* N. &c. *Tertiò*, *Fratris* appellatio, vt iam dictum, à primis Christianis, ipsisque Apostolis, & Apostolorum Domino Iesu Christo, in Religiosos velut hereditario quodam iure deriuata est. Retinenda igitur *Fratris*, & *Patris* vocabula, quæ mutuæ charitatis sunt indicia, & dulcia admodum nomina. Ita ferè illi. Vnde etiam nonnullæ Congregationes *Fratris* nomen retinent, vt Bursfeldensis, Mellicensis, Vallisoletana, & aliæ. Quibusdam placet Sacerdotes *Domnos* vocare; alios eo ordine non initiatos, *Fratres*. Quod videtur etiam Cassinēsibus in vsu fuisse; vt enim ex chartâ Bernardi Abbatis apud Wion, ex quâ officiales pronuntiabantur, patet, non tantùm *Nonni* ibidem assignantur, sed etiam *Fratres*; ita siquidem habet: *Epistolam Frater Desiderius legat. Euangelium, Responsorium, & Versum* Frater *Vincentius canat. Lectionem memoriter* Frater *Thomas legat. Lucernam* Frater *Andreas procuret, &c.* Quin imò, illa etiā mens fuisse videtur Abbatum in Concilio Aquisgranensi congregatorum. Dum enim decernunt: *Vt qui præponuntur, Nonni vocentur*; alios hoc nomine censeri minimè videntur voluisse, sed *Fratris* nomen illis reliquisse. Probat nihilominus Iulius Nigronus hanc Cassinensium in Iunioribus appellandis vocis *Fratris* suppressionem, quantumuis à Sancto BENEDICTO

Cassinenses nunc vocant Domnos. — *Quod quibusdam non placet.* — *Primò.* — *Secundò.* — *Tertiò.* — *Sacerdotes Domni, cæteri Fratres quibusdam dicti.* — *Arnold. Wion lib. 2. lig. vit. cap. 61.* — *Probabilius.* — *Concil. Aquisg. can. 54.* — *Nigron. Reg. 23. com. nu 41.* — *Cassinenses Fratris nomen suppresserunt.*

Ccc præ-

PERSONÆ MONASTICÆ.

præscripta fuerit; quod ipsum Societas Iesu imitata sit. Expediebat enim, quod à Religiosis Mendicantibus, qui ferè omnes *Fratres* appellantur, Monachi adolescentiores distinguerentur. Adeò autem Mendicantibus Ordinibus *Fratris* nomen appropriatum est, vt per illud in diplomatibus Pontificijs distinguantur à Canonicis, & Clericis Regularibus, atque à Monachis. Mihi vero in hoc genere placet prudens Constitutio Carthusianorum, quæ ita habet: *Monachi vocentur* Fratres *in Prouincijs illis, in quibus inter sæculares esset scandalum, si vocarentur Domni.* Ita illi. Neque metuendum arbitror, ne hæc appellatio charitatis plena, humilior quibusdam videatur, quando & Dominos Canonicos multis sæculis *Fratres* dictos fuisse, Molanus, eruditus Theologus, & ipse Canonicus, ex professo adstruit; quæ nomenclatura, ait, passim obuia est in multarum Ecclesiarum erectionibus, dotationibus, priuilegijs, & constitutionibus. Sed nollent, vt mox subdit, digniorum Ecclesiarum Canonici inferiores Canonicos, *Fratres*, aut *Confratres* agnoscere. Vnde Leodiensis Canonicus ab Hoxemensi *Confrater* salutatus, respondisse fertur: *Confrater, sicut musca sunt aues.*

Quod Mendicantibus proprium. — *Const. Carthus. 1. Cõpil. cap. 13. §. 1.* — *Non tamen humile censendum.* — *Molan. lib. 1. de Cano. cap. 1.* — *Cùm Canonicis tribuitum olim fuerit.*

DISQVISITIO III.

Quid vox Nonnus *significet?*

IVniores, inquit S. BENEDICTVS, Priores *suos* NONNOS *vocent.* Cuius vocis origo, significatio, & vsus apud Monachos, nobis hic expendendus.

Cap. 63. Origo vocis Nonnus varie petita.

Vnde autem hæc vox originem ducat, & cuius linguæ sit, non satis assequi se fatetur Gaspar Barthius, & à nemine adhuc decisum esse. Sed nos quæ de eâ inuenimus, hîc proferemus.

Barth. in Aduers. lib. 46. cap. 21.

I. *Ex Græc.* *Primò*, Guido Iuuenalis in Metaphrasi Gallicâ dicit esse nomen Græcum, cui fauecat Matthias Martinius, formari volens à νῦς, vt νόνος sit συνεχὴς, sapiens, vel à νοῖν, cogitare, meditari. Sed longiùs id petitum.

II. *Ab Hebræo.* *Secundò*, Hadrianus Scrieckius Flandricum *Nonne*/ deducit ab Hebræo נין NIN vel נון NVN vnde quodam dicunt *Nunneken*/ & interpretatur *virgo*, vel *vidua velata*: pro quâ interpretatione citat Stephanum Guichardum, in Harmonia Etymologica Linguarum v. *Nin*. Vereor tamen, vt id Hebræis persuaderi possit. נין *Nin* enim, Pagnino Auctore, *Filium* significat: quod prorsus alienum, cùm *Patrem* hîc potiùs indicare velit. נון *Nun* quoque S. Hieronymo, in interpretatione nominum de Psalterio, & *fetus, piscis, sempiternus*: & vltimam hanc interpretationem etiam habet in Epistola ad Paulam Vrbicam; traditurque ab Eusebio. Syriacè & Chaldaicè נונא *Nuna*, quod cum *Nonna* & *Nunna* magis conuenit, piscem significat: sed quid, quæso, hæc ad mentem S. BENEDICTI? aut cur hinc *Nonnus* originem traxerit?

Scrieck. 1. Ind. Orig. — *Non ita verò.* — *Pagnin. in Lex.* — *Epist. 153.* — *Euseb. lib. 10. de præpar. Euang. c. 2.*

III. *A nouem.* *Tertiò*, recentior Regulæ nostræ Commentator, Vir variè doctus, vocem NONNVS, Latinam arbitratus, molliusque Hispano more efferens, *Nonus*, interpretatur *Subdecanus*, aitque: Cur Religiosi vocentur *Noni*, multi dubitarunt, placet hæc coniectura. Monasteria magna in decurias distribuit D. Pater, Decurio in Regulâ dicitur *Decanus*, reliqui nouem *Noni*; si stylo cultiori operam des, *Nouemuiros* potiùs vocabis. Quæ explicandi ratio sanè miranda, cùm in nullis, quod sciam, exemplaribus legatur *Nonos*; & in Ordine Cisterciensi iam pridem vulgatissimum sit, Sacerdotes vocare *Nonnos*. Deinde repugnat S. BENEDICTO: si enim totum Monasterium in Decurias distributum, & omnes Subdecani sint *Noni*, quinam erunt reliqui, qui vocentur Fratres? Deinde, Priores, siue Seniores vocandi sunt *Noni*, vt nunc ita loquar, ergo & ipsi Decani; qui plerumque Seniores: vt omittam nullâ Latinitatis specie, *Nonum* significare *paternam reuerentiam*, atque vt significaret, non tribueretur omnibus, qui *Subdecani* sunt: nec cultiori stylo nouem subditos vni Decano, vocaueris potiùs *Nouemuiros*; vocabulum enim hoc significat nouem collegas, vnum simul administrantes Magistratum, sicut Duumviri, Triumviri, & Decemviri.

Peregrinè fatis, nec ad mentem S. Benedicti.

IV. *Ab Italico.* *Quartò*, cùm Italus fuerit S. P. BENEDICTVS, non incongruum videri queat, ex Italicâ linguâ huius vocis etymon venari. *Nonno* enim Italis est auus, *Nonna*, auia: quibus non ineptè tribuatur paternæ reuerentiæ titulus.

V. *Verior deriuatio ab Ægyptijs, qui sanctos Monachos vocabant Nonnos.* *Quintò* igitur, dicendum ab Ægyptijs hoc verbum venisse; solent enim aliquoties res eius gentis sortiri vocabula, in quâ præcipuè fuerint, aut vnde natæ sint. Ægyptus autem præter ceteras prouincias Monachorum gregibus abundabat. Apud Ægyptios, inquit Kilianus, sanctimoniâ præsignes Monachi, dicti *Nonni*; Monachæ verò & virgines sacræ, *Nonnæ*. Sic etiam Henricus Grauius, Gerardus Falkenburgius, & Fridericus Silburgius, præfatione in Nonnum Poëtam.

Grau. in Epist. 22. Hieron.

Quæ autem vocis huius significatio? *Glossæ Arabico-Lat. Nonnus, Maior*, nempè in Monasterio. Sed nomenclatorem hîc egit S. P. BENEDICTVS, qui ait: *Iuniores seniores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reueren-*

Nonnus quid significet.

reuerentia; cuius quidem interpretationi acquiescere nos par est.

Vsitata ea vox veteribus.
Hieron. Epist. 47.
Arnob. in Psal. 140. in Psal. 105.

Veterem apud Monachos huius nominis vsum discimus ex Hieronymo: *Quæ in adulationem tui sanctum* Nonnumque *coram te vocat.* Arnobius similiter: *Adulantes nobis inuicem, in præsenti positi sanctos vocamus & Nonnos.* Idemque: *Terrenæ mentes interficiuntur hoc ordine: si ille qui sanctus vocatur &* Nonnus, *sic agit; ego quis, aut quotus sum, vt non agam?* Vides hîc *sanctum* semper coniungi cum *Nonno:*

Etiam Nonna.
Hiero. Epist. 22.

Vnde fœmininum *Nonna*, pro Sanctimoniali frequentiùs apud Auctores inuenitur. Hieronymus in prologo vitæ S. Hilarionis: *Decus ac dignitas virginum* Nonna *Asella.* Et ad Eustochium: *Quia maritorum experta dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur & Nonnæ.* Eædem porrò & *Nonnanæ*, & *Nonnanes* antiquitùs dictæ. Vnde Galli *Nonnaine*, & *Nonnettes*, & Germanicum **Nonnen/** & **Nonnekens.**

Benedictini multo tempore dicti sunt Nonni.
Can. 54.

Nonni verò appellatione olim ex Regulæ suæ præscripto vsos Benedictinos, constat ex Concilio Aquisgranensi, in quo decernitur: *Vt qui præponuntur,* Nonni *vocentur.* Quod & apud Cluniacenses obtinuit.

Trithem. lib. 2. de vir. ill. Ord. S. Ben. c. 155.
Wion lib. 2. lig. vit. c. 61.
Cassinenses.

Venerabili Bedæ *Nonni* prænomen attribuit Trithemius. Quæ consuetudo talis denominationis, vt ait Arnoldus Wion, inuiolabiliter obseruata est in Monasterio Cassinensi, per annos ampliùs quàm octingentos, vt ex Cerimoniâ pronuntiandi Officiales hebdomadarios per D. Bernardum Abbatem anno 1282. defunctum factâ, colligere licet. Vbi sic præscribitur: *Vicarius ordo postulat, vt in hâc futurâ hebdomadâ canat* Nonnus *Amicus Missam; coquinæ seruitium* Nonnus *Remigius faciat, ad seruitium Ecclesiæ* Nonnus *Iacobus &c.*

Posteà Domni, vel Donni appellati.
Smarag. in cap. Reg. 63.

Denique & hoc annotandum, quòd vox *Nonnus*, iam olim ab aliquot sæculis in nomen *Domnus*, vel *Donnus* migrauit. Testis Smaragdus, qui ita ait: *Sicut tunc apud illos paterna exhibebatur reuerentia, vt Priores vocarentur* Nonni: *Ita nunc apud nos exigitur hodie, vt ipsa paterna reuerentia Priores nostri à nobis vocentur* Donni; *siue enim* Nonni, *siue vocentur* Donni; *siue iuniores vocentur Fratres, omnia benè congruunt. Tantùm est vt nullus Fratrum proprio vocetur nomine.* Hæc Smaragdus.

Et quidam sic legunt.

Vnde colligas, malè in impressis quibusdam Regulæ exemplaribus, loco illius *Nonnos*, legi *Domnos:* quam lectionem miror in textu & commentario legi ab Antonio Perez. Habetur tamen eadem in Regulà, quæ cum Constitutionibus Patrum Camaldulensium impressa est Florentiæ anno 1572. & in textu, quem Cardinalis Turrecremata tractatibus suis inseruit.

PERSONÆ MONASTICÆ.

DISQVISITIO IV.

Quæ significatio vocis Domnus?

Cap. 63.

DOmni titulum Abbati tribuendum S. Legislator ait. *Abbas,* inquit, *quia vices Christi agere creditur, Domnus & Abbas vocetur: non suâ assumptione, sed honore & amore Christi.*

An legendum, Dominus, vel Domnus Abbas.

Vbi primùm excutienda B lectionum diuersitas; nam in *Concordiâ Regularum* pro, *Domnus*, legitur *Dominus:* atque ita, teste Boërio, habet littera Cassinensis; exemplaria quoque Victorina, teste Menardo, vtraq; editio Guidonis Iuuenalis, Louaniensis, & Ioan. Bertels:

Proba magis lectio, Domnus.

præferendum tamen putarim, *Domnus*, vt citat Busæus in notis ad Petrum Blesensem, Alardus Gazæus, præfat. ad Cassianum, asseritque Menardus ita in codicibus MSS. atque editis omnibus quos vidit, legi *Domnus.*

Probatur ex eius vsu apud Scriptores S. B. Synchronos.
Ennod lib. 5. Epist 4.
Lib 9 epist. 25.
S. Greg lib. 1. regist. Epist 6.

Et confirmatur hæc lectio, C ex eo, quòd æuo Sancti BENEDICTI, ac deinceps valdè frequens fuit. Ennodius *Cùm vestris ad* Domnum *Faustum commendatitijs.* Repetitque lib. 9. Epistol. 29. & Epist. 30. *Domnus Rhodianus.* etiam in fœminino; *Benè fecisti* Domna *Agnella.* Venantius Fortunatus *Domnum Martinum* extulit. Gregorius Magnus: *Domnum Alexandrum, Domnum Theodorum, Domnam Eusiriam, Domnam Eudochiam, & Domnam Dominicam, meâ peto vice salutari.* In precibus Ecclesiasticis summus Pontifex vocatur D *Domnus Apostolicus.*

Item alios.

Lector in diuino officio benedictionem petens, dicit: *Iube* Domne *benedicere.* Eadem vox occurrit apud Gregorium Turonensem, S. Odonem, Goffridum Vindocinensem, Petrum Blesensem, aliosque.

Molan. lib. 5. de Cano. cap. 13.

Rectè proindè Molanus: Abbatissæ non *Dominæ*, sed *Domnæ* dici solent, vt Abbates *Domni*, sicut animaduertere licet ex multorum Monasteriorum membranis, quarum quædam Gothicis litteris sunt descriptæ.

Et Carthusiensium statutis.
Stat. antiq. 2. p. cap. 32. §. 23.
Stat. nou. 2. p cap. 3. § 15.

Robur denique nostræ lectioni adijcitur ex Car- E thusianorum Statutis, qui Benedictinis vt plurimum vestigijs insistunt: sic autem habent: *Fiat admonitio in Domibus Ordinis, vt nulli Prælati, aut subditi Domini appellentur.* Quo autem nomine vocandi, explicatur alibi: *Priores à suis subditis Domni nuncupentur.*

Domini titulus propriè Deo conuenit.
1. Tim 6.

Cur autem non *Domini?* nimirùm, quòd *Domini* titulum illi propriè conuenire censerent, *qui est Rex Regum, & Dominus dominantium:* & cui in Hymno Angelico accinimus; *Tu solus Dominus.* Vt significetur in Deo esse supereminentem Dominij gra-

PERSONÆ MONASTICÆ.

dum: cuius comparatione quodcumque A terrenum dominium, etiamsi totius orbis esset Monarchia, vix vmbra esset perfecti illius dominij, quod est penes Dominum Deum nostrum. Reuerentiæ ergo causâ, à *Domini* nomine abstinuerunt, & per syncopen eliso, i, dixerunt *Domni:* siue ab Hebræo אדן *Adon*, vt quibusdam placet per litteræ primæ aphæresim. Vnde vulgatus ille versiculus:

Modestia eo abstinere suasit.

Cælestem Dominum, *terrestrem dicito* Domnum.

Vt iam minimè mirum sit, Basilium, Ambrosium, Hilarium, aliosque veteres Patres probare Spiritum sanctum, ex eo B quòd sit *Dominus*, esse Deum. Quid, quod & primi Romani orbis Imperatores *Domini* titulum recusauerint? Scribit enim Suetonius de Octauiano: *Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit.* Et de Tiberio: *Dominus appellatus à quodam, denunciauit ne se amplius contumeliæ causâ appellaret.* Alexander etiam Seuerus, teste Lampridio, cùm Augustum nomen accepisset, *Dominum* se appellari vetuit. Quæ modestia Ecclesiasticis, & præsertim Monachis meritò imitanda. Obseruat autem Franciscus Iuretus, Iuonis æuo, *Domni* prænomen Ecclesiasticis ferè tribui: *Domini* sæcularibus. In Religiosorum familijs idem titulus non tantùm Superioribus, sed & alijs assignatur. Vnde Smaragdus: *Nunc apud nos exigitur hodie, vt ipsa paterna reuerentia Priores nostri à nobis vocentur Domini.* Et Cassinenses in Declaratorio: *Ex antiquâ nostrâ consuetudine, ad differentiam Mendicantium, Monachos nostros appellamus* Domnos, *sed affectu Fratres.* Vsitatam quoque hanc apud Carthusianos appellationem ex eorum colligas Statutis, in quibus habetur: *Monachi vocentur Fratres in Prouincijs illis, in quibus inter sæculares esset scandalum, si vocarentur Domni.* Clerici Regulares Theatini, alijque Ordines S. Pauli, Sacerdotes suos eadem appellatione honorant: siue, vt Hispani & Itali dicunt, *Don*, Lusitani, *Dom.* Græci quoque in eâdem hâc voce syncopen amant, qui κῦρος, pro κύριος ponunt, & breuius aliquando, κῦρ: exempla vide apud Gretserum, *Notis ad orationem* Germani Patriarchæ. Vnde fortasse à Belgis vsurpatum *Sr*, seu Dominus, & Hebraicè סר *Sar*; vt notat Serarius. An & hinc Gallorum *Sire?*

Et Romani Principes reiecerunt. Sueton. in Aug. cap. 53.
Id. in Tib. cap. 28.
Domni quondam dicti Ecclesiastici. Iuret. not. ad Epist. 28. Iuon.
Smarag. ad cap. 63. Reg.
Et hodie retinent Ordines Religiosi.
3. Compil. cap. 13. §. 5.
Græcorum κῦρος vnde.
Tom. 2. de Cruce pag. 591.
Lib. 1. Litaneut. c. 13.

DISQVISITIO V.

An Patris nomen rectè tribuatur Religiosis?

NON rectè tribui, ex Sancti Hieronymi reprehensione colligi videtur: sic enim ait. *Cùm Dominus noster in Euangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum nisi Deum: nescio quâ licentiâ in Monasterijs, vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus.*

Videri Religiosos non rectè vocari Patres. Hieron. lib. 2. in Gal. 4.

Contraria tamen pænè omnium Ordinum praxis est, vulgari vsu receptissima, vt Sacerdotes *Patres* appellentur. Nam quamuis scribat Nigronus, cùm suauissimum nomen *Fratris* præoccupatum esset ab Ordinibus Mendicantibus, voluisse S. Ignatium, Societatis Iesu Sacerdotes *Patris* nomine nobilitare, vt eo appellarentur, non quidem à seipsis, sed ab alijs eiusdem Ordinis, tum voce tum scripto: passim tamen videmus innaluisse mo- C rem, vt etiam Mendicantium Ordinum Sacerdotes, & præsertim Concionatores, Confessarij, & officium aliquod gerentes, *Patris* prænomine cohonestentur; quamuis cum eodem etiam nomen *Fratris* retineant, scribentes: R. P. *Frater Ludouicus Granatensis, R. P. Frater Philippus Diez:* quinimò, conqueritur doctissimus Bosquierus in quibusdam Seraphici Ordinis Auctorũ scriptis prętermissum illud *Fratris* prænomen; perpetuam illam, inquit, Religiosorum hominũ notam. Quare D & Humbertus, V. Magister Generalis Ordinis D. Dominici: scripsit *vitas-Fratrum* sui Ordinis; nec alio nomine Iordanus de Saxoniâ, Ord. Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, librum quem de origine & progressu eiusdem Ordinis scripsit, inscripsit, quàm *vitas-Fratrum.* Vt videas adamatam iam olim, atque etiamnum Mendicantibus Ordinibus nomenclaturam *Fratrum*, licet & *Patrum* eis conueniret.

Reclamat praxis in Sacerdotibus. Nigron. ad Reg. 22. com. nu. 15.
Apud Iesuitas.
Et Mendicantes, qui etiam Fratres dici amant.
Bosq. præfat. ad Conc. de prodigo.
Hinc Vitæ-Fratrum.

Sed vt de nostris nunc agamus, posse E Sacerdotio initiatos, non minus quàm aliorum Ordinum, *Patres* appellari, nullus credo negauerit. *Primò*, quia, vt Hieronymus testatur, *vulgato sermone, maximè in Palæstina & Ægypti Monasterijs, se inuicem Patres vocant.* Cyrillus etiam Alexandrinus Epistolam, quam misit ad Presbyteros, & Diaconos, quæ habetur in actis Synodi Ephesinæ, simul inscripsit πατράσι μοναχοῖς, *Patribus Monachis.* Et Augustinus: *Honorificentiæ causâ Patres appellamus eos, qui nos vel tempore, vel meritis præcesserunt: Illud honoris est,*

Benedictini Sacerdotes possunt dici Patres. I.
Honoris causâ. Hieron. lib. 4. in Matth.
Par. 1. cap. 2.
Collat. Carthag. 3. cap. 242.

vt quo-

vt quotidie senibus dicamus Pater. Cur igitur in Ordine S. BENEDICTI, Presbyteros & Seniores, honorificentiæ caussâ, non liceat appellare *Patres?* præsertim cùm S. BENEDICTVS veterum Monachorum instituta, & loquendi formulas maximè sit imitatus?

II. *Sacerdotij.* *Secundò*, quibuscumque Sacerdotibus nomen *Patris* competit: quibus in S. Liturgiâ dicimus: *Confiteor Deo,* &c. *& tibi Pater:* &c. *Benedicite* Pater *reuerende.* Quo iure illud Benedictinis Sacerdotibus negaueris?

III. *Ex mente S. Benedicti.* *Tertiò*, iubet S. Pater Seniores vocari *Nonnos*, id est, *paterna reuerentia.* Possunt proinde ex eius mente, & *Patres* vocari, cùm *Paterna reuerentia*, vel *reuerenda Paternitas* paulò ampliùs videatur.

IV. *Ex praxi.* *Quartò*, praxim probant Cassinenses in Declaratorio: *Iuniores Seniores suos* Patres *vocant.*

Responsio ad argumentum. *Sixt. Sen. lib. 6. annotat. 279.* Sed quid ad argumentum ex S. Hieronymo initio motum? Respondet Sixtus Senensis; arbitrari se periodum hanc à feditiosulo quopiam Monacho in fronte paginæ descriptam: & inde posteà ab oscitantibus Librarijs in contextum translatam. Nec se falli, probat ex altero, quod produximus Hieronymi testimonio, quo loco S. Doctor exponit, quomodò *Patres* vocari possint homines, cùm Saluator dixerit: *Patrem nolite vobis vocare super terram. Quod,* inquit, *sic soluitur: Aliud est natura esse Patrem, vel Magistrum: aliud indulgentiâ: nos si hominem* Patrem *vocamus, honorem ætati deferimus: non auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri Magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per naturam Deus, & vnus Filius non præiudicat ceteris, ne per adoptionem Dij vocentur, & filij; ita & vnus* Pater, *& Magister non præiudicat alijs; vt abusiuè appellentur* Patres, *& Magistri.* (*S. Hieronymus in nostrâ sententiâ. Matth. 23. Hieron. lib. 4. in Matth.*) Eodem ferè modo Augustinus exponens illud; *Ne vobis dicatis Patrem in terrâ,* ait: *Quod non ideò dictum est, vt hoc vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei, quâ in æternam vitam regeneramur, naturæ, vel potestati, vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur.* (*Et S. Augustinus. Matth. 23. August. in Psalm. 77.*)

Peccatur in appellatione, excessu, Affertâ sic hâc appellatione: Notandum in eâ dupliciter peccari posse, excessu scilicet, & defectu. Excessu, si Sacerdotio non initiatus, *Pater* appelletur: quod pluribus (*Nigron. ad reg. 22. comm. nu. 44.*) prosequitur Nigronus: aut si eidem dicatur, *vestra reuerentia*, &, *vestra Paternitas*, quæ formulæ Sacerdotibus conueniunt. *Et defectu, si Patris nomen Sacerdoti negetur* Defectu, vt idem annotauit, peccatur, si Sacerdotes sine *Patris* nomine appellentur, & qui eosdem alloquens, illis formulis vteretur, quæ Clericis, & Coadiutoribus (siue Conuersis & Laicis, in alio Ordi-

A ne) conueniunt. Quod si hâc vrbanitatis honestate Religiosos eiusdem Ordinis inter se vti par est, quantò id magis erit obseruandum erga aliorum Ordinum Patres? Quos si inferiori titulo appellaueris, id vel contemptus, vel æmulationis quodam studio fecisse forsitan indicaberis. Optassem proinde, vt fraternæ huius R. P. Iulij Nigroni admonitionis memores fuissent, cùm ille, qui ad *Bibliorum Concordantias Morales & historicas Appendicem* adijciens ex *Siluâ Allegoriarum*, Aucto- (*PERSONÆ MONASTICÆ. Maximè alterius Ordinis. Quidam hic impegerunt.*)

B rem eius numquam alio vocat nomine, quàm *Fratrem Hieronymum Lauretum Benedictinum:* cùm Abbatem fuisse, satis ex titulo libri, & Possevino, intelligere potuerit: tum alter, qui *Astri inextincti Eclipsim* & deliquium scribês; Antagonistam suum nonnisi *Fratris Romani* dignatur nomine; quod ad aduersarij, Presbyteri sanè & Theologi, depressionem, quispiam fortè traxerit. Etsi enim vterque hic Auctor, vt & alij Benedictini, non illibenter se *Fratres* nominent; religiosæ tamen morum hone-

C stati conueniens est, vt alios congruentibus semper nominemus titulis: *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*, infimo loco & titulo ipsi contenti. Quo nomine laudata S. Mechthildis Diezzensis, de quâ vitæ Auctor: *Soror Mechthildis contendit appellari sine* Dominæ *adiectione; altum omne contempsit in nomine: sed vsus exegit domus, & Monasterij Regula, vt Domina vocaretur & Abbatissa.* Laudandus & ille Carthusianorum Prior, qui Petrum Venerabilem precabatur, ne *Patris* illi nomen adscriberet. (*Honora alios, teipsum paruipende. Philipp. 2. Fecit S. Mechthildis. Cap. 10. Prior Carthusiensis.*)

D *Et illud,* inquit, *præ omnibus & super omnia quæsumus, & defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram* Patris *nomine dignam vlteriùs existimetis. Satis & super satis est; si Frater; si amicus; si filius appelletur, qui nec serui nomine dignus habetur.* Quare Euthymius ad illud Christi: *Patrem nolite vocare vobis super terram: Nec vocemini Magistri;* ait: *Nec vocemini, id est, ne vocari cupiatis: nam si vos ita vocent alij, non erit id ad vestram condemnationem.* (*Petr. Clun. lib. 3 ep. 25. Matth. 23.*)

Hoc denique adiecerim, quos nos *Pa-*

E *tres Domnos*, vel *Nonnos* appellamus, Græcis dici χαλόγηρος, quo nomine nostri Ordinis Scriptores Græcos insigniuit Wion. Meursius autem in Glossario Græco-barbaro, ex *Coronâ pretiosâ*, χαλόγηρος interpretatur *Monachus*, & χαλογρία, *Monialis*. Vtitur hâc voce Palladius in Lausiaca: δακρύσας ὁ γέρων ὁ χαλόγηρος, ἐσπλαγχνισθεὶς: quod Gentianus Hernetus vertit: *Lacrymatus ergo præclarus Senex, & commotus visceribus.* Pro quo Heraclidis interpres habet: *Vir ille venerabilis.* Subdit porrò Meursius: Ita autem vocabant Monachos & Monachas ætatis prouec- (*Græci Monachos suos appellant Calogeros. Wion lig. vit. lib. 1. Pallad. cap. 193. Lausia. Vnde id nomen ipsis inditum.*)

PERSONÆ MONASTICÆ. Theuet.li. 18. Cosmog. c.13.

ptouectioris, quasi à pulchrâ senectute: & mox extendi nomen ad quosuis cœpit, nullâ habitâ ætatis ratione. Theuetus describens Monachos Montis Athos, ait eos *Kalogeros* appellari duplici significatione, vel quasi *bonos senes*, & *bonos homines* Deo sacratos, vt sunt Ecclesiastici.

DISQVISITIO VI.

Quâ Reuerentiâ Iuniores prosequi debeant Seniores?

AD debitum in Religiosâ congregatione seruandum ordinem, & illud quoque spectat, vt inter Iuniores & Seniores debita seruetur iustitia; nimirùm vt hi *Iuniores diligant*, illi *Priores honorent*. Duo autem sunt, per quæ S. BENEDICTVS Senioribus reuerentiam & honorem, à Iunioribus voluit impendi.

S. Benedictus vult vt iuniores benedictionem petant à Senioribus. Cap. 63. 25. q. 5. cap. Decreta. 1. Petr. 5. 5. Ambros. lib. 1. offic. cap. 17.

Primum est, vt *vbicumque sibi obuiant Fratres, Iunior à Priore* (id est Seniore) *benedictionem petat. Decreta Patrum* (vt Zosimus Papa apud Gratianum refert) *senectuti sanxerunt reuerentiam, nam senectus iuuentuti anteponenda est.* Et Apostolorum Princeps ait: *Adolescentes subditi estote Senioribus.* Cicero de Amicitiâ: *Eum, qui nos ætate anteit, tamquam Superiorem colere debemus.* Cui consonat Ambrosius: *Bonorum Adolescentum est, deferre parentibus honorem, habere Senioribus reuerentiam.* Hanc autem S. BENEDICTVS exhiberi voluit in eo, quod *Iunior benedictionem petat* à Seniore. Vt enim S. Paulus ait: *Sine vllâ contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.* Ex quo capite infert; Melchisedech Abrahamo, & omni eius posteritate extitisse maiorem.

Hebr. 7.

Eisq; assurgant reuerenter. Cap. 63.

Alterum, quod S. BENEDICTVS à Iunioribus requirit, hisce exprimit verbis: *Transeunte Maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi: nec præsumat Iunior consedere, nisi ei præcipiat Senior suus, vt fiat quod scriptum est: honore inuicem præuenientes.*

Assurgere maioribus in more fuit. Hebræis. Genes. 31. 35.

Vbi notandum *primò*, apud Hebræos, Græcos, & Latinos, Maioribus, à sedentibus exhiberi reuerentiam assurgendo. De Hebræis constat ex Scripturâ. Nam Rachel Patri suo se excusans, ait: *Ne irascatur Dominus meus, quod coram te assurgere nequeo.* Et Aman succensuit Mardochæo, quòd sedens ante fores palatij, sibi non assurrexisset. Imò & inter diuina præcepta, & hoc vnum: *Coram cano capite consurge, & honora personam Senis, & time Dominum Deum tuum.* De Græcis testis est Aristoteles; *Omni*, inquit, *Seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo & sessione cedendo, atque huiusmodi ceteris.* Plato quoque Iuuenes ac pueros instituit, quemadmodû facere debeant,

Esther 5. Leuit. 19. 32. Græcis. Arist. lib. 9. Ethic. c. 2. Plato in Dialogo de sepub.

A cotam Senibus, cedere illis locum, & assurgere. *Lacedæmonij*, vt M. Tullius tradit, *venientibus Senibus, omnes in theatrò assurgere solebant, & eos sessum recipere.* De Romanis Agellius: *Maiores natu à minoribus colebantur, ad Deûm propè & parentum vicem.* De iisdem Romanis ita cecinit Iuuenalis,

Cicero de Senect. Romanis. Agell. lib. 2. cap. 15. Iuuen. Satyr. 13.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si Iuuenis Vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumq; puer: licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos,
B *Tã venerabile erat præcedere quattuor annis,*
Primaq; par adeò sacra lanugo senectæ.

Leges honorem Senibus decernunt. L. semper de iur. immun.

Callistrati quoque Iureconsulti dictum receptum est, & in Leges relatum. *Semper in ciuitate nostrâ Senectus venerabilis fuit. Namque Maiores penè eumdem honorem Senibus, quem Magistratibus tribuebant.* Quis credetet eam rem cordi fuisse Imperatoribus Romanotum, nisi leges audiret? Iustinianus Imperator in Constitutione quâdam C *de Monachis & Asceterijs, & eorum conuersatione*, asserit se in aliâ constituisse, vt, *Iuniores reuereantur canitiem Seniorum.*

Iustin. Nouell. 133.

S. Benedicti locus illustratur. Smaragd. in cap. 63. reg. S. Bened.

Notandum *secundò*. Quamuis sufficienter mentem suam S. BENEDICTVS explicauerit; ita tamen apud Smaragdum à quodam Magistro Monachorum illustrari: In occursu, *si ex eis*, inquit, *vnus fuerit Senior, prius Iunior benedictionem postulet; tunc demum Senior prosequatur. In consessu verò Fratrum, si alius superuenerit, qui Iuniores sunt, ordine assurgant, & Senioribus locum præbeant. Iuniores verò Senioribus nullatenus superbiendo contradicant.* Praxim verò Basi- D lius ita docuit: *Coram natu maiore quàm tu, caue ne assidere festines; quòd si vt id facias, iubeore, nolito tu, & in pari cum illo sellâ sedere, sed tum huc illucq; oculis diligenter circumspexeris, operam sedulò da, vt sellam humiliorem aliquã inuenias; vt ob istam animi tui humilem submissionem, gloriâ te officiat Deus.* Sic ille.

Basil. serm. de abdicat. rerum.

Quid de eodem statuant Camaldulenses. Camal. ad c. 63. Reg.

Rectè quoque Camaldulenses in eandem rem sic habent: *Præcipiunt Patres, ac volunt, quod Prælati, ac Magistri Nouitiorum, seu Iuuenum, doceant eos vbique reuereri Senes, ac Sacerdotes, detegendo caput, sistendo, ac locum dando, seu assurgendo, dum transeunt; in-* E *clinando, & alia huiusmodi reuerentiæ signa faciendo. Imò hoc non solùm erga maiores & Seniores obseruare debent Nouitij, ac Iuuenes, verùm etiam inter se Sacerdotes, iuniores & Senes dum sibi inuicem obuiant, inclinando caput, vel detegendo, & id genus reliqua faciendo, quæ etiam vrbanitas docet.*

Ratio naturalis dictat honorandos senes.

Notandum *tertiò*. Optimo iure præcipi, vt honorentur *Seniores*; naturalis enim ratio id docet: cuius rei signum est, quòd Itali, Hispani, & Galli, Dominum dicant *Signore, Señor, Seigneur*, à Latino *Senior*, quasi dignitas

dignitas in Senibus sit. Ex quâ re (vt ait A Gaspar Bartius) licet veterum Germanorum bonos mores notare, qui tantùm reuerentiæ prouectioris ætatis hominibus tribuerunt, vt alio eos nomine non censuerint quàm *Dominorum:* quod ex eo clarissimum, quod quibuscumque illi regionibus & prouincijs Romanorũ imperium euerterunt, nullum sit discrimen inter appellationem *Senioris* & *Domini:* Imò *Domini* vocabulum prorsus pænè interijt, suffecto illo altero, piam ciuilitatem præ se ferente. Sic ille. Qui vocem *Senior* pro *Do-* B *mino* vsurpari putat à Fausto Reiensi, illis verbis: *Putamus charissimi, quòd dignè quærat illa anima, & ita pulset, vt ei aperiatur, quæ ad leue præceptum Senioris respondere præsumit, & dicere: numquid serui vestri sumus? Iam feci vicem meam: & ille faciat suam.* Verùm, hunc cùm ad Monachos scribat, crediderim eodem modo loqui, quo S. BENEDICTVS dicit: *Neque præsumat Iunior consedere, nisi ei præcipiat* Senior *suus:* quod ex toto illo libello patet. Supremum quoque Romanæ Reipublicæ Concilium *Senatus* appellatur, voce à *Senibus* deducta. Vnde Ouidius: C

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani;
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Tradit quoque Plutarchus, Græcis *honorem* dici γέρας, & *honorare*, γεραίρειν, easq; voces esse deductas ἀπὸ τῶν γερόντων, hoc est, à *Senibus*. Prætereà supremum eorum Magistratum, qui Spartanorum Regibus assidebant, γερουσίαν vocatum. Optimè quoque D Ambrosius: *Apud omnes vtique gentes honorabilis est Senectus. Vnde & Synagoga, & posteà Ecclesia* Seniores *habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesiâ.*

Notandum *quartò*. Eadem quæ Monachis hîc S. BENEDICTVS præcipit, iam olim quoque Clericis fuisse præscripta. Concilium enim Laodicenum ita habet: *Non oportet Diaconum coram Presbytero sedere, sed iussione Presbyteri sedeat. Similiter & Diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est à Subdiaconis, & omnibus Clericis.* Idem constituit E Concilium Agathense, & Aquisgranense primum. Hinc ritus Missalis præscribit, vt, Diacono circa altare occupato, assurgat Subdiaconus.

Vltimò loco addiderim præceptum à S. Ephræm Iuniori inculcatum: *Si quando eris*, ait, *inter Senes, non sis ad loquẽdum velox ac loquax; ac tace, donec interrogeris.* Ad virtutem temperantiæ id totum refert S. Prosper, his verbis: *Temperantia est quod reuerentiam Senioribus exhibemus: æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiam pater-*

Barth. aduersar. lib. 48. cap. 4. Veteres Germani laudati.

Faust. de instruct. Monach. Faustus Reiensis voce Senioris intelligit Superiorem.

Senatus à Senibus dictus. Ouid. 5. Fast.

Et honor apud Græcos. Plutarch. Num seni resp. sit gerenda. cap. 20. Ambros. in 1. Tim. 5.

Clerici iubentur Seniores honorare. Canon. 20.

Agath. Can. 65.

Ephræm Tom. 2. in caut. Spir. Prosper lib. 3. de vit. contemp. cap. 19. Quod ad temperantiam referatur.

næ dilectionis impendimus: quod præstamus loquenti Seniori silentium, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperium. Scripturæ S. præceptum est: *In medio magnatorum non præsumas, & vbi sunt* Senes, *non multùm loquaris.*

PERSONÆ MONASTICÆ. Eccli. 32. 11.

DISQVISITIO VII.

Quæ apta inter Religiosos salutandi formula?

QVod Isocrates in parænesi suâ Demonicum, monet, vt salutandi obuios quosque perquam sit studiosus, & facilis ad hoc humanitatis officium, id, Ambrosio teste, *cõmunis vsus est gratia: Sic inferiores Superiorum sibi fauorem cõciliare consueuerunt. Gentiles quoque cum Christianis habent huiusmodi officiorum commercia.* Salutatio autem, vt annotanit Iulius Nigronus, beneuolẽtiæ, amicitiæ & charitatis est signum; per quam aliquod bonũ optamus ac precamur ijs, quos salutamus: quod non facerem, nisi amaremus. Hinc est quòd per salutationem iniuria remissa, reconciliatio facta putatur; atque ex negatâ salutatione censetur, qui negauit, inimicus, vt ex iure Canonico Glossa docet. Et quia hæretici sunt hostes Ecclesiæ, minimè salutandos præcipit S. Ioannes, qui negat eis *aue* esse dicendum. Cùm ergo inter Religiosos Charitas florere, ac nutriri debeat: præscripsit etiam S. BENEDICTVS, vt occurrentes sibi inuicem Fratres, salutationem impertiantur: *Vbicumque*, inquit, *sibi obuiant Fratres, iunior à Priore benedictionem petat.*

Isocrat. orat. ad Demon. Ambros. li. 7. in Luc. 10.

Nigron. ad Reg. 17. commonn. Salutatio necessaria alenda charitati.

Glossa in cap. cum Adrian. d. 61. 2. Ioan. 10.

A S. Benedicto præscripta petitione benedictionis. Cap. 63.

Sed quomodo petenda hæc *benedictio?* Iam olim Cistertienses Cluniacensibus exprobrarunt neglectum huius *benedictionis*, quòd non dicerent omnibus locis occurrentibus Fratribus; *Benedicite;* sed ex Petri Cluniacensis responso: optima eorum praxis facilè apparet, ita enim ait: *Vbicumque sibi obuiant Fratres, iunior à priore benedictionem petit,* Benedicite, *dicendo, si extra regularia loca fuerit, & humiliter inclinando: sed nihil ore proferendo, si infrà officinas regulares sibi occurrerit. Quod si semper loquendo hanc peti debere dicitis, videant discreti, vtrum superfluæ locutioni vtile silentium imponi, an supponi debeat. Superfluam verò idcirco dicimus, quia ad id quod æquè benè silentio fieri potest, linguam non esse necessariam existimamus: maximè cùm nullius sermonis propter hanc salutationem proferendi in Regulâ facta fuerit mentio.* Sic ille. A quo non dissentit Bernardus Cassinensis, qui ait: *Vbi & quando loqui licet, potest iunior modestè dicere:* Benedicite. *Aliàs autem vbi & quando non licet, solâ corporis*

Pet. Venerab. lib. 1. epist. 28.

Qualis eius praxis apud Cluniacenses.

Bern. Cass. in Spec. Non semper fit locutione sed inclinatione manu.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Const. Cassinens. ad cap. 63. Vallisolet. ad cap. 63. Reg.

poris inclinatione benedictionis postulatio fiat: quod vniuersaliter approbant Constitutiones Cassinensium, quæ sic habent: *Hanc benedictionis petitionem, intelligimus signo magis quàm verbo; ideò per inclinationem capitis fiat.* Vallisoletani ita ferè statuunt: *Hanc benedictionem petimus dicendo*, Benedicite, *& inclinando versus illum qui præterit, qui si sit Decanus, vel multi temporis professus, dicat, Dominus, vel si mult ob maiorem humilitatem, petat eius iunioris benedictionem dicendo:* Benedicite. *Post completorium, & in dormitorio, & ceteris locis, & temporibus summi silentij, hæc benedictio non datur, nec petitur.* Ordo Præmonstratensis (vt habet Boërius) ita statuit: *Si qui Fratres obuient Abbati, se in partem debent diuertere, supplicantes eidem vbicumque fuerint, extra dormitorium.* Solam inclinationē suis præscribit S. Dorotheus: *Summâ*, inquit, *cum reuerentiâ, & veneratione mutuò vobis occurrite, & obuiam ite. Quisque vestrûm Fratri suo caput inclinet, humiliet se coram Deo, & Fratre suo.*

Secundum loca & temporis exigentiam. *Doroth. serm. 4.*

Verùm quia hæc benedictionis petitio non vniuersè omnibus, sed iunioribus tantùm erga *Seniores* præscripta inuenitur (quamuis & *Senior*, vt Vallisoletani mox dicebant, ex humilitate petere possit;) disquirendum deinceps, num alia etiam nostris commendata, aut vsitata salutationis reperiatur formula. Et sanè erui illa potest ex ijs, quæ Ostiario S. Pater, his verbis præscripsit: *Mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit,* Deo gratias *respondeat, aut benedicat.* Quibus verbis duplicem salutandi tradit formam. Prima est, quâ dicitur, *Deo gratias*: altera, quâ *benedictio* vel à maiore petitur, vel minori impenditur.

Alia salutandi formula ex Regulâ eruitur. *Cap. 66.* *Deo gratias.*

Notandum autem formulam illam dicendi, *Deo gratias*, priscis etiam vsitatam Monachis, & à magno Augustino contra circumcellionum obloquia defensam; ita autem ait: *Hi insultare nobis audent, quia Fratres dum vident homines,* Deo gratias, *dicunt. Quid est, inquiunt,* Deo gratias? *Itáne surdus es, vt nescias quid sit* Deo gratias? *Qui dicit* Deo gratias, *gratias agit Deo. Vide si non debet Frater* Deo gratias *agere, quādo videt Fratrem suum. Non enim non est locus gratulationis, quando se inuicem vident, qui habitant in Christo? & tamen vos* Deo gratias *nostrum ridetis.* Hæc ille, qui alibi quoque de eâdem voce hæc habet: *Nam quid melius*, inquit, *& animo geramus, & promamus, & calamo exprimamus, quam* Deo gratias? *Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi vtilius potest.* Deo igitur gratias.

Quâ vsi Monachi veteres. August. in Psal. 132. *Ab Augustino defensa.* Idem Epist. 77.

Vtuntur porrò hâc formâ non illi tantùm qui Benedictinis parēt legibus, sed & Societatis Iesu Clerici, & Theatini, alijq́;

Quinam Ordines hodie dicant, Deo gratias.

A vt annotat Caracciolus, qui ait: *Deo gratias*, psalmodiæ quædam continuatio est. Reuerà non hominum est humi degentium, sed cælestiū spirituum perpetua Dei laudum celebritas. Nos imbecilles cùm æmulari coelites, aut integris assequi vestigijs non valeamus, identidem nihilominùs duo ista verbula *Deo gratias* proferimus, vt hoc saltem modo diuini numinis recordemur. Eam porrò formulam à Deiparâ Virgine ad posteros profluxisse, elicitur ex D. Bonauenturâ.

Caracciol. ad Constitut. Cleric. Reg. p. 1. c. 1. Bonau. in Med. de vit. Christ.

B Ceterùm, vt rectè Baronius obseruauit, vsque ad Christi Ascensionem *pacis* tantùm verbo aliquem salutare moris fuit (dicendo, *pax tibi*, aut, *Pax vobis*) vt in antiquo testamento plura exempla suppetūt, & in nouo; de Christo, qui eodem *Pacis* nomine salutare consueuit Discipulos; quos, vt eodem etiam modo, cùm in domos alienas introirent, in eis agentes salutarent, monuit. Vnde Tertullianus: *Nam & hodie*, inquit, *Iudæi in pacis nomine appellant, & retrò in scripturis sic salutabant.* Solēt

C verò Episcopi loco *Dominus vobiscum*, in primâ præsertim Missæ salutatione, dicere, *pax vobis: Eius enim vtuntur Eulogio, cuius funguntur Pontificio*, inquit Innocentius III. Nec tantùm in Liturgiâ, sed & in Ecclesiæ ingressu, & ex Cathedrâ, in exordio sermonis ad populum dicebat Episcopus, *Pax vobis.* Testatur id Chrysostomus, & eius discipulus Isidorus Pelusiota, lib. 1. epist. 122.

Vetus mos appetendi Pacem. Baron. ann. Christi 45. num. 28. Tertull. aduers. Marcion lib. 5. cap. 5. Innocent. 3. lib. 1. de Missæ Myster. cap. 24. Chrysost. hom. 36. in 1. ad Cor.

D Paulus IV. alijque nonnulli graues Patres Ordinis Clericorum Regularium, vt testatur Caracciolus, allocutiones ad Fratres his verbis auspicabantur: *Benedictus Deus*, quam formulam, è Chrysostomo desumpserint: fatetur enim ille se ea verba ferè semper habuisse in ore.

Benedictus Deus. Caracciol. loco citato. Chrysost. homil. de reditu ab exilio.

Affinis huic salutationi est ea, quam Carmelitas Discalceatos frequentare intellexi, nimirùm, vt vnus dicat, *Laudetur Iesus Christus*, alterque respondeat: *In sæcula*, vel, *Amen*, vel, *Semper*: quam salutandi formam Sixtus V. in Bullâ quâdam Fratribus Discalceatis concessâ anno 1587.

E probauit, & indulgentijs decorauit, cuius verba hîc subijcio. *Quia non est aliud nomen sub Cælo in quo nos oporteat saluos fieri, nisi nomen* IESV, *idcirco omnibus & singulis Christifidelibus, qui hoc modo salutauerint alios, nempè suo vulgari, seu Latino sermone:* Laudetur Iesus Christus, *& his qui sic responderint,* In sæcula, *vel,* Amen, *aut,* semper; *vtrisque tam salutantibus quàm respondentibus, quinquaginta, vbicumque id factum fuerit: Qui autem nomen* IESV *ore nominauerit reuerenter, vel nomen Mariæ, viginti quinque dies. Qui verò in mortis articulo ore, vel corde (si ore non potuerit)*

Carmelitæ qui se salutent. *Cum fructu Indulgentiarum.* *Quæ extensa ad nomen Iesv pronunciationem.*

rit) idem nomen inuocauerint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen IESV, *plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem impertimur.* Ita Pontifex. Cuius verbis approbari quoque videtur, & illa salutandi forma, quâ Sanctimoniales quædam ad

Modus salutandi apud Moniales.

A Cratem vtuntur: dicendo nomen, IESVS; & respondendo, *Maria.* Aut quâ aliæ quædam dicunt: *Aue Maria,* respondetque, *Gratia plena.* Et nostrarum illa Benedictinarum, quâ primùm dicitur: *Benedicamus Domino:* & respondetur, *Deo gratias.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

TRACTATVS V.

DE ABBATE.



QVÆ hactenus dicta aut explicata, totius Cœnobij *corpus in genere spectant. Nunc, vt in anatomiâ fieri amat, ad partes potiores descendentes, nouum à Capite exordimur caput. Quemadmodum autem* Christus caput corporis Ecclesiæ, *&* vir caput est mulieris; *ità in Monastico corpore,* Abbas, *siue Prælatus, Capitis locum obtinet.* Caput, *vt Ambrosius ait*, tamquam numen in sublime locatum membra dirigit, & obsequia singulis decernit. Abbas *quoque, vt* S. BENEDICTVS *ait*, vices Christi agere creditur: *& omnibus superior, singulis sua decernit officia. Disquirimus itaque* Primò, *de nomine Abbatis.* Secundò, *Quibus alijs nominibus vocetur?* Tertiò, *Qualis esse debeat?* Quartò, *Quæ eius erga subditos officia?* Quintò, *De Baculi Pastoralis, quo vtitur, nomine & significatione.* Sextò, *Vt ab eo Fratres ad consilium adhibendi?* Septimò, *Quo modo consilium dandum?*

Coloss. 1. Ephes. 5.

Abbas in Monastico corpore est Caput.

Ambros. li. 9. Hexam. cap 9.

Cap. 63.

Non nescius sum, multò plura de Abbatis *aut* Superioris *officio posse disputari, & fortassis à non nemine exspectari; verum ego non integrum volumen de hoc officio, sed quasdam tantùm annotationes ad* S. BENEDICTI *textum adijcere volui. Plura qui desiderat, alios Commentatores, & Casuum conscientiæ Tractatores adeat, & præsertim Ludouici Mirandæ* Manuale Prælatorum Regularium, *& Ascanij Tamburinij Ord. Vallis Vmbrosæ, & S. Theologiæ Magistri, Opus tribus tomis distinctum, de* Iure Abbatum.

Auctor non intendit fusè Abbatis officium persequi.

. *Si cui spiritualia magis est animus legere, huic suggero Climaci* librum ad Pastorem, *S. Gregorij Magni de* Curâ Pastorali, *Prosperi de* Vitâ Contemplatiuâ & actiuâ Sacerdotum: *S. Bonauenturæ de* Sex Alis Seraphim, *Laurentij Iustiniani de* regimine Prælatorum, *& eiusdem tituli opusculum Dionysij Carthusiani. Vtilissimum quoque in hoc genere fuerit legisse Claudij Aquæuiuæ, Societ. Iesu Præpositi Generalis*, *Tractatum de* instruendis formandisque Superioribus, *eiusdem* Industrias ad curandos animæ morbos, *& ex his locupletiùs formatos Caroli Scribanij* Superiorem, *&* Medicum Religiosum: *Quibus adde* Oculum Abbatum *R. D. Guilielmi de le Val Prælati Monasterij S. Ioan. Baptistæ in Pratis, & breuem Cardinalis Berulli libellum, cui titulus,* DIRECTIO Superioris.

Scriptores, à quibus plura in hanc rem peti possunt.

DISQVISITIO I.

De nomine Abbatis.

Abbas pro Cœnobij Præfecto.



COENOBII præfectum, & monasticæ Congregationis caput, vsitato iam olim apud Ægyptios, aliosque vocabulo, S. BENEDICTVS *Abbatem* A nominat. *Abbas* porrò Græcâ Latinâque inflexione dicitur, qui Hebræis est אב *Ab* Chaldæis & Syris אבא *Abba:* qua terminatione & apud Latinos non raro legitur. MS. Regulæ S. BENEDICTI exemplar Monasterij

PERSONÆ MONASTICÆ. nasterij S. Dionysij in Brocqueroiâ, inxta Montes Hannoniæ, in recto semper habet, *Abba*. S. Odilo in vitâ S. Maioli: *Et ab omnibus Domnus, & Abba honoratur.* Et paulò pòst: *Domnus videlicet & Abba Wilhelmus.* Abbo Cernuus:

Dictus etiã Abba.

Abbo lib. 2. de obsid. Lutet.

Idem: ——— *Ebolus fortissimus* Abba.
——— *alter Comes, alter &* Abba.

Sic alter Abbo Floriacensis in Carmine Dædalæo ad Othonem Imperatorẽ, quod refert Aimoinus in vitâ ipsius cap. 13. Bernardus Morlanensis:

Morlao. de contemptu mundi.

Qui benè disputat, & citò computat arte Scholari,
Non petit actibus, at petit artibus Abba *creari.*

Iustinianus quoque eadem forma in Græco textu dixit: κελεύομεν τοίνυν τὸν ἀββᾶν, ἢ τὸν ἀρχιμανδρίτην, τὸν ἐν ἑκάστῳ μοναστηρίῳ προβάλλεσθαι μὴ πάντως κατὰ τοὺς βαθμοὺς τῶν μοναχῶν. *Iubemus igitur, Abbatem, aut Archimandritam in vnoquoque Monasterio ordinari, non omninò secundum gradum Monachorum.*

Nouell. 123.

Significatio autem manifesta est Sacris Litteris. Paulus ad Romanos: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus:* Abba *Pater*. Et ad Galatas: *Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem:* Abba, *Pater*. Quin & ipse Christus in horto orans, *dixit:* Abba *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* De quibus testimonijs, vt alios omittam, audiendus Augustinus: *Paulus dicit Romanis scribens, in quo clamamus:* Abba *Pater, in vno nomine duabus vtitur linguis, dicit enim* Abba *Hebræo vocabulo Patrẽ, & Latinè nominat idẽ tidem Patrem.* Alibi iterum: *Quod autem ipse Marcus, non solum Pater, sed,* Abba *Pater, eum dixisse commemorat, hoc est,* Abba *Hebraicè,* quod *Latinè Pater.* Censet ergo vtrâque linguâ Christum locutum, prout etiam Scholiastes apud S. Hieronymum: *Hebraicè, inquit, & Græcè loquitur, quia non est distinctio Iudæi & Græci.* Alij putant, Scripturarum more, Hebraicum vocabulum cum suâ interpretatione positum.

Rom. 8.
Abbas Patrem significat.
Galat. 4.
Marc. 14.
August. Epist. 177.
Id. lib. 3. de cons. Euangel. cap. 4.

Vtcumque autem hoc fit, *Abbatis*, siue Patris nomine, optimè exprimitur Cœnobiarchæ officium. Nam, vt Tertullianus ait: *Appellatio ista & pietatis est & potestatis.* Pietatis, quia parentes & superiores filios subditosque debent diligere: potestatis, quia peccantes debent corrigere. Hine Abbatem S. BENEDICTVS admonet, vt *miscens terroribus blandimenta: dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum.* Vt autem hoc paulò planiùs explicemus, notãdum quod S. Thomas ait, quòd *sicut carnalis Pater particulariter participat rationem principij, quæ vniuersaliter inuenitur in Deo: ita etiã persona quæ quantum ad aliquid prouidẽtiam circa nos gerit, particulariter participat rationem Patris:*

Quo nomine Cœnobiarchæ officium exprimitur.
Tertull. lib. de Orat. cap. 2.
Cap. 2.
2. 2. q. 102. art. 1.

A *quia Pater est principiũ & generationis & educationis, & disciplinæ, & omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent.* Hinc liquet, quàm meritò Monachorum Præfecti *Patres, Abbatesque* nominentur, cùm ijs tria hæc paterna beneficia, *gignere, alere, instruere*, impendere debeant.

A primo officio Patres vocantur Genitores: quemadmodum autem Paulus dixit: *In Christo Iesu per Euãgelium ego vos genui*; ita *Abbates* quâdam similitudine de subditis suis dicere possunt: Per Regulam B Religioni, ac S. BENEDICTO vos genui. Vt autem naturalis est amoris affectus parentum erga filios; ita spiritualis dilectio à Superioribus exhibenda est subditis, quod *Abbatis* nomine indicatur. Nam אבא *Abbo* Syriacè ab אבה *Aua*, id est, *dilexit*, deriuatur. Hanc autem dilectionem S. BENEDICTVS *Abbati* non semel inculcauit, cùm ait: *Oderit vitia, diligat Fratres. Æqualis sit ab eo omnibus charitas.*

Cuius est, Filios Religiosos gignere & S. Benedicto signere.
1. Cor. 4.
Cap. 64.
Cap. 2

Secundum Patris officium est, prolem educare, siue pascere: hinc τὸ πατὴρ quidam C deducunt à πάω, id est, alo. Et Belgicum nostrum **Vader**, est quasi **Voeder**, altor: nisi ex Græco deriuare malis. Cœnobiarcham autem Pastorẽ creditarum sibi animarum esse, ex Regulâ paulò pòst ostendemus.

Eosdem educare.

Tertium Patris officium est, filios erudire. Hinc Hebræum אב *Ab* etiam pro Magistro vsurpatur, sicut & filius nonnumquam capitur pro discipulo. Quid autem frequentius in totâ Regulâ, quàm doctrina Abbatis, & discipulorum obedientia D inculcatur? *Cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet* doctrinâ *suis præesse discipulis.* Quomodo autem ea instillanda, pluribus prosequitur.

Et erudire.
Ibid.

Hæc autem vel eâ gratiâ fusiùs nonnihil prosecuti sumus, quòd ipse Legislator hanc nomenclaturam inculcet & vrgeat. *Meminisse*, inquit, *semper debet* Abbas *quod est, meminisse quod dicitur.* Et ipsum capnt sic exorditur: *Abbas qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur: & nomen maioris factis implere. Christi* E *enim agere vices in Monasterio creditur quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* Circa quæ verba quærat aliquis, quodnam Christi prænomen sit, quo & *Abbas* vocetur? An quia dixit Christus: *Vos vocatis me Magister, & Domine; & benè dicitis: sum etenim*; vtrumque hoc nomen vel prænomen indicare voluerit S. Pater Abbati communicatum? Magistrum passim in Regulâ vocari, vti & subditos discipulos, manifestum est. De altero prænomine ita statuit: *Abbas autem, quia*

S. Benedictus Patris nomen Cœnobiarchæ inculcat.
Rom. 8.
Quo Christi prænomine Abbas vocetur.
Ioan. 13.
Cap. 63.

quia vices Christi agere creditur, Domnus & *Abbas vocetur: non sua assumptione, sed honore & amare Christi.* An quia, vt Christus omnium Christianorum *Pater* est, ita suorum *Abbas* fit, dicaturque *Pater* Monachorum: vel, vt ipse S. BENEDICTVS eum vocat, *Pater Monasterij. Omnia*, inquit, *necessariò à Patre Monasterij sperare, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit.* Christo autem hoc nomen *Patris* conuenire, nemo dubitauerit, cùm apud Isaiam vocetur *Pater futuri sæculi*, vel quia futuros Christianos ad nouam & Euangelicam vitam instituit, vel quia in arbore crucis peperit nos, & in cœlum ascendens, supernæ Ierusalem ianuam nobis reserauit. Vatablus propriè vertit: *Pater æternitatis.* Adã enim genuit nos tempori, Christus æternitati; Adam morti, Christus resurrectioni, Adam terræ, Christus cœlo. Vnde S. BENEDICTVS significare videtur, nos per spiritum adoptionis filiorum ipsi Christo clamare; *Abba Pater*, & hoc ipsum Christi nomen *Abbatem* vices eius gerentem participare. Quod in Concilio II. Aquisgranensi vtcumque exponitur, his verbis: *Abbates Ecclesiasticâ iura intemerata custodiant, videlicet: vt cognoscant, cuius prænomine notentur in eo quod* Abbates *vocati sunt, quod & intelligitur in typa Christi, nomen* Spiritalis Patris. *Ideoque semetipsos nomini quod acciptunt confarment, vt subditis & spiritalibus filijs exemplum præeundo & informando religiosè exhibeant.* Sic ibi. Vnde piè nonnulli, & per accommodationem Christum *Abbatem* faciunt in magno Monasterio Ecclesiæ: cuius Regula in Euangelijs digesta sit, vt Crantzius, lib. 8. Metrop. cap. 47. Gerson verò ait: *Erat Iudas ciuis sanctorum adscriptus de ciuitate Ierusalem, tamquam domesticus commensalis, & Canonicus Regularis sub Abbate Christo.* Et mox: *Tradidit Iesum Patrem suum, Fratrem suum, domesticum suum, & Abbatem.* Quo testimonio inter alios vtitur Pennottus, vt Canonicos Regulares ab Apostolis institutos demonstret; & Tamburinius asserit etiam respectu Monachorum, Christum appellari *Abbatem*, institutorem, Legislatorem, Ducem, & Patrem: quia Monachorum, omniumque Religiosorum status ab eo immediatè institutus, & ordinatus fuit.

Reg. cap. 33. | *Christus est Pater.* Isai. 9. | *Et Prælatus participat hoc nomen.* | Aquisg. 2. cap. 1. | *Christus Abbas Monasterij.* | Gers. part. 3. serm. in Cœn. dom. | *Apostoli Canonici Regulares, vt quidam speculantur.* Penn. lib. 1. cap. 4. & 5. Tamb. to. 1. de Iure Abb. disp. 1. q. 9.

DISQVISITIO II.

Quibus alijs nominibus Abbates dicti?

Alia Abbatis nomina. 1 *Dictus est Maior.*

PLVRIBVS vocabulis rem vnam designari frequentissimum est. Alia proinde *Abbatis* hic nobis expendenda nomina. *Primò* autem occurrit quod ait S. BENEDICTVS, *Abbatem* debere *nomen* MAIORIS *factis implere.* Vbi *Maior* substantiuè videtur sumi, ad *Abbatis* dignitatem denorãdam, vt dicatur *Maior* sicut etiam dicitur Superior, & Prior. De quo & illud Legislatoris nostri intelligas: *Mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.* Et: *Tertius humilitatis gradus est, vt quis pro Dei amore, omni obedientiâ se subdat Maiori.* Notauit Meursius in Gloss. Græco-barb. *Maiores* pro dignitate accipi. In l. 2. C. *de iudaeis. Iudæus, & Maioribus eorũ, & Patriarchis* volumus intimatum. Benedictus Leuita: *Presbyteri curas sæculares nullatenus exerceant, id est, vt neque iudices, neque* Maiores *fiant.* Florida in Visionibus: *Audiebatque vocem dicentem, quòd hi essent Archidiaconi, & Præpositi, Iudicesque, &* Maiores, *atque Decani, quas ibi videbat residentes.* In his vltimis testimonijs *Maiores* sunt in aliqua sæculari functione, quales Belgicè dicimus **Meyers** / Gallicè *Maires*, quod Kilianus interpretatur *Pratores Maiores*, siue, vrbanos: &, **Meyer van het dorp** / est *Prætor minor*, siue *ruralis*: de quibus VII. Synodus intelligenda. *Si quis autem eorum, qui dicuntur* Maiores, *curationem obtinere deprehensus fuerit, vel cesset, vel deponatur*; explicans Balsamon qui sint isti *Maiores*, ait: μειζότεροι μέν τοι λέγονται, οἱ κυράτορες τῶν ἀγροικικῶν ϖραστίων: *Maiores dicuntur, qui agrestium suburbanorum curatores fiunt.* Sic & *Maior domus* est quidã index, qui domui alicuius Principis, atque etiam Episcopi præest. S. Gregorius: *Volumus autem, vt memoratus Frater noster Paschasius, & vicedominum sibi ordinet, & Maiorem* domus: *quatenus possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis, quæ eueniant, idoneus & paratus existere.* Vbi *vicedominus* est œconomus, qui curet hospites; & *Maior domus*, qui causis præsit. Vide plura apud Menardum, *in cap. 28. Conrad. Regul. §. 2.* Vt autem est *Maior domus*, sic & inuenitur *Maior Monasterij.* Concilium Carthaginẽse V. *Placuit, vt si quis de alterius Monasterio repertum, vel ad clericatum promouere voluerit, vel in suo Monasterio* Maiorem Monasterij *constituere: Episcopus qui hoc fecerit*, &c. Regula Pachomij: *Ægrotantem absque concessu* Maioris, *nullus audeat visitare.* Rursumque: *Qui absque ordine fratrum recesserit, & posteà redierit, non erit in ordine suo absque* Maioris *imperio*: & alibi aliquoties. Regula Magistri: *Nam non ad veniam* Maioris *& ipse pertineat: nisi pœnitentiæ similis satisfactio ab eis æqualiter fuerit operata.* Vbi *Maior* est Abbas, vel Superior. Apud Camaldulenses Eremitas hodieque Præfectus vocatur *Maior.* Quamquam & *Maiores* subinde intelliguntur seniores. Regula Pachomij: *Maiores quicumque è Fratribus mittuntur foras.*

PERSONÆ MONASTICÆ. | Cap. 5. | *Designati Maiores* ob *certo vocis in officio & dignitate positi.* | Lib. 5. cap. 107. | *Pretores maiores, & minores.* | Syn. 7. can. 10. | *Maior domus, quis.* | Greg. lib. 9. regist. Ep. 99. | Ann. 398. can. 13. | *Maior Monasterij pro Abbate.* | Pach. Reg. art. 24. | Art 79. | Reg. Mag. cap. 13. | Art. 111.

Secunda,

PERSONÆ MONASTICÆ.

II. Abbas dicitur Prælatus.

Secundò, Abbas cõmunitet dicitur *Prælatus*, quòd subditis suis præferatur. Vnde de Præposito Magister noster ait: *Quantò prælatus est ceteris, tantò eum oportet solicitius obseruare præcepta Regulæ.* Probat autem Tamburinius, Abbates in sacris Canonibus *Ecclesiæ Prælatos* verè propriéque dici, & esse. Quod nomen vt ipsis cum Episcopis commune est; ità

Cap. 65. Tamb. to. 1. disp. 1. q. 1.

III. Antistes.

Tertiò, appellari solent *Antistites*. Sunt autem apud antiquos *Antistites* primarij cuiusque templi sacerdotes. *Antistes*, vt Isidorus ait, *dictus ab eo quòd* ante stat, *primus est enim in ordine Ecclesiæ, & supra se nullum habet.* Hinc Superiorem Religiosorum προεστῶτα Basilius sæpissimè nominat, quod ab Interpretibus versum, *Antistes*.

Isidor. Orig. lib. 7. cap. 12.

IV. Præsul.

Quartò, dicuntur & *Præsules*. Dicitur autem *Præsul* quasi *præsultor*, qui in sacris præsiliebat: nam in omnibus pompis, ludisque Circensibus iuuenes ibant in numerum saltantes, & subsilientes, qui ludij, & ludiones dicebantur, vt annotat Turnebus. *Præsul* dicebatur, qui primus erat inter Salios, id est, Martis Sacerdotes, à saliendo dictus. Onomasticon: *Præsul χοροστάτης. Id est, qui chorum instituit, & ei cantu vel saltu præit.* Vnde non ineleganti metaphorà *Præsul* vocatur, qui ceteris in officio, aut munere, præsertim Ecclesiastico, præest. Præclare in hunc sensum Gregorius Nyssenus: *Vt chorus aspicit ad coryphæũ, nempe suum ductorem, & nauta ad gubernatorem, & acies ad Imperatorem: ita etiam ad Ecclesiæ Ducem, ij qui sunt in Ecclesiæ cætu.* Papiæ *Præsul* dicitur, *quòd præsit solicitudine:* sicuti solicitus quasi solers citus.

Turneb. li. 10. aduers. cap. 10. Significatio & origo eius vocis.

Nyss. hom. 2. in Eccl.

V. Archangelus Monachorum.

Quintò, legere quoque est, vbi *Abbates* dicti *Archangeli Monachorum*. Ita appellat Fulbertus S. Odilonem: *Excepto illo sancto* Monachorũ Archangelo *Odilone, cui me in nullo comparare præsumo.* Petrus Damiani Cassinensi Abbati scribens, ita Epistolam inscribit: *Archangelo Monachorum Desiderio, Petrus peccator Monachus seruitutem.* Et epist. 15. *Domino Desiderio* Archãgelo Monachorum, *ac ceteris sanctis Fratribus* vbi Cassinensem Congregationem vocat *Angelicum Fratrum, sanctùmque conuentum.* Nimitùm, Monachi etiam *Angeli* appellati, quod frequentissimũ Chrysostomo, qui ait: *Si quis nunc ad Ægypti solitudines venias, paradiso prorsus videbit omnem illam eremum digniorem, & innumerabiles* Angelorum *cætus in corporibus fulgere mortalibus.* Monachum describens Climacus, inter cetera ait: *Monachus est ordo & Status* Angelicus; *in corpore materioli & sordido consummatus.* Vt igitur Metropolitanus, qui alios sub se habet Episcopos, nuncupatur Archiepiscopus; ita auctoribus his, Abbas, qui Monachis ter-

Fulb. Epist. 66. Dam. lib. 2. Epist. 14.

Monachi Angeli appellati.

Chrysost. homil. 9. in Matth.

Clim. grad. 1.

A restribus illis Angelis præest, appellatus *Archangelus Monachorum.*

VI. Cænobiarcha.

Sextò, Græcis Abbas est Κοινοβιάρχης, quasi *Cœnobij Princeps.* Vnde in Regulà S. Pachomij occurrit *Princeps Monasterij.*

VII. Archimandrita.

Septimò ijsdem dicitur Ἀρχιμανδρίτης, velut ouium, siue mandræ pastor, vt * suprà quoque indicatum. Iustinianus:

Prohibent dilecti Deo Episcopi, & dicti Archimandritæ.

* Tract. 3. disq. 1. Nouell. 5.

VIII. Hegumenus.

Octauò denique, vocantur Abbates Ἡγούμενοι, ab Ἡγοῦμαι, id est, dux sum, principatum teneo, præsidẽ ago. Hinc Ἡγούμενοι,
B *præfecti Monasteriorũ:* vsus hac voce S. Paulus: Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν. Vbi vulgatus Interpres: *Mementote Præpositorum vestrorum.* Sæpiùs occurrit apud Basilium, Climacum, aliosque. Vide Meursium, qui corrigit Paulum Diaconum in Nicephoro & Michaële Curopalate scribentem, *Theodorum Eugumenum studij*, pro; *Hegumenum Studij.* Anastasius Bibliothecarius: *Hegumenum præfectum Monasterio B. Sabæ.* Vbi *præfectũ Monasterio*, manifesto glossemate idem
C insertum ait. Basilio quoque καθηγούμενος, & ἀφηγούμενος, Antistes nominatur.

Hebr. 13. 7.

In Hadriano.

DISQVISITIO III.

Qualis debeat esse Abbas?

ACCVRATO penicillo, viuisque coloribus veri *Abbatis* effigiem in Regulæ suæ tabulis S. BENEDICTVS, peritissimus sanè pictor, delineauit. Synopsin eius analyticam *Catechismo* inseruimus. Cùm
D autem hîc proprius de eo agẽdi sit locus; eamdem nonnihil illustrabimus: & sub typo PASTORIS, quem vel maximè S. Pater adamasse videtur, & S. Scripturæ conformis est, Superioris officium explicabimus.

Abbatis qualitates sub Pastoris typo explicatæ.

Nam, vti Superior Dominici gregis *Pastor* iure meritissimo vocatur, ita Monachi oues, & Monasteria Mandræ, caulæ, & Ouilia dici queunt. Hinc S. P. reprehendit Sarabaïtas, quòd *bini aut terni, aut singuli, sine Pastore, non Dominicis, sed suis inclusi Ouilibus* viuant. Cap. 1.

E *Parallelo* igitur vtriusque *Pastoris*, tam rationis expertium, quàm rationabilium ouium depromamus.

Primò autem, considerandum ordinariã Dei lege inferiora per superiora regi: solum hoc per cœlum, & astrorum influentias: Angelos inferiores per superiores, homines per Angelos: Bruta per homines. Ita quod regitur minus est regente. Hinc benè in rem nostram Gregorius: *Tantùm debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris.* Magister itaque noster, vt *Abbatis*

Superiores regunt inferiora.

Greg. Past. part. 2 c. 1.

batis præ reliquis dignam designaret eminentiam; decreuit, *vt vitæ merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est Abbas.* Cùm autẽ eum *vices Christi agere* dixisset, statim monuit: *Ipse autem sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore.* Christi ergo in *Abbate* resplendeat species, cuius gerit vices; & huius similitudine magis præcellat alijs, quàm dignitatis gradu. Inde adeò est grauis illa Bernardi expostulatio. *Enimuero,* inquit, *si sacerdos pastor est, & populus oues; dignum est vt in nullo appareat ouibus pastor dissimilis? Si instar mei qui ouis sum, pastor meus & ipse incuruus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, & soli ventri mente ieiunus pabula quæritans, in quo discernimur? Væ si venerit lupus, non erit qui præuideat, qui occurrat, qui eripiat. Decẽtne pastorem more pecorum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis: & non potiùs erectum stare vt hominem, cælum mente suspicere, quæ sursum sunt & quærere & sapere, non quæ super terram?* Hæc Bernardus.

Cap. 63.
Prælatus sanctimoniâ tantum suis præstet, quantum Pastor ouibus.
Bernard. Epistol. ad Henr. Sen. Episc.

Plura autem requiruntur, vt Cœnobiarcha ita vitæ merito, & sapientiæ doctrinâ inter suos emineat, vt tanto officio, quantum est regere animas Christi sanguine redemptas, dignus habeatur. Oporteret enim omnibus vitijs carentem, omnium virtutum floribus decorari. Breuiter S. BENEDICTVS: *Oportet ergò eum esse doctum lege diuinâ, vt sciat vnde proferat noua & vetera. Castum, sobrium, misericordem, semper superexaltantem misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur.* Quam postremam particulam benè exponit Bernardus Cassinensis. *Præponat,* inquit, *misericordiam iudicio, id est, rigori: alioquin non esset misericors: nam ab humore prædominante dicitur quis aut sanguineus, aut cholericus, aut huiusmodi. Sic & virtuosus ab eâ quæ in eo excellit virtute, aut humilis, aut misericors, vel eiusmodi nuncupatur. Sit igitur in Abbate iustitia, sed non crudelis: sit misericordia, sed non remissa nimis. Sed vbi dubium est de aliquo vitio, numquã vtendum est præcisè iustitiæ seueritate. Vbi verò clarum est, iudicium citro & non vltra cõdignum exerceri debet.* Sic ille. Cùm autem longum foret omnes boni *Abbatis* qualitates explicare; videamus saltem qualis sensu S. BENEDICTI esse non debeat; quem proindè audiamus: *Non sit,* inquit, *turbulentus, non anxius: non sit nimius, & obstinatus: non sit zelotypus, & nimis suspiciosus: quia numquam requiescit.* Fuldẽses Monachi in Libello supplici Carolo Magno porrecto, breui paraphrasi hãc periodum sic explanant: *Non* turbulentus *vultu,* non anxius *animo, non* nimius *in iudicio, non* obstinatus *in consilio.* Sed singula nonnihil expẽdamus. *Turbulentus* Smaragdo dicitur *commotionis irâ turbatus,* veluti

Abbas quibus virtutibus præditus esse debeat.
Bern. Cassin. in Spec.
Quæ vitia vitare.
Cap. 63.
Brovv. antiq. Fuld. l. 3. cap. 12.
I. *Iracundiæ signa.*

A turbidus, ac turbine iracundiæ incitatus, quæ & vultu se facilè prodit; cui opponitur sedatus, tranquillus, mitis & patiens. Benè Salomon: *Vir iracundus prouocat rixas, qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Prælatus proinde, monente Bonauenturâ, *maturè & benignè ad singula respondeat, & impetum feruoris reprimat, ne in voce aut vultu, seu moribus impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem deuincit, quos impetuosè agendo prouocaret.* Sed quis *anxius?* Qui naturâ procliuior est ad angoB rem. *Non autem omnes anxij sunt,* inquit Cicero, *qui anguntur aliquando, nec anxij semper anguntur.* Vt enim iratus differt ab iracundo, sic anxietas ab angore. *Anxitudo,* teste eodem Tullio apud Nonium, *est prono ad luctum, & mærens, semperque ipsa se solicitans.* Hæc si Superiorem corripuerit, reddet eum meticulosum, pusillanimẽ, ad omnia hærentem, & vix quidquam, etiamsi ratio subsit, audentem concedere, & suâ potestate vti. Sequitur, *Non sit nimius,* id est, immoderatus, plus æquo excedens, est enim C *nimium* plus satis: Nam, vt Cicero ait; *Quod satis est, eo quidquid accesserit, nimium est.* Idemque asserit mediocritatem esse *inter nimium & parum.* Clarè Augustinus: *Nimis dicitur, quidquid plus fuerit, quã oportet. Nam parum & nimium duo sunt inter se cõtraria. Parum est, quod minus est, quàm oportet: & nimium est, quod plus est, quàm oportet.* Smaragdo: *Nimius* dicitur *dilargus, prodigus, vel rerum Monasterij nimius & superfluus dispensator:* quæ explicatio ex Cicerone cõfirmari potest: *Vnum,* inquit, *reprehendebas, quod in* D *honoribus decernendis essem nimius, & tanquam prodigus.* Sed non videtur ad prodigalitatem substantiæ Monasterij, hæc vox coarctanda: *nimius* enim est & ille Abbas, qui tam grauiora, quàm leuiora eodem exigit ardore, imò subinde minora magis vrget: & minutijs quibusdam plus æquo intendit, vt vel vnum apicem præterijsse, grande ducat & dicat scelus. Benè hunc talem monet Climacus: *Caue in minimo curiosius inquiras, neque enim (id faciendo) Deum imitabere.* Ille quoque nimius censendus, E qui eamdem rem vltra modum, & nimis crebrò inculcat, qui minutula quædam errata nimiùm exaggerat, & ex culice elephantem facit.

PERSONÆ MONASTICÆ.
Prou. 15.
Bonau. de 6. alis c. 5.
II. *Angorem & pusillanimitatem.*
Tuscul. 5.
Cic. de rep. lib. 2.
III. *Nimietatem.*
Idem de offic.
Quis nimius.
Aug. cood. 4. in Psalm. 118.
Smaragd. in cap. 64.
Orat. pro Milone.
Climac. ad Past. c. 11.

Vetat deinde, ne sit *obstinatus,* id est, pertinax, nimis præfractè suo sensui inhęrens, qui de susceptâ sententiâ se nullo modo patiatur diuelli: ij in Scripturâ dicuntur *prudentes apud semetipsos,* qui aliena nec rogant consilia, nec ijs acquiescunt, quod sine dubio è radice pullulat superbiæ.

IV. *Pertinaciam.*
Rom. 12.

Cauendum denique ne sit *Zelotypus & nimis suspiciosus:* quæ duo pro synonimis

V. *Suspiciones & zelum nimium.*

poni

PERSONÆ MONASTICÆ. Smaragd. suprà.

poni videntur. *Zelotypus*, ait Smaragdus, *dicitur zelo solicitudinis plenus, & suspicionis typa repletus; qui etiam ea, quæ non fiunt, fieri in absentiâ suspicatur: & ea quæ nemo committit, committi in abscondito pertimescit: & ideò spiritus eius nunquam quiescit.* Paulus Diaconus notat, non ad spiritualia, sed temporalia hęc referri. Vt videlicet non sit nimis *suspiciosus* circa officiales, qui habent administrationem temporalium. *Nam ad spiritualia, scilicet lectionem, silentium, & ad diuinum officium, & similia, debet esse suspiciosus.* Sic ille.

DISQVISITIO IV.

Quæ Abbatis erga subditos officia?

NON hîc ad amussim omnia Superioris munia indagabimus, multoque minùs explicabimus: sed ea dumtaxat, quę cùm allato boni *Pastoris typo* conueniunt. Cuius quidem hæ potiores conditiones: 1. *Oues nouisse.* 2. *Eas diligere.* 3. *Pro ijs solicitudinem gerere.* 4. *Prodesse.* 5. *Exemplo praire.* 6. *Verbo pascere & instruere.* 7. *In his discretionem adhibere.* 8. *Reddendæ rationis crebrò meminisse.*

Abbatis erga suos officia sub Pastoris typo explicantur.

PRIMA CONDITIO,

Ouium Cognitio.

1\. *Cognoscat oues suas.* Ioan. 10. 14.

HANC expressit Princeps pastorum, cùm dixit: *Ego sum Pastor bonus: &* cognosco *oues meas, &* cognoscunt *me meæ.* Notitia hæc principem in pascendis ouibus locum obtinet: nam quas ignorat, quomodo pascet? Non malè poëta cecinit:

Martial. l. 8. epig. 15.

Principis est virtus maxima, NOSSE SVOS.

Abbatis igitur hæc prima cura, vt suorum non tantùm nomina, sed & mores, & humores, propensiones, robur vel imbecillitatem, complexionem, animique dotes habeat exploratas: vt quid vnicuiq; demandare, vel credere possit; quid ab ingenio, vel studio singulorum exspectandum; quibus officijs destinandi, vel destituendi, quibus medijs iuuandi sint, nouerit. Rectè hoc Bonauentura monuit: *Ad statum debitum tenẽdum, conuenit, vt rector subditorum mores, conscientias & vires præcipuè* cognoscat; *vt secundùm quod vnicuique expedit, eum dirigat & hortetur.* Salomonis monitum est. *Diligẽter* agnosce *vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Vultũ inspici iubet; quia in vultu pecoris relucet tota corporis complexio & constitutio: Vnde ex vultu colligas pecoris, ęquè ac hominis sanitatem vel morbum, maciem vel pinguedinem, robur vel infirmitatem, &c. rursum an studiosè pabulum cibumque ore carpant & capiant; hoc enim signum est bonæ valetudinis &

Quò eos melius dirigat.

Bonau. de sex alis.

Prou. 27. 23.

Pecoris cõplexio ex vultu apparet.

A robotis: an verò segniter & interpolatè, velut nauseantes id faciant; hoc enim signum est inualetudinis & infirmitatis.

Beda hunc locum explicans, *Pastori*, inquit, *dicitur Ecclesia, diligenter adhibe curam eis, quibus te præesse contigerit, agnosce animos actusque singulorum, & si quid in eis vitij sordidantis inueneris, citiùs castigare memento.* Patet hinc, cur tam accuratè pecoris vultus agnoscendus: nimirùm, vt ei languenti opportunè possit succurri, & conueniens adhiberi medicina. Animaduertit hoc S.

Prælatus subditos nosse debet, vt ægris succurrat.

B Ephræm, ita Superiorẽ quemq; instruens: *Eum qui ceteris præest, peritissimum esse conuenit, & ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum, vtque singularum obseruet incessum, motum, gestum ac habitum, adhibitâ etiam debitâ earum rerum correctione, quæ minùs conueniunt, vt ad optimum ea statum, formamque reducantur. Magistri enim non solùm elementorum figuras discipulis ostendunt, sed & minimaquaque puncta, distinctionesque proponunt. Sic igitur oportet Prælatum nihil quantumuis minimum, quod ad salutem pertineat, omittere,*

Serm. de vitâ Spirit. num. 16.

C *quin id fratribus proponat.* Sic ille. Seruit prętcrea hęc notitia, vt Pastor ipse se ouiũ, quà fas est, accommodare possit infirmitati. Hoc præ oculis habuit, qui Abbatem vult meminisse, *vt nouerit infirmarum se suscepisse curam animarum:* ac proindè monet, vt *secundùm vniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam ita se omnibus conformet, & aptet; vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur: verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Iuxta Apostolum scilicet, *omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaciat.*

Et eorum se aptet infirmitati.

Reg. cap. 2.

1. Cor. 9.

D Appositè proindè Regula Cuiusdam ad Virgines Abbatissæ inculcat: *Habeat tot animos Mater, quot in sua regimine filias: vt iuxta omnium mores, omnium nouerit vitia coërcere.*

Reg. ad Virg. cap. 1.

Pastoribus & hoc familiare est, vt ab ouibus cognoscantur, ouillo se tegere vellere, vt ouem induisse quodammodo videãtur. Ita & benignissimus Saluator noster nostrâ non horruit carne vestiri, *habitu inuentus vt homo*, vt homines ad se alliceret, & ad se traijceret: *Sanans*, vt ait Augustinus, *tumorem, & nutriens amorem. Ne fiducia sui pro-*

Pastor ouinâ pelle tectus oues allicit.

Philipp. 2.

August. 7. Confess. cap. 18.

E *grederentur longiùs; sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam diuinitatem, ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ; & lassi prosternerentur in eam; illa autem surgens leuaret eos.* * *Attendit* diuinissimus ille Pastor, *per retia carnis, & blanditus est, & inflammauit, vt curreremus post odorem eius*, eumq; sedulò sequeremur. Hoc autem cùm ex merâ factum sit charitate, quid, quæso, hinc elicimus, nisi eâdem exornandum cor cuiuscumque Superioris? vnde adiungenda hîc

Christus carne nostrâ homines.

* Lib. 13. cap. 15.

SECVN-

SECVNDA CONDITIO,

Charitas.

II. *Abbas oues suas diligat.*

DEBET enim *oues suas diligere:* quinimò & Christum, cuius vices agit, cuius sanguine oues redēptæ sunt. Petrus dominici gregis futurus Pastor à Christo examinatur, & tertiò interrogatur: *Simon Ioannis diligis me plus his?* & respondenti: *Tu scis Domine, quia amo te*, dicitur: *Pasce oues meas:* quasi sit indiciū amoris, pascere Christi ouiculas. *Non otiosè*, inquit Bernardus, *toties repetitum est, Petre amas me? in cōmissione ouium: ego quidem id significatum prorsus puto, ac si dixisset illi Iesus: nisi testimoniū tibi perhibente conscientiâ quòd me amas, & valdè perfectè amas, hoc est, plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm te: vt huius repetitionis meæ numerus impleatur; nequaquā suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis pro quibus vtiq; meus effusus est sanguis.* Sic ille. Meritò proinde Climacus: *Pastorē verum ostendit* Charitas, *qua Principem Pastorem in crucem egit.* Quàm charum autem animarum Pastoribus esse debet, quod Charitatem hāc ab ipso discant Christo, imò & Deo; dicente Moyse: *Portauit te Dominus Deus tuus, sicut gestare solet pater filium paruulum, donec veniretis ad locum hunc.* Idipsum etiam per Oseam testatur, cùm ait: *Ego quasi nutritius Ephraim portabā eos in brachijs meis, & ipsi non intellexerunt, quòd curarem eos.* Idem quoque apud Isaiam pollicetur: *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.*

Ioan. 21. — Bern. serm. 76. in Cant. — Exemplo S. Petri. — Climac. ad Past. cap. 5. — Imò Christi, & Domini Dei. — Deut. 1. — Oseæ 11. — Isai. 40.

Quid Regula nostra? *Oderit*, inquit, *vitia;* DILIGAT FRATRES. Et: *Æqualis sit ab eo omnibus Charitas.* Sed quia Amoris affectu etiam pij abripi possunt; cautionem adhibet peritissimus Magister: *Non ab eo persona in Monasterio discernatur.* Non *vnus plus ametur quàm alius: nisi quem in bonis actibus aut obedientiâ inuenerit meliorem.* Cur autem in Charitate seruanda hæc æqualitas, vitanda personarum discretio? Quia, vt subdit Pastor noster, *omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino, æqualē seruitutis militiam baiulamus: quia non est personarū acceptio apud Deum. Solummodò in hâc parte apud ipsum discernimur, si meliores alijs in operibus bonis, & humiles inueniamur.* Ex tribus ergo titulis censet aliquos in amore posse alijs præferri. 1. propter obedientiam: 2. propter humilitatem: 3. propter præcellentiam in bonis operibus.

Ex mandato S. Benedicti. Reg. cap. 64. — Cap. 2. Ibid. — Cum æqualitate. — S. Benedictus censet meliores in amore præferendos.

Quæri autem posset; recténe meliores in amore præferantur? Respondet Suarez: Inter non coniunctos, per se loquēdo, præferendi sunt meliores; iusti peccatoribus. Quamuis autem ex eiusdem sentētiâ, coniunctiores tam in corporalibus quàm in spiritualibus, bonis præferendi sint; in Monasterijs tamen, si casum necessitatis excipias, carnalis coniunctionis non est habēda ratio. Vnde S. Basilius: *Æqualiter se diligere inter se omnes debēt, idemq; aduersus vniuersum fratrū cœtū charitatis tenendus est modus. Quòd si quis inuentus fuerit, qui maiore quâdam animi propensione Monachum, Fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quâuis de causâ videatur diligere, hunc castigare oportebit vt iniuriam publicæ charitati.* Et Prosper: *Si propinquos nostros quamuis incompositos, turpes ac malè moratos, plusquam quoslibet sanctos, quos à nobis secundùm sanguinem vocamus extraneos, diligamus; non solùm carnaliter diligimus, sed etiam grauiter in tali eorum dilectione peccamus.* Et sanè intempestiuum erga sanguine iunctos affectum à Religiosorum cœtibus eliminandum, Christus docuit: Cùm enim ei nunciatum esset, matrem eius, & Fratres stare foris, quærentes loqui ei, respondit: *Quæ est mater mea*, &c. ac deinde propinquitatem obedientiâ præceptorum Dei æstimandam esse docens, monstratis discipulis, ait: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quem in locum scribens Hieronymus: *Apostolos*, inquit, *cognationi prætulit, vt & nos in comparatione dilectionis carni spiritum præferamus.* Et Beda in eundem locum, verbis à Petro Lombardo citatis: *Non iniuriosè*, inquit, *negligit matrem, nec mater negatur; sed religiosiores monstrantur copula mentium, quàm corporum.*

Suar. tract. de char. disp. 9. sect. 4 n. 18. — PERSONÆ MONASTICÆ. Rectè, & ex mente SS. Patrum. — Basil. de Inst. Monach. ser. 2. — Prosp. lib. 3. de vit. contempl. cap. 15. — Christus spiritum carni prætulit. — Matth. 12. — Lib. 3. dist. 29.

Excluso igitur, vel saltem seposito hoc sanguinis vinculo, probatur hæc S. BENEDICTI doctrina. *Primò*, quia cùm amoris obiectum sit bonum: oportet vt meliora magis amentur. Vnde Augustinus eam esse vult perfectam iustitiam, quâ potiùs potiora, & minùs minora diligamus. Hinc Siracides: *Melior est vnus timens Deum, quam mille impij:* siue, vt habet Syrus: *Melior est vnus qui facit voluntatem* (obediens) *quàm mille.* Chrysostomus: *Melior est vnus faciens voluntatem Domini, quàm decem mille peccatores.* Et Philo asserit, *vnumquemque dum Deo paret & legibus, æquari frequentissimè populo, vel potiùs omnibus gentibus, imò mundo vniuerso.* Ex quibus testimonijs patet, quàm meritò S. BENEDICTVS illi potiorem in Abbatis amore locum tribuat, *quem in obedientiâ inuenerit meliorem:* quem etiam Christus, vt iam dictum, sibi æstimat propinquiorem. Hinc Cæsarius Arelatensis: *Non qua tibi vultu, intuituque placuerit, non quam tibi ad oculum cognoueris, vel cuius blandiori obsequio fueris delinita: sed quam amor Christi, & religiosior demonstrauerit vita, præponas.*

Probatur doctrina S. Benedicti. Primò. — S. August. lib. de Vera Relig. c. 48. — Eccli. 16. — Chrysost. homil. 19. in Genes. — Philo lib. de Decal. — Cæsar. Epist. ad Orat. cap. 7. Reg. Sanctim. Can.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Secundò. August. in Psalm 93.

Secundò, Deus meliores magis diligit; cuius voluntati nos conformari oportet, si rectè diligere volumus. *Illi* enim, iuxta Augustinum, *sunt recti corde, qui hoc volunt, quod vult Deus.*

Tertiò. 2.2. qu. 26. art. 13.

Tertiò, vt Angelicus docet Doctor, in cælesti patriâ secundùm differentiã boni, quod quis alteri optat, quilibet beatus plus diliget meliores, quàm minùs bonos: *tota enim vita beata consistit in ordinatione mentis ad Deum. Vnde totus ordo dilectionis beatorum obseruabitur per comparationem ad Deum: vt scilicet ille magis diligatur, & propinquior sibi habeatur ab vnoquoque, qui est Deo propinquior.* Quid autem conuenientius, quàm vt cælitum horum amorem tantò solicitiùs Monachi imitentur, quantò vehementiùs ad eorum consortium aspirant?

Quartò, Exemplo Sanctorum, qui virtuti primas in dilectione dederunt. Genes. 37. Ambr. lib. de Ioseph cap. 2.

Quartò, exemplo eadem doctrina stabiliri potest. Iacob enim Patriarcha *diligebat Ioseph super omnes filios suos*; quod ne solùm referas in eam, quã Scriptura subdit caussam, eò *quòd in senectute genuisset eum*; Ambrosius ad virtutis præeminentiam refert. *Nec libertatem*, inquit, *possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri.* Et pòst: *Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum insignia præuidebat.* Quantò amore Christus Dominus Ioannem Euangelistã prosecutus sit, ex eo colligas, quod seipsum non semel vocauerit *Discipulum, quem diligebat Iesus.* Cuius quidem caussam virtuti tribuendam, nemo credo dubitauerit: Et Ecclesiæ in diuino officio hæc vox est. *Virgo est electus à Domino, atque inter ceteros magis dilectus: qui priuilegio amoris præcipui ceteris altiùs à Domino meruit honorari.* Quorsum autem? quoniam *specialis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Benè in hanc rem Aluarez de Paz: Vt Christum in hoc imiteris, poteris sanè meliores magis amare, perfectiores imperfectioribus præferre, & maioribus donis præditos, comunioribus hominibus anteponere. Hoc enim ordo charitatis poscit, æquitas petit, iustitia exigit. Quã si omnes ad amussim custodirent, & meliores, ac digniores vehementiùs susciperent, ampliùs honorarent, & locum ambitioni prensationibus non præberent; meliùs regeretur Ecclesia Dei, & quælibet Religiosa familia pulchriore colore fulgeret. Atque hæc de Pastorali Amore.

Paz tom 1. lib. 5. cap. 26. Id etiam exigit ordo charitatis.

TERTIA CONDITIO,

Solicitudo.

III. Prælatus suorum curam habeat.

EXPENDAMVS nunc eam, quæ ex amore nascitur, SOLICITVDINEM. Docet eam natura in matribus, in quibus naturalis erga proles affectus eas exstimulat ad tantam curam & diligẽtiam, quam passim licet obseruare: vix nocte capiũt somnum, de die vix auelli à liberis possunt, minima quæque timent, & in continuâ degunt anxietate, ne quid mali eis eueniat. Nempe:

Res est Solliciti *plena timoris amor.*

Ouid. Epist. Heroid. 1.

Exemplo Opilionum. Genes. 31.

Vis hanc vigilantiam in *Pastore* conspicere? attende Patriarcham Iacob de se loquentem: *Die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* De Superiore quoque Paulus ait: *Qui præest in Solicitudine.* Magnus autem Gregorius non dubitauit Ecclesiæ Pastores, ex Opilionum exemplo ad vigilantiam excitare. *Studeamus*, inquit, *cor nostrum terrenorum Pastorũ imitatione succendere, qui hiemales noctes imbribus geluque constricti ducũt sæpè peruigiles, ne vel vna ouis, & non fortè vtilis pereat. Quam & si insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt? quibus cordis anhelant æstibus? in quas voces, vt eruant pecus captum, angustiâ stimulante prosiliũt? ne à gregis Domino quidquid per incuriam perdiderint exigatur. Vigilemus ergo, ne quid pereat, &, si captũ quid fortè fuerit, vocibus diuinorũ eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus.*

Rom. 12. 8. S. Gregor. lib. 2. Epist. 33.

Qui magno labore greges pascunt.

Peruigilem Pastorem Bernardus graphicè describit, & Prælatis in exemplum proponit: *Si quem fortè*, ait, *ex his quos genuit in Euangelio, deprehenderit forti aliquâ tentatione concussum, & inde turbatum ac tristem pusillanimemq; factum non posse iam ferre vim tentationis: quomodo cõdolet, quomodo mulcet, quomodo plangit, quomodo consolatur, quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat desolatum? E contra si promptum, si alacrem, si benè proficientem cognouerit, exultat: aggreditur salutaribus monitis, accendit ampliùs, instruit de quibus potest, vt perseueret, vtq; meliùs semper proficiat, exhortatur. Omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus, matrem se denique probat non minùs deficientium quàm proficientium. Quæ mater est, non dissimulat: habet vbera, & non vacua. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus nouit: nec cessat exprimere de vbere quidem congratulationis lac exhortationis, de vbere verò compassionis lac consolationis.*

Bern. serm. 10 in Cant. Officium boni Prælati erga subditos describitur.

Hanc porrò sollicitudinem curamque S. BENEDICTVS quam seriò Abbati inculcat? *Ante omnia*, inquit, *ne dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, non plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, & terrenis atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est.* Quantâ circumspectione, quantâ curâ, & vigilantiâ opus sit, non obscurè indicat, cùm *aliũ quidem blandimẽtis, aliũ verò increpationibus, aliũ suasionibus* vult foueri, corripi, & ad bonum induci. Quemadmodũ autem Pastores ouibus medẽtur, & infirmas sustẽtãt, atque in humeris

S. Benedictus Abbatem vult esse solicitum. Cap. 2.

Ibid.

humeris etiam portant; ita iubet, vt *omni* sollicitudine *curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres. Quia nō est opus sanis Medicus, sed malè habentibus. Et ideò vti debet omni modo, vt sapiens* MEDICVS *&c.* *Magnoperè debet* solicitudinē *gerere Abbas circa delinquentes Fratres; & omni sagacitate & industriâ curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crassum videbatis, assumebatis: & quod debile erat, proijciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum: Qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem quæ errauerat quærere: cuius infirmitati in tantùm compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.*

Cap. 27. *Præsertim circa infirmas oues.*

Ezech. 34.

Luc. 15.

Pastoralis huius curę vt memores essent Sacerdotes & Episcopi, solebant olim in sacris calicibus exprimere effigiem *Pastoris* ouem humeris suis ad ouile reportantis. Tertullianus: *Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne Christiano an Ethnico peccatori de restitutione colliniet.* Et infrà: *Cui ille, si fortè patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis, &c. de qua nihil libentiùs bibas quā ouem pœnitentiæ secundæ.* Oues proinde rationales non tolerare tantùm, sed in humeros tollere oportet: quod egregiè indicauit ille, qui ex Pastore ouium, factus est *princeps populorum*, cùm Domino diceret: *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro quâ iurasti Patribus eorum?* Portandi igitur sunt subditi: quod illo quoque adumbratum typo, quo Dominus olim præcepit, nomina duodecim filiorum Israel in *superhumerali*, quod Aaronis humeros tegebat, duobus lapidibus onychinis insculpi, eadēq; duodecim lapidibus inscripta in *Rationali* siue pectorali, (quod Pagnino Hebræa vox, חשן *chosen* significat) *reponi*. Quid enim hoc aliud sibi vult, quàm quòd Superior commissas sibi animas, & in pectore per charitatem, & in humeris per continuum laborem debeat portare? Quę quidem ita inter se connexa sunt, vt vnū ex altero sequatur. Quātum enim amat subditū, tantū portat: si desinat amare, desinit portare. Nimirùm, hoc onus est Abbatiale, ipsis etiam Angelicis humeris formidandum. *Hac onus*, scribit ad Rainaldum Abbatem S. Bernardus, *animarum est infirmarum: Nam quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt. Quoscumque igitur de tuis inueneris tristes, pusillanimes, murmuriosos, ipsorum te Patrem,*

Pastoralis cura olim in calicibus adumbrata.

Tertull. lib. de pudicit. c. 7.

Cap. 10.

Num. 11. *In Moyse ostensa.*

Exod. 28.

Quomodo à Superiore portandi subditi.

Bern. Epist. 72.

A *ipsarum te noueris esse Abbatem. Consolando, exhortando, increpando agis opus tuum*, portas *onus tuum*, *&* portando *sanas, quos sanando* portas. *Si quis verò ita sanus est, vt magis iuuet te, quàm iuuetur à te, huius te non Patrem, sed parem, comitem, non Abbatem agnoscas.* Sic ille. Ab hâc soliciudine excludendus nemo, etiamsi durus & contumax existat, & errans ouicula non derelinquenda, sed inquirenda. Opportunum hic occurrit S. Orsiesij monitum: *Caueant Præpositi domorum, ne forsitan quilibet vnus è Fratribus in-* B *iuriam Præposito fecerit, & iratus ille disserat & dicat. Quid caussa habeo ad hominem cōtemptorem? faciat quod vult, ad me non pertinet. O homo, quid hæc loqueris? intellige, quo furore supereris, & quod odium occupauerit cor tuum, vt magis tuo vitio, quàm sua peccato Frater pereat, cui debes ignascere, & eum suscipere pœnitentem.* In multiplici hac sollicitudine quantum desudant, quantum ingemiscunt boni *Pastores*, dum *post fomenta & vnguenta adhortationum, post medicamina Scripturarum diuinarum, nihil vident suam præualere indu-* C *striam.* Sed meminerint, curam sibi demandatam, non curationem: & quod ex S. BENEDICTI mente, Pastor tunc *liber erit, si inquieto vel inobedienti gregi* Pastoris fuerit *omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita: Pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Prophetâ Domino:* Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me. *Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis præ-* D *ualens ipsa mors.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

Etiam duri & contumaces.

Orsies lib. de instit. Monast.

Licet non sine labore & molestiâ. Reg. cap. 28.

Cap. 2.

Psalm. 39.

QVARTA CONDITIO,

Ouium Vtilitas.

QVAM explicauimus solicitudinē non parum promouebit Abbas, si officij sui scopum esse credat, atque animo suo præfigat, non suā, sed ouium VTILITATEM: *Sciatque*, vt S. BENEDICTVS ait, *sibi oportere* prodesse *magis, quàm præesse.* Muneri suo se non defuisse, Iacob Patriarcha testatur, sosero suo dicens: *Oues tuæ & capræ steriles non* E *fuerūt.* Ita *Pastor* Dominicis præsit prosit〈q〉; ouibus, vt de illis dici queat: *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Hunc porrò profectum vehemēter vrget formidabilis illa S. Patriarchæ nostri sententia: *Sciatque Abbas culpæ* Pastoris *incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias* vtilitatis *minùs potuerit inuenire.* Terribilis ergo est locus iste, si ab eo, qui præficitur, non tantùm exigitur ratio eius animæ, quæ deficit; sed & illius quę minus proficit. Vt igitur possit Fratribus *prodesse*, qui cogitur præesse, caueat

IV. *Abbas curet suis prodesse.*

Cap. 64.

Gen. 31.

Cant. 4.

Si negligat, periculitatur. Cap. 2.

 abesse,

PERSONÆ MONASTICÆ.

Necessaria Prælati præsentia ad subditorum profectum.

abesse, studeat adesse. Mirum enim quantum in omni gubernatione momentum adferat Superioris præsentia. Hinc Pastores ab aliorum consortio sequestrati, inter oues iugiter versantur, in montibus, in siluis, in pratis, & pascuis, nocte & die vigilantes super custodiâ gregis sui.

Arist. lib. 1. Oeconom.

Refert Aristoteles, Persam rogatũ, quid maximè saginaret equum, respondisse: *Oculum Domini*. Afrum verò rogatũ, quodnam in agro esset stercus optimum, respõdisse: *Domini vestigia*, id est, in agro ambulatio & præsentia. Sic ad saginandas oues rationales, & fœcundandum agrum Ecclesiæ, plurimùm valent *Pastoris* vestigia, & oculus, id est cognitio, & præsentia.

QVINTA CONDITIO,

Exemplum Pastoris.

V. *Abbas exemplo subditis præeat.*

QVAMVIS plurimùm iuuet Præsulis presentia, non est tamen in eo totum repositũ, nisi simul etiam PRÆEAT ijs, quibus prælatus. Hoc *Pastoris* officium esse, animarum nostrarum Pastor docuit, dicẽs: *Cùm proprias oues emiserit*, ANTE EAS VADIT: *& oues eum sequuntur*. Nihil sanè efficacius bono boni *Pastoris* exemplo. Verba enim mouent, exempla trahunt. Atque, vt Tertullianus dixit, *Dicta factis deficientibus erubesunt*. Hinc Chæremon apud Cassianum: *Nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audiẽtis*. *Dabis voci tuæ vocem virtutis*, inquit Bernardus, *si quod suades, prius tibi illud videaris persuasisse. Validior operis quàm oris vox. Fac vt loqueris, & non solùm me faciliùs emendas, sed te quoque graui liberas probro.*

Ioan. 10. *Quod verbis præstat, & est efficacius.* Tertull. lib. de patient. Cass. collat. 11. cap. 4. Bern. serm. 19. in Cant.

Et monet S. Benedictus. Cap. 2.

Sed nostrũ potiùs iuuat hìc audire Magistrum: *Omnia bona & sancta, factis ampliùs quàm verbis ostendat, & capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & simplicioribus factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda*. Boni *Pastoris* formam exhibuerunt Gedeon & Abimelech, qui suis dicebant: *Quod me facere videritis, hoc facite.* Boni prælati non dicunt; *ite, & facite*: sed, *venite, & faciamus.*

Iud. 7. & 9.

Prælatus in quibus prælucebit exemplo. 1. Tim. 4. Ita S. Thomas hunc locum explanat.

In quibus autem potissimùm bonum hoc præbendum exemplum? Apostolum audiamus: *Exemplum esto fidelium, in verbo, in cõuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Nimirùm *Pastor* sit exemplar subditorum, & forma gregis. 1. in *Verbo*, scilicet ponderato, ordinato & circumspecto. 2. In *Conuersatione*, exteriori, vt sicut excellit loco, & dignitate, ita & honestâ conuersatione.
1.
2.
3. 3. In *Charitate*, erga Deum, & proximum: quatenus hęc per opportuna subsidia & be- A neficia proximis impensa: illa per religionis cultum se prodit. Addunt autem Græca, *ἐν πνεύματι*, id est, *in spiritu*, vt scilicet zelum & amorem Dei se habere ostendat. 4. In *Fide*, id est; in fidei rectitudine, & constantiâ. 5. In *Castitate*, id est, in vitæ totius puritate. Simile monitum alteri inculcat Discipulo, dicens: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate*. Pro, *exemplum*, Græcè est, *τύπον*, id est, typum, siue exemplar: vnde Chrysostomus exponens, ait: *Sit doctri-* B *na & exemplar virtutis tuæ speculũ vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti archetypus, & primitiua quædam imago, omnia in se habens, quæ bona & honesta sunt*. Triplex autem (vt S. Thomas in hunc locum annotat) debet esse in Prælato integritas: sensus scilicet per prudẽtiam, affectus per charitatem, corporis per castitatem. Vnde Thessalonicensibus Apostolus optat, vt *integer spiritus, & anima, & corpus sine querelâ in* C *aduentu Domini nostri* IESV *Christi seruetur.*

4.
5.
Alius Apostoli locus in hanc rem explicatur. Tit. 2.

Triplex Prælati integritas.

1. Thess. 5.

Ad particularia descenditur. Citatur in Reg. Sanctim. cap. 7. Tom. 1. Conc. Gall.

Peculiariter autem Cæsarius Arelatensis Oratoriã Abbatissam instruit, in quibus exemplo præire debeat: *Prior*, inquit, *in Ecclesiâ inueniaris, postrema exeas. Par sis in communi cibo cum quibus pari vteris in mensâ consessu. Abstinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces, vel vicinus stomachus sentiat: ne forsitan subditæ audientes, tacitis cogitationibus dicant: O quàm pulchrè abstinentiam nobis prædicat plenus venter! Et in his omnibus, ceterisque hoc tibi noueris conuenire, vt angusti callis itinera, per quæ socias admones gradiendum, prior ipsa gradiaris*. Similiter Fructuo- D sus: *Abbas, vel Præpositus diuinis semper officijs, & vigilijs intersint, & priùs ipsi agant, quod alios doceant.*

Fruct. in Reg. cap. 10.

SEXTA CONDITIO,

Ouium pastus & instructio.

VI. *Abbas subditos pascat.* Ioan. 10.

PRÆSENTEM, & præeuntem *Pastorem* quonam oues sequentur? AD PASCVA. Vnde Christus: *Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*. In his constitutus Dauid, grato animo canebat: *Dominus regit me, & nihil* E *mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.* Quænam autem animæ *Pascua*? Dominum audiamus: *Dabo*, inquit, *vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Ad hęc Pascua suas ouiculas deduci voluit S. BENEDICTVS, cùm de Pastore ait: *Oportet eum doctum esse lege diuinâ, vt sciat & sit, vnde proferat noua & vetera.* Et cap. 2. sparsim agit de Doctrina Abbatis. Chrysologum hìc audiamus. *Pastor dulci iubilo, & variâ modulatione, aut gregem producit ad pascua, aut sub nemore vmbroso sessum pecus retinet ad quietem,*

Psalm. 22. Ierem. 3. *Scientiâ & doctrinâ.* Chrysol. serm. 46.

Gregis ad pascua deductio depingitur.

tem, aut alta collium salubrioris graminis hortatur cupiditate conscendere, aut ad deuexa vallium sensim totâ necessitate descendere. Sed beatæ sunt illæ oues, quæ sui vocem admittunt Pastoris, attrahunt, nutriunt, congregant, & verè Pastori suo iubilant: quæ germina sui gregis Domino multiplicare moliuntur.

SEPTIMA CONDITIO,

Discretio.

VII. *Abbas in his Discretionem adhibeat.* Cap. 64.

TAm in doctrinâ, quàm in toto regimine, maxima Abbati adesse debet DISCRETIO: quam Pastoris exemplo B S. Legislator inculcat: *In ipsis imperiis suis*, inquit, *sit prouidus & consideratus, siue secundùm Deum, siue secundùm sæculum sint. Opera quæ iniungit, discernat & temperet, cogitans* DISCRETIONEM *S. Iacob, dicentis:* Si greges meos plus inambulando fecero laborare, morientur cuncti vnâ die. *Hæc ergo aliaq́; testimonia* Discretionis *matris virtutum sumens, sic omnia temperet: vt fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Discretio*, inquit Bernardus, *non tam virtus est quàm quædam moderatrix & auriga virtutum: ordinatrixq́; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit; ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur exterminiumq́; naturæ.* Idemque alibi: *Virtus* Discretionis *absque charitatis feruore iacet, & feruor vehemens absque* Discretionis *temperamento præcipitat. Ideò laudabilis cui neutrum deest, quatenus & feruor* Discretionem *erigat, &* Discretio *feruorem regat.* Maximè autem opus est *Discretione*, in correctione & correptione delinquentiũ, & vtramq́; hâc moderatur regula: *In doctrinâ suâ Abbas Apostolicã debet illam semper formam seruare, in quâ dicit;* Argue, obsecra, increpa, *id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta: dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum; id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere: obedientes autem & mites, & patientes, vt in meliùs proficiant obsecrare: negligentes autem & contemnentes, vt increpet & corripiat, admonemus. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos, primâ vel secundâ admonitione verbis corripiat: improbos autem, & duros corde ac superbos, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati* E *coërceat.* En quantâ *discretione*, quantâ opus sit prudentiâ, erga præuaricantes Fratres. Sed de his aliàs forsan vberiùs.

Gen. 33. — *Eius commendatio, & necessitas* — *Bern. serm. 49. in Cant.* — C — *Ibid. serm. 23.* — *Prælato indicitur Discretio in correctione, & correptione.* — *Cap. 2.* — D — *2. Tim. 4.*

OCTAVA CONDITIO,

Memoria reddendæ rationis.

VIII. *Sciat Abbas exigen-*

VLTIMAM nunc *Pastoris* nostri cum Opilione analogiam explicemus. A Non secus quàm Iacob Patriarcha ostendit Laban se pro ouibus exactè respondisse: *Nec captum*, inquit, *à bestiâ ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas:* Ita S. BENEDICTVS magnum Abbati subdit stimulum, vt ijs, quæ explicauimus, probè fungatur officijs. *Cogitet*, ait, *semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis* REDDITVRVS *est Deo* RATIONEM. Paulò fusiùs alibi: *Sciatq́;, quia qui suscepit animas regendas, præparet se ad* RATIONEM REDDENDAM. *Et quantum sub suâ curâ Fratrum se habere sciuerit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum est* redditurus *Domino* rationem, *sine dubio addita & suæ animæ. Et ita semper timens futuram* discussionem *Pastoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis solicitus.* Faxit Deus, vt altè Prælatorum Regularium mentibus hæc cogitatio infigatur! sperandum enim hinc eos ad omnes officij sui functiones validissimè excitãdos. Audiunt vnum hæc anxiè expendentem: *Grauiori & periculosiori debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus* redditvri *sunt* rationem. *Quid ego infelix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio preciosius iudicauit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem: essetq́; repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret; quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa vtique Sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad solicitudinis cumulum, & pondus timoris; quòd cùm & meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraque abyssus est imperscrutabilis, vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia.*

PERSONÆ MONASTICÆ. — *dam à se rationem commissi gregis.* — Gen. 31. — Cap. 63. — Cap. 2. — *Huius oneris grauitas graphicè describitur.* — Bernard. serm 3. de Aduent. Dom.

DISQVISITIO V.

De Baculi Pastoralis nomine, & significatione.

Pastor variè oues ducit.

PASTOR & Dux est & ductor, creditasque oues non vno modo debet deducere. *Abducere* enim eas debet à vitijs; *subducere* periculis: *reducere* ab erroribus; *deducere* ad caulas: *educere* ad pascua; *conducere* per viam: *adducere* ad Christum: *inducere* ad bonum; *perducere* ad perfectionẽ: *introducere* ad regnum. In tam multiplici ducatu quid opus ei, nisi *Baculo Pastorali*; quo manus eius, antequam ad vlteriora progrediamur, ornabimus.

Hinc ei opus Baculo Pastorali, qui dicitur.

PERSONÆ MONASTICÆ.

I. *Pedum.* Virg. eclog. 5.

Vt autem de nomine aliqua præmitta-
mus, tam Opilionum quàm Ecclesiæ Pa-
storum Baculus, *Primò* dicitur PEDVM,
quo vocabulo vsus Virgilius:

At tu sume PEDVM, *quod me cum sæpe ra-*
garet
Non tulit Antigenes.

Gorop. Hieroglyph. l. 10.

Pedum autem, Festo auctore, est baculus
recuruus, quo Pastores vtuntur ad com-
prehēdendas oues aut capras. Quæ & Ser-
uius habet in Virgilium. Goropius autem
Becanus vetustam Cimmeriorum vocem
esse contendit, quam suo more, PE-TOOM
diuisis syllabis, pecudis frenum interpre-
tatur, siue id quo pecudes veluti freno re-
guntur. Sed frenandam docti censuerunt
huius viri in coniectandis & eruendis vo-
cum originationibus licentiam.

II. *Virga.* Esther 5. Honor. in Gemmâ animæ lib. 1. cap. 217.

Secundò, dicitur VIRGA, Leuit. 27. *Bonis*
& Ouis & capræ, quæ sub Pastoris virgâ *tran-*
seunt. Sic in Psalmis: *Virga regni*, virga *di-*
rectionis, & *virga aurea* Assueri, pro Sce-
ptro ponuntur. Honorius comparat *Virgæ*
Moysis miraculorum effectrici.

III. *Caputa.* Comest. in Hist. Exod. cap. 52. Flod. hist. Rhem. l. 1. cap. 8. Gauant. in rubr. Miss. p. 2. tit. 1. n. 6. *Vnde ea vox.* Menard. concord. Reg. c. 28. §. 11.

Tertiò, eidem dicitur CAPVTA. Come-
stori *Cambuca*: *Sicut*, inquit, *in baculo* Cam-
bucæ *Pontificalis eburneo fieri solet.* In Ordi-
ne Romano ad dedicandā Ecclesiam, *Cam-*
butta vocatur. Apud Flodoardum in Testa-
mento S. Remigij occurrit: *Et argenteam*
Cabutam *figuratam*; vbi Brissonius legit,
Cambutam: quæ vox etiam legitur in vitis
SS. Galli & Magnoaldi. Censet autem Ga-
uantus, voces has esse corruptas, à *Cambu-*
ra, voce barbarâ, quæ significat baculum
retortum. Sed Menardus *Cambuta* deriuat
ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, id est, *curuare*; quia Abba-
tum, vt aliorum Ecclesiæ Prælatorum vir-
gæ sint in summitate curuæ ad Pastorum
imitationem, quorum virgæ in fastigio
curuæ erant; cum Magistratuum virgæ
essent rectæ, vt notat auctor veteris Ety-
mologici.

IV. *Ferula.*

Quartò, dicitur Honorio quoque FERV-
LA, à feriendo dicta: instrumentum est,
quo aliquid feritur: vt baculus, virga.

V. *Lituus.* *Eius vsus, & forma.* Agell. lib. 5. cap. 8.

Quintò, Hadrianus Iunius LITVVM vo-
cari posse ait inflexum à summo bacillum
Antistitum, quali olim augures vtebantur,
vertitque Bisschopsstaf / vel Kroosse / à
Gallico *Croce*, quasi dicas, baculum adun-
cum. Budæo dicitur *Lituus Pontificius*. Pri-
mò autem reges & Pontifices *Lituo* vsos,
Goropius ait: reprehenditque Agellium
dicentem *Lituum* esse *virgam breuem*, *in*
parte quâ robustior est, *incuruam*: quod, in-
quit, cum omnibus vetustis numismatis
& saxis pugnat; atque adeò cum ipso Ci-
cerone, qui parte superiore, incuruum es-
se dicit. Laudat verò Guilielmum Ghou-
lium, qui multos *Lituos* congessit, quorum
A nullus est qui non parte sui tenuiore refle-
ctatur: quod nisi ita esset, *Pedum* malè re-
ferret.

Vnde Abbati Pedum?

Vt à nomine iam ad rem veniamus, quæ-
ri posset, vnde Abbatibus vsus *baculi Pa-*
storalis? An ex veteri Monachorum con-
suetudine illis relictus, an ex similitudine
& participatione quâdam Episcopalis soli-
citudinis auctoritatisque, eis sit communi-
catus? Priscos illos Ægypti Monachos *ba-*
culum gestasse constat. Sanctum enim An-
tonium, Hieronymus testatur *baculum* ha-
B buisse; idemque præfatione ad Regulam
S. Pachomij, Monachorum enumerās sup-
pellectilem, in eâ recenset *Baculum itineris*
socium. In ipsâ Pachomij Regulâ, prout ci-
tatur in Concordiâ Regularium, mentio
fit *Zonæ, & bacilli.* Et S. Orsiesius, Pacho-
mij discipulus, dat Monachis *caligas, pellem,*
& virgam. Cassianus verò originem defe-
rendi *baculum* exponens, ait eum gestari à
Monachis, *ad imitationem eorum, qui profes-*
sionis huius præfigurauēre lineas in veteri Te-
stamento, Elisei scilicet, qui Giezi puerum
C suum cum *baculo* misit ad suscitādum mor-
tuum puerum. Quod probat etiam Ru-
pertus Tuitiensis, dicens: *Vt Patres quoque*
Monachorum Baculo insignerentur, ab Elisæo
sumpsit exordium. Alibi idem Cassianus ait:
Cùm accepissemus peram & Baculum, vt ibi mo-
ris est, Monachis vniuersis iter agentibus. Pa-
tet ex his delatum à Monachis *Baculum* ad
sustentandum in itinere corpus; fortè et-
iam ad abigendas, quæ in vastis solitudini-
bus occurrebant, bestias. Cùm autem iu-
niores potissimùm domi remanerent, &
D Abbates plerumque ad alios visitādos per-
gerent; hinc peculiariter illis *Baculi* vsus
fuerit attributus, transieritque postea in
insigne pastoralis potestatis: vel sanè per
communicationem, vt dixi, pontificalis
auctoritatis, ex priuilegio illis olim fuerit
concessus. Vetustum enim morem esse tra-
dendi Abbati *Baculum* in eius ordinatione,
patet ex Ordine Romano, in quo ex Ca-
none Theodori dicitur: *Episcopus dat ei*, Ba-
culum, *& pedules.* Posteà: *Tunc tradat ei*
chirothecas, & Baculum *dicens: Accipe* Ba-
E culum *pastoralitatis, quem præferas cateruæ*
tibi commissæ, ad exemplum iustæ seueritatis
& correptionis. Aliter: *Accipe prælationis* Vir-
gam, *pastoralis custodiæ curam significantem*
& diligentiam, quatenus in commissis tibi oui-
bus tam in coërcendis earum reatibus, quàm in
omnibus prouidendis vtilitatibus omninò sis
solicitus. Hinc Tuitiensis Abbas ait: *Abba-*
tes, id est, Patres Monachorum iure pastoralem
post Episcopos ferre Baculum; non idcircò, quia
Sacerdotes vel presbyteri sunt: sed quia Mona-
chi, & Duces sunt Monachorum.
Ex quibus colligas, quòd Regibus sce-
ptrum,

Monachi olim baculos gestabāt. Hieron. in vit. Hilarion. Concord. Regul. cap. 42. §. 1. Cass. lib. 1. Instit. c. 7. & 8. *Caussa eius rei.* 4. Reg. 4. Rup. l. 1. in reg. S. Bened. Collat. 18. cap. 5. *Coniectura de vsu Baculi tributo Abbatibus.* *Vetus mos tradendi ipsis Baculum.* Ordo Romano. in ordinat. Abbat. Rupert. l. 1. in Reg. S. Bened. cap. 10.

ptrum, id *Pedum* esse pastoribus: insigne scilicet authoritatis, solicitudinis, & correptionis: ipsas proinde Pastoralis officij patres *Bacula* expressas iam olim considerauerunt, variéque explicarunt.

Quenam designentur Baculo Pastorali. Hug. in Specul Eccles. cap. 6.

Baculus Pastoralis, inquit Hugo Victorinus, *rectitudine sui rectum regimen significat. Quod autem vna pars curua est, & altera acuta, monstrat praesse subiectis, & debellare superbos. Vnde dictum est:*

Curua trahit mites, pars pungit acuta rebelles.

Durant. de rit. Eccl. l. 2. cap 9.

Exstat Tolosæ, vt Stephanus Durantus refert, in Ecclesiâ S. Stephani, lapis marmorens antiquissimus, in quo sculptæ sunt S. Petri & Saturnini imagines, Saturnini autem cum *Baculo* incuruo, ibi versus iste legitur:

Curua trahit quos recta regit, pars vltima pungit.

Quæ tria alius versus apud Hugonem Victorinum ita expressit:

Attrahe per curuum: medio rege: punge per imum.

Innoc. li. 1. cap. 62.

Guilielmus Durandus pro *curuum*, habet, *primum*. Innocentius III. ex incerto auctore hunc adfert versiculum:

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta;

Calata in ipso olim sententia. Gemmâ lib. 1. c. 210.

id est, *Collige* vagos, *sustenta* debiles, & *punge* pigros. In ipso autem *Pastorali baculo* subinde cælatis litteris hæc indicabant. Vnde Gemma animæ: *In curuaturâ*, ait, *est scriptum*, dum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, *ne ob culpam gregis superet iramentem Pastoris, sed verbo & exempla reuocat peccantes ad misericardiam redemptaris. In spernlâ est scriptum*, HOMO, *quatenus se hominem memoretur, & de potestate collatâ nan eleuetur. Iuxta ferrum est scriptum*, PARCE, *vt subiectis in disciplinâ parcat, quatenus ipse à summo Pastore gratiam inueniat: vnde & ferrum debet esse retusum, quia iudicium Sacerdotis per clementiam debet esse delibutum.* Et verò curæ fuisse veteribus, vt aliqua in *Pedo* exararetur patœmia, liquet ex ijs, quæ vitæ S. Annonis, Archiepiscopi Coloniensis, à Surio editæ subiiciuntur: *In Pedo seu baculo Pastarali S. Annonis ligneo, qui adhuc in Monasterio Sibergensi religiosè asseruatur, in superiore parte in cupro, incisi sunt versus sequentes:*

In Pedo S. Annonis. Sur 4. Decemb.

Tityre cage pecus, cæcos ne ducito cæcus.
Moribus esto grauis, rectar sore disce suauis.
Astu serpentis, volucris rege simpla gementis.

Ad instructioni Prælatorum.

Quid autem his inscriptionibus aliud voluerunt, quàm seipsos, & qui eorum deinceps vterentur *Pedo*, commonefacere; virtutibus iis præfulgere niterentur, quæ *baculi* symbolo, & exaratis in eo characteribus designabantur? Hinc Patres nonnumquam ex virgâ, *baculoq; Pastorali* Prælatorum instructionem adornarunt. Bernardus Dauidicum illud vsurpans: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me cansolata sunt: Habet*, inquit, *virgam, sed habet etiam baculum. Et hæc cansolatia est, quod is qui virgâ caditur, baculo sustentetur. Aut certè portat Pastor virgam, & baculum, illam ouibus, illum lupa, omnia autem propter electos. Siquidem & virga eos consolatur à stimulis canscientiæ, dum hoc moda sentiunt sibi peccata dimitti; dicente Domino:* Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas. *Et baculus iuuat ad talerantiam virgæ, dum illius comparatione fit lenior.* Sic ille; & ante illum Gregorius: *Miscenda est lenitas seueritati, faciendo quoddam ex vtroque temperamentum; vt nec multâ asperitate exulcerentur subditi, nec nimiâ benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in quâ cum tabulis virga simul & manna erat: quia cùm Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris sit pectore, sit virga discretionis, sit manna dulcedinis.* Hinc Dauid ait: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me cõsolata sunt. *Virgâ enim percutimur, & baculo sustentamur. Sit ergo discretia virga quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet.* Tribus autem illis, quæ in arcâ fœderis fuisse Gregorius asseruit, aptari potest versiculus ille, quo à Deo Psalmista illa petebat, quæ Pastori sunt cumprimis necessaria, dicens: *Bonitatem, & disciplinã, & scientiam doce me.* Quam enim postulat *Bonitatem*, manna designat; *Disciplinam* virga; *Scientiam* tabulæ legis. Hinc Bernardus: *Pastori tria sunt necessaria: Bonitas, Disciplina, Scientia. Bonitas attrahit, Disciplina corripit, Scientia pascit. Bonitas amabilem, disciplina imitabilem, Scientia docibilem reddit.*

PERSONÆ MONASTICÆ. Psalm. 22. Bern. in Declamat. *Baculi, & Virgæ mystica expositio.* Isai. 43. Greg. lib. 5. Moral. Psalm. 22. *Bonitas, Disciplina, & Scientia Prælato necessaria.* Psalm. 118. Bernard. in sentent.

Tria hæc spiritualis *Pastor* studeat habere, aut certè à Deo precibus obtinere: rogando Deum Patrem, per eius Omnipotentiam, ei largiatur Disciplinæ vigorem: Deum Filium, per eius Sapientiam, concedat Scientiæ fulgorem: Spiritum sanctum per coæternum eius Amorem, tribuat Bonitatis dulcorem.

Quid Sudarium Pedo appensum.

Hoc denique addendum, Abbatiali *Baculo* appendi solere *Sudarium*; ad differentiam, inquit Gauantus, *Baculi* Episcopalis, quod notatur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis: & mulieri datur velamen supra caput, subiectionis indicium sub viro. Vnde Abbates exempti hoc *Sudarium* prætermittunt. Significat porrò hoc *Sudarium* multo labore & sudore Dominicum gregem pasci.

Gauant. in Rubr. Miss. p. 1. tit. 9. De sepel. Eccl. lib. 2. 1. Cor. 11.

DIS-

PERSONÆ MONASTICÆ.

DISQVISITIO VI.

Vt Abbas Fratres ad consilium debeat adhibere?

S. Benedictus Cœnobij regimen vni commisit. Cap. 65.

MONARCHICVM S. P. BENEDICTVS in suis Cœnobijs instituit regimen: *Ideoque*, inquit, *nos prauidemus expedire propter pacis charitatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui.* Ita vt alij omnes, quocumque etiam officio fungantur, illi subditi, non æquales sint, aut parem cum eo magistratum gerentes. Sed enim cùm arduam & difficilē rem susceperit, *regere animas*; sitque *facilius*, vt Xenophon dixit, *omnibus animalibus, quàm hominibus imperitare. Nullum* enim, Senecâ teste, *animal morosius est, nullum maiori arte tractandum*, quàm homo; non debet *Abbas* quibuscũque etiam ingenij aut naturæ dotibus ornatus, existimare vnum se tantæ moli parem vbique esse. Nam, vt est apud Liuium, *si de suâ vnius sententiâ omnia geret, superbum hunc iudicabo magis, quàm sapientem.* Quid igitur faciat? Opus ei auxilio, & consilio. Hoc, vt videat quæ agenda sunt; illo, vt habeat per quos exequatur: *& in quibus securus partiatur onera sua.* Tales Præpositus, Cellerarius, Decani; ad hoc ipsum in partem solicitudinis assumpti. Postquam igitur *Abbatem* suo penicillo peritus pictor depinxit, subiungit statim de eius *Consultoribus*, siue *Consiliariis*: ex quorum mente & linguâ discat, quid facto opus sit. Quod sane optimo ordine methodoq; exequitur. 1. enim debet Abbas Fratres congregare. 2. negotium explicare. 3. consilia Fratrum audire. 4. apud se deliberare. 5. quod est vtilius iudicare. 6. illud ad effectum perducere. Et hæc quoad consulentem; quibus inde monita addit Consultoribus seruanda. Hæc summa capitis; quod deinceps per partes explicandum.

Quod difficile Xenoph. 1. Pæd. Sen. 1. de clem.

Liui. 44. *Ideò auxilio, cōsilioq; aliorum iuuari voluit.*

Cap. 21.

Quoad consilium, ordine hæc statuit.

1. *Abbas congreget Fratres.*

PRIMÒ autem, adhiberi vult ad consilium Fratres, vel omnes in præcipuis, arduis, & maioribus: vel Seniores tantùm, in rebus minoribus. Cur autem adhibendi? ne suo tantùm iudicio niti videatur, solusque sapere, & in vnâ personâ videatur subsistere Abbas, ac capitulum, Prælatus, & Conuentus. Vnde Basilius: *Intolerabilis est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio, sed sibi vni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt.* Deinde, quia vt Scriptura ait: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Item: *Fili sine consilio nihil facias, & post factum nō pænitebis.* Minuitur quoque commissus error, si aliorum præcesserit consilium: nec vni imputabitur Prælato, quod plurium iudicio suffragioque gesserit. Et cur abnuat homo infirmitate circumdatus, ignorantiæ caligine inuolutus, ab hominibus consilium accipere, cùm Deus ipse hominem creaturus consilium inierit in consistorio SS. Trinitatis, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Nysseni hic sensus est: *Hominis fabricationem deliberatio præcedit, & futuri operis ab artifice forma, orationis picturâ delineatur.* Ita homo à sui creatione discit omnia agere cum consilio. Quid, quod & ipse hominum redemptor, æterna Dei Sapientia, septem panibus paucisque pisciculis quatuor hominum millia pascere volens, à suis discipulis, & quidem rudibus consilium expetierit? B. Cyprianus ad Presbyteros scribens: *A primordio*, inquit, *Episcopatus mei, statueram nihil sine consilio nostro, sine consensu plebis meæ, priuatâ sententiâ gerere.* Laudatur & hoc nomine Æigil Fuldensis Abbas; de quo Candidus: *Audiebat libenter Fratrum consilium. Sciebat enim scriptum*: Omnia fac cum consilio. *Atque ideò non se sublimiorem, nec prudentiorem ceteris æstimabat. Neque etiam inani tumore iactabat se consolatione alterius non indigere. Attamen si quando minùs prudens in aliquibus errabat, hoc magis aliorum minùs prudentium introductione, quàm propriâ inuentione concepit.* Dignum hoc imitatione exemplum.

Suadetur id varijs rationibus. Basil. in cap. 1. Isai. Prou. 13. Eccli. 32.

Exemplo Dei ipsius. Gen. 1. Nyss. de homin. Opific. cap. 3.

Christi Domini. Marc. 8.

Et aliorum Sanctorum, qui consilio vsi. Cypr. Epist. 8. Cand in vitâ Æigil.

Sed Legislatoris verba excutiamus. *Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem.* Hæc conuocatio in Cerimoniali Bursfeldensi, vocatur *Capitulum tractatuum*, ad quod *tota congregatio conuocetur sonitu campanæ; illius videlicet cum quâ ad introitum capituli culparum ex more pulsari solet: sub eâ tamen differentiâ, vt pro capitulo tractatuum, duo fiant signa; pro capitulo verò quotidiano, vnum tantùm.*

Conuocandi modus. Cap. 3. Bursfeld. Distinct. 1. cap. 15.

Vocandi autē sunt omnes, exceptis Nouitijs & fratribus Laicis, iisque qui priuati sunt voce actiuâ & passiuâ. Notat hîc Boërius: in contractibus faciendis, de iure non vocari absentes, in electionibus verò Prælatorum, receptionibus seu creationibus Monachorum, & collationibus beneficiorum, absentes vocari, dummodò fieri possit commodè, & sine periculo. Si tamen receptiones hæ, & collationes ad solum spectant Abbatem, non vocari. Sed decreti huius caussas expendamus.

Quinam ad cōsilium vocandi.

Primam assignat S. BENEDICTVS: *Ideò*, ait, *omnes ad cōsilium vocari diximus, quia sæpe iuniori Dominus reuelat, quod melius est.* Nimirùm, *Deus intellectum dat* paruulis: Et non rarò; *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Et Christus dixit: *Consi-*

Causſæ conuocationis.

Prima, iuniorum sapientia. Psal. 118. 1. Cor. 1. 27.

Math 11. 25. S. Matthæi locus explicatus.

Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia absconditi hæc à sapientibus, & prudentibus; & reuelasti ea paruulis. In quibus verbis non modò humiles, qui sunt *paruuli* in oculis suis, sed & ætate iuniores, & ordine graduque inferiores intelligi possunt. Nam pro paruulis, Syrus habet, *Puerulis*: Græcè, *νηπίοις*, id est, *infantibus*, vt vertit Arabicus, hoc est, idiotis, imperitis, infacundis, puta Apostolis, discipulis, & turbis. Tales etiam in ordine congregationis plerumque posteriores, quibus tamen diuina bonitas subindè suggerit, quod alios latet. Nec desunt exempla. Nam vt S. Pater ait: *Samuël & Daniël pueri presbyteros iudicauerunt. Non omnes annosi* (inquir S. Ignatius) *sapientes continuò sunt; nec senes intelligentiam possident; sed spiritus, qui in hominibus est. Daniël enim ille sapiens, cùm duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat; & senes, frustrà canos ferentes, calumniatores, & alienæ formæ appetentes esse coarguit. Samuël autem puer paruulus Heli nonagenarium reprehendit, quod suos filios plusquam Deum honoraret.*

Exempla puerorum sapientum. Cap. 63. Reg. Ignatius ad Magnes. Epist. 3.

B

Secunda caussa. Aug. præfat. ad lib. de Doct. Christia.

His accedat altera caussa: quia rectum consilium nonnisi à Deo est. Vnde Augustinus: *Nonne cum Moyse Deus loquebatur, & tamen cōsilium regendi atque administrandi tam magni populi à socero suo, alienigena scilicet homine, & maximè prouidus, & minimè superbus accepit? Nouerat enim ille vir ex quâcumque animâ verum consilium processisset, non ei, sed illi, qui est veritas incommutabili Deo tribuendum esse.*

C

Tertia, Consilij fructus. Basil. in cap. 1. Isai.

Tertiam caussam adfert Basilius: *Sacra quædam res est consilium, inquit, voluntatum vnio, fructus dilectionis, humilitatis insigne.* Est *voluntatum vnio*, quia facilè in amicitiam coëuut subditorū animi cum Abbate, quando videut se familiariter admodum, & cum magnâ fiduciâ, ad consilium euocari. *Fructus est dilectionis*, quia, vt Augustinus dixit: *Ipsa charitas quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.* Discimus autem, quando aliorum sensum consiliumque expetimus. Credi non potest, vt scribit Scribanius, quantum hæc consiliorum communicatio subditorum in superiorem affectus imprimat, quàm valido eos inter se nexu liget, quàm potentes propugnatores paret. Est denique *humilitatis insigne*, quod egregiè à Climaco explicatum: *Quicumque, inquit, reuera volūtatem Christi addiscere volunt, suam priùs voluntatem studiosè mortificare debent, deinde verò fide atque innocuâ simplicitate orantes, Patrumque siue Fratrum animos summâ cordis humilitate interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex ore Dei suscipiant, quamuis contraria suæ intentioni sint, quæ ab illis fuerint*

August. vbi suprà.

D

Scriban l. 1. Super Relig. cap. 13.

Consilium petere, est humilitatis. Clim grad. 26.

E

A

dicta: atque etiamsi hi qui interrogantur, non valdè spirituales sint. Neque enim est iniustus Deus, vt animas decipiat, quæ se per fidem atque innocentiam, proximi consilio atque iudicio submiserint. Etsi enim irrationabiles, & muti illi fuerint, à quibus petimus, is tamen qui loquitur per eos, spiritualis est, atque inuisibilis. Ingenti humilitate pleni sunt, qui prædictam Regulam sequuntur. Quarta caussa, quia, vt à Cassiano obseruatum: *Dei munere salubre consilium & creduli ab indignis, & increduli à sanctis frequenter acceperunt: Domino id vel propter meritum respondentium, vel propter fidem consulentium largiente.* Quinta caussa, quia, vt dici solet, *Plura vident oculi, quàm oculus:* & meliùs iudicant plures: quàm vnus: faciliusque inuenitur, quod à pluribus quæritur. Sexta caussa, quia regula Iuris est: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Atque hæc de primo Abbatis officio.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Quarta. Cassian. coll. 17. c. 9.

Quinta.

Sexta. 6. Decret.

II. SECVNDVM ita breuissimè S. Pater explicat: DICAT IPSE VNDE AGITVR: exponatque negotium, eiusque momenta. Nam vt Plato dixit: *In omni re consulendi principium, nosse id de quo consilium institutum: aut totâ viâ aberrare necessum est.* Rem itaque aperiat; ita tamen vt suam celet sententiam, ne fortè assentatores ei placere studentes, eius potiùs sequantur voluntatem, quàm rei vtilitatem: aut ne timidiores, metu displicendi, verum dicere vereantur. Vitabit proinde, ne quis in vnam magis, quàm alteram partem propensum illius animum percipiat.

Abbas negotium explicet. Plato in Phædro.

Non suam sententiam.

III. TERTIVM est: AVDIAT CONSILIVM FRATRVM. Rectè omninò; quia vt Salomon ait: *Qui sapiens est, audit consilia.* Hinc Artabanus apud Herodotum ait: *Nisi diuersæ variantesque sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet vti eâ quæ dicta sit. At cùm plures sunt, licet tamquam aurum purum secernere: quod solum separari cùm nequeat, alteri applicatum comparatumque potest. Audiat* ergò *consilium Fratrum*, omnium scilicet, qui in tali caussâ, de Iure vel consuetudine audiri debent: quòd si aliquos quasi iuniores, aut minùs peritos præterire voluerit, è solo neglectu aduersarios fortassis experietur: qui tamen si in deliberationem fuissent adhibiti, meliori sententiæ magnâ approbatione accessissent: tantum valet aliquid alterius sententiæ detulisse. Quomodo autem audiendi? benignè, patienter, sine molestâ interruptione concesso loquendi spatio, & libertate; nec verbo aut signo alieniorem à quoquam animum ostendat. Libertatem si sustulerit, facilè recusabunt animi sensum depromere. In refellendis aliorum rationibus summâ moderatione vtetur: quando enim

Fratrum consilia audiat. Prou. 12. Herod. lib. 7.

Nullo spreto.

Quomodo audiendi consulentes,

& refellendi.

PERSONÆ MONASTICÆ. enim seniotum opinionem Iuniores plerumque sequuntur, expedit veritatem adstruere, minùs rectè sentientes instruere, rationum momenta expendere, aduersa diluere; ne suffragiorum numero, quod minùs conuenit, statuatur. Benignè tamen interpretabitur, si quis errore ductus in apertè nocitura proruperit.

Prudenter in his agendum. Neque verò ita quorumdam Iudicio obnoxium se præbeat, vt quidquid illi dixerint, probet: quidquid improbauerint, reiiciat. Rem spectet, & non quis, sed quid dicat, expendat. Sed spectat hoc

IV. *Abbas sententias secum expendat.* QVARTVM Abbatis in deliberando officium: Quod S. Pater ita extulit: TRACTET APVD SE. Singulorum sententias & rationum, quas attulêre, momenta expendat, examinet, ponderet; non semper quod plures sentiunt, id melius. Vetus hîc querela Plinij: *In publicis consiliis nihil tam inæquale, quàm ipsa æqualitas: nam cùm sit impar omnium prudentia, par omnium ius est.* Proinde vbi res non pendet à suffragiis, quæ necessariò sequenda, non tam numeret sententias, quàm æqua lance appendat. Smaragdus, quem Bursfeldenses exscripsêre, suadet, vt *in secreto cum senioribus tantùm fratribus, qui vtilius, quive inutilius consilium dederint, subtiliter & acutè discernat.* Præ illis autem maximè adeundum, & audiendum putauerint Deum Opt. Max. vt ille consilio non tantùm præsens, sed & præses esse dignetur. Scriptum est enim: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Siracides exponens cum quibus qualibusque ineundum consilium, tres assignat Consiliarios. Primus est, vir sanctus: *Cum viro sancto*, inquit, *assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei.* Secundus est, cor proprium: de quo ait: *Cor boni consilij statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo.* Est, inquit Cornelius, hypallage: *cor boni consilij*, id est, bonum consilium cordis tui assume, illique innitere, cor enim tibi ipsi fidelius dabit consilium, quàm quiuis alius. Aut propriè Q. D. Statue in teipso cor quasi tribunal, imo oraculum boni consilij; vt cùm dubium, quid faciendum sit, occurrit, cor tuum, quid facto sit opus, consulas: ideoque in corde, quasi in tribunali caussam vndequaque diligenter & prudenter in omnem partem ventiles. Si enim hoc feceris, vtique cor tuum tibi erit dictator optimi consilij. Hic ille consiliarius est, ad quem S. BENEDICTVS Abbatem dirigit, cùm ait: *Tractet apud se.* Cui consentit Ben-Sira: *Sexaginta Consiliarij si tibi fuerint, tamen consilium animæ tuæ non deseras.* Tertius consiliarius, Deus, indicatur seq. v. 19. *Et in his omnibus deprecare Altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam*: & sana consilia cordi suggerat. Sic filium suum Tobias monebat: *Omni tẽpore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

Smarag. in cap. 3. Reg. S. Bened.

Maximè referat ad Deum.

Matth. 18.

Consulat Sanctos. Eccli 37. 15.

Cor proprium.

Quod est oraculum boni consilij.

Alphabet. I. lit. Schin.

Tob. 4.

V. *Iudicet Abbas quod vtilius est.* QVINTVM, quod in hâc re Superiori agendum, est IVDICARE *quid* VTILIVS *sit*. Nam vt efficacem intentionem finis sequitur consultatio de illis, quorum bonitas respectiua dubia est: ita inquisitionem eam claudit iudicium practicum, pronuncians de bonitate medij assumendi. Iudicio illi succedit electio, quæ idcirco definitur *appetitio præconsiliati*, vt tradunt Ethici. Itaque auditis aliorum sententiis, iisque in senatu animi discussis, eligendum Abbati illud, quod vtilius est, & magis expediat. *Electio*, inquit Aristoteles, *cum ratione, ac cogitatione existit. Id quod significare nomen etiam ipsum videtur, quasi id quod eligitur sen proponitur, ex aliis legatur, ponaturque ante alia.* At enim quo modo, aut quid eliget? Respondet Boerius: *Vbi est bonum, melius, & optimum, non debet dimitti melius pro bono; nec optimum pro meliori.* Inter duo mala, sequẽda S. Gregorij regula: *Dum mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omnino nullus siue peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur.* Breuiter ergò, in bonis, maximum, in malis, minimum eligendum: vbi plura incommoda quàm commoda, supersedendum: vbi vtrimque paria, res suffragiis decidi poterit, & diuinæ prouidentiæ commendari. Expendatur autem iuxta Innocentium III. *quid liceat secundum æquitatem; quid deceat secundùm honestatem, quid expediat secundum humilitatem*; atque etiam proximi ædificationem. Nam Apostolum dixisse nouimus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.*

Arist. lib. 3. Eth. c. 2.

Quod optimum & minus malum.

Greg. li. 32. Moral. cap. 10.

X de voto & vot. red. cap. Magnæ.

1. Cor. 10.

VI *Ad effectum deducat deliberata.* SEXTVM denique officium est, quod deliberatum, electum, & statutum est, EXEQVI: hoc enim omnis consultationis finis. Hic locum habet illud Leonis Imperatoris: *Vbi consulueris, si nullum impedimentum sit, maturè facito.* Vt nimia celeritas, ita & cunctatio obest, & bene gerendæ rei occasionem elabi permittit: atque vt ille ait:

——— Nocuit differre paratis.

De appa. rat. bell. cap. 4.

Lucan.

Atque hæc hactenus ad S. BENEDICTI verba; qui Religiosis non decisiuum, sed merè consultiuum tribuit suffragium. In quibus autem non modò consilium, sed & consensus conuentus necessariò requiritur, pendet vel ex Iure, vel particularium congregationum Decretis & Constitutionibus.

In quibus Conuentus consilium, & consensus requiritur.

In Nouitiorum ad habitum receptione Benedictus XII. decreuit, vt fiat cum *proborum consilio ad quos pertinet.* Quod solùm etiam

Benedictina cap. 24.

etiam ante illum requirebant Statuta Lanfranci Bursfeldenses præscribunt: *Cùm Abbati visum fuerit, super susceptione illius ad nouitiatum, vota fratrum requirantur.* Sed hæc vota esse consultiua mox aperiunt, eùm subdunt: *Postquam igitur prahabitis necessariis cautelis, Abbas de consilio Fratrum aliquem ad Nouitiatum suscipere voluerit,* &c. quamuis autem hi solùm consilium requirant, indecens foret, si omnibus cōsentientibus, Abbas præfractè resisteret, & ingressum abnueret. Nam, vt Marcus Antonius dicebat: *Æquius est vt ego tot, taliumq; amicorum* CONSILIVM *sequar, quàm tot, talesq; amici meam vnius voluntatem.* Cassinenses tamē requirunt in receptione ad ingressum Religionis, *Consensum maioris partis Seniorum, computatâ voce Prælati.* Similiter & Vallisoletani, vt habent Barcinone impressæ *Constitutiones cap.* 71. Vteumque autem hâc in parte diuersimodè statuant variarū Congregationum Decreta; omninò improbandum putauerim, si hac in re Prælatus ne consilium quidem expeteret. Nam & nouitium ita indutū aliis redderet odiosum, & periculo reiectionis tempore imminentis professionis exponeret, seque aliorum iudiciis, tamquam qui sibi nimiùm præfidat, obiiceret, & deceptioni ab ipso exordio occasionem præberet. Inde adeò est, vt cùm Daniël Stylites *procidens ad pedes Præfecti Monasterij rogaret, vt ipse quoque cooptaretur in numerum illorum, & eum monastico amictu indueret: Præfectus sacra mandra Fratres adhibuerit in consilium;* illis verò assentientibus, de cetero cum illis mā̄sit. *Posteà, cùm cognouissent parentes puerum seipsum Deo consecrasse, & necdum esset monastico habitu consummatus, multis precibus contenderunt, vt ante suos oculos monastico eum amictu induerent. Ille verò hanc rem rursus communicat Monachis: & postquam illos vidit assentiri, cùm iussisset omnes congregari in Dominico, & Danieli sacram recitasset Regulam, & tondet ei capillos, & monastico eum induit habitu, qui iam sicut Monachi viuebat, & viuere statuerat.*

Cetem. Bursf. dist. 3. cap. 1. In admissione ad Nouitiatum variant Ordinum statuta.

Capitol in M. Antonino.

Cass. ad cap. 58. Reg.

Prælato suadetur vt Nouitium admittat cum consilio.

Metaph. in Vit. apud Sur. 11. Decemb. Quod obseruarunt veteres Monachorum Patres.

Quod spectat admissionem ad Professionem, communis sententia est, nisi obstet legitima præscriptio, consuetudo, priuilegium, vel Ordinis constitutio, requiri non solùm Abbatis, sed & conuentus consensum: ita vt illo dissentiente; irrita foret. Quam tenent Nauartus, *comment. de Regular. numer.* 5. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 15. *articul.* 2. & Perez noster *ad cap.* 58. *Regular. Sancti Benedicti, numer.* 30. *& sequentibus.* In alienationibus quoque bonorum immobilium, consensus capituli siue conuentus requiritur. Vide in Iure titul. *De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli*, & Doctores ibidem.

Admissio ad Professionem requirit consensum Cōuentus.

Et alia maiora.

A

Superest vt alteram quoque consultandi formam explicemus, de quâ S. BENEDICTVS: *Si qua verò minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio.* In quibus verbis duo consideranda. 1. quænam *minora.* 2. qui *Seniores.* *Minora*, inquit Bernardus Cassinensis, *sunt emendare negligentias Cellerarij, vel aliorū officiatorū, vel mutare istū de vno officio in aliud, & similia.* Addit MS. quidā tractatus: Corrigere Fratres delinquentes, indulgere

B

pœnitētias, dispositiones de temporalibus rebus. Sed qui *Seniores?* Boërius: *Discretiores, prudentiores, magis experti.* Turrecremata: *Senior* hoc loco non semper videtur notare senectutem ætatis, aut prioritatem conuersionis: quia quandoque in multis huiusmodi nec abundat consilij maturitas, nec rerum experientia. Sed *Seniores* credimus hîc prudentiores, & magis expertos, appellandos, secundùm illud Tobiæ: *Consilium à sapiente require.* Verùm quia inuidiosum sæpe est, relictis

C

professione senioribus, designare alios tanquam prudentiores, & magis discretos; hinc apud quosdam in vsu est, consulere *Seniores* secundùm ordinem professionis. Cassinenses declarant, *Seniores esse Priorem Claustralem, Decanos, Magistros Nouitiorum, & Cellerarium, cùm quibus etiam solis, Prælati negotia Monasteriorū tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, liberè possint expedire.* Vallisoletanis Constitutionibus præscribitur, vt in omnibus Monasteriis determinatus sit eorum qui ad consilium adhibeantur, nu-

D

merus; adeò vt si 30. Religiosis constet Monasterium, vndecim sint de consilio, si minor sit numerus, tertia pars adhibeatur. Eliguntur autem hi consiliarij pluralitate suffragiorum: & ad secretum se iuramento obstringunt, quod qui violauerit, perpetuò excluditur concilio.

PERSONÆ MONASTICÆ.

In minoribus consulendi Seniores.

Cap. 3.

Quænam minora.

Qui Seniores.

Turrecr. tract. 15. in cap. 3.

Tob. 4.

Cass. ad cap. 3. n. 12.

Vallis. cap. 70. Vallisoletani certos & definitos habent Cōsiliarios.

Illud porrò prudens in iisdem Constitutionibus consilium Prælatis omnibus nostro voto consulendum: vt nimirum singulis mensibus vno die obstringatur Abbas conferre cum suis consiliariis, si quid sit

E

quod ad bonum Monasterij regimen prodesse possit, illique prospiciat. Quod quidem si neglexerit, à Generali vel Visitatoribus tanquam transgressor S. Regulæ puniatur. Non absimile Decretum legere est in Regulâ S. Fructuosi Episcopi: *Per capita mensium Abbates de vno confinio, vno se copulentur loco, & mensuales Litanias strenuè celebrent.* Et *qualiter quotidie viuere debeant, ibi disponant, & tanquam à saionibus comprehensi ad cellas reuertantur supplacitati.* Obscurior hæc sententia obiter illustranda. *Saiones* sunt exactores, lictores, quorum officium

Quibuscū Abbas conferre tenetur.

Reg. Fruct. cap. 10.

Abbatum menstrui conuentus.

Fructuosi locus obscurior explicatus.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Aduerſ. cap. 117. num. 9.

Caſſiodorus lib. 12. ep. 3. deſcribit. Gothicam vocem eſſe ait La Cerda *Supplacitati* idem hîc eſſe videtur, quod citati, in iudicium vocati; placitum enim eſt conuentus litibus dirimendis inſtitutus. Senſus proinde eſt: Redeant Abbates ad cellas, id eſt, Monaſteria ſua, perindè ac ſi à lictoribus eſſent citati. Vide Menardum ad cap. 5. Concord. Regul. §. 17.

DISQVISITIO VII.

Quomodo Conſilium dandum?

Conſultores dent conſilium,

I.

Cum Humilitate. Cap. 3.

DE conſulente Abbate dictum hactenus: agendum nunc de Conſultoribus, quorum hæc potiora officia.

Primum, monente S. BENEDICTO, *dent conſilium cum omni humilitatis ſubiectione.* Rectè omninò Humilitatem requirit ab iis, quos per Humilitatis gradus ad culmen perfectionis, & cæleſtem patriam dirigit. Elucet porrò hæc Humilitas, ſi verborum ſonus ſit demiſſus pariter & ſuauis. Vociferatio enim ſuperbiam redolet, vnde inter gradus Humilitatis numeratur, *ſi non ſit clamoſus in voce*: deinde ſi ad conſilium adhibitus, non loquatur niſi interrogatus, & cùm ad eum ordo peruenerit. *Præſumptuoſus*, vt Bernardus ait: *priùs in conuentu reſidet, in conſiliis priùs reſpondet.* Contra verò docente Proſpero: *Temperantiæ eſt quòd præſtamus loquenti ſeniori ſilentium; quòd ipſius ad loquendum præſtolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus ſonum.* Humilitatis quoque eſt, ſi aliorum verba non interrumpamus, aut ſententiam eorum impugnemus, vel perſtringamus. Quidam naturâ aut vitio ita pugnaces ſunt, vt tantùm ſententiis aliorum contradicant, & conſiliis quamuis egregiis hoc ſolo nomine aduerſantur, quòd non ipſi attulerint. Sed in eo *Humilitatis ſubiectio* potiſſimùm ſpectatur, ſi conſultus Religioſus, non abſolutè, auctoritatiuè, veluti decretoriam proferens ſententiam, dicat: *Sic agendum eſt, ſic debet fieri, hæc mea reſolutio.* Sed, *Ita mihi videtur, credo ſic poſſe fieri, putauerim non malum fore*, &c. adiiciendo illud, quod peritiſſimis quoque Theologis & Iuriſperitis familiare eſt; *Saluo meliori iudicio.*

Non clamando,

Bern. de grad. Hum. grad. 7. ſuperb.

Proſp. de vit. contempl. l. 3. cap. 19.

aut altercando.

Formula conſulendi.

II.

Sine pertinaciâ, & abundantiâ proprij ſenſus.

Secundum Conſultorum ab eodem commendatum Legiſlatore officium eſt, *vt non præſumant procaciter defendere quod eis viſum fuerit.* Nimirum & hoc humilitati aduerſatur, tenacē eſſe proprij iudicij, & in ſuo abundare ſenſu. Rectè proinde Bernardus: *Quæ maior ſuperbia eſſe poteſt, quàm ſi vnus ſuum iudiciū præferat vniuerſæ Congregationis iudicio, quaſi ſolus haberet ſpiritum Dei?* Et iterum: *In corde duplex eſt lepra, propria volūtas, & proprium conſiliū. Lepra vtraq; nimis peſſima, eoq; perniciosior, quò magis interior.* Ex propriæ autē ſententiæ acriori propugnatione, procliuis lapſus in contentionem, quam proſcribit S. P. dicēs: *Neque præſumat quiſquā cum Abbate ſuo proteruè intus vel foris Monaſterio contendere. Quòd ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubiaceat.* Eſt autē *diſciplina* (inquit D. Auguſtinus) *emendatoria tribulatio.* Sed hæc contentio non cùm Abbate, dumtaxat, ſed cum quocūque, vitium eſt, Dei ſeruo prorſus indignum, ab Apoſtolo inter opera carnis relatū; *Seruum enim Dei nō oportet litigare.* Vnde idem ait: *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Vnicuique proinde eiuſdem inculcandum monitum: *Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Hinc illa S. Pachomij ſanctio: *Si inuentus fuerit vnus è fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens maioris imperio, increpabitur iuxta menſuram peccati ſui.*

Bern. ſerm. 2. de reſurr.

Idem Serm. 3.

Vnde oritur contentio.

Cap. 3.

Auguſt. in Pſal. 118.

Omnimodis vitanda Religioſo.

Gal. 5. 20.

2. Tim. 2.

1. Cor. 11.

2. Tim. 2.

Reg. Pachom. nu. 118.

III.

Nihil contra Regulam conſulendum.

Tertium Conſultoris officium eſt, nihil vt contra Regulam ſuadeat. Præcauens hoc S. Legiſlator, ait hoc ipſo loco: *In omnibus omnes magiſtram ſequantur Regulam: nec ab eâ temerè declinetur à quoquam.* Ita ſcilicet, vt nulli ſiue Abbati, ſiue ſubdito liceat aliquid contra Regulam definire vel ordinare, vt loquitur Turrecremata. In vtrâque Synodo Nicenâ, Chalcedonenſi, & Epheſina Euangeliorū codicem in medio concilij ſtatuebant, vt ad illum quaſi ad perſonam Chriſti conuerterentur, ac ſi Chriſtus ipſis diceret. *Iuſtū iudiciū iudicate*, ait S. Cyrillus in *Apolog.* Non ſecus in monaſtico cōcilio, Regulæ codex in medio conſtituendus, & ante oculos iugiter habendus: quaſi ad S. BENEDICTVM conuerſi ipſum loquentem audirēt: *In omnibus omnes magiſtrā ſequantur Regulam.* Qua vniuerſali propoſitione etiā Abbatem, vt diximus, includi ex ipſo patet textu, ſubdit enim: *Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione Regulæ omnia faciat.*

Euangelia in Conciliis præſidebant.

Cap. 3.

IV.

Approbandum & exequendum, quod ab aliis concluſum.

Quartum Conſultorum munus eſt, vt quamuis aliter fortè cenſuerint, cōtra proprium tamen iudicium fideliter obtemperent. Vnde S. P. *In Abbatis pēdeat arbitrio, vt quod ſalubrius eſſe iudicauerit, ei cuncti obediant.* Cuius rationem ſubnectit; quia *diſcipulis conuenit obedire magiſtro.* Idemque rurſus inculcans, *Nullus*, ait, *in Monaſterio proprij ſequatur cordis voluntatem.* Non itaque hoc ſatagendum, vt quod noſtro cedere iudicio, id alij amplectantur & ſequantur, ſed captiuandum id potiùs in obſequium ſanctæ obedientiæ. Laudandus hâc in parte S. Bernardus, qui ſentiebat ſe onerari, ſi eius ſequerentur ſententiam. *Agnoſcens*, inquit, *ſapientiæ meæ ſiccitatem,*

S. Bernardus non fidit propria ſententia.

Bern. Epiſt. 87.

imò

imò insipientiæ meæ suspectam habens temeritatem, cùm nō fit quod fieri laudo, nec audea, nec debeo indignari, desiderans quæque consultiùs agere quàm à me acceperit. Quoties verò mea sententia eligitur ac tenetur, graui, fateor, onere me premi sentia, rei finem semper pauidus, & numquam securus exspectans. Cùm igitur nostrum abiicitur consilium, laudandum & exequendum quod suaserit alienum. Demosthenes meritò Spartanorum institutū laudat, quod tale. *Ferūt,* inquit, *apud eos dum decernitur, quemq; sententiam suam liberè promere: sed vbi decretum est, eadē laudare omnes, & adiutores esse etiam illos qui contrà dixerint.*

PERSONÆ MONASTICÆ

Demosth. Exord 39. Lacedæmonij laudati.

TRACTATVS VI.

DE PRÆPOSITO, ET DECANIS.



CAPITE *ad collum, à Duce ad vices eius gerentem, à Superiore ad subsidiarios ordine descendimus. Post Abbatem, secundum ab Abbate, neutiquam tamen secundùm Abbatem, considerationi nostræ proponimus. Hoc siquidem* Tractatu PRÆPOSITI, *&* DECANORVM *officia expendemus: hi enim Abbati, velut oculi, & manus in auxilium dati sunt. Quos eodem complector* Tractatu, *propter officij similitudinem, & quod eos Legislator noster sanctißimus in ipsâ Regulâ coniunxerit. Agens enim de* Decanis, *mentionem facit* Præpositi. *Et in cap de* Præposito, *ait* : Si potest fieri, per *Decanos* ordinetur, vt anteà disposuimus, omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit. *Ex quo loco constat S. Patrem prius egisse de* Decanis, *quàm de* Præposito. *In Concordiâ tamen Regularum de hoc*, cap. 27. *de illis* cap. 28. *agitur. Voluerit credo Benedictus Anianæ Abbas ordinem dignitatis obseruare; nam in corpore Iuris Canonici, vt Molanus obseruauit; & in Ecclesiarum archiuis, multa leguntur tum rescripta, tum constitutiones, in quibus primo loco* Præpositus *nominatur, deinde* Decanus, *totumque Capitulum. Proinde & nos his insistemus vestigiis, disquirentes* Primò, *De nomine Præpositi.* Secundò, *De nomine Prioris.* Tertiò, *Quod Præpositi, siue Prioris officium?* Quartò, *De Decanis, & quot præsint Monachis?* Quintò, *Quod Decanorum officium?* Sextò, *Quales debeant esse Decani?*

Præpositi & Decanorum officia affinia.

A S. Benedicto coniuncta. Reg. cap. 65.

Mol. lib. 1. de Canon. cap. 4.

DISQVISITIO I.

De nomine PRÆPOSITI.

Præpositus, nomen dignitatis.



RÆPOSITVS vetustum & generale nomen dignitatis, eum qui aliis præest, significat. Hinc in Scripturâ sacrâ PRÆPOSITVS *Regionum, prouinciarum, Filiorum Israël, turmarum, domus Domini, thesaurarum, operum, Negotiorum,* &c. Militaris officij vocabulum fuisse sub posterioribus Imperatoribus, Rhenanus ad Tertullianum indicauit: qui ad Martyres scribens, gladiatoribus etiam tribuit Magistros & *Præpositos.* Hoc nomen, vt & multa alia, in re præsertim militari vsitata, prisci Christiani libenter vsurparunt: & Episcopis ac Pastoribus tributum, constat ex Paulo scribente: *Mementote* Præpositorum *vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Et: *Obedite* Præpositis *vestris, & subiacete eis.* Notat Pamelius, *Præpositi* vocem Cypriano in multis Epistolis familiarem esse, pro Episcopo; & euidens locus est Epist. 4. *Quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina Præpositi, in tantùm contra vtile est, & salutare,*

In militiâ.

Episcopis olim tributum ab Apostolo, Hebr. 13. Ibid. 17.

Et sanctis Patribus.

cùm

PERSONÆ MONASTICÆ.

cùm se Episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum. Eodem modo pro Episcopo, aut animarum curam habente accipitur quoque ab Augustino: *Habemus duo quædam, vnum quòd Christiani sumus, alterum quòd* Præpositi *sumus. Illud quòd Christiani sumus propter nos est, quòd autem* Præpositi *sumus, propter vos est. Sunt autem multi Christiani & non* Præpositi. Et à Gregorio sæpissime: *Præpositorum sollicitudo, subiectorum est cautela:* Præpositorum *bonitas, subiectorum salubris est regula. Pereuntium animæ à* Præpositorum *animâ requiruntur.*

August. Serm 166. de temp.
Greg. lib. 9. Epist. 8. l. 5. Ep. 56.
Lib. 1. Ep. 40.

Quamuis autem, vt Conc. Aquisgranense loquitur, *omnes qui præsunt*, Præpositi *ritè dicantur, vsus tamen obtinuit eos vocari* Præpositos, *qui quandam* PRIORATVS *curam sub aliis Prælatis gerunt.* Quod quidē apud Monachos potissimè obtinuit, quibus *Præpositus* est secundus ab Abbate, vt ex omnibus pænè patet Regulis. Regula Macarij: *Qui de fratribus prius cum hoc dixisse audierit referat* Præposito, & Præpositus *Abbati.* Regula Orientalis: *Hæc obseruabit senior monasterij qui fratribus præpositus est, referens ad Abbatem omnia*, &c. Et: *Præpositus nihil faciat, nisi quod Pater iusserit.* Quod sumptum ex Regulâ Pachomij, qui varios habebat Superiores, vt tam ex Regulâ, quàm ex Orsiesij discipuli eius libro, constat. Erant enim ei plura Monasteria, in multas domos distincta, & domus in cellas. In singulis Monasteriis hi erant Superiores: Primò, *Princeps monasterij*, id est, Abbas: Deinde *Præpositus*, qui appellatur *secundus monasterij*; erant præterea *Præpositi* singularum domorum, & post eos secundi singularum domorum. Ex quibus manifestum est, *Præpositum* in Regulâ Pachomij non esse primam dignitatem. Sed vt confertim dicam, Regulâ Ternantensis, Isidori, Ferreoli, Aureliani, Cæsarij Arelat. ad virg. Columbani, Fructuosi Episcopi, omnes Abbati postponunt *Præpositum*: atque ita accipitur in Regulâ S. BENEDICTI, quem imitatur S. Gregorius variis locis: suffecerit vnus ex S. P. vitâ: *Deputatis fratribus Patrem constituit, & quis ei secundus esset, ordinauit.* Hunc autem *secundum* paulò pòst vocat *Præpositum.*

Conc. Aquisg. can. 139.
Præpositus apud Monachos est secundus ab Abbate.
Reg Mac. num. 27.
art. 117.
Qualis in Regulâ Pachomij.
Et aliorum.
Greg lib. 2. Dial. c. 22.

Sed non adeò expeditum dicere, quem in S. Augustini Regulâ *Præpositus* designet: ita enim ait: *Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.* Et mox: *Ad* Præpositum *pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas, referat, quod modum vel vires eius excedit.* Ex quibus verbis videtur non secus quàm in aliis regulis *Præpositum* esse secundam personam, & Presbyterum primam. Quod inde confirmatur, quia ab octingentis annis priora illa verba in Regulâ Ternantensi, cap. 23. ita transcribuntur. *Præposito specialiter obediatur; multò magis Abbati, qui vestrûm omnium curam gerit.* Vbi vides consultò intermissum illud, *tanquam patri:* quia non *Præpositus*, sed Abbas Monachorum Pater est. Deinceps prosequens Augustini verba, ait: *Ad Præpositum pertinebit, vt ad Abbatem, cuius est apud vos maior auctoritas, referat*, &c. Hinc Nauarrus existimat *Præpositum* esse Propriorem, siue Subpriorem, eumque vicarium esse Presbyteri, qui est Prior conuentualis.

Præpositus, qui in Regulâ S. Augustini.
August. in Reg. cap. 9.
Videtur esse Subprior.
Nauarr. comment. 3. de regul. n. 4.

Verùm Siluester, Humbertus, *cap. 160. in Reg. S. Aug.* Seruatius Lairuelz *in Opt. reg. spec. 99.* & Prosper Stellartius per *Præpositū*, Priorem, per Presbyterum, Episcopum intelligunt, & postquam monasteria fuerunt exempta, Prouincialem. Sed enim cùm hæc ita dicantur, vt B. Augustini verba monastico regimini, quod in virorū congregationibus viget, accommodentur; ad verum sensum verborum S. P. eliciendum, crediderim Regulam potiùs inspiciēdam, prout ab ipso auctore Sanctimonialibus præscripta est, & habetur Epist. 109. Notat porro Stellartius, quatuor Sāctimonialibus Augustinianis fuisse superiores: Præpositam, Præpositū, Presbyterum, & Episcopum. Huius, inquit, tetrarchiæ ignoratio, multis lectoribus & aliquot scriptoribus tenebras offudit. Tres autem ex his superioribus simul nominantur in Regulâ: *Si autem deprehenditur atque conuincitur, secundùm arbitrium* Præpositæ, *vel Presbyteri, vel etiā Episcopi, grauius emendetur.* Quia autem ibi prætermittitur *Præpositus*, non semel nominatur in exordio Regulæ, & fortassis idē fuerit cum Presbytero: quia per totam Regulam nulla alia *Præpositi* mentio, & præfuisse illum magnâ auctoritate constat, quia propter illum, quem, vt Augustinus loquitur, *in Christo venerabiliter diligebant*, Matrem mutari volebant. Subditque: *In vobis namque regendis, sic* Præpositi *rudimenta turbantur, vt magis velit vos ipse deserere, quàm istam ex vobis famam & inuidiam sustinere, vt dicatur, nō vos aliam quæsituras fuisse* Præpositam, *ni ipsum cæpissetis habere Præpositum.* Ex his elicio *Præpositi* munus spirituale etiā fuisse. Nam si merè fuisset temporale, non tam Moniales, quàm earum iura & rura diceretur regere. Cùm autem *Præpositæ*, tanquam matri tota gubernandi potestas in spiritualibus & tēporalibus à regulâ tribuatur, & tamen dicatur, vt multò magis Presbytero, qui omniū curam gerit, obediatur, & vt *Præposito* ad Presbyterū referat, quod modum vel vires eius excedit: Presbyterū hunc dixerim Patrē & Confessariū Parthenonis illius fuisse, Vicariumque Episcopi. Quod planius omninò videtur, quàm

Silu. v. Relig. 1 §. 11.
Alij intelligunt Priorē.
Stell. Nucl. hist. reg. S. Aug. n. 144.
Superiores 4. Augustinianis Monialibus dati.
Stell. in fundam. Ord. c. 24.
Præpositus spiritualia quoque curabat.
Presbyter erat Episcopi Vicarius.

quam Presbyteri nomine intelligere Episcopum: quę si Augustini mens fuisset, non immeritò admirari liceret, cur nomen Episcopi ne semel eâ notione expresserit: nam vbi illud exprimit, manifestè, vt vidimus, à Presbytero distinguit. *Præpositæ* ergo officium primaria erat in Regula S. Augustini dignitas, Presbyter nec caput, nec membrum congregationis, sed Episcopi Vicarius, Sacramenta administrans, curam earum gerens, ipsisque intendens. Probabilem hanc sententiam ante me tradidit R.D. Henricus vanden Zype: & hoc modo, vt notat Lairuelz, in exordio Ordinis Præmonstratensis, Monasteria non habuere, nisi *Præpositos* pro suis summis præfectis in Monasterio residentibus, qui eâ erant in Religiosos & bona monasterij potestate; quâ sunt hodie Abbates. Tum ergò Presbyter, erat Episcopus loci, cui Præposituræ illæ ante exemptionem subdebantur. Quod ad Monialium imitationem satis apparet viris esse accommodatum.

Præpositæ primaria dignitas.

Zyp. in monast. Ord. S. Greg. part. 2. cap. 11.

Vt olim Præpositi apud Præmonstratenses.

Olim quoque præfecti aliquot Monasterijs, quæ vni Abbati subiiciebantur, dicti sunt *Præpositi*, vt constat ex Gregorio Turonensi: quibus *Præpositis* aliquando olim Episcopi dignitatem Abbatialem cōferebant, Præpositutis in Abbatias mutatis, vt constat ex eodem: *Post cuius* (Vrsi Abbatis) *obitum* Præpositi, *qui per monasteria erant, Abbatum officium Episcopis largientibus susceperunt.*

Et alios.

qui deinde facti Abbates.

Greg. Turon. de vit. Patr. c. 18.

DISQVISITIO II.

De nomine PRIORIS.

QVI *Præpositi* officio in Monasterijs fungebantur, sæculis posterioribus, PRIORES appellati sunt. Vnde Lanfrancus: *Seruatâ Abbati in omnibus reuerentiâ*, Prior, *qui & Præpositus in Regulâ nominatur, honorabilior est reliquis ministris Domus Dei.* Et Cassinenses: *Præpositus Monasterij, secundùm morem nostrum* Prior Claustralis *vocatur*. Hoc igitur nomine, vocis huius varia acceptio hic nobis discutienda.

Præpositi dicti Priores.

Lanfranc. Stat. cap. 3.

Cassin. ad cap. 65. reg.

Primò enim, PRIOR dicitur, quicumque ætate, dignitate, vel ordine Congregationis, alios præcedit: idemque ferè est quod *Senior*. Sic in vitâ S. Euphrasiæ dicitur: *Ingressa Abbatissa oratorium, conuocauit* Priores *seniores*; deinceps autem vocantur *seniores sorores*. Similiter & S. BENEDICTVS: *Iuniores igitur* PRIORES *suos honorent*; Priores *iuniores suos diligant. Itemque: Vbicumque sibi obuiant Fratres, iunior à* PRIORE *benedictionem petat*. Vbi statim *Prioris* vocabulum exponitur, vt idem quod *maior & senior*. S. Gregorius, S. BENEDICTI phrasi

Prior accipitur I. pro seniore.

Vit. Pat. lib. 1. c. 24.

A S. Benedicto. Cap. 63.

Greg. lib. 2. Dialog. cap. 16.

A morc suo vtens, eâdem notione extulit: *Cùm verò post annos multos omnes* PRIORES *illius de hâc luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret.* Denique; antiqui Patres, teste Smaragdo, dixerunt: *Ille verò Monachus quantos fratres in alio monasterio inuenerit, tantos se nouerit habere Priores*. Tribuit hoc antiquis Patribus, quia desumptum ex *cap. 13. Regulæ* Serapionis, Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij, & aliorum 34.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Smarag. in cap. 61. Reg.

B *Secundò*, vox PRIOR absolutè posita designat primam & dignissimam in Monasterio personam, Abbatem scilicet & Prælatum. Notat enim in Glossario Græcobarbaro Meursius, Πρίωρ, dignitatis nomen esse; citatque Iustinianum, Nouell. 112. *vel per aliam qualemcumque personam ad.* Priores *numeri & Chartularios. Basilic. Eclog.* 29. Eustathium *de temporum interuallis*. Quibus locis *Prior* sumitur pro Principe, Duce, & eo qui præest. Sic quod Christus apud Ioannem ait: *Scitote quia me* Priorem *vobis odio habuit*; Græcè, πρῶτον ὑμῶν; Franciscus Lucas exponit: Primum vestrum, qui primus sum vestrum, seu PRIOR, quod est, dignior vobis. Sic enim suprà, *cap. 1. 15.* Ioannes Baptista de Christo loquitur: *Prior me erat*. Quem titulum Apostolorum principi Augustinus tribuit: *Non tantum B. Paulum testem produximus, verùm etiam & Petrum* PRIOREM *Apostolorum*. Sie & B. Gregorius de Gothis militibus: *Is qui* Prior *eorum esse videbatur, respondit.*

II. Prior sumitur pro Abbate.

Et eo qui præest.

Ioan. 15.

Aug. contra Maximin. lib. 1.

Dialog lib. 1. cap. 10.

C

D Iam quod nos spectat, eodem modo *Prioris* nomen pro Abbate S. BENEDICTVS vsurpat, his præsertim locis: cap. 6. *Si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subiectione reuerentiæ requirantur.* Vbi Boërius: *à Priore, id est, Abbate, vel Superiore, vel etiam seniore.* Craesbeeck tamen non illum qui Congregationi præest, sed Seniorem intelligit. Alius locus est Gradu 4. Humilitatis: *Et vt ostendat sub Priore debere nos esse*; ad quem Smaragdus: *Significantur Abbates.* capit. 13. dicitur: *Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore*: quod Abbati passim tribuitur; vti & illa quæ de hospitum susceptione, sub nomine *Prioris* præscribuntur. Vt *nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore*: Et: *sedeat cum eis* Prior, *aut cui iusserit ipse*. Mox: *Ieiunium à* Priore *frangatur propter hospitem*. Quæ intelligenda de Abbate, colligitur ex eo, quòd sequitur: *Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes autem hospitibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio lauet.* Item: *Coquina Abbatis & hospitum per se sit.* De Abbate quoque illud capiendum. *Quod si, aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis, amplius poposcerit, in ar-*

S. Benedictus pluribus locis per Priorem intelligit Abbatem.

Et Interpretes docent.

Reg. cap. 53.

Cap 41.

E

in arbitrio Prioris *exiſtat* : vbi editio Colonienſis apud Calenium, & Ferragij, annotant aliàs legi *Abbatis*, quod probum eſſe gloſſema, conſtat ex præcedenti capite, vbi de menſurâ ciborum dicitur : *Quòd ſi labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere.* Sed & ab aliis hoc modo *Prioris* nomen accipitur. Ioannes Monachus. *Odo Pater protulit præceptum Regulæ, in quo continetur, quod abſque licentiâ* Prioris *nihil Monacho liceat facere.* Vbi illud Regulæ expreſſit, quo Monacho vetatur, *quidpiam quamuis paruum ſine Abbatis iuſſione facere.* Regula Pauli & Stephani cap. 29. hoc præfert lemma: *Niſi * vſu* Prioris *nullus tonſuret.* Et in textu ait : *Nullus fratrum audeat tonſurari, ſine oratione Abbatis.*

Alij ſcriptores ita quoque vſurpant.

Ioan. lib. 2. vit. S. Odonis

Cap. 67.

* fortè iuſſu.

Hæc cùm ita ſe habeant, facilè mihi perſuaſerim, posteriores Ordines humilitatis, vel illâ cauſſâ, Abbatis nomen declinantes, cui ſummam præfecturam tribuerunt, vocaſſe *Priorem*. Vt fit apud Carthuſianos, Guilielmitas, Cœleſtinos, Carmelitas, Eremitas Auguſtinianos, Prædicatores, & in noſtro Ordine plura iam olim hodieque Monaſteria abſque Abbatibus, ſolos agnoſcunt *Priores* pro ſuis Prælatis.

Vnde Præfecti quorumdam Ordinum vocati Priores.

III. *Tertiò*, PRIOR, vt initio diximus, accipitur pro ſecundâ in Monaſterio perſonâ, ſiue *Præpoſito*. Pro quâ notione, licet expreſſum Regulę textum allegari poſſe non exiſtimem, vetuſtam tamen eſſe, ex S. Gregorio probatur, qui Victori Epiſcopo ſcribit : *Victoriam audio res monaſterij diſtrahere, vt ad* PRIORATVS *locum pertingeret, & ipſa poſt Abbatiſſam interim inueniri debuiſſet.* *Prioris* nomen ſæpius occurrit in Statutis S. Dunſtani. Et S. Petrus Damiani Monaſterij officia ordine deſcribens, ſtatim poſt Abbatem ſubiicit : *De Priore Monaſterij*, nullâ *Præpoſiti* factâ mentione; quod poſteà quoque ſeruatum videre eſt in vſu Ciſtertienſi, Cerimoniali Burſfeldenſi, Conſtitutionibus Vallisoletanis. Duplices autem in his aliiſque Congregationibus reperias *Priores*. Vallisoletani habent *Priorem Maiorem*, & *Priorem ſecundum*. Burſfeldenſes *Priorem*, & *Subpriorem* : Vetus noſtrum Rituale Affligenienſe nominat *Priorem Maiorem*, qui habeat duos *Priores* ſub ſe, ſcilicet *Subpriorem*, & *Tertium* : alibi etiam pro Monachorum numero *Quartus*, & *Quintus Prior* eſt. Lanfranci Statuta meminerunt *Prioris Maioris*, & *Prioris Clauſtri*, & illi curam extra clauſtrum, primariamque poſt Abbatem tribuunt dignitatem. Atque eodem modo pro *Priore* abſoluto, & primo poſt Abbatem accipitur in *Benedictinâ*, vbi dicitur : *Sanè cum* Prior Clau-

Prior eſt ſecunda in Monaſterio perſona.

Greg. lib. 4. Epiſt. 4.

Per. Dami. Opuſc. 13. cap. 16.

Et alij ipſo inferiores eo nomine appellati.

Bened. cap. 30.

A ſtralis *eſſe debeat potens in opere ac ſermone; inſtituatur ipſe prouidus & diſcretus; prout in congregatione aptior poterit inueniri: ſitque talis qui continuò in capitulo ſeu conuentu reſideat : clauſtrique curam & regimen exercere aſſiduè teneatur.* Quibus verbis ratio innuitur huius appellationis. Cùm enim in aliquâ parte clauſtri, ſiue periſtylij, aut ambitus, Monachi communiter ad Lectionem reſiderent, nec ſine licentiâ clauſtrum egrederentur; conſtitutus eſt qui ex officio illis intenderet, dictuſque *Prior Clauſtri*, vel *Clauſtralis*. Hinc Lanfrancus :

Prior Clauſtralis vnde dictus.

B PRIOR CLAVSTRI *quocumque Maior Prior eat, ſi fieri poteſt, in clauſtro, vel circa clauſtrum debet ſemper eſſe, & ordinem clauſtri in omni ſollicitudine ſeruare.* Ceterùm, Clementina, *Ne in agro*, Bulla Nicolai IV. ad Cluniacenſes, *Benedictina* cap. 29. mentionem faciunt de *Prioratibus Conuentualibus*, & non *Conuentualibus*. Conuentuales autem *Priores* dicuntur, vt Flauius Cherubinus annotauit, qui in conuentu Religioſorum vbi non eſt Abbas, præfecti & capita ſunt. Vt Canoniſtæ communiter ad *clement.* 1. *de Statu Monachorum*, §. *Ceterum*, tradunt. C Inuenias etiam nominari *Forenſes Priores*, qui in Prioratibus, Præpoſituris, & membris maiorum Monaſteriorum habitant, de quibus iiſdem iuribus decretum, ne vnus ſolus in iis degat Monachus.

Stat. Lanf. cap 3.

§. Ceterum.

Quinam Priores Conuentuales.

Tom. 1. Bullar. 85. Bull. Shol. 5.

DISQVISITIO III.

Quod Præpoſiti, ſiue Prioris officium?

D ABBATI ſoli ſubeſt, reliquis omnibus præeſt *Præpoſitus*, horum *Prior* & Superior, illo dumtaxat poſterior inferiorque. Medius igitur inter vtroſque, qui erga Antiſtitem, quî ſe erga ſubditos gerat, diligenter conſiderandum. Et quidem Sanctus BENEDICTVS grauiſſimè interdixit, ne ſe illi æqualem, aut ſecundùm Abbatem exiſtimet. *Sæpius*, inquit, *contingit, vt per ordinationem* Præpoſiti, *ſcandala grauia in Monaſteriis oriantur. Dum ſint aliqui maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, qui æſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in Congregatione faciunt, &* E *maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab iiſdem Abbatibus, qui Abbatē ordinant, ab ipſis etiā & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdū facilè aduertitur, quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi: dum ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis, exutum eum eſſe à poteſtate Abbatis ſui, quia ab ipſis eſt ordinatus, à quibus & Abbas.* Ex quo loco eruitur vetuſto more Abbates à *Sacerdote*, id eſt Epiſcopo, & *Abbatibus* (nam,

Caneat Prior, ne Abbati ſe æqualem credat.

Reg. cap. 65.

vel,

Abbates olim ab Episcopo ordinabantur. *vel*, hic pro copulatiua, *&*, accipitur) ordinari, vel benedici: quod statuit Iustinianus: *Iubemus*, inquit, *sanctissimum Episcopum, sub quo Monasterium constitutum est, eum qui ita electus est, modis omnibus Abbatem ordinare.* Quod ipsum antè decreuerat Cod. lib. 1. tit. 3. Et S. Gregorius scribens Vrbico Abbati, mandat, vt Victorem Episcopum ad Lucusianum Monasterium inuitet; *quatenus ipse illic Missarum solemnia celebrare, & Domitium auctore Deo Abbatem ordinare debeat.* Idem in Abbatissis seruatum, ex eodem Gregorio videas, dum Respectæ Abbatissæ scribens, iubet mortuâ Abbatissâ, aliam à Congregatione eligi; *quam, si digna huic ministerio iudicata fuerit, eiusdem loci Episcopus ordinet.* Item Venantio Episcopo: *Vt à vobis, Deo protegente, Abbatissa debeat ordinari.* Id etiam constat ex Epistola S. Radegundis apud Gregorium Turonensem: *Quam (Abbatissam Agnetem) beatissim: Germani præsentibus suis fratribus benedictio consecrauit.*

Nouell. 123. c. 14. — *L. 47. §. 1.* — *Greg. lib. 9. Epist. 41.* — *Et Abbatissæ.* — *Id. lib. 6. Epist. 12.* — *Lib. 8. Epist. 43.* — *Greg. Tur. lib. 9. hist. cap 42.*

Præpositi similem ordinationis antiquitus S. Benedictus. Eumdem porrò ordinationis ritum in constituendo *Præposito* olim seruatum, ex S. BENEDICTI verbis colligitur. Sed eum pluribus de caussis corrigendum censuit; statuitque: *Quemcumque elegerit Abbas cum consilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum.* Vt ex hac ipsâ ordinatione agnoscat se & Abbate minorem, & illi subditum: atque ita olim vsitatum, constat ex S. Gregorio, qui Ioanni Abbati scribens, ait: *Petijt dilectio tua, vt Frater Bonifacius in Monasterio à te debeat ordinari Præpositus.* *Quod ego valdè miror, quia ante factum non est: quia ex quo illum tibi dari feci, iam ordinare debuisti.* Et Boërius scribit, B. Maurum Cassinensem *Præpositum* à S. BENEDICTO institutum. Cerimonias autem aliquas in *Præpositi* constitutione ab Abbate fuisse adhibitas, verisimile est. Regula enim Magistri ritum describit, quo *Decani*, siue *Decadum Præpositi*, sint ordinandi; nimirùm, vt *præsenti omni congregatione in Oratorio, susceptione virga, decem illis præponantur*, Abbate dicente: *Reges eos in virgâ, hoc est, in timoris vigore.* Vetus Rituale nostrû Affligemiense scribit, *Priorem cum Benedictione institui, & cùm Benedictione absolui*, quæ in Capitulo impendebatur. Iisdem vestigijs Bursfeldenses postea inhærentes, ita decreuêre: *Ordinandus in Priorem, cùm fuerit in Capitulo ab Abbate pronunciatus, mox exiliens de loco suo, in medio capituli se prosternat, iussusque surgere ab Abbate, indignû & minùs idoneum huic oneri se contestans, humiliter supportari exoret. Quod si Abbas in sententia perseuerat, ab excusatione vlteriori cessare debet. Ad proximam horam dum completur, accedens ad gradum, veniam petat, & erectus dicat ter hunc*

Et Abbati concessit. — *Gregor. lib. 8. Epist. 41.* — *Ritus in eo statuendo Præpositi obseruatus.* — *Reg. Mag. cap. 11.* — *Afflig. Rit. part. 3. cap. 16.* — *Cerem. Bursf. dist. 2. cap. 2.* — *Apud Bursfeldenses.*

A — C — D — E

versum: Deus in adiutorium meum intende, *à conuentu toties repetendum. Deinde solo prosternatur, et secundùm tempus, stet inclinis: & legatur ab Abbate Benedictio super eum, sicut est in Collectario descripta.* Sic ibi. *PERSONÆ MONASTICÆ.*

Quales eligi, & esse debeant Priores. Qualis autem esse debet ordinandus, vel iam ordinatus *Prior*, vel *Præpositus*? Ferreoli Regula requirit *personam strenuam, & disciplinæ valdè amantem.* Consonat Regula Orientalis: *Omnem ad se curam de disciplinâ Fratrum, & diligentiâ Monasterij reuocabit.* Legislator noster: *Quantò prælatus est ceteris, tantò eum oportet solicitiùs obseruare præcepta Regulæ.* Sed non opus est de his operosiùs differere: nam breuiter & benè Fructuosus Episcopus: *Tales Præpositi eligantur, quales & ipsi Abbates dignoscuntur.* Ita scilicet, vt vitæ merito, & scientiæ doctrinâ, si fieri possit, ijs sint quàm maximè æquales: dignitate & auctoritate inferiores quidem, sed proximi.

Ferreol. cap. 17. — *Cap. 65.* — *Fruct. Reg. cap. 11.*

Erga Abbatem. At nunc quod principio propositum, expendamus *Præpositi* erga Abbatem officia. *Primum* illud est quod ait S. BENEDICTVS: *Nihil contra Abbatis voluntatem & ordinationem faciat.* Præcessit S. Pachomius itidem discernens: *Ipse autem Præpositus nihil faciat, præter id quod Pater iusserit, maximè in re nouâ.* Vnanimes proinde & vnius debent esse sententiæ. Nam S. BENEDICTVS ait: *Dum contraria sibi inuicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari. Et ij, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem.* Hinc Fulgentius Ruspẽsis Episcopus, vt vitæ auctor ait, *Sine consilio suo nec eum fratrem, qui Præpositi gerebat officium, sinebat aliquid agere. Secundum*, vt in omnibus Abbati præstet auxilium in aduigilando ei sit oculus, in discurrendo pes, in exequendo manus, in anxietate refrigerium, in pusillanimitate sustentaculum, in aduersis solatium. Hinc Fructuosus Episcopus vult, *vt Abbatum curarum onera per Præpositos subleuentur.* Benè itaque Bursfeldenses: *Ipse siquidem ex officio debet esse quasi altera manus Abbatis, præcipuè in spiritualibus, & eumdem iuxta casuum diuersitatem, nunc quidem adiuuare, nunc verò prorsus releuare, in consolandis tentatis, concordandis discordantibus, dirigendis & emendandis officialibus, & ceteris fratribus.* Sic ibi. Sed & Regula Cuiusdam inter cetera talem requirit *Præpositũ, super quem Abbas requiescat.* Et Regula Ferreoli decreuit; *Sub Abbate personam strenuam, & disciplinam valdè amãtem, quæ dignam curam Præpositi nomenque suscipiat, pro solatio Abbatis institui, vt honor illi minùs sit onerosus, dum labore diuiso, à duobus quotidiana solicitudo suscipitur.* Idipsum S. Gregorius insinuat, ita scribens: *Volumus, vt Domitius Presbyter*

1. *Nihil agat contra eius voluntatem.* — *Pachom. art. 17.* — *Apud Sur. 1. Ianuar. cap. 17.* — II. *Sit ei auxilio.* — *Reg. Fruct. cap. 11.* — *Cerim. Bursf. dist. 2. cap. 2.* — *Ad eius requiem & leuitatem.* — *Ferreol. cap 17.* — *Greg. lib 9. Epist 41.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

A

Abbas esse debeat, eique Præpositus Lucifer Monachus fiat, in cuius REQVIESCERE SOLATIO *valeat*. In quibus verbis alludere videtur ad vsitatam S. BENEDICTO phrasim, qui auxilia & coadiutores, vt alibi expendemus, *Solatia* nominat.

III. *Conferant sæpius cum Prælato.* Cerim. S. Iustin part. 3. cap 4.

Tertium, quod in antiquo S. Iustinæ Cerimoniali præscribitur, est, vt *Tractet sæpiùs cum Prælato de curâ & salute animarum sibi pariter subditarum, & de bonâ reformatione cuiuslibet boni moris, & disciplinæ sanctæ. Habeatque ad ipsum Prælatum magnam charitatem & reuerentiam, deuitans ad eum nimiam familiaritatem.*

IV. *Difficiliora ad ipsum referant.*

B

Quartum, vt habet Regula Orientalis: *Hæc obseruabit senior Monasterij, qui Fratribus Præpositus est, referens ad Abbatem omnia vel præcipuè illa, quæ per se non valuerit explicare.*

Reg. Ternant. c. 23.

Similiter Regula Ternantensis: *Ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Abbatem, cuius est apud nos maior auctoritas, referat quod modum vel vires eius excedit.* Sumptum hoc ex S. Augustini Regulâ, & rationi prorsus consentaneum est, vt limites commissionis suæ non excedat.

Fruct. cap. 11.

C

Sic & Fructuosus Episcopus Decanos ad Præpositos, Præpositos ad Abbates in grauioribus remittit.

Quæ erga subditos Prior præstabit. Petr. Dam. opusc. 15. cap. 16.

Iam verò, quod subditos concernit, omnia illi præstanda, quæ in Abbate bonoque Superiore meritò desiderantur. Peculiariter tamen S. Petrus Damiani præscribit, vt *Prior Monasterij omnium fratrum animos, quantum in se est, in eiusdem Abbatis sincerâ dilectione confirmet.*

Foueat illos in amore Abbatis.

Sicut enim Abbas per omne, quod agit, ad amorē Christi debet filios prouocare: ita etiam Prior ne qua, quod absit, zelotypia generetur, in dilectione Abbatis sui Fratres studeat vnanimiter consonere.

Cerim. S. Iustin. suprà.

D

Huc spectat quod in S. Iustinæ Cerimoniali habetur, vt *quantum saluâ veritate potest, illum apud omnes excuset.*

Zelo disciplinæ flagret.

Sed & hoc eodem libro illi præscribitur, vt *zelo Obseruantiæ regularis, vitæque sanctitate ac humilitate, se omnibus amabilem exhibeat: non blanditijs aut dissimulatione defectuum, supportatione æquè noxiâ, & adulatione, vel proprij honoris ambitione.* Sic ibi.

Petr. Dam. suprà.

E

Rectè proinde eumdem Petrus Damiani admonet: *Non*, inquit, *circa delinquentium culpas se exhibeat mitem, vt Abbatem faciat apparere crudelem: sed sic illo absente praua quæque redarguat, vt is postmodum rediens, velut in tranquilli portus sinu, sic in spiritualium Fratrum iucundantium lætitiâ requiescat.*

Decr. l. 3. t. 36. cap cùm ad Monasterium. *Verbo & exemplo potens.*

Cōcludat hanc Disquisitionem Innocentius III. *Prior*, inquit, *præ ceteris post Abbatem potens sit in opere & sermone, vt exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres suos instruere possit in bono, & à malo etiam reuocare, zelum religionis habens secundùm conscientiam, vt delinquentes corripiat & castiget, obedientes foueat & confortet.*

A

DISQVISITIO IV.

De Decanis, & quot præsint Monachis?

Ratio constituendi Decanos in Monasterijs.

QVEMADMODVM in copioso exercitu plures sub vno duce sunt præfecti, qui milites in officio contineant; vt Tribuni, Chiliarchæ, Centuriones, Decuriones, alijque plures: ita in Religiosis ordinibus, qui spiritualem quamdam militiam

B

constituunt, plures decet esse subordinatos superiores, qui Abbati, vel supremo superiori, in regendis Monachis subsidiariam operam præstent: præsertim si ad illum numerum familia excreuerit, vt vnius cura haudquaquam sufficere possit.

Cap. 21.

Quare prudenter admodum decreuit S. BENEDICTVS: *Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonij, & sanctæ conuersationis; & constituantur Decani.* Hi autem *Decani* militum Decurionibus respōdent, quales Varro in singulis turmis equi-

C

tum ternos fuisse tradit, & vnamquamque turmam in tres decurias diuisam.

Veget. lib. 2. cap. 13.

Vegetius: *Ipsæ centuriæ in contubernia diuisæ sunt, vt decem militibus sub vno papilione degentibus vnus præesset* Decanus, *qui caput contubernij nominatur.* Festus: *Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt.*

Tractu ab exemplo Moysis.

Nomen porrò *Decani*, eiusque officium apud Monachos institutum fuit ad exemplum illorum *Decanorum*, quos Moyses ex consilio Iethro Sacerdotis constituit, vt obseruauit Cassianus.

Cassian. lib. 4 cap. 7.

D

Cùm enim vidisset Iethro Moysen à manè vsque ad vesperam occupatum esse, vt iudicaret populum, illudque negotium vires eius excedere, ait:

Exod. 18. 21.

Deut. 1. 15.

Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, (in Hebræo dicuntur *principes super decem*, apud LXX. δεκάρχοι) *qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi partito in alios onere.*

E

Consilium hoc secuti Monachorum Prælati, etiam ipsi sibi *Decanos* constituerunt, in quibus (vt S. BENEDICTVS loquitur) *securi partirētur onera sua.* Vnde de Ægyptiorum *Decanis* agunt SS. Hieronymus, Augustinus, Cassianus, & Isidorus.

Art. 1.

Et in Regulâ S. Pachomij *Maiores* dicuntur.

Decani dignitas apud Canonicos non ita vetus.

Molan. lib. 2. de Cano. cap. 6.

Est autem & inter Canonicorum dignitates celebre nomen *Decani*, qui totius Capituli caput est. Et initio quidem, vt ait Molanus, nomen hoc in eâ significatione incognitum fuit, quando collegia Canonicorum regebantur ab Episcopo, aut ab eius

Vica-

Vicario, qui & Præpositus, & Magister, aut minister dicebatur. Verisimile est autem, postmodum nomen, & officium *Decanorum*, Canonicos ad se transtulisse ex moribus Monachorum, prout libenter eos imitari, & sectari solent.

Venit à Monachis.

Quod verò Benedictinæ Regulæ *Decanos* spectat, tempore Ludouici Pij, anno videlicet 817. eorum vsus adhuc vigebat. De ijs enim in *additione primâ ad Capitula Legum* ità statuitur: *Vt senior* Decanus *reliquis* Decanis *præponatur, & Abbate, vel Præposito præsente, locum proprium teneat*. Deinceps verò nomen illud non vbique in Ordine retentum fuit: nam præter Cassinenses, apud quos hodièque in vsu est, alij passim alia introduxerunt nomina, humilitatis fortasse causâ, quòd nomen *Decani* primariæ dignitatis apud Canonicos factum esset. Hinc in Statutis S. Dunstani nulla *Decanorum* est mentio, & Lanfrancus in Constitutionibus solũ meminit maioris Prioris, Prioris claustri, & Circuitorum. Apud alios vsus obtinuit, vt *Decani* dicãtur *Priores Ordinis*: primus dicitur absolutè *Prior*, secundus *Subprior*, alij deinceps Priores, *Prior Tertius, Prior Quartus*. In ordine verò Cisterciensi, *Decani* nomen inauditum est, vt inquit Ioannes Craesbeeck, officium verò (quod in Priore Conuentuali residere videtur) non inusitatum. *Decani* apud Cluniacenses etiam *Custodes ordinis* vocantur. Hinc Fructuosus Episcopus: *Decani sint* subditis *quasi rectores, &* Custodes, *tamquam pro ipsis rationem Domino reddituri.*

Qui nomẽ id diu tenuerunt.

Cap. 55.

Post omiserunt,

& alia substituerunt.

Fruct. in Reg. cap. 12. § 3.

Quotnam autẽ *Decano* vni subsunt Monachi? S. Hieronymus de Ægyptiorum agens institutis, ait: *Prima apud eos confœderatio est, obedire Maioribus, & quidquid iusserint, facere. Diuisi sunt per decurias; ita vt nouem hominibus decimus præsit, & rursum decem Præpositos sub se centesimus habeat*: Vbi nouem tantùm Monachos singulis *Decanis* assignat, quibus alij habitâ ratione nominis, decem tribuunt. *Decani* enim (teste Isidoro) ab eo dicti sunt, quod *militibus decem præferantur*: & decuria manipulus decem militum, vel aliorum hominum est. Vnde Columella: *Classes etiam non maiores quàm denûm hominum facienda, quas decurias appellauerunt antiqui*. De Monachorum verò *Decanis* ait S. Augustinus: *Opus autem suum tradunt eis, quos* Decanos *vocant, eò quòd sint denis præpositi*. Quæ ex eo Isidorus, lib. 2. de Offi. Eccles. cap. 15. descripsit. Cassianus quoque ita ait: *Susceptus in Monasterio Nouitius alij traditur Seniori, qui decem Iunioribus præest, quos sibi creditos ab Abbate instituit pariter & gubernat*. Decuriam verò idem cap. 10. & 17. *Decaniam* vocat, quod imitatus est Legislator noster S. BENEDICTVS, & vsurpat quoque Flodoardus. Ex sancti verò Patriarchæ nostri mente, decem Monachos singulis *Decanis* tribuendos arbitror; ita vt *Decanus* vndecimum cõstituat. Quod colligo ex capite sequenti, vbi ait: *Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant, si autem multitudo non sinit; deni aut viceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent*. Vbi *Decanos* Seniores nominat, prout etiam fecerat Cassianus, vultque decem Iunioribus vnum, viginti verò duos adesse *Decanos*. Idem ferè ad verbum expressit Isidorus: *Fratres quoque omnes, si possibile est, in vno conclaui commorari decet. Quod si difficile fuerit, certè vel decem, quibus vnus est præponendus* Decanus, *quasi rector & custos*. Rectè autem monet Smaragdus. *Decani priùs dicti ab eo quòd decem militibus præferrentur; modò autem & qui decem, & qui pluribus præferuntur,* Decani *vocantur*. In S. Emmerammi Monasterio, vt habet Arnulphus lib. 2. *qui maioris erant ætatis, habebant cellas, seu caminatas, Iunioribus inter se diuisis, propter custodiam*. Peculiare est quod in Regula Magistri, vni decuriæ, siue, vt ipse vocat, *Decadæ*, duo assignentur Præpositi; vt si in diuersis locis vnius decadis operẽtur Fratres, cuique suus adsit *Decanus*, quem ipse vocat Præpositum. Cassinenses tamen in suo Declaratorio ordinant, *quod in vnoquoque Monasterio pro denis quibusque Monachis, vnus tantùm constituatur Decanus, vt eorum numerus rectè sit nomini competens, exceptis ab hâc consideratione Prioribus, Magistris Nouitiorum, Confessoribus Monialium, Rectoribus membrorum, & Cellerarijs*, Similia habent Camaldulenses.

Quot Monachis præsit Decanus.

Hieron. Epist. 22. ad Eustoch.

Nouem.

Cõmunius & melius, decem.

Isid. Orig. lib. 9. cap. 3.

August. l. 1. de morib. Eccl. c. 31.

Cassian. lib. 4. cap. 7.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Flod. lib. 3. cap. 15.

Etiam ex mente S. Benedicti. Cap. 22.

Et aliorum.

In Reg. Monach. cap. 13.

A quibus recedit Magister. Cap. 11.

Cassin. ad cap. 21.

DISQVISITIO V.

Quod Decanorum officium?

D*Ecanorum* munus breuibus verbis complexus est S. BENEDICTVS, dicens, *ad eos spectare, vt solicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus, secundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis sui*. Non enim regere debent tamquam Superiores absoluti, sed meminisse, quòd subsint Abbati, cuius voluntatem & ipsi, & alij omnes adimplere debent. Vnde Augustinus scribit, *Decanos* regiminis sui rationem Superiori reddere. *Illi autem* Decani *cum magnâ solicitudine omnia disponentes, & præsto facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionẽ tamen etiam ipsi reddunt vni, quem patrem vocant*. Hæc Augustinus. Ad *Decani* autem officium Smaragdus ait pertinere, *vt doceat eum, quem sibi ab Abbate traditum susceperit, primitùs suas vincere voluntates, in quibus eum* dilIgen-

Decani solicitè suos curent, cum relatione ad Prælatum.

August. lib. de mor. Eccles. cap. 31.

Quæ debeant docere Iuniores.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Cassia. lib. 4. cap. 8. 9.

diligenter exercens, illi ea semper de industriâ imperet, quæ senserit animo eius esse contraria. Quæ ex Cassiano descripsit. Qui addit, instruendos Iuniores, vt nihil de cogitationibus suis Seniorem vel Decanum suum celent, vt in his quoque, quæ naturali necessitati subiecta sunt, atque etiam in impossibilibus (si fortè iniungantur) sine vllâ cordis hæsitatione obediant. Sed hæc propriùs ad Magistrum Nouitiorum spectant. *Decanorum* verò officia hęc assignat S. Hieronymus.

Decanorũ Ægyptiorum officia. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch.

I. *Visitatio, instructio.*

Primùm, Fratres visitare, instruere, consolari: *Vsque ad horam nonam*, ait *(vt institutum est) nemo pergit ad alium, exceptis his Decanis, quos diximus; vt, si cogitationibus quis fluctuet, illius consoletur alloquijs. Secundò*, deducebant *Decani* suos ad mensam.

II. *Deductio ad mensam.*

Vnaquæque decuria, inquit Hieronymus, *cùm suo parente pergit ad mensam, cui per singulas hebdomadas vicissim ministrant.* Quinimò, putet Alardus Gazæus, in vno refectorio fuisse distinctas, & diuisas Fratrum decurias, siue decanias, & vnicuique decaniæ suum assedisse, & præsedisse *Decanum*, aut Decurionem: *Tantum* autem, verba sunt Cassiani, *silentium ab omnibus exhibetur, vt cùm in vnũ tanta numerositas fratrum refectionis obtentu cõsederit, nullus nec mutire quidem audeat præter eum, qui suæ decaniæ præest. Tertiò* à mensâ *Decani* cum suis conferunt iunioribus.

Cassia. lib. 4. cap. 17.

III. *Spiritualis conferentia.*

Audi Hieronymum: *Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt: ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: vidistis illum, & illum? quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quàm moderatus incessus? si infirmum viderint, consolantur: si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Quartò*, præerant labori manuum, de quo Augustinus: *Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant.* Et Hieronymus: *Opus diei statutum est, quod* Decano *redditum fertur ad Oeconomum. Quintò*, cellas visitabant noctu, pergit namque idem Hieronymus: *Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellas singulorum, &, aure appositâ, quid faciant diligenter explorant: quem tardiorem deprehenderint, non increpant; sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant, & priùs incipientes prouocant magis orare, quàm cogunt.* Atque hæc erant munia *Decanorum* apud veteres illos Ægypti Monachos.

IV. *Præsentia in opere.* L. 1. de mor. Eccl. c. 31.

V. *Visitatio cellarum.*

Decanorũ officium à Cassinensibus descriptum. Cassin. ad cap. 21.

Quod verò nostri Ordinis *Decanos* spectat, eorum officium ita Cassinenses describunt: *Declaramus ad officium Prioris Claustralis & Decanorũ pertinere, esse solicitos, quod regularis Obseruantia teneatur in Monasterio. Fratrum per Prælatum deputatorum confessiones audiant, officinas Monasterij horis competentibus visitent. Ipsorum etiam Fratrum corrigant excessus: nisi notabiles inueniant Prælato reseruandos: eis etiam particulares licentias iuxta facultatem eis à Prælato traditam concedant. Diligentem insuper curam habeant, quòd ceremoniæ congregationis, & ordinata per Capitulum seu Prælatum obseruentur, inuigilent vt diuinum officium deuotè dicatur, studeant communibus Fratrum exercitijs, & Capitulo culparum interesse. Hospitibus, absentibus alijs Superioribus, vel aliter occupatis, occurrant: caueant ne in suis correctionibus, & admonitionibus sint nimis tepidi aut austeri. Hæc omnia & alia faciant, aut omittant iuxta suorum Prælatorum dispositionem: contra quorum mandata, nihil penitus attentent.* Regula Magistri hęc de Præpositis decadum ait: *Ergo hi Præpositi cum decem numero Fratres sub suâ curâ suscipiunt, hanc in eis debent solicitudinem exercere, siue in die, siue in nocte, siue in quouis opere cum eis, vt sint primò præsentes, & cum eis operantes in quouis opere: & cùm sedent, ambulant vel stant, diligenti suâ obseruantiâ vel curioso intuitu diaboli debent ab eis actus compescere.*

A Magistro Reg. c. 11.

DISQVISITIO VI.

Quales debeant esse Decani?

Quales secundùm S. Benedictum Decani constituendi.

VT dignitati suæ Decani respõdeant, & eos quibus præponuntur, ad monasticæ perfectionis culmẽ prouehere valeant, noluit eos S. BENEDICTVS *eligi per ordinem, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam.* Non enim qui senior, ille semper regimini aptior. Deplorat autem S. Pachomius ostensos sibi in visu successores, qui non probitate morum, sed antiquitate, vel ordine, ceteris anteferri gestirent. Vult autem Legislator noster *Decanos* esse, *Primò, Fratres boni testimonij*, imitans nimirùm Apostolos, qui crescente numero Discipulorum, cùm vellent Diaconos constituere; conuocantes multitudinem, dixerunt: *Considerate Fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus.* Neque enim alium benè reprehẽdit, qui ipse reprehensibilis est; facilè siquidem audiet: *Medice cura teipsum. Secundò*, vult eos esse *sanctæ conuersationis*, vt nimirùm in eorum moribus & vitâ reluceat ea sanctitas, quã alios verbis docere satagunt. Vnde in cap. *Innouamus* dicitur, vt illis, *qui prudentiâ, & merito vitæ clarescunt*, huiusmodi *concedantur honores. Tertiò*, Decani *tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua:* quòd interpretante Ioanne Craesbeeck, idem est, ac si dixisset, de quorum prudentiâ, virtute,

In vit. Pacho. cap. 45

I. *Boni testimonij.*

Actor. 6. 3.

Luc. 4.

II. *Sanctæ conuersationis.*

Dist. 60.

III. *Quorum probata prudentia.*

virtute, & æquitate ita certus sit Abbas, & securus, vt meritò confidat, nihilque dubitet, quin vices suas in gubernandâ Congregatione, benè & fideliter acturi sint. Has similesque *Decanorum* qualitates indicat & Regula Magistri. *Duo*, inquit, *electi fratres, quorum grauitas, sapientia, moderatio, vigilantia seu humilitas, vel actuum perfectorum fuerit exercitatio approbata, decem fratrum curæ præpositi ordinentur.* Asserit autem Columbanus Vrancx in manuscripto suo ad Regulam commentario, ex indicio & sententiâ Abbatis potissimùm eligendos & constituendos esse *Decanos*. Neque enim securus illis, qui sibi non probantur, vel suspecti sunt, onera sua concredere posset.

Reg. Mag. cap. 11.

Prælato ad securitatem.

IV. *Quartò* humiles quoque esse debent, quia, vt Magnus Gregorius ait: *Nequaquam valet in sublimitate humilitatem discere, qui in imis positus non desinit superbire:* tantum enim abest, vt qui superbit ad regendum sit eligendus, vt etiam electus, & ad regendum constitutus, si superbiat, sit deponendus. *Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ in culmine potestatis excreuit, per humilitatem quippè prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: Nonne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribus Israel?* Quare etiam superbos *Decanos* ab officio remoueri voluit S. Be-

Humiles. Greg. part. 2. curæ past. cap. 6. *Superbi inepti ad regendum.*

1. Reg. 5.

Decanos superbos deponi vult S. Benedictus.

A NEDICTVS: *Quod si quis*, inquit, *ex eis aliquâ fortè inflatus superbiâ, repertus fuerit reprehensibilis; correptus semel, & iterum, & tertiò, si emendare noluerit, deyciatur, & alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur.* Hinc prudentissimè decreuit Innocentius III. *Tales autem ad agenda officia Monasterij deputentur, qui fideles sint & discreti. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidẽda, tamquam in suâ sibi vitâ locetur: sed cum oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur.* Subdit verò S. BENEDICTVS: *Et de Præposito eadem constituimus.* Hoc tamen discrimine, quòd Præpositus (vt ex mente B Glossatorum annotauit Cardinalis Turrecremata) antequam deijciatur, si reprehensibilis inueniatur, quater commonendus, siue corrigendus venit: & quinto loco eijciendus veniat. *Decanus* tantùm ter corripiatur, & quarto loco eijciatur. Sed hoc de Præposito ipsemet Legislator decreuit. *Qui Præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit cõprobatus; admoneatur verbis vsque quater: si non emendauerit; adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis. Quod si neque sic correxerit; tunc deijciatur de ordine præpositurae: & alius qui dignus est, in locum eius subrogetur.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

De Statu Monach. cap. cum ad monaster.

Item Præpositum elatum.

Quoties vtrique an seu monendi.

Cap. 65.

TRACTATVS VII.

DE SACERDOTIBVS, ALIISQVE OFFICIALIBVS.



DECANIS *subiungo* Sacerdotes, *ex his enim illi plerumque eliguntur, nec vsitatum credo, vt non initiatus in Decanum assumatur. Sequitur officium* Cellerarij, *qui humerorum in corpore religioso vicem præstat. Humeri namque interiora animalis defendunt, onera ferunt, brachio connectunt, collum & caput sustentant; quæ* Cellerarij *officium non leuiter adumbrant. Primò siquidem, eius solicitudo legentes & meditantes, & in cellis studentes Fratres tuetur ac refouet; vt, dicente Prospero,* quidquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui vnus pro multis occupatus est, fiat. *Deinde, multiplex ei variumque quotidie ferendum onus, cui proinde* Solatium*, siue auxilium à Regulâ apponitur. Adhæc, Decanos, aliosque Officiales, quos brachia manusque diximus, non conturbare, sed amore ac mansuetudine debet coniungere. Præterea collum, & caput, Præpositum, & Abbatem fideli ac prudenti obsequio, quantum valet, conetur fulcire. Quo nomine suum Bernardus laudat Gerardum, per quem eius* studia vtcumque libera esse solebant. Infirmus, *inquit*, corpore eram, & ille portabat me: pusillus corde, & ille confortabat me. Mihi vtilis in omnibus, & præ omnibus fuit. Ostiarij *munere, & eorum qui*

Cellerarius humerorum vicem subit in Cœnobio.

Prosp. de vit. contempl. lib. 2. cap. 16.

Idea boni Cellerarij.

Bern. serm. 26. in Cant.

Solatia

PERSONÆ MONASTICÆ.

Solatia *vocantur, vltimum huius libri Tractatum claudimus. In quo hæ sex occurrunt disquisitiones*, Prima, *Vt Monachi ad Sacerdotium promouendi?* Secunda, *Qualis ordinatus Sacerdos esse debeat?* Tertia, *Quoties Monachis communicandum?* Quarta, *Qualis Monasterij Cellerarius esse debeat?* Quinta, *De Ostiario Monasterij?* Sexta, *Quid Solatia in Regulâ* S.BENEDICTI.

Vbi tractetur de alijs Officialibus Monasterij.

Non me latet plura alia in Ordine nostro vsitata esse officia, quæ particularibus Constitutionum aut Ceremoniarum libris solent explicari. Quæ verò in ipsâ commemorantur Regulâ, consultò alijs reseruamus locis. Nam de Magistro Nouitiorum, libro sequente, de Septimanarijs coquinæ, mensæ ministris, hebdomadario Lectore, in Refectorio, *de Infirmario, in* Valetudinario, *de Hospitum curatore, in* Hospitali *agemus: vt quæ eandem spectant materiam, vno eodemque exhibeantur loco.*

DISQVISITIO I.

Vt Monachi ad Sacerdotium promouendi?

Sacerdotes in Monasterijs æuo S. Benedicti.

DE Sacetdotibus acturi, considerabimus quid de illis S. BENEDICTVS statuerit. Nam caput 62. insctipsit, *de Sacerdotibus Monasterij*. Quo ex lēmate manifestè colligitur, tempore S.BENEDICTI, vt * aliàs ostensum est, fuisse in Monasterijs *Sacerdotes*, Diaconos, & Clericos, meritòque à Francisco Biuario, in Apologetico pro Lucio Dextro, reprehensum Gabrielem Pennottum asserentem, Diuum BENEDICTVM suis *non vt Clericis, sed vt Laicis Regulam vitæ præscripsisse, in quâ de Clericis Monachis ne verbum quidem habeatur*. Ex hoc enim & 60. cap. contrarium omninò euincitur. Sed ipsa Legislatoris nostri verba expendamus.

** Prolog. XVIII. §.3. ad vit. S. Bened.*
Biuar. §.4.
Pennot. lib. 2. hist. Cleric. Cannonic. cap. 18. nu. 4. & 7.
Promouendi ad hanc dignitatem.

I. *Ex arbitrio Prælati. Cap. 62.*

PRIMÒ, ait: *Si quis Abbas sibi presbyterum vel Diaconum ordinare petierit*. Vbi innuere videtut in Abbatis pendere arbitrio, velitne aliquem in monasterio habere *Sacerdotem* vel Diaconum. Constat enim S.Pachomium non passum esse quempiam inter suos qui clericatus officio fungeretur. Cuius exemplum & alij imitari poterant, & imitati forsitã fuetint illi post S. BENEDICTVM Abbates, ad quorum Monasteria ab Episcopis Presbyteri mittebantut, qui Missarum illic solemnia celebrarent: quod aliàs ex Gregorio probauimus.

Vit. Pacho. cap. 24.

II. *Titulo Monasterij.*

SECVNDÒ, ait: *Si quis Abbas sibi petierit*: id est, suo Monasterio, vt ibi diuina celebret officia, nam si ad aliquem alium titulum, quàm Monasterij Monachus aliquando ordinaretur, cogebatur Monasterium deserere, & deseruire Ecclesiæ ad quam ordinatus erat. Vnde Gregorij istud decretum est: *Si quispiam Abbatum aut Monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat vlteriùs potestatem.*

Greg lib. 6. Epist. 40.

III. *In quo pauci olim Sacerdotes.*

TERTIÒ, in singulis ait; *Presbyterum vel Diaconum*: Olim siquidem, vt hîc annotat Boërius, locus prędicabatut celeberrimus: qui Presbytetum & Diaconum obtinebat: Vnde inter magnã Monachorum turbam vnus solus in Presbyterũ sumebatur. Probatque ex Cap. *Presbyteri*: Et ex eo quod Gratianus dicat, *Monachos Scythiæ conuenisse in vnum, vt sacerdotem sibi inuenirent, qui eis Missarum solemnia celebraret*. Secundùm hoc, subdit Boërius; istud capitulum (*de Sacerdotibus* scilicet *Monastery*) intelligit.

Dist. 24.
Grat. 16. q. 1. §. Superiori auctoritate.

IV. *Ad petitionem Abbatis.*

QVARTÒ, *Si quis*, inquit, *Abbas* PETIERIT, vt significaret Abbatis esse ab Episcopo petere, vt quem iudicauerit idoneũ, ordinet: ita statutũ à Gelasio Papâ: *Si quis Monachus fuerit, qui venerabilis vitæ merito, sacerdotio dignus videatur, & Abbas, sub cuius imperio regi Christo militat, illum fieri Presbyterum petierit, ab Episcopo debet eligi, & in loco quo iudicauerit, ordinari*. Abbate autem nõ petente, promoueri ad Ordines Monachus non potest, vnde Gregorius: *Nullus ad Ecclesiasticum officium ex monasterio producatur Monachus; nisi quem Abbas loci admonitus propriâ voluntate obtulerit Episcopo*. Et Coucilium Agathẽse: *Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cùm consensu & volũtate Abbatis præsumat Episcopus*. Nõ ignoro allegata iura agere de Monacho extra Monasterium ad curam pastoralem promouendo, vti etiam annotauit Boërius. Nihilominùs verosimile mihi videtur, æuo S. BENEDICTI non tantùm Abbates ab Episcopis postulasse, vt hunc aut illum otdinarent; verumeitam licentiam petijsse, vt vel vnum liceret in suo conuentu habere Presbyterum. Colligitur ex S. Gregorio, scribit enim Victori Episcopo Panormitano, Vrbicum Monasterij S. Hermæ Abbatem *cùm sua Congregatione magnopere à se postulasse, in eodem Monasterio*

Dist. 16. q. 1. cap. Si quis monachus.
Iuxta sacros Canones.
Greg. lib. 7. Epist. 18. & dist. 58. cap. Nullus.
Agathen. c. 27. Item 16. q. 1. cap. Monachi.
Abbates ab Episcopis Presbyterũ Monasterij petebant.
Greg. lib. 9. Epist. 41.

nasterio Presbyterum, qui sacra Missarum solemnia celebraret, ordinari. Quod concessit. Obiter hic annotetur, hoc vti magnum quid, non ab Episcopo loci, sed à summo petitum Pontifice. S. Aurelianus in Regulâ idipsum concessit: *Si*, inquit *voluerit* (Abbas) *ordinari Presbyterum, & vnum Diaconem, & Subdiaconem, quos ipse voluerit, & quando voluerit, ordinandi habeat potestatem.* Nimirum, vt offerat ordinandum Episcopo.

Aurel Reg. cap. 45.

V. *Ex suis Monachis.* Greg. l. 5. epist. 41.

QVINTO, ait: *De suis eligat.* Conuenientius enim est, vt Monachus apud Monachos celebret, quàm alius quispiam, vt Gregorius innuit. Causam enim reddens cur debeat Presbyter consecrari, ait: Quatenus *nec ille* (Abbas) *de monasterio suo hac de causâ egredi; nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere.* Quod autem Legislator ait, ELIGAT Abbas; videtur olim in hac electione interuenisse totius congregationis consensum: nam Gregorius testatur *Vrbicum Abbatem cùm congregatione suâ magnopere postulasse, & præscribitur, vt eum qui od hoc ministerium de eâdem Congregotione Electus fuerit, Episcopus consecret.* Clariùs autem alibi decreuit, *vt in Congregatione Monachorum quæ in Monasterio Pracoritano consistit, eum, quem sibi de Congregatione suâ, vnanimes duxerint eligendum, in prædicto monasterio sine morâ vel excusatione aliquâ Presbyterum debeat Episcopus ordinare.* Boerius verò in hunc locum ita scribit: *Quamquam Abbas scire præsumatur conscientias Monachorum, & ei competat iussio in huiusmodi Ordinum receptione, consulo tamen quod seniorum vtatur consilio, multa enim oculos latent Prælati.* Vnde Casinenses decreuerunt, vt faciat Abbas *cum consensu maioris portis Seniorum suorum, computatâ voce Prælati.*

Qui eligebantur à Congregatione.

Item lib. 7. epist. 94.

Vel Senioribus.

VI. *Scientia & pietatis merito.*

SEXTO, ait: *Qui dignus sit Socerdotio fungi.* Sed quisnam dignus? Respondet Boërius ex epistolâ Siricij Papæ; *Quos morum grauitas, & vita ac fidei institutio sancta commendat.* Et Alexander III. in Concilio Lateranensi ait: *In cunctis sacris ordinibus & ecclesiasticis ministerijs ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda est.* Clemens Romanus de his ageus, ita habet: *Constituite Presbyteros & Dioconos, homines pios & iustos, mites, non cupidos, veritatis studiosos, probatos, sanctos, non acceptores personarum, qui valeant docere sermonem veritatis rectè prouidentes in placitis Domini.*

Siric. Epist. 1. ad Himerium c. 13.

Concil. Lateran. c. 3.

Clem. l. 7. constitut. cap. 31.

Cæterùm, cùm de *Sacerdotum* dignitate, & requisitis ad eam virtutibus, plura adferri possint, quæ alij fusiùs sunt prosecuti; tum illud hîc neutiquam prætereundum, Moysen Abbatem nominatissimum inter periculosas Monachorum tentationes & hanc enumerare: *Cùm dæmon desiderare sanctum Clericotus officium sub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri spiritalis instigat, per quod nos ab humilitote propositi huius, ac districtione diuellat; quæ omnia*, subiungit, *cùm sint nostræ saluti, professionique contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac religionis obtecta facilè imperitos imautosque decipiunt.* S. Cæsarius Episcopus Arelatensis, inter virtutes Monacho necessarias & hāc recenset, *quòd ambitū honoris, vel desiderium Clericatus, veræ humilitatis amore, repudiauit, ac respuit.* Hinc in iure Ciuili, prudenter Imperator edixit: *Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* Quod si hoc tēpore, quo passim ad sacerdotium nostri Ordinis Monachi destinantur, id ab omnibus obtineri nequeat, vt ordinentur inuiti, & repugnantes: hoc saltem cauendum, ne seipsos importunè ingerant, & quibus possunt modis Sacerdotium affectent. Optima est in hanc rem Ioannis Ægyptij Eremitę apud Rufinum admonitio: *Sic ergò, filioli mei, neque fugiendum omnimodis dicimus clericatum vel sacerdotium, neque rursus omnimodis expetendum. Dei autem iudicio relinquendum est, quem velit, & si velit assumere sibi od ministerium, vel ad sacerdotium.* Sic ille. Ferendum proindè non est, quòd aliqui Monachi non exspectato Superiorum suorum iudicio, palam ambiunt ad ordines mitti; & huius rei gratia Superioribus subinde molesti sunt, cùm non dixerit S. BENEDICTVS: *Si quis petierit Presbyter vel Diaconus ordinari*; Sed, contrà: *Si quis Abbos sibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit.* Quare etiam Lucius III. Archiepiscopo Turnnensi rescribens, vetuit ordinari Religiosos contra prohibitionem Prælatorum. *Quia*, inquit, *honestius & tutius est, subiectis debitam Præpositis obedientiā impendendo in inferiori ministerio deseruire, quā cum Præpositorum scandalo, graduum oppetere dignitatem. nec est in hac parte subiectorum desiderium confouendum: quoniam esse potest, quod Prælati eorum commisso secreta nouerint, ex quibus constot eis, quod saluâ conscientiâ nequeant sublimari.* Vt verò hanc ambitionis pestem à suis excluderent Patres Cistertienses, etiam pœnâ coërcendos putauerunt. *Quicumque*, inquiunt, *Monachi per se vel per alios, vt promoueontur od sacros ordines, proprios Abbates suos inquietant; à die quo hoc fecerint vsque od biennium non ordinentur, nisi promoti fuerint in Abbates.*

Dæmon vafrè Monachis suadet desiderium Clericatus. Cassian. Collat. 1. cap. 20.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Humiles regnant.

Cæsar. hom. 25. ad Monach. tom. 2. Biblioth. Patrum.

Lib. 1. Cod. tit. 3. de Episc. & Cleric. l. *Si quemquam.*

Sacerdotiū ambire non decet.

Rufin l. 2. de vit. Patr. cap. 1.

Et Superiores inquietare.

Quod vetitum. Extra de temporib. ordinat. Capit. *Ad aures.*

Cum pœnâ.

Definition. Ordin. Cistercienf. dist. 4. c. 3.

Quamuis autem Sacerdotium non sit temerè ambiēdum; ita tamen Monachis semper viuendum, ita sacrarum litterarum studijs incumbendum, vt cùm voluntas superiorum accesserit, illo non indigni inueniantur. Vt igitur illicita ambitio, & solicitatio, ita licita ad hunc statum congrua pręparatio; vt quilibet Monachus talis sit, qualem Sidonius Apollinaris dicit Simplicium, designatum Episcopum Bituricensem: *Maximè* scilicet *ambiendus, quia minimè*

Congrua ad Sacerdotiū præparatio non illicita.

Sidon l. 7. Epist. 9.

PERSONÆ MONASTICÆ.

ambitiosus : non studens suscipere sacerdotium, sed mereri. Qui autem à Prælato Dei vices agente, ad hunc gradum vocatur, humiliter excuset; illo deinceps vrgente, humiliter pareat : præsertim cùm Clemens V. in Concilio Viennensi *ad ampliationem cultus diuini* statuerit, *quòd Monachi quilibet ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines, excusatione cessante legitimâ, promoueri.* Quatenus autem promotus altiori loco constitui possit, delibauimus ad vitam S. BENEDICTI, *Prolegom. XVIII.*

Clement. Ne in agro. — §. 13.

DISQVISITIO II.

Qualis ordinatus Sacerdos esse debeat?

Sacerdos sino virtute periclitatur

EMINENTIA statns, maiorque dignitas non maiorem adfert perfectionem, sed eam requirit, & ad eiusdem studium obstringit. Quantò autem altiùs ascenditur, & pietatis studio minùs tribuitur, tantò pronior est casus. Quem præuidens, metuensque Sacerdoti suo S. BENEDICTVS, eum de tribus præmonuit, 1. caueret superbiam. 2. inobedientiam. 3. acediam & torporem in spiritu. Ordinatus proindè ornatus esse debet *Humilitate, Obedientiâ*, & *Deuotione*, siue sedulâ pietate, quâ *magis, ac magis in Domino proficiat.* De singulis aliquid dicendum.

S. Benedictus tres praestyllit.

I. *Humilitatem.* — Greg. cur. Past. part. 2. cap. 6. — Chrysost. homil. 2. in Epist ad Tit. — Hieron. Epist. 1. *Qualis ordinatus fuit Ioa. Damascenus.* Ioan Hierosolym. in vitâ, apud Sur. 6. Maij.

PRIMO, *Ordinatus*, inquit, *caueat elationem* aut superbiam. *Plerumque*, enim, vt Magnus Gregorius dixit, *rector eo ipso ceteris praeminet, elatione cogitationis intumescit: & quos forte potestatis excesserit, transcendisse etiam vitæ meritis credit.* Meritò proinde aureum illud os dicebat : *Quantò fuerit excelsior dignitas, tantò Sacerdotis maiora sunt pericula.* Eademque mente Hieronymus Heliodoro scribit : *Si te ad Ordinem pia fratrum blandimenta solicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.* Laudata S. Ioannis Damasceni in Sacerdotali gradu humilitas. Hic ex Monacho Presbyter ordinatus, ad S. Sabæ Lauram, ac *domunculam, tamquam nidulum sublime volans aquila ingressus, illud quod duplici honore Presbyteri digni sunt, haudquaquam in mentem suam iniecit : sed velut hoc dictum commutans, illud secum versabat, Presbyteris duplici* Humilitati *studendum esse: Presbyteros religiosæ vitæ exercitationem duplo quàm priùs maiorem sibi vendicare.* Conformis planè Regulæ nostræ cogitatio, quæ Sacerdotem monet : *Sciat se disciplinæ regulari subditum, & magis* Humilitatis *exempla omnibus det.* Sed ex quo puteo necessariam hanc *Humilitatis* aquam hauriet? ex ipso quod tractat mysterio, in quo abyssum

Cap. 60. — *Et clarissimè in hoc mysterio ostendit*

diuinæ humiliationis summi æternique Sacerdotis IESV Christi reperiet. Hic enim *cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Et inter filios hominum factus est paruulus, factus est infans, reclinatus in præsepio, in medio duorum animalium. Hoc modo, vt Augustinus loquitur, *Sanans tumorem, nutriens amorem.* Sed non hic stetit immensa Filij Dei humiliatio; nam in augustissimo Eucharistiæ sacramento, seipsum sub speciebus exigui frusti panis absconditum totum præbet, & non tantùm in parnulâ præsens est hostiâ; sed in cuiusque hostiæ minimâ particulâ. Etiamne exaltabit cor suum Sacerdos, videns, & quotidie velnti palpans tantam immensæ maiestatis exinanitionem; in cuius conspectu *gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt?* Quod si ad humilitatem spectet, *omni vilitate vel extremitate contentum* esse, quid precor vilius, quàm vt

Christus Iesus. — Philip. 2. — *Factus infans.* — August. Confess l. 7. cap. 18. — *Præsens in minimâ hostiæ particulâ.* — Isai. 40. — Reg. c. 7. grad. 6.

—— Quem totus non capit orbis
In tua se claudat viscera viuus homo?

Quæ maior extremitas, quàm cibi instar in stomachum demitti, & ibidem concoqui ac digeri? Quod si ad *humilitatem*, S. BENEDICTO teste, spectet; *quibuslibet irrogatis iniurijs patientiam amplecti, & vt sustinens non lassescat, vel discedat*; quæ maior *Humilitas*, quàm quod in hoc Sacramento *verè Deus absconditus, Deus Israël Saluator* blasphemias Hæreticorum, & multiplices iniurias malè communicantium, patientissimè sustineat, nec discedat, aut præsentiam subducat, quantumuis maximus sit peccator, cuius manibus tractatur, cuius stomacho includitur? Atque ita grandi miraculo, qui est gloriosus Deus ad dexteram Patris residens, etiam hîc in terris, nostri amore, indignas tantâ maiestate patitur iniurias, & quod summè dolendum, patietur vsque ad consummationem sæculi.

Stomachū hominis intrans. — Grad. 4. — Isai. 45. — *Blasphemias & iniurias patienter tolerans.*

II. *Obedientiā.* — Reg. c. 62.

SECVNDO, commendatur *Sacerdoti* subiectio & obedientia : *Nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur : Sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione sacerdotij obliuiscatur Regulæ obedientiam, & disciplinam.* Et mox: *Regulam à Decanis, vel Præpositis constitutam sibi seruandam sciat.* Et hanc virtntem ex augustissimo mysterio eliciet *Sacerdos*, considerans Iesum non tantùm subditum Patri, sed minoratum ab Angelis, subditum etiam Matri & Ioseph, subditum naturæ legibus, & infantiæ miserijs, frigori, calori, fami & siti : adhæc obedientem ciuilibus legibus, tributum

Exemplo Christi omnibus se subijcientis, dum viueret.

soluentem

soluentem Cæsari: subditum Legi Moysis in circumcisione, & oblatione in templo: subditum sententiæ iniqui iudicis, & *obedientem factum vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed non cum ipsâ morte terminum accepit obedientia Iesu, nam & in statu gloriæ, obedit Deus voci hominis; imò tot hominum, quot sunt *Sacerdotes*, diuinissimum hoc sacramentum consecraotes. Hîc suprema maiestas constitutis à se sibimet regulis infallibiliter & certissimè obtemperat; obedientiâ tam cæcâ, vt non attendat, an bonus, an malus *Sacerdos*: tam veloce ac promptâ, vt ne momento quidem temporis præsentem se sistere differat: tam vniuersali & absque vllâ exceptione, vt omni tempore, omni loco, in quo consecratio peragitur, fidelissimè & constantissimè legibus illis pareat, quas humani generis amor illi dictauit & præscripsit. Et cur non homo homini pareat, toties *obediente Domino voci hominis?*

Philip. 2.

Et in sacramento quotiescunque consecratur.

Sine exceptione personæ, temporis, loci, &c.

Iosue 10.

III. TERTIO, requirit S. BENEDICTVS, vt *Sacerdos* benedictus *magis, ac magis in Domino proficiat.* Nimirum, vt corporali alimento nutrimur & crescimus, non secus cælesti pane, vt ait S. Thomas, *virtutes augentur, & mens omnium spiritalium charismatum abundantiâ impinguatur.* Hoc Sacrameoto, vt idem docet, *perficitur spiritualis vita ad hoc quòd homo in se perfectus existat, per coniunctionem ad Deum: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Cùm ergo ad profectum in spiritu faciendum, maxime conducat S. Eucharistia; enitendum *Sacerdotibus*, vt eius adminiculo, & frequentiori vsu, *magis, ac magis in Domino proficiant.* Ne dicatur ijs: *Comedistis multùm, & non estis satiati.* Quinimò, vel hoc ipso nomine quotidie in virtutibus proficiendum, vt pane Angelorum magis, ac magis digni inueniamur. Sic enim Augustino dictum: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

Deuotionē requirit S. Benedictus in Sacerdote.

S. Thom. Opusc. 57.

Idem 3. p. q. 75. art. 1.

Ioan. 10.

Frequenti Eucharistiæ vsu acquirendam.

Aggæi 1.

August. l. 7. Conf. c. 10.

Sed iam videamus, quoties à Sacerdotibus ad Eucharisticam mensam accedendum: quoties incruentum Missæ sacrificium offerendum. Benedictus XII. decreuit, vt *intra Monasteria, & alia loca conuentualia residentes, bis vel ter, qui verò alibi fuerint, si non frequentiùs, saltem semel in septimanâ (saluâ honestate & debitâ deuotione) Missas studeant celebrare.* Citant hæc eadem Butsfeldenses, adduntque: *Iuxta consuetudinem nostram Presbyteri præsentes in monasterio, numquam absque rationabili causâ & Prioris licentiâ, à celebratione abstinere consueuerunt.* Laudabilis sanè hic mos, & Apostolico retinendus exemplo; nam de Principe Apostolorum Petro refert Metaphrastes, quòd Romæ quotidie Synaxes celebrauerit. Germanus Petri Andreas ad Proconsulem ait: *Ego Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, omni die sacrifico.* Scripsit Hippolytus Martyr, Christum iudicem sic allocuturum Sacerdotes: *Venite Pontifices, qui pretiosum corpus meum & sanguinem quotidie immolastis.* Cyprianus item Martyr: *Vt Sacerdotes, inquit, qui sacrificium Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Heuwaldi duo, vt scribit Beda, *Hymnis & psalmis semper & orationibus vacabant, & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant.* S. Ambrosius præsul occupatissimus in hoc vnum incumbebat, vt ait Baronius, vt quas optimi Sacerdotis partes & officia esse intelligebat, quàm diligentissimè præstaret. Quod verò potissimum erat sacrosanctum Missæ sacrificium *quotidie* offerebat, idque non præproperè, sed summâ diligentiâ adhibitâ, & præmeditatione sancti mysterij; quemadmodum declarant *precationes* illæ sacræ spirituali dulcedine plenissimæ, quas ob eam causam sibi ad *quotidianum* vsum conscripsit. De Cassio, Narnieosi Episcopo, Magnus narrat Gregorius, solitum esse *quotidianas Deo hostias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostias placationis offerret.* Quam consuetudinem Deus approbauit, vt posteà subditur. Laudati & alij, qui quotidie salutarem hostiam Deo immolarunt; S. Hildulphus, Archiepiscopus Treuerensis, B. Goar Presbyter, S. Carolus Borromæus. B. Thomam Aquinatem, memorando posteris exemplo, refert Gaozo, *quotidie* Missam celebrasse, & quotidie insuper celebranti ministrasse. B. Laurentius Iustinianus à quo die factus est Sacerdos, non intermisit celebrare Missam, nisi ob valetudinem. Et solebat dicere, *qui, cùm posset Domino suo frui, non frueretur, facilè se declarare, Domini sibi curam non habere.* In primis Ordinis Carthusiensis incunabulis, singulis diebus, vt Blesensis testatur, Missas non celebrabant. Nuoc tamen, vt ait Busæus, constat à quotidianâ celebratione neminem arceri. Noua enim collectio *Statutorum Ord. Carthusiensis in cap. 7. 2.* part. omnes Sacerdotes hortatur ad quotidianam confessionem & celebrationem, & addit, illam consuetudinem veterem esse, & receptam. Idem non obscurè in 3. *Compilatione antiq. stat. cap.* 1. insinuatur. Audienda hic meritò Francisci Suarez resolutio ita dicentis: *Licet Laïcis* regulariter non sit consuleodom, vt quotidie communicent, *Sacerdotibus* tamen consulendum est, vt *quotidie* sacrificent;

Quoties celebrandum sacerdotibus?

Benedict. In. cap. 27.

Cerim. Bursf. dist. 3. cap. 6.

Quotidie.

PERSONÆ MONASTICÆ.

Ex Apostolorum more. Metaphr. in vita Petri.

Hippol. Orat. de consum. mundi.

Sanctorum virorum imitatione. Cyprian. Epist. 54.

Beda l. 5. Histor. Angl. c. 10.

Baron. in vit. S. Ambr. oper. præfix.

S. Ambrosij.

S. Cassij. Gregor. homil. 37 in Euang.

Hildulphi, Goaris, Caroli Borromæi.

Surius in vit. 11. & 6. Iul.

B. Thomæ Aquin.

Gauzo in vit.

Laurentij Iustiniani. Lib. 6. vit. cap. 4. & 5. Sur. 8. Ianuar.

Carthusiensium. Not. ad Epist. 87. Blesens.

Suar. to. 3. in 3. p. disp. 80. sect. 2.

Consulitur omnino quotidiana celebratio.

PERSONÆ MONASTICÆ.

cent : nam munus sacrificandi non est priuatum, sed publicum, & toti prodest Ecclesiæ : ideoque non debet (modò indignus non sit ob peccatum mortale, pœnitentiâ & confessione non expiatum, & moralem ac humanam diligentiam adhibeat) qnamuis sit imperfectus, à sacro hoc munere cessare. Hæc ille. Cuius doctrina confirmari potest auctoritate S. Gregorij : *Debemus*, inquit, *præsens sæculum, vel quia iam conspicimus destuxisse; totâ mente contemnere : quotidiana Deo lacrymarum sacrificia*, quotidianas *carnis eius, & sanguinis hostias immolare.* Quod vt faciant Sacerdotes, magnum eis stimulum ex V. Bedâ subdit S. Bonauentura. *Cùm Sacerdos est absque peccato mortali & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reuerentiâ, sed ex negligentiâ celebrare omittit ; tunc quantum in ipso est, priuat S. Trinitatem laude & gloriâ ; Angelos lætitiâ ; peccatores veniâ ; iustos subsidio & gratiâ ; in purgatorio existentes refrigerio ; Ecclesiam spirituali Christi beneficio ; & seipsum medicinâ ac remedio contra quotidiana peccata & infirmitates.* Audiat igitnr quilibet Sacerdos Mediolanensem Antistitem ita monentem : *Iste panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fulcit*, panis quotidianus est. *Accipe ergo* quotidie, *quod quotidie tibi prosit ; sic viue, vt* quotidie *merearis accipere.*

Greg. Dial. 4. c. 58.

Bonau. de præp. ad Miss. c. 5.

Quæ non negligitur sine spirituali iactura.

Ambros. l. 5. de sacrã. c. 4.

Coronidis loco hîc adiecerim pijssimum quemdam ritum à Monachis olim obseruatum, dum Hebdomadarij, siue cantandi summi sacri officio fungerentur. Scribit Ludolfus Carthusianus : Quia totâ hebdomadâ quâ in templo ministrabat Sacerdos (veteris legis) ad hoc deputatus, in templo manebat, & non exibat ad propria negotia, intentus ad diuina ; ex hoc inoleuit consuetudo apud aliquos Religiosos sancta & honesta, scilicet, quod ille qui est Hebdomadarius, per totam Hebdomadam manet intra claustrum non exiens ad exteriora, intentus ad diuina : qnia illo tempore medius est & sequester inter conuentum & Deum. Apud quosdam etiam Religiosos abstinet illâ hebdomadâ à communi colloquio, & apud quosdam etiam sæculares Canonicos, in communi tunc dormit dormitorio. Hæc ille.

Ritus olim ab Hebdomadarijs obseruatus.

Ludolf. vit. Christi p. 1. cap. 4.

DISQVISITIO III.

Quoties Monachis communicandum ?

SACERDOTVM est, Christi corpus non tantùm offerre & sumere, verùm A etiam alijs distribuere. Hinc nobis hoc loco de *Monachorum Communione* aliquid tractandum : & quidem in Prolegomenis *ad vitam* S. BENEDICTI, ex occasione actum, per quos olim sacræ Eucharistiæ participatio Monachis distributa : nunc quoties ad eam accedendum, vel ex priscâ consuetudine adita fuerit, disquirimus. Ita porrò pro Benedictinis in concilio Viennensi Clemens V. statuit. *Sanè singulis mensibus, tam in monasterijs quàm extra (sublatâ occasione quacumque) ad confessionem (saltem semel) accedant omnes &* B *singuli Monachi : & primâ Dominicâ mensis cuiuslibet in Monasterijs semper communicent, nisi ex causâ fortè quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs huiusmodi monasterij non differant intimare : eorumque indicio, vel abstineant, vel accedant.* Benedictina hæc citans, ait : *Non Sacerdotes si non sapins, saltem singulis mensibus ad communionem accedant : illi videlicet qui infrà monasteria, ecclesias, seu alia loca conuentualia erunt, in altari maiori, qui verò extra, vbi magis visum fue*C*rit honestum ijsdem. Quod si negligenter omiserint, per superiores suos grauiter arguantur : & nihilominus debitè puniantur.* Punitionem hanc taxant Bursfeldenses : vt, qui *statuto tempore iuris neglexerit confiteri, aquam bibat, donec fuerit confessus. Qui verò à communione vel celebratione se subduxerit, pro qualibet vice, in pane & aquâ abstineat, aut Præsidentis arbitrio grauiùs puniatur.* Pergit verò Benedictina : *Per hæc autem statutis vel consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum, seu locorum prædictorum in quibus ob*D*seruaretur, vt confiteri vel celebrare seu communicare frequentiùs habeant, non intendimus in aliquo derogare.* Quibus verbis quis non videat celebriorem in Monasterijs vsitatam *Communionem* insinuari ? Et quidem ex eo quòd in Regulâ de Hebdomadario lectore mensæ dicatur, quòd *Dominica post Missas & communionem ingrediatur ad legendum*, & *accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam* ; colligunt Cassinenses, *quolibet Dominico die fratres communicasse.* Quem veterum Monachorum morem fuisse, nullus ambigo. Scribit enim Palladius : *Hel*E*les Abbas accessit aliquando ad quosdam Monachos, & cùm esset dies Dominicus, dixit eis : Cur hodie non egistis synaxim : ij apertè dicunt : Eò quòd non venerit Presbyter.* Thomas apud Cassianum : *Multò*, inqnit, *iustius est, vt cum hac cordis humilitate, quâ credimus atque fatemur, illa sacrosancta mysteria, numquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus.* Quod etiam patet ex Collat. 7. cap. 34. Damascenus : *Alij Monachi procul inter se constru-*

ctis

Proleg. XVIII. §. 4.

Decreta pro menstruâ Benedictinorum Cõmunione.

Clementin. Ne in agro.

Benedicti. cap. 27.

Pœna in negligentes.

Bursf. dist. 3. cap. 6.

Sæpius ta[…]*men communicabãt.*

Cap. 38.

Singulis Dominicis.

Quod priscis Monachis frequẽs & vsitatũ.

Pallud. in Lausiac. c. 59.

Cassian. coll. 23. c. 21.

Damasc. Hist. Barl. & Ios. c. 12.

ctis ædiculis, Dominicis diebus ad vnam Ecclesiam pergunt, ac diuina mysteria, hoc est, incruentum puri corporis ac sanguinis Christi sacrificium percipiunt. Tabennenses Monachi, vt in Regulâ ab Angelo allatâ præscribitur, sabbato & Domioicâ ad Christi communionem accedebant : quod Ægyptijs Monachis commune fuisse, ex Cassiano discimus : *Die Sabbati*, inquit, *vel Dominicâ, harâ tertiâ sacra Communionis obtentu conueniunt.* B. Onuphrius de se apud Euagrium ait : *Omni die Dominico & Sabbato Angelum Domini paratum inuenio sacrosanctum corpus, & sanguinem Domini deferentem*

Pall. Lausiac cap. 38. Etiam Sabbato & Dominicâ.

Cassiano l. 3. cap. 2.

In vit. Patr. lib. 1.

Frequentiorem etiam apud Monachos inuenire est ad sacrosancta mysteria accessum. Nam primitiuæ ecclesiæ ritus quotidianus quibusdam vsitatus. De Simeone Stylitâ Antonius discipulus eius scribit, quotidie percepisse cibum diuinum. Rufinus de Apollonio : *Consuetuda autem erat apud eum, vt fratres, qui cum ipso erant, non priùs cibum sumerent, quàm communionem Dominicam perciperent circa horam diei nonam. Sed & hoc monebat, vt, si fieri posset, quotidie Monachi communicarent mysterijs Christi, ne fortè qui se longè facit ab his, longè fiat à Dea.*

Quidam Monachi quotidie communicabant.

Ibid. l. 2. c. 7

Quid autem nostri in hoc genere ? Reuerendissimus & Doctissimus Antonius Perez arbitratur se ex ipsis Regulæ verbis quotidianam Monachorum colligere communionem. Verba, ioquit, textus non leniter indicare videntur, communionem istam per singulos hebdomadæ, quinimò anni dies in vsu fuisse, ita vt per singulos dies ad sacram Monachi mensam accedereot. Mixti enim sumptio quæ ante lectionem fieri hîc præcipitur, quotidiana est, & non tantùm ad Dominicam diem contracta. Cùm igitur hæc imperetur propter sanctam communionem, consequens videtur quòd etiam communio saocta quotidiana erat, si non in præcepto, saltem ex consilio, exemplo, & vsu fratrum. Contrà quam oblatrandum non est, non solùm aduersùs Monachos, sed neque aduersùs Laïcorum aliquos. Sic ille. Sed eius pace dicere liceat, non videri hoc admodum probabile. Quamuis enim propter sacram communionem sumatur mixtum, non tamen propter solam, nam alteram causam S. BENEDICTVS adiecit : *Ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere.* Aut, sicnti loquitur de septimanarijs coquinæ, *Vt horâ refectionis sine murmuratione & graui labore seruiant fratribus suis.* Vbi cùm addit, *In diebus tamen solemnibus vsque ad Missas* (intellige completas) *sustineant*, ieiunium scilicet ; satis significat, diebus non solennibus mixtum sumptum ante Missas, siue ante vnam horam refectionis.

An etiam Benedictini? Perez in Reg. c. 48 num. 12.

Affirmat Perez, & colligit ex S. Benedicti verbis.

Nõ ita probabiliter.

Probatur ex Regula ipsa. Cap. 35.

Quinimo, si attendamus horas labori & lectioni deputatas, difficulter inuenietur ferialibus diebus, aliquod tempus Missæ celebrandæ vel audiendæ tributum. Qui enim interessent sacro *Fratres, qui omninò longè sunt in labore, & non possunt occurrere horâ competenti ad oratorium :* de quibus statuit : *Agant ibidem opus Dei, vbi operantur?* Quod non infrequens, sed velut ordinarium quiddam fuisse, ex hac ipsâ constitutione colligitur : æstatis præsertim tempore, *cùm opera in agris* haberent, vel ad *fruges colligendas* egrederentur. Neque hoc mirum videri cuipiam debet. Nam apud Ægyptios Monachos, exceptis vespertinis ac nocturnis congregationibus, nulla per diem publica solennitas celebrabatur : Tertiam enim ; Sextam, & Nonam, non per distinctiones horarum & temporis interualla, sed per totum diei spatium iugiter cum operis adiectione celebrabant. Incessanter enim in cellulis opus manuum exercentes, Psalmorum illi recitationem admiscebant, vt tradit Cassianus. Proinde non puto efficax sumi posse argumentum ex nostrâ Regulâ, pro quotidianâ communione.

PERSONÆ MONASTICÆ. *Vidori vix datum tempus celebrãdi Missam in feryis.* Cap. 50.

Cap. 41. Cap. 48.

Ægyptij Monachi nõ conueniebãt ad omnes Horas.

Cassian l. 3. cap. 2.

Sed enim videamus, num illa à Monachis S. BENEDICTI Regulam seqoentibus non fuerit aliquando vsitata. Regula Magistri, quæ integra capita ex S. BENEDICTO describit, & totam pænè Regulam, variâ adiunctâ, quæ apud eius discipulos vigebat, praxi, repræsentat, non obscurè insinuat S. Eucharistiam quotidie ab ijs sumptam : nam statuit : QVOTIDIE *Cellerarius cum septimanarijs, coram Abbate in Oratorio cum congregatione* COMMVNICET. S. Dunstanus ita decreuit : *Post pacem fratres* QVOTIDIE (*nisi qui crimine se aliquo, vel carnis fragilitate, reas cognouerunt*) *regulari studia prorsus intenti*, EVCHARISTIAM *accipere non renuant.* Sed & MS. *Regula Solitariorum, quæ & ipsa* S. BENEDICTI pluribus locis verba exprimit, integro cap. 36. tractat, *Si corpus Domini quilibet* quotidie *audeat sumere, vel si Sacerdos sit, Missas* quotidie *valeat celebrare :* ita autem respondet : *Non meâ opinione sed sanctorum assertione hæc vtraque reor fieri posse. Ab his tamen qui mundi sunt ab omni inquinamento carnis & spiritus. Quia qui tantùm hospitem suscipit* quotidie, *castus debet esse in corpore, & mundus in corde.* Citat autem Apollonium, & sententiam Gregorij 4. Dialog. & exemplum Cassij, Narniensis Episcopi à nobis suprà allata. Ioannes Belethus mixti mentionem faciens, addit : *Debent autem singulis diebus Religiosi communicare.* Et hæc quidem exempla, siue decreta pro *quotidianâ Monachorum* reperiuntur *Communione.* Quam & in Florentino Monasterio,

Benedictini quidã quotidie olim communicabant.

Reg. Magi cap. 16.

Dunst. cap. 1. Stat.

Solitarij quoque.

Beleth. In explicatione diuini officij cap. 119.

PERSONÆ MONASTICÆ.

nasterio, *Angelorum* dicto, in quo B. Magdalena de Pazzi vixit, P. Iacobus Laynez tempore S. Ignatij Soc. IESV fundatoris, apud Moniales introduxit.

Nicol. Lancicius de prof. in virt. c. 19. *Quid auctor suadeat.* De profect. relig. lib. 2. cap. 77. *Vix potest certa præscribi regula circa frequentem vsum S. Eucharistiæ.*

Neque tamen his generalem pro Religiosis non sacerdotibus regulam, aut viam sternere velim ad quotidianum augustissimi Sacramenti vsum. Nam, vt dixit S. Bonauentura, aut potiùs Dauid de Augustâ; *Vtrum sit melius, sæpiùs an rariùs corporis Christi suscipere sacramentum, videtur mihi quòd non possit super hoc omnibus dari regula vniformis. Varia sunt hominum merita, & diuersa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus S. operationes in singulis, & diuersi etiam status in Religione. Et ideò sicut ægrotantibus non potest vna forma seruari in dandis medicinis corporis, propter diuersitates complexionum aut loci aut temporis, aut diæta, vel aliarum considerationum, pro quibus aut rariùs, aut sæpiùs, aut maiori, aut minori quantitate, eadem medicina datur: ita & de medicinâ spirituali, quæ est corpus Christi, intelligendum.* Subdit post pauca: *Vix aliquis ita religiosus esse videtur & sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in septimanâ sufficiat ex consuetudine communicare: nisi specialis caussa quandoque, vel ratio plus suadeat.* Sic ille. Plura vide apud alios ista ex professo tractantes.

Sed alia hîc oritur quæstio,

Num ad Communionem accedendum feriâ sextâ Parasceues?

Franc. de temp. hor. can. c. 30. *Videtur in Parasceue abstinendū à Communione.* De cōsecr. dist. 3. *Argumēta.*

FRancolinus censet non solùm à Missâ, sed etiam à Communione, omnibus omninò abstinendum, excepto sacerdote, qui eius diei officium peragit, & infirmis, qui pro viatico communicandi essent. Vrget quod in cap *Sabbato* dicatur, *eo die sacramenta penitùs non celebrari*, quod intelligit tam de consecratione, quàm administratione voluntariâ & non necessariâ corporis Christi: nam morituris semper præbendum: Et quod Missale Romanum in rubricâ *Feria V. Cœna Domini* præscribat: *Hodie reseruat Sacerdos in loco honesto & conuenienti vnam hostiam consecratam pro die sequenti, in quo non conficitur; vel etiam plures si necesse fuerit pro infirmis.* Ex quibus verbis colligit, quod vbi necessitas non est, & pro non infirmis plures hostiæ non sunt reseruandæ.

Contra sentiūt veteres. Amal. l. 1. de Eccl. offic. cap. 11. *Amalarius.* Ioa Beleth. Beleth. in Explic. diu. offic. c. 99. *Durandus.* Dur. li. 6. c. 75. n. 9. *Ordo Romanus.*

Contrà tamen scribit Amalarius; *Pro omnibus qui sequente die communicare volent, debet sacramentum in die Cœna Domini reseruari.* Ioannes Belethus duas reseruationis huius assignat caussas. 1. *Ne fortasse quispiam ex hâc vitâ sine viatico discedat.* 2. *Quod illis tribus diebus, maximè omnes ij Religiosi, quibus necessitas est, debeant communicare.* Similia habet Gulielmus Durandus. Vnde in Ordine Romano antiquo in *officio* diei *Parasceues*, in fine eius dicitur: *Et communicent cum silentio.*

S. Gregor. Pamel. in Liturg. Latin. *Alcuinus.* De off. diuin. in Parasc. c. 18. *Theodulph.* Epist ad Cōpresbyt.

Magnus Gregorius in lib. Sacramentorum (vt refert Pamelius) dicit: *Communicet sacerdos & omnis plebs.* Nunc legitur: *Communicat ipse, & omnis Clerus, & fiant missæ.* Alcuinus: *Tunc communicant omnes cùm silentio, & expleta sunt vniuersa.* Theodulphus, Episcopus Aurelianensis ita statuit: *Singulis diebus Dominicis in quadragesimâ, præter hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœnâ Domini, & in* PARASCEVE, *in vigiliâ Paschæ.*

Suar. to. 3. in 3. p. disp. 90. sect. 2. *In Ordine S. BENEDICTI floruit mos cōmunicandi in Parasceue.* Reg. Mag. cap. 53.

Ex quo videas non malè dixisse Franc. Suarez, olim non solùm non fuisse prohibitionem, sed potiùs oppositam consuetudinem; quæ sanè in Ordine nostro maximè retenta est, & pluribus locis etiam nunc viget. Regula Magistri, cùm feriam *Sextam Parasceues* præcepisset sine potu traduci, subiungit: *Sacramenta verò altaris in patenâ maiore vitreâ finiantur, vt cùm sextâ feriâ Iudæi ad passionem Christum quæsierint, sit ipso die mentibus nostris reclusus, vt sabbato nobis per resurrectionem in nouo sacramento appareat.* Quod intelligi de ipsâ die *Parasceues*, ex eo apparet, quia communione priuat, qui illo die voluerint cibum sumere.

Et ita decreuerunt: S. Dunstan. Stat. Dunst. cap. 3.

Sed clarius id colligitur ex Statutis S. Dunstani, vbi ita dicitur: *In quâ Missâ* (Feriæ V.) *sicut & insequentium dierum Communicatio præbetur, tam fratribus, quàm cunctis fidelibus, reseruatâ nihilominus eâ die Eucharistiâ, quæ sufficit ad communicandum cunctis alterâ die.* Posteà de Parasceue agens, ait: *Communicent omnes cum silentio.*

Lanfrācus. Lanfr. Decret. cap. 1. §. 4.

Et Lanfrancus feriæ V. officium describens, ait: *Tot hostiæ ponantur ad sacrandum, quot sufficere possint ipso die, & in crastino ad communicandum: quatuor his diebus nullus à Communione se subtrahat, nisi subtrahendi rationabilis caussa subsistat.* Rursus feriâ VI. *Communicet se, & Fratres omnes, sine osculo pacis.*

Boëc. ad c. 63. Reg. *Bursfeldēs.* Ordinar. Bursf. c. 35. *Vallisoletan.* Vallis. c. 30.

Boëtius: *Communicant omnes generaliter tribus diebus Lamentationum.* Bursfeldenses: *His tribus diebus Missæ priuatæ non fiant: sed omnes ad dignè communicandum, de manu sacerdotis, se studeant dignè omni deuotione præparare.* Ceremoniæ Congregationis Vallisoletanæ, de Parasceue: *Sacerdos recipit sanctissimum sacramentum, dicens intra se quod Deus illi suggesserit, & statim communicant ministri & Conuentus.*

Suarez suprà. *Respōdetur ad argumēta in sententia opposita.*

Ex his patet receptissimo more, in Ordine nostro, hoc die sacram Synaxim ab omnibus sumptam, quod & Suarez non putat esse prohibitum, & ad Francolini argumenta respondet, Innocentium cap. *Sabbato*, solùm loqui de Sacrificio: nam *celebrare Sacramenta*, non est propriè ministrare Eucharistiam, sed

conficere:

conficere: Quod autem iubeatur seruari pro infirmis, non ideò est, quia illis solis licitè possit administrari; sed quia illa fuit caussa maximè necessaria seruandi sacramentum. Cùm igitur ex his fundamentis non satis probetur prohibitio; licitum erit per se loquendo, eo die communicare; nam cùm hoc sit per se bonum, non est cur tamquam malum damnetur. Scribit nihilominus Gauantus, Sacram Rituum Congregationem die 19. Februarij ann. 1622. respondisse, *seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem, non ministrandi, nisi infirmis, hac die Eucharistiam.* An autem hæc declaratio Monachorum nostrorum abroget consuetudinem, alij dispiciant, aut, quod optandum, ad sacram Congregationem referant.

An S. Rituũ Cõgregatio hoc antiquauerit. Gauant. cõ. in Rubr. Miss. p. 4. tit. 9. n. 25.

DISQVISITIO IV.

Qualis Monasterij Cellerarius *esse debeat?*

RELIGIOSÆ familiæ debitam gerens curam prudentissimus Pater BENEDICTVS, peculiari capite *Oeconomi,* seu familiæ administratoris, munus descripsit. Quod nomen spectat, vocat eum S. Pater CELLERARIVM: quæ vox occurrit apud Flodoardum, & Innocentium III. cap. *cum ad Monasterium.* Et de præben. & dign. cap. *Dilecto filio.* Dicitur quoque CELLARIVS. Plautus:

Cellerarij nomen expenditur, qui & dictus. Hist. Rhẽ. l. 2. cap. 12. Extra de stat. Monach. *Cellarius.* Plaut. in Captiu.

—— *Prome quid vis, te facio* Cellarium.

Columella: *Vt cibus & potus sine fraude à Cellarijs* præbeatur. Lampridius: *Mittebat parasitis per* CELLARIOS *salaria annua.* Et L. *nominatim: Dispensator meus,* CELLARIVS *meus, Cocus meus.* Hinc Κελλάριος in Glossis Græco-Latinis: & apud Hesychium, aliosque notatos in Glossario Meursij. S. Dorotheus *Doct.* 11. *Typicum Sabæ,* & *Euchologium Græcorum* vocant Κελλαρίτης. Legunt aliqui *Cellerarius.* Ita Regula Orientalis, Magistri, & Cuiusdam ad Virgines; *Capitula Caroli Magni,* quæ ad Monachos propriè spectant, *concil. Aquisgran. can.* 40. Editio prima Guidonis Iuuenalis aliquando *Cellerarius,* aliquando *Cellarius* ponit. Periphrasi quidam circumscribunt: Augustinus, eumque secutus Isidorus: *Qui Cellario præponitur.* Basilius: *Cui munus vel cura Cellarij commissa est.* Regula Orientalis: *Custos Cellarij.* S. Columbano in Pœnitentiali dicitur *Oeconomus,* Vallisoletanis nostris *Maior domo.* Regula Cæsarij, Aureliani, item Ternantensis, *Promsoris* nomine insignimt, quod etiam nunc retinet sacer Ordo Præmonstratensis. Carthusiani, & alij nonnulli Ordines *Procuratorem* communiter vocant, quem Plautus *Procuratorem peni,* & *Promum condum.*

In Heliog. ff de manumiss. test. *Cellerarius.* Reg. Mag. cap. 16. Tom. 2. Conc. Gall. anno 787. Aug. reg. c. 34. Reg. Isid. c. 20. Basi. reg. breu. 147. & 148. *Promsor.* PERSONÆ MONASTICÆ. *Procurator.*

Sed satis de nomine, nunc eius expendamus officium: quod quidem S. BENEDICTVS tam accuratè expressit, nihil vt ei deesse videatur. Vnde in Concilio Franco-fordiensi statutum, *Vt Cellarij in Monasterijs auari non eligantur: sed tales electi sint, quales Regula* S. BENEDICTI *docet.* Prudenter igitur Lanfrancus decreuit, hoc ipsum Regulæ caput ei prælegendum & exponendum, cùm id munus ei primùm imponitur. Vult autem S. BENEDICTVS, vt, *Cellerarius Monasterij eligatur de congregatione:* id est, vt non constituatur ex ordine, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam, ac spiritualium donorum prærogatiuam, & industriam in rebus temporalibus. Et iam olim non fortuitò assumptum, sed electum, colligas ex Cypriano, auctore vitæ S. Cæsarij Arelatensis, qui ait: *Post breue tempus in congregationis Cellarium eligitur.* Et Fructuosus Episcopus: *Eligatur* Cellerarius *bona patientiæ probatus, quem communis elegerit collatio, & ab omni excusetur monasterij seruitio, & coquinæ officio.*

Cellerarij officium accuratè S. Benedictus describit. Conc. Frãc. can. 13. Stat. Lanf. cap. 9. *Eligendus domesticus.* Reg c. 31. *Qualis.* Reg. Fruct. cap. 6.

Eligendus est autem, vt præscribunt Casinenses, *à Prælato, de consilio seniorum.* Non igitur à Congregatione, sed de congregatione eligatur: vt intelligas excludi laïcos, vel etiam Sacerdotes sæculares, de quibus Benedictus XII. *Vt viam scandalis precludamus, prohibemus expressè, ne in Ecclesijs vel Monasterijs, seu locis alijs conuentualibus eiusdem ordinis seu religionis, Clerici sæculares; vel laïci, seu alterius Monasterij Monachi, vel Religiosi alterius religionis, ad victum Monachi ministrandum de cetero deputentur.*

A quibus. Casin in cap. 31. *Laici & sacerdotes sæculares non possunt eligi in Cellerarios.* Benedictin, c. 18

Solenni autem ritu non secus ac Priores, olim constitutos Cellerarios, ex vetusto Monasterij nostri Rituali manifestum est, in quo ita præscribitur: *Cellerarij officium in capitulo committitur ab Abbate. Is cùm nominatus fuerit, expleto capitulo tendit ad gradum Presbyterij, ibique facto ante & retro, dicit hunc versum:* Deus in adiutorium meum intende, &c. *quem cum tertiò repetierit, & conuentus toties eumdem responderit, dat ei Abbas benedictionem cum consuetis precibus & Collectâ:* quæ exstat in *Collectorio Bursfeldensi:* Vbi pariter legas ritum, quo ab eo officio absoluitur.

Ritus priscus constituendi Cellerarium cum Benedictione. Rit. Afflig. p. 3. c. 25.

Cura illius multiplex à S. BENEDICTO accuratè describitur; 1. enim sibi ipsi, deinde Abbati, 3. fratribus hospitibus, alijsque, 4. rebus Monasterij attendere, & intendere debet.

Quæ ipsi facienda incumbant.

PRIMO autem, hoc erga seipsum seruet, vt declinet vitia à S. P. enumerata,

PERSONÆ MONASTICÆ. I.

Viti fugiat qualia sunt.

& designatas ab eodem habeat virtutes. Vitia sunt hæc: vt, *Non sit multùm edax:* quod vel ideò ei inculcandum, quia cùm esculentorum & poculentorum curam gerat, facilior ei occasio, & delinquendi in his materia. Hinc Regula Magistri: *Cellararius ordinetur, quem numquam vincit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multùm amat manducare, aut bibere.* S. Cæsarius Arelatensis totum hoc caput mutato genere repræsentans, habet hîc: *Non multùm audax*, quâ voce id ipsum ei prohiberi crediderim, quod posteà sequitur: *Sine iussione Abbatis nihil faciat.* Prætereà, *Non sit elatus*, ob amplitudinem commissæ sibi potestatis, in rebus præsertim temporalibus. Pronum enim est, vt dominos se, non administratores temerè existiment. Deinde, *Non turbulentus*, subitâ irâ percitus, aliosque conturbans. *Non iniuriosus*, ad iniurias & contumelias inferendas pronus. Notat Menardus Victorinum cod. M. S. P. legere, *Non iurgiosus.* Non contemnenda prorsus lectio: nam multarum rerum administratori non deest iurgiorum occasio. *Non tardus*, ne conuentum aut Fratres remoretur, & si quid ab eo petatur, ne extortum potiùs quàm exhibitum videatur, adeoque Fratres contristet. *Hilarem* autem *datorem diligit Deus.* Et quemadmodum, bis dat, citò dat; ita *minus soluit qui tardiùs soluit.* Quò spectat illa capitis huius clausula: *Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt: vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei. Non prodigus*, id est, nimis largus, profusus, consumptor & dilapidator, siue vt posteà subdit; *Stirpator substantiæ Monasterij.* Pro quâ voce alij Latiniorem substituerunt, *extirpator*, & Cæsarius Arelatensis in feminino, *exstirpatrix:* Regula Solitariorum hæc repræsentans, retinet *Stirpator*, prout Regula Donati, *Stirpatrix.* Matthias Martinius in Lexico Philologico ex veteri Onomastico ait; *Stirpo* Latinum esse inusitatum, sed Catholicon explicare, vt idem sit quod euello, eradico. Italis *Stirpatore* est eradicator, euulsor stirpium; familiare enim eis est particulam *Ex*, siue *es*, omittere: hinc illis *scusare*, idem quod *excusare*: *scommunicare* idem quod *excommunicare*. In citato Onomastico *Stirpix*, & *Stirpices*, qui stirpes effodiunt, radicum sectores & collectores. Ambrosius: *Nunc sole torrere, nunc imbre perfundere, nunc* Stirpare *agrum, ne à sentibus gemma lædatur, ne luxuriet vmbra foliorum.* Capitulare Caroli Magni: *Nec in siluis stirpare, vel arbores cadere.* Hæc de voce. Vt autem vitium eà indicatum euitetur, curandum vel maximè, ne annui sumptus Monasterij reditus excedant: quinimo, non totum expendendum, vt pauperibus Christi, & fortuitis casibus opportunè occurratur. Sed vt liberalitas inter vtrumque media, ita alterū extremorum pariter vitandum, vt, *Neque auaritiæ studeat*, in quam procliuis Cellerariorum solet esse lapsus. Vt erat illius, qui iubente S. BENEDICTO, parum quod reliquum in cellario erat olei, Agapito Subdiacono dare distulit, de quo vide quæ ad *cap. 28. n. 2. vitæ S. BENEDICTI* annotauimus. Et hactenus qualis *Cellerarius* esse non debeat.

Cap. 31. *Edacitas.* Mag. in Reg. ca. 16. Cæsar. recapit. reg. Sanctim. num. 10. *Elatio & superbia.* *Commotio, & pronitas ad conuitiandum.* *Tarditas in dandis necessarijs.* 2. Cor. 9. ff. de verb. signif. l. 51. cui. *Prodigalitas.* *Regula locus illustratur.* Cap. 61. *Quid sit Stirpo.* *Itali ex & es verbis quibusdam demunt.* Amb. l. 1. in c. 20. Luc. Ca. Car. M. anno 789. can. 81. *Auaritiæ non studeat Cellarius.*

Virtutes Cellario necessariæ.

Videndum nunc qualis esse debeat. *Sapiens*, inquit Legislator, *maturus moribus, sobrius, timens Deum, qui omni congregationi sit sicut Pater. Animam suam custodiat.* In quæ verba Casinenses: *Cellerarij non sic se immergant temporalibus, quin vacent spiritualibus: sed sic transeant per bona temporalia, ne amittant æterna.* Similiter Bursfeldenses: *Cellerarius quamuis exemplo Marthæ, circa multa sollicitari & turbari necesse habeat, non tamen se prorsus à conuentualibus alienare, aut silentium & quietem cellæ penitus abijcere, & abhorrere: sed potiùs quantum sinit opportunitas, necessarijs expeditis, ad opus Dei & conuentum, sed & ad cellam, quasi ad quietissimum & tutissimum portus sinum recurrat, vt legendo, orando, meditando, turbulentos animi sui motus, ex cura & dispositione exteriorum surgentes, sedare possit, & spiritualibus consolationibus refrigerari.* quæ ex Guigonis Carthusiani statutis delibata sunt.

Casin. ad c. 31. n. 2. *Nō immergat se temporalibus.* Cerim. Bursf. dist. 2. c. 5. *Frequentet exercitia regularia.* Stat. Guig. cap. 16.

II. *Nihil faciat sine licentia Prælati.*

SECVNDO, quid Abbati debeat *Cellerarius*, exponit noster Paterfamilias: *Sine iussione Abbatis nihil faciat.* Rursumque: *Omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abbatis.* Vbi *iussio* idem est quòd licentia. Cassinenses in hunc locum, vetant, *Ne omninò fabricet intus aut extra monasterium, sine scitu vel voluntate Prælati sui. Ne arbores in possessionibus Monasterij incidat, aut incidi faciat.* Ne quid autem contra superioris voluntatem aliquando faciat, expedit omninò, vt crebro cum eo communicet, conferatque de rebus in officio suo occurrentibus, & statum domus explicare non negligat. Hinc Fructuosus Episcopus præscribit, vt, *quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium, rationem suo Abbati faciat, & hoc cum tremore & simplicitate, & verâ cordis humilitate, tanquam Domino redditurus rationem.* Casinenses conformiter præscribunt, vt quilibet Cellerarius computa, rationes, debita, & credita Monasterij quater in anno, hoc est, per singulos quosque tres menses, ostendat Prælato, & Superioribus. *Expensa verò quotidiana ab Abbate singulo quoque mense videantur, vnà cum Diurno à Cellerario conscripto.* Addit denique S. P. BENEDICTVS, *omnia quæ ei iniunxerit Abbas; ipse habeat sub curâ suâ:*

Sæpius cum eo conferat. Reg. Fruct. cap. 11. *Dati, acceptique rationem red.* Declarat. num. 4. Num. 7.

suâ: à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Ex quibus colligas licere Abbati ex auctoritate Regulæ, *Cellerarij* potestatem aut ampliare, aut restringere; plura ei, aut pauciora, prout viderit expedire, committere. Consulit Boerius; vt *Abbas, quando committit officium istud alicui fratri, scripturam faciat, in quâ distinctè contineantur quæ eidem committit.* In his autem quid maximè satagat, nisi, vt, sicut scriptum est, sit *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Si fidelis*, inquit Bernardus, *non fuerit, fraudabit: si non fuerit prudens, fraudabitur.*

Cellarij potestati Abbas limitare potest.

Bern de cõ. sid. l. 4. c. 6.

III. *Cellarius fratrũ curam solicitè gerat.*

TERTIO, considerandum quid fratribus debeat. Legislatorem audiamus: *Omni Congregationi sit sicut Pater. Curam gerat de omnibus.* Nullum ex fratribus negligat: sed æquali affectu omnibus se impendat: maximè autem *Infirmorum infantum, hospitum, pauperumque cum omni solicitudine curam gerat.* Quod si in his angitur, & turbatur erga plurima, solatur eum S. Bernardus, dicens: *Quotiens pro vna ex minimis spirituale studium interponit, toties pro eo spiritualiter ponit animam suam.* Præscribitur illi deinceps: *Fratres non contristet.* Quæris in quo? casum ponit: *Si quis frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget.* Meritò dicit, *cum humilitate*: quis enim à superbo & arrogante benignum expectet sermonem? Vnde postea id ipsum inculcans, ait: *Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum.* Sed quid præterea ei præstandum? *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel morâ offerat, vt non scandalizentur.* Quid verò hîc typus? Smaragdus ait: *τύπος græcus sermo est, quem nos figuram dicimus seu formam. In typo enim res declaratur ex rebus, & exterius interiora monstrantur. Nam & typus herba dicitur, quæ se ab aquâ inflat. Vnde etiam ambitiosorum & sibi placentium tumor, typus vocatur.* Quæ desumpta ex Papiâ. Cardinalis Turrecremata: *Sine aliquo typo*, id est, sine tristitiâ, aut, tumore verborum, aut murmure, cum indecenti formâ verborum. Quam interpretationem miratur Perez; additque: *Typos* dictionem esse græcam significantem idem quod interuallum, desumptâ etymologiâ à quadam periodicâ febri, quæ per certa temporum interualla ingruit, quæ dicitur *typus*, prout videre licet apud Isidorum: & ideo *annonam sine typo afferre*, idem esse ac sine interuallo statutis horis offerre. Verùm legendum putauerim: *Sine typho*. τῦφος enim Suidæ est, ἀλαζονεία, μανία,

Idẽ Serm. 3. de Assumpt. B. Mar.

Neminem proterue reijciat, etiã malè petentem.

Sine typo annonam offerat.

Smaragd. in cap. 31. Reg. S. Bened.

Quid typus hoc loco? Variant interpretes.

Turrec. tract. 90.

Isid. 4. Etym. c. 7.

Videri legẽdum, sine typho, id est, superbiâ.

arrogantia, furor. Arnobius *Mentis elatio, & typhus qui appellatur à Græcis*, Augustino frequens & vsitata vox pro fastu. *Quid non audeat*, inquit, TYPHVS *morticinia pellicula, quò non se præcipitet præsumptio carnis & sanguinis?* Item *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias, non sint sumptuosæ: atque omnibus petentibus sine* TYPHO, *& cum alacritate præbeantur.* Alibi quoque eâdem significatione: *Cùm per hoc tumescit* TYPHO *& morbo inflationis extollitur.* Alio loco: *Nos tamen has duas angelicas societates, vnam fruentem Deo, alteram tumentem* TYPHO, *&c.* In quem locum Ludouicus Viues: τῦφος superbia est, & *Typhonem* pro dæmone ignito vsurpant Græci; à τυφόομαι, superbio, & τύφομαι, comburo, fumo. Maluit Græco verbo Augustinus vti, quàm Latino superbiæ & arrogantiæ, & iactantiæ, Sed generalius est Græcum illud, & multum habet virium: erat etiam vocabulum illius sæculi, quo vtitur Philippus Presbyter in Commentarijs lib. Iob. Hæc ille. Inde deduci videtur *Typhon* ventus, de quo Act. 27. *Ventus Typhonicus, qui vocatur Euro aquilo.* Monet Spiegelius, quod non rarò scriptum reperitur, pro *Typhus*, sine aspiratione *Typus*. Vt apud Gregorium: *Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typum superbia inter nos schisma non fuerit.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

Arnob. l. c.

Quæ vox in consignificatione probis scriptoribus vsitata.

August. Epist. 48.

Id. Epist. 63.

Cont. Iulian. l. 4. c. 3.

Lib. 11. de ciuit. c. 33

Vnde typhus deriuetur.

Quidam scribunt typus, pro typhus.

Greg lib. 6. epist. 28.

QVARTO, Bonorum Monasterij, & vniuersæ supellectilis curam gerat *Cellerarius*. Hinc Legislator: *Omnia vasa Monasterij cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Non poterat accuratiùs exactam vtensilium curam inculcare, quàm si ea Deo consecrata diceret. Nec vnus, nec solus in hoc sensu fuit: Præcesserat Basilius quærens: *Quomodo qui opus faciunt, curam gerere debeant eorum quæ sibi credita sunt?* Respondet: *Vt eorum quæ dedicata & consecrata sunt Deo.* Vnde mox subdit: *Qui ijs abusus fuerit, aut amiserit; tanquàm sacrilegij auctor indicator.* Vnde alibi monet: *Diligentiam in omnibus vel vtendis, vel conseruandis eam adhibere, quam in Dominicis rebus adhiberi par sit.* Cassianus de Orientalibus Monachis: *Credunt se pro minimis quibusque vasis, tamquam pro sacrosanctis rationem non solùm dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros, si fortè aliquid ex eis negligentiâ eorum fuerit imminutum.* Nec contrarius ei Prosper: *Possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt Sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei: quoniam si vestes, ac vasa cetera, quæ in sacris vsui ministrantibus erat, sancta vocabantur: nec in vsus humanos reuocari iam poterant, diuinis semel ministerijs consecrata: Quomodo non ea quæ conferuntur Ecclesiæ, sacra*

IV. *Cellarius bona Monasterij, vt res Deo sacras tractet.*

Basil. reg. breu. 143.

Plures idipsum statuerunt.

Idem epist. ad Canonicam.

Cassianus.

Cassian. l. 4. cap. 19.

Prosper.

Prosper de vit. contẽpl. l. 2. cap. 16.

PERSONÆ MONASTICÆ. *Antiochus. Antioch. Homil. 88. Regula plurium Patrum. Reg. Macar. c. 22.*

cta credenda sunt? Quibus non vt seculi rebus luxuriosè, sed sanctè, vt Deo consecratis vtuntur ad necessaria Sacerdotes. Antiochus: *Quæcumque monasticæ sunt mansionis, Deo consecrantur, tamquam ea quæ offeruntur illi.* Hinc in Regulâ Macarij, Paphnutij, & aliorum: *Nosse debent fratres, quia quidquid in monasterio tractatur, siue in vasis, vel ferramentis, vel cetera omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractauerit, partem se habere nouerit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis.*

Oeconomus nihil negligat.

Et hæc testimoniorum nubes satis erit ad persuadendum *Cellerario*, vt, quod S. BENEDICTVS ait: NIHIL DVCAT NEGLIGENDVM. Nihil, inquam, neque animam suam, quam debet custodire; neque officium, quod debet adimplere; neque fratres, quos non oportet contristare; neque vasa Monasterij, quæ vt Deo sacra conseruanda. Verùm & hîc cauendum, *ne quid nimis.* Monet enim S. Dorotheus, eum qui administrandi penu curam habet, seu Cellariæ; *Ne nimium afficiatur rebus materialibus Monasterij; & si quid,* ait, *per neglectum aut fortè per inuersionem fractum fuerit, aut perditum, nè angaris, nè cruciteris, aut sollicitudine quadam nimiâ premaris. Hoc autem facias, non vt contemptor vasorum, & rerum Monasterij, (nam totis viribus res monasterij curare debes) sed vt teipsum ab omni perturbatione, & tumultu immunem, tranquillúmque conserues. Ostende Deo semper quidquid potes: Hoc autem rectè agere poteris, si administraueris res monasterij, non vt proprias & peculiares, sed vt Deo subiectas. Harum rerum profectò cura tantum tibi credita est. Alterum quidem efficiet, nè nimium (vt dixi) rebus afficiaris. Alterum verò nè prorsus contemnas. Si verò hanc animi considerationem, & scopum non habueris; numquam à perturbationibus, & anxietatibus quiesces, neque alios quiescere permittes.*

Doroth. serm. 14. Sine excessu tamè atque nexu sollicitudinis.

DISQVISITIO V.

De Ostiario Monasterij.

VT cum vrbanitate, & quâ decet morum honestate, ex hoc COENOBIO egrediamur, *Ostiario* denique valedicamus; & eius officium à S. BENEDICTO descriptum nonnihil expendamus. *Ad portam,* inquit, *Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum & reddere.* Quod autem ait, *Ad portam*; hinc colligas ex Legislatoris mente, vnam, non plures in Monasterijs constituendas portas: quod & à Iustiniano Lege decretum: *Volumus non plurimos esse in Monasterium ingressus, sed*

Reg. c. 66. Vnam suffic tam in Monasterijs portam, non plures iussit S. Benedictus. Iustin. Nouell. 133. cap. 1.

A *vnum, aut secundum fortè: & adstare ianuæ viros senes & castos, & testimonij boni ex omnibus, qui quidem neque reuerendissimis Monachis concedant sine Abbatis voluntate exire Monasterium, &c. Sitque castissimâ maceriâ munitum Monasterium, vt nullus exitus aliundè, nisi per ianuas sit.*

Quod verò requirit, vt sit *senex sapiens,* intelligunt Casinenses, *non tam ætate, quàm moribus.* Et ante illos Smaragdus: *Non ætas in Portario quærenda est corporis, sed sapientia & intellectus. Hinc namque per sapientem dici-*B*tur: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata, Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Meliùs tamen, nostro iudicio, Bernardus Cassinensis apud Boërium, *senem* hunc intelligit *annosum, siue veteranum,* additque: *Si non potest talis annosus haberi, habeatur sapiens & maturus.* Quæ explicatio confirmatur ex eo, quòd S. BENEDICTVS subiungat: *Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.* Alter proinde eius respectu, ætate pro-C-uectior esse debet. Vnde Regula Magistri: *Duobus fratribus ætate decrepitis cella intra regias (id est ianuas) Monasterij constituatur.* Et mox: *Qui senes, vt superiùs diximus, pro honore ætatis, cam Abbate manducent.* Et Regula Cuiusdam: *Portarij, seu Ostiarij esse debent ætate, senili.* Duas porrò *Ianitoris* qualitates S. BENEDICTVS expressit. Prior, vt sit *sapiens,* altera, vt *Maturus.* Ad *sapientem* pertinet, quod sequitur, *vt sciat accipere responsum & reddere. Maturi* officium est, *vt maturitas eum non sinat vagari.* In D Regulâ Cuiusdam præscribitur Ostiarijs, *Ex præsentibus pompis nil desiderent; sed toto cordis affectu Creatori inhærentes, singuli dicant:* Mihi autem adhærere Deo bonum est. *Sint mentis statu firmissimi, vt Domino cum Prophetâ orando dicant: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem in viâ tuâ viuifica nos.*

Ostiarius sit senex. Smaragd. in c. 66. reg. Sap. 4. Moribus & ætate, vt quidam volunt. Reg. Magist. c. 95. Reg. Cuiusdam cap. 32. Duæ Portarij qualitates. Cap. 32. Psal. 72. Psal. 118.

Vide autem quàm accuratè, & ad minimum vsque punctum, *Ianitori* S. BENEDICTVS suggerat, quid vnicuique attentâ personarum qualitate respondendum. *Mox,* inquit, *vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit,* Deo gratias *respon-*E*deat, aut Benedicat.* In quæ verba Smaragdus: *Eleganter hic duas venientium B. posuit* BENEDICTVS *personas: vnam potentis, qui si ianuam monasterij inuenerit clausam, manu vel fuste pulset eam: aliam verò pauperis posuit personam, qui non pulsat, sed tantùm humiliter ad ianuam clamat. Quibus & satis apta à Portario respondenda composuit responsa: Videlicet, vt voce pauperis auditâ, Deo gratias agat: Potenti verò occurrens obuiam, humiliter ab eo benedictionem petat.* Vnde in contextu Concordiæ Regularum, pro

Modus respondendi diuitibus & pauperibus à S. Benedicto aptè expressus.

Quid intelligat hic per Benedicat. pro *Benedicat*, legitur, *Benedic.* Proiode *Benedic*, *Benedicat*, accipieudam τεχνικῶς: nunirum vt, ficut refpondet, *Deo gratias*, refpondeat fimiliter, *benedicat*, fcilicet me Paternitas veftra, fiue: *Benedicite Pater*, inquit Turrecremata. *Turrec. in 241.* Prorfus ex meute S. BENEDICTI præfcribentis, vt fi quis obuiauerit, aut viderit hofpites, falutet humiliter, *& benedictionem petat.* *Cap. 13.* Itemque: *Cap. 63.* *Vbicumque fibi obuiant fratres, iunior à priore* beoedictiooem *petat.* Addit Boerius, *Benedicere* hìc poni pro, *bona verba dicere*: vt dicat pulfaoti: *Benè veneritis*: vel, *Benedictus Deus, qui vos huc mifit.* De formulâ dicendi *Deo Gratias*, actum fuprà. *Tract. 4. difp. 7.*

Quo adfectu Oftiarius refponfum reddat. *Cap. 66.* Quo autem fpiritu & animi adfectu oportet refponfum reddere, fpiritualis vitę Magifter fubdit: *Cum omni manfuetudine timoris Dei, reddat refponfum feftinanter, cum feruore charitatis.* Requirit igitur manfuetudinem, benignitatem, affabilitatem, ex foote timoris Dei fcaturieotem. Feftinationem deinde, diligentiam, fedulitatem & feruorem, quæ de radice charitatis procedant. Vtiliter igitur ad portam cooftituti illam Ecclefiæ frequeotabunt precem: *Sancti nominis tui Domine*, Timorem *pariter*, & Amorem *fac nos habere perpetuum, quia numquam tuâ gubernatione deftituis, quos in foliditate tuæ dilectionis inftituis.* Hæc occafione verborum S. P. N. BENEDICTI. Quibus & hæc ex Regulâ Cuiufdam meritò adieceris: *Cap 3. Æanficet aduentâtes.* *Tale femper fupernenientibus oftendant exemplum, vt & foris ab extraneis nomen Domini glorificetur; & intus à fodalibus fuis mercedis præparet lucra. Foris aliquid dare, vel cuilibet miniftrare, vel à foris aliquid accipere, nullatenus fine commeatu Abbatis præfumant.* *Nihil recipiat fine licentiâ.* *Fabulas, quas ad portam vel à fæcularibus, vel à quibuflibet audierint, vel intellexerint, nullatenus confodalibus fuis referant.*

Claues oftiorum vel portâ nullo modo penes fe retineant; fed ad Abbatem nocte deferentes præfentent, & manè poft fecundam recipiant. Sic femper Oftiarij agant, vt in omnibus Zelum Dei habentes, Regulæ tenorem conferuent; vt pro ftudy fui vel culturæ labore incorruptam recipiant mercedem.

DISQVISITIO VI.

Quid Solatia *in Regula* S. BENEDICTI?

Officiarijs quibufdam dandi adiutores. EA eft quorumdam officiorum moles, & erga plurima occupatio; vt vnus vix, aut ne vix quidem ferendo par effe queat. Hinc fubfidiarij, adiutores, fiue, vt in bello loqnebantur, *Socij*, & *auxilia*, his talibus meritò affignantur. Quod fane Regula noftra, difcretiooe præcipua non prætermifit, in quâ peculiari phrafi SOLATIA nuncupantur; de quibus generatim: *S. Benedictus folatia vocat.* ita decernit: *In omnibus officijs Monafterij ifta fit confideratio, vt quando indigent,* SOLATIA *accommodentur eis.* *PERSONÆ MONASTICÆ.* Peculiariter autem iubet exhiberi, 1. Cellario: *Cap. 31.* *Si congregatio maior fuerit,* SOLATIA *ei dentur: à quibus adiutus & ipfe æquo animo impleat officium fibi commiffum.* *Cap. 31.* *Quibus ex triouerit.* 2. Septimauarijs coquinæ: *Cap. 35.* cùm autem decreuit, vt *nullus excufetur à coquinæ officio, quia exindè maior merces & charitas acquiritur*, ftatim fubiungit: *Imbecillibus autem procurentur* SOLATIA; *vt non cum triftitiâ hoc faciant fed habeant omnes* SOLATIA, *fecundum modum congregationis aut pofitionem loci.* 3. Fratribus coquinæ Abbatis deputatis, *Cap. 53.* *quibus*, inquit, *vt indigent*, SOLATIA *miniftrentur, vt abfque murmuratione feruiant.* 4. Portario; de quo ait: *Cap. 66.* *Qui portarius fi indiget* SOLATIO; *iuniorem fratrem accipiat*: Vbi clarè videmus *Solatium* pro homine, & auxiliatore accipi. Notandum autem quo fioe à S. P. *Solatia* officialibus affignentur: *Quo fine.* nimirum, vt æquo animo, fine triftitiâ, & murmuratione, officio fuo fungantur.

Sed & alijs eo fæculo, aut circa; *Solatij* vocabulum hac notione vfitatum. *Scriptores, qui voce folatij hac notione vfi.* Fauftus Reienfis: *Fauft. Epift. 2 ad Felic.* *Vtinam prouideat Dominus vel duo fida* Solatia, *cum quibus diurnas & nocturnas exigas functiones, & vel biduo in feptimanâ falutantium fruaris officijs.* Cæfarius Arelatenfis: *Cæfar. in Reg. Sanctim. n. 4.* *Ancillam propriam nulli, nec etiam Abbatiffæ liceat in feruitio fuo habere, fed fi opus habueris, de iunioribus in* Solatium *fuum accipiat.* Gregorius Magnus: *Greg l. 10. Epift. 25.* *Vt homines, qui fub eis funt, cum bobus fuis in eius debeant tranfmittere folatium.* Idemque, vt fuprà vidimus Præpofitum Abbatis, *Solatium* appellauit. *Tract 6. difq. 3.* Quod & in Ferreoli Regulâ inuenitur. Iornandes: *Iornand de reb. Gothic.* *In Mondunus* Solatia *veniens Illyricianum exercitum demoliuit.* Regula Tarnatenfis: *Reg Tarnat. c. 10.* *Vbi vtilitas popofcerit*, Solatium *non negetur.* Regula Magiftri: *Mag. c. 30.* *Ne perambulante* Solatio *Laico* (viæ collegam antè dixerat) *nefcientes fratres in multifariam feparentur femitam.* Frequentior vfus apud eos, qui S. BENEDICTI Regulam fequuntur. Regula Conuerforum Cifterciéofum: *Magifter infirmarius in coquinâ fuâ cum omnibus* Solatijs *loquatur, ftans, & fedens, &* Solatium *cum eo. Si neceffe fuerit pro aliquo graui infirmo, etiam poft Completorium loqui permittatur tam ipfi infirmo, quam* Solatijs *propter eũ.* *Reg. Conuerf. c. 5. Et Ordinet, qui affignat eiufmodi focios.* Hinc io vfu Cifterrienfi Sacrifta, Cãtor, Cellerarius, & Portarius fuum habent *Solatium*. Eademque vox aliquoties occurrit io Cerimoniali Burffeldenfi. *Dift. 1 cap. 7. 8. 11. 12. 17.* A Benedictinis Præmonftratenfes acceperunt, vt ex eorum conftat ftatutis primarijs. Vetus Rituale noftrum hæc *Solatia* ferè ita exprimit: *Subcellerarius, Subarmarius, fubfacrifta.* Cerimoniale S. Iuftinæ vocat *Socios*,

Cur iunior frater portario datus in folatium. Coofideraodum autem S. Patrem decerocre, *Iuniorem fratrem* io *folatium Portarij*: hac

PERSONÆ MONASTICÆ.

hac credo ratione, paulatim à minoribus ad altiora ascendant officia, & eorum expendatur aptitudo, vt qui in minoribus fuerint fideles, supra multa constituantur. A Senioribus itaque iam expertis humiliter discant & requirant, quæ officij sui sunt; dicente Moyse: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Et quod aptè dixit Iustinianus Imperator: *Zelus ad virtutem crescit, & maximè iuuenibus, si cum senioribus constituantur: fiet enim Seniorum conuersatio, iuuentutis educatio perfecta.* Adde, quod iunioribus seniores confidentiùs quælibet agenda iniungant, quàm si iunior officialis *Solatio* se seniori verecundè imperet. Sunt etiam iuniores magis validi ad discurrendum, & diuersa onera subeunda, & congruus ordo requirere videtur, vt maioribus maiora committantur. Ad humilitatis tamen exercitium, & propter maiorem in iuniore industriam, aliasque pias considerationes, senior quandoque in auxilium potest deputari iunioris. Atque hîc maximè exercendum quod sanctissimus monuit Patriarcha, vt etiam *sibi inuicem obediant Fratres, scientes se per hanc obedientia viam ituros ad Deum.* Proinde & hoc illis inculcandum, vt se mutuo strenuè iuuent: nec quæsitâ occasione se subducant, vt alteri dumtaxat totum onus incumbat: & vt collegæ absentis officium præsens diligenter adimplere studeat.

Margin notes: Deuter 31. — Iustin. Nouell. 5. c. 3. — *Ob rationes potest senior dari in auxilium Iunioris.* — Reg. c. 71.

SIT

NOMEN DOMINI

BENEDICTVM

EX HOC

NVNC, ET VSQVE IN

SÆCVLVM.



MONA-

MONASTICARVM DISQVISITIONVM LIBER QVARTVS:

SEMINARIVM, SIVE DE PVERIS ET NOVITIIS.

Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ. Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſuper ſe. *Thren. 3. 26. & 27.*

ARGVMENTVM.

DIVINVS Pſalmographus cùm vniuerſos ad Dei laudem verbis excitaſſet: *Ecce nunc benedicite Dominum omni ſerui Domini:* mox ipſos Dei ſeruos in duos ordines diſcreuit, ſubdens: *Qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri.* Per ſtantes in *Domo Domini,* intelligens Sacerdotes: per ſtantes *in atrijs*, Leuitas & populum. Myſticè verò, baptizati ſtant in domo Domini, quæ eſt Eccleſia, Catechumeni hærent in atrijs. In Monaſticâ Republicâ, & præſertim Benedictinâ (cui proprium Deo iugiter benedicere, & operi Dei diu noctuque vacare) duplicis quoque generis reperiuntur Dei ſerui; alij votorum ſacramento adſtricti, & iam ciuitate donati, ſtant in domo Domini, ſtabilitatis voto, & ſalutari perſeuerantiâ, diuinis laudibus occupati. Alij Monaſticæ vitæ *Candidati*, conſiſtunt in atrijs domus Dei noſtri, pulſantes, rogantes, & exſpectantes, vt intromittantur. De prioribus illis cùm ſuperiore libro iam pertractatum ſit, his poſterioribus quartus hic liber de induſtriâ reſeruatus; vt ſicut ille

Pſalm. 133.

Monaſticen profeſſi ſtat in domo Domini.

Candidati in atrijs.

Monasticen professorum, ita hic profiteri anhelantium mores qualitatesque explicaret.

In Seminario Religiosis plantatur & excoluntur.

A *Cœnobio* itaque digressi, liberiorem captantes aërem, proximum hoc nouellæ plantationis contemplabimur SEMINARIVM; in quo candidatam plebem Monasticæ pietatis duplici ordine distinctam diligens informat Pædagogus: partim enim rudem *Puerorum* infantiam, partim recentes recedentesque à sæculo *Tironum* animos salutaribus imbuit disciplinis. SEMINARIVM iure dixerim, quo nomine significatur locus subactus, in quo semina, aut vitium aut arborum panguntur: vt cùm ad certam quantitatem excreuerint, in vinetum, vel arbustum, vel pomarium transferantur. Quo sensu Columella dixit: *Qui vineam vel arbustum constituere volet*, Seminaria *priùs facere debebit*. Hinc sumptâ metaphorâ, Collegia Puerorum ediscentium, Concilium Tridentinum *Seminaria* appellauit. Quidni ergo & nobis locum eum, in quo *Pueri*, & *Nouitij*, tamquam nouella germina pietatis plantati, primis Monásticæ vitæ rudimentis imbuuntur, vt inde educti edoctique in Religiosi status pomarium transferantur, *Seminarium* liceat nuncupare? Hæc epigraphes ratio huius libri, quem in VIII. *Tractatus* diuidimus. *Primus*, agit de Pueris. *Secundus*, de receptione Nouitiorum. *Tertius*, de eorum probatione. *Quartus*, de Magistro. *Quintus*, de Professione. *Sextus*, de votorum explicatione. *Septimus*, de voto Paupertatis. *Octauus*, de Ritibus Professionis, eiusque renouatione. Quibus Tractatibus Regulæ nostræ Capita decem illustrantur, nimirùm, XXX. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXVII. LV. LVIII. LIX. LX. LXI.

Seminarium, quid?

Columel. lib. 10. de arbor. c. 1.

Trid. sess. 23. cap. 18.

TRACTA-

PÆDAGOGIVM.

TRACTATVS I.

DE PVERIS.



FAS *mihi sit iisdem verbis, quibus S. Petrus Damiani* Puerorum *olim exorsus est admonitionem, & hûc inchoare Tractatum.* Quia, *inquit*, totum sancti huius Cœnobij corpus, velut extensis quibusdam fraterni amoris vlnis amplectimur, ratum ducimus, ipsa quoque ætatum momenta distinguere, & tanquam congruentia quædam admonitionũ indumenta singulis quibusque membris aptare. *Descriptis igitur superiori libro Cœnobitarum officijs, nunc ad* Pueros, *qui primùm in Candidatorum ordine occurrunt, sermonem conuertimus, ijsq; hoc Tractatu veluti* Pædagogium *construimus. Quemadmodum autem, vt Clemens Alexandrinus ait,* Pædagogia *est ἡ παίδων ἀγωγὴ, hoc est,* Puerorum eductio: *&* Pædagogus, *qui* ducit Pueros ad Salutarem vitæ agendæ rationem; *ita* Pædagogium *est locus, vbi Pueri instituuntur, Schola, vel ludus Litterarius. Demosthenes: τὸ παιδαγωγεῖον χωρῶν. Plutarchus: ἐκ τοῦ παιδαγωγείου ἀπεπήδησεν. Plinius Iunior:* Puer in *Pædagogio* mistus pluribus dormiebat. *Videbimus proinde, quid circa* Pueros, *qui olim Solemni ritu Ordini nostro offerebantur, aut in eo ad tempus educabantur, potissimùm consueuerit obseruari. Quod Disquisitionibus octo absoluimus.* Prima *quærit, Conueniátne Pueros ad Religionem admitti?* Secunda, *Liceátne Parentibus Pueros Monasterijs offerre?* Tertia, *Quoto ætatis anno Pueri Monasterijs oblati?* Quarta, *Quo ritu Pueri in Monasterijs fuerint oblati?* Quinta, *Quæ obligatio in Puero ex Parentum oblatione?* Sexta, *Qualis olim Puerorum disciplina?* Septima, *Quid de Puerorum alimentis statutum?* Octaua, *Vt punitæ Puerorum culpæ?*

Petr. Dami. opusc. 13. cap. 10. — *Quid Pædagogium.* — Clem. Pædag. lib. cap. 5. & 7. — Demosth. in Corno. — Plin. lib. 7. Epist. 27.

DISQVISITIO I.

Conueniátne Pueros ad Religionem admitti?

S. Benedictus Pueros ad Religionem recipit.



SVPPONIT B. P. BENEDICTVS nullam ætatem non aptam esse Christo, ideoq; non tantùm adultos, sed & paruulos ad *Scholam Dominici seruitij*, & iugum Monasticæ disciplinæ admittendos. Quamobrem peculiariter agit de *Pueris minori ætate*, quomodo recipiantur, educentur, & corrigantur. Quia verò dubitari posset, an in re tanti momenti, quanta est perpetuò se diuino cultui mancipare, prouectior ætas, & iudicij maturitas non requiratur; vtiliter hîc disquiremus, num meritò etiam Infantes & Pueri ad Monasticen recipiantur.

Reg. c. 33. — *Quinam tractent de ijs.*

Quæstionem hanc tractarunt S. Basilius in *Regulis fusè disputatis*. S. Thomas in *Summâ Theologicâ*, & in Opusculo *contra retrahentes homines à Religionis ingressu*. Iacobus A Latomus, Theologiæ Doctor Louaniensis in Libello de *fide, & operibus, & votis Monasticis*: Cardinalis Bellarminus, Suarez: *tom. 3. lib. 5. de Relig. cap. 3.* Leonardus Lessius in disputatione de *statu vitæ deligendo*. Busæus in libro de *Statibus hominum*.

Basil. interrog. 15. — S. Tho. 2. 2. quæst. 189. & opusc. 17. cap. 3. — Iac. Lato. p. 2. cap. 10. — Bellar lib. 2. de Monach. c. 35. — Less q. 2. — Bus. in Monach. stat. cap. 5.

Sed rationum momenta vtrimque expendamus. Lutherus, *lib. de Votis Monasticis*, ait, non oportere viros admittere ad vota B Monastica, nisi post annum 70. vel 80. Similiter Confessio Augustana conqueritur, quod PVERI permittantur fieri Religiosi. Caluinus dicit, olim nefas fuisse ante annũ 60. admittere feminam ad votum cõtinentiæ. Petrus Martyr eandẽ querimoniã renouat. Probant ex illis verbis: *Adolescẽtiores viduas deuitâ.* Vel vt est in Græco, παραιτοῦ, &; *Volo iuniores nubere, matres familias esse*, &c. possumus addere duos veteres Canones

Hæretici negant iuniores posse vouere. — Conf Aug. art 27. — Caluin. lib. 4. inst. cap. 13. §. 19. — Petr. Mart. in lib. de vot. de cælib. — *Quibus argumentis.* — 1. Tim. 5.

PERSONÆ MONASTICÆ. nasterio, *Angelorum* dicto, in quo B. Magdalena de Pazzi vixit, P. Iacobus Laynez tempore S. Ignatij Soc. IESV fundatoris, apud Moniales introduxit.

Nicol. Lascelius de prof. in virt. c. 19. *Quid auctor sua dicat.* De profect. relig. lib. 2. cap. 77. *Vix posse certa prascribi regula circa frequentem usum S. Eucharistiæ.*

Neque tamen his generalem pro Religiosis non sacerdotibus regulam, aut viam sternere velim ad quotidianum augustissimi Sacramenti vsum. Nam, vt dixit S. Bonauentura, aut potiùs Dauid de Augustâ; *Vtrum sit melius, sæpiùs an rariùs corporis Christi suscipere sacramentum, videtur mihi quòd non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, & diuersa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus S. operationes in singulis, & diuersi etiam status in Religione. Et ideò sicut ægrotantibus non potest vna forma seruari in dandis medicinis corporis, propter diuersitates complexionum aut loci aut temporis, aut diatæ, vel aliarum considerationum, pro quibus aut rariùs, aut sæpiùs, aut maiori, aut minori quantitate, eadem medicina datur: ita & de medicinâ spirituali, quæ est corpus Christi, intelligendum.* Subdit post pauca: *Vix aliquis ita religiosus esse videtur & sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in septimanâ sufficiat ei ex consuetudine communicare: nisi specialis caussa quandoque, vel ratio plus suadeat.* Sic ille. Plura vide apud alios ista ex professo tractantes.

Sed alia hîc oritur quæstio.

Num ad Communionem accedendum feriâ sextâ Parasceues?

Franc. de temp. hor. cap. c. 30. *Videtur in Parasceue abstinendū à Communione.* De cōsecr. dist. 1. *Argumēta.*

FRancolinus censet non solùm à Missâ, sed etiam à Communione, omnibus omninò abstinendum, excepto sacerdote, qui eius diei officium peragit, & infirmis, qui pro viatico communicandi essent. Vrget quod in cap. *Sabbato* dicatur, *eo die sacramenta penitùs non celebrari*, quod intelligit tam de consecratione, quàm administratione voluntariâ & non necessariâ corporis Christi: nam morituris semper præbendum: Et quod Missale Romanum in rubricâ *Feria V. Cœnæ Domini* præscribat: *Hodie reseruat Sacerdos in loco honesto & conuenienti vnam hostiam consecratam pro die sequenti, in quo non conficitur; vel etiam plures si necesse fuerit pro infirmis.* Ex quibus verbis colligit, quod vbi necessitas non est, & pro non infirmis plures hostiæ non sunt reseruandæ. Contrà tamen scribit Amalarius; *Pro omnibus qui sequente die communicare volent, debet sacramentum in die Cœna Domini reseruari.* Ioannes Belethus duas reseruationis huius assignat caussas. 1. *Ne fortasse quispiam ex hac vitâ sine viatico discedat.* 2. *Quod illis tribus diebus, maximè omnes ij Religiosi, quibus necessitas est, debeant communicare.* Similia habet Gulielmus Durandus. Vnde in Ordine Romano antiquo in

Contra sentiunt veteres. Amal. l. 1. de Eccl. offic. cap. 11. *Amalarius.* Ioa. Beleth. Beleth. in Explic. diu. offic. c. 99. *Durandus.* Dur. li. 6. c. 75. n. 9. *Ordo Romanus.*

A *officio diei Parasceues*, in fine eius dicitur: *Et communicent cum silentio.* Magnus Gregorius in lib. Sacramentorum (vt refert Pamelius) dicit: *Communicet sacerdos & omnis plebs.* Nunc legitur: *Communicat ipse, & omnis Clerus, & fiant missæ.* Alcuinus: *Tunc communicant omnes cùm silentio, & expleta sunt vniuersa.* Theodulphus, Episcopus Aurelianensis ita statuit: *Singulis diebus Dominicis in quadragesimâ, præter hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœnâ Domini, & in PARASCEVE, in vigiliâ Paschæ.*

S. Gregor. Pamel. in Liturg. Latin. Alcuinus. De off. diuin. in Parasc. c. 18. Theodulph. Epist. ad Cōpresbyt.

B Ex quo videas non malè dixisse Franc. Suarez, olim non solùm non fuisse prohibitionem, sed potiùs oppositam consuetudinem; quæ sanè in Ordine nostro maximè retenta est, & pluribus locis etiam nunc viget. Regula Magistri, cùm feriam *Sextam Parasceues* præcepisset fine potu traduci, subiungit: *Sacramenta verò altaris in patenâ maiore vitreâ finiantur, vt cùm sextâ feriâ Iudæi ad passionem Christum quæsierint, sit ipso die mentibus nostris reclu-* C *sus, vt sabbata nobis per resurrectionem in nouo sacramenta appareat.* Quod intelligi de ipsâ die *Parasceues*, ex eo apparet, quia communione priuat, qui illo die voluerint cibum sumere.

Suar. to. 3. in 3. p. disp. 90. sect. 2. *In Ordine S. Benedicti floruit mos cōmunicandi in Parasceue.* Reg. Mag. cap. 53.

Et ita decreuerunt: S. Dunstan. Stat. Dunst. cap. 1.

Sed clarius id colligitur ex Statutis S. Dunstani, vbi ita dicitur: *In quâ Missâ* (Feriæ V.) *sicut & in sequentium dierum Communicatio præbetur, tam fratribus, quàm cunctis fidelibus, reseruatâ nihilominus eâ die Eucharistiâ, quæ sufficit ad communicandum cunctis alterâ die.* Posteà de Parasceue agens, D ait: *Communicent omnes cum silentio.* Et Lanfrancus feriæ V. officium describens, ait: *Tot hastiæ panantur ad sacrandum, quot sufficere possint ipso die, & in crastino ad communicandum: quatuor his diebus nullus à Communione se subtrahat, nisi subtrahendi rationabilis caussa subsistat.* Rursus feriâ VI. *Communicet se, & Fratres omnes, sine osculo pacis.* Boërius: *Communicant omnes generaliter tribus diebus Lamentationum.* Bursfeldenses: *His tribus diebus Missâ priuata non fiant: sed omnes ad dignè communicandum, de manu sacerdotis, se studeant dignè omni deuotione præparare.* Ceremoniæ Congregationis Val- E lisoletanæ, de Parasceue: *Sacerdos recipit sanctissimum sacramentum, dicens intra se quod Deus illi suggesserit, & statim communicant ministri & Conuentus.*

Lanfrancus. Lanfr. Decret. cap. 1. §. 4. Boër. ad c. 63. Reg. Bursfeldēs. Ordinar. Bursf. c. 35. *Vallisoletani.* Vallis. c. 50.

Ex his patet receptissimo more, in Ordine nostro, hoc die sacram Synaxim ab omnibus sumptam, quod & Suarez non putat esse prohibitum, & ad Francolini argumenta respondet, Innocentium cap. *Sabbato*, solùm loqui de Sacrificio: nam *celebrare Sacramenta*, non est propriè ministrare Eucharistiam, sed conficere:

Suarez supra. *Respōdetur ad argumēta in sententiā oppositā.*

conficere: Quod autem iubeatur feruari pro infirmis, non ideò eſt, quia illis ſolis licitè poſſit adminiſtrari; ſed quia illa fuit cauſſa maximè neceſſaria ſeruandi ſacramentum. Cùm igitur ex his fundamentis non ſatis probetur prohibitio; licitum erit per ſe loquendo, eo die communicare; nam cùm hoc ſit per ſe bonum, non eſt cur tamquam malum damnetur. Scribit nihilominus Gauantus, Sacram Rituum Congregationem die 19. Februarij ann. 1622. reſpondiſſe, *ſeruandam eſſe vniuerſalis Eccleſiæ præſentem conſuetudinem, non miniſtrandi, niſi infirmis, hac die Euchariſtiam*. An autem hæc declaratio Monachorum noſtrorum abroget conſuetudinem, alij diſpiciant, aut, quod optandum, ad ſacram Congregationem referant.

An S. Rituū Cōgregatio hoc antiquauerit. Gauant. cō. in Rubr. Miſſ. p. 4. tit. 9. n. 25.

DISQVISITIO IV.

Qualis Monaſterij Cellerarius eſſe debeat?

RELIGIOSÆ familiæ debitam gerens curam prudentiſſimus Pater BENEDICTVS, peculiari capite *Oeconomi*, ſeu familiæ adminiſtratoris, munus deſcripſit. Quod nomen ſpectat, vocat eum S. Pater CELLERARIVM: quæ vox occurrit apud Flodoardum, & Innocentium III. cap. *cum ad Monaſterium*. Et de præben. & dign. cap. *Dilecto filio*. Dicitur quoque CELLARIVS. Plautus:

Cellerarij nomen expenditur, qui & dicitur. Hiſt. Rhē. l. 1. cap. 12. Extra de ſtat. Monach. *Cellarius*, Plaut. in Captiu.

— *Prome quid vis, te facio* Cellarium.

Columella: *Vt cibus & potus ſine fraude à Cellarijs* præbeatur. Lampridius: *Mittebat paraſitis per* CELLARIOS *ſalaria annua*. Et L. *nominatim: Diſpenſator meus*, CELLARIVS *meus, Cocus meus*. Hinc Κελλάριος in Gloſſis Græco Latinis: & apud Heſychium, alióſque notatos in Gloſſario Meurſij. S. Dorotheus *Doct.* 11. *Typicum Sabæ*, & *Euchologium Græcorum* vocant Κελλαρίτην. Legunt aliqui *Cellararius*. Ita Regula Orientalis, Magiſtri, & Cuiuſdam ad Virgines; *Capitula Caroli Magni*, quæ ad Monachos propriè ſpectant, *concil. Aquiſgran. can.* 40. Editio prima Guidonis Iuuenalis aliquando *Cellararius*, aliquando *Cellarius* ponit. Periphraſi quidam circumſcribunt: Auguſtinus, eumque ſecutus Iſidorus: *Qui Cellario præponitur*. Baſilius: *Cui munus vel cura Cellarij commiſſa eſt*. Regula Orientalis: *Cuſtos Cellarij*. S. Columbano in Pœnitentiali dicitur *Oeconomus*, Vallisoleranis noſtris *Maior domo*. Regula Cæſarij, Aureliani, item Ternantenſis, *Promſoris* nomine inſigniuit, quod etiam nunc retinet ſacer Ordo Præmonſtratenſis. Carthuſiani, & alij nonnulli Ordines *Procuratorem* communiter vocant, quem Plautus *Procuratorem peni*, & *Promum condum*.

In Helioḡ. ff de manumiſſ. teſt. *Cellararius.* Reg. Mag. cap. 16. Tom. 2. Conc. Gall. anno 787. Aug. reg. c. 34. Reg. Iſid. c. 20 Baſ. reg. breu. 147. & 148. *Promſor.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

Sed ſatis de nomine, nunc eius expendamus officium: quod quidem S. BENEDICTVS tam accuratè expreſſit, nihil vt ei deeſſe videatur. Vnde in Concilio Francofordienſi ſtatutum, *Vt Cellarij in Monaſterijs auari non eligantur: ſed tales electi ſint, quales Regula* S. BENEDICTI *docet*. Prudenter igitur Lanfrancus decreuit, hoc ipſum Regulæ caput ei prælegendum & exponendum, cùm id munus ei primùm imponitur. Vult autem S. BENEDICTVS, vt, *Cellerarius Monaſterij eligatur de congregatione*: id eſt, vt non conſtituatur ex ordine, ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam, ac ſpiritualium donorum prærogatiuam, & induſtriam in rebus temporalibus. Et iam olim non fortuitò aſſumptum, ſed electum, colligas ex Cypriano, auctore vitæ S. Cæſarij Arelatenſis, qui ait: *Poſt breue tempus in congregationis* Cellarium *eligitur*. Et Fructuoſus Epiſcopus: *Eligatur* Cellerarius *bonæ patientiæ probatus, quem communis elegerit collatio, & ab omni excuſetur monaſterij ſeruitio, & coquinæ officio.*

Procurator. Cellerarij officium accuratè S. Benedictus deſcribit. Conc. Frāc. can. 13. Stat. Lanf. cap. 9. *Eligendus domeſticus.* Reg. c. 31. *Qualis.* Reg. Fruct. cap. 6.

Eligendus eſt autem, vt præſcribunt Caſinenſes, *à Prælato, de conſilio ſeniorum*. Non igitur à Congregatione, ſed de congregatione eligatur: vt intelligas excludi laïcos, vel etiam Sacerdotes ſæculares, de quibus Benedictus XII. *Vt viam ſcandalis præcludamus, prohibemus expreſſè, ne in Eccleſijs vel Monaſterijs, ſeu locis alijs conuentualibus eiuſdem ordinis ſeu religionis, Clerici ſæculares; vel laïci, ſeu alterius Monaſterij Monachi, vel Religioſi alterius religionis, ad victum Monachi miniſtrandum de cetero deputentur.*

A quibus. Caſin. in cap. 31. *Laïci & ſacerdotes ſæculares non poſſunt eligi in Cellerarios.* Benedictin. c. 18

Solenni autem ritu non ſecus ac Priores, olim conſtitutos *Cellerarios*, ex vetuſto Monaſterij noſtri Rituali manifeſtum eſt, in quo ita præſcribitur: *Cellerarij officium in capitulo committitur ab Abbate. Is cùm nominatus fuerit, expleto capitulo tendit ad gradum Presbyterij, ibique facto ante & retro, dicit hunc verſum*: Deus in adiutorium meum intende, &c. *quem cum tertiò repetierit, & conuentus toties eumdem reſponderit, dat ei Abbas benedictionem cum conſuetis precibus & Collectâ*: quæ exſtat in *Collectario Burſfeldenſi*: Vbi pariter legas ritum, quo ab eo officio abſoluitur.

Ritus priſcus conſtituendi Cellerarium cum Benedictione. Rit. Afflig. p. 3. c. 15.

Cura illius multiplex à S. BENEDICTO accuratè deſcribitur; 1. enim ſibi ipſi, deinde Abbati, 3. fratribus hoſpitibus, alijſque, 4. rebus Monaſterij attendere, & intendere debet.

Quæ ipſi facienda incumbant.

PRIMO autem, hoc erga ſeipſum ſeruet, vt declinet vitia à S. P. enumerata,

PERSONÆ MONASTICÆ.
I.
Vitia fugiat qualia sunt
Cap. 31.
Edacitas.
Mag in Reg. ca. 16.
Cæsar. reca. pit. reg. Sanctim. oum. 10.
Elatio & superbia.
Commotio, & pronitas ad conuitiandum.
Tarditas in dandis necessarijs.
2. Cor. 9.
S. de verb. signif. l. 51. cau.
Prodigalitas.
Regulæ locum elustratur.
Cap. 61.
Quid sit Stirpe.
Itali ex & verbis quibusdam demunt.
Amb. l. 2. in c. 10. Luc.
Ca. Car. M. anno 789. can. 81.

& designatas ab eodem habeat virtutes. A Vitia sunt hæc: vt, *Non sit multùm edax:* quod vel ideò ei inculcandum, quia cùm esculentorum & poculentorum curam gerat, facilior ei occasio, & delinquendi in his materia. Hinc Regula Magistri: *Cellarius ordinetur, quem numquam vincit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multùm amat manducare, aut bibere.* S. Cæsarius Arelatensis totum hoc caput mutato genere repræsentans, habet hîc: *Non multùm audax*, quâ voce id ipsum ei prohiberi crediderim, quod posteà sequitur: *Sine* B *iussione Abbatis nihil faciat.* Præterea, *Non sit elatus*, ob amplitudinem commissæ sibi potestatis, in rebus præsertim temporalibus. Ptonum enim est, vt domınos se, non administratores temerè existiment. Deinde, *Non turbulentus*, subitâ irâ percitus, aliosque conturbans. *Non iniuriosus*, ad iniurias & contumelias inferendas pronus. Notat Menardus Victorinum cod. M. S. P. legere, *Non iurgiosus.* Non contemnenda prorsus lectio: nam multarum rerum administratori non deest iurgiorum C occasio. *Non tardus*, ne conuentum aut Fratres remoretur, & si quid ab eo petatur, ne extortum potiùs quàm exhibitum videatur, adeoque Fratres contristet. *Hilarem* autem *datorem diligit Deus.* Et quemadmodum, bis dat, citò dat; ita *minus soluit qui tardiùs soluit.* Quò spectat illa capitis huius clausula: *Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt: vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei. Non prodigus*, id est, nimis largus, profusus, consumptor & dilapidator, siue D vt posteà subdit; *Stirpator substantiæ Monasterij.* Pro quâ voce alij Lariuiorem substituerunt, *extirpator*, & Cæsarius Arelatensis in feminino, *extirpatrix:* Regula Solitariorum hæc repræsentans, retinet *Stirpator*, prout Regula Donati, *Stirpatrix.* Matthias Martinius in Lexico Philologico ex veteri Onomastico ait; *Stirpo* Latinum esse inusitatum, sed Catholicon explicare, vt idem sit quod euello, eradico. Italis *Stirpatore* est eradicator, euulsor stirpium; familiare enim eis est particulam *Ex*, siue *es*, omittere: hinc illis *scusare*, idem quod *excusare*: *scommunicare* idem quod *excommu*- E *nicare.* In citato Onomastico *Stirpix*, & *Stirpices*, qui stirpes effodiunt, radicum sectores & collectores. Ambrosius: *Nunc sole torrere, nunc imbre perfundere, nunc Stirpate agrum, ne à sentibus gemma lædatur, ne luxuriet vmbra foliorum.* Capitulare Caroli Magni: *Nec in siluis stirpare, vel arbores cadere.* Hæc de voce. Vraurem vitium eà indicatum euitetur, curandum vel maximè, ne annui fumptus Monasterij tedirus excedant: quinimo, non totum expendendum,

Auaritia non studeat Cellarius.
Virtutes Cellario necessariæ.
Casin. ad c. 11. n. 2.
Nō immergat se temporalibus.
Cerim. Bursf. dist. 2. c. 5.
Frequentet exercitia regularia.
Stat. Guig. cap. 16.
II. Nihil faciat sine licentia Prælati.
Sapius cum eo conferat.
Reg. Fruct. cap. 11.
Dati, accepti que rationem red. dat.
Declarat. num. 4.
Num. 7.

vt pauperibus Christi, & fortuitis casibus opportunè occurratur. Sed vt liberalitas inter vtrumque media, ita alrerũ extremorum pariter vitandum, vt, *Neque auaritiæ studeat*, in quam procliuis *Cellerariorum* solet esse lapsus. Vt erat illius, qui iubente S. BENEDICTO, parum quod reliquum in cellario erat olei, Agapito Subdiacono dare distulit, de quo vide quæ ad *cap. 28. n. 2. vitæ* S. BENEDICTI annotauimus. Et hactenus qualis *Cellerarius* esse non debeat.

Videndum nunc qualis esse debeat. *Sapiens*, inquit Legislator, *maturus moribus, sobrius, timens Deum, qui omni congregationi sit sicut Pater. Animam suam custodiat.* In quæ verba Casinenses: *Cellerarij non sic se immergant temporalibus, quin vacent spiritualibus: sed sic transeant per bona temporalia, ne amittant æterna.* Similiter Bursfeldenses: *Cellerarius quamuis exemplo Marthæ, circa multa solicitari & turbari necesse habeat, non tamen se prorsus à conuentualibus alienare, aut silentium & quietem cellæ penitus abijcere, & abhorrere: sed potius quantum sinit opportunitas, necessarijs expeditis, ad opus Dei & conuentum, sed & ad cellam, quasi ad quietissimum & tutissimum portus sinum recurrat, vt legendo, orando, meditando, turbulentos animi sui motus, ex cura & dispositione exteriorum surgentes, sedare possit, & spiritualibus consolationibus refrigerari.* quæ ex Guigonis Carthusiani statutis delibata sunt.

SECVNDO, quid Abbati debeat *Cellerarius*, exponit noster Paterfamilias: *Sine iussione Abbatis nihil faciat.* Rursumque: *Omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abbatis.* Vbi *iussio* idem est quòd licentia. Cassinenses in hunc locum, vetant, *Ne omninò fabricet intus aut extra monasterium, sine scitu vel voluntate Prælati sui. Ne arbores in possessionibus Monasterij incidat, aut incidi faciat.* Ne quid autem contra superioris voluntatem aliquando faciat, expedit omninò, vt crebro cum eo communicet, conferatque de rebus in officio suo occurrentibus, & statum domus explicare non negligat. Hinc Fructuosus Episcopus præscribit, vt, *quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium, rationem suo Abbati faciat, & hoc eum tremore & simplicitate, & verâ cordis humilitate, tanquam Domino redditurus rationem.* Casinenses conformiter præscribunt, vt quilibet Cellerarius computa, rationes, debita, & credita Monasterij quater in anno, hoc est, per singulos quosque tres menses, ostendat Prælato, & Superioribus. *Expensæ verò quotidianæ ab Abbate singulo quoque mense videantur, vnà cum Diurno à Cellerario conscripto.* Addit denique S. P. BENEDICTVS, *omnia quæ ei iniunxerit Abbas; ipse habeat sub curâ suâ:*

Cellarij potestatē Abbas limitare potest.

suâ: à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Ex quibus colligas licere Abbati ex auctoritate Regulæ, *Cellerarij* potestatem aut ampliare, aut restringere; plura ei, aut pauciora, prout viderit expedire, committere. Consulit Boerius; vt *Abbas, quando committit officium istud alicui fratri, scripturam faciat, in quâ distinctè contineantur quæ eidem committit.* In his autem quid maximè satagat, nisi, vt, sicut scriptum est, sit *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Si fidelis*, inquit Bernardus, *non fuerit, fraudabit: si non fuerit prudens, fraudabitur.*

Bern de cō. sid. l. 4. c. 6.

III. *Cellarius fratrū curam solicitè gerat.*

TERTIO, considerandum quid fratribus debeat. Legislatorem audiamus: *Omni Congregationi sit sicut Pater. Curam gerat de omnibus.* Nullum ex fratribus negligat: sed æquali affectu omnibus se impendat: maximè autem *Infirmorum infantum, hospitum, pauperumque cum omni solicitudine curam gerat.* Quod si in his angitur, & turbatur erga plurima, solatur eum S. Bernardus, dicens: *Quotiens pro vno ex minimis spirituale studium interponit, totiens pro eo spiritualiter ponit animam suam.* Præscribitur illi deinceps: *Fratres non contristet.* Quæris in quo? casum ponit: *Si quis frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget.* Meritò dicit, *cum humilitate*: quis enim à superbo & arrogante benignum expectet sermonem? Vnde postea id ipsum inculcans, ait: *Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum.* Sed quid præterea ei præstandum? *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel morâ offerat, vt non scandalizentur.* Quid verò hîc typus? Smaragdus ait: *τύπος græcus sermo est, quem nos figuram dicimus seu formam. In typo enim res declaratur ex rebus, & exterius interiora monstrantur. Nam & typus herba dicitur, quæ se ab aquâ inflat. Vnde etiam ambitiosorum & sibi placentium tumor, typus vocatur.* Quæ desumpta ex Papiâ. Cardinalis Turrecremata: *Sine aliquo typo*, id est, sine tristitiâ, aut, tumore verborum, aut murmure, cum indecenti formâ verborum. Quam interpretationem miratur Perez; additque: *Typos* dictionem esse græcam significantem idem quod interuallum, desumptâ etymologiâ à quadam periodicâ febri, quæ per certa temporum interualla ingruit, quæ dicitur *typus*, prout videre licet apud Isidorum: & ideo *annonam sine typo offerre*, idem esse ac sine interuallo statutis horis offerre. Verùm legendum putauerim: *Sine typho.* τῦφος enim Suidæ est, ἀλαζονεία, μανία,

Idē Serm. 3. de Assumpt. B. Mar.

Neminem proteruè reijciat, etiā malè petentem.

Sine typo annonam offerat.

Smaragd. in cap. 31. Reg. S. Bened.

Quid typus hoc loco? Variant Interpretes.

Turrec. tract. 90.

Isid. 4. Etym. c. 7.

Videri legēdum, sine typho, id est, superbiâ.

A *arrogantia, furor.* Arnobius *Mentis elatio & typhus qui appellatur à Græcis*, Augustino frequens & vsitata vox pro fastu. *Quid non audeat*, inquit, TYPHVS *morticinæ pelliculæ, quò non se præcipitet præsumptio carnis & sanguinis?* Item *Oblationes prosperitatibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias, non sint sumptuosæ: atque omnibus petentibus sine* TYPHO, *& cum alacritate præbeantur.* Alibi quoque eâdem significatione: *Cùm per hoc tumescit* TYPHO *& morbo inflationis extollitur.* B Alio loco: *Nos tamen has duas angelicas societates, vnam fruentem Deo, alteram tumentem* TYPHO, *&c.* In quem locum Ludouicus Viues: τῦφος superbia est, & *Typhonem* pro dæmone ignito vsurpant Græci; à τυφόομαι, superbio, & τύφομαι, comburo, fumo. Maluit Græco verbo Augustinus vti, quàm Latino superbiæ & arrogantiæ, & iactantiæ, Sed generalius est Græcum illud, & multum habet virium: erat etiam vocabulum illius sæculi, quo vtitur Philippus Presbyter in Commentarijs lib. Iob. Hæc ille. Inde deduci C videtur *Typhon* ventus, de quo Act. 27. *Ventus Typhonicus, qui vocatur Euro aquilo.* Monet Spiegelius, quod non rarò scriptum reperitur, pro *Typhus*, sine aspiratione *Typus.* Vt apud Gregorium: *Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit.*

PERSONÆ MONASTICÆ.

Arnob. l. 2.

Quæ vox in eā signi-ficatione probis scriptoribus vsitata.

August. Epist. 48.

Id. Epist. 61.

Cont. Iulian. l. 4. c. 3.

Lib. 21. de ciuit. c. 33

Vnde typhus deriuetur.

Quidam scribant typus, pro typhus.

Greg lib. 6. epist. 28.

QVARTO, Bonorum Monasterij, & vniuersæ supellectilis curam gerat *Cellerarius.* Hinc Legislator: *Omnia vasa Monasterij cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Non poterat accuratius exactam vtensilium curam inculcare, D quàm si ea Deo consecrata diceret. Nec vnus, nec solus in hoc sensu fuit: Præcesserat Basilius quærens: *Quomodo qui opus faciunt, curam gerere debeant eorum quæ sibi credita sunt?* Respondet: *Vt eorum quæ dedicata & consecrata sunt Deo.* Vnde mox subdit: *Qui ijs abusus fuerit, aut amiserit; tanquàm sacrilegij auctor indicator.* Vnde alibi monet: *Diligentiam in omnibus vel vtendis, vel conseruandis eam adhibere, quam in Dominicis rebus adhiberi par sit.* Cassianus de Orientalibus Monachis: *Credunt se pro mi-* E *nimis quibusque vasis, tamquam pro sacrosanctis rationem non solùm dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros, si fortè aliquid ex eis negligentiâ eorum fuerit imminutum.* Nec contrarius ei Prosper: *Possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt Sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei: quoniam si vestes, ac vasa cetera, quæ in sacris vsui ministrantibus erat, sancta vocabantur: nec in vsus humanos reuocari iam poterant, diuinis semel ministerijs consecrata: Quomodo non ea quæ conferuntur Ecclesiæ, sa-*

IV. *Cellarius bona Monasterij, vt res Deo sacratas tractet.*

Basil. reg. breu. 143.

Plures idipsum iterarunt.

Idem epist. ad Canonicam.

Cassianus. Cassian. l. 4. cap. 19.

Prosper. Prosper de vit. contēpl. l. 2. cap. 16.

cra

PERSONÆ MONASTICÆ.

Antiochus. Antioch. homil. 88. *Regula plurium Patrum.* Reg. Macar. c. 12.

tra credenda sunt? Quibus non vt seculi rebus luxuriosè, sed sanctè, vt Deo consecratis vtuntur ad necessaria Sacerdotes. Antiochus: *Quæcumque monastica sunt mansionis, Deo consecrantur, tamquam ea quæ offeruntur illi.* Hinc in Regulâ Macarij, Paphnutij, & aliorum: *Nosse debent fratres, quia quidquid in monasterio tractatur, siue in vasis, vel ferramentis, vel cetero omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractauerit, partem se habere nouerit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis.*

Oeconomus nihil negligat.

B Et hæc testimoniorum nubes satis erit ad persuadendum *Cellerario*, vt, quod S. BENEDICTVS ait: NIHIL DVCAT NEGLIGENDVM. Nihil, inquam, neque animam suam, quam debet custodire; neque officium, quod debet adimplere; neque fratres, quos non oportet contristare; neque vasa Monasterij, quæ vt Deo sacra conseruanda. Verùm & hic cauendum, *ne quid nimis.* Monet enim S. Dorotheus, eum qui administrandi penu curam habet, seu Cellariæ; *Ne nimium afficiatur rebus materialibus Monasterij; & si quid*, ait, *per neglectum aut fortè per inuersionem fractum fuerit, aut perditum, nè angaris, ne crucieris, aut sollicitudine quadam nimiâ premaris. Hoc autem facias, non vt contemptor vasorum, & rerum Monasterij, (nam totis viribus res monasterij curare debes) sed vt teipsum ab omni perturbatione, & tumultu immunem, tranquillùmque conserues. Ostende Deo semper quidquid potes: Hoc autem rectè agere poteris, si administraueris res monasterij, non vt proprias & peculiares, sed vt Deo subiectas. Harum rerum profectò cura tantùm tibi credita est. Alterum quidem efficiet, nè nimiùm (vt dixi) rebus afficiaris. Alterum verò nè prorsus contemnas. Si verò hanc animi considerationem, & scopum non habueris; numquam à perturbationibus, & anxietatibus quiesces, neque alios quiescere permittes.*

Doroth. serm. 15. *Sine excessu tamē nimia & noxia solicitudinis.*

C

D

DISQVISITIO V.

De Ostiario Monasterij.

E VT cum vrbanitate, & quâ decet morum honestate, ex hoc COENOBIO egrediamur, *Ostiario* denique valedicamus; & eius officium à S. BENEDICTO descriptum nonnihil expendamus. *Ad portam*, inquit, *Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum & reddere.* Quod autem ait, *Ad portam*; hinc colligas ex Legislatoris mente, vnam, non plures in Monasterijs constituendas portas: quod & à Iustiniano Lege decretum: *Volumus non plurimos esse in Monasterium ingressus, sed*

Reg. c. 66. *Vnam fuisse in Monasterys portam, non plures innuit S. Benedictus.* Iustin. Nouell. 133. cap. 1.

A *vnum, aut secundum fortè: & adstare ianuæ viros senes & castos, & testimonij boni ex omnibus, qui quidem neque reuerendissimis Monachis concedant sine Abbatis voluntate exire Monasterium, &c. Sitque cautissimâ maceriâ munitum Monasterium, vt nullus exitus aliundè, nisi per ianuas sit.*

Quod verò requirit, vt sit *senex sapiens*, intelligunt Casinenses, *non tam ætate, quam moribus.* Et ante illos Smaragdus: *Non ætas in Portario quærenda est corporis, sed sapientia & intellectus. Hinc namque per sapientem dicitur: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata, Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Meliùs tamen, nostro iudicio, Bernardus Cassinensis apud Boërium, *senem* hunc intelligit *annosum, siue veteranum*, additque: *Si non potest talis annosus haberi, habeatur sapiens & maturus.* Quæ explicatio confirmatur ex eo, quòd S. BENEDICTVS subiungat: *Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.* Alter proindè eius respectu, ætate prouectior esse debet. Vnde Regula Magistri: *Duobus fratribus ætate decrepitis cella intro regios* (id est ianuas) *Monasterij constituatur.* Et mox: *Qui senes, vt superiùs diximus, pro honore ætatis, cum Abbate manducent.* Et Regula Cuiusdam: *Portarij, seu Ostiarij esse debent ætate senili.* Duas porrò *Ianitoris* qualitates S. BENEDICTVS expressit. Prior, vt sit *sapiens*, altera, vt *Maturus.* Ad *sapientem* pertinet, quod sequitur, *vt sciat accipere responsum & reddere. Maturi* officium est, *vt maturitas eum non sinat vagari.* In Regulâ Cuiusdam præscribitur Ostiarijs, *Ex præsentibus pompis nil desiderent; sed toto cordis affectu Creatori inhærentes, singuli dicant:* Mihi autem adhærere Deo bonum est. *Sint mentis statu firmissimi, vt Domino cum Prophetâ orando dicant: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem in viâ tuâ viuifica nos.*

Ostiarius sit senex. Smaragd. id c. 66. reg. Sap. 4. *Moribus & ætate, vt quidam rectè volunt.* Reg. Magist. c. 95. Reg. Cuiusdam cap. 3. *Duæ Portarij qualitates.* Cap. 3. Psal. 72. Psal. 118.

Vide autem quàm accuratè, & ad minimum vsque punctum, *Ianitori* S. BENEDICTVS suggerat, quid vnicuique attentâ personarum qualitate respondendum. *Mox*, inquit, *vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit*, Deo gratias *respondeat, aut Benedicat.* In quæ verba Smaragdus: *Elegantèr hic duas venientium B. posuit* BENEDICTVS *personas: vnam potentis, qui si ianuam monasterij inuenerit clausam, manu vel fuste pulset eam: aliam verò pauperis posuit personam, qui non pulsat, sed tantùm humiliter ad ianuam clamat. Quibus & satis apta à Portario respondendo composuit responsa: Videlicet, vt voce pauperis auditâ, Deo gratias agat: Potenti verò occurrens obuiam, humiliter ob eo benedictionem petat.* Vnde in contextu Concordiæ Regularum, pro

Modus respondendi diuitibus & pauperibus à S. Benedicto aptè expressus.

Quid intelligat hic per Benedicat.

pro *Benedicat*, legitur, *Benedic.* Proinde τὸ, *Benedicat*, accipiendum τεχνικῶς: nimirum vt, sicut respondet, *Deo gratias*, respondeat similiter, *benedicat*, scilicet me Paternitas vestra, siue: *Benedicite Pater*, inquit Turrecremata. Prorsus ex mente S. BENEDICTI præscribentis, vt si quis obuiauerit, aut viderit hospites, salutet humiliter, *& benedictionem petat.* Itemque: *Vbicumque sibi obuiant fratres, iunior à priore* benedictionem *petat.* Addit Boerius, *Benedicere* hîc poni pro, *bona verba dicere*: vt dicat pulsanti: *Benè veneritis*: vel, *Benedictus Deus, qui vos huc misit.* De formulâ dicendi *Deo Gratias*, actum suprà.

Turrec. tr. 241. — *Cap. 53.* — *Cap. 63.* — *Tract. 4. disp. 7.*

Quo adfectu Ostiarius responsum reddet. *Cap. 66.*

Quo autem spiritu & animi adfectu oportet responsum reddere, spiritualis vitę Magister subdit: *Cum omni mansuetudine timoris Dei, reddat responsum festinanter, cum feruore charitatis.* Requirit igitur mansuetudinem, benignitatem, affabilitatem, ex fonte timoris Dei scaturientem. Festinationem deinde, diligentiam, sedulitatem & feruorem, quæ de radice charitatis procedant. Vtiliter igitur ad portam constituti illam Ecclesiæ frequentabunt precem: *Sancti nominis tui Domine*, Timorem *pariter, &* Amorem *fac nos habere perpetuum, quia numquam tuâ gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.* Hæc occasione verborum S. P. N. BENEDICTI. Quibus & hæc ex Regulâ Cuiusdam meritò adieceris: *Tale semper superuenientibus ostendant exemplum, vt & foris ab extraneis nomen Domini glorificetur; & intus à sodalibus suis mercedis præparet lucra. Foris aliquid dare, vel cuilibet ministrare, vel à foris aliquid accipere, nullatenus sine commeatu Abbatis præsumant. Fabulas, quas ad portam vel à sæcularibus, vel à quibuslibet audierint, vel intellexerint, nullatenus consodalibus suis referant.*

Cap. 3. Aedificet aduenientes. — *Nihil recipiat sine licentiâ.*

Claues ostiorum vel portæ nullo modo penes se retineant; sed ad Abbatem noctè deferentes præsentent, & manè post secundam recipiant. Sic semper Ostiarij agant, vt in omnibus Zelum Dei habentes, Regulæ tenorem conseruent; vt pro studij sui vel culturæ labore incorruptam recipiant mercedem.

DISQVISITIO VI.

Quid Solatia *in Regula* S. BENEDICTI?

Officiarijs quibusdam dandi adiutores.

EA est quorumdam officiorum moles, & erga plurima occupatio; vt vnus vix, aut ne vix quidem ferendo par esse queat. Hinc subsidiarij, adiutores, siue, vt in bello loquebantur, *Socij*, & *auxilia*, his talibus meritò assignantur. Quod sanè Regula nostra, discretione præcipua non prætermisit, in quâ peculiari phrasi SOLATIA nuncupantur; de quibus generatim ita decernit: *In omnibus officijs Monasterij ista sit consideratio, vt quando indigent,* SOLATIA *accommodentur eis.* Peculiariter autem iubet exhiberi, 1. Cellario: *Si congregatio maior fuerit,* SOLATIA *ei dentur: à quibus adiutus & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum.* 2. Septimanarijs coquinæ: cùm autem decreuit, vt *nullus excusetur à coquinæ officio, quia exindè maior merces & charitas acquiritur*, statim subiungit: *Imbecillibus autem procurentur* SOLATIA; *vt non cum tristitiâ hoc faciant sed habeant omnes* SOLATIA, *secundùm modum congregationis aut positionem loci.* 3. Fratribus coquinæ Abbatis deputatis, *quibus*, inquit, *vt indigent*, SOLATIA *ministrentur, vt absque murmuratione seruiant.* 4. Portario; de quo ait: *Qui portarius si indiget* SOLATIO; *iuniorem fratrem accipiat:* Vbi clarè videmus *Solatium* pro homine, & auxiliatore accipi. Notandum autem quo fine à S. P. *Solatia* officialibus assignentur: nimirum, vt æquo animo, sine tristitiâ, & murmuratione, officio suo fungantur.

S. Benedictus solatia vocat. — *PERSONÆ MONASTICÆ.* — *Cap. 31.* — *Cap. 31.* — *Quibus ex iniunctis.* — *Cap. 35.* — *Cap. 35.* — *Cap. 66.* — *Quo fine.*

Sed & alijs eo sæculo, aut circa; *Solatij* vocabulum hac notione vsitatum. Faustus Reiensis: *Vtinam prouideat Dominus vel duo fida* Solatia, *cum quibus diurnas & nocturnas exigas functiones, & vel biduo in septimanâ salutantium fruaris officijs.* Cæsarius Arelatensis: *Ancillam propriam nulli, nec etiam Abbatissæ liceat in seruitio suo habere, sed si opus habuerit, de iunioribus in* Solatium *suum accipiat.* Gregorius Magnus: *Vt homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in eius debeant transmittere solatium.* Idemque, vt suprà vidimus Præpositum Abbatis, *Solatium* appellauit. Quod & in Ferreoli Regulâ inuenitur. Iornandes: *In Mondunis* Solatia *veniens Illyricianum exercitum demoliuit.* Regula Tarnatensis: *Vbi vtilitas poposcerit*, Solatium *non negetur.* Regula Magistri: *Ne perambulante* Solatio *Laico* (viæ collegam antè dixerat) *nescientes fratres in multifariam separentur semitam.* Frequentior vsus apud eos, qui S. BENEDICTI Regulam sequuntur. Regula Conuersorum Cistertiensum: *Magister infirmarius in coquinâ suâ cum omnibus* Solatijs *loquatur, stans, & sedens, &* Solatium *cum eo. Si necesse fuerit pro aliquo graui infirmo, etiam post Completorium loqui permittatur tam ipsi infirmo, quam* Solatijs *propter eũ.* Hinc in vsu Cistertiensi Sacrista, Cãtor, Cellerarius, & Portarius suum habent *Solatium.* Eademque vox aliquoties occurrit in Cerimoniali Bursfeldensi. A Benedictinis Præmonstratenses acceperunt, vt ex eorum constat statutis primarijs. Vetus Rituale nostrum hæc *Solatia* ferè ita exprimit: *Subcellerarius, Subarmarius, subsacrista.* Cerimoniale S. Iustinæ vocat *Socios*,

Scriptores, qui voce solatij hac notione vsi. — *Faust. Epist. 2. ad Felic.* — *Cæsar. in Reg. Sanctim. n. 4.* — *Greg. l. 10. Epist. 25.* — *Tract. 6. disq. 3.* — *Iornand de reb. Gothic.* — *Reg. Tarnat. c. 10.* — *Mag. c. 56.* — *Reg. Conuers. c. 3. Et Ordines, qui assignant eiusmodi socios.* — *Dist. 1 cap. 7. 8. 11. 12. 17.*

Cur iunior frater portario datur in solatium.

Considerandum autem S. Patrem decernere, *Iuniorem fratrem* in *solatium Portarij*: hac

PERSONÆ MONASTICÆ.

hac credo ratione, paulatim à minoribus ad altiora ascendant officia, & eorum expendatur aptitudo, vt qui in minoribus fuerint fideles, supra multa constituantur. A Senioribus itaque iam expertis humiliter discant & requirant, quæ officij sui sunt; dicente Moyse: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Et quod aptè dixit Iustinianus Imperator: *Zelus ad virtutem crescit, & maximè iunenibus, si cum senioribus constituantur: fiet enim Seniorum conuersatio, iuuentutis educatio perfecta.* Adde, quod iunioribus seniores confidentiùs quælibet agenda iniungant, quàm si iunior officialis *Solatio* se seniori verecundè imperet. Sunt etiam iuniores magis validi ad discurrendum, & di-

Deuter 31.

Iustin. Nouell. 5. c. 3.

A uersa onera subeunda, & congruus ordo requirere videtur, vt maioribus maiora committantur. Ad humilitatis tamen exercitium, & propter maiorem in iuniore industriam, aliasque pias considerationes, senior quandoque in auxilium potest deputari iunioris. Atque hîc maximè exercendum quod sanctissimus monuit Patriarcha, vt etiam *sibi inuicem obediant Fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum.* Proinde & hoc illis inculcandum, vt se mutuo strenuè iuuent: nec quæsitâ occasione B se subducant, vt alteri dumtaxat totum onus incumbat: & vt collegæ absentis officium præsens diligenter adimplere studeat.

Ob rationes potest senior dari in auxilium iuniori.

Reg. c. 71.

SIT
NOMEN DOMINI
BENEDICTVM
EX HOC
NVNC, ET VSQVE IN
SÆCVLVM.



MONA-

MONASTICARVM DISQVISITIONVM LIBER QVARTVS:

SEMINARIVM, SIVE DE PVERIS ET NOVITIIS.

Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ. Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſuper ſe. *Thren. 3. 26. & 27.*

ARGVMENTVM.



DIVINVS Pſalmographus cùm vniuerſos ad Dei laudem verbis excitaſſet: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini:* mox ipſos Dei ſeruos in duos ordines diſcreuit, ſubdens: *Qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri.* Per ſtantes in *Domo Domini,* intelligens Sacerdotes: per ſtantes *in atrijs,* Leuitas & populum. Myſticè verò, baptizati ſtant in domo Domini, quæ eſt Eccleſia, Catechumeni hærent in atrijs. In Monaſticâ Republicâ, & præſertim Benedictinâ (cui proprium Deo iugiter benedicere, & operi Dei diu noctuque vacare) duplicis quoque generis reperiuntur Dei ſerui; alij votorum ſacramento adſtricti, & iam ciuitate donati, ſtant in domo Domini, ſtabilitatis voto, & ſalutari perſeuerantiâ, diuinis laudibus occupati. Alij Monaſticæ vitæ *Candidati,* conſiſtunt in atrijs domus Dei noſtri, pulſantes, rogantes, & exſpectantes, vt intromittantur. De prioribus illis cùm ſuperiore libro iam pertractatum ſit, his poſterioribus quartus hic liber de induſtriâ reſeruatus; vt ſicut ille

Pſalm. 133.

Monaſticen profeſſi ſtant in domo Domini.

Candidati in atrijs.

PÆDAGOGIVM.

TRACTATVS I.

DE PVERIS.

FAS *mihi sit ijsdem verbis, quibus S. Petrus Damiani* Puerorum *olim exorsus est admonitionem, & hûc inchoare Tractatum.* Quia, *inquit*, totum sancti huius Cœnobij corpus, velut extensis quibusdam fraterni amoris vlnis amplectimur, ratum ducimus, ipsa quoque ætatum momenta distinguere, & tanquam congruentia quædam admonitionũ indumenta singulis quibusque membris aptare. *Descriptis igitur superiori libro Cœnobitarum officijs, nunc ad* Pueros, *qui primùm in Candidatorum ordine occurrunt, sermonem conuertimus, ijsq́; hoc Tractatu veluti* Pædagogium *construimus. Quemadmodum autem, vt Clemens Alexandrinus ait,* Pædagogia *est* ἡ παίδων ἀγωγὴ, *hoc est,* Puerorum eductio: *&* Pædagogus, *qui* ducit Pueros ad Salutarem vitæ agendæ rationem; *ita* Pædagogium *est locus, vbi Pueri instituuntur, Schola, vel ludus Litterarius. Demosthenes:* τὸ παιδαγωγεῖον χωρῶν. *Plutarchus:* ἐκ τοῦ παιδαγωγείου ἀπεπήδησεν. *Plinius Iunior:* Puer in *Pædagogio* mistus pluribus dormiebat. *Videbimus proinde, quid circa* Pueros, *qui olim Solemni ritu Ordini nostro offerebantur, aut in eo ad tempus educabantur, potissimùm consueuerit obseruari. Quod Disquisitionibus octo absoluimus.* Prima *querit, Conueniátne Pueros ad Religionem admitti?* Secunda, *Liceátne Parentibus Pueros Monasterijs offerre?* Tertia, *Quoto ætatis anno Pueri Monasterijs oblati?* Quarta, *Quo ritu Pueri in Monasterijs fuerint oblati?* Quinta, *Quæ obligatio in Puero ex Parentum oblatione?* Sexta, *Qualis olim Puerorum disciplina?* Septima, *Quid de Puerorum alimentis statutum?* Octaua, *Vt punitæ Puerorum culpæ?*

Pett. Dami. opusc. 15. cap. 10.

Quid Pædagogium. Clem. Pædag. lib. cap 1. & 7. Demosth. in Coron. Plin lib. 7. Epist. 27.

DISQVISITIO I.

Conueniátne Pueros ad Religionem admitti?

S. Benedictus Pueros ad Religionem recipit.

SVPPONIT B. P. BENEDICTVS nullam ætatem non aptam esse Christo, ideoq́; non tantùm adultos, sed & paruulos ad *Scholam Dominici seruitij*, & iugum Monasticæ disciplinæ admittendos. Quamobrem peculiariter agit de *Pueris minori ætate*, quomodo recipiantur, educentur, & corrigantur. Quia verò dubitari posset, an in re tanti momenti, quanta est perpetuò se diuino cultui mancipare, prouectior ætas, & iudicij maturitas non requiratur; vtiliter hîc disquiremus, num meritò etiam Infantes & Pueri ad Monasticen recipiantur.

Reg. c. 33.

Quinam tractent de ijs.

Quæstionem hanc tractarunt S. Basilius in *Regulis fusè disputatis*. S. Thomas in *Summâ Theologicâ*, & in Opusculo *contra retrahentes homines à Religionis ingressu*. Iacobus A Latomus, Theologiæ Doctor Louaniensis in Libello de *fide, & operibus, & votis Monasticis*: Cardinalis Bellarminus, Suarez: *tom. 3. lib. 5. de Relig. cap. 3.* Leonardus Lessius in disputatione de *statu vitæ deligendo*. Busæus in libro de *Statibus hominum*.

Basil. interrog. 15. S. Tho. 2. 2. quæst. 189. Et opusc. 17. cap. 3.

Iac. Lato. p. 2. cap. 10. Bellar. lib. 2. de Monach. c. 35. Less q. 2. Bus. tit monach. stat. cap. 1.

Sed rationum momenta vtrimque expendamus. Lutherus, *lib. de Votis Monasticis*, ait, non oportere viros admittere ad vota B Monastica, nisi post annum 70. vel 80. Similiter Confessio Augustana conqueritur, quod PVERI permittantur fieri Religiosi. Caluinus dicit, olim nefas fuisse ante annũ 60. admittere feminam ad votum cõtinentiæ. Petrus Martyr eandẽ querimoniã renouat. Probant ex illis verbis: *Adolescẽtiores viduas deuitâ.* Vel vt est in Græco, παραιτοῦ, *reijce*, &; *Volo iuniores nubere, matres familias esse*, &c. possumus addere duos veteres Ca-

Hæretici negant iuniores posse vouere. Conf Aug. art 27. Caluin. lib. 4. inst. cap. 13 §. 19. Pett. Mart. in lib. de voc. de cælib. *Quibus argumentis.* 1. Tim. 5.

PÆDAGOGIVM.
Concil. Rom. can. 10.
Greg lib. Epist 11.
Oeconomicæ Christianæ auctor hæreticus in eâdem sententiâ.

nones: Nam Concilium Romanum sub A Siluestro, prohibet velari Sanctimoniales ante annum 72. Et B. Gregorius vetat Sanctimonialem velari ante annum 60. Fuit quoque hæreticus quidam liber, titulo *Oeconomicæ Christianæ*, absque nomine Auctoris, impressoris, & loci, circa annum Domini 1525. editus, in quo Auctor censet, ne quis Monachus, Sanctimonialisue fiat ante annum ætatis trigesimum, vt refert Latomus eundem refutans. Citat autem pro se hîc Libellus Canonem de *ordinatione Sacerdotis*, quo olim B cauebatur, ne ante annum trigesimum ordinaretur Sacerdos: quòd ea ætas apta sit Magisterio, in quâ Saluator, & Præcursor publicè docere cœperunt.

Refutatur.
I.
Ex S. Scripturâ.
Thren. 3. 27.
Prou. 22.
Christus vetat Pueros à se ablegari.
Matth. 19.
Orig tom. 2. tr. 7. super Matth.

Verùm error hîc repugnat sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, rationi, & spiritui Christi. Repugnat Scripturæ, quæ ait: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ.* Et, *Prouerbium est*, inquit Hebræus Sapiens: *Adolescens iuxta* C *viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ.* Et Christus Dominus increpans Apostolos, ait: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire*; quod exponens Origenes, dicit; *Quod discipuli Iesu priusquam discant rationem iustitiæ, reprehendunt eos, qui Pueros & Infantes offerunt Christo. Dominus autem exhortatur discipulos suos condescendere vtilitatibus Puerorum. Hoc ergo attendere debemus, ne æstimatione sapientiæ excellentioris, contemnamus quasi magis pusillos Ecclesiæ, prohibentes Pueros venire ad Iesum.* Præterea is, cui Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes,* D *& da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me:* Adolescens erat, Græcè, νεανίσκος, id est, *Adolescentulus:* qualis est quatuordecim, vel sexdecim annorum. Nazaræis, qui veteris legis quasi Religiosi erant, nullum tempus præfigitur votum suscipiendi; & nonnulli ex vtero Matris Domino secundùm legem consecrantur; vt Samson & Samuël. Lex quoque Puellæ sub parentum potestate constitutæ permittit vouere.

Matth. 19.
Luc. 10.
Adolescentulum ad sequendum se vocat.

II.
Ex Patribus.
Hieron. Epist. 22. ad Eustoch.
S. Ambrosio.
Ambros. l. 3 de Virginib.

SECVNDÒ, repugnant Sectarij Patribus. Athanasius de humanitate verbi, dicit E etiam PVEROS virginitatem profiteri doctos esse à Christo. Hieronymus docet, in cœnobijs fuisse suo tempore homines omnis ætatis, PVEROS, viros, senes. Et Ambrosius: *Non ergo*, inquit, *ætas reijcitur florentior, sed animus examinatur. Ac certè Theclam non senectus, sed virtus probauit; & hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo? nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in paruulis passionem. An dubitamus si eum vsque ad con*-

tinentiam sequatur adolescentia, quem vsque ad mortem confitetur infantia? Consentit huic Augustinus: *Sed*, inquit, *respice agmina Virginum*, PVERORVM, *Puellarumque sanctarum; in Ecclesiâ tuâ eruditum est hoc genus, illic tibi è maternis vberibus pullulauit, nomen tuum ad loquendum linguam soluit, nomen tuum, velut lac infantia sua suxit infusum, non potest quisquam ex hoc numero dicere, qui priùs fuit blasphemus & persecutor. Imò etiam quod non iussisti, sed tantummodò valentibus arripiendum proposuisti, dicens: Qui potest capere, capiat; arripuerunt, vouerunt, & propter regnum cælorum seipsos (non quia minatus es, sed quia hortatus es) castrauerunt.* S. Pachomius sanè Infantes recepit, *qui nescirent*, vt ipse ait, *discernere inter dexteram & sinistram.* Et in Regulâ, pœnam statuit in eos, qui deprehensi fuerint, *libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ.* Quod iisdem verbis in Regulâ Tornatensi præscribitur.

S. Augustino.
August. lib. de Sanctâ Virginit. cap. 39.
Pachomio.
Lib. 1. vit. Patr. in vitâ Pachom. cap. 11.
Pachom. in Reg. nu. 9.
Cap. 13.

S. Basilio.
Basil. in Reg. fus. disp. interrog 15.
Matth. 19.
2 Tim. 3.
Ephes. 6.

Optimè autem S. Basilius disputans quænam idonea haberi ætas debeat, in quâ permittatur alicui, vt per professionem Deo se dedicet, Respondet: *Cùm Dominus dicat: Sinite paruulos venire ad me. Et Apostolus eum laudet, qui ab infantiâ sacras litteras didicisset: idemque alio in loco præcipiat educandos esse filios in disciplinâ & correptione Domini: prorsus ad eos, qui nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeò teneræ, atque ineuntis, vt videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostaptè sponte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus occasionem, ijs qui volunt occasionem: sed obtrectatoribus nostris maledicendi causa omnis hac etiam in parte præcisa sit.* Hæc Basilius. Supponit quoque S. Ephræm PVEROS in Monasterio admissos, *quibus scilicet indulgeri non vult, vt liberiùs agant cum Fratribus.* Præter S. BENEDICTVM autem, cui, vt Magnus scribit Gregorius, Romanæ vrbis Nobiles suos filios Omnipotenti Deo nutriendos consignabant: quique non modò PVEROS admittebat, sed varias etiam pro illis, vt videbimus, constituit leges; alij quoque Sancti in Regulis suis de PVERIS multa præscribunt. Isidorus Hispalensis, cap. 9. 11. 18. Fructuosus Episcopus cap. 6. Cæsarius Arelatensis in Regulâ Sanctimonialium, art. 5. S. Aurelianus, cap. 17. Regula Magistri, cap. 26. & alibi passim.

Ephræm.
Ephræm in doctr. varia c. 64.
Greg. Dial. lib. 2. cap. 3.
Regularum conditoribus.

III.
A rectâ ratione, quæ à teneris educandos docuit ad magna natos.

Repugnat TERTIÒ Nouatorum doctrina rectæ Rationi: ita enim comparatum est, vt quisquis in vllo rerum genere summus euadere & perfectus studet, à teneris incipere debeat. A Nutricibus & gerulis

Quintil. lib. 1. de facult. orat. cap. 3. rulis futurum Oratorem inchoat Quintilianus. Philosophum ab ineunte ætate, philosophico iure infici vult Cicero. Plato pæne ante lucis huius auspicium ciuitatis Principem præformat. *Sic & qui futuri sunt Clerici*, ait S.Thomas, *mox à Pueritiâ in Clericatu erudientur: qui futuri sunt milites, oportet quòd à Pueritiâ in militaribus exercitijs nutriantur, sicut Vegetius dicit in libro de re militari: qui futuri sunt fabri, fabrilem artem à Pueritiâ discunt.* Cur non etiam qui Religiosi futuri, statim vt idonei fuerint, in disciplinâ Religionis se exerceant, & Religioni addicant; præsertim cùm ea sit difficilior, & maioris momenti, quam omnes artes humanæ? Deinde eo tempore, ait Leonardus Lessius, homo ad religionem est aptissimus, quo animus prauâ consuetudine nondum est corruptus, sed instar tabulæ rasæ ad omnem formam suscipiendam facilis. Præcipua enim difficultas, quæ in religione sentiri solet, prouenit ex prauâ consuetudine & inclinatione vitæ præteritæ, & ex memoriâ eorum, quæ quis in sæculo est expertus. Atqui tempus illud, quo quis est aptus Religioni, & nondum corruptus sæculi venenis, sunt primi pubertatis anni: tunc enim nondum vitiosi habitus contracti, nondum gulæ & veneris blandimēta mentem deprauarunt, nondum ambitio & auaritia regnum animæ possedit: itaque hoc tempus religioni capessendæ aptissimum.

S.Thom. opusc. in cap. 3.

Lessius lib. de Stat. vit. deligendo quæst. 2. *Anni pubertatis Religioni aptissimi.*

IV. *Ex Spiritu Christi, cui non præscribendum vocationis tempus.*

Repugnat QVARTÒ hæreticorum sententia spiritui Christi, qui semper Ecclesiæ præsto est, docens eam omnem veritatem. Spiritus est autem, qui ad perfectum mundi contemptum vocauit hactenus, & vocat; alios manè, alios horâ tertiâ, sextâ, aut vndecimâ, cui legem ponere velle, quâ tandem ætate faciat Monachum, Deo repugnare est. *Spiritum* (inquit Paulus) *nolite extinguere.* Et planè in huius generis homines dicere liceat verbum illud Iudith Viduæ. *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.* Ieremias etiamnum PVER ad prophetandum electus est, qui se excusans, dicebat: *Nescio loqui, quia* PVER *ego sum.* Daniel quoque iuuenis admodum prophetauit, & iudicauit Seniores Susannæ pudicitiæ insidiatores, de quo Scriptura: *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum* PVERI *iunioris, cuius nomen Daniel.* Vbi Syrus vertit: *super* PVERVM *paruum*, &c. Græcè est, *παιδαρίου νεωτέρου*, PAERVLI *iunioris.* Quem S. Ignatius, E-

1. Thess. 5.

Iudith 8.

Pueri Prophetæ, Ierem. 1. 6.

Dan. 13.

A pistolâ ad Magnesianos, & ex eo Theoretus, ac Torniellus fuisse duodennem scribunt. Denique quàm multa leguntur martyria PVERORVM & PVELLARVM. An autem Monasterio idonei non sunt, qui suut idonei Martyrio? vtrumque donum à Spiritu sancto est; qui quod vult, cui vult, & quando vult, inspirat. Et plurimos sanctos celebramus, qui ab ineunte ætate Monasticæ vitæ dedicati fuerunt.

PÆDAGOGIVM. Theodor. in cap. 1. Ezechiel. *Et Martyres facti; quidam & Monachi.*

B Sed breuiter nunc Aduersariorum argumentis respondeamus. PRIMÒ enim, dicimus, nunquam exstitisse in Ecclesiâ Dei consuetudinem, aut legem exspectandi annum sexagesimum, septuagesimum, vel octogesimum: & portento simile est hoc paradoxum. Quàm multi enim ante istam ætatem moriuntur? omnes passim videmus alijs vitæ statibus ante istam ætatem implicatos; plerosque matrimonio innexos; vt senes hi ferè inepti sint ad Religionis tyrocinium, & Monasticæ vitæ austeritates. Sed quid volunt hæretici? nisi vt C serò monasteria petantur, quæ illi excusso cucullo, citò nimis deseruerunt. Volunt florem iuuentutis mundo ac carni consecrari, fæcem verò senectutis Deo.

Respond. ad argumenta aduersariorum. Primò.

Hæreticorum astus detegitur.

Ad argumentum illud Apostoli: *Adolescentiores deuita*, seu reijce, intelligitur à numero earum viduarum, quas Ecclesia alebat; non à voto continentiæ. Solùm enim anus sexaginta annorum, quæ seipsas alere non poterant, voluit Apostolus nutriri sumptibus Ecclesiæ.

Secundò.

Ad illud Concilij Romani, duo responD det Bellarminus. Primò, locum esse corruptum, & inintelligibilem, & fortasse multò minorem annorum numerum debere poni pro 72. Secundò, loqui Concilium non de omnibus virginibus, sed de illis solùm, quæ antequam profiterentur, viros petierunt, vt ipsa verba Concilij indicant; illæ enim diutiùs quàm ceteræ probandæ sunt.

Tertiò.

Ad Gregorium dico, eum loqui de solâ Abbatissâ. Sic enim ait: *Iuuenculas Abbatissas fieri vehementissimè prohibemus; nullam igi-* E *tur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cuius ætas hoc, atque mores exegerint, velari permittat.*

Quartò.

Denique, quàm inutilis lex illa foret, quam *Oeconomica Auctor* promulgatam cuperet, nemo non videt: non enim tam differt, quàm aufert Monasticam Professionem; cùm eam in illud tempus reijcit, quo ætas iam præterijt, in quâ solâ ferè discendum est, quidquid vtile deinceps fuerit. Rarus est, qui non certum vitæ genus ante annum trigesimum amplectatur. Quæ autem ratio dictat, inquit Latomus, vt ante

Contra Oeconomica Auctorem.

Latom. de instit. Monast. c. 10.

vt ante

PÆDAGOGIVM.

Apti ad sæculi munia, Religioni se addicere possunt.

vt ante annum trigesimum sæcularis quidem militiæ sacramento licitè semet homo obstringat, coniugalibus nexibus sese implicet, rempublicam administret, breuiter & in diuinis, & in humanis functionibus, summa omnia obeat; Monasticæ verò disciplinæ non licitè sese addicat? Rursum, quæ ratio dictat, vt puella matura viro, apta coniugio, idonea regendæ familiæ, lege publicâ à Christi copulâ arceatur in annum vsque trigesimum? Nempe huc spectat tam longa hæc dilatio, vt virgo tædio victa, spiritualem Christi copulam, carnali matrimonio commutet. Quod si cui virgo hac iniuriâ digna videtur, quid commeruit Christus? quid virginis parentes? quid fratres & sorores? quorum fortunæ tantisper in ancipiti pendeant oportet, dum de virginis vitæ statu certo statuatur. Non inepte hoc loco *Oeconomicæ* Ambrosij verbis responderi possit, quibus vir ille aduersus parentes vtitur, qui virgines filias Christo consecrari vetabant: *Nempe si homin.m, inquit, amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere quem vellent: quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet?*

Virginum consecratio & ingressus in Cœnobium malè differtur.

Ambros. de Virginib.

Neque quidquam vrget Canon de Sacerdotum ætate allegatus: Sacerdos enim alijs præesse debet; ducere, docere, gregis formam se præbere, sacerdotis est officium. Monachi, præsertim incipientis, est duci, audire, tacere. Sacerdotis est, alios adducere ad salutem, Monachi est, seipsius salutis curam agere, & iuxta nomen suum, vnum curare. Quare minor ætas sufficit ad Monachatum, aut potiùs Monachatus tyrocinium suscipiendum, quàm ad sacerdotium. Sed hæc satis, si non plus satis.

Sacerdotio initiandorum, & Monachatus dispar ratio.

DISQVISITIO II.

Liceátne Parentibus Pueros Monasterijs offerre?

Reg. cap. 59.

Parentes possunt Pueros offerre Monasterio.

Suarez to. 3. de relig. lib. 5. cap. 1.

Probatur ratione.

CVM S. P. BENEDICTVS peculiari Capite tractauerit, *De filijs nobilium & pauperum, qui offeruntur*, eiusdemque ritum accuratè descripserit; omninò supponit vsitatam hanc ex veterum Monachorum consuetudine oblationem licitam esse atque laudabilem. Cuius quidem rationem reddit Suarez, quia Parentes habent ius & dominium in filios suos: ergo possunt de illis disponere in omnem vsum, qui iniustitiam, vel aliam turpitudinem non contineat: ergo multò magis in eum vsum, qui ad maiorem Dei cultum, & ad maius ipsorum filiorum bonum ordinatur. Sic ille. Quid, quod Parentes Liberos suos possint vendere necessitatis causâ, & iugo seruitutis subijcere? Cur ego non possent eis suaue iugum Christi, & onus leue imponere? *Bonum sanè est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ.*

Thren. 3.

Et ex Iure Canonico.

Caus. 20. q. 2. c. si in qualiber.

Et confirmatur ex Iure Canonico, vbi ex Concilio Toletano X. cap. 6. dicitur: *Parentibus sanè filios suos Religioni contradere non ampliùs, quàm vsque ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit esse.* Ex quo inferas, ante istam ætatem id Parentibus licere. Idem efficaciùs probatur ex cap. *Addidistis*, & sequentibus. Malè enim poneretur in *Pueris* obligatio manendi, si iniusta esset Parentum oblatio: quam ante pubertatis annos etiam repugnante *pueri* voluntate licitam, Suarez asserit: quamquam non expediat facilè hac potestate vti.

Ibid. qu. 1.

Potestas offerendi est in vtroque parente.

Si quæras, in vtro parente sit hæc potestas? Respondet: in vtroque, alteroque mortuo, remanere penes superstitem. Quod si pater offerat filium, & mater repugnet, licita & valida erit talis oblatio, secùs tamen si velit mater, patre repugnante. Licita nihilominùs & valida erit oblatio à matre facta, citra consensum patris, modò tamen non repugnet: poterit tamen intra annum à patre reuocari.

Item in Tutore.

Innocent. & Panorm. in cap. 2. de Regul.

Deinde idem ius competit Tutori, vt tenet Innocentius, & Abbas. Tutor enim succedit parenti, quoad omnia, quæ pertinent ad gubernationem filij, nec ius hunc casum excipit.

Etiam inuitâ matre.

Præterea, potest Tutor offerre pupillum inuitâ matre, & contrà mater non potest inuito tutore, quia quoad hoc habet Tutor totam potestatem patris. Plura vide apud citatum Auctorem.

Pueris ante annos pubertatis inuitis parentibus non licet Religionem ingredi.

Tolet. c. 6. Tribur. c. 24.

Denique notandum, ante annos pubertatis non posse PVEROS inuitis parentibus, vel Tutoribus, Religionem intrare, aut habitum suscipere: si contrà fecerint, possunt repeti; & Religio compelli officio Iudicis Ecclesiastici, restituere. Colligitur id etiam manifestè ex rescripto Alexandri III. Cap. *Ad nostram*. Et ex cap. *Significatum*, de Regularibus; & ex Concilio Toletano II. & Triburiensi. Vide etiam *cap. 2. & 20. q. 2.* Estque communis & certa Doctorum sententia. Ratio autem est, quia ante annos pubertatis non præsumuntur habere sat iudicij, vt de statu vitæ deliberent & decernant.

DISQVISITIO III.

Quoto ætatis anno PVERI *Monasteriis oblati?*

Pueri à teneris Monasterium ingressi laudantur.
Psal. 70.

QVi diuino cultui olim consecrati leguntur; exstitêre non pauci, qui ad Monachatum potiùs nati quàm destinati, Christo Domino dicere poterant: *De ventre matris meæ tu es susceptor meus.* Mundi enim illecebras priùs despexisse, quàm aspexisse videntur. Atque hi plerumque magnos in Religione progressus fecerunt.

Anselm. li. de similit. cap. 127. *Angelis similes.*

Vnde S. Anselmus non dubitauit eos, qui à *pueritiâ* in monasteriis notriti sunt, Angelis, qui verò io prouectiori ætate, Religiosum statum amplexi sunt, bominibus comparare. Atque illud est, qnod D. Ambrosium de S. Acholio exclamare coëgit: *Benedictus Dominus, & benedicta adolescentia eius, quam exegit in tabernaculis Dei Iacob, positus in monasteriis.* Et verè benedicta talis adolescentia; qni enim ab ineunte ætate iugo isti assueuerint; mirnm, quantum habeant præsidij, vt se suprà se, ac naturæ pondus attollant, vitamque traducant omnis vafritiei expertem.

D. Ambros. Epist. 59.
Verè felices.

Quâ ætate Pueri Deo oblati.

Cùm autem B. P. BENEDICTVS PVEROS etiam paruulos, atque vt vocat, *Infantes*, veterum exemplo recipi permiserit quærimus quâ ætate id potissimùm fieri solitum? Nihil enim hac de re expresse statuit. Et quidem, vt rem altiùs repetamus, constat Samnëlem Prophetam maternâ deuotione Deo priùs oblatum, quàm huic mundo editum. *Postquam verò ablactatus est, adduxit eum Anna mater ad domum Domini* in Silo, PVER *autem erat adhuc infantulus.* Triennem tum fuisse, Salianus, Gaspar Sanctius, aliique tradunt. Cui sententiæ fauet Chrysostomus: *Adduxit ac reliquit* (Anna Samuelem) *nec* PVER *à mammâ diuulsus molestè tulit, cùm sctatis quàm soleant indignari Pueri, quoties à lacte depelluntur.* Et non longè pòst: *Prima statim pueritia à mammâ matris venit ad mammam spiritualē.* Theodoretus secutus LXX. hoc ipsum fatetur. Nam vbi vulgatus legit; *in vitulis tribus*, ipsi habent, *in vitulo trienni*: *Cùm primùm*, inquit, *ablactasset, obtulit eum Deo, & cùm eo vitulum ei tempore æqualem.* Trimnm videlicet, quia trimus etiam vitolus erat.

Samuël erat trium annorum.
1. Reg. 1. 24.
Chrysost. tom. 1. homil. 3. de fide Annæ.
Theodor. q. 5.
V. 24.

B. Virgo Maria in templo oblata tertio ætatis suæ anno.
Niceph. li. 2. Eccles. hist. c. 7.

Samuëli subiungo sacratissimam Dei parentem Virginem MARIAM, Religiosorum omnium Matrem & Patronam. Hæc enim, vt Nicephori verbis vtar, *statim atque à lacte materno abhorruit, & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet: & in templum ascendens, iuxta votum, eam Deo consecrat, tertium iam tum ætatis annum agentem. Et Sacerdotes quidem tum eam tanquam sanctius quoddam donarium suscêpere, & puellam in sacrario fouendam esse duxêre, ad antiqui illius Samuëlis similitndinem.* Cùm his planè consentit Germanus Patriarchâ Constantinopolitanus. Quamuis autem Magdenburgici Centuriatores hanc historiam rideant, dicantque non aliter confictam, quàm si Virgo MARIA *sub Papatu Monialis fuisset*, adhæc Nicephorum, & Germanum, ex Iacobi Prote-uangelio, tamquam apocrypbo libro, multa sine iudicio coaceruasse; eadem tamen ante Nicephorum, Gregorius Nyssenus, & Ioannes Damascenus affirmarunt. Sed & Gregorio Nysseno antiqnior Euodius, *diuinus ille vir*, vt Nicephorus, vel, *beatissimus*, vt Ignatius loquitur, idem primus Ecclesiæ Antiochenæ, post Apostolum Petrum Episcopus, qui Epistolam scribens, hæc verba inseruit: MARIA *trimula cùm esset, in templo est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos vndecim.* Quæ etiam confirmantur à Cedreoo, Metaphraste, Georgio Nicomediensi, aliisque apud Canisium; apud quem etiam leges, virgioes & viduas olim templi adytis cooclusas, SANCTIMONIALIBVS nostris præluxisse: adeoque fuit Virgo MARIA Monialinm nostrarum exemplar pulcherrimum, quàm Salominici Templi Sanctimonialem non immeritò appellandam, Prosper Stellartius asserit.

PÆDAGOGIVM.
Centuriatores hoc rident, & eleuant.
Reclamant se omni antiquitate.
Nyssen. hom. de Nat. Dom.
Damasc. de fid. orthod. l. 4. cap. 15.
lib. 2. cap. 1.
Niceph. li. 2. Eccles. hist. cap. 3.
Ignat. in Epist ad Antioch.
Canis. li. 1. de Deiparâ cap. 12.
Virgines apud Iudæos in templo clausæ.
Stellart. fundam. ordin. c. 12.

Christi Matrem, Christi Præcursor subsequebatur, qui, vt Ecclesia canit:

Antra deserti TENERIS SVB ANNIS,
Ciuium turmas fugiens petiuit,
Ne leui saltem maculare vitam
famine posset.

Ioan. Baptista ab infantiâ eremi cultor fuit.
Paul. Diacon.

Iuisse autem ad desertum ab ipsâ infantiâ, Scriptura innuit, dicens: PVER *autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israël.* Et Chrysostomus ait: *Statim vt natus est, in eremo viuit, in eremo nutritur, Christum expectat in solitudine.* Et Euthymius: *Quis ab infantiâ ita solitariam & Eremiticam duxit vitam, taleque elegit exercitium?*

Luc. 1. 80.
Chrysost. hom. 10. in Matth.
Euthym. in cap. 11. Matth.

Sed vt ad alios veniamus, S. Heliodorus PVER trium annorum Monasterium intrauit, vbi annos 62. vixit, adeò rerum omnium expers, vt diceret, se nec porcos, nec gallos, nec aliud einsmodi vidisse vnqnam. Daniël secuodus Stylita, quinquennis à parentibus ad Asceterium Monachorum deductus, in Religiosæ vitæ disciplinâ magnos fecit progressus. S. Febronia duorum dumtaxat annorum erat, cùm monasterium est ingressa.

Et alij eâ ætate Monachi facti.
Theodor. in Philotheo cap.
Rader. in virid.
Metaphras. apud Surium 15. Iunij.

Sanctus porrò BENEDICTVS ætatem suscipiendorum PVERORVM non definit, sed paruulos admodum suscepisse ex Regulâ satis

Colligitur suscepros à S. Benedicto infantes.

PÆDAGOGIVM. Cap.59.

satis constat, cùm ait: *Si Pver minori ætate est, parentes eius faciant petitionem, & cùm oblatione ipsam petitionem, & manum Pveri inuoluant in pallâ altaris, & sic eum offerant.* Et alibi: *Pveri paruuli vel adolescentes, in oratorio, vel ad mensas cum disciplinâ ordines suos consequantur. Foris autē vel vbi ubi, custodiam habeant & disciplinam, vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.* Ex quo conuincas, susceptos ab eo etiam illos, qui necdum ad intelligibilem ætatem peruenissent: Nam & cap.45. ait: *Infantes pro tali culpâ vapulent.* Inuenio autem plerosque circa septimum ætatis annum in Ordinem nostrũ cooptatos. Protomartyr enim Ordinis nostri Placidus, septennis Deo, & S. Benedicto oblatus fuit. Faustus quoque vitæ S.Mauri scriptor, de se hæc ait: *Cùm à parentibus meis omnipotentis Dei seruitio nutriendus, secundùm regularis normam institutionis, septennis beato Benedicto in eius sanctissimo cœnobio, quod idem totius sanctitatis vir in Cassino ædificauerat castro, traditus fuissem.* S. Mauro Bertulphus necdum octennis, oblatus fuit. Gotdianus, Eugendus, Beda, septimo ætatis anno monasteriis traditi fuit. S.Willibrordum iam ablactatum, Pater, *Ecclesiæ Ripensis, Fratribus erudiendum tradidit, ibique in prædicto monasterio multis profectibus Pver, clericatus accepit tonsuram, & pia professione Monachum se fecit esse, & inter ceteros eiusdem sanctissimi Monasterij adolescentes enutritus est.* De S. Bonifacio sic Willibaldus: *Cùm esset annorum circiter quatuor, seu quinque, Dei se seruitio subiugare studuit: multoq; mentis conamine, de monasteriali iugiter vitâ insudare, & ad ea mentis quotidie nisibus anhelare.* Quamuis verò non tunc, sed posteà monasterium adierit (vt apparet) vix tamen alios quatuor aut quinque annos sanctus puerulus exspectauit. Godefridus Ambianensis posteà Præsul, in monasterium S. Quintini assumptus est, *cùm quinquennis etiamnum esset puer.* Petrus Diaconus in Cassinate monasterio, non nisi quinque annos natus, admissus est. S. Hildegardis anno octauo, S.Mechtildis septimo, ad Religionem admissæ. Plures alios, qui ab infantiâ aut pueritiâ Deo in monasteriis dicati, passim Sanctorum vitæ suppeditabunt.

Cap. 63. — Pleriq; ex nostris septennes erant. — S.Placidus. — Faust. in Prolog. — Faustus. — Bertulphus, Gordianus, Beda, — S. Willibrordus vixdum ablactatus. — Alcuin. in vitâ cap.3. — S. Bonifacius quinquennis. — S Willibald. — Vt & S.Godefridus, Nicola. Monach. in vitâ. Cap. 5. — Petrus Diaconus, — Aliiq; in pueritiâ.

Vt verò constitutiones de *puerorum* ætate à Patribus editas expendamus; Magnus Basilius ait: *Prorsus ad eos admittendos, qui ad nos accedunt, nullum non ætatis tempus idoneum esse indicamus, vel ipsius adeò teneræ atque ineuntis.* Videtur S.Fructuosus Episcopus pæne lactentes cum patre & matre ad monasterium admisisse: *infrà septem*, vt ait, *annos, & quos adhuc in crepundiis videmus, tenerulos & infantes.* Ex Regulâ Magistri colligitur admitti solere Pveros infrà decimum, aut duodecimum annum: nam integram libram panis, quæ Monachorum quotidiana est mensura; Pveris concedi non vult ante annum ætatis duodecimum. Cæsarius verò Arelatensis de Sanctimonialibus agens, ætatem suscipiendarum ita definit: *Et si fieri potest, aut difficile, aut nulla vnquam in monasterio infantula paruula, nisi ab annis sex aut septem, quæ iam & litteras discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur.* S. verò Aurelianus, paulò maiorem ætatem exigebat, ita enim ait: *Minori ætate in monasterio non excipiantur, nisi ab annis decem aut duodecim, qui & nutriri non egeant, & cauere nouerint culpas.* Synodus VI. in Trullo ita statuit: *Qui Monachicum iugum est subiturus, ne sit minor quàm decem annos natus, eius quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet, ad introductionem & constitutionē in vitâ monasticâ.* Quòd tamen vsu Romanæ Ecclesiæ numquam receptum affirmat Posseuinus, additque Leonem Augustum (auctore Theodoro Balsamone) hunc eadem ita temperasse, vt vndecimo ætatis anno ingredi Monasterium liceret, sed ante sextum decimum tonderi prohibuerit, & ante quintumdecimum testamētum condere. In iis porrò monasteriis, vbi strictior erat obseruantia, prohibebat Gregorius Magnus pueros suscipi, qui decimū octauum non attigissent annum: *Pueros*, inquit, *in monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus.* Rationem reddit: *Quia*, inquit, *dura est in Insulis congregatio Monachorum.*

Quid de Puerorum ætate Patres statuerint. — Basil. in Regulis fusioribus reg.15. — S.Fructuos in reg. cap. 6. — Cap. 26. Reg. Magistri. — Cæsar. in Reg. au. 5. — Aurel. in Reg. c.17. — Can. 40. Synodus VI. decennes admittit ad Monachatum. — Possevin. li.5. Biblioth. c.58. — Non recipitur vbiq; — S.Gregorius minores 18. annis suscipi vetat. — Gregor. l.1. Epist. 48.

Posterioribus verò sæculis Cassinenses pueros excluserunt, ita statuentes: *Declaramus nullum Nouitium, posthac ad probationem recipiendum esse, qui non expleuerit decimumquintum annum.* Quamuis enim ipsis *pueris* vtile sit, in benè reformatis educari monasteriis, id tamen, vt docet Suarez, non admodum expedit religiosis ordinibus, præsertim mendicantibus. Neque enim sine magno dispendio, labore, & distractione, in *Pueris* enutriendis occupari possunt.

Cassinenses Pueros non admittunt. — Cassin. in declarat. ad cap.30. — Nec hodie ita expedit. — Suarez to. 3. de Relig. lib.5.cap.5.

Denique hîc adiiciendum, cùm olim duplicis generis *Pueri* in Monasteriis reciperentur, quorum alij dicebantur Oblati ad monachatum, alij studiorum causa Nvtriti; posterius hoc genus ob plura incommoda, nonnullis locis fuisse abrogatum, nam in Concilio Aquisgranensi statuitur: *Vt schola in monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.* Ita quoque Cæsarius Arelatensis iam ante præscripserat. *Nobilium filiæ siue ignobilium ad nutriendum aut docendum penitus non accipiantur.* Displicuisse & hoc lego S.Petro Damiani, qui

Pueri oblati, & nutriti in Monasteriis. — Nutriti abroguntur. — Conc. Aquisg. c.45. — Cæsar. in Reg. au. 5.

Petr. Damiani opusc. 36. cap. 16.
Cassinenses hoc nomine laudati.

qui Cassinense Monasterium hoc nomine laudat, quod Puerorum *scholas* non haberet: *Inter ceteros, inquit, virtutum flores, quos in illo agro pleno cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quòd ibi* scholas puerorum, *qui sæpe rigorem sanctitatis eneruant, non inueni; sed omnes aut senes cum quibus vtique nobilis vir sedebat in portis ecclesiæ; aut iuuenili viuendi decore lactantes. Qui nimirum vt filij Prophetarum, idonei sunt ad Eliam per deserta quærendum: aut certè adolescentiæ adhuc flore vernantes, qui iuxta Apostolum Ioannem, vicêre malignum.*

DISQVISITIO IV.

Quo ritu PVERI *in Monasteriis fuerint oblati?*

Cap. 59. Ritus offerendi Puerum, ex Regulâ S. Benedicti.

PRISCVM hunc ritum describit Legislator noster in hunc modum: *Si ipse* PVER *minori ætate est, Parentes eius faciant petitionem, quam suprà diximus. Et cum oblatione, ipsam petitionem; & manum pueri inuoluant in pallâ altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis aut in præsenti petitione promittant sub iureiurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam Monasterio pro mercede suâ, faciant ex rebus,*

Parentes dimittunt donationem faciebant.

quas dare volunt Monasterio, donationem, reseruato sibi, si ita voluerint, vsufructuario. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant.

Cerimoniæ adhibitæ in solitis Puerorum oblatione.
Reg. Magist. cap. 91.

Hæc autem quo ordine, & cerimoniis olim facta, operæpretium hîc discutere. Regula Magistri ita rem explicat: PRIMÒ, *Cùm alicuius nobilis filius,* inquit, *propter Dei seruitium in monasterium voluerit conuolare, non priùs suscipiatur, nisi, vt superiùs diximus, omnem à se obedientiam promiserit implendam. Deinde * conueniant eius parentes, vt & eorum quale sit votum agnoscatur de eo. Quòd si magis fuerint consentientes eius votis parentes, connocatis eis ab Abbate in Monasterium, votum filij conuertentis exquiratur ab eis, vt ab ipsis potiùs videatur deuoueri, vel offerri qui eum genuerunt. Cùm ergo mox responderint parentes, gratanter se velle adimplere quæ cupit, tunc dicat eis Abbas* (omissis nonnullis quæ habet Regula Magistri, pergo cum Smaragdo)

** fortè, conueniantur.*
I. *Parentes connocabantur.*

Abbatis ad Pueri parentes oratio.

*Ita enim nos considerantes ô parentes, iuste vobis secundùm Dominum pro vestris filiis suademus, vt si filium vestrum dignè Deo cupitis offerre, à sæculo priùs eum exuite. Quòd si aliquid apud vos ei sæculo remanserit conseruandū, habebit aliquando titillationē diabolici desiderij, sicut canis delectatur ad suum redire vomitum, & positâ manu super aratrum respiciens retro, iam non sit aptus regno cælorum, relictoq; quandoque monasterio, securus de portione suâ ei seruatâ à vobis, in sæcularem domum vestram reuerti, fratribus suis volens esse cohæres, suarum redire incipiat sponsus & Dominus facultatum, & pristinis restitutus deliciis & pompis, non aliud desideraturus quàm nuptias. Ergo sicut superiùs diximus, si Deo vultis dignè offerre eum, de portione eius tres fiant æqualiter partes, vna distributo Abbatis manibus, pauperibus vel indigentibus erogetur. Aliam vobis, vel fratribus suis, pergens ille ad comitatum sanctorum exagiliario munus titulo derelinquat. Tertiam verò partem viatici sui vtilitate deferet secum, monasterij sanctorum vsibus profuturam. Quod si vtraque vobis graues sint voces, vt nec Deum audiatis, pauperibus erogando, & filij animam redimendo, nec nostrum consilium, partibus diuidendo, & auferendo ab eo sæcularem substantiam; vel nudum & solum filium Deo * largite, ito vt iureiurando per sacrosancta Euangelia promittatis, ei vlteriùs de vestrâ patrimonij substantiâ nihil habere, vt firmiter iam perseuerans in Domino sciat se de sæculo nihil sperare, cùm se à vobis, & ab eo viderit alienum, solummodo superna desideret.* Hactenus ille. Ad hanc porrò Abbatis orationem parentes (vti par est credere) id respondebant, quod animo iam ante conceperant.

PÆDAGOGIVM

Substantia Pueri in tres partes diuidebatur.

** MS. Affligeniense largimini.*

II. *Parentes petebant, & spondebant pro filio.*

SECVNDÒ, faciebant *petitionem* adiecto iureiurando, quod numquam tribuerent aliquid *Puero*. Si autem ex toto nihil habebant, simpliciter faciebant petitionem. Sed quænam hæc petitio? Paulus Diaconus intelligit ipsam profitendi formam, quâ dicat Pater: *Ego talis promitto coram Deo & Sanctis eius,* &c. Conformiter Lanfranco, qui ait parentes promittere, quòd *susceptum ordinem puer numquam relinquet*. Et clarissimè Ruthardus: *Promitto ego ille coram Deo & Sanctis eius, pro filio meo, de stabilitate suâ, & conuersione morum, atque obedientiâ.* Bernardus verò Cassinensis simpliciter intelligit eam petitionem, quâ parentes petant ipsum recipi in monasterio, & instrui regularibus disciplinis. Smaragdus verò hanc tradit formam, qua filij siue nobilium, siue ignobilium, siue diuitum, siue pauperum, monasterio traduntur.

Quid hoc loco Petitio.
Lanfr. in Stat. cap. 18.

Prolixior forma tradendi filium Monasterio, ex Smaragdo.

Dum legaliter sancitum, antiquitusque teneatur cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini, Domino feliciter seruituros; procul dubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim est iudicium, Creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcirco hunc filium nostrum

PÆDAGOGIVM.

* MS Affligen. nomine ille.

nostrum * *N cum oblatione in manu atque petitione, palla omnia inuoluta ad nomen Sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & Abbatis præsentis, trado coram testibus regulariter permansurum; ita vt ab hâc die iam non liceat illi collum de sub Regulæ excutere iugo,* * *eiusdemque Regulæ fideliter se cognoscat instituta seruare, & Domino cum ceteris gratanti animo militare. Et vt hæc traditio nostra inconuulsa permaneat; promitto cum iureiurando coram Domino & Angelis eius, quia numquam per me, numquam per suffectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates, aliquando egrediendi ei de monasterio tribuo occasiones. Et vt hæc petitio firma permaneat; manu meâ eam firmaui, & testibus tradidi roborandam.*

* Affligen. sed magis eiusdem Regulæ.

Petitio cum oblatione facienda.

Quod in S. Scripturâ fundatur.

Quod autem S. BENEDICTVS dicat *petitionem* faciendam *cum oblatione*, id sacræ Scripturæ conuenit exemplis. Scriptum est in lege Domini, vt mulier expletis diebus purificationis suæ, pro filio, siue pro filiâ, deferret *agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccata.* Quòd si nō potuisset offerre Agnum, sumeret *duos turtures vel duos pullos columbarum*, sicut pro Saluatore nostro sacratissima fecit Virgo Maria. Et Anna obtulit Samuëlem, *in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & Amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini.* Oblatio ergo hîc præscripta intelligitur, vt *aliquid conferatur ad stipem templi*, inquit Boërius, *vel, vt panem aut vinum, vel lumen, vel vtrumq; cum puera offerant.* Lantfrancus verò de hâc Cerimoniâ ita scribit: *Offerendus puer, factâ sibi priùs coronâ, manibus portans hostiam, & calicem cum vino, sicut mos est, post Euangelium Sacerdoti, qui Missam celebrat, à parentibus offeratur. Quâ oblatione à sacerdote susceptâ, inuoluant prædicti parentes manus pueri in pallâ, quâ altare coopertum est, & cuius pars anteriùs pendet, & tunc suscipiat eum Abbas.* Cui consonat consuetudo, quam apud suos seruari scribit Boërius: *Factâ*, inquit, *receptione in capitula & habitu induto, per parentes & amicos puer offertur ad altare, & super ipsum genibus flexis, & capite inclinato duo fratres imponunt pallam, seu pallium quod ante altare dependet:* Aliter Paulus Diaconus: *Non in pallâ altaris sacratâ, sed in illâ tobaliâ, in quâ portatur calix quando debet ad sacrificium offerri, quæ dicitur esse altaris, eò quòd altari seruitur in eâ.* Et hoc, ni fallor, voluerit Ruthardus, Eremi S. Mariæ in Heluetiâ Monachus, scribens in hoc hoc Regulæ caput: *Debet ponere in dexterâ manu filij sui oblatam cum mappulâ, in sinistrâ autem ampullam vini.* Vbi *mappula* fortè idem calicis inuolucrum sit. Demum Bernardus Cassinensis, *secundùm litteram* putat *intelligi debere de pallâ sacratâ, quæ semper est in altari, & ita de facto seruari.*

Leuit. 12.

Luc. 2. 24.

1. Reg. 1. 24.

Quid Puer offerebat.

Lantfranc. in Stat. cap. 18.

Manus eius pallâ altaris inuoluebantur.

Boër. in c. 59. Reg.

Quid per pallam alij intelligant.

III. TERTIÒ, post hanc cerimoniam, scribit Lantfrancus, Parentes coram Deo & sanctis eius promittere, *quòd per se, aut à se suppositam personam, susceptum ordinem puer numquam relinquat, neque se ei aliquid scienter daturos, vnde puer, quod absit, perire possit: hanc promissionem priùs scriptam coram testibus verbis ibi priùs edicant, & posteà super altare ponant.* Alij videntur insinuare promissionem primò faciendam, cuius quidem tenor ex allatâ Smaragdi patet formulâ, & quod apud Ruthardum pueri pater dicebat: *Promitto per viuentem in sæculâ, quia numquam do illi hereditatem suam, aut aliquid quidquam; sed exheredo illum ab omni meâ hereditate, vt exheres sit in perpetuum: ita vt per nullum ingenium possit quærere hereditatem meam.* Vult autem fieri coram testibus, quia quæ publicè fiunt, non facilè admittunt contradictionem. Vnde in Iure ita statuitur: *Oportet infantes eum voluntate, & consensu parentum, immò ab ipsis parentibus oblatos, sub plurimorum testimonio suscipi: vt omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum.* Quòd sumptum ex Basilio. Hinc in Cōcilio Aquisgranensi statutum: *Vt Puerum pater & mater tempore oblationis afferant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant.* Laicos testes requirit, ne suspectum sit Monachorum in re propriâ testimonium. Ritum verò testificandi describit Ruthardus, his verbis: *Ille* (Pater) *debet respondere dicens: Volo tradere filium meum Deo Omnipotenti ad seruiendum sibi in hoc monasterio.* Et paulò pòst: *Deinde debet dicere Abbas* testibus: *Auditis, fratres, & videtis, quid iste dicat; illi debent dicere: Audimus, & videmus.*

Parentes promittebant, se Puero nihil daturos. Lantf. suprà.

Idq; coram testibus:

20. q. 2. cap. lin.

Bas. reg. fus. disp. interrog. 15.

Can. 36.

Non Monachis, sed laicis.

Ritus testificandi.

IV. QVARTÒ, *his expletis*, inquit Lantfrācus, *benedicat Abbas cucullam, & exuens puerum cappa, vel pellibus, vel aliquâ huiusmodi chlamyde, dicat:* Exuat te Dominus veterem hominem, *&c. & induens eum cucullâ, subiungat;* Induat te Dominus nouum hominem, *&c. Dehinc ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri Ordinis consuetudo est. Cùm verò adultâ ætate facturus professionem fuerit, fiant ei cetera, quæ superiùs debere fieri conuersis iam diximus. Hoc enim quod modo factum est, iterari non oportet.* Atque hæc de Cerimoniis suscipiendorum paruulorum.

Abbas induebat Pueros cucullâ. Lantfr. in Stat. c. 18.

Quæ quidem tanti habitæ sunt, vt ex earumdem vel obseruantiâ, vel neglectu, de valore professionis indicium fiat. Vnde Nicolaus Papa iudicauit Lambertum puerum

Quanti habitæ istæ cerimoniæ.

20. q. 1. cap. Præsens.

Lamberti oblatio quia non eo ritu facta, rescinditur.

rum nouennem, quem pater inuitum cucullâ induerat, & Salomon Episcopus monastico habitu reluctantem donauerat, non teneri monachum remanere, eò quòd pater inter cetera sub iuramento declarasset, quod nunquam Lambertus regulam aliquam promisisset, nec ipse Pater pallio (aliàs pallâ) altaris indutum illum obtulisset: neque à quocumque Sacerdote, vel Abbate benedictione perceptâ regulæ vnquam se monachum subiectum futurum promisisset.

De Roberto idem censuit S. Bernardus.

Non dissimiliter S. Bernardus probat Robertum nepotem suum, qui de Ordine Cistertiensi transierat ad Cluniacenses, apud quos puer fuerat oblatus, non teneri ad eos redire, quòd illis magis promissus fuisset quàm donatus:

Bernard. Epist. 1.

Nec enim, inquit, *petitio quam Regula præcipit, pro eo facta fuit à parentibus, nec manus illius cum ipsâ petitione inuoluta pallâ altaris, vt sic offerretur coram testibus.* Hæc Bernardus.

DISQVISITIO V.

Quæ obligatio in puero ex parentum oblatione?

Pueri solenniter oblati non possunt repetere sæculum.

QVANTVM ex S. BENEDICTI textu colligere licet, neutiquam permissum videtur *pueris* in minore ætate constitutis, post solemnem hanc oblationem Monasterium deserere, aut ad sæculum redire.

Reg. c. 59.

Ideò enim vult, vt *parentes sub iureiurando promittant, quod numquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit.* Puer enim credens se posse hereditatem repetere, vel eam sibi adhuc reseruari, eâ spe monasterium facilè egrederetur, quare omnibus bonis suis spoliatur, quæ vel monasterio traduntur, vel remanent parentibus.

Colligitur ex verbis S. Benedicti.

Quòd si antè ita egrederetur, ait S. BENEDICTVS eum perire; quod signũ est eum hanc oblationẽ interpretari, vt inducentẽ strictam obligationẽ perpetuò remanendi in Monasterio, quam si violet, pereat.

Smarag. in cap. 59.

Vnde Smaragdus exponens illa verba: *Per quam deceptus perire possit (quod absit) quod experimento didicimus. Viderat*, inquit, *ille tali occasione de monasterio iuuenes foras exire, & pro rebus terrenis seruitium Dei relinquere, sæculumq; diligere, & ideò ait*, quod experimento didicimus. *Quòd etsi tunc raro fiebat, nunc verò factum nos frequentissimè esse cognoscimus.* Hæc Smaragdus.

Probatur ex antiquis Iuribus.

Idemque probari potest ex multis antiquis iuribus: Cùm enim de hac re S. Bonifacius Germaniæ Apostolus dubitasset, A & quæstionem ad sedem Apostolicam retulisset, in hunc modum respondit Gregorius III.

PÆDAGOGIVM. *Gregor. 3. Epist. 4. ad Bonifac.*

Quæsisti, quòd si pater vel mater filium, filiamq; intra septa monasterij in infantiæ annis, sub regulari tradiderint disciplinâ, vtrùm liceat eis post pubertatis annos egredi, & matrimonio copulari. Hoc omninò deuitamus, quia nefas est, vt oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.

Concilio VVormatiensi. Concil. Wormat. can. 22.

Idem omninò, & sub eisdem verbis Concilium Wormatiense statuit, & addit: *Igitur non liceat eis susceptum habitum vnquam deserere, sed conuicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando* B *habuerint, in religionis cultu habituq; velint, nolint, permanere cogantur.*

Toletano IV. Conc. Tolet. cap. 48.

Et in Concilio Toletano IV. ita dicitur: *Monachũ aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mudũ reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.*

Isidoro Hispalensi. 20 q. 1. cap. Quicumque.

Et Isidorus Hispalensis Episcopus, qui Concilio præsedit, ex citatione Smaragdi & Gratiani, ita ait: *Quicumque à parentibus in monasterio fuerit delegatus, nouerit se ibi perpetuò permansurum. Nam Anna Samuëlem puerum natum & ablactatum Deo cum pietate ob*C*tulit: qui & in ministerio templi, quo à matre fuerat deputatus, permansit, & vbi constitutus est, deseruiuit.*

Conc. Triburiensi. Conc. Tribur. cap. 6.

Ex Coucilio quoque Triburiensi hic canon citatur: *Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, & in ecclesiâ cæpit canere, & legere, nec vxorem ducere, nec Monasterium deserere poterit: sed si discesserit, reducatur: si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur: vxorem si vsurpauerit, dimittere compellatur.*

Ratione. Perez ad cap. 59.

His Canonibus adiicit noster Perez hanc rationem: Cùm in susceptione baptismi intercedat votum, & quidem solemne religionis Christianæ, quo astringi D mur perpetuò tenere & profiteri catholicam fidem: consequens est, vt parentes possint vouere pro filiis perpetuam disciplinæ monasticæ & religionis vitam.

Suarez to. 3 de relig. lib. 6. cap. 3. num. 10. Et aliqui asserunt Puerum ita oblatũ teneri ad Monachatum.

Ob citata porrò decreta asserunt aliqui, vt testatur Suarez, iure antiquo potuisse infantem fieri verè religiosum absque proprio consensu, per voluntatem parentis; & in illâ donatione implicitè interuenisse tria substantialia vota, ex declaratione vel constitutione ecclesiæ. Aut, vt non interuenerit propriè dicta professio, habuisse tamen paternam traditionem vim profes E sionis, ita vt ex vi illius acquireret monasterium verum dominium in infantem, & infans maneret posteà obligatus ex iustitiâ ad seruiendum monasterio; ideoque nec posset iustè, nec permitteretur retrocedere; sicut si pater proprium filium vendidisset, aut donasset, verè maneret seruus, & teneretur posteà seruitutem seruare. Vnde sic oblatus à parentibus non esset quidem

PÆDAGOGIVM.

quidem in rigore Religiosus quoad perfectionis statum, sed largo modo posset dici Monachus (prout videtur Concilio Toletano) quia est verè traditus, & in illâ traditione diuino obsequio mancipatus. Antonius verò Yepez ait Toletanum Concilium, & veteres Patres putasse rem indignam & scandalosam, si pueri à parentibus oblati, nollent eorum voluntati obsecundare, & in Monasterio permanere, vnde qui egrederentur, infamiæ notam incurrebant. S. Petrus Damiani ex Toletano, Triburiensique conciliis eandem sententiam probat, aitque inter cetera. *Quid ex illis caussamur hominibus, qui spontaneo conuertuntur arbitrio, cùm & illis post tergum redire non liceat, qui tonsurantur inuiti?* Deinde ponit aduersarium tamquam euidentissimum concedere, vt *qui à parentibus offeruntur, ita permaneant: qui inuiti etiam tonsurantur, tam saniori consilio perseuerare contendant. Nam de tam perspicuis sanctorum Patrum dictis ambigere, quid est aliud, quàm mieantium astrorum globus oppositum apertis oculis nil videre.*

Yepez in Chron. Anno Christ. 631.

In eâdem sententiâ fuit Petrus Damiani. Pet. Dam. Opusc. 16. cap. 5.

His tamen contraria est sententia Canonistarum, quam defenduot Turrecremata, Suarez, Lessius, Vasquez, aliique qui censent filios à parentibus in infantiâ oblatos posse ad sæculum redire, nisi in ætate legitimâ oblationi de se pridem factæ expresse vel tacitè consenserint, retinendo scilicet habitum, vel munia professorum obeundo. Vrgent *Primò*, quod Marcellus Papa, qui anno Domini 304. floruit, diu scilicet ante citata Decreta, ita statuit: *Si in minori ætate filij monasterio oblati fuerint, & sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt decimoquinto anno à Prælatis moniti inquirantur, vtrùm in ipso habitu permanere cupiant, an non. Si verò permanere professi fuerint, vlteriùs pænitendi locum minimè amplecti possunt. Sin autem ad sæcularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est vt coacta seruitia Domino præstentur.* Verùm non vsque adeò certa est hæc auctoritas, vt præfixa vox *Palea* satis innuit; & cùm eo tempore rariores essent Monachi, ac deserta potissimùm incolerent, quis credat tum vsu receptum, vt *Pueri*, passim monasteriis offerrentur, & de illis Summus Pontifex decreta conderet? Obiicitur *Secundò*, Cap. *Sicut*, vbi dicitur: *Sicut, qui monasteria elegerunt, à monasteriis egredi non permittuntur, ita hi, qui inuiti sine iustæ offensionis caussâ sunt intromissi, nisi volentes, non teneantur, quia quod non petunt, non obseruant.* Sed facilis responsio est, capitulum hoc, quod Gratianus per modum obiectionis posuit, intelligendum de adultis,

Canonistæ, & quidam Theologi oppositum tenent. Turrecre. ad cap. 59. Reg. Suarez vbi supra. Less. de Stat. vit. deligendo q. 2. n. 5. Vasquez in in 1. 2. disp. 165. cap. 4. num. 32.

Ipsorum argumenta. Primum, ex cap. Illud. 20. q. 2. cap. 10.

Soluitur.

Secundum, ex cap. Sicut. Ibid. q. 1. cap. 9.

Non concernit Pueros.

A parentum imperio coactis, vt idem satis insinuat. *Tertiò*, obiicitur, quòd Cælestinus III. ait *Puerum* à patre cum bonis suis ante annos discretionis oblatum, non compellendum vt Monachalem retineat habitum, si id noluerit cùm *ad annos discretionis peruenerit: quia tunc liberum*, inquit, *ei erit habitum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proueniunt, postulare.* Respondetur ita quidem posterioribus sæculis statutum, adeoque prioribus decretis derogatum. Obiicitur *quartò*, Cap. *Firma*, quo dicitur: *Firma tunc erit professio virginitatis,*
B *ex quo adulta iam ætas esse cœpit; & ea, quæ solet apta nuptiis deputari*, quod sumptum ex Reg. Basilij interprete Rufino. Sed respondet Gratianus, hîc agi de illâ professione *quæ in annis pueritiæ proprio arbitrio Deo offertur, quam non confirmat parentum consensus.*

Tertium. Extra de regul. cap. *Cum simus.*

Respon.

Quartum ex cap. Firma. 20. q. 1. c. 8.

Non vrget. Cap. 8.

Neque est quòd Parentibus negetur hæc cōcessa potestas. Si enim necessitatis caussa liceat proles vendere, & iugo seruitutis subiicere, cur non easdem liceat Deo ex deuotione offerre, & suaui iugo Christi, & leui oneri subdere? Abrenunciant in-
C fantes sæculo & pompis eius in baptismo, non suâ, sed suscipientium voluntate, manentque perpetuò obstricti: putauit maiorum nostrorum pietas, parentum voluntate ac deuotione *Pueros* eodem modo Deo posse consecrari. Verùm, quia in his sinistra intentio & respectus humanus interuenire poterat; rectissimè posterioribus Iuribus hoc est correctum: non sublatâ omninò paruulorum oblatione, sed hâc adiectâ conditione, vt nisi in legitimâ ætate sponte consenserint, non censeantur obligati, & licitè possint abire.

Parentes habent potestatem æquè filios Christi iugo subiiciendi quàm mundi.

D Triplicem autem effectum in his talibus sortitur paterna oblatio. Primus est, vt possint à Religione recipi & retineri. Secundus, vt pater non possit ampliùs vti patriâ potestate ad eos reuocandos, quia iam cessit iuri suo, & quantum in se est per donationem filios Religioni donauit, & ipsa acceptauit. Tertius est, vt neque ipsi suâ voluntate ante annos pubertatis egredi possint, quia in illâ ætate non tam suâ, quàm patris voluntate regendi sunt. Pater autem voluntatem suam in Religio-
E nem transtulit, & ideò sine Religionis consensu exire non possunt intra illam ætatem, quamuis ante annos pubertatis ex caussâ queant expelli.

Triplex effectus ex Puerorum oblatione.

DIS-

DISQVISITIO VI.

Qualis olim PVERORVM *disciplina?*

Plat. lib. 4. de Republ. *Puerorum honesta educatio laudata.* OPTIME olim à Platone dictum, quòd *Magistratus etiā summi sit, prospicere vt Pueri & Iuuenes honestè & sanctè à primâ ætate & infantiâ instituantur.* Huius rei Christiani maximam, vt decet, rationem habentes, optimè filiis suis prospectum putabant, si eos in Monasteriis Dei seruis traderent educandos: vt ita ad Christum paruulos ad se venire iubentem adducti, iugum eius suaue susciperent, aut bonis moribus, litteris, & pietate exculti, rectam deinceps seruarent viuēdi formam. Quamuis autem hoc tempore non ita frequens sit, oblatos à parentibus *Pueros* ad Religionem suscipere, vel humanioribus artibus imbuendos in Cœnobiis enutrire; non inutile tamen fuerit veterem *Puerorum disciplinam*, & quæ de eâ S. BENEDICTVS, aliique Monachorum Patres tradiderunt, repræsentare. Inter quæ PRIMVM erat, vt seorsim à reliquis Fratribus instituerentur. Insinuauit id S. Legislator noster, cùm ita præscripsit: *Pueri parui vel adolescentes in oratorio vel ad mensas, cum disciplinâ ordines suos consequantur.* Dum enim ait, *Ordines suos*, apertè significat eos non commiscendos ordinibus Seniorum, sed habere particularem inter se ordinem: Vnde Bernardus Cassinensis ait: *Hic fit mentio de Pueris, qui suo loca, suosque spirituales habent Magistros, nec sedent, nec stant cum aliis maioris ætatis.* Atque ita habet praxis Ordinis. Nam in statutis S. Dunstani mentio fit *scholæ Puerorum*, cuius quidem vsus, & apud Cluniacenses, iam inde à tempore S. Odonis fuit, qui *schola Magister* dictus est, & Lanfrancus *Puerorum* disciplinam describens, ait: *In scholam illorum nullus ingrediatur, nullus cum eis alicubi loquatur, nisi ei ab Abbate vel Priore ingrediendi vel loquendi licentia concedatur.* S. quoque Basilius *Pueros* ab aliis segregat. *Seorsim*, inquit, *ipsis & locus in quo habitent, & victus ratio quam teneant, assignari debet.* Nec hoc decreto contentus, rationes etiam assignat, cur ita expediat. Prima est: *Ne si Pueri propositum suum minus assequantur, eorum postea probra in omnes promiscuè pietatis sectatores redundent.* Secunda: *Ne superiores compellandi maiorem sumant fiduciam, præsidentiores facti, quin potiùs vt veritate congressus reuerentiam aducrsùm ipsos retineant.* Tertia: *Ne ex multis, qua iis qui adultiore ætate sunt, imponuntur, qui in exequendis officiis suis non ita interdum diligentes fuerint, procliuitas quædam motor ad peccandum in animis illorum nascatur, aut sæpenumero etiam sentire de se elatiùs incipiant, cùm in quibus ipsi rectè se gerant, in iis natu grandiores labi animaduertant.* Quarta: *Ne ad officia maiorum, ob assiduum cum ipsis vsum indecorè ante tempus assiliant.* Quinta: *Ne in præceptorum commentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo, qui illam solet comitari, reliqui Monachi offendantur. Quocirca cum huius, quem dixi, ordinis*, inquit, Basilius, *tum reliquæ etiam seruandæ disciplinæ, ac sanctimoniæ caussa, separato esse loco illa oportet, in quibus & pueri, & natu grandiores versentur.*

Qualis olim in Cœnobiis.

I. *Pueri ab aliis segregati instituebantur.* Cap. 63.

Vnde schola Puerorum.

Lanfranc. in Stat. cap. 22.

Basil. in Reg. fus. disput. interrog. 15. *S. Basilius id probat, & rationes allegat.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

B SECVNDÒ, Peculiaris *pueris* præponendus est Magister vel Instructor, quod illis S. BENEDICTI verbis insinuari crediderim: *Foris autem vel vbi vbi custodiam habeant & disciplinam, vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant. Custodiam habeant*, ait Bernardus Cassinensis, *seniorum scilicet sibi deputatorum.* Hoc porrò officium in Regulâ S. Pachomij ad Præpositum spectabat, ita enim scribitur: *Pueri in domo, si fuerint dediti lusibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet Præpositus vsque ad dies triginta, ipse eos monere, & corripere. Si viderit* C *in prauitate persistere, & non nuntiauerit Patri Monasterij, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpa subiacebit, iuxta quod peccatum fuerit inuentum.* S. Fructuosus præter Cellerarium, qui illis victum tribuat, alterum eis præficit Decanum. *Quin & ipsi infantes*, inquit, *suum habeant Decanum, qui plus de eis intelligit, vt regulam super eis obseruet, & ab eo semper admoneantur, ne aliquid absque Regulâ faciant, aut loquantur, aut certè in mendacio, furto, vel periurio deprehendantur.* Quibus autem D moribus instructum esse oporteat pueroorum Præfectum, Basilius describit: *Pueris autem his præficitor, qui cùm ætate tum vsu ceteris antecedat, cuiusque omnibus testata morum facilitas sit, quo videlicet cum paternâ lenitate, tum prudenti etiam sermone errata corrigat adolescentulorum, appositis ad singula errata remediis adhibendis, eiusmodique, quibus vno eodem tempore & noxa castigetur, & animus ad tollendas perturbationes, vitiaque assuefiat.* Similiter Lanfrancus: *Vnus, super alios Magistros, sit Magi-* E *ster puerorum, maturus, & discretus, qui auditis clamoribus culpas delinquentium moderatâ discretione sciat vel punire, vel indulgere.* Et Isidorus: *Cura nutriendorum paruulorum pertinebit ad virum quem elegerit Pater, sanctum, sapientemque, atque ætate grauem, informantem paruulos, non solùm studiis litterarum, sed etiam documentis magisterioque virtutum.* Sic ille. Ex quo videas, non cantu tantùm, & cærimoniis *Pueros* instruendos, sed potiùs litteris & virtuti-

PÆDAGOGIVM.

II. *Pueris præerat Magister.*

Pachom. in Reg. art. 96. *Pachomius vocat Præpositum.*

Fructuos. in Reg. c. 6. *Fructuosus Decanum.*

Qualis Pueris præfectus. Basil. in Reg. fusior. interrog. 15. *Senex, probus.*

Stat. Lanfr. cap. 22. *Discretus, sapiens.*

Isidor. in Reg. Monach. c. 20. *Qui virtutes doceat, non solum scientiam.*

PÆDAGOGIVM. Cap. 24.

** fortè legendum, deducta perficiant.*

bus. Vnde & Regula Cuiusdam ad Virgines: *Infantes in Monasterio timoris Dei ac amoris doctrinâ imbutas ad cultum instrui religionis. Habeantq́; lectionis vsum, vt sub puerili ætate discant quo ad perfectam * deductam proficiant.*

Pueris binis ac ternis datus etiam Custos.

Quia autem vnius cura plurium Infantium educationi non semper sufficit, præter communem Magistrum inuenio etiam singulis propemodum, aut saltem binis, ac ternis quendam adhibitum CVSTODEM, quem ita Cluniacensium, S. Dunstani, & Lantfranci statuta nominant, quod in Regulâ de *Pueris* legissent: *Foris autem vel vbi vbi* Custodiam *habeant & disciplinam.* Nec vnquam absque *Custode puer* erat relinquendus. *Est enim consuetudo, vt quocumque ipsi pueri insimul eant, vel in Dormitorium, vel in Monasterium, vel quocumque, omnes Magistri debeant subsequi.* Plura autem circa hanc obseruantiam præscribit Lantfrancus, atque illud in primis:

Lib. consuet. Cluniacens. cap. de Pueris.

Lantfr. vbi supra. Sine quo non exibant septa sua. Dunstan. in Concor. regul. Nec ipsis Custos sine arbitro loquebatur.

Extra loca custodiæ suæ sine Custode nusquam procedant. Duo, & duo laternas ferant. Quocumque pergunt Infantes, vnus Magister inter duos Infantes sit. Sic etiam S. Dunstanus: *Nec ad obsequium*, inquit, *priuatum quempiam illorum, nec saltem sub spiritualis rei obtentu solum deducere præsumant: sed vti Regula præcipit, sub sui Custodis vigilantiâ iugiter maneat, nec ipse Custos cum singulo aliquo puero sine tertio, qui testis assistat, migrandi licentiam habeat.* Eiusdem moris mentio fit in vitâ S. Odonis, his verbis: *Mos eiusdem loci fuerat, vt Magister scholæ solus cum solo puero, nec quoquam iret, saltem nec ad naturæ digestionem. Sed nec solus puer secretiùs illi loqui præsumeret, sed propter bonum testimonium, alium è pueris, aut vnum ex Fratribus in comitatu vel locutione semper assumeret.*

Lib. 1. vit. S. Odonis.

Cubitum deducebat.

Deinde: *Collocatis in lectis suis*, ait Lantfrancus, *assistant Magistri dum sint cooperti, & in nocte cum accensis candelis. Lectos suos ante, vel inter lectos Magistrorum habere debent.* Præterea, *Si necesse habent surgere, priùs Magistros excitent, & posteà accensâ laternâ, si nox est, ad necessitates suas explendas cum Magistris ambulent.* Sed liber Consuetudinum Cluniacensium præter Magistrum, & alium etiam requirit *Puerum*: *Si quis eorum*, inquit, *opus habuerit in nocte ad necessarias ire, priùs laternâ accensâ maiore Magistrum sonitu excitat prope se iacentem. Qui surgens surgere facit, & alium puerum: eorum alterutro sursum tenente laternam, medius inter illos Magister incedit. Sic nimirum eos ducit & reducit, nec candelam extinguit, vsque dum ambo sint recollecti.* Sic ibi. Ob leuem verò huius rei neglectum, grauiter punitus est S. Odo: Nocte enim quâdam *quidam de pueris signo secessum naturæ petiit. Erat autem ille locus adeò dormitorio proximus & coniunctus, vt lucerna, quæ ibi regulari auctoritate ardebat, perlustraret eum. Surgens itaque Pater Odo, vnum suscitans è pueris, illo tantùm contentus lumine, cum eo abiit. Altera autem die (vt mos est) conuenientes ad Capitulum fratres, post Martyrologium, & versu finito, atque lectione Regulæ: cœperunt illum vehementer increpare, cur sine cerco transactâ nocte post puerum iisset. Verùm, quia ante veniam, nullus suam audet proferre caussam, nec suam post veniam defendere sententiam, illicò in terram corruens veniam petiit, sufficere inquiens sibi posse dormitorij lucem. Sed tamen ab illis non solùm est auditus, verùm è contrà sub graui culpâ adiudicatus.* Abbas enim in illum sententiam excommunicationis protulit.

Surgentibus ad necessitatem præsto erat, &

Lib. Consuet. Cluniac. Cum tertio puero deducebat.

Lib. 1. vit. S. Odon.

Pueri nemini loquebantur nisi præsente Magistro.

Nulli insuper cum aliquo puerorum loqui licebat, *nisi acceptâ licentiâ ab Abbate, vel Priore; quæ cùm conceditur, Magister medius sedere debet inter puerum, & qui ei loquitur. Iuuenis cum iuuene non loquatur, nisi audiente, & intelligente Magistro quid vtrimque dicatur; Magistri inter eos sedeant, vel ante illos, sic vt eos cùm volunt conspicere valeant. Custos Iuuenem non relinquat nisi commendatum alicui Fratri, in quo, & de quo benè confidat.* Non absimile decretũ est S. Pachomij: *Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum Pueris ridere vel ludere, tertiò commonebitur, si non cessauerit, corripietur, vt dignus est, correptione seuerissimâ.* Pergit verò Lanfrancus: *Quòd si paucitas maiorum, & pluralitas iuuenum aliter agendum coëgerit, sufficientes eis* Custodes *deputentur. Porrò, si custodia illa iuuenum, quæ in nonnullis cœnobiis tenetur, magis placet, vt videlicet in diuersis, ac separatis ab inuicem locis per claustrum sedeant, singuli singulos, aut plures, si tanta copia est,* Custodes *habeant; singuli singulas laternas in nocte ferant.* Veniebant enim ex dormitorio laternas in manibus ferentes. Idque ideò, vt arbitror, ne in tenebris aliquam exercerent petulantiam, atque vt occupatis manibus impellere se inuicem non possent. Aliter tamẽ nonnullibi seruatum apparet ex vitâ S. Maclouij, vbi hæc habentur: *Mos est ordinis illius, pueros ferre hebdomadatim lucernam cum luce ante Pædagogum suum, quando nocturno tempore intrant vel exeunt Oratorium. Adueniente autem hebdomadâ felicis pueri Maclouij, compares eius extinxerunt ignem, quo debebat lucerna accendi: optantes, vt pro illâ offensâ sufferret verbera Magistri.*

Reg. Pachom. n. 90.

Mos ferendi laternas, & ratio.

Sigebert. in Vit. S. Maclou. cap. 4. apud Sur. 15. Nouem.

DIS-

DISQVISITIO VII.

Quid de Puerorum alimentis statutum?

S. Benedictus puerorum victum optimè ordinauit. Cap. 37. GRANDE in Pueris tormentum fames, quos proinde ad mensam deducimus. Pius autem Pater, & discretionis eximiæ BENEDICTVS, optimè illorum victui prospexit, ita statuens: *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, Senum videlicet & infantum, tamen & Regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis: sed sit in eis piaconsideratio, & praeueniant horas canonicas.* Id est, iuxta Smaragdum, *Si Fratres sexta comedant, illi horâ tertiâ reficiant: si Fratres nonâ, illi sextâ cibum accipiant.* Quod *Bis in die esse reficiendi.* ita crediderim intelligendum, vt quotidie bis reficiant. Quid enim prodesset ad sextam reficere, quando conuentus ad nonam, si his Paruulis non exhiberetur cœna? Idem ferè apud Ægyptios obseruatum *Hieron. Epist. 22.* Monachos, auctor est S. Hieronymus: *Vinum, inquit, senes tantùm accipiunt, quibus & Paruulis sæpe fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens.* *Præfat. ad Reg. S. Pachom.* Idemque: *In cœnâ similiter mensa ponitur propter laborantes, senes & pueros, æstusq; grauissimos.* Hæc ergo cœna exhibebatur pransis, & prandium cœnaturis. S. verò Fru- *Alij sæpius indulgent.* ctuosus tertiò aut quartò eis cibum indulget, cum Cellerario eorum curam assi- *Reg. Fructuos. cap. 6.* gnans, ita statuit: *Infantes ipsius imperio ad horas congruas copulentur, & accipiant alimentum. A Sancto Pascha vsque octauo Kal. Octobris manducent per singulos dies quatuor vices. Ab octauo Kal. Octobris vsque ad Kal. Decembris, tres vices. A Kal. Decembris vsque ad Sanctum Pascha, in potestate sit ipsius Cellerarij.* *Pueri non tenentur ad ieiunia regularia.* Hæc Fructuosus. Hinc autem rectè colligis *Pueros* non obstrictos ieiuniis regularibus, saltem omnibus. Vnde Isidorus: *Qui* *Isid. in Reg. Monach. cap. 11.* *vetustate corporis consumpti, aut tenera ætatis fragilitate detenti sunt, non sunt quotidianis ieiuniis exercendi, ne aut senescens ætas antequam moriatur, deficiat: aut crescens priusquam proficiat, cadat: & antè intereat quàm bonum facere discat.* Regula autem Magistri *Reg. Magist. cap. 28.* eorum ieiunia definit: *Infantuli, inquit, quartâ, sextâ, & sabbato in diebus minoribus, hoc est hyemis tempore, ieiunent, aliis verò diebus ad sextam reficiant horam. In æstatis verò diebus, quartâ sextâ & sabbato infantuli sextâ horâ reficiant, aliis verò diebus tertiâ recreentur.*

Quantitas alimenti ipsorum. Cap. 39. Quod quantitatem spectat, S. P. præscribit, vt in *Pueris minori ætate non eadē seruetur ciborum quantitas, sed minor quàm maioribus, A seruatâ in omnibus parcitate.* Et Regula Magistri: *Minoribus duodecim annis minus à librâ panis in die sufficiat.* Nec enim tantum valet comedere puer, quantum adolescens vel vir. *PÆDAGOGIVM.*

De qualitate vt verbum dicamus, putat Boërius hos *Pueros carnibus quadrupedum & volatilium reficiendos, cùm habeant amplius de nutrimento, & per consequens de sustentatione, quàm alij cibi.* Ita ille. Sed diu ante eius tempora aliter resolutum in Synodo Aquisgranensi, vbi statuitur: *Vt Infantes oblati carnem non nisi in caussâ infirmitatis mandu-* B *cent.* *Non sunt carnibus reficiendi.* *Synod. Aquisgran. Can. 37.*

Quod vlteriùs *Puerorum* spectat refectionem, notandum ex Regulâ Cuiusdam ad Virgines, præscribi: *In refectorio per se mensam habeant iuxta Seniorum mensam positam. Seniores tamen vel duæ, seu amplius de quarum religione nō dubitatur, cum eis sedeant: vt semper timore antepositosub metu seniorum nutriantur.* Addit Isidorus, eos debere stare ad mensam: quòd etiam factum apud Cluniacenses, vt testatur Petrus venerabilis, qui consuetudinem eam mutauit, *ne ea debiliori ætati, vt inquit, necessitas imponere-* C *tur, quæ à fortiori non exigitur.* *Mensam separatam habeant in refectorio. Reg. ad Virg. c. 24.* *Stabant olim. Isidor. in Reg. cap. 9. Petr. in Stat. nu. 46.*

DISQVISITIO VIII.

Vt punitæ Puerorum culpæ.

PVERILIS ætas leuitati, petulantiæ, variisque concupiscentiis obnoxia est. Vnde Venusinus Vates: *Puerorum animus leuis & volaticus.*

Reddere qui voces iam scit Puer, & pede certo
Signat humum; gestit paribus colludere, & iram *Horat. de arte Poëtic.*
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas:
D *Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.*

Puer enim est quasi animal brutum, quod non ratione, sed sensu agitur, omniaque quæ videt concupiscit. *Pueris & bestiis*, inquit Aristoteles, *naturales insunt habitus, sed sine intellectu & mente, noxij esse apparent.* Quare sicut muli, asini, equi, scuticâ, virgâ, vel baculo à suis cupiditatibus arcentur, & rectâ diriguntur; ita rudes *Pueri* etiam verberibus à suis arcendi & refrænandi concupiscentiis. Vnde Salomon: *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso impru-* E *dentium*: quales vel maximè *Pueri*. Huius non ignarus S. P. BENEDICTVS de *Puerorum* culpis, pœnisque peculiarem edidit sanctionem. *Omnis ætas, inquit, vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quotties Pueri, vel Adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis, hi tales dum delinquunt, aut ieiuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, vt sanentur.* Nec fine *Aliquid participat brutale. Aristot. Ethic. lib. 6. cap. 13.* *Quod virgis expellendum.* *Prou. 26.* *Et statuit S. Benedictus Pueros delinquentes verberandos. Cap. 30.*

PÆDAGOGIVM. *Præiuerunt ipsi Arsenius,* Socrat. hist. Eccles. lib. 4. cap. 18.

A sine exemplo ita statuit, nam S. Arsenius, teste Socrate, *Adolescentulos, qui deliquerant, à communione non segregauit: sed eos qui in disciplinâ monasticâ profecerant, Nam Adolescentulus si segregetur, contemnit, qui autem profecerit, dolorem quem ex segregatione capit, citò persentiscit.* Verberibus autem coërcendos etiam decreuit S. Pachomius: *Omnes,* inquit, *Pueri qui non timent confundi prò peccato, & correpti verbo, non emendauerint, verberentur quamdiu disciplinam accipiant & timorem.* Similia habet Isidorus: *In minori ætate constituti, non sunt coërcendi sententiâ excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis affligendi sunt plagis: vt quos ætatis infirmitas à culpâ non reuocat, flagelli disciplinâ compescat.* Regula Magistri: *Infantulos vsque ad quindecim annos non excommunicari, sed præcipimus vapulare pro culpis.* Sed à quo, & quomodo? non nisi ab eo cui id fuerit commissum: Vnde Legislator: *Ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare, aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate facta fuerit.* S. Fructuosus ait, à suo Decano virgis emendandos. Et rectè, nam vt Salomon dixit: *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ effugabit eam.* Praxim verò sui temporis expressit Lanfrancus: *In capitulo suo Pueri vapulent, sicut Maiores in maiori capitulo. In choro præsente Abbate nisi præcepto eius nullus eos percutiat, nullus exuere faciat. Absente eo Cantor de iis, quæ sui sunt officij, eos castiget: Prior verò de ceteris, in quibus se leniter habent,* eos puniat. Et Bursfeldenses: *Pueri si insolescant, verbis breuiter corripiantur, & suis Magistris, seu Priori deferantur: non autem vapulent, nisi ab his quibus specialiter commiserit Abbas.* Denique Camaldulenses pœnitentias *pueris* iniungendas, vsque ad annum quintum-decimum, vel ad summum decimum sextum, vt puta, quia lectioni non studuerint, non rectè cantarint in choro, &c. has statuunt: *Priuatio fructuum in mensâ, aut casei, vel vini: & aliquando,* vt dicunt, *pictantiæ. Item humi prandere, in medio refectorij, disciplinas recipere; deosculari Monachorum pedes in mensâ recumbentium; aut de mane in capitulo existentium.* Basilius quoque ieiuniis Pueros decernit coërcendos.

Et Pachomius. Pachom. in Reg. art. 97.

Secuti sunt Isidorus, Isid. in reg. cap. 18.

Et Magister. Reg. Mag. cap. 14.

Pueri à quo cædendi. Cap. 70.

Fruct. c. 6.

Prou. 22.

Praxis Lanfranciano. Lanfr. in Stat. c. 22.

Bursfeld. in Cerem. dist. 3. c. 20.

Camald. ad c. 30. Reg. *Pueri aliis modis coërciti.*

Basil. reg. fus. disp. interrog. 15.

Quamuis autem vsitatissimum, omnibusque nationibus commune aduersus puerilem insolentiam remedium,

Sint Virgæ, *ingeniis torpentibus vtile calcar;*

nescio tamen, quid Erasmum mouerit, vt in suo Ecclesiaste Pædagogos nostros, atque ipsum sanctissimum Patriarcham cēsoriâ perstringeret virgulâ. *Superfunt,* inquit, *Monasteria, præsertim ea quæ recipiunt ætatem teneram, quòd maximè faciunt Benedictini; nec enim hoc vetuit* BENEDICTVS *in Regulâ. Et olim cùm in Monasteriis vigeret pietas, erant quasi pædagogia & scholæ adolescētulorum ad eruditionem & sanctimoniam. At nunc in quibusdam mera tyrannis est, assiduè vapulant, non ob vitia, neque enim accipiunt virtutis præcepta, sed velut ex more, ad libidinem Priorum, quasi hæc ipsa sit magna religio, inclementer cædi.* Et paulò pòst: *Huic tyrannidi* BENEDICTVS *ipse quadantenus dedit occasionem, qui iubet adolescentes, si non pareant monitis, acerrimis verberibus esse coërcendos.*

Erasm. in Eccles. lib. 2. pag. 190. *Erasmus reprehendit morem verberandi pueros.*

Et obliquè S. Benedictum.

B Alludit credo ad illa S. BENEDICTI verba: *Quoties pueri vel adolescentiores ætate delinquunt, aut ieiuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur.*

Cap. 30.

Verùm Erasmus, vt erat mus, libenter rodebat Monachos, quos & hîc inclementer cædit: Dum enim ait, olim in Monasteriis viguisse pietatem, & adolescentulos ad eruditionem & sanctimoniam eruditos, quis non videat, sugillari pleraque Monasteria, quasi ab iis eruditio & sanctimonia iam exularet? *Vbi tantùm,* ait, *discantur cantiones, flexiones corporum, & meræ cerimo-* C *niæ: de studio pietatis verbum nullum.* At hoc si vspiam irrepserit, non toti Ordini commune censendum. Plurimi enim in cœnobiis à pueris educati, in viros doctrinâ & pietate insignes euaserunt. Cantum quidem & religiosas cærimonias, quibus Angelorum instar, Deum assiduè consuescant laudare, addiscunt. Sed non hæc tantùm, cùm & bonis litteris & pietati operam nauare iubeantur. Quod autem pro culpâ in diuino officio commissâ, ex Regulæ præscripto vapulent; quis iure improbauerit, cúm in omnibus Scholis id frequens, ne D dicam quotidianum sit? Nam de se Augustinus ait: *Nulla verba* (Græca) *noueram, & sæuis terroribus ac pœnis, vt nossem, instabatur mihi vehementer.* Iterumque: *Proponebatur mihi negotium animæ meæ satis inquietum præmio laudis & dedecoris, vel plagarum metu, vt discerem verba Iunonis irascentis,* &c. Symphoniacos pueros inter modulandum errantes virgis magis castigari quàm verbis, vsu receptissimum,

Reiicitur.

Erasm. ibid.

Pueri in Cœnobiis solidâ etiā pietate imbuuntur.

Reg. c. 45.

Quod errantes cædantur, est Scholarum vsus.

Augustin. Confess. l. 1. cap. 14. Cap. 17.

Nempe vigent sensu, qui rationis egent:

& quod nequit verbis, verberibus subinde inculcatur. Rectè Basilius: *Parui Pueri* E *doctrinam despicientes ob ferulas flagellaque, quæ Magistri & Pædagogi adhibere solent, attentiùs dictata suscipiunt, & ipse sermo ante plagas non auditur: post verbera doloresque veluti statim apertis auribus, & auditu excipitur oratio, & memoria custoditur.* Sic ille.

Et stimulus ad discendum.

Basil. in Prou. init.

Nec est quod tyrannidis occasionem quadantenus dedisse S. BENEDICTVM dicat,

S. Benedictus nullam tyrannidis occasionem dedit. Cap. 37.

cat, cùm pius ille Pater scribat, *ipsam naturam humanam trahi ad misericordiam in ætate infantum*, erga quorũ imbecillitatem *piam* iubet esse *considerationem*. Quòd si tyrannis dicenda virgarum hæc disciplina, Siracidem quoque tyrannidis accusemus, cuius illa verba: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo*, Idemque: *Curua ceruicem in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est.* Quin & Salomon ait: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Iterumque: A *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur.* His proinde vestigiis S. BENEDICTVS & Benedictini insistentes, facilè à se tyrannidis conuitium propulsabunt.

Eccles. 3. 1. *Scriptura monet in Pueros virgis animaduertendum.* Vers. 12. Prou. 13. — PÆDAGOGIVM. Ibid. 23.

Hæc autem vel eo nomine adducta sint, ne studiosa iuuentus à Benedictinis scholis, Erasmianis persuasionibus seducta, abhorreat. Peculiarem porrò Monasticorum *Puerorum* admonitionem lege apud S. Petrum Damiani *Opusculo XIII. cap.* 10.

TRACTATVS II.

DE NOVITIORVM RECEPTIONE.



NOVITIATVS.

LTERVM *in hoc Monastico* SEMINARIO *ordinem constituunt* NOVITII, *qui Pueris paulò prouectiores, tirociniĳ rudimentis accuratiùs excoluntur, vt elapso probationis anno ad Professionem possint admitti. Sunt enim hi non tam semina Reipub. Monasticæ, quàm nouellæ potiùs plantationes in iuuentute suâ, qui*, plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. *Sunt, inquam*, plantati in domo Domini, *quia admissi ad Religionem, quæ domus Dei est, quam vt inhabitarent, tot votis ambierunt, tot supplicationibus efflagitarunt, tantâ perseuerantiâ pulsauerunt, præ quâ quilibet oblitus populum suum, & domum patris sui, elegit* abiectus esse in domo Dei sui, magis quàm habitare in tabernaculis *peccatorum. In atriis domus Dei nostri florebunt; quia, vt magnificum illud Salomonis templum duo habebat atria, vnum exterius, alterum interius, quæ muro ab inuicem separabantur; ita in Cœnobiis Professi à Nouitiis distinctis habitare solent locis: illi quidem in interiori, vt ita dicam, atrio, ipsáque domo Dei, hi verò in atrio exteriori. Quæ sanè quàm antiqua sit consuetudo, ex S. Ephræm patet, qui recèns professum alloquens, cùm dixisset*: Frater dignus es habitus sancto indumento monastico: ne extollaris aduersus expectantes, in futurum annum, *statim subiungit*: Nam adhuc in EXTERIORE versatus es tholo, seu camerâ: nunc verò in INTERIOREM THOLVM ac domum introisti. *Vbi Scholiastes Vossius, per* exteriorem tholum *domum Nouitiatus, per* interiorem *domum Professam intelligit. Plantati in his domus Dei atriis florent, florebuntque; quia tam Nouitĳ quàm recenter professi, religiosæ pietatis florem ostendunt, amplamque futuræ maturitatis, fructuumque spem faciunt. Sed atrium hoc subeuntes, præsenti* Tractatu, *eumque ex ordine sequentibus totam Nouitiorum examinabimus disciplinam.* Primò *ita disquiremus, Qui, qualésve Nouitĳ?* Secundò, *Vt explorandi Nouitiatum appetentes?* Tertiò, *Quibus ex caussis inutiles personæ recipiantur?* Quartò, *Vt Sacerdotes & Clerici admittendi?* Quintò, *Vt Monachi peregrini?* Sextò, *Num commendandus sit de vnâ Religione ad aliam transitus?*

Nouitĳ similes nouellis plantationibus. Psal. 91. — Psal. 83. — *Florent in domo Nouitiatus, tanquam atrio extimo domus Dei.* — Ephræm tom. 2. pæræn. 17.

NOVITIATVS.

DISQVISITIO I.

Qui, qualésve NOVITII?

Qui Religionem profiteri ambiunt, vocantur.



QVI ad Cœnobium eo admittuntur animo, vt Religiosæ vitæ experimenta subeant, & probationis elapso tempore, si idonei fuerint inuenti, ad professionem admittantur, variis appellari solent nominibus, quæ nobis hîc de more explicanda.

I. *Nouitij.* PRIMO autem, apud omnes vulgatissimum est, vt dicantur NOVITII. Quâ voce *Cic. orat. in L. Pisonem. Pro Dom. sua.* Cicero vsus est: *Syrum, nescio quem, de grege* NOVITIORVM, *factum esse consulem.* Item: *Ille Nouitius Ligur, venalis adscriptor & subscriptor.* Propriè autem *Nouitius*, seruus *Quid hac vox signif.* dicebatur recenter emptus. Vlpianus: *Præficit. L.37 ff de ædil. edict.* *cipiunt Ædiles, ne veterator pro* Nouitio *veneat.* Venuleius: *Seruum tam veteratorem quàm Ibid. l. vlt.* Nouitius *dici potest.* Meritò proinde & hoc vocabulum sortiuntur, qui ad seruitutem Dei accedunt, vt serui Dei (sic Monachos vocari aliàs diximus) efficiantur, & *omni* *Reg. cap. 5.* *obedientiâ se subdant maiori, propter seruitium* *S. Benedictus en vitâ.* *sanctum, quod* profitentur. Quare & à S. BENEDICTO aliquoties ita vocantur: *Incipiat* *Cap. 58.* *ipse* Nouitius *mox hunc versum.* Et: *Ille* Nouitius *signum faciat.* Item: *Tunc ipse Frater* Nouitius *prosternatur singulorum pedibus*: Vsurpat etiam adiectiuè, cum de *Cap. 1.* Eremitis ait: *Qui non conuersionis feruore* nouitio, *sed Monasterij probatione diuturnâ, didicerunt contra diabolum pugnare.* Suauiter *Tertull. de Pœnit. cap. 6.* Tertullianus Catechumenos appellauit *Nouitiolos: Sed præcipuè* Nouitiolis *istis im-* *Nouitioli.* *minet, qui, cum maximè incipiunt diuinis sermonibus aures rigare*, &c. Affine est, quòd *Reg. Mag. cap 87. & 90.* Regula Magistri *Nouitium* vocet *Nouum*, vel *nouellum fratrem.*

II. *Suscipiendi Fratres.* SECVNDÒ, vt Sanctum BENEDICTVM illustremus, dicuntur eidem *Nouitij*, SVSCIPIENDI FRATRES; vnde capitis, quo de iis tractat, lemma est: *De disciplinâ suscipiendorum Fratrum.* Appellationis autem huius caussam ipse satis innuit Legislator: *Cap. 58. Caussa huius appellationis.* nimirùm quòd *Nouitius habitâ secum deliberatione*, cùm promiserit *se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare*, suscipiatur *in congregatione.* Deinde addit: *Suscipiendus autem, in Oratorio coram omnibus promittat.* Adde his, quòd sicut à Fratribus, ita etiam se roget à Domino suscipi, ternâ illius versiculi repetitione: *Suscipe me Domi-* *Psal. 118.* *ne, secundùm eloquium tuum, & viuam.* Hinc *Monachi suscepti.* Monachos dici *Susceptos* ab Abbate, vt ægri solent à medicis, clientes à patro- ** Coment. in vit. S. Be.* nis, * alibi pluribus annotauimus. Cassianus: *Cùm igitur quis* Susceptus *& hac perseuerantiâ comprobatus ac depositis propriis vestimentis, habitu monasteriali fuerit accinctus.* *ned. cap 5. num. 5. Cass. lib. 4. cap. 7.*

III. TERTIÒ, *Nouitium* per periphrasim vocat Sanctus BENEDICTVS *Nouiter ve-* *Venientes ad Conuersionem.* *nientem ad* CONVERSIONEM. Sic & Regula Patrum: *Qui de sæculo in Monaste-* *Reg. Pat. cap. 1.* *rio conuerti voluerit.* Et Macarij, Serapionis, & aliorum cap. 4. *Qui de sæculo conuer-* *tuntur.* Isidorus & Fructuosus * alibi à ** Lib. 1. Tract. 1. disq. 8.* nobis adducti, hunc simpliciter vocant *Conuersum.*

IV. *Pulsantes.* QVARTÒ, ex his S. BENEDICTI verbis: *Ergo si perseuerauerit pulsans*, alia *Nouitiorum* exsculpta est nomenclatura, vt PVLSANTES vocentur, quòd scilicet necdum per *Qua voce nota Scriptoribus.* Professionis ostium in domum Domini sint ingressi, sed constanter pulsent, admitti rogantes. Vnde inter Epigrammata *Tom. 5. antiq. lect. Henric. Canis. part. 2.* Patrum Monasterij S. Galli, quibus pleraque Monasterij loca describuntur, hic Eckerardi versus cum hac epigraphe occurrit:

Domus Nouitiorum.

Hoc Claustro oblati PVLSANTIBVS *adsocientur.*

S. Ludgerus in vitâ S. Gregorij Vltraiectensis Episcopi: *Sturni Abbas hoc meruit priuilegium à Deo, vt ante obitum suum de hoc mundo, quadringentorum circiter Monacho-* *Monasterij Fuldensis celebritas.* *rum, exceptis* PVLSANTIBVS, *& aliis minoribus personis, quorum numerus multiplex erat valdè in ipso Monasterio, posito iuxta fluuium Fuldâ, pater extiterit & præceptor.* Hinc & non legitimè probati, vocantur *non Pul-* *Non pulsati non probati.* *sati.* In Capitulari Caroli Magni ad Theo- *Anno 805. num. 13.* donis-villam, ita legitur: *Vt qui non sunt secundùm Regulam* PVLSATI, *deinceps emendentur, &* PVLSENTVR. Item: *Vt in-* *Num. 14.* *fantulæ ætatis puellulæ non velentur antequam eligere sciant quid velint: & vt* PVLSENTVR *saluâ canonicâ sententiâ & auctoritate.* Probationis quoque locus, siue No- *Pulsatorium domus probationis.* uitiatus, PVLSATORIVM appellatum. Capitulare Aquisgranense: *Vt ad Monasteria* *An. Christi 789. nu. 73.* *venientes, secundùm regularem ordinem, primò à* PVLSATORIO *probentur, & sic recipiantur.* Videri queat Sanctum BENEDICTVM allusisse ad parabolam, quâ Do- *Vnde Nouitij dicti Pulsantes?* minus instantiam orationis exemplo illius commendauit, qui noctè ad amicum accessit petiturus panes, & repulsam passus, *perseuerauit pulsans*, obtinuitque: non secus *nouiter veniens ad conuersionem, si*

(vt

(vt S. B. ait) *perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus visus fuerit patienter portare*, voti compos fit. Et hinc in Flandria supplicantes pro admissione ad habitum religiosum, dicuntur panem Monasterij petere, & quibus conceditur, panem impetrasse. Cùm igitur Saluator dixerit: *Pulsate, & aperietur vobis*, &: *Pulsanti aperietur*; idque diligenter fieri soleat à *Nouitijs*, hinc eos PVLSANTES dictos non malè quis arbitretur. An & hinc Deuotariæ Virgines, & spirituales filiæ, quæ in sæculo virginitatem seruantes, Deo seruiunt, Batauis nostris dictæ **Kloppjens** & **Klop-susters**, id est, *pulsatrices, Sorores pulsantes*: quod scilicet non admodum dissimiles sint *Nouitijs* Monasticam professionem ambientibus, & velut in eodem constitutæ gradu. Quæ etymologia mihi, vt fateor, magis arridet, quàm ea, quam adfert Kilianus, qui cùm dixisset **Kloppen** vetus esse *castrare*, **Klop-suster** interpretatur; *Virgo templo & rebus sacris dedita: Virgo quæ se propter regnum cælorũ castrauit*. Idem Euangelij locus, in quo dicitur: *Petite, & accipietis*; &: *qui petit, accipit*, in memoriam reducit COMPETENTIVM nomen, quo Catechumeni, quibus *Nouitios* nostros comparauimus, appellari consueuerunt. *Competentes*, inquit Augustinus, *dicuntur simul petentes*: Quid ergo petunt, nisi baptismi sacramentum? Similiter & *Nouitij* nostri *petentes* dici possunt, quod ad probationem & monasticum habitum admitti petant. Vnde in examine ab vnoquoq; quæritur. *Quid petis charissime?*

Quid panem Monasterij petere. — *Luc. 11.* — *Deuotariæ vnde dicantur Kloppens.* — *Kilian. in Etymol.* — *Catechumeni Competentes vocabantur.* — *Aug. serm. 116. de tẽp.* — *Et Nouitij petentes dici possunt.*

V. QVINTÒ, ijdem dicti *Abrenunciantes sæculo*, vt aliàs ex titulo *lib. 4. Institutionum* Cassiani, qui est *de Institutis Renunciantium*, probauimus: agit enim ibi de *Nouitiorum* disciplinâ. Eâdem loquendi formâ vtitur Pachomius: *Si quis accesserit ad ostium Monasterij, volens sæculo renuntiare, & fratrum aggregari numero*. Quæ ipsa verba reperiuntur in Regulâ Orientali. Isidorus: *Qui renunciãs sæculo ad Monasterium venerit, non statim in cœtum delegandus est Monachorum*. Regula Ternantensis: *Si quis fidei ardore succensus renuncians sæculo Monasterium elegerit expetendum, non confestim licentia tribuatur intrandi*.

Abrenunciantes sæculo. — *Pachom. art. 26.* — *Isid. Reg. cap. 4.* — *Reg. Tern. cap. 5.*

VI. SEXTÒ, S. Cæsario Arelatensi dicuntur INCIPIENTES: *Indumenta verò ipsa, cùm noua accipiunt, Abbatissa refundat pauperibus, aut* INCIPIENTIBVS *vel iunioribus dispensanda*. Vbi Menardus rescribit: *Abbatissa refundãt*. Quæ proba lectio, vt constat ex S. Aureliano, qui Cæsarij verba ita expressit: *Vestimenta etiam, cùm noua accipiunt, Abbati refundant*, INCIPIENTIBVS *aut pauperibus erogãda*. Eodem modò Grecè appellantur ἀρχά-

Incipientes. — *Cæsar. in Reg. Sanctimon. c. 41.* — *Aurelian. Reg. c. 44.* — *Græc. Archarij.*

A ϛοι, vt apud Palladium, & in Græcorum Euchologio, vt citat Rosweydus: ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα: *Ordo instituendi incipientem* (Nouitium) *rasam ferentem*. Sic & *Beguinarum* nomen, quæ à S. Begga natales suos petunt, Ioachimus Hopperus à BE-GHINNEN, i. *incipere* deducit: *quod principium siue initium quoddam rei monasticæ ponant*. Fortè etiam, vt moneantur in viâ spirituali quotidie incipiendum.

NOVITIATVS. — *Laus. c. 21.* — *Rosweyd. Onomast. v. Schema.* — *Beguinæ à beghinnẽ.* — *Kilian. in Etymolog.*

VII. SEPTIMÒ, vt alia quædam Græca adijciamus nomina; S. Basilius Nouitios appellat εἰσαγομένους, i. *qui introducũtur*. Quod Cassianus expressisse videtur de Decano, qui Iunioribus præest, dicens: *Cuius hæc erit solicitudo & eruditio principalis, per quam* IVNIOR INTRODVCTVS *ascendere culmina perfectionis præualeat*. Isidorus Pelusiota eosdem vocat νεοπαγεῖς, id est, Neophytos; quod secutus est etiam Climacus dicens: ἐγὼ ἐκεῖ-σε παρὼν τῶν ἀρχαρίων πίστιν: *Admiratus ego præsens ibi quorundam Tironum fidem*. A peculiari amictu, vocati quoque ῥασοφόροι. Balsamon: οἱ μὴ πρὸ τοῦ δοκιμασθῆναι... *Non antè de ijs qui probãtur, & adhuc rasam ferunt*. Vnde ῥασοφορεῖν, eidem. *Nouitium agere*: ... *Si quis non tonsus fuerit, sed rasum ferat*. Et in Eucholgio, vt vidimus, ponitur *Ordo instituendi Nouitium rasam ferentem*. Quid autem *rasa*? Vide Onomasticon Rosweydi.

Isagomeni à Græcis dicti. — *Basil. interrog. 15. reg. fus. disp.* — *Cassian. lib. 4. cap. 8.* — *Neopages.* — *Isidor. lib. 1. Epist. 238.* — *Climac. grad. 4.* — *Rasophori à veste rasa, quam gerebant.* — *Basil. in can. 5. Syn. Constantinop.* — *Idem can. 19. Epist. S. Basil. ad Amphiloc.* — *Rosweyd. v. Schema.*

VIII. OCTAVÒ, deductâ à militiâ metaphorâ, passim dicuntur TIRONES, siue tamquam noui milites, vt iam professi sint veterani, Monachos autem esse *Milites* Christi, Regulam, Legem sub quâ militare cupiant, D alibi à nobis dictum fusius. Sed quod huius loci est, *Tirones* erant iuniores, qui publicis stipendijs in militari disciplina instituebantur, & militiæ designati, ad pugnam exercebantur: qui deinde, vbi satis videbantur instructi, in numeros referebantur, nec antea priuilegia militiæ habebant. Quod sanè & nouis Christi militibus conuenire nemo negauerit. Hi enim nonnisi post Nouitiatus experimenta professorum adscribuntur numero, & eorum gaudent prærogatinis.

Tirones. — *In Catech. part. 2. disq. 1.* — *Quales hi in militiâ.*

IX. NONÒ, dici etiam possunt CANDIDATI. E Nam vt illi, qui Magistratum aut dignitatem aliquam ambiebant apud Romanos, eamque consequi sperabant, à candidâ veste, quâ postulationis tempore induebantur, *Candidati* dicti, nomenque posteà extensum est ad eos, qui quouis munus petebant; ita non incongruè Nouitij, *Monastices Cãdidati*, appellari possunt. Ita Quintilianus, *Candidatos eloquentiæ* Plinius, *Candidatos gloriæ & immortalitatis* extulit: Et Hieronymus Catechumenũ vocauit *Candidatum fidei*, qui in vitâ S. Martini est *Can-*

Candidati. — *Quales hi apud Romanos.* — *Quintil. lib 12.* — *Plin. Panegyr.* — *Hieron. Epist. ad Pammach.*

NOVITIATVS.

didatus baptismatis. Et verò; vt magna est Monasticæ Professionis cum baptismo cõgruentia; vt infrà ex professo probabimus; ita *Nouitij* Catechumenis quàm simillimi. Nam vt illi Catechesi ad baptismum per aliquod tempus præparabantur, fidei rudimentis, & de abrenunciando diabolo & adhærendo Christo seriò instituebantur, & seorsim ab alijs in Ecclesiâ orabant; non secus *Nouitij* probationis tempore ad Monasticæ vitæ professionem faciendam regularibus instituuntur disciplinis; atque vt illi diabolo, sic hi abrenunciant sæculo, possessionibus, & propriæ voluntati; nec professis permixti, sed seorsim in Cellâ Nouitiorum, ex Benedictinâ Regulâ, meditantur, manducant, & dormiunt.

Nouitij Catechumenis comparantur.

Sunt denique Nouitij instar Clericorum primæ tonsuræ, qui & comam capitis deponunt, Clericalem vestem accipiunt, & ad sacros ordines suscipiendos præparantur. sic & *Nouitij* per monasticam tonsuram, & sæcularium depositionem vestium, expoliunt, se *veterem hominem*, & assumptione, vt nunc fit, monastici habitus, induunt *nouum, qui secundum Deum creatus est.* Et sic initiati ad Professionum gradus per hæc tirocinia disponuntur.

Item, Clericis primæ tonsuræ. — Ephes. 4.

DISQVISITIO II.

Vt explorandi Nouitiatum *appetentes.*

AD Religiosæ vitæ tyrocinium non temerè obuios quosque admissos; sed eorumdem spiritum, voluntatemque multis antea experimentis tentatam exploratamque, veterum instruimur monumentis. Quibus S. BENEDICTVS inhærens, sapienter admodum ita decreuit: *Nouiter quis veniens ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed, sicut ait Apostolus; Probate spiritus si ex Deo sunt.* Vario enim spiritu homines agi solent in rebus siue amplectendis, siue fugiendis, sed non omnis instinctus, seu spiritus ex Deo est. Nonnunquam enim transfigurat se Angelus Satbanæ in Angelum lucis. Optimè proinde monet Apostolus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Vt enim Nautæ non omni obsecundant vẽto, ne à portu aberrent, aut in Syrtes, & breuia agantur: ita non omni impulsui, aut desiderio est credendum, ne aut ipse Nouitius, aut Superior grauiter hîc hallucinetur. Quemadmodum autem IESVS *plenus spiritu sancto,* vt Lucas ait, *regressus à Iordane, agebatur à Spiritu in desertum:* Ita planè optandum, vt qui post baptismum à sæcularium hominum turba se cupit subducere, & religiosæ vitæ ingredi solitudinem, id non faciat, nisi ductu & impulsu Spiritus Sancti. Verùm, cùm non rarò contingat quosdam spiritu vanitatis, superbiæ & ambitionis, hanc vitam appetere, aliud nihil spectantes, quàm vt commodè possint vitam absque magno labore transigere, aut alium sinistrum intendentes finem; meritò S. BENEDICTVS præcipit probari spiritus, si ex Deo sunt. Et sanè vel ipsa *Schola Dominici Seruitij,* quam S. P. nobis construxit, hoc suo iure exigere videtur. Veteres enim illi Philosophi ad humanæ sapientiæ studium non admittebant quosuis, sed magno delectu ingenium, naturam, moresque singulorum explorabant. Aristoteles prœloquijs seu proœmijs scabrosa & ardua proponẽs, stupidos & negligentes arcebat, viuidos & perspicaces ad scholam inuitabat. Bion pueros delicatiores haud putabat disciplinis idoneos, *tenellum caseum,* inquiens, *hamo haud attrahi.* Querebatur Cynicus ille, fictiles ollas non emi, nisi tinnitu antea exploraretur; solo autem aspectu contentos esse, qui emerent hominem. Cur igitur sine delectu ac præuio examine, quoslibet passim ad spiritualis vitæ Gymnasium admittamus? Accedit & altera, à Spirituali militiâ deducta ratio; nam, vt Vegetius ait; *Non statim punctis signorum inscribendus est Tiro, verùm ante exercitio prætentandus, vt vtrum verè tanto operi aptus sit, possit dignosci.* Ita & hi, qui sacræ militiæ (quo nomine institutum suum, vt aliàs probauimus, S. BENEDICTVS non semel insigniuit) optant inscribi; accuratè & seriò priùs sunt examinandi, qui sciatur quinam possint admitti, qui debeant refutari. Benedictus XII. requirit, *Non recipiantur aut induantur nisi personæ idoneæ; vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat: & tales per quos Deo in diuinis officijs congruè deseruiri seu impendi valeant obsequia opportuna.* Quæ verba explanans Boërius, ait: *Non ergo tales debent esse corpore vitiati, non ægroti, non bigami, non spurij* (quamquam tales religio habilitet, præterquam ad prælationẽ) *non ratiocinijs obligati, nõ viduarum aut corruptarum mariti, non mẽbris mutilati, non vsurarij, nõ simoniaci, non qui scenam exercuerunt, non qui publicam pœnitentiam egerunt, non qui in furiã insaniũt, non qui collisionem diabolicam pertulerunt.* Hi autem cùm iure sacris Ordinibus arceantur, arbitratur Boërius, eosdem etiam à Monastico S. BENEDICTI Ordine reijciẽdos, in quo *ad ampliationem cultus diuini* Clementinâ statuit, vt *Monachi quilibet ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines, excusatione cessante legitimâ, promoueri.* Meritò proinde memoratis laborantes defectibus refutandi, aut saltem de ijs admittendis accuratiùs instituendum examen.

Veterum in admittendis Nouitijs cautio. — Reg. c. 58. — *Vario spiritu aguntur homines.* — 1. Ioan. 4. — *Ideò explorandi tyrones.* — *An à Spiritu sancto moueantur.* Lucæ 4.

Aut alio humanæ. — *Philosophi delectum habebant Adolescentum, quos erudirent.* — Laërt. lib. 6. de vit. Philosoph. — *Quidni & examinentur admittendi ad Asceterium?* — Veget. lib. 1. de re milit. cap. 8. — *Et sacram militiam.* — Benedict. XII. cap. 22. — *Quales recipiendi in Benedictinam.* — *Quales refutandi.* — *Qui inepti ad sacros Ordines.* — Clem. de stat. Monach. cap. ne in agro.

men. Cùm in legali illo Sacerdotio Dominus insserit dici ad Aaron: *Homa de semine tuo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi vel torta nasa, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.*

Leuit. 21.

Antiquissimum esse ante habitus susceptionem postulantium qualitates examinari & expendi, ex scriptis Patrum cognoscimus Regulis. S. Pachomius considerari iubebat, *ne fortè mali quippiam fecerit, & turbatus ad horam timore discesserit: aut sub aliquâ potestate sit.* S. Basilius cùm dixisset Iesum Saluatorem iuuenem illum, qui ad se venerat, interrogasse de priore vitâ, subiungit: *Sic quoque faciendum nobis est, vt videlicet illorum, qui ad nas mansuri nobiscum, accedant, diligenter quæ superior vita fuerit, inquiramus. Et si quidem aliquos inuenerimus, qui aliquos iam in eâ progressus ad virtutem fecerint, ijs ad perfectionem propius pertinentia præcepta commendemus. Quos verò ab ea vitæ genere quod aut vitiosum sit, aut quod inter bonum malumque medium sit, ad illud quod perfectum in Dei cognitione positum est, animaduerterimus se velle transferre, eas exquiramus, qui ipsorum mores sint, non consilio instabils, & ad constituendum quidnis in vtramlibet partem præcipiti. Si quidem in ijs, qui istiusmodi sunt, magnopere suspecta habere inconstantia debet.* Côronat his Climacus Religiosum Pastorem monens, vt rogetur tiro, *quid singillatim deliquerit*, idque conseruandæ in ipso modestiæ, & radicandæ charitatis caussâ. Ferreoli Regula interrogari iubet, *An liber sit? si nulla præter deuotionis caussam compulsus Monasterium duxerit expetendum?* Regula Fructuosi: *Vtrum liber an seruus sit; vtrum banâ & spontaneâ voluntate, an fortasse qualibet compulsus necessitate conuerti voluerit.* Similia habet Regula Ternatensis.

Olim examinabantur qui ad Monachatum aspirabant.

Reg. Pach. art. 26.

Basil in reg fus. disput. interrog. 10. De superio re, quam duxerunt, vitâ.

Clim. ad Past. cap. 10. An peccateres.

Ferr. cap. 5. An liberi, an serui essent.

Fruct. cap. 22.

Sed iam quid nostri in hoc scrutinio iudicauerint inquirendum, videamus. Bernardus Cassinensis exponens illud: *Probate spiritus*, ait: *An scilicet impetu Dei vel diaboli, vtrum veniat ad decipiendum, an ad proficiendum: an impellat egestas, an alio aduersitas: an sit cholericus, qui citò & impetuosè mouetur: an sit melancholicus, cuius ira nimium perseuerans, aut ad aliqua fatuè aggrediendo impellit.* Sic ille. Iuuerit autem hęc ex Benedictinarum Congregationum intelligere Constitutionibus. Cassinenses præscribunt: *Vt de vitâ, natalibus, moribus & litteratura, alijsque qualitatibus Nouitiorum, antequam suscipiantur, diligenter Superiores inquirant.*

Quid de hoc examine statuerint Benedictini.

Bern. Cassin. apud Boët.

Patres Cassinenses.

Cassin. in declarat. ad cap. 58.

Similia ferè habent Camaldulenses, qui volunt inquiri, *cuius sit filius, cuius famæ fuerint parentes, cui vacauerint vsque ad ipsum diem, quam ætatē habeant, vtrum sit sanus mente & corpore.* Morbis enim aut defectibus corporis obnoxij ad Religionem non sunt admittendi, præsertim qui occultum, aut incurabilem habent morbum, aut qui in susceptione vel executione ordinum patiuntur impedimentum. Addunt Bursfeldenses inquirendum; *An exierit de alio ordine, an sit conditionis seruilis, an alicui mulieri fidem sponderit, an cuiquam obligatus ad ratiocinia.*

Camaldulenses.

Camald. in cap. 58.

NOVITIATVS.

Bursfeldenses.

Bursfeld. dist. 3. c. 1.

Præter hæc examinari volunt Vallisoletani, vel missionis Anglicanæ Patres: *An propositum habeat seruiendi Deo, & seruandi Regulam inuiolabiliter in quantum sonat? an delictum scandalosum perpetrarit, pro quo trahendus esset ad aliquod tribunal? si sciat Latinè loqui & intelligere? an corpus habeat habile & paratum ad religionis mortificationes ferendas?*

Vallisoletani.

Vallisol in Const. cap. 71. & 72 cap. seq. 58.

Religio autem mihi fuerit prętcrire hîc ea, quæ Clemens VIII. in *Institutione super receptione, & educatione Nouitiorum*, anno M. DC. III. iudicauit indaganda. *Superiores*, inquit, *diligenter exquirant, quo spiritu, quâ mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem præposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.* Hæc summus Pontifex.

Clementis 8 decretum pro recepetione Nouitiorum.

Et hoc quidem in genere nulla videtur nimia esse posse solicitudo, quare prudenter fecerint Superiores, si nullos ad Religionem admittant, quàm quos probabiliter constet à Deo ad hoc vitæ genus vocari, ac deinde, si postquam iam adlecti sunt, sedulò maturéque, & per otium, toto à Superioribus probationis tempore aduertatur, num in ijs ipsi admittendis peccarint, vel decepti sint; ac tum si deceptos se deprehenderint, inutiles hosce fucos foras expellant: non secus ac sanus stomachus à se etsi non sine molestiâ ac difficultate, nimiùm, quem admisit cibum, quique corpori afferret detrimentum, ejicit. Illos autem admittere, quos Omnipotens ad hoc non vocauit, quid, obsecro, est aliud, quàm Religionem penitus euertere & destruere? Sedulò proinde & hoc considerandum, cuius indolis, ingenij ac iudicij sit, qui admitti postulat, & num ea habeat talenta, quibus Dei gloria, & Ordinis profectus queat promoueri.

Nihil in hoc genere nimium curatur.

Superiores qui se gererent currente noui- tiatu.

Indignos recipere, nefas.

Animaduertendum præterea, nū placidus sit, mansuetus & ductilis: vt in quamcumque eum formam flecti velis atque aptari, eam non inuitus subeat ac sequatur, quouis loco eum statui contigerit, eodem

Alia notanda in Nouitijs.

NOVITIATVS.

dem sit & ipse contentus. Nam qui proprio iudicio plusculum tribuunt, vix vmquam benè discunt parère, & obstreperi plerumque sunt suis Magistris, & non se alijs, sed alios sibi volunt accommodari. Nouitij enim veteranis, non hi illis sunt adaptandi. Hæc autem aliaque similia cognosci poterunt ex superiori vitâ.

DISQVISITIO III.

Quibus ex caussis contingat inutilium personarum susceptio, & quomodò illa diluenda?

Indiscreta Nouitiorũ inutilium receptio Religioni exitium adfert.

Trithem. orat. 5. in conuentu Abbatum habita.

DOCTISSIMVS Abbas Trithemius, qui lugubri sermone florentissimi Ordinis S. BENEDICTI miserandam ruinam non semel deplorauit, venatus aliquando duodecim vulpeculas patuulas, quæ spiritualem hanc vineam Domini Sabbaoth demoliuntur, primam omnium posuit, *Indiscretam susceptionẽ inutilium personarum: Hæc*, inquit, *calamitas, sicut in Ordine est prima; ità quoque ad destructionem omnis disciplinæ fortissima. Cùm enim inutilis quisque ad Ordinem recipitur, vigor conuersationis Monasticæ dissipatur: quoniam is, qui cum alijs in stadio quotidiani certaminis currere debuerat, longè retrò persistens, claudus & debilis vacillat.* Sed quid dicit Scriptura? *Prouerbium est, Cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Qui autem sunt cœci? nisi ingenij, intellectus, & iudicij oculis priuati? qui verò claudi? qui non rectè incedunt viâ Domini, sed sinistrâ aliquâ intentione ingredi Religionem petũt.

2. Reg. 5.

Caussæ huius receptionis.

Sed lubet hîc caussas disquirere, ac cõsutare, ob quas inidoneos admitti plerumque contingat: quo hoc religiosæ disciplinæ excidium liceat euitare.

I. *Commendatio virorum grauium.*

PRIMA sit, quòd *Candidati* à personis grauibus, & quibus multùm deferri solet, commendantur. Si enim Benefactores, Magnates, Viri principes, aut magnæ auctoritatis admissionem alicuius vrgeant, Superiores illis volentes gratificari, vix audent eos repellere, qui aliàs meritò essent reijciendi. Sed nullius tanta deberet esse gratia, vt eius inruitu indignus admitteretur. Quã in re constantem omninò decet esse Superiorem: ne aut beneuolentiâ, aut consanguinitate, aut potentium auctoritate à vero deflectat. Cogitet plus se Religioni, cui præest, quàm sanguini & potentiæ debere. Commendatores plerumque qualitates *Candidati* exaggerant, multisque efferunt laudibus, quæ plerumque tantæ non sunt, quanta prædicãtur; quare illis tanta fides adhibenda non est, sed omnia diligenter exploranda; nisi talis fortè sit Commendator, de cuius sinceritate &

Superiorem à vero non debet retrahere.

Commendatores quomodò audiendi.

A prudentiâ minimè dubitetur, quique non minùs domus & Ordinis totius bonum quærat, quàm ipsi domestici. Tum verò minùs credendũ commendationibus, cùm qui eas faciunt, haud facilè sibi patiuntur satisfieri, & eorum intercst, vt recipiantur. Taceo plerumq; defectus, prauosque habitus taceri, aut ita extenuari, quasi nullum ex illis timendum esset periculum.

Qui suspecti.

II. *Recipientium cupiditas.*

SECVNDA caussa, quam attingit Turrecremata, oritur ex cupiditate recipientium. Sicut enim nautæ aliquando ægrotantes, non ex toto mortuos in mare non B timẽt proijcere, vt bonis eorum fruantur: sic aliquibus nulla religio est, homines adhuc mundo viuentes sudario inuoluere, & in sepulchro claustri sepelire, vt commodum temporale possint acquirere. Sudarium est habitus Religiosorum, cùm in eo ipsi consueuerint sepeliri. Mortui debent esse mundo, qui in hoc sudario inuoluuntur. Sed proh dolor! contingit non rarò admitti illos, qui plura habent talenta argẽti, quàm ingenij, aut bonæ indolis. Dum C enim Superiores volunt rem familiarem augere, vt plures in Religione alant, aut debitis satisfaciãt, vel noua loca exstruant, aut reficiant vetusta, faciliùs locupletes, & qui dotem Monasterio inferant, admittuntur. Perperam sanè. Maior enim cura esse deberet morum, pietatis & ingenij, quàm amplificandi Monasterij facultates. Census enim, & argẽrum, quod tirones adferunt, expendetur, ineptus verò Religiosus, in loco permanebit, & talis fortè erit, qui sufficiat ad ceteros exagitandos, & fatigan- D dos. Crediderim equidem nonnullos Superiores magnâ pecuniæ copiâ velle redimere, vt à refractarijs Religiosis liberentur, cùm pluris facienda sit concordia & pax religiosæ congregationis, quàm thesauri diuitiarum. Sed serum nimis est hoc votum, post emissa Religionis vota; antè prospectum oportuit, cùm refutare liberè licebat.

Turrecr. tract. 124. in reg. S. Bened.

Quæ virtutem postponit nummis.

Absumitur aurum, oneri semper erit ineptus Religiosus

III. *Præpostera pietas & commiseratio.*

TERTIA caussa est, præposterũ quoddam pietatis vel compassionis genus veln charitatis tectũ: quidam enim religioni sibi E ducunt, si quempiam ab Ordine excludãt, qui ad illum adiungi petat, aut iam admissum & inidoneum repertum ab illo expellant, quia nimirùm persuasum habent, in caussâ se futuros, quòd anima hæc tam eximio Religionis bono careat, quodq; pauciores ad Religionem conuolabunt. Sed crudelis hæc clementia censeri debet, quæ vt paucorum non probotum saluti consulat, optimos quàm plurimos animarum periculis exponit; & res hæc in vniuersi corporis vergit interitum, plusque vnius sæpe nocebit improbitas, quàm plurimorum

Quæ crudelis potius censenda, quàm pia.

rum

Mala quæ hinc oriuntur. rum probitas afferet emolumenti. Deinde, noxia hæc cõmiseratio in caussa erit, vt in multis sic admissi peccatis Prælati conniueant, itaque omnis paulatim religionis vigor intermorietur. Præterea, nõ est proprio nocẽdum Monasterio vel Ordini, quo huic, vel illi cõsulatur Nouitio: adeò enim hæc charitas non est, vt etiam veræ charitati aduersa sit impostura. charitas quippe maius spectat bonum, & eius caussa interdum negligit minus. Nam (vt docet Aristoteles) *quò ad plures bonum spectat & diffunditur, eò ipsum & maius & diuinius est.* Potius igitur curandum bonum Ordinis, quàm cuiuscumq; hominis in particulari. Hoc enim si attenderetur, iã dissolutissimi quique admittendi essent: quòd horum in maiori periculo versetur salus. Refutandi igitur omnes quos constat à Deo non vocari, nec instructos sufficientibus talentis.

Arist. lib. 1. Ethic. c. 2.

Bonum Ordinis praeferendum cuiusque antehabendum.

VI. *Zelus propagandi Ordinem.* QVARTA caussa est, falsus quidam zelus augendi & dilatandi Ordinem, vt in plura sensim se diffundat Monasteria, aut plures in vno habeãtur personæ. Importunus hîc zelus à Francisco Riberâ detectus, & reiectus est, cuius verba hîc lubet annumerare: Multum ad incolumitatem omnium Religionum pertinet, vt pauci in eas admittantur, iijque huiusmodi, vt certis argumentis constet vocari à Deo ad illam Religionem. Certis, inquam, & diuturnis; non enim facilè omni spiritui, & omni vocationi credendum est, sed probandi sunt *spiritus an ex Deo sint*: nam sæpè ex eo non esse, qui maximè videtur, exitus indicauit. Indicauit etiã longi temporis vsus, nullam esse certiorem, ac præsentiorẽ Religionis pestem, quàm multitudinem. Nam quæ dicuntur pestes, & sunt, ambitiones, auaritiæ, voluptates, contentiones, & æmulationes, ex multitudine oriuntur. Ac si quis putat in magnâ hominũ multitudine mortificationem, & humilitatem, & pacem concordiamque animorũ conseruari posse diu, id putat, quòd neque in hunc diem vsque factum est, neque fiet. *Quid est* (inquit Salomon) *quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Pauci, qui perfecti essent, aut qui ex animo ad perfectionem properarent, omni tempore inuenti sunt; multi qui diu, nullo. Senex est iam mundus, non mutabit mores opinor. Quod pretiosum est, rarum semper fuit, & *stultorum infinitus est numerus.* Cõsideremus matrem omnium Religionum Ecclesiam. Cùm pauci erant, erat omnium *credentium cor vnum, & anima vna*, communia erant omnia, *neque quisquam aliquid suum esse dicebat.* Qui possessiones habebant, vendebant; & pecuniam ponebant ad pedes Apostolorum. Auctus est

Refutatur. Ribera in cap. 2. Oseæ num. 101.

Pauci & probati in Religiones admittendi.

Multitudo non promouet perfectionem.

Eccle. 1.

Pauci semper electi. Eccle. 1.

Act. 4.

Ecclesia sanctior minore numero.

A numerus, & imminuta sanctitas, vt verè dicat Isaias, *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Peruenit Apostolorum numerus ad duodenarium, vnus fuit & proditor inuentus. Additi sunt LXXII. Discipuli, vnus ex eis nouæ hæresis Auctor extitisse putatur à multis Nicolaus. Putamus aliquam Religionem vel sanctiorem esse Ecclesiâ Catholicâ, vel maiori Dei prouidentiâ gubernari? Quod igitur passa est mater, filiæ non patientur? Sed in Ecclesiâ bonos, & malos esse oportuit, quæ similis B est *Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*; in ijs autem qui lumen Ecclesiarum, & exemplar sanctitatis, & quasi stellæ lucentes in cœlo esse debent, nullos esse oportebat (saltem post tempus probationi præstitutum, vt mali foras mittantur) qui non essent iam perfecti, aut perfectionis sinceri, verique sectatores. Quorsum enim probationis tempora constitui in Religionibus Deus voluit, nisi vt C illi excluderentur, qui tales non essent? At nunc earum moderatores nullâ de re magis solliciti esse vidẽtur, quàm de suâ quisque Religione augendâ & propaganda, deque nouis domibus extruendis, nec quotidianâ malorum experientiâ vmquam admonentur. Hactenus ille.

NOVITIATVS. *Isai. 9.*

Id vsu venit aut in Religionibus.

Matth. 13.

Non deberet tamen, cùm probationis tempus finit male occurrere posse.

QVINTA caussa est, Difficultas reijciendi Tirones, quos per experimenta cõstat esse inidoneos. Dum enim verentur Superiores, ne qua parentibus eorum, qui dimittuntur, molestia & confusio nascatur, vel ne aliquorum calumnias, oblocutionesque ob hoc patiantur; aut quod eie- D ctus dissolutè deinde victurus, aut in desperationem abiturus sit: hinc scilicet in illum eligunt esse pij, in Religionem verò vniuersam immites & crudeles. Cur autem metuunt hominum iudicia, & offensiones, qui seipsos Deo totos in holocaustum obtulerunt? Deinde si vspiam, hîc certè locum habet illud Hieronymi: *Prima virtus Monachi est, hominum contemnere iudicia.* Generosè dixit B. Teresia suis Monialibus: *Intelligat pars, & cognoscat semel mundus, liberum esse vobis minus aptas Nouitias expellere: cùm in Monasterijs, in quibus vi-* E *ta viget seueritas, multa eius rei occurrant occasiones, & vbi vobis id moris esse semel innotuerit, iniurium id vel graue nemini reputabitur.* Præcedenti autem capite ita scripserat: *Quod in Monasterijs nonnumquam contingit, magnam mihi commiserationem mouet. Sæpenumerò enim, vel necessariorum consanguinearumque ipsarum intuitu, vel ne acceptam dotis pecuniam reddere compellantur, furem suâ in domo Superiores agere sinunt, à quo thesaurus domesticus surripiatur. Hanc ob caussam Patres & maiores nostri integrum vnum probationis*

V. *Difficultas reijciendi Tirones ex vano metu.*

Spernenda hominum iudicia & liberè dimittendi inepti ad Religionem. *Hieron. Epist.*

S. Teres. in via perfect. cap. 14.

Suadet S. Teresia.

Quo optasset tempus probationis.

NOVITIATVS. *tionis annum instituerunt; equidem verò vellem, is mos inueheretur, ne quis ante decennium ad professionem admitteretur.*

Alia monita. Scriban. in medico relig. lib. 1. cap. 21. Vt igitur hæ aliæque omnes caussæ præscindantur, cùm viro docto concludendum: non facilè admittendum de quo merita dubitatio moueri posset; imò non admittendum, quàm diu iustæ dubitationis merus subest. Deinde plures in omni admissione in consilium vocandi, quo certius aliquid statuatur, nec vnius potiùs Superioris affectu, quàm plurium sententia res peragatur. Hinc Cassinenses requirunt licentiam Capituli generalis, aut Patris Præsidentis, eaque habitâ, non indui Nouitium permittur, *sine consensu maioris partis Seniorum Monasterij, in quo vestiendus deputabitur.* *Cassinens. in declarat. cap. 58.*

DISQVISITIO IV.

Vt Sacerdotes & Clerici ad Ordinem admittendi?

Ordo, quem tenuit. S. Benedictus de Nouitijs scribens. POSTQVAM S.P. disciplinam suscipiendorum accuratè, & piè adumbrasset; peculiaribus mox capitibus agit de ijs personis, in quarum admissione particularia quædam occurrunt consideranda. Tractat proinde *De filijs nobilium vel pauperum, quomodo offerantur: De Sacerdotibus & Clericis, qui in Monasterio se suscipi rogauerint: De Monachis peregrinis* (siue alterius Instituti & Ordinis) *qualiter suscipiantur.* De his proinde & nobis hoc *Tractatu* agendum, de *Pueris* autem cùm perscriptum Tractatu superiori; hic primùm se offerunt *Sacerdotes & Clerici*, in quorum receptione, quæ ex Regulæ præscripto obseruanda, hic expendemus. Nam ob Sacerdotij reuerentiam, & Clericatus honorem, videbantur prærogatiuâ aliquâ donandi, & indulgentiùs tractandi. Verùm, quid illis tribuendum, ex Sanctissimi Legislatoris ore audiamus. *Si quis*, inquit, *de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit, non ei citiùs assentiatur: tamen si omninò perstiterit in hac petitione, sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt sit sicut scriptum est; Amice, ad quid venisti?* *Cap. 59. Cap. 60. Cap. 61. Quid de Sacerdotibus, & Clericis statuerit. Cap. 60.*

Hi olim ad Monachatum conuolabant. Colligimus hinc PRIMÒ, S. BENEDICTI æuo Sacerdotes & Clericos, quamuis Monachis ipsis excellentiori essent in Ecclesiâ gradu, pœnitentiæ tamen, aut perfectioris vitæ desiderio, ad Monasterium conuolare solitos. Quod quidem licere, manifestum est ex Conc. Toletano IV. *Clericis, qui Monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos ab Episcopis in Monasterijs largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Idem statuitur in Conc. Augustano can. 7. quæ Concilia cuiusuis gradus Clericos vsque ad ipsos Sacerdotes comprehendunt. In MS. Regulæ nostræ exemplari Monasterij S. Hadriani Gerardimonte, lemma cap. 60. sic exprimitur: *De Episcopis qui in Monasteria habitare voluerint.* Quod probat Rupertus Tuitiensis: Ne verò absonam eredas epigraphen, audi Petrum Venerabilem: *Solebant Clerici diuersorum ordinum, Canonici diuersarum professionum, & ipsa Ecclesiæ cacumina, Episcopi dico, pontificalem dignitatem pro abiectâ Monachorum vilitate commutare, & de summis Ecclesiasticorum honorum gradibus, ad humilem se huius propositi ordinem inclinare.* Vide autem apud Arnoldum Wion Elenchum Episcoporum, qui abdicato Episcopatu, Ordinem Monasticum ingressi sunt: alterumque similem à Renato Choppino contextum. *Tolet. 4. can. 49. Licitè. Imò Episcopi fiebant Monachi. Rupert. lib. 1. in Reg S. Bened. c. 7. Petr. Ven. lib. 2. Epist. 11. Wion lig. vit. lib. 2. cap. 58. Chopp. Monast. l. 2. tit. 1. n. 2.*

SECVNDÒ, consideranda proprietas verborum S. BENEDICTI: *Si quis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit*; nò autem, vt antea de omnibus promiscuè loquebatur, *Nouiter quis veniens ad conuersionem*, censentur enim Clerici à sæculo conuersi, cùm Clericatum suscipiunt. Sic in Cabilonensi Conc. prohibetur: *Ne sæculares, qui nondum sunt ad Clericatum conuersi, res Parochiarum debeant habere commissas.* Et in Conc. Arelatensi decernitur; *Ne Pontifices Presbyterij, vel Diaconatus honorem conferre permittant laicis, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conuersio.* *Clerici non dicuntur propriè conuerti ad Religionem. Cap. 58. Cabilon. can. 5. Arelat. can. 2.*

TERTIO, non quidem citiùs Sacerdoti, aut Clerico vult tribui ingressum, quàm ceteris: tum vt eorum probetur constantia, tum quòd propter personæ dignitatem non recedatur à iure communi: tum etiam vt probetur, *virum Spiritu S. afflatus, an alio veniat Spiritu commotus atque tentatus*, ait Smaragdus. Pergit S. BENEDICTVS: *Tamen si omninò perstiterit in hac petitione, sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum.* Nam vt Alexander III. ait: *Dignum est vt qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Nec aliquid ei relaxabitur*, de regulari obseruantiâ, iuxta Boërium: vel secundùm Bernardum Cassinensem, nihil relaxabitur *de gradibus probationis, qui sunt tres. Nam per quatuor aut quinque dies ad portam Monasterij erit. Deinde in cellâ hospitum erit paucis diebus, id est, duobus mensibus, & decem in cellâ Nouitiarum. Et ita annus exit eius probationis, sicut & reliquis Nouitijs.* Ita ille; quem de more sublegit Turrecremata: eui consentit & Craesbeeck, alijque. *Sacerdotes & Clerici non faciliùs admittendi quàm alij. Lib. 3. decret. de stat. Monach. cap. recolentes. Et eodem modo probandi. Bern. Cassin. apud Boër. De tempore probationis, vide tasiâ tract. 3. Disq. 3.*

Quod autem ait: *Vt sit sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti?* non hos tantùm, sed omnes spectat Monachos, quos hæc sententia *Amice, ad quid venisti explicatum.*

tentia officij sui admonet, & hoc nomine latiùs expendimus 2. *Part. Catechismi Monastici.*

In præfat. pag. 217.

QVARTÒ, subiungit S.P. quas Sacerdoti concedendas indicat prærogatiuas. *Conceditur*, inquit, *ei post Abbatem stare*, id est, loco superiori, & ante alios nō Sacerdotes. *Quibus tamen* (inquiunt Patres Cassinenses) *propter hoc non intendimus praiudicare quoad tempus professionis.* Nam vbi illi ad Sacerdotij gradum quoque peruenerint, tunc pristinum locum, & ordinem professionis suæ recipiunt. Notat verò Smaragdus, ei, qui B peccati pondere pressus, & iam in conspe-ctu Dei à Sacerdotali est honore deposi-tus, & vt saluetur, claustra petit Monasterij, superiorem locum non esse concedendum.

Priuilegia Sacerdotis Nouitij.

Cassinens. in declarat. cap. 60. Præcedit non Sacerdotes.

Conceditur ei etiam *benedicere*, id est, benedictiones in refectorio ad cibum & potum vel ad lectiones in Ecclesiâ dare, vt explicat Bernardus Cassinensis.

Benedicit.

Deinde licet *missas tenere*, id est, celebrare in suo ordine. Ad quæ verba Cassinenses: *Inhibemus etiam plerumque præfatis Sa-* C *cerdotibus celebrationem missarum ad tempus, vt ex hoc earum humilitas comprobetur, & vt eam etiam meliùs addiscāt; & tunc ipsi communicent cum Clericis.* Hæc omnia autem Sacerdoti Nouitio hac conditione permittūtur, *si iusserit Abbas.* Sin aliàs, inquit, *nullatenus præsumat aliqua, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Omnem quippe* (ait Bernardus Cassinensis) *materiam aufert præsumptionis, cùm ei ad memoriam reducit statum subiectionis.* Et nihil in Sacerdotali ceruice splēdidius ful- D get, quàm humilitas. Pergit verò eandem virtutem Legislator eidem inculcare, subdēs: *Si fortè ordinationis, aut alicuius rei caussâ fuerit in Monasterio* (subintelligit Smaragdus, *exaltatus*, quod irrepsisse videtur in textum Boerij) *illum locum attendat, quando ingressus est in Monasterium, non illum qui ei pro reuerentia Sacerdotij concessus est.* Quod dicit, *ordinationis caussâ*; Smaragdus & Petrus Diaconus intelligunt, aut quia Sacerdos est ordinatus, aut *quia ordinationis ministerium, id est, vt aliquid ordinaret, potestatem accepit ab Abbate.* Aliter Paulus Diaconus, exponit enim: *Si fortè fuerit dignus, vt Decanus, Præpositus, vel Consiliator sit, sic simpliciter hoc quod iniunctum est, faciat; sicut simpliciter cum humilitate, reuerentiâ ac subiectione locutus fuit, quando Monasterium ingressus est.* Sic ille; quem sequitur Turrecremata. Boërius verò adiungit tertiam expositionem: *Intendit*, inquit, *vt tempus conuersionis discernit, vt si aliqua ardua sint in Monasterio ordinanda, & Abbas petat consilium à Fratribus, non primus respōdeat, non primus loqua-*

Missam celebrat in ordine suo. Cassinens. ibid.

Sed omnia eum imperio Abbatis.

Bern. Cassin. apud Boër. in c. 60.

Humilitati studeat.

Locus Regula in hâc vem variè exponitur. Petr. Diac. Smarad.

Paul. Diac. apud Boët.

A *tur; sed illo loco quo ingressus est Monasterium, vt ab humilitate, quam professus est, numquam discedat.* De alijs verò Clericis subiungit S. Pater: *Clericorum autem si quis eodem desiderio Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur; & ipse tamē si promiserit, de obseruatione Regula, vel propriâ stabilitate.* Ex quo rursum vides, hos non admissos fine experimentis nouitiatus & professione.

NOVITIATVS.

De Clericis quid statuat S. Benedictus.

DISQVISITIO V.

Vt Monachi peregrini admittendi?

ALTERVM admittēdorum genus speciali indigens consideratione, est eorum, qui vel Ordinem, vel Monasterium professionis suæ desiderant mutare, & in alio recipi; quos *Monachos peregrinos*, siue peregrè venientes S.P. nominat. Olim autem, cùm stabilitatis votū non emitterent, pietatis caussâ varia adibant Monasteria, & ea præsertim, quæ regularis obseruātiæ laude cognouissent florere. Quod si disciplina illis placuisset, ibidem rogabant se admitti. Idipsum cum S. BENEDICTI tempore non rarò fieret, operæ pretium putauit, in his quoque Regulę auctoritate prospicere. Vtitur autem hac distinctione: *Peregrinus Monachus*, aut de noto & vicino veniens Monasterio, aut de ignoto, & in longinquis prouincijs posito. De priori ait: *Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis eius, aut litteris commendatitijs: quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hinc & in Regulâ à SS. Patribus prolatâ scribitur: *Monachum nisi Abbatis sui aut permissu aut voluntate ad alterum Monasterium commigrantem, nullus Abbas aut suscipere aut retinere præsumat.* Quæ totidem verbis sunt in Concil. Agathensi, cui Cæsarius Arelatensis præsedit. S. Leodegarius: *Statuimus vt nullus Monachum alterius absque permissu sui Abbatis præsumat retinere.* Synodus VII. *Nō oportet Monachum vel Monacham proprium relinquere Monasterium, &* E *ad aliud se conferre: si hoc autem contigerit, ipsum vt hospitem accipi est necessarium: sed eum recipi sine mente Monasterij præfecti non conuenit.* Horum porrò decretorum euidens caussa est, ne inter Monasteria rixæ, contētiones, & iurgia oriantur. Hinc in Regulâ Serapionis, Macarij, &c. scribitur: *Nec tacēdum est, qualiter inter Monasteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio Monasterio sine voluntate Patris Fratres recipere. Quod si precatus fuerit ab eo, qui præest Patre, vt in alio Monasterio ingrediatur, commendetur, ab eo ei, qui præest, vbi esse desiderat; & sic suscipiatur.*

Reg. c. 61. Monachi veteres non vni loco se adstringebant.

S. Benedictum vetuit Monachos noti cœnobij recipi, sine veniâ proprij Abbatis.

Cap. 4.

Quod & alij decreuerunt.

Agath. can. 27. & apud Grat. 20. q. 4. c. Monachum.

In can. Augustodun. num. 10.

Syn. 7. can. 21.

Ad tollendas contentiones & lites.

Reg. Serap. cap. 13.

NOVITIATVS.

Reg. Ferreol cap. 6.

* al. insatiabiles.

Quæ inter Monasteria hinc oriri possunt.

Rom. 12.

Clariùs eamdem caussam explicat Ferreolus: *Hinc enim*, vt ait, *plerumque non tantùm inter Abbates; sed etiam inter Monasteria lites * insonabiles oriuntur: dum vnus nititur defendere, quem recepit; alter reuocare, quem perdidit. Et ad extremum nisi reddatur illi petitori petitus, & isti restauratio recepti placauerit iniuriã acceptam; fit vt non secũdum Apostolum vincant in bono malum; sed vtrique mali vincantur vno malo.* Et hæc quidem locum maximè habent, cùm de vicino quis notoque egressus est Monasterio.

Ratio suscipiendi Monachum incogniti Monasterij.

Cap. 61.

Formula firmandi stabilitatem.

Quid autem si de remotiori, & non satis B cognito? Hìc, vt Magister noster ait; *Si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit cõsuetudine loci, quam inuenerit, & nõ superfluitate suâ perturbat Monasterium; suscipiatur quãto tempore cupit.* Quòd si benè se gesserit: Et, *voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas.* Paulus Diaconus apud Boërium dicit, quod ita debet firmare stabilitatem. *Ego tolis veniens à longinquis prouincijs, in Monasterio hoc, quia placuit mihi conuersatio Fratrum ipsius, iam stabilitatem meam in hoc Monasterio, per hanc* C *scripturam manu meâ scriptam in perpetuum confirmo.*

Et modus dimittendi dyscolum.

Pergit S. BENEDICTVS: *Si superfluus, in cibo & potu*, inquit Smaragdus, *aut viciosus* in moribus *fuerit, non solùm non debet sociari corpori Monasterij, verùm etiam dicatur ei honestè vt discèdat: ne eius miseria etiam alij vitientur. Quod si non fuerit talis qui mereatur proijci, non solùm, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus: verùm etiam suadeatur vt stet*: id est, perseueret, & professionem emittat.

Bonus retinendus, vt exemplo alijs præluceat.

Sicut enim mali honestè dimittendi, ita boni suauiter alliciendi, suasionibus inducendi & prouocandi.

Cur autem hoc? duplici ex caussâ. Prima, *vt eius exemplo*, ait S. P. *alij erudiantur.* Nimirùm quòd qui iam in Monasterio profecerit, & gradum aliquem acquisierit, ad Tironum reuertatur primordia, infimo collocandus gradu.

Macarius Tabennenses adit, & sanctâ conuersatione ædificat.

Pallad. Lausiac. c. 19.

Cassian. lib. 4. cap. 30.

Pynusius idem præstitit.

Sic Macarius Alexandrinus illectus præclaro vitæ instituto Tabennesiotarum, mutato Monastico habitu, eos accessit, & à Magno Pachomio se suscipi rogauit. Cùm autem portentoso ieiunio omnium exercitationem superasset, & Pachomio diuinitus reuelatum esset, eum esse Macarium; duxit hominem ad Oratorium, dixitque, vt habet Palladius: *Ago tibi gratias, quòd filios meos subegeris, ne se iactent & magnificè circumspiciant propter suam exercitationem. Rogo ergo te, recede in locum tuum: nos enim satis ædificasti, & ora pro nobis.* Similiter & Pynusius, *cùm esset immanis Monasterij Presbyter in Ægypto*, idem Tabennense expetijt Monasterium, quod sciebat *cunctis esse di-* A *strictius, & in quo se pro longitudine regionis credidit ignorandum*: vbi cõtinuis laboribus, & humilitatis exercitijs triennio se exercens, tandem agnitus, magnopere fratres illos ędificauit. Reductus ad Monasterium, iterum fugit, & in Monasterio iuxta Bethlehem modico tempore delituit; tantus in eo amor erat latendi, & sese humiliandi. Quod sanè non poterat alios non excitare ad sanctam æmulationem, & spiritualem profectum.

Domino Deo vbique cultus exhibetur.

Alteram S. BENEDICTVS addit caussam: *Quia in omni loco vni seruitur Do-* B *mino, & vni regi militatur.* Quasi diceret: Non est quòd prius Monasterium longè dissitum, & à quo tanto iam tempore, quanto hospes vixit in secundo, abfuit, cogitet repetere: quia tam ibi, quàm hîc, vni & eidem seruitur Domino.

Bernard. lib. de præcept. & dispens. c. 20.

Vnde S. Bernardus: *Nostri*, inquit, *auctoritate Magistri talem & suscipi iubet, & retineri: inuentum quoque bonum & vtilem, suasione allici, professione ligari. Denique suadeatur*, inquit, *ei vt stet. Et ne fortè prioris sui Monasterij memor, remordente (vt adsolet) conscientiô, incipiat denuò* C *de ruptâ stabilitate causari, generalem super huiusmodi scrupulo consolatoriam profert sententiam, dicens: vbique enim vni Deo seruitur, vni regi militatur.*

Tentatio migrantium ab vno Ordine ad alium.

Cap. 4. 5. & seq.

Nempe hæc est communis eorum tentatio, qui de vno ad alium Ordinem migrauerunt, fastidio posterioris suspirare ad priorem. Sic Martinus Laudunensis, Carthusiani Ordinis in Picardiâ Prior, in Epistolâ Paræneticâ, Nouitium qui de alio Ordine ad Carthusianum transierat, reprehendit, quod propter donum lacryma- D rum, quo in priori Ordine videbatur donatus, & prætextu ædificandi alios, redire meditaretur.

Et Prælatorum, qui se abdicant.

Petr. Dam. opusc. 21. cap. 1.

Philipp. 3.

Simili tentatione, scribit S. Petrus Damiani infestari Prælatos, qui se regiminis solicitudine dignitateq; abdicarũt, quibus *maligni*, vt ait, *spiritus proponunt qualia & quàm multiplicia animarum lucro Deo potuissent acquirere, si patienter in eo, quo fuerant, voluisset ordine permanere.* Et plura subiungit his similia. Sed benè monet, vt qui in tali est statu, cùm Apostolo; *quæ retro sunt oblitus, in ea quæ anteriora sunt, se extendens,* E sequatur *ad brauium supernæ vocationis.*

Quis locus Monacho peregrino assignandus.

Ordinariè vltimus, nisi meritum accedat.

Quia autem prioris Ordinis siue Monasterij exercitatione, potuit is qui ad alium transuolat, eruditionis sanctitatisque non contemnenda acquisiuisse merita, vt honoratiori dignus sit loco; hinc subdit S. Pater: *Quem etiam si talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco.* Ex quibus rectè inferas, communi iure peregrinum hunc Monachum vltimo collocandum loco: non autem eo, quem in priori obtinebat, nisi eminentia sanctitatis cum altiori gradu fecerit

dignum,

dignùm, quod non illi peculiare, sed alijs omnibus est commune: hîc tamen expressum propter merita, quæ sibi fortè in suo acquisiuit cœnobio. Vnde in Regulâ Macarij, Serapionis, & aliorum, ita statuitur: *Ille verò Monachus* (ad aliud eommigrans Monasterium) *quantos fratres in alio inuenerit, tantos se nouerit habere priores. Sed nec attendendum est quod fuit antea: sed probandus est, qualis esse cœperit.*

Reg. Macar. cap. 13.

Et hæc quidem ad textum S. BENEDICTI. Cꝫterùm, an & quatenus hæc mutatio probanda, deineeps videbimus.

DISQVISITIO VI.

Num commendandus sit de vnâ Religione ad aliam transitus?

Licitum est transire ad Ordinem strictiorem.
Extra de Regular. cap. licet.
An expediat.
Bernard. de præcept. & dispens. c. 20.
Aliquando.

NON disputo, an ad strictiotem Ordinem transmigratio liceat, non nescius ab Innocentio III. eam permitti, & passim Canonistas & Theologos, vt eommuni iure lieitam defendere. An autem expediat, vetus quæstio est, de quâ hæc Bernardi sententia.

PRIMÒ, *Si*, inquit, *pro improbitate atque irreligiositate cohabitantium obtineri nequeat votorũ adimpletio, duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad locum alium, vbi non impediatur homo, reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Equidem cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*

Psalm. 65. Psalm. 17.

2. Bernardus non probat transitum à Cœnobio benè ordinato, ad strictius.

SECVNDÒ, *De Religiosis, ac benè ordinatis Monasterijs nullus professorum meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui Senioris egredietur. Egressus tamen si meliùs inuenerit, & elegerit, meo nihilominus iam consilio non regrediatur ad inferius bonum, quod reliquerat, & contempserat præ meliori: præsertim si illud meliùs tale fuerit, quod eius primæ professioni congruere videatur.* Cur autem ne strictioris quidem vitæ desiderio ad alium Ordinem transitum non consulat, has ipse

Eius. Rationes.

1. postea rationes subnectit. *Primò, propter*
2. *scandalum ipsorum, quos deserit: Deinde, quia certa pro dubijs relinquere tutum non est. Forsan enim hoc tenere potest, illud non poterit.*
3. *Tertiò, suspectam habeo leuitatem, quâ id sæpè, quod facilè volumus antequam probemus, experti iam nolumus, vno propè momento idipsum & cupientes & respuentes, tam leniter, quàm irrationabiliter. Quales vtique non paucos frequenter experimur, qui vna vix hora in vna voluntate durantes, aura leuitatis impulsi, vagi, & instabiles hac & illac velut ebrij nutant, mutantque pro experimento iudicium, imò sine iudicio fluctuantes & tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca reuisunt.* Hæc Bernardus.

Inconstantia & leuitas sæpiùs his interueniunt.

4. *Quartò*, credat qui hac cogitatione vrgetur, meram esse tentationem:

Mera est tentatio.

A nam vt Gerson ait: *Diabolus non habet efficacius malignandi machinamentum, quàm si possit Religioso suadere displicentiam status sui iam assumpti atque professi: & hoc facere conatur nunc sub figmento quietudinis contemplatiuæ, nunc sub vmbraculo, quasi omnia sint inutilia quæ agit in vocatione suâ.* Oritur autem hæc tentatio, quòd cùm quæ in suo fiunt Monasterio, instabilis horreat, quæ verò alibi fiunt, iucunda & delectabilia cogitet; adeoque ad illa aspitet. Intellexit hoc Thomas à Kempis, dicens: *Nemo instabi-* B *lis se seducat, neque stultâ & vanâ imaginatione de alio loco cogitet, & de incertis futuris iucundiora sibi prophetando dicat: O Deus, si in tali loco & Ordine essem, quàm benè & deuotè me habere vellem, nec de aliquo ampliùs conqueri vel turbari. Heu miser & insipiens homo, qui extranea ob defectum feruoris cogitas; & sæpè ex angustiâ præsentis passionis, leuiora confingis; cur non facis hæc bona in loco isto, vbi cum multorum fratrum gratiâ & bona conscientiæ pace viuere potes, Deo teste & fauente?* Hæc pius ille Scriptor. Et iam C olim Cassianus, quomodo acediæ spiritus serpat in corde Monachi, describens, ait eum, *horrorem loci, fastidiũ cellæ, fratrum quoque, qui cum eo vel eminus cõmorantur, tamquam negligentium, ac minùs spiritalium aspernationem gignere.* Persuadet Monacho, *quòd cùm posset etiam alios regere ac prodesse pluribus, nullum ædificauerit, nec quemquam institutione suâ, doctrinâque lucratus sit. Absentia longèque posita magnificat Monasteria; loca etiam illa magis ad profectum vtilia, & saluti congruentiora describit; consortia quoque ibi-* D *dem fratrum suauia, & plena spiritualis conuersatione depingit. Non posse se saluari putat in eo loco durantem, nisi relictâ cellâ.* Sic ille. Non alio loco hæc Ordinem vel Monasterium mutandi desideria Petrus Cellensis habuit, quàm tentationem, eùm ita fluctuantem quemdam, qui & in Ordine Grandimontensi & Cistertiensi professionem feeerat, & etiamnum dubitabat, vtra præstaret, alloquitur: *Ranas & muscas inquietantes penetralia cordis vestri vtinam abijcere, vel potiùs exterminare breui admonitione possem! Non ignoro apud Aristotelem dubitare de singulis* E *non esse inutile. Teneo autem apud Hippocratem, quòd mutationes maximè generant morbos. Dicit Gregorius; quòd plantæ, quæ sæpè transponuntur, radices non mittunt.* Vtcumque igitur animo eius alterius Ordinis blandiatur religiosa obseruantia, non suo, sed alieno potiùs, & præsertim prudentium credat iudicio.

NOVITIATVS.
Gerson. Epistol. ad quendam Carthus. tom, 1. considerat. 5.
Quæ oritur ex fastidio præsentium, & appetitu iucundiorum.
Thomas à Kemp. 2. part. serm. ad Nouit. serm 5.
Reijcitur.
Cassian lib. 10. cap. 2.
Acedia spiritum etiam colludit.
Et alia vitia sub specie virtutis.
Petr. Cellens. lib 9. Epist. 19.
Ranis & muscis comparatur hæc tentatio.

Verùm, ne quid huic tractationi desit, expendamus breuiter rationes, & prætextus explodamus, quos pro transitu suo instabiles plerumque allegare solent.

Refutantur quæ pro se alegant instabiles Religiosi.

NOVITIATVS. I. *Certa dubijs anteſtant.* Bernard. de præcept. & diſpenſ.

PRIMÒ, proponunt ſe ſtrictiùs & meliùs velle viuere, & mutatione loci, mutare velle animi defectus. Sed occurrit Bernardus, docens *certa pro dubijs non relinquenda, forſan enim qui vnum tenere poterit, alterum non poterit.* Idemque alibi monet: *Tutius eſſe in eâ vocatione, quâ quiſque vocatus eſt, ſimpliciter perſeuerare, quàm ſub ſpecie quaſi melioris boni id quidem quod iam cœpit, amittere, nec ad id quod præſumit fortaſsis ſufficere.* Neque verò (vt verbis S. Ephræm vtar) *in loci mutatione, atque diſtantiâ ſitum eſt, vt paſsiones noſtras reprimamus, ſed in attentione & curâ mentis.* Quò etiam non inſulsè reſpicere videtur Horatianum illud;

Ephræm de vitâ ſpirit. ad Nouit. cap. 55.

Loci mutatio rarò facit meliores. Horat. lib. 1. Epiſt. 14.

Cui placet alterius, ſua nimirùm eſt odio ſors.
Stultus vterque locum immeritum cauſatur iniquè.
In culpâ eſt animus, qui ſe non effugit vmquam.

Senec. de tranq. vitæ cap. Greg. hom. 9. in Ezech. Anſelm. l. 1. Epiſt. 29. *Imaginationi non credendum.*

Rectè Seneca: *Scire debemus non locorum eſſe vitium, quo laboramus, ſed noſtrum. Ægrotus quocumque vadit, ſecum morbum vehit.* Et Gregorius: *Si deſit ſpiritus, non adiuuat locus.* Aliter ad eundem prætextum reſpondet Anſelmus: *Quod ſi ſibi videtur maiora quadam ac vtiliora ſpirituali feruore appetere, quàm illi præſentis monaſterij inſtitutionibus liceat, æſtimet aut ſe falli, ſine præferendo paria paribus, vel minora maioribus, ſiue præſumendo ſe poſſe, quod non poſsit, aut certè credat ſe non meruiſſe, quod deſiderat.* Hæc Anſelmus.

II. *Si moleſti ſunt ſocij, ſeges tibi creſcit meritorum.*

SECVNDÒ, communis nutantium querela eſt, ſe cum ijs, qui in Monaſterio ſunt, non poſſe viuere, aut pacem habere: hos eſſe ſuperbos, illos immites, alios præſumptuoſos, alios iracundos, à quibus exagitentur, & odio habeantur. Sed reſpondet Magiſter Adam de S. Victore in *Dialogo de inſtructione diſcipuli,* qui cùm interrogaſſet; *viſne vt remaneam cum odio?* Doctor reſpondet: *Nequaquam, ſed cum dilectione. Valo enim, vt Abel habites cum Cain: vt Iſaac cum cum Iſmaële; cum Eſau Iacob. Poterit namque tibi prodeſſe malitia, ſi tibi non defecerit patientia.*

Duplex triplex radix huius tentationis.

Sed enim vt grauis huius, ſatiſque vulgatæ tentationis fibras perſcrutemur, operæ fuerit pretium diligentiùs ipſam inueſtigare radicem, eique ſecurim apponere. Non vna autem noxij huius germinis eſt radix. *Primò* enim, Caſſianus, vt mox vidimus, ex ſpiritu acediæ aſpernationem fratrum oriri dixit. *Secundam* deinde radicem alibi aſsignat ſpiritum iræ, dicens, ſuperbiâ vel impatientiâ ſuperatos ſolitudinem deſiderare, excuſantes negligentiam ſuam, cauſſaſque commotionis non ſuâ dicentes impatientiâ, ſed fratrum vitio generari: cui remedium adferens, ait: *Creator omnium Deus opificij ſui, curationem præ omni-* A *bus noſcens, & quia non in alijs, ſed in nobiſmetipſis offenſionis radices cauſſaque conſiſterent, non deſerenda præcepit Fratrum conſortia, nec vitari eos quos læſos à nobis, vel à quibus nos arbitramur offenſos, ſed deliniri iubet; ſciens perfectionem cordis, non tam ſeparatione hominum, quàm patientiæ virtute conquiri.*

Primò, Ex acediâ. Caſſian. lib. 8. cap. 15. *Secundò, Ex iracundiâ.* Idem lib. 9. cap. 7.

Tertia, Ex ſuperbiâ.

Tertia radix præcedentibus affinis eſt, ſpiritus ſuperbiæ, quo dedignatur aliquis obedire in duris & contrarijs rebus, vel deſpectum aliquem ſuſtinere. Hanc ex S. B BENEDICTI doctrinâ exſculpimus: ſi enim humilitatis gradus eſt, *quod Monachus in ipsâ obedientiâ duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis iniurijs, tacitâ conſcientiâ patientiam amplectatur: & ſuſtinens, non laſſeſcat vel diſcedat:* ſuperbiæ proculdubio gradus erit, hæc ipſa per impatientiam abijcere, & præ laſsitudine diſcedere, vel prætextum diſcedendi quærere.

Cap. 7. grad. 4. vt innuit S. Benedictus.

Basil. Conſt. Monaſt. cap. 22.

Verè enim Baſilius hoc inſtabilitatis propoſitum deſtruens, demonſtrat *originem iſtiuſmodi conſilij nihil aliud eſſe, quàm vitio-* C *rum intemperantiam, & laborandi fugam, & iudicij corruptelam inſtabilitatemque.* Horum autem malorum emendatio, congruum erit remedium, vt quiſquis in ſuâ vocatione permaneat ſtabilis; præſertim ſi & hoc addatur, in altero, quem quis appetit, loco, facilè etiam inueniri poſſe quorum mores alicui diſpliceant, & non minùs graues ſint, quàm priorum confratrum. Nam, vt benè dixit Caſſianus: *Occaſiones commotionum, ob quas eos, quibus iungimur, deſerere feſtinamus, in conuerſatione humanâ deeſſe non* D *poſſunt, & idcircò triſtitiæ cauſſas, ob quas à prioribus ſeparamur, non euadimus, ſed mutamus.*

Medicina huic malo adhibetur.

Caſſian. lib. 9. cap. 7.

III. *Paucis benè ceſsit mutatio Ordinis.*

TERTIÒ, allegant exempla quorumdam Sanctorum, quibus hæc mutatio benè ceſſerit. S. enim Dominicus antequam ſuum inſtitueret Ordinem, Canonicus fuit Regularis. Similiter & S. Antonius de Paduâ, qui ad S. Franciſci inſtitutum ſe tranſtulit. Sed paucorum facta in exemplum non ſunt trahenda, pluribus enim infeliciter ſucceſſit. Bernardo hoc credamus dicen- E ti: *Scio nonnullos de alijs congregationibus & inſtitutionibus ad noſtrum Ordinem peruolaſſe, pulſaſſe, intraſſe. Qui hoc quidem agendo, ſuis ſcandala reliquerunt, & nobis nihilominus attulerunt: dum quantum illos ſuâ temerariâ diſceſſione, tantùm nos turbarunt ſuâ miſerâ conuerſatione: quoniam ſuperbè ſpreuerunt quod tenebant, & temerè præſumpſerunt quod non valebant.* Idem noſtro ſæculo teſtatur Iacobus Aluarez de Paz, qui ait: Viâ regiâ incedendum eſt, & innumerabiles conſiderandi, qui (vt proprijs oculis vidimus) poſt Ordinis mutationem, vel ad

Pluribus infeliciter. Bernard. Apolog. ad Guiliel. Abbat. *Quod deplorat S. Bernardus.* *Hodieque experientia declarat.* Iac. de Paz tom. 1. lib. 1. part. 3. cap. 12.

Exemplis suffragantibus.

vel ad priorem matrem redierunt, suam insipientiam confitentes, vel in Ordine de nouo suscepto tristes & inuiti permanserunt, vel tandem nec minimum indicium maioris profectus demõstrarunt. Ioannes quoque Picardus, S. Victoris Parisiensis Canonicus Regularis, hæc etiam confirmat: Dum inuiserem aliquando Fulienses Monachos in Parisiensi suburbano degentes, & cùm venerabili eius Asceterij Præposito hisce de rebus confabularer, asseruit, se vidisse duodecim externos Monachos tirones, quorum vnicus in corũ permansisset Ordine. Thomas quoque Kempensis refert Canonicum quemdam Regularem ad Eremitas Augustinianos transijsse, sed vix octo elapsis diebus cùm grauissimo percelleretur mœrore, priorisque cœnobij desiderio, adeò teneretur, vt nec cibum, nec somnum valeret capere, coactum ad pristinã remigrare religionem.

Picard annot. in Epistol. 19. Anselmi.

Vnus tantùm è duodecim perseuerat.

Thom. à Kemp. 2. part. serm. ad Nouit. serm. 5.

Horribilius est quod de Ioanne Borbonio Cælestino narrat Gerson, hîc enim sub districtioris Ordinis obtentu receptus à Franciscanis de obseruantiâ: paulò pòst abscessit & duxit vxorem, à cuius propinquis occisus est, cùm Romà reuerteretur. Narrat & citatus antea Picardus, Franciscanum quemdam Bammetianum, præpostero arreptum zelo expetijsse Capucinos: vbi mox à dæmonio meridiano impetitus, & cucullam & catholicam abiecit fidem, professus Salmurij, oppidi in Archiepiscopatu Turonensi, Caluinismum.

Quidam à propinquis occiditur.

Gerson. Epistol. ad quemdam Carthus. tom. 1. considerat. 11.

Alius in hæresim labitur.

Infaustis his alijsque exemplis perterriti Religionum Præsides, scriptis legibus prohibuerunt aliorum Ordinum Religiosos ad suum admitti. Stephanus enim Muretensis, Grandimontensium Institutor, ita ait: *Alterius Religionis viros in hac Religione recipi, omninò prohibemus. Vestri mores ab eorum moribus plurimùm differunt: vos quippe fimum & ligna portantes, & clibanum calefacientes, panem & alio multo facere consueuistis, nullos enim nisi vosmetipsos habetis famulos.* Et Clerici Regulares Theatini idem his verbis statuunt: *Qui in alienâ Religione professionem fecerit, nullo pacto recipiatur.* Fusiùs autem hęc nostri prosequuntur Cassinenses: *Cùm temporibus nostris multæ succreuerint Religiones, varijque sint eorum mores, & ex his plerique leuitate potiùs quàm sanctitatis*

Aliorum Ordinum Religiosos non recipiũt Grandimontenses.

In Regula Grand. tit. de viris alter. Relig. non recip.

Cleric. Regular. Constit. part. 2. cap. 5. Theatini.

Cassin. in declarat. ad cap. 61. Reg. Cassinenses.

A *zelo, propria deserentes loca, ad nostroque occedentes difficillimè iam assumptos valeant deponere mores, ita vt suâ varietate, vel murmurationibus seu detractionibus eorum quæ vident, vel instabilitate suâ sæpissimè gregem conturbent: & cùm longâ experientiâ didicerimus, rarò tales ad profectum dictis caussis peruenisse. Propterea vt eorum stabilitati, & nostræ congregationis paci vtiliter consulamus, ordinamus quòd nullus de Ordine Mendicantium suscipiatur od monachatum in congregatione nostrâ: quia ex constitutione Martini Papæ V. recipientes essent ipso facto excommunicati, & re-* B *ceptus cogeretur redire ad suum Ordinem: quorum postremum iubet quoque Pius V. Item de alys Ordinibus, in quibus aliquod Monasterium fuerit in obseruantia, non recipiantur vniendi corpori congregationis, prout in Bullo Pij V. sed moneantur, vt perseuerent in vocatione, qua vocati sunt: nisi esset persona adeò notabilis, & tantæ maturitatis, quòd dubitari non possit, quin nisi zelo sanctioris vitæ velit mutare statum, & insuper dispensatio particularis obtenta fuisset.* Ita prudenter illi Patres, quorum vestigijs insistunt Camaldulenses. Vallisoletani quoque, C absque licentiâ Capituli generalis, decernunt non admittendum ad monachatum alterius Ordinis Religiosum.

NOVITIATVS.

Addunt rationes.

Excludunt omninò Mendicantes.

Quo casu alij possint admitti.

Camaldulenses, & Vallisoletani in eâdem sententiâ.

Vallisol. in const. c. 71.

Vnusquisque igitur, vt cum Apostolo concludamus, *in qua vocatione vocatus est, in eo permaneat.* Nam vt Sapiens ait: *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.* Hinc Abbas Nesteros: *Vnicuique vtile est, vt secundùm propositum quod elegit, summo studio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequa-* D *quam à suâ quam elegit semel professione discedat.* Cui egregiè consonat B. Anselmus: *Quicumque,* inquit, *Cænobitarum fortè propositum aggreditur, expedit ei, vt in quocumque Monasterio professus fuerit, (nisi tale fuerit, vbi malum facere inuitus cogatur:) tota mentis intentione, amoris radicibus ibi radicare studeat, atque aliorum mores aut loci consuetudines, si contra diuina præcepta non sunt, etiamsi inutiles videantur, diiudicare refugiat. Gaudeat, se iam tandem inuenisse, vbi se non inuitum, sed voluntarium totâ vitâ mansurum, omni transmigrandi solicitudine propulsâ deliberet: vt quietus ad sola pia vitæ exercitia exquirendo sedulò vacet.*

Suadetur stabilitas in suscepto statu.

1. Cor. 7. Prou. 27. 8. Cassia. collat. 14. c. 5.

Anselm. lib. 1. Epist. 19.

TRACTATVS III.

DE NOVITIORVM PROBATIONE.



PRobandos *Tirones, siue è sæculo venientes, siue Clericos, aut alterius Ordinis olim professos probauimus. Nunc qualis ea probatio esse debeat, quanti temporis, quo loco, & in quibus potissimùm sita sit, expendendum. Erunt proinde* Tractatus *huius Disquisitiones VII. Quarum* Prima *quærit, Quotuplex secundum* S. BENEDICTVM *Nouitiorum probatio?* Secunda, *Quo in loco probationis explendus annus?* Tertia, *Quanto tempore probandi Nouitij?* Quarta, *In quibus probandi Nouitij?* Quinta, *Vt explorandum an Nouitius solicitus sit ad opus Dei?* Sexta, *Quomodo Nouitiorum Obedientia probanda?* Septima, *An probandi Nouitij per opprobria & iniurias?*

DISQVISITIO I.

Quotuplex secundum S. BENEDICTVM *Nouitiorum probatio?*

Triplex Nouitiorum probatio.



SI de loco & tempore hęc fiat quæstio, triplex ex Regulæ textu colligitur probatio.

I. Ad portam Monasterij. *Cassian lib. 4. institut. cap. 3.*

PRIMA est, *ad portam Monasterij, per quatuor aut quinque dies,* vt ait S. BENEDICTVS, veterũ secutus instituta, de quibus Cassianus: *Ambiens quis in Cœnobij recipi disciplinam, non antè prorsus admittitur, quàm diebus decem, vel eo ampliùs pro foribus excubans indicium perseuerantiæ ac desiderij sui pariterque humilitatis ac patientiæ demõstrauerit.* Et S. Fructuosus Episcopus:

Regula Fructuosi cap. 4.

Qui Religionis obtentu monasterium ingredi petunt, primum ante fores tribus diebus & noctibus excubent, & ex industriâ iugiter ab hebdomadarijs exprobrentur. Regula alterius Fructuosi ita præscribit.

Per aliquot dies. *Reg. Fruct. cap. 21.*

Conuersum de sæculo Patrum decreta docent, non suscipiendum in Monasterio, nisi priùs experimentum sui in opere, & penuriâ, in opprobrijs dederit, & conuicijs, quique decem diebus persistens ad ianuam cœnobij, orationibus & ieiunijs, patientia & humilitati operam dederit. S. verò Pachomius dierum numerum non præscripsit, sed indefinitè statuit:

Quorum numerum quidam non definiuerunt. *Reg. Pach. artic. 26.*

Si quis accesserit ad ostiũ Monasterij volens sæculo renuntiare, & fratrum congregari numero, non habebit intrandi potestatem, sed priùs nuntiabitur Patri Monasterij, & manebit paucis diebus foris ante ianuã, & docebitur orationem Dominicã, & psalmos quantos potuerit discere. Similiter Regula Orientalis. Regula item S. Serapionis, Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij:

A

Cap. 7. *Interea exercebantur in duris.*

Quide sæculi latebris liberari voluerint, appropiantes Monasterio, hebdomadâ pro foribus iungantur (iaceant legit Smaragdus) *& semper dura & laboriosa eis proponantur: si verò perseuerauerint pulsantes, eis non negetur ingressus.* Ita apud Palladium Macarius, qui simulato habitu petebat à S. Pachomio admitti in Monasterium, septem dies ante fores exspectauit.

Pallad hist. Laus. c. 20.

B

Simeon Stylita petit Monasterium. *Anton. in vit. S. Simeonis lib. 1. vit. Patr.*

Seruata etiam fuit hæc admittẽdi forma in Simeone Stylite, qui veniẽs ad Monasterium S. Timothei, *procidens ante fores Monasterij, iacebat per dies quinque non manducans neque bibens. Et die quintâ egrediens Abbas Timotheus, interrogauit eum, dicens: Vnde es fili? aut quos parentes habes, qui sic afflictus es? aut quod est nomen tuum, ne fortè aliquid male gesseris, aut forsitan seruus sis, & dominum tuum fugias? Tunc Simeon cum lacrymis dixit:*

Examinatur ante susceptionem.

C

Nequaquam Domine, sed opto vt sim seruus Dei, si ipse voluerit, quia volo seruare animam meam perditã. Iube ergo me introire in Monasterium, & omnibus deseruire: noli me foris diutius dimittere. Tum apprehensâ manu eius introduxit eum Abbas in Monasterium, dicens Fratribus: Filioli mei, ecce trado vobis illum fratrem, docete eum Canones Monasterij. Similes probationes passim leges in vitis SS. Mirãda tamen est, illa, quam refert Climacus de Isidoro, qui septem annos ante Monasterij ianuam

Isidorus mirè probatur. *Clim grad. 4.*

genibus

genibus prouolutus egredientium atque ingredientium, dicebat: *Ora pro me; Pater. quoniam * peccator sum.*

* inducta... nor.

II. SECVNDA probatio est *in cellâ hospitum, paucis*, vt inquit Legislator, *diebus*. Similiter Cassianus: *Susceptus non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputetur Seniori, qui seorsum haud longè à vestibulo monasterij commanens habet curam peregrinorum & aduenientium deputatam, eisq; omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit.* Quot autem diebus in hospitali manere debeant, S. BENEDICTVS non definit; ex quo arbitrarium illud esse, Boërius asserit. Cassianus integrum annum assignat: *Cùm*, inquit, *ibidem integro anno deseruiens absque vllâ querelâ suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc primâ institutione humilitatis & patientiæ, admiscendus ex hoc congregationi fratrum alij traditur Seniori.* Isidorus tres assignat menses: *Qui renuntians*, inquit, *sæculo ad monasterium venerit, non statim in cœtum deligendus est Monachorum: vitam enim vniuscuiusque in hospitalitatis seruitium tribus mensibus considerare oportet, quibus peractis, ad cœtum sanctæ congregationis accedet. Neque enim intus suscipi quemquam conuenit, nisi priùs foris positus, eius humilitas, siue patientia comprobetur.* In monasterio Acœmetarum quadraginta diebus in sæculari manebant habitu, de quo in vitâ S. Ioannis Calybitæ: *Nobis autem mos est, vt qui monasticam vitam amplecti velit, quadraginta dies apud Monasterium versetur: & cùm exercitationis nostræ regulam considerauerit, ita tondeatur.* Bernardus Cassinensis, eumque secutus Turrecremata, assignat duos menses transigendos in cellâ hospitum, & decem in cellâ Nouitiorum; vult enim sic totum probationis annum perfici; quod posteriores Regulæ interpretes secuti sunt. Sed videtur S. BENEDICTVS hoc tempus cōmorationis in cellâ hospitum non computare intra annum probationis, expressè enim statuit, Nouitium non decē, sed duodecim mensibus in cellâ Nouitiorum debere esse; & vult eum tribus distinctis vicibus examinari. Primò, post duorū mensium curriculum in Nouitiatu peractum, 2. post menses sex. 3. post alios quatuor; qui omnes simul integrum conficiunt annum. Atque sic Regulam intellexit olim Smaragdus, probatque ex eo, quòd S. BENEDICTVS posteà subiungat: *Tunc ducatur in supradictam cellam Nouitiorum. Nam cùm antea*, inquit, *dixisset, sit in cellâ Nouitiorum, intelligitur exisse eum ab ipsâ cellâ Nouitiorum, & venisse ad Auditorium, siue ad eum, quem Abbas elegit locum, & ibi audire regulare præceptum, & tunc iterum reuerti in cellam Nouitiorum.*

In Cellâ hospitum Nouitius aliquamdiu exercebatur. — Cassian. l. 4 cap. 7. — Apud quosdam vno anno. Ibid. cap. 7. — Isid. in Regul. Monach. — Tribus mensibus. — XL. diebus. — Apud Surium to. 1. 15. Ianuar. — Bern. Cass. in Reg. cap. 59. — S. Benedictus non computat id intra annū probationis. — Neque Smaragdus.

Quid autem in cellâ hospitum *Nouitio* faciendum incumbat, ex Cassiano & Isidoro vtcumque vidimus; hospitibus enim seruire iubetur, & velut ab actiuæ vitæ ministerio incipere. Exposuit id paulò clariùs B. Fructuosus: *Hospitibus*, ait, *siue Peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, & omnia humiliter ministeria exercebit, fascemque lignorum suo quotidie dorso gerens, hebdomadariis tribuet, atque in omni penuriâ & vilitate subactus, expleto anno probatus moribus, & laboribus elimatus, perceptâ in ecclesiâ benedictione, fratrum societati donetur.* Sic ille. Alij autem communiter ex Regulæ textu intelligunt *Nouitium* per modum hospitis suscipiendum, vt ibi ad aliquot dies possit de vocatione suâ pleniùs deliberare, & qualitates eius ab aliis dignosci. *Recipiatur puer*, inquiunt Camaldulenses, *in monasterium, vt hospes tamen: & in domo hospitum, sub curâ alicuius senioris ad tres vel quatuor dies teneatur. Quo sanè dierum interstitio facilè ex sermonibus eius ac moribus, & actionibus coniecturari poterit, qualis futurus sit in habitu religioso, & an homo spiritu ducatur nec ne. Quòd si in dicto tempore, bonam de se exspectationem excitauerit, tum Prælatus de consilio Seniorum, tradat eum Magistro Nouitiorum, & per mensem adhuc in tyrocinio, & habitu laïcali probetur, comedens in mensâ communi cum aliis, ac chorum frequentans.* Pulchra autem est praxis Patrum Missionis Anglicanæ, siue Vallisoletanæ congregationis in Hispaniâ, quam hîc adscribo. *Si post examen Candidatus idoneus repertus fuerit, recipiatur in cellam hospitum, in quâ tam diu maneat vsque dum summâ attentione à capite vsque ad calcem vniuersam legerit Regulam: cuius rei gratiâ inuisetur bis singulis diebus à Magistro Nouitiorum; primò, horâ antemeridianâ, à quo ad sacrum eius audiendum in ecclesiam ducetur, in quo illum Deo commendabit, vt confirmet illum in hâc vocatione, si à Dei inspiratione profecta fuerit: sin verò religioni inutilis sit futurus, repellatur omnino. A sacro statim eum interrogabit, de eâ parte Regulæ, quam legit, si intelligat, si recitare paratus sit, faciatque breuem exhortationem, monens vt omni deuotione offerat se Deo, petatque eius directionem in re tam arduâ. Secundò, horâ aliquâ pomeridianâ ad eum redibit, versus vesperam, examinabitque de parte Regulæ quam legit, vsque dum vniuersam absoluerit: si videat eum perseuerantem, faciat eum aliquot dies insumere in examine suorum peccatorum, & commendatione sui ipsius Deo, vt posteà ritè confiteatur de omnibus, quæ à principio vsque ad illam diem perpetrauerit. Quibus peractis, significet Abbati petitionem conuersi.* Sic illi. Insinuat & Turrecremata Nouitium probationis caussâ in cellâ hospitum versari, ait enim:

NOVITIATVS. In hâc cellâ Nouitius hospitibus olim seruiebat. — Fruct. in Reg. c. 21. — Aliis forte Regulæ sensus. — Camaldul. ad cap. 58. Reg. — Quem exprimūt Camaldulenses nostri. — Vallisol. in Reg. c. 58. — Praxis pulchra Patrum Missionis Anglicanæ. — Magister quotidie bis examinat Candidatum. — Turrecr. tract. 125.

NOVITIATVS. An a in cellâ hospitum probandus.

enim: *Hospitarius, probationis causâ, potest ei, qui recipi petit, dicere aliqua verbo, quæ impotientium animos citò possent prouocare, & commouere.* Videntur autem hæc talia magis cõuenire primæ probationi ad portam, siue ante fores Monasterij, vnde Bernardus Cassinẽsis similia dici vult ab Ostiario.

Cassinens. in declarat. cap. 58.

Cassinenses porrò ad verba, *fit in cellâ hospitum, vbi mãducet & dormiat*, hanc apponunt declarationem: *Quia in nostris monasteriis non habemus loca apta ad hoc, consueuimus, quòd Nouitij in refectorio comedant simul cùm Monachis, sed in mensâ segregatâ ab eis, vbi commodè videri possint à Patribus, & dormiant in* B *dormitorio.*

III. In cellâ Nouitiorum. Vbi Regula prælegenda.

TERTIA probatio fit in *Cellâ Nouitiorum*, in quâ tertiò ei prælegenda Regula, nimirùm vt eâ benè cognitâ, prudenter deliberare, & porrò etiam statuere possit, num illam seruare, an sese obstringere velit. Quare etiam indicatur illi libertas recedendi si velit. *Legatur*, inquit S. BENEDICTVS, *ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex sub quâ militare vis, si potes seruare, ingredere, si non potes, liber discede.* Regulæ prælectionem & alij decreuerunt Nouitio faciendam. Regula Macarij: *Si quis voluerit ad monasterium conuerti, Regula ei introëunti legatur, & omnes actus monasterij illi patefiant.*

Cap. 58.

Quod & alij statuerunt.

Ferreol. cap. 5. Reg.

Et Ferreoli: *Post hoc Monasterij Regula, Abbatis ei* (Nouitio) *iussione legatur, vt in posterum nihil nouum, nihil insitatum, aut si discessurus prætereat, aut si permansurus agnoscat.*

Reg. Ternantens. cap. 1. Aurel. c. 1. Reg.

Idem statuit Regula Ternantensis. Et S. Aurelianus ait: *Hoc iubente Deo inprimis statuimus tenendum, vt si quis ad conuersionem venerit, Regula ei in salutatorio legatur, & si professus fuerit se omnia impleturum, tunc excipiatur. Salutatorium* hîc intelligit locum excipiendis hospitum & sæcularium colloquiis deputatum. Frequentior eius vsus in Monasteriis Monialium, Galli vocant *le Parloir*. Sic accipiunt Patres Conc. Matisconensis, cùm vetant, ne Clerici aut laïci puellarum monasteria, *extra* SALVTATORIVM, *aut oratorium ingredi permittantur.* S. Cæsarius quoque præscribit: *Quæcumque ad conuersionem venerit, in* SALVTATORIO *ei frequentiùs Regula relegatur.* Porrò eâdem voce Sacristiam siue Sacrarium significari, Scriptores non pauci nos docent. Cassiodorus: *Inueniens* (Theodosius) *Antistitem* E *in* SALVTATORIO *residentem.* Eadem habet Paulus Diaconus, *lib.* 13. Gregorius Magnus Mariniano Episcopo scribens: *Procedens à* SALVTATORIO *ad sacra Missarum solemnia celebranda: peractis verò Missis, id in* SALVTATORIO *rursus curabis deponere.* Gregorius Turonensis: *Ipsi Sacerdoti in ipso, quod modò* SALVTATORIVM *dicitur, mansio erat: atque ad gratias Deo tempore nocturno redden-*

Quid Salutatorium.

Matisco. I. can. 2.

Cæsar. in recap. reg. Sanctim. cap. 8.

Cassiod. hist. tripart. lib. 12. c. 30.

Greg. lib. 4. epist. 54.

Turon. lib. 2. cap. 21.

A *das ad altarium Ecclesiæ cõsurgebat.* Vide eundem lib. 7. c. 22. Aimoinus, de gest. Franc. *Cùmque foret eidem misero domicilium in S. Martini* SALVTATORIO, *& à Presbytero relictæ clauderentur ianuæ; per ostium illius* SALVTATORII *ingressi Ecclesiam pueri*, &c. Plura vide apud Sauaronem, *notis ad lib. 5. Sidony Apollin. epist.* 17.

Aimoin. l. 3. de gest. Franc. c. 65.

Ceterùm in hâc prælectione requirunt communiter Interpretes, vt Regula nonnihil *Nouitio* exponatur, & quæ eiusdem in Congregatione fit praxis, insinuetur, *vt sciat*, inquit S. BENEDICTVS, *ad quid ingreditur.* Ex hoc textu, ait Boërius, *credo quòd non solùm legi debeat Nouitio Regula, sed & Regulæ practica.*

Regula Nouitio exponenda.

Cap. 58.

Quid autem tironi in Nouitiorum cellâ agendum, clarè exposuit Legislator, dicens: *Meditetur, manducet, & dormiat.* Quòd exponens Smaragdus, ait: *Nouiter veniens, siue cum iis quos ibi inuenerit, siue cum Magistro, quem habuerit, meditetur in canticis & psalmis, siue in regularibus præceptis, quibus tradendus est, obseruandis.* Et Bernardus Cassinensis: *Meditetur, id est legat, oret, psalmodizet, & alios spirituales actus exerceat, vt hic sit* C *meditatio quasi genus.* Quæ verò deinceps Nouitiatus tempore facienda sint, in sequentibus latiùs disquiremus.

Cap. 58.

In quibus se exerceat.

DISQVISITIO II.

Quo in loco probationis explendus annus?

EX vsu & consuetudine plurium Congregationum, cum Professis Monachis hisce temporibus degunt, & probantur *Nouitij*, sed seorsim atque alio loco probandos censuit S. BENEDICTVS. Ait enim: D *Ducatur in cellam Nouitiorum*: quæ sic dicta, quod à cellâ iam Professorum esset segregata. Hunc porrò morem à veteribus S. BENEDICTVM mutuatum, facilè crediderim. De Essenis enim hæc Iosephus: *Candidatis disciplina sua non statim patet aditus: sed totum annum foris remanenti victum præbent eundem, dolabellam quoque & cinctorium, & candidam vestem.* Idem ex S. Ephræm colligas, ita loquente: *Frater dignus es habitus sancto indumento monastico: ne extollaris aduersus exspectantes in futurum annum: nunc verò in interiorem tholum ac domum introiisti.* Ad quæ verba Scholiastes Gerardus Vossius: *Tholus*, inquit, inter alia significata, etiam pro loco accipitur, vbi seruabantur Scripturæ publicæ Athenis, & vbi qui ex Prytanæo essent, cœnare solebant, secundùm Rhodiginum. Vnde & Suidas *tholum*, vocat orbicularem ac rotundam domum, in quâ aliquando Prytanæi conuiuio excipiebantur atque oblectabãtur. Hinc verò, inde

S. Benedictus in domo separata Nouitios probari voluit.

Ex prisco more.

Ioseph. de bello Iudaico lib. 2. cap. 5.

Ephr. to. 2. Paræneſ. 17.

Tholus quid?

Apud S. Ephræm pro domo Nouitiatus, & Professorum.

inde fortè ducta metaphora, per *tholum*, intelligere videre Auctor locum, siue partè ædium ac cameram, vbi seorsim adseruabantur Nouitij, antequam habitum assumerent monasticum, atque profiterentur: vt per *exteriorem* hîc *tholum*, domus Nouitiatus, siue primi exercitij monastici: at per *tholum interiorem*, domus professa & exercitatorum intelligatur, quod & hîc consequenter non obscurè ab Ephræm insinuari videtur. Ita Vossius. Non dissimiliter statuit S. Fructuosus: *Nouitius*, inquit, *anno integro vni spiritali traditus Seniori non statim commiscendus erit congregationi, neque fratrum diuersoria accedet, sed delegata in exteriore curte cellulâ perfruetur, vbi omnem sinceriter exerceat obedientiam.* Ex quibus videas Nouitiorum domicilium in exterioribus monasterij partibus collocatum. Colligit porrò ex his verbis Menardus, singulis Nouitiis à S. Fructuoso singulas cellulas assignatas, quemadmodum & à Ferreolo dicente: *Vicinam monasterio cellulam dum prænotatum tempus obseruat, accipiat, victumque quotidianum à monasterio, si inter reliquos operetur, expectet.*

Fructuos. in Reg. cap. 21.

Cuiq. Nouitio cellulam assignat Fructuosus.

Cella Nouitiorum in vsu fuit apud Cassinenses.

Viguisse autem in nostro Ordine hanc ipsam à Legislatore traditam constitutionem, non difficulter probari potest. Vt enim à capite incipiamus, Leo Ostiensis scribit in Cassinensi monasterio tempore Desiderij Abbatis, seorsim structam Nouitiorum cellam. *Ab occidentali* (inquit) *parte claustri Nouitiorum cellam decenter aptauit, in quâ iuxta institutum regulare, meditari, quiescere atque comedere Nouitij ipsi deberent.* Idemque patet ex susceptione Carolomanni Francorum Regis, cùm enim ignotus Cassinense Monasterium adiisset, vt ibidem ad Religionem admitteretur, *spiritualis Pater* (prout Reginonis Chronicon habet) *eius precibus annuens, præcepit eum in Cellâ Nouitiorum recipi, vnà cum suo collegâ. Post emensum anni circulum, professus stabilitatem, conuersionem morum, obedientiam secundùm Regulam* S. BENEDICTI, *cœpit irreprehensibiliter inter Fratres conuersari.* Ante illud ergò tempus inter fratres non versabatur. In vitâ S. Hermelandi Abbatis fit mentio huius cellæ Nouitiorum: *Vbi ex more instituti monastici, in Cellâ, vt vocant, Nouitiorum probatus,* &c. In Angliâ quoque id olim seruatum, Auctor est Venerabilis Beda, qui de sanctimoniali loquens, hæc habet: *Erat enim hac ipsâ horâ cum aliis nonnullis Christi ancillis, in extremis monasterij locis seorsim posita, vbi nuper venientes ad conuersionem feminæ solebant probari, donec regulariter instituta, in societatem congregationis susciperentur.* Hæc Beda. Tempore S. Lanfranci eandem viguisse obseruantiam in quibusdam saltem cœnobiis, Statuta eius indicant. Agens enim de Nouitio, *In Cellâ,* inquit, *Nouitiorum dormiat, aut in dormitorio, si cœnobium huiusmodi cellam non habet: in Claustro separatim sedeat cùm Magistro suo in loco Nouitiis deputato.* Item: *Si ibi cella Nouitiorum est, in eâ, quemadmodum in capitulo increpetur & verberetur.*

Leo Ostiens. in Chron. Cass. lib. 3. cap. 31.

Regin. lib. 2. ad annum 746.

Apud Sur. 25. Mart.

In Angliâ.

Beda lib. 4. ecclesi. hist. gent. Anglor. cap. 23.

Tempore Lanfranci.

NOVITIATVS. Statuta Lanfranc. cap. 18.

Apud Cluniacenses quoque *Nouitiatus* seorsim positus erat, nam tempore S. Petri Venerabilis, vt in eius *constitutionibus* habetur, *statutum fuit, vt in infirmitorio quoque esset silentium certo modo, sic in cellâ Nouitiorum, & adiacenti claustra, siue officinâ, exceptis Nouitiis, & eorum Magistro; qui vbi & quando loqui solent, loquantur.*

Apud Cluniacenses. Stat. Petr. Venerab. num. 19.

Laudabilis hæc fuit institutio; verùm vbi ea seruari non potest, sed promiscuè cum Professis degunt Tirones, id saltem caueatur, ne familiariter conuersentur, aut colloquantur Nouitij cum Professis; quod Montis Olíueti Monachi sub S. BENEDICTI vexillo militantes, expressè præscribunt: *Nemo ex Monachis Nouitium alloquatur, nisi in publica & præsente Magistro.* Et Carthusiani: *Cum Nouitiis nemo nostrûm loquatur, nisi Prior, Vicarius, & eorum Magister.* Quod vt meliùs posset seruari, decreuit Clemens VIII. pro omnibus Ordinibus Nouitiatus haberetur communis, in quo Nouitij loco à Professis separato educarentur.

Quæ obseruanda vbi Nouitij promiscuè degunt cum Professis.

Monach. Mont. Oliuet. in cap. 58. Reg.

Carth. p. 2. Stat. cap. 14. num. 10.

Clem. 8. de recept. Nouit.

Sed quorsum alloquium & congressus Nouitiorum Professis interdicitur? Caussas reddit Magnus Basilius, quas suprà cùm de *pueris* ageremus, ex eodem attulimus, & locum quoque habent in Nouitiis. Laurentius verò Iustinianus de hâc re ita loquitur: *Incipientes,* inquit, *in sua conuersionis exordio, ab omnium pariter conuiuentium sunt segregandi consortio, eorum excepto, quos præceptoris discretio duxerit concedendos. Nam facillimè labitur, & difficulter informatur adolescentis animus, qui huc illucque discurrens, diuersa cùm fratribus profert eloquia, & varia percipit documenta virtutum.* Quibus accedat quod fortè in Monasterio esse possint aliqui professi, quos vitæ religiosæ cœperit tædium, & corde iam reuersi sint in Ægyptum, qui & de Ægypto fugientes à promissionis terrâ repellant. Accidit tale quid, cùm S. Odo in Monasteriũ esset admissus; hunc enim Monachi quidã improbi his verbis sunt aggressi: *Omnes nos conamur hanc sodalicatem deserere, vt possimus seruare animas nostras; & tu huc venis, vt tuam perdas?* Post hæc acerbè quidem, sed falsè securitatis nimiæ Bernonem accusarunt, vt B. Odo cœperit animo vacillare. Verùm Adhegrinus socius quondam Odonis iam monachus prosiliens in medium. *Noli,* inquit,

Familiaritas & colloquium vitanda.

Basil. in reg. fusior. regul. 15.

Rationes.

Laurent. Iustin. lib. de obed. cap. 20.

S. Odo vacillat in suâ vocatione.

Ioan. Monach. lib. 1. vit. S. Odo. cap. 13.

Seductus à falsis fratribus.

NOVITIATVS. *Sed confirmatur, & perseuerat.*

quit, *Odo, Pater, trepidare. Sermones isti non eorum sunt, qui eos proferunt, sed illos suggerentis. Non dubites horum ore diabolum esse locutum.* His verbis illi pudefacti, recesserunt, & Odo perstitit in suscepto vitæ monasticæ consilio. Quòd autem S. Odoni accidit, & aliis euenire potest. *Quanti enim* (inquit Auctor vitæ S. Odonis) *tali modo decepti, ab initio sanctæ Conuersationis retro sunt reuersi, atque à colore interni desiderij, ad torporem reuersi sunt praua voluntatis.*

DISQVISITIO III.

Quanto tempore probandi Nouitij?

I. *Veteres pro arbitrio Nouitios extendebant.*

Basil. in reg. fusiori. reg. 10.

VARIA in hoc olim seruata forma. PRIMÒ enim, videtur antiquis fuisse arbitrarium, & Abbatis iudicio permissum, citiùs an tardiùs ad professionem Nouitius admitteretur. S. enim Basilius nullum tempus Nouitiatus præscripsit, sed adhibendo temporis spatio, & grauioribus imponendis laboribus, periculum monet faciendum de tironum naturâ & constantiâ, atque ita tandem ad eorum numerum adscribendos, qui seipsos Domino consecrarunt. Et S. Ephræm insinuare videtur ex Nouitiatu aptiores ad Professionem, & Religiosorum cõgregationem certo tempore admissos, relictis in sequentem annum minùs idoneis: vt vidimus disquisitione præcedenti.

S. Ephræm tom. 2. paræn. 17.

II. *Quidam triennio Nouitios probarunt.*

Ioseph. lib. de bello Iud. cap. 7.

SECVNDÒ, Essenos illos, vel primos Monachos, vel Monachorum prodromos, Iosephus scribit triennio integro probatos antequam ad reliquorum conuictum tandem admitterentur. *Per annum*, inquit, *integrum extrinsecus commoranti victum tribuunt. Post ostensionem autem continentiæ duobus annis aliis mores eius probantur. Cùmque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur.* Tabennensiotæ ex Regulâ S. Pachomio ab Angelis tradita (prout refert Palladius) tribus annis antequam admitterentur, probabantur: *Porrò*, inquit, *qui semel ingreditur, nec potest eum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes: sed cùm opera fecit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium.* Hanc Regulam Pachomij imitatus est Iustinianus Augustus, qui inter alia de Monachis sic statuit: *Sancimus sacras sequentes regulas, eos qui singularem conuersationem profitentur, non promptè mox à Reuerendissimis Præsulibus venerabilium Monasteriorum habitum percipere Monachalem, sed per triennium totum, siue liberi sint, siue serui, exspectare, nondum monasticum habitum promerentes, sed tonsurâ & veste eorum vti, qui Laici vocantur, & manere diuina addiscentes eloquia; & Reuerendissimos eorum Abbates requirere, vnde eis desiderium vitæ singularis accesserit: ne fortè vlla maligna occasio ad hoc eos induxerit, experimentoq; percipiendo eorum tolerantia & honestas; non enim est facilis vitæ hominum mutatio.*

Pallad. in Lausi. c. 38.

Iustiniani Imperatoris in hanc rem decretum. Authent. collat. 1. tit. 6.

III. *Per vnum annum.*

Cassian. lib. 4. cap. 7.

TERTIÒ, Vnius anni probationem, sed quæ fiat in hospitali, insinuat Cassianus, ait enim: *Susceptum, cùm integro anno suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutum per hoc primâ institutione humilitatis, ac patientiæ, atque in eo longâ exercitatione præcognitum, admisceri congregationi fratrum.* Quod idem esse crediderim, atque ad professionem admitti. Cassiani formam sequitur Fructuosus suprà citatus. Expressè autè probationem per vnius anni circulum, idque in Cellâ Nouitiorum, requirit S. BENEDICTVS, vt ex Regulæ textu patet, & affirmat Alexander II. dicens: *B. BENEDICTI Regula, & præcipuè patris, & prædecessoris nostri S. Gregorij canonico instituto interdicit monachum ante vnius anni probationem effici.* Quòd etiam ab omnibus Ordinibus Mendicantibus seruandum Bonifacius VIII. decreuit. Sed quòd forsitan mireris, Gregorius IX. ex Regulâ S. BENEDICTI, tanquam vniuersalis omnium Religiosorum Patriarchæ, prohibet Ministro & fratribus Ordinis Minorum, ne intra probationis annum quemquam ad professionem inducant aut recipiant. *Non solùm*, inquit, *fauorem conuersi, sed etiam Monasterij probationis tempus à sanctis Patribus est indultum, vt ille asperitates istius, & illud mores illius valeat experiri. In Regulâ quoque B. BENEDICTI præcipitur, vt ad conuersionem nouiter venienti non facilis tribuatur ingressus, sed sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, & dura & aspera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Præterea in eadem Regulâ subiungitur, vt dicatur: Ecce lex, sub qua militare desideras, si eam obseruare potes, ingredere, alioquin liber venisti, liber discede.* Hæc Pontifex. Ex quo videas S. BENEDICTI Regulam (vt * alibi ex professo docuimus) esse velut generalem amussim, quâ omnium Religionum dirigantur gressus. Cuius doctrinam nunc in omnibus Ordinibus religiosis seruari vult Ecclesia, vt constat ex Concilio Tridentino, generaliter dicente: *In quâcumque Religione tam virorum, quàm mulierum, nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Et subditur: *Professio autem antea facta sit nulla, nullosq; habeat effectus*, &c.

Cap. 21. Reg. *Expressit hoc tempus S. Benedictus.* 17. q. 2. c. Consaldus.

Bonifac. de Reg. in 6. cap. Constitutionum.

Et ex eo Gregorius IX. Ordini Minorum praescripsit. Wadding. an. 10. Gregor. IX. ex Vatic. Regist. n. 109.

* Lib. 2. Tract. 4. Disq. 2.

Iam Ecclesiæ decreto seruatur in quâcumque Religione. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regularibus.

Notandum hîc tamen in iis, quorum mores difficiliùs ad regulam corriguntur, extensum aliquando Nouitiatum ad alterum annum. S. enim Gregorius cùm accepisset nõnullos Monachos parum religiosè viuere, quod vix probati tonderentur, sic

Quidam ex decreto Gregorij Magni duorum annorum probati. Greg. lib. 8. epist. 23.

scribit

per biennium.

Id.lib 7. Epist. 11. *Milites per triennium.*

17.q.3.cap. Si quis.

ſcribit Fortunato Epiſcopo Neapolitano : A *Monaſteriis omnibus fraternitas veſtra interdicat, vt eos, quos ad conuerſionem ſuſceperint, priuſquam biennium in conuerſione compleuerint, nullo modo audeant tonſurare: ſed hoc ſpatio vita, moreſq́; eorum ſollicitè comprobentur, ne quis eorum, aut non ſit contentus eo, quòd voluit, aut ratum non habeat, quod elegerit; nam cùm graue ſit inexpertos hominum obſequiis ſociari, quis poßit dicere quantò ſit gratius ad Dei ſeruitium improbatos applicare?* Idem quoque militibus monaſticum habitum vetuit dari, *niſi eorum vita ſubtiliter fuerit inquiſita: & iuxta normam regularem debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum habitum Deo auctore ſuſcipere.* Sic & in Iure ſtatuitur, *vt ſi quis incognitus monaſterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præſtetur.*

Ante probationem relaxat feruentiori Nouitio

Fructuoſus. Reg.cap.21.

Quæri autem ſimiliter poſſet: An valdè idoneus, & in pietate feruens ante annum ad profeſſionem admitti poſſit. Concedit id S. Fructuoſus: *Quòd ſi,* inquit, *quilibet conuerſus bonis ac puris moribus enitens, Abbatis vel aliorum fratrum ſpiritualium fuerit iudicio comprobatus, & pro merito, & puritate ſuæ cõſcientiæ celeriùs poterit fratrũ conſortiis C miſceri, ſecundum quod Abbatis vel Fratrum optimorum cenſuerit deliberatio faciendum.* Sic ille.

S.Ferreolus, Reg. cap.5.

Idem permittit Regula S.Ferreoli: *Si quis,* inquit, *veniat Religionem expetens, monaſterium intraturus, niſi anni circulus, vel certè, ſi Abbati viſum fuerit, aliquantulum temperare, antequam ſex menſes dierum numero compleantur, Monachorum cõtubernio non iungatur.*

Regula Ternantenſis. Cap.1.

Similiter Regula Ternantenſis: *Niſi expleto anno nullus mutare habitum permittitur, ſed ſi petentis tanta fuerit compunctio, vt ſi hoc ſibi ſupplicatione aſſiduâ exigat non negari, quod vni fideliter poſcenti conceditur, non D quaſi licitum habeatur.*

Cæſarius Arelatenſis. Reg. Sanctimoo. cap.3.

Cæſarius quoque Arelatenſis, contrahi, & extendi nouitiatus tempus permittit: *Vni ex ſenioribus tradita, annum integrum in eo, quo venit, habitu perſeueret. De ipſo tamen habitu mutando, vel lecto, in Scholâ habendo, ſit in poteſtate Prioris: & quomodo perſonam vel compunctionem viderit, ita vel celeriùs vel tardiùs ſtudeat temperare.*

Cluniacẽſes à Ciſtertienſibus hac de cauſſâ perſtricti.

Grauiſſimam ſuper hac quæſtione litem Cluniacenſibus mouetunt Ciſtertienſes, hæc enim prima obiectio eſt inter eas, E ob quas dicebant Cluniacenſes profeſſionis & voti tranſgreſſores: *In ſuſcipiendis,* inquiunt, *Nouitiis quomodo Regulam ſeruatis, cùm non niſi poſt annum, ſpiritibus ſi ex Deo ſunt probatis, eos ſuſcipi præcipiat: vnde contingit, vt quia incautè recipiuntur, incautiùs recepti conuerſentur; & quia ad quod veniunt venientes non intelligunt, iam cæteris ſociati, quid agere debeant, neſciunt: dumque in ſtadio A more athletarum ante pugnam non exercentur, ad conflictum venientes cùm pugnare debeant, fugiunt, & cùm fortiter dimicantes vincere, vtpote talium inexperti, facillimè vincuntur.*

NOVITIATVS.

Defendit ſuos Petrus Venerabilis. Lib.1. Epiſt.28.

Primò, exemplo Chriſti.

Pluribus verò reſpondet Petrus Venerabilis, quorum hæc ſumma. Cùm Chriſtus dixerit: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non eiiciam foras.* Et volentes ſe ſequi, ſtatim admiſerit: idemque in ipſis Eccleſiæ primordiis etiam fecerint Apoſtoli, permittentes vt bona ſua, qui vellent ad pedes eorum deponerent, & viuerent in commune, nec per B annum tales diſtulerint, ſed ilicò ceteris coniunxerint; hinc idem quoque in monaſticâ vitâ licere, cùm illa imitationẽ Chriſti & Apoſtolorum non excludat, nec S. BENEDICTVS prohibuerit Domini & Apoſtolorum eius facta imitari.

Secundò, Charitatis intuitu.

Deinde ait, Cluniacenſes in hoc facto charitatis oculum erga ſalutem proximi apertum habere: Si enim ab Ordine tam aſperè deterrerent venientes, ad ſæculum reuertentes in perniciem laberentur.

Tertiò, Ob ſalutem ingredientium.

Tertiò, ait, ſæpe etiam inuitis bona præſtari: *Hoc,* inquit, *dicimus, quòd apud nos ſæpe contingere cernimus. Nonnulli huic iugo colla ſua ſubmittentes, poſt aliquantum temporis diuerſis ſeu tentationibus, ſeu tribulationibus oppreßi, ad fæces mundi reuerterentur; niſi cogitarent, quod ſemel fecerunt, non poſſe ſe abſque damnatione æternâ præuaricari.* Confirmat hoc auctoritate S. BENEDICTI dicentis: *Sic Abbas omnia temperet atque diſponat, vt animæ ſaluentur.*

Quartò, Neceßitatis cauſſa.

Quartò ait, *quòd fraternæ charitatis intuitu, liceat plerumque Magiſtris eccleſiæ Dei Patrum inſtituta tranſgredi, & ad vtilitatem animarum regularum præcepta moderari.* Nam Leo Papa inquit: *Vbi neceßitas fuerit, ad vtilitatem eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet.* Vnde concludit: *Cùm ergo audiatis, neceßitatis, ſiue vtilitatis gratiâ poſſe Patres mandata moderari: negabitis hominem ad Monachatum, niſi poſt annum poſſe ſuſcipi: Et quæ maior neceßitas aut vtilitas, animarum ſalute, poteſt inueniri? Illa neceßitate, illa vtilitate, ne dilati pereant, ad nos venientes aliquando ſine morâ ſuſcipimus.* Ita ferè Petrus Venerabilis.

Reſpondetur, Probationẽ indultam in fauorem vtriuſq; partis.

3. Decretal. de Regul. &c. Cap. ad Apoſtolicam.

Verùm aliter, & multò etiam ſolidiùs ſtando in Iure antiquo, reſponderi poſſet, prout reſpondit Innocentius III. nimirùm *tempus probationis à Sanctis Patribus fuiſſe indultum, non ſolùm in fauorem conuerſi, ſed etiam monaſterij, vt & ille aſperitates iſtius, & iſtud mores illius valeat experiri: ſi tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is, qui conuerti deſiderat, habitum recipit, & profeßionem emittit, Abbate per ſe vel per alium profeßionem recipiente monaſticam, & monachalem habitum concedente, vterque renuntiare videtur*

NOVITIATVS.

videtur ei, quòd pro se noscitur introductum: ideoque obligatur per professionem emissam pariter & acceptam ad obseruantiam regularem, & verè Monachus est censendus: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem. Sic Pontifex. Ex quo infert Suarez, quod etsi in ipso primo ingressu fieret professio, valida tum temporis fuisset; quia quâ ratione potest pars anni ex mutuo consensu prætermitti, potest etiam totus, & ita habetur in cap. *Constitutionem*; vbi ait Bonifacius VIII. in religiouibus non mendicantibus *professio expressè vel tacitè fieri potest licitè intra annum.* Tempus ergo vnius anni (inquit Suarez) non erat iure antiquo simpliciter necessarium, sed tantùm sub eâ conditione, nisi Religio, & Nouitius renuntiarent iuri suo; sub illâ verò erat simpliciter necessarium, adeò vt professio anteà facta esset nulla. Atque hoc de iure antiquo. Nunc verò standum est Concilij Tridentini decreto, cuius verba suprà retulimus.

Suar. to. 3. de relig. lib. 5. c. 12. num. 4.

6 Decret. lib. 3. tit. 15.

Iure antiquo annus non erat simpliciter necessarius.

DISQVISITIO IV.

In quibus probandi Nouitij?

PRVDENTISSIMVS Patriarcha noster describens qualis debeat Nouitiis deputari Magister, non prætermisit indicare in quibus potissimùm Nouitiorum animus, mores, & ingenium debeant explorari. Ea autem sunt quatuor: Primò enim, *omninò curiosè* vult intêdi, *an* Nouitius *verè Deum quærat.* Secundò, *An sollicitus sit ad opus Dei.* Tertiò, *an paratus ad Obedientiam.* Quartò; *an etiam ad opprobria*, additque tandem: *Prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* De quibus agendum singillatim.

Nouitij quatuor modis explorandi ex præscripto S. Benedicti.

Regul cap. 58.

Sapientissimè primo loco posuit, *si verè Deum quærat.* In omnibus enim hominum actionibus, num bonæ an malæ sint, semper respicienda est intentio & finis, quem sibi homo proponit; nam vt dici solet:

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes.

Primò, An verè Deum quærant.

Et Augustinus: *Non valdè attendas, inquit, quid homo faciat, sed quid, cùm facit, aspiciat.* Primò omnium ergo inquirendum, quo animo, quâ intêtione, quove fine Nouitius ad Religionem accesserit, quem scopum sibi habeat præfixum. Ne autem hîc errare contingat, indicat S. BENEDICTVS quis suorum Monachorum debeat esse scopus, nimirùm, QVÆRERE DEVM IN VERITATE. Quod paulò accuratiùs explicasse videtur Abbas Moyses apud Cassianum: *Hic, inquit, nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis iugiter affectanda,*

August. in Psal. 31.

Quis scopus Benedictinorum.

Cassian. collat. 1. cap. 8.

A *vt diuinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, quidquid ab hâc diuersum est, quamuis magnum, secundum tamen, aut etiam infimum seu certè noxium iudicandum est.* Ita ille. Monachorum ergo S. BENEDICTI congregatio, verè dici potest GENERATIO QVÆRENTIVM DOMINVM, cùm nullum admitti velit, nisi qui reuerà Deum quærat, atque hoc vult omninò curiosè & sollicitè à Magistro Nouitiorum explorari. Aliqui enim eo animo monasterium ingrediuntur, vt habeant vnde honestè vitam absque magno labore transigant, ibique fruantur commodis, B quæ in sæculo sperare vix poterant. Alij spe promotionis religiosum capessunt statum, nimirùm, vt Auunculo aut Patruo Abbati succedant; itaque *hereditate possideant sanctuarium Dei:* vel vt sub illo Prioris Cellerarij, vel Lectoris officio fungantur. Sunt quoque qui non alio fine ad vitam aspirant monasticam, quàm vt alicui, quâ premuntur, afflictioni remedium & leuamen inueniant, nimirùm quòd sperata desraudati sint prætensione, quod quam ambiuerint, non accipiant sponsam: quòd non eâ, quâ vellent in mundo auctoritate, C vel commoditate frui possint, quòd gratiâ vel officio exciderint; adeò vt potiùs vano quodam honore, quem ab hominibus exspectant, vel infamiæ, laborumve metu, quàm Dei amore ad Religionem trahantur. Diligenti igitur examine hæc ponderanda, & seriò videndum, an reuera *Deum quærat.*

Explicatur.

Psalm. 23.

Monasterium quidam intrant intuitu commodi proprij.

Et ambitionis.

Psal. 82.

Afflictionis, & dedecoris vitandi caussa.

Sed vnde, inquiet aliquis, cognoscere licebit, num quis reuerà Deum quærat, & ad scopum monasticæ perfectionis tendat? Respondetur PRIMÒ, id cognosci, si D non timeat austeritates, & duriora propter Deum subire exercitia: nam S. BENEDICTVS ait: *Prædicentur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* Mortificationes ergo, & contraria quæque non abhorrere, nec propter illa è monasterio discedere, signum est Deum quæri, & nihil illo charius æstimari. Electio enim mediorum, & præsertim duriorum, efficacem arguit intentionem finis. Declarat id pluribus Abbas Moyses: *Omnes, inquit, artes ac disciplinæ scopum quemdam & finem proprium habent, ad* E *quem respiciens vniuscuiusque artis industrius appetitor, cunctos labores & pericula, dispendiaque vniuersa æquanimiter libenterq; sustentat.* Ita Agricola nunc solis æstum, nunc pruinam, nunc niuem, & imbres tolerans, terram infatigabiliter vomere subigit, vt ex eâ fructum consequatur. Ita,

Signa duo quæ euincunt Deum à Nouitio quæri.

I.

Si mortificationes & dura appetat.

Cap. 58.

Per mare, per terras currit Mercator ad Indos,

Vt quæstum pro voto faciat: Contemnit miles vulnera, bellique ærumnas, dum propo-

Cassian. collat. 1. cap. 2.

Labores tolerant plerique spe mercedis illecti.

Ibid. *Monachis hinc omnia reddantur suauia.*

propositum sibi dignitatis finem cupit obtinere. *Habet ergo*, ait Abbas Moyses, *& nostra professio scopum proprium ac finem suum, pro quo labores cunctos, non solùm infatigabiliter, verùm etiam gratanter impendimus, ob quem nos ieiuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio ac meditatio scripturarum continuata non satiat, labor etiam incessabilis, nuditasque & omnium rerum priuatio, horror quoque huius vastissimæ solitudinis non deterret.* Qui ergo asperiora hæc generoso animo amplectitur exercitia, profitetur se verè Deum quærere: per hæc enim, vt Regula ait, *itur ad Deum.*

II. *Si libenter de Deo audiat, & loquatur.* Ioan. 8. Matth. 12.

SECVNDO, An aliquis Deum quærat, & hinc colligi potest, si nimirum libenter de Deo audiat, & de illo loquatur: *Qui ex Deo est*, inquit Christus, *verba Dei audit.* Et; *Ex abundantiâ cordis os loquitur.* Imò, quò maius est desiderium Dei & cuiusuis rei amatæ, eò magis iuuat de illo cogitare & loqui. Nouitius proinde si diuinis rebus valdè afficiatur, multùm oret, de Deo sæpe loquatur, ac libenter meditetur; rarius de rebus sæculi, sæpius de spiritalibus sermones inferat, signum est, ab eo Deum quæri, quem sine dubio etiam inueniet, nam & veritas ait: *Qui quærit, inuenit.* Meritò ergo Nouitijs dicitur: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.*

Luc. 11. Psal. 104.

DISQVISITIO V.

Vt explorandum an Nouitius sollicitus sit ad opus Dei?

Secundò, Aduertendum an Nouitius solicitus sit ad opus Dei. Cap. 43.

QVOD ab institutore Nouitiorum secundo loco curiosè considerari S. P. N. voluit, est, *an solicitus sit ad opus Dei.* Meritò enim illud præcipuè attendi voluit, quod inter exercitia monastica principem locum tenet, & de quo alibi ait: *Nihil operi Dei præponatur.* Cui quidem operi cùm tota vita Monachorum mancipetur, iure meritissimo diligenter expendendum est, an Nouitius ad illud se propensum & solicitum ostendat. Videndum igitur, an *ad horam diuini officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summâ cum festinatione occurrat.*

Quod patebit, si festinè occurrat. Cap. 43. Cap. 22.

An de nocte festinet alios præuenire ad opus Dei?

Num frequenter tardè occurrat & quâ ex causâ?

An officium prænideat, & sedulus sit in addiscendis ijs, quæ illud concernunt.

Num libenter se absentet à Choro, eiusve occasiones aut prætextus quærat?

Quâ diligentiâ ad officium recitandum se præparet?

Et inibi feruens sit, & sibi præsens.

Num in illo somnolentus sit, aut distractum animum exterioribus prodat signis, oculorum nimirum incontinentia, huc illuc respiciendo, librorum folia euoluendo, gesticulatione digitorum, alijsque patum decentibus modis? NOVITIATVS.

Num festinus sit in psalmodiâ, nec debitam seruet pausam in versuum hemistichijs?

Num conquetatur de officij prolixitate, vel tractiùs canendi modo?

Hæc, & his similia Nouitiorum Magister considerate poterit, & quo animo *Nouitius* erga diuinum officium feratur, colligere.

Quid hoc loco Opus Dei. Smaragd. in cap. 58. Reg. S. Bened. Turrecrem. Ibid.

Smaragdus autem exponens, *Si solicitus est ad opus Dei*, dicit id esse ad ea quæ propriè ad Deum pertinent, videlicet ad *orationem diuinam, ad lectionem, ad vigilias nocturnas, cursusque diurnos, ad ieiunium, & ad omne diuinum officium.* Imitatur eum Turrecremata, dicens: Ad opus Dei, scilicet ad orationem, ad lectionem, ad meditationem. Et sine dubio circa hæc vigere debet Nouitij diligentia, & Magistri solicitudo.

DISQVISITIO VI.

Quomodo Nouitiorum Obedientia probanda?

Tertiò; Exploranda Nouitij obedientia. Cassian. collat. 19. cap. 8. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. *Quæ prima Monachi virtus.* Sulpit. Dialog. 1. c. 11.

CVM Obedientia clauis religionis sit, maximè conuenit Tironem in eâ esse exercitatissimum. Hæc enim est prima & præcipua Cœnobitarum institutio, quâ ad finem suum docentur tendere. Nam, vt Ioannes Abbas apud Cassianum dixit: *Finis Cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates.* De Monachis quoque Hieronymus ait: *Prima apud eos confœderatio est, Obedire maioribus, & quidquid iusserint, facere.* Similiter Sulpitius Seuerus: *Præcipua*, inquit, *ibi virtus, & prima est Obedientia, neque aliter adueniens ad monasterium Abbatis suscipitur, quàm qui tentatus priùs fuerit, & probatus, nullum vnquam recusaturus, quamlibet arduum, ac difficile indignumque toleratu Abbatis imperium.* Quare Cassianus Magistri Nouitiorum describens officium, ait: *Hæc eius erit solicitudo & eruditio principalis, vt doceat. Iuniorem primitus suas vincere voluntates, quem studiosè in his ac diligenter exercens, hac illi semper imperare de industriâ procurabit, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, monachum, & maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi priùs mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates.*

Incumbit Magistro Tironum hac exercere. Cassian. l. 4. institut. c. 8. *Dura & contraria imperando.*

Quanta autem fuerit iuniorum *Obedientia*, idem deinceps declarat: *Post hac tantâ obseruantiâ obedientiæ Regula custoditur, vt iuniores absque Præpositi sui scientia vel permissu, non solùm non audeant cellâ progredi, sed neipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere suâ auctoritate*

Quanta olim iuniorum obedientia. Eod. l. c. 10. *In natura necessitate.*

NOVITIATVS.

ctoritate præsumant. Sicque vniuersa complere quæcumque fuerint ab eo præcepta, tanquam si à Deo sint cælitus edita, sine vllâ discußione festinãt, [*Impossibilibus.*] *vt nonnunquam etiam impoßibilia sibimet imperata eâ fide, ac deuotione suscipiant, vt tota virtute, ac sine vllâ cordis hæsitatione perficere ea, aut consummare nitantur: & ne impoßibilitatem quidem præcepti pro Senioris sui reuerentiâ metiantur.* Hæc Cassianus. [Sulpit dialog. 1. c. 12.] Refert verò Seuerus Sulpitius, quemdam sæculi actibus se abdicare volentem, cùm ab Abbate se suscipi rogaret, ille verò graues disciplinæ labores, B & sua dura imperia proponeret, cæpisse [*Abbas initiandum igne probat.*] Nouitium omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare. Quam illius professionem vbi Abbas accepit, non cunctatus probare, iubet eum in clibanum, qui co- [*Obedit, & illæsus egreditur.*] quendis panibus parabatur, intrare. At ille non distulit parere præcepto, sed statim medias flammas nihil cunctatus ingressus est. Quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris cesserunt, & [Idem c. 13.] confestim fugit incendium. Alius frater cùm *ad eundem Abbatem recipiendus aduenisset,* C *& prima ei lex obedientiæ proponeretur, ac perpetem polliceretur ad omnia, vel extrema patientiam; casu Abbas storacinam virgam aridam manu gerebat. Hanc solo fixit, atque illi aduenæ id* [*Monachus totos tres annos arida virga aquam affundit.*] *operis iniunxit, vt tam diu virgula aquam irriguam ministraret, donec (quod contra naturam erat) virga arida in solo arente virescerét. Subiectus ille frater dura legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine* [*Quæ floresceit.*] *per duo fere millia petebatur.* Cumque integro triennio *neque nocte neque die aquarius ille cessaret operator, tandem virga floruit.* Tantum D valuit Obedientia. B. quoque Antonius [Ruffin. in vit. Patr. l. 3. cap. 31. *Pauli Simplicis mira obedientia.*] Paulum Simplicem variè in hac virtute exercebat: præcipere enim ei solitus erat, quæ ratio & causa non posceret, in quibus eius animus erga obedientiam probaretur. *Haurire namque aliquando eum aquam iußit ex puteo, & in terram totâ die effundere, & contextas sportellas resoluere, ac denuò contexere; & vestimentum dissuere, atque iterum resuere, & rursus resoluere.* [Pallad. in Lausiac. c. 27.] Aliàs, vt Palladius refert, iussit eum vsque ad vesperam sedere ad mensam, & nihil comedere, sed solùm attendere esculentis: Aliàs tribus diebus obire solitudinem, nullâ dictâ causâ, neque E quid faceret: aliàs tribus hebdomadibus [*Exercetur variè ab Antonio.*] tacere & ministrare fratribus, nec quidquam gustare; aliàs vrnã mellis frangere, & mel effundere, deinde rursus colligere mel in conchâ addito præcepto, ne sordes aliquas inferret. Postquam ergo promptè hæc omnia esset executus, dicit ei Antonius: *Vide frater si sic indies potes, mane mecum;* qui per hæc omnia informatus, breuì ad perfectionem venit. *Ex cuius exemplo,* vt ait Rufinus, [Rufin. vbi supra.] *docebat B. Antonius, quod si quis velit ad perfe-*

A *ctionem velociter peruenire, non sibi ipse fieret Magister, nec proprijs voluntatibus obediret etiamsi rectum videatur esse quod vellet, sed secundum mandatum Saluatoris obseruandum esse, vt ante omnia vnusquisque abneget semet ipsum sibi, & renuntiet proprijs voluntatibus, quia &* [*Qui docet Obedientiâ perfectionem breui acquiri.*] *Saluator ipse dixit: Ego veni non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* [Matth. 26. Cassian. lib. 4. cap. 29.] Cassianus quoque refert filium cuiusdam Comitis [*Comitis filius iubetur sportas vendere.*] ditissimi liberalibus studijs non mediocriter institutum, cùm relictis parentibus ad monasterium peruolasset, mandatum accepisse, vt decem sportas humeris suis impositas, distrahendas publicè circumferret, adiectâ conditione, quâ diutiùs in hoc officio retineretur, ne vni, sed singillatim eas diuersis venderet. Quod ille totâ deuotione compleuit, & statutum pretium ad monasterium reportauit.

Sequens B. P. BENEDICTVS præcedentium Patrum vestigia, voluit etiam peculiariter obedientiæ discipulorum suorum [*S. Benedictus Obedientiam à Nouitijs requirit.*] fieri experimentum, quos Congregationi fratrum non aliter voluit admisceri, nisi [Cap. 58.] C *habitâ secum deliberatione promiserint: se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare velle.* Hinc etiam iubet Nouitio prædicari *omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* [*Quæ sint hic dura.*] Ad quæ verba Bernardus Cassinensis: *Nota quod dura sint, quæ sunt per perseuerantiam durabilia: nam fortè per duos aut tres dies quis iugum Ordinis leuiter portare posset, non amanti verò vsque ad finem perseuerare est valdè difficile. Aspera* [*Et aspera.*] *autem sunt, cibus regularis, abstinentia à carnibus, durus lectus, continuum silentium, prolixum officium, abiectio sui, dura imperia Præ-* D *lati, patientia in aduersitatibus, totalis mundi renuntiatio, consanguineorum & carorum separatio, viuere sine proprio, & sine propriâ voluntate. Ista sunt illa dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* Hæc ille.

Nouitius proinde meritò illud dicere [*Vtraque spectant ad Obedientiã.*] possit: *Propter verba labiorũ tuorũ ego custodiui vias duras.* [Psalm. 16.] Hæc autẽ dura spectare ad Obedientiam, ipse S. BENEDICTVS docuit, cùm [Cap. 7.] ait quartum humilitatis gradum esse, *si in ipsâ obediẽtiâ duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacitâ conscientiâ, patientiam amplectatur; & sustinens, non lassescat vel discedat.* Sed & ante eum Magnus [*S. Basilius Tirones ita probandos statuit.*] E Basilius tirones hoc modo probari voluit. [Basil. in regul. fusior. interrog. 10] *Communis*, inquit, *illa est ratio vnumquemque pertentandi, si illud animaduertatur, nunquid is, de cuius sententiâ periculum fiat, paratus sit libenter ad omne humilitatis genus descendere, missâ omni verecundiâ, ita videlicet, vt sordidißima etiam quæque artificia suscipere non recuset, quandocunque illorum exercitationem vtilem esse ratio consuadeat.* Et paulò pòst: *Maximè autem ei, qui ab splendido aliquo vitæ gene-* [*Maximè nobiles, in sordidis & vilibus artificijs.*] *re, ad imitandum modestißimæ humilitatis Domini Nostri IESV Christi exemplum festinat, mu-*

nera

neta quadam prascribi debent de numero eorum, qua illi sordida existimant, qui in ciuili vitâ versantur: obseruandumque num in ijs cum omni animi alacritate non erubescentem & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat.

DISQVISITIO VII.

An probandi Nouitij per opprobria & iniurias?

S. Benedictus Tirones iniurijs & opprobrijs probandos statuit. Cap. 58.

NOTA est S. P. BENEDICTI de hoc puncto sententia: nam de primâ admis- B sione ait: *Si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni sua; annuatur ei ingressus.* Conuitijs ergo, iniurijs, & opprobrijs primùm venientem vult excipi. Posteà autem in cellam Nouitiorum deductum, à Seniore, siue Magistro exerceri vult opprobrijs. Id verò hominibus huius sæculi inhumanum fortasse, & rationi parum consentaneum videatur; hoc enim facto *Nouitij* potiùs à Monasterio arceri, quàm ad Christum suauiter allici censeantur. Refugit enim mollis Tironum animus hæc aspera initia, nec facilè iniurias & opprobria concoquere potest infirmior stomachus.

Nec id inhumanum.

Sed à priscis Monachis tractum. Cassian. l. 4. institut. c. 3.

Verùm ex veteri Monachorum instituto Legislator noster hunc probandi modum hausit; nam & Cassianus refert, simili modo Ægyptios Monachos olim tirones admisisse. Scribit enim, *Nouitium* decem vel amplius pro foribus excubantem diebus, omnium fratrum genibus prouolutum, ab vniuersis de industriâ solere refutari, ac despici, *tamquam qui non religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare: iniurijs quoque, & exprobrationibus affectum, si experimentum dederit constantia sua, qualisque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantia*; tandem suscipi.

Idem eod. lib. cap. 11. Es è bono & vo Candidatorum.

Cur autem hanc molestiam & difficultatem *Nouitio* exhibuerint, præclarè explicat Abbas Pinuphius: *Ideo*, inquit, *à nobis diutissimè refutatus es, non quia tuam, vel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti, & his, qui ad Christum cupiunt conuerti, etiam procul occurrere non optemus: sed ne temerè recipientes, & nos apud Deum leuitatis, & temetipsum reum grauioris supplicij faceremus, si ad præsens facilè susceptus, nec pondus professionis huius intelligens, vel desertor post hac, vel tepidus extitisses.* Sic ille.

Athenas ingressuri refutabantur.

Ruf. l. 3. in vit. Pat. num. 84.

Sed quid mirandum, Monachos hoc modo suos explorare Tirones, cùm olim Atheniensium ciuitatem ingressuri, à quodam sene experiendi causâ *conuitijs affligerentur* (vt auctor Rufinus) atque ex iniuriarum patientiâ agnoscebatur, quis ad ciuitatem A admittendus, quis reijciendus esset. Hinc scilicet profluxit vetus illa consuetudo, Coloniensi, & Basileensi, alijsque Germaniæ Academijs etiamnum vsitata, deponendi, vt vocant, *Beanum.* Tirones enim ex triuialibus scholis ad publica Academiarum gymnasia accedentes, ligneis ascijs, dolabris, terebris, forficibus, securibus acciduntur, dedolantur, tentantur, vexantur, cornuaque capitibus admota præscinduntur, vt scilicet admoneantur, aures, oculos, & sensus purgatos adferre, morumque asperitatem, B & arrogantiæ inanisque persuasionis cornua deponere. Atheniensium illum ritum stylo suo depingit Nazianzenus: *Cùm igitur iuuenis quispiam accesserit, atque in eorum, à quibus captus est, manus & potestatem venerit, (venit autem vel sponte, vel coactus) tum verò Attica hac illis consuetudo est, ludusque rei seria admixtus. Primùm apud eorum aliquem, qui priores ipsum arripuerint, hospitio accipitur. Deinde à quolibet cauillis lacessitur: quod quidem, ni fallor, eò faciunt, vt Nouitiorum animos contrahant, atque à principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem ab* C *alijs audaciùs ab alijs eruditiùs, pro vt ille vel rusticis & ineptis est moribus, vel vrbanitate praditus. Atque id ignaris quidem horrendum valdè & inhumanum videtur, ijs autem perquam iucundum & suaue, qui hoc prius norunt. Amplior enim est hac minarum ostentatio, quàm res ipsa. Tum per forum ad balneum cum pompâ deducitur. Pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi Iuuenis munere funguntur, ordine collocati, atque aquis spatijs distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cum autem propriùs accesse-* D *rint, quasi fanatico furore correpti, clamorem ingentem cum saltatione tollentes (hic autem clamor, ne vlteriùs progrediantur, vetat; sed vt insistant; tamquam eos balneum minimè admittat) simulque pulsatis ianuis, cùm per strepitum iuueni metum incusserint, postea concesso ingressu, ita demum eum in libertatem asserunt, atque à balneo redeuntem deinceps vt aqualem ac sodalem accipiunt. Atque hoc ipsis est totius huiusce ceremonia iucundissimum, nimirum ab his qui molestiam exhibent, quàm primùm liberari.* Hæc ille. Quare & Epictetus futurum Philosophum ad opprobria vult esse paratum. *Si Philosophiam*, inquit, *cupis, prapara* E *te, vt irridearis, vt subsanneris à multis, vt dicant: Hic repente nobis Philosophus emersit.* Itemque: *Si quid proficere vis, ne recusa, quominus ob res externas amens & fatuus habearis.* Eusebius quoque ex Porphyrio tradit, Essæos illos neminem in suum collegium recepisse, qui biennio patientiæ signa non dedisset, ac iureiurando confirmasset, iustitiæ sese cultorem fore. Non igitur immeritò veteres Monachi, quos cælesti imbuendos Philosophiâ suscipiebant, duriùs in ipso accessu tractabant, vt discerent sen-

NOVITIATVS.

Quid Beanum deponere in Germania Academijs.

Nazianz. orat. 20.

Atheniensium mos in Iuuenum ad Scholas admissione.

Deductio ad terrorem incutiendũ adornata.

Philosophiâ discipulos exercebant in opprobrijs.

Epict. Enchrid. cap. 29. Cap. 18.

Euseb. li. 9. de præparat. Euangel. cap. 1.

Æquum id fieri in calestis Philosophia Candidatis.

 sualitati

NOVITIATVS.

sualitati vim adferre, & crucem Domini sedulò portare, adeoque in omni parientiâ animam possidere. *Si cælestium*, inquit Basilius, *conuersationum es amator, & angelicæ vitæ negotiator, sanctorumque Christi discipulorum commilito fieri cupis; confirma teipsum ad tribulationes tolerandas, & viriliter Monachorum cætum adi, & in principio renuntiationis tuæ viriliter te gere.*

Basil. serm. 2. Exercitat.

Quomodò ferenda opprobria.

Pelag. in vit. Patr. l. 5. libell. 15. num. 30.

Quo autem animo hæc talia experimenta tolerari debeant, optimè suo exemplo declarauit Abbas Nesteros. Intertogatus enim, quomodo in tribulatione silentium, & patientiam tenere didicisset, respondit: *Ignosce mihi, Abba, quando intraui in initio in congregatione, dixi animo meo: Tu & asinus vnum estote. Sicut enim asinus vapulat, & non loquitur; iniuriam patitur, & non respondet, sic & tu; quemadmodum & in Psalmo legitur: Vt iumentum factus sum apud te.* Atque hæc de primâ in ipso aditu probatione. De quâ quod praxim nostræ Regulæ spectat, notat Bernardus Cassinensis, Ostiarium probationis caussâ posse venienti dicere aliqua verba, quæ impatientes ad iram excitare solent: *Vtpote; frater, quid scimus nos, si tu commisisti furtum aut adulterium, aut si tu es seruilis conditionis, & fugis Dominum tuum, & similia: vel fortè iniunget ei aliquod opus vilissimum, quod iniuriam videtur habere; vt purgare aliquem locum sordidum, & talia.* Sic ille. Hæc tamen videntur facta olim ab ipso Superiore, cuius est *Nouitij* animum explorare.

Psal. 72.

Formula probandi Tirones ad portam.

Sed non hîc sistit S. BENEDICTI solicitudo, qui Nouitium iam susceptum, & in cellâ hospitum nonnihil exercitatum, posteà in Nouitiorum cellam deductum, iterum vult à Seniore suo probari *per opprobria, & in omni patientiâ*; quæ cum duræ admodum sint digestionis, pluscula de illis hîc adijcienda.

Quæ & in Nouitiatu continuanda.

PRIMÒ igitur, *Nouitio* cogitandum, se esse velut rude lignum è siluâ sæculi primùm recisum, ex quo, vt pulcherrima Religiosi ac Sancti Viri fiat statua, necesse sit securi & asciâ plurima hinc inde detruncari, multumque dolari. Horum verò instrumentorum vicem subire iniurias, exprobrationes, & conuitia, non vexandi, sed probandi animo irrogata. Vnde, Zacharias Monachus rogatus, vt fratribus ædificationis verbum diceret, *deposuit pallium suum sub pedibus, & conculcauit illud, & dixit: Nisi quis sic fuerit conculcatus, Monachus esse non potest.* Quapropter S. Climacus iracundiæ morbo laboranti auctor est, vt si huic vitio remedium adhibere velit, Monasterium intret. *Si quis*, inquit, *ab superbiâ, & iracundiâ, ab improbitate & hypocrisi facilè se vinci senserit, & contra hæc vitia ancipitem mansuetudinis & patientiæ gla-*

Nouitius rudi & informi ligno similis.

Iniurijs dedolandus.

Vit. Patr. l. 7. c. 9. n. 2.

Climac. grad. 8. ex versione Raderi.

Superbi & iracundi Monasterio curantur.

A *dium stringere molitur, proficiscatur ad cænobium Religiosorum fratrum (tamquam ad officinam aliquam salutarem fullonum). sed seuerissimorum, si modò, perfectè exuere vitia studet, vt inibi contumelijs, ignominijs, & decumanis tentationum fluctibus expositus, adeoque conuitijs euerberatus, imò etiam reuera quandoque pulsatus & dedolatus, quin & omninò protritus & calcibus proculcatus, sordes animæ sensibus inhærentes diluat.* Tam verò hanc probandi formam prudentissimus quidam Abbas apud eundem Climacum necessariam putauit, vt crudelitatis genus esse assereret, hanc Nouitio subtrahere. *Quemadmodum*, inquit, *æquum non est, sed dolendum, si ab esurientis ore infantis panem deripias; ita nocet & sibi ipsi præses, & subiecto, qui illi non semper augendæ coronæ (quantum quidem illum sustinere posse cognoscit) siue irrogandis contumelijs, siue ignominijs afferendis, seu contemnendo illo, seu illudendo occasionem præbet. Tribus quippè modis maximopere læditur; primum, quòd præmio ex reprehensionis patientiâ priuetur; deinde, quòd cùm Antistes per illius virtutem alijs prodesse potuerit, id facere neglexerit: postremò, quod omnium est grauissimum, vsu venire sæpè solet, vt ijs, qui olim videbantur laborum & contumeliarum patientissimi, si aliquamdiu non exercentur, & tamquam perfecti ab rectore non vituperentur, aut conuicijs exagitentur; mansuetudine solitâ, consuetaque patientiâ destituantur. Quamuis enim subinde gleba terræ sit bona, fertilis & præpinguis, deficiente tamen humoris contumeliarum irrigatione, solet siluescere, & in vepreta superbiæ, luxuriæ, noxiæque (pulso timore Numinis) securitatis degenerare.* Hæc ille. Cui etiam prælusit Pinuphius Abbas apud Cassianum, Nouitio inter cetera etiam hoc præscribens: *Si tibi conuitia, si irrogantur iniuriæ, esto immobilis, & ad responsionem talionis vt mutus ausculta, semper hunc Psalmistæ versiculum in corde tuo decantans. Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ.*

Nouitij planè interest eos exerceri.

Climac. grad. 4.

Triplicem ob caussam.

Siluescunt animi subtractis contumelijs.

Cassian. l. 4. institut. cap. 41.

Psalm. 38.

Sed iuuerit ex citato iam Climaco fructus aliquos huius probationis adferre, quorum *primus* sit, quòd hac duriori licet probatione nouus Tiro peccatorum veniam consequatur. *Quicumque*, inquit, *obiurgationem seu æquam, seu iniquam ab se reijcit, ille contra salutem suam agit. Quod si hanc, siue egrè siue alacriter suscipit, extemplò delictorum suorum veniam consequetur.* Et pluribus interiectis: *Contumelia, contemptus, obiurgationes, & hoc genus alia in obedientis animo absinthij amaritudinem exprimunt; laudes verò & honores, & gloriolæ animos talia captantes, mirâ velut mellis dulcedine perfundunt. Sed videamus quæ sit vtriusque vis & natura. Absinthium omnem intestinorum sentinam repurgat; mel bilem augere consueuit.*

Fructus duræ probationis.

1.

Venia peccatorum.

Climac. grad. 4.

SECVNDVS

II. *Libratio à carnis tentatione.* Ibid.

SECVNDVS fructus fit, quod per iniurias Religiosus à molestissimâ carnis tentatione vtcumque liberetur. *Promptissimè,* inquit, *& velut aquam vitæ, contumelias & irrisiones à quocumque tibi propinatas hauri, quando non nisi potionem qua tuas lasciuiæ sordes repurget, alter tibi porrigit. Tum verò summa castimonia munditia in animâ tuâ efflorescet, & diuini luminis splendor in pectore tuo numquam hebescet.* Declaratum id fuit insigni exemplo, quod iisdem pænè verbis referunt S. Hieronymus, & Rufinus. *Erat quidam adolescens Græcus in Ægypto constitutus in cænobio, qui nullâ continentiâ, nullâ operis magnitudine flammas poterat carnis extinguere. Cumque ad Patrem Monasterij hæc eius tentatio fuisset perlata, hac illeeum arte saluauit. Imperauit cuidam viro graui & aspero, vt iurgijs, atque conuicijs insectaretur adolescentem, & post irrogatam iniuriam primus veniret ad querimoniam. Cumque imperata sibi perficeret, insuper vocati testes pro eo loquebantur, qui contumeliam adolescenti fecerat. At ille cœpit flere contra mendacium: quotidie gemitus, quotidie lacrymæ fluebant: sedebat solus, quia amaritudine repletus erat, omnique auxilio destitutus ad Iesu pedes iacebat. Quid multa? ita totus annus deductus est: quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an si adhuc molestia aliquid sustineret, respondens dixit: Pater, viuere mihi non licet, quemadmodum fornicari libet? ita ergo spiritali patre procurante adolescens superatâ libidine saluatus est.*

Hieron. epist. 4. ad Rustic. Rufin. l. 3. in vit. patr. num. 220. *Monachus opprobrys quotidie pulsatus à libidine saluatur.*

III. *Patientia & mansuetudinis exercitatio.*

TERTIVS fructus fit, patientiæ & mansuetudinis exercitatio, omni hominum generi, maximè autem Monacho necessaria; discit enim iram & linguam hac probatione compescere, nec ad indignationis verba prosilire. Qui enim in congregationibus degunt, maximè conuenit aduersus iracundiam pugnare. *Huic enim vitio,* inquit Climacus, *ipsa copia domesticorum copiosam materiam subministrat.* Et Cassianus: *Monachus ad perfectionem tendens, & agonem spiritalem legitimè cupiens decertare, ab omni iræ furorisque vitio alienus existat, & audiat quid sibi vas electionis præcipiat. Omnis,* inquit, *ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitiâ.* Ad mansuetudinis perfectionem meritumque aspirabat Monachus ille, qui miti atque mansueto relicto magistro, aliud Monasterium petijt, in quo ab omnibus sperneretur, atque iniurijs afficeretur: quinimò amentem & fatuum se simulabat, vt à Monachis vexaretur, & grauioribus Monasterij laboribus opprimeretur, vt refert Climacus, addens eundem cuidam, qui se illi discipulum tradere volebat, suasisse: *Ex omni mortalium genere quære naturâ & ingenio asperrimum & seuerissimum vitæ & morum tuorum institutorem, & perseuerando apud illum, quotidie subsannationes & ludibria veluti lac & mel bibe.* Qui & hoc refert, vidisse se in Monasterio, qui seipsos iniurijs & contumelijs, atque ignominijs quotidie afficerent, vt cùm illa sibi ab alijs irrogarentur, hoc exercitio parati inuenirentur, tamquam assueti non angi ignominijs. Quare S. Antonius fratrum quemdam, qui vt perfectus collandabatur, imperfectum censuit, quod cùm eum tentasset, repertus esset non sufferre iniuriam. Et dixit ei: *Tu quidem frater similis es ædificio, quod, quamuis habeat ingressum ornatum, per posticia tamen à latronibus expugnatur.*

Climac. grad. 4. Cassian. l. 8. institut. c. 5. Ephes. 4. *Monachi sæpius fatui.* Et consilia in hac re. Climac. vbi supra.

NOVITIATVS. *Iniuria præbat Monachos.* Rufin. l. 3. in vit. Pat. num. 88.

IV. *Imitatio Christi.*

QVARTVS fructus fit, conformatio cum Duce & capite nostro Iesu Christo, qui fuit *mitis, & humilis corde*, & in omnibus improperijs, velut *mutus non aperuit os suum*, qui etiam *saturatus* dicitur *opprobrijs*. *Summa autem Religionis perfectio est, imitari quem colimus.*

Matth. 11. Psalm. 37. Thren. 3. August. de ciuit. lib. 8.

V. *Spiritus compunctionis.*

QVINTVS fructus fit, Spiritus compunctionis, & donum lacrymarum, quod Deus iniurias tolerantibus elargiri solet. *Paruula flamma,* inquit Climacus, *multam ceram vim emollit, & liquefacit: & exigua sæpe contumelia, & ignominia præter expectationem illata, omnem cordis feritatem & stuporem, obduratumque callum repentè mitigat, demulcet, & extinguit.*

Climac. grad. 4.

VI. *Præmium vitæ æternæ.*

SEXTVS fructus fit, præmium regni cælestis. *Felix* enim, ait citatus Auctor, *qui quotidie Dei caussa conuitijs exagitatus, & contentus violenter seipsum (per patientiam) vincit; ne ille cum martyribus tripudiabit, & inter Angelos liber vt Angelus incedet. Beatus ille Monachus, qui seipsum omni contemptu dignum, nullusque pensi, & vsus homuncionem iudicat.* Idemque circa finem ait: *Qui ad veram animi tranquillitatem, & ipsum Deum properat, ingens detrimentum se accepisse existimet, quo die nullam calumniam tulit.* Iniuriarum enim perpessio (vt Abbas Ioannes dicere solitus erat) *est porta Dei, per quam Patres nostri per multas tribulationes & iniurias gaudentes ingressi sunt ciuitatem Dei.*

Ibid. Vit. Patr. l. 3. num. 84.

Ne quid verò Nouitijs hac in parte desit, lubet *Disquisitionem* hanc exemplo illustri ex Climaco concludere, qui ita scribit: *Admiratus,* inquit, *ego præsens ibi quorumdam Tironum fidem, patientiam, & inexpugnabilem in obiurgationibus, ignominijs, & quandoque etiam iniurijs sui Præsidis perferendis tolerantiam, nec Præsidis tantum, sed longè hoc inferiorum, quærebam, exempli caussâ, ex quodam de numero fratrum (qui totos iam quindecim annos in cænobio traduxerat, cui Abbacyro nomen, quem potissimum ab omnibus passim exagitari, & propè quotidie ab ipsâ mensâ per ministros propelli videbam, (erat enim linguæ naturâ aliquantulum intemperantioris) hunc ergo affatus, quid est, inquam, Abbacyre frater,* quod

Climac. grad. 4. *Abbacyri fides, patientia, & singularis in perferendis vexationibus tolerantia.*

NOVITIATVS. *quod te quotidie à cœnâ reijci videam,& incœnatum ad somnum proficisci? Quia, crede mihi Pater, inquit, mei Patres explorant animum meum, an sim aptus ad vitam inter Monachos degendam: neque enim seriò me affligunt, sed tentant dumtaxat. Quam ego mentem magni Præsulis nostri & aliorum Patrum cùm probè perspectam habeam, omnia æquo animo sustineo. Et ecce quintumdecimum iam annum hoc mecum recognosco, quemadmodum mihi in Religionis ingressu Patres testati sunt, consuêsse illos ad trigesimum vsque annum suos Tirones rebus humanis abdicatos in tirocinio exercere,& constantiam tentare. Et meritò hoc, Pater Ioannes, sine examine quippè seu igne aurum non politur & perficitur. Hic ergo generosus Abbacyrus biennio postquam aduenerant, excessit è vitâ, Patres iam iam vitâ abiturus intermorituris vocibus allocutus: Grates, inquit, grates Domino & vobis, à quibus salutis meæ causâ ab dæmonum insultibus decem ecce, & septem annos liber fui. Hunc æquissimus illorum Antistes, tamquam Confessorem cum Sanctis illic sitis Patribus mortuum collocari iussit.* Exhortatione elaudit Climacus: *State, state, Religiosi Athletæ, iterum atque iterum dicam, state, & perseuerate, & currite stadium obedientiæ, Sapientis illius vocem attendentes tamquam aurum in fornace, imò verò multò magis in Cœnobio Dominus probauit illos: & sicut holocausti hostias accepit illos in sinu suo.* Atque hæc quidem de Nouitijs.

Beata mors.

Ibid.

Quod autem eorumdem concernit Magistrum, nouerit ille iniurias atque opprobria lydium esse lapidem, ad quem probati Nouitij ostendunt, quid de ijs deinceps exspectandum. Vt enim laterum soliditas à Cæmentarijs ictu trullæ, siue mallei exploratur, qui autem leui tactu finditur; aut in varias dissilit partes, ædificio inutilis habetur, qui verò infractus permanet, vtilissimus habetur; non secus de Nouitijs iudicandum. Qui enim verbulo aliquo lacessiti, aut opprobrio perstricti, statim obmurmurant, aut impatientiam ostendunt; parum idonei sunt Religioso statui, qui modestiâ & mansuetudine maximè decoratur. Qui verò iniurias generosè perferunt, illi velut lapides viui, tunsionibus & pressuris expoliti, disponuntur permansuri sacris Cœnobiorum ædificijs. Furiosi illi, & ad iracundiam proni, facilè lædunt concordiam & charitatem fraternam, & nisi tirocinij tempore benè exerceantur in patientiâ, ipsi posteà professi, fratrum & Superiorum egregiè exercent patientiam.

Nouitios iniurijs & opprobrijs optimè explorabit Magister.

Impatientes & iracundi sunt inepti ad Religionem.

Sciat autem Magister duobus casibus maximè posse attendi subditorum patientiam. Primùm, si ex improuiso, & nihil tale commeritos durè excipiat, aut pœnitentiam iniungat, leui aut vix vllâ oblatâ occasione; ità tamen vt eos lateat, hæc experimenti gratiâ adhiberi. Id enim si sibi persuadeant, mansuetudinem facilè, & patientiam simulabunt. Secundò, si non à Magistro, sed ab æqualibus etiam & inferioribus vexati, patienter sustineant. *Non est*, inquit Climacus, *quòd tunc nos patientes existimemus, cùm Præsidis nostri sannas & obiurgationes æquo & generoso animo sustinemus, sed cùm passim ab omnibus contemnimur, & malè verberibus etiam mulctamur. Præsidem quippe venerabundi pro officio & curâ nobis impensâ libenter toleramus.*

Duo modi, quibus vera Nouitiorum patientia probari potest.

Climac. vbi suprà.

Quod verò initio dicebatur, *Tirones* difficilioris huius probationis tædio facilè Monasterium deserturos, id etiam Climaeus dissolnit, dicens: *Anima Pastori suo vinculo charitatis, & fidei Christi nomine deuincta, ne si sanguis quidem profundendus sit, auellitur, præsertim olim è peccatorum vulneribus ab ipso curata, memor nempe illius qui dixit: Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura vlla nos potuit à Christi charitate separare.* Quod si etiam aliqui talium metuentes à proposito resiliant, id verò non admodum curandum, præstat enim paucos, eosque generosos admittere milites, quàm formidolosorum multitudine, numerum potiùs augere, quàm commune Ordinis bonum.

Non curandum, si aliqui metu talis probationis spiritualiant à proposito.

Climac. grad. 4.

TRACTATVS IV.

DE NOVITIORVM MAGISTRO.



IDIMVS in hac Tironum Palæstrâ, *Probationis tempus, locum, materiam, & modum; ordinis nunc ratio exigit, vt de Sacrorum Pugilum Præfecto & Duce, quem* Nouitiorum Magistrum *vulgò dicimus, non nulla subijciamus. Nulla enim ars sine Magistro discitur: nec fas est eum desiderari in officinâ artis spiritualis, in quâ bonorum operum instrumenta magnâ copiâ Legislator noster congessit: & qui Scholam Dominici seruitij Monachis construxit, non solum de omnium Magistro, Abbate, sed & de hoc Tirocinij Rectore & Directore, peculiariter,*

culiariter, vt videbimus, verba fecit. Hoc proinde Tractatu disquiremus; Primò, *Qualis debeat esse Nouitiorum Magister?* Secundò, *Vt saluator noster Iesus Christus Magistri Nouitiorum ideam expresserit?* Tertiò, *Quæ Nouitijs ergà Magistrum obseruanda?* Quartò, *Quæ ijs inculcanda.* Quintò, *Quâ ratione de suis bonis disponent?* NOVITIATVS.

DISQVISITIO I.

Qualis debeat esse Nouitiorum Magister?

Seculum relicturis Dux necessarius. Climac. grad. 1.

OMNINO *quicumque ex Ægypto excedere*, ait Climacus, *& Pharaonem effugere, conamur, Mose aliquo ductore, qui nos inter ac Deum, & post Deum, sequester sit, indigemus; qui medius inter studia actionis & contemplationis perstans, manus ad Deum expandat: cuius auspicijs qui ducuntur, infestum peccatorum mare traijciant, & Amaleca pessimarum cupiditatum Dominum terga dare cogant. Quamobrem valdè decepti sunt, qui sibi præsidentes, nullo via Duce sibi opus esse existimauerunt. Qui Egyptum sunt egressi, Mosen; qui ex Sodomis, angelum habuere Ductorem.* Hinc omnium Ordinum vsu & consuetudine receptissimum, Nouitijs præfigere *Magistrum*, qui eos vias Domini doceat, & in omni pietate, ac regulari instruat disciplinâ. *Ineptum enim est*, ait Cassianus, *credere hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis & occulta est; & quæ non nisi corde purissimo peruidetur: cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemque perpetuam.* Hinc magnus quidam Abbas apud Climacum præstare ait, subiectos *è Cœnobio pellere, quàm committere vti suo iudicio suoque sensu & arbitratu viuere permittantur.*

Hinc Ordines Magistrum Nouitijs assignant.

Cassian. collat. 2. cap. 11.

Climac. in Pastor. c. 14.

Et S. Benedictus. Regul. Cap. 58.

Proinde S. BENEDICTVS omittendum non putauit, quis qualisue Tironem è sæculo venientem instruere & formare debeat. Postquam enim dixisset, *sit in cellâ Nouitiorum, vbi meditetur, manducet, & dormiat*; statim subiungit: *Et Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiosè intendat, & solicitus sit.* Quibus verbis sub titulo *Senioris*, officium *Magistri Nouitiorum* expressit, quem alibi videtur vocare *Seniorem spiritualem*, cùm ait: *Cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefacere.* Etsi enim hic iam Professis communiter sit Abbas; Nouitij tamen in his similibusque suum adire solent Instructorem. Eodem, autem nomine *Senioris* pro hoc officio vtitur Cassianus, Esaias Abbas, Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus, Fructuosus & Cæsarius Arelatensis in suis Regulis, Regula item Ternantensis, & alij. Conuenit enim non iuuenem, aut inexpertum, sed Senem, & diu in hac palæ-

Quem Senioris titulo expressit. Cap. 4.

Quod & alij fecerunt. Cassian. li. 4. cap. Esaias Abbas c. 14. Ioan. Ierosol. c. 17. vit. Ioan. Damasc.

A strâ versatum, tanto muneri præfici. Et quia spiritualibus eum oportet instructum esse disciplinis, hinc nimirum *Senior spiritualis* vocatur. Suspicor *Magistrum* hunc aut *Seniorem*, eundem esse qui in Regulâ S. Ferreoli vocatur FORMARIVS, nam 17. cap. lemma est: *Vt Præpositum, vel Formarium Monachi sub Abbatis potestate habeant.* Quod nomen in textu ita explicat: *Post ipsum Præpositum, qui in bonis sit forma, statuimus,* * *regulare formare Formarium.* Nimirū *Formarius* dictus est, quod sit forma in bonis. Constat ex Regulâ S. Cæsarij Arelatensis: *Si quis germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem videre voluerit, præsente* Formariâ, *vel qualibet Seniore, ei colloqui non negetur.* Item: *Primiceria etiam, vel* Formaria, *admoneo & contestor, vt vigilantissimè consideretis,* &c.

Etiam dicitur Formarius.

* Ita corrigo quod habeatur regulare.

Reg. ad Sanctimonial. art. 38.

Art. 40.

Videri autem possit B. BENEDICTVM significare, singulis Nouitijs singulos præficiendos Magistros, cùm dicat: *Senior ei talis deputetur*, non autem tradatur Seniori, qui Nouitiorum curam gerit, quod olim forsitan vsitatum. S. enim Euphrosyna vir putata, cùm ad Monasterium venisset, & à Patre Monasterij iam esset recepta, *vocauit Abbas vnum fratrem, nomine Agapitum, virum sanctum, & impassibilē, tradidit in manus eius Smaragdum, dicens: Amodò hic erit filius tuus & discipulus: talem eum consigna, vt exsuperet Magistrū. Et flexis genibus, factâ oratione consignauit eum. Et respondentibus omnibus, Amen, suscepit eum Agapitus in cellā suam.* Antistes quoq; Monasterij Lauræ S. Ioannem Damascenū Tironem excipiens, vni ex Senioribus tradidit, cuius ductu ac magisterio, sine vllo errore, per viam virtutū ad perfectionē graderetur. Dositheus vni S. Dorotheo erudiendus assignatur. S. Fructuosus de Nouitio agens: *Anno ille integro,* inquit, *vni spiritali traditus Seniori, non statim commiscendus erit congregationi.*

Fortè S. Benedictus vnique Nouitio suum dedit Magistrum.

Vit. Pat. l. 1. in Euphros. cap. 8.

Olim id vsitatum.

Ioan. Patriarch. Ierosol. in vitâ Ioan. Damasc.

Doroth. in vitâ.

Fructuos. c. 21. Reg.

Sed siue vni, siue pluribus præsit *Magister*, id videndum nunc, quibus præditus debeat esse qualitatibus; & tres quidem insinuat S. BENEDICTVS. *Prima,* vt non iuuenis, sed Senior sit ætate, ac moribus maturus: verissima enim est Cassiani sententia: Non posse scilicet alios vtiliter institui ab eo, *qui virtutum laboriosa certamina re ipsâ non fuerit expertus. Harum enim rerum ratio,* inquit, *nequa-*

Virtutes Magistri Nouitiorū.

I. *Sit prouecta ætatis.* Cassian. Epist. ad Castor.

NOVITIATVS. Experientia ei necessaria.

quam potest otiosâ meditatione, doctrinaque verborum vel tradi, vel intelligi, vel memoriâ contineri: totum namque in solâ experientiâ vsuque consistit. Et quemadmodum tradi nisi ob experto non queunt, ita nec percipi quidem vel intelligi, nisi ab eo, qui ea pari studio ac sudore apprehendere elaborauerit, possunt. In iunioribus autem vix vlla experientia, etiamsi adesse possit scientia.

II. Sit aptus ad lucrandas animas.

SECVNDA qualitas est, *Vt aptus sit ad lucrandas animas.* Dæmone enim ad egressum Nouitiorum animos stimulante, aut vt tepido rem taotam aggrediatur animo, adeoque nihil proficiant: non modicâ oposest industriâ, vt tales animas Christo lucretur, ipsosque Tirones spiritualia lucra sectari doceat. Pluribus autem Basilins coloribus hunc Magistrum depingit: *In omnibus deinceps*, inquit, *delectæ tibi vita studijs certissimum Ducem sequaris, eiusmodi videlicet, qui certũ iter ad Deum volentibus pergere, sciat commonstrare, qui ornatus sit virtutibus, cuius vniuersæ totius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, qui diuinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum, ab auaritiâ abhorrentem, minimè libenter gerendis se negotijs admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, immemoremque iniuriarum, naturâ propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant: quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, seuerum atque constantem, cui deniq; Deo nihil sit potius.* Hæc Basilius.

Basil serm. de rerum abdicat.

Graphicè talis depingitur.

III. Sit zelosus & solicitus.

TERTIA à S. BENEDICTO requisita qualitas est, zelus & solicitudo ergo Tirones sibi commissos, vt super eos omninò curiosè iotendat, & solicitus sit. Elegantēr antem hanc solicitudinem docet Magnus Gregorius adductis enim illis Sapientis verbis: *Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, & illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Spondere*, inquit, *pro amico est alienam animam in periculo sua conuersationis accipere: vnde & apud extraneum manus defigitur, quia apud curam solicitudinis, quæ ante deerat, mens ligatur Verbis verò oris sui illaqueatus est, ac proprijs sermonibus captus, quia Deum commissis sibi cogitur bona dicere, ipsum prius necesse est quæ dixerit custodire. Vbi & benè mox exhortando subditur: Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui: discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebra tuæ. Quisquis enim ad viuendum alijs in exemplum præponitur; non solùm ipse vt vigilet, sed etiam vt amicum suscitet, admonetur. Ei namq; vigilare benè viuendo non sufficit; si non & illum cui præest, à peccati torpore disiungit. Benè autem dicitur: Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebra. Somnum quippe oculis dare, est, intentione cessante, subditorum curam omninò negligere. Palpebra verò dormitant, cùm cogitationes nostra ea, quæ in subditis arguenda cognoscunt pigredine deprimente dissimulant.* Hactenus Gregorius.

Prouerb. 6.

Gregor. 3. p. Pastoral. admonit. 5. Locus prouerbiorum in hac rem explicatus.

Atque de *Nouitiorum Magistro*, de quo ex professo pluribus alij scripsere. Legendus in primis Climaci *Pastor*, qui optima & accommodatissima *Tironum Magistro* tradit documenta. Accurata quoque est Ioannis à Iesu Maria *Instructio Magistri Nouitiorum.* Pro Benedictinis verò Nouitiorum Magistris prudentissimum Ducem spiritualem Gallicè conscripsit R. D. Philippus François, S. Agerici in Lotharingiâ Abbas.

Quinam tradent de Magistro Nouitiorũ.

DISQVISITIO II.

Vt Saluator noster IESVS Christus Magistri Nouitiorum ideam expresserit?

Christus exemplar Magistri Nouitiorũ.

NON ingratum, neq; iniucundum, vt arbitror, Tirouũ Instructoribus erit, omnes Magisterij sui partes in incarnatâ Dei Sapientiâ, velut in imagine & exēplari videre expressas. Nam cuius potiùs imitentur vestigia, quam eius, qui religiosæ vitę & institutor fuit, & scopus? Et iam olim Ioannes Dominici, Cardinalis S. Sixti ex Ordioe Prædicatorum, formam Instructionis Nouitiorum pulchrè adumbrauit, *ex his quæ Christus egit erga discipulos suos, cùm fuerunt cum eo vt Nouitij; & ponit* 12. *Regulas circa hoc*, vt testatur S. Antonius. Nos autem paulò aliter idipsum pertractabimus. Vsque adeò autem *Magistri* nomen *Iesu* Christo conuenit, vt eius comparatione reliquis omnibus meritò sit denegandum. Sic eoim ait: *Nec vocemini Magistri: quia Magister vester, vnus est Christus.* Ipse enim, vt Ianseoius, Iprensis Episcopus, doctè explicat, est prima veritas, fons omnis veritatis & scientiæ, omniscius, apud quem omnis docendi aoctoritas residet, & à quo in omnes defluit qui solus verè docet hominem scientiam, siue naturale lumen cordibus ingerendo, siue tenebras istius luminis suâ luce illustrando. Ceteri auribus vel oculis nuda signa suggerunt, quæ admonent tantùm, vt naturali lumine quæramus veritatem, non autem exhibent, vt eam nouerimus. Sub hoc tanto Magistro, Apostoli erant discipuli, & religiosæ vitę tirocinium pnoebāt. Aliorum enim testimonijs primo Libro asserui mus Christi & Apostolorum eius vitã monasticã. Quã in se agnoscentes, Christũ pro more debitaq; subiectioue & reuerentiâ, *Magistrũ* appellabât, prout ipsemet testatur, dicens: *Vos vocatis me Magister, & Domine: & benè dicitis, sum etenim.* Respiciat proinde in faciem

Ioa. Dom. Lib. de possession.

Anton. p. 3. sum. Theolog. tit. 16. c. 7. §. 4.

Propriè dicendus Magister.

Matth. 23. 10.

Iansen. in hunc locũ.

Apostoli eius discipuli. Tract. 1. Disq. 1.

Ioan. 13.

Docet Magistrum Nouitiorum. faciem Christi sui, quicumq; sanguine eius redemptas animas suaue iugũ eius ferre, & ad perfectioné charitatis adducere satagit.

I. *Vnire se Deo per charitatis, &c. alias virtutes.* PRIMÒ igitur, vt cognoscat quibus animi qualitatibus ornatum deceat esse Magistrũ, consideret in Christo diuinam humanamq; coniunctam esse naturam, & quidpiam homine maius sibi præstandum: adeoq; tantam cum Deo, cuius merũ modumq; est instrumentum, procurandam vnionem, quantam per Dei gratiam & pietatis exercitia licuerit adipisci. Gratiæ enim fonti, & spiritui Christi debet esse coniunctissimus, qui eundem in alios ex officio est refusurus. Per ardentem proinde charitatem, per Sacramentorũ frequẽtiam, per iugẽ Dei memoriam, & volũtatis propriæ cum diuinã cõcordiã, Deo studeat adhærere, & vnus cũ eo spiritus effici: vt quò coniunctius Deo fuerit instrumẽtum, eò perfectiùs in animabus Nouitiorũ diuina per illud bonitas operetur.

II. *Postulare internum lumen.* SECVNDÒ, cùm in Christo Iesu fuerint *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, & per eas sanctissime animas direxerit; accedat & Magister ad Patrem luminum, & fontẽ Sapientiæ, & postulet internã lucem, & prudentiam sanctorũ, quã creditas sibi oues in viam salutis dirigere possit. Addat & diuinarum rerum studium, & spiritualiũ librorum lectionem, ex quibus quæ de oratione, virtutum exercitio, totaq; perfectione, Nouitios edocturus est, hauriat: vt multiplicibus, quæ quotidie suboriuntur difficultatibus, dubijsq; Nouitiorũ possit satisfacere.

III. *Sapius ad Orationem recurrere.* TERTIÒ, quãuis Christus Dominus esset plenus gratiã, sapientiã & veritate, nec vt alij homines errandi periculo obnoxius, ad orationẽ tamen frequentissimẽ recurrebat. Statim à Baptismo secessit in desertũ, vt se ad opus prædicationis quadraginta diebus orationi & ieiunio vacans, prepararet. Electurus Apostolos, *exijt in montẽ orare, & erat pernoctãs in oratione Dei.* (*Luc. 6.*) Attẽde hic, quisquis es Nouitiorũ Magister, *species tibi datur, forma præscribitur quam debeas æmulari*, inquit Ambrosius. *Quid enim te facere conuenit, cùm vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos, orauit priùs, & solus orauit?* (*Ambros. lib. 5. in Luc.*) Spiritu Spõsi sui imbuta S. Mater Ecclesia, eiusdẽ exemplo in quatuor anni tẽporibus, dum sacris Ordinibus ministri Ecclesię initiantur, orationẽ & ieiuniũ fidelibus omnibus indicit, vt digni eligantur, vtque electis gratia & spiritus Ordini correspondens à Deo impetretur. (*Ecclesia preces indicit pro ordinandis.*) Monuit S. BENEDICTVS sæculo abrenunciantem, *vt quidquid agendũ inchoat bonum, à Deo perfici instantissima oratione deposcat.* (*S. Benedictus pro Nouitijs. In Prolog. Reg.*) In quę verba Camaldulenses: *Patres volunt, vt non solùm is, qui Religionẽ ingressurus venerit, orationi tunc temporis die, noctuq; vacet, verumetiã vt idẽ faciat totus Conuentus Monachorũ in eius gratiã; vt Deus Opt. Max.* (*Constit. Camald.*) *quæ sua sit hac in re voluntas, ostendere dignetur* NOVITIATVS. Maximè autẽ tam pro se, quã pro Nouitijs Magistrũ orare cõuenit; cùm vt ad illos dirigẽdos lumẽ hauriat à Deo, tum vt illi humiles, obediẽtes, atq; Ordini vtiles esse possint. (*Pro quibus, & seipso Magister orabit.*) Nam & Christus Patrem pro discipulis suis rogauit, vt eos seruaret à malo, & sanctificaret in veritate. (*Ioan. 17.*) Videns verò discipulorũ suorum profectũ, quãtã pietate gratias Deo Patri egit, dicens: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis.* (*Matth. 11.*) Exemplum hoc Instructor imitetur, sibi nihil, Deo adscribens totum.

IV. *Mansuetus sit, & humilis.* QVARTÒ, cùm Christus dixerit; *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; vtrãq; hac virtute eum præfulgere oportet, qui Christi vice alijs Monasticã institutatus est pietatem. (*Ibid.*) Enimuerò nisi mitis fuerit, sed ad excandescentiam facilis, & turbulentis animi motibus obnoxius, Tironum animos à se auertet nec facilè ioduci poterũt, vt magnã confidentiã, simplicitate & candore, teotationes suas, difficultates, interiorem animæ statũ illi aperiant, seseq; totos in eius sinum effundãt. (*Nihil proficiet, si iracundus est & turbulentus.*) Hinc dulcis conuersatio, & instructio Nouitiorum, in asperitatẽ vertetur, & fortasse quos grauior vrserit teotatio, dũ eã parũ mãsueto Directori manifestare reformidant, ad sæculũ redire compellet. Quare, vt pius, in hoc genere Scriptor ait: (*Ioan. à Iesu Maria in Instr. Mag. Nouit. c. 4.*) *Curet Magister Nouitiorum*, Christi mansuetudinem toto pectore haurire, & actibus externis repræsentare. Exhibeat vultũ hilarẽ, ac mitẽ, qui nouorũ fratrũ animos alliciat. Nullis discipulorũ culpis irritatus, nullis importunitatibus victus, nullã fragilitate commotus, nullã ruditatẽ fastidiẽs, ita se gerat; vt nullus quantumuis morosus, & rudis, scrupulosus, aut fragilis, eũ audire, die noctéq; vereatur. Cordis verò humilitate, quæ propria Christi virtus est, si careat, nescio sanè, quẽ sperare possit fructũ. (*Omnino studeat humilitati.*) *Deus enim superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã.* (*Iacob. 4.*) Sine gratiã autẽ, & luce cęlesti, vtcumq; valeat ingenio, & eruditione in scholis acquisitã; nihil omninò efficere poterit. Consultissimum proinde fuerit, seipsũ agnoscere, seipsum despicere, & humiliari Magister discat, & per gradus humilitatis à S. BENEDICTO præscriptos, suos non tã verbis, quàm viuis exemplis ad culmen veræ perfectionis ascẽdere doceat.

V. *Christi in suos signis in Apostolos amor.* QVINTÒ, singularis fuit Christi in discipulos suos amor: quẽ multis indicijs ostendit; suauissimè enim eos cõpellauit nunc [a] amicos, nunc [b] oues, nunc [c] fratres, nunc [d] filiolos. (*a Ioan. 15. b Matt. 10. c Ioan. 20. d Id. 13.*) *Et cùm dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.* Et ex nimiã, quã eos prosequebatur charitate, erat inter eos sicut qui ministrat: ex hac eorum pedes ipse Dominus & Magister lauit. Quantus verò hic amor fuerit, variè ostendit: (*Ioan. 13.*) *Sicut* (*Ibid.*) *dilexit*

NOVITIATVS.

dilexit me Pater, inquit, *& ego dilexi vos.* Item: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et cùm mutuam dilectionem, suorum vellet esse discipulorū characterem; ad eam suo hortatus est exemplo: *Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Hinc igitur erga Nouitios charitatem Magister studeat in animo fouere, vt per amorem cordibus potiùs dominetur, quàm corporibus: singulis seipsum attemperet, singulorum solicitudinem gerat, singulorū necessitatibus prospiciat, cum singulis suauiter agat; & charitatis affectum non linguâ tantùm, sed opere & veritate omnibus exhibeat. Conijciat oculos in Magistrum cælestem, ac dulcissimū Redemptorē nostrum, qui Apostolos rudes, abiectos, & multis etiā passionibus obnoxios nunquam fastidiuit. Sed amauit eos, pertulit eos, & suauissimâ dilectione erudiuit eos. At iam videamus.

Commendatur Magistro erga Nouitios.

Vt se Christus habuerit erga admittendos, vel reijciendos?

PRIMÒ, veluti S. BENEDICTO prælusdes, prædicauit eis dura & aspera. *Qui vult*, inquit, *venire post me, neget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Qui non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Christus potentibus contubernium suum dura proponit. Matth. 16. Luc. 14. Ibid.

SECVNDÒ, ne quis temerè perfectionem Euangelicam aggrediatur, monet ante deliberandū, viresq; explorādas, exemplo illius, qui *volens turrim ædificare, prius sedēs computat sumptus, qui necessarij sunt ad perficiendū*: Regis item bellū meditantis aduersus aliū Regem, *qui sedēs prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.*

Suadet deliberationem. Ibid.

TERTIÒ, finem vitæ religiosæ, perfectionem scilicet charitatis, in ipso aditu postulāti admitti proponit. Illi enim, qui dixerat: *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* respondit: *Serua mandata*: cùm autē subiungeret, se à iuuentute illa seruasse; audiuit à Christo: *Si vis perfectus esse, vade, vēde quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me.* Et alibi dixit: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

Finem vocationis ingerit. Matth. 19. Ibid.

QVARTÒ, aliquos volētes se sequi admisit, vt per modū experimenti venirēt, & viderent conuersationē eius. Sic cū duo discipuli Ioānis de eo audissent, *secuti sunt Iesum*, vt eum pleniùs nossent, & cum eo familiaritatem contraherent; ac, si commodū experirirētur illum, planè sequerētur, futuri perpetui eius discipuli. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis*: QVID QVÆRITIS? (agnosce consuetam formulā interrogandi eos, qui monasticum habitū expetūt) *Qui dixerunt ei: Rabbi, vbi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt & viderūt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo.* Vt ab illo de ijs, quæ ad vitā perfectiorē pertinerēt, instruerentur. Vbi exclamat Augustinus: *Quā beatū diem duxerunt, quā beatā noctē! Quis est, qui nobis dicat, quæ audierint illi à Domino?* Aliàs autem Christus ipsemet discipulos vocauit, foris quidem voce eos aduocās, intus verò gratiā suā præueniens & excitans, sine quā nullus eum sequi potest; sicut ipse testatur: *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.*

Quosdam finit experiri modum viuendi, quem tenebat. Ioan. 1. Euthym. in hunc locū. August. Tract. 7. in Ioan. *Alios vocat.* Ioan. 6.

QVINTÒ, quinam ab Ordine, vel ipso Nouitiatu inchoato repellēdi, ex eiusdem IESV Christi actionibus vtrumq; discere licet; ex quibus Tironū Magistri; magis antè Prælati, & vniuersè ij, ad quos spectat, exemplum & instructionē capere poterunt. Nam cùm quidā Scriba dixisset: *Magister sequar te, quocumq; ieris: dixit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. Filius autē hominis non habet vbi caput reclinet. Hic*, vt Augustinus obseruauit, *intelligitur miraculis motus Christum ob iactantiam sequi voluisse, quam significant aues; & discipuli obsequiū finxisse, quæ fictio vulpis nomine significata est.* Idemque: *Elatus & dolosus non me sequeris.* Hieronymus ait: *Quid me propter diuitias & sæculi lucra sequi vis, cùm nec hospitiolum habeam?* Rectè Bernardus: *Prudentiā carnis, in foueā vulpis; in nido volucris, arguit cordis elationem. Prudentia carnis est, quā aliqui abrenunciantes sæculo, totos se diuino committere nutui formidantes, reseruāt nescio quid fermenti, vt totam massam corrumpat, quod in multis frequenter expertū est.* Qui volucris cæli nomine designatur, *sine Duce & Præceptore spiritu ale studium apprehendere facilè cogitans, ambulat in magnis & mirabilibus super se; vt vulgò dicitur, saliēs antequam videat, casurus antequam debeat.* Ita Bernardus. Reijciendi ergo quicumq; ministrā hac intentione ad Christi famulatum accedunt. Sed videamus vlteriùs. Alius discipulus eius ait: *Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quibus verbis innuit vocationem Dei præferendam esse sepulturæ etiam parentū. Rectè enim Ambrosius: *Paterni funeris sepultura prohibetur, vt intelligas humana postha benda diuinis. Bonum studium sed maius impedimentum.* Fortassis enim hic ad sæculares fratres & amicos funeris curandi caussâ accedens, ab illis à Dei seruitio retractus fuisset, vel testamenti resignationi & executioni, hereditatis diuisioni, debitorum solutioni, alijsque temporalibus implicatus negotijs, vix tandem ad Christum redijsset. Hinc S. Basilius ostendit ex hoc loco, quantum damni Religiosis afferat affectus erga parentes, & cum ijsdem familiaritas. Et S. Teresia iudicabat Ordini suo idoneam, quæ ad sui ipsius consolationem amicos & consanguineos

Christus à disciplinā suā reijcit, Ambitiosū & dolosum. Matth. 8. August. de q. Euang. c. 5. *Querit vocaris & vulpis nomines notat.* Idem. De verb. Dom. Bern. in Declamat. cap. 11. *Alium remittit ergo parentes nimis adfectū.* Matth. 8. Ambros. lib. 7. in Luc. Basil. Cōst. Monast. c. 21. *Noret adsciscere ineptos dinatur propinquorum amor.*

sanguineos videre vellet, & eorum aspectus A pro secundâ vice grauis non esset. Discimus ergo hinc moderandum Religiosis affectū erga propinquos. Quid autē tertio accidit? Dicebat ille: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his quæ domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* En tibi alterum ad Nouitiatū quidē admissum, sed tamen tirocinij tempore anhelantem vt suis, quod necdū fecisse videbatur, renuntiaret. Pro eo autem quod legimus; *quæ domi sunt*: S. Basilius, Augustinus, Titus, Toletus, B & alij legunt, *qui*; quod Basilius explicat, vt petierit facultatem salutandi suos, eisq; valedicendi: Augustinus: *Vt nuntiem meis, ne fortè (quod fieri solet) quærant me.* Titus: *Vt cum parentibus & domesticis consilium capiam, an debeā Te sequi.* Sed iuxta Romanā lectionē sensus est, concede mihi tempus, vt de meis bonis, *quæ domi sunt*, disponam, eaq; inter fratres vel cognatos distribuā. Sed veniam hanc Christus non indulsit. Nam, vt is qui arare vult, si retrò respiciat, & opus arandi benè cœptum abrumpat, ineptus est ad agrū colen- C dum; ita qui se totum Deo consecrare incipit, si ad bona terrena, quæ deseruit, respiciat, ineptus est regno Dei. *Oportet enim*, inquit Euthymius, *eum qui sequitur Christum, confestim omnia despicere & sequi ne oculos quidē ab eo diuertendo, ne fortè habitu & specie eorū quæ à tergo sunt, retineatur.* Vnde & S. Teresia dicebat illam, quę ad ea quę mundi sunt affecta sit, & operam non det vt paulatim proficiat, ad sua Monasteria ineptam videri: in quibus simul & semel perfectio assumatur: *Etsi enim tempus requiratur, vt quoad interiora* D *ab omnibus sequestremur; quoad exteriora tamen id fieri debet citissimè.* Ex his porrò videat Magister, quò in Tironū approbatione vel reprobatione mētis oculum dirigere debeat.

Christus alterum mundo affixum refutat.
Luc. 9.
Explicatur variè S. Lucas.
Basil. Constit. Monast. c. 21.
Retrò respiciēs ineptus regno Dei.
Euthym. in hunc locū.
Et ad Religionis professionem.
Teres. Viç perfect. cap. 11.

Vt suos Nouitios Christus instituerit?

Christi noua à cœlo doctrina.

NOVVS homo, & Mediator hominum Christus IESVS, nouum Euangelicæ doctrinæ vinum, quod è cælesti attulit cellario, in vtres nouos, nouitia discipulorum suorū pectora, volens effundere, nouâ prorsusq; diuinâ vsus est methodo: quam vt nouorum Fratrum Magistri diligenter consi- E derent, & quà licet, etiā sequantur, dignissimū est. Quamobrem pręcipuā eius instruēdi rationem per partes hîc proponemus.

Quomodo tradita.

I. PRIMÒ, electis discipulis, statim cum ipsis ascendit in montem, & corā turbis, Ordinis sui Regulā promulgaturus; ita exorsus est. *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cælorū.* Atq; ità reliquas prosequitur beatitudines: in quibus licet ardua proponat virtutum exercitia; quantū tamen imbecilliores animos terrere posset difficultas, tantum allicit dulcissima æternæ beatitudinis promissio. Et verò, si ipsum hunc Domini expendamus sermonem, quid magis cōueniat Religiosis, quàm vt sint pauperes spiritu, id est, à possidendi desiderio, & rebus huius mundi alienissimi, vel iuxta Augustinū, *humiles*? Quid eos maximè decet, nisi vt sint mites, lugentes, esurientes, & sitientes iustitiā; misericordes, mundo corde, pacifici, & in persecutiònibus ac maledictis patientes? Sed longum fuerit sigillatim enarrare, quæ ibidem Monachis habentur conuenientia.

Incepit à Beatitudinibus.
Matth. 5.

NOVITIATVS.
Quæ Religiosis maximè conueniunt.
Aug lib. de serm. Dom. in monte.

II. SECVNDÒ, ipsa Religiosorum Vota non obscurè insinuauit: Nam Paupertatem docuit, cùm dixit: *Nolite possidere aurum nec argentum, neq; pecuniam in zonis vestris.* Et: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Castitatem commēdauit, dicens: *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerūt propter regnum cælorum.* Et vt ad hoc incitaret, adiecit: *Qui potest capere, capiat.* Obedientiam exegit, cùm discipulos vocans, dixit: *Sequere me.*

Insinuauit Vota monastica.
Matth 10. 8
Id 19. 12.
Matth. 9.
Ioan. 1.

III. TERTIÒ, potiora Religiosorum exercitia, in oratione, ieiunio, alijsq; mortificationibus ac virtutibus ferè consistunt. Sed quis illa veriùs aut vberiùs explanauit, quàm Christus? nam orandi formulā præscripsit; locum, instantiā, & perseuerantiam cōmendauit. Ieiunandum in abscondito monuit, & in his alijsq; pietatis exercitijs, simplicē oculum puramq; intentionē requisiuit. Monuit insuper non seruiendum duobus dominis, abijciendam sollicitudinē victûs & amictûs, & ante omnia quærendum regnum Dei, & iustitiam eius; intrandum deniq; per angustam portam. Nemo autē dubitauerit, quin Christus, quà verbo, quà exemplo omnem discipulos suos docuerit perfectionem.

Et potiora Religiosorū exercitia.

IV. QVARTÒ, modū, quē Christus in docēdo tenuit, Magistro proponamus. Fuit is planè suauissimus, & efficacissimus, vt & aduersarij dicerent: *Nunquam sic locutus est homo.* Et hoc sermonis sui vinculo discipulos sibi adstrinxerat, vt ipsimet attestantur: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Nec publicè tantùm eos in concione docuit, sed etiam familiariter ambulans cum illis in itinere. Domi verò etiam particulares illis faciebat conferētias, admittebatq; eorū interrogationes, soluens dubia, eosq; pro opportunitate instruens. Sed & ipse eos nonnunquā examinabat, v.g. *Quem dicunt homines esse filium hominis? Vos autem quem me esse dicitis?*

Modus docendi singularis.
Ioan. 7.
Id. 6. 69.
Marc. 7. 17.
Matth. 16.

V. QVINTÒ, quod anno probationis propriū est, Tironū explorare animum, virtutem, & profectum; ne id quidem à Christo neglectū. Nam, an Deo confiderent, crederentq; ab eo miraculum posse fieri, tentans eos, dicebat: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Cū quidam discipuli eius murmurarent, & abirent retrò, nec iam cum illo ambularent, dixit ad duodecim: *Numquid & vos*

Christus discipulos variè probauit.
Fame.
Ioan. 6. 5.
Ibid. 68.

vultis

NOVITIATVS. *vultis abire?* Quod ad eorum probationem dicebat. Permisit eos quãdoque victus penuriam pati, vt cùm sabbato esurientes, *Vellebant spicas*: mittebat sine sacculo & pera. In mari etiam dum periculum submersionis incurrerent, dormiebat. Et hæc quidem, tum vt rigoribus & aduersitatibus assuescerent, tum vt propriam agnoscerent fragilitatem, tum etiam vt scirent, in his similibusque ad Deum recurrendum.

Luc. 6. *Inopiâ, & aduersis.*

VI. *Errantes acriter reprehendit.* SEXTO, si quando forsitan Apostoli errarent, non, prætermisit eos reprehendere, & capituli, vt loquimur, censuram exercere. Petro passionem ab eo auertere volenti, respondit: *Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Aliàs eundem dormientem increpauit, gladioque auriculam Malchi amputantem repressit.

Matth. 16.

Luc. 9. 55. Volebant Iacobus & Ioannes ignem de cęlo in Samaritanos immitti, at Iesus *increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis.* Exultãtibus & gratulãtibus sibi discipulis,

Ibid. 10. quòd spiritus illis subijcerentur, repressit Iesus hoc gaudium, dicens: *In hoc nolite gaudere sed quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Expressa Capituli forma proponitur. Magis autem expressam Capituli formam à Christo seruatam, apud Marcum legimus.

Marc. 9. Veniẽs enim cum Apostolis Capharnaum, *cùm domi essent, interrogabat eos: Quid in viâ tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in viâ inter se disputauerant, quis eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium Minister.* Quis non conijciat hîc degradationem in vltimum locum, velut pœnitentiam quandam à Christo præscribi? Vide autem quàm suauiter medicinam adhibeat. *Accipiens enim Puerum, statuit eum in medio eorum:* Et ex illius formâ docuit eos humilitatem appetere. Quàm asperè verò discipulos in Emmaus euntes, & resurrectionem eius

Incredulos increpat.

Luc. 24. desperantes mitissimus agnus excepit, dicens: *O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* Postremum

Marc. 16. 14. autem capitulum iam iam in cęlos abiturus tenuit, cum *recumbẽtibus vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Ex his discet Magister, non dissimulandum in Nouitiorum culpis, sed redarguendos & puniendos, prout prudentia dictauerit.

VII. *Christus Apostolos exercuit.* SEPTIMO, ad Magistrum vel maximè spectat, nouellum gregem in ijs potissimùm experiri functionibus, quæ Ordini & Instituto sunt propriæ. Fecit id Christus Dominus accuratè; cùm enim vitæ genus ex contemplatione, & actione mixtum delegisset, in vtroque suos exercuit discipulos; solitus erat eos ad oratorium suum in monte Oliueti deducere. Vnde Lucas ait: *Ibat secundùm consuetudinem in montem Oliuarum.*

In vitâ contemplatiuâ.

Luc. 22.

Quod confirmat Ioannes, dicens: *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.* Nam, vt Theophylactus ait, *orandi causâ solitaria loca, & silentij officinas quærere solebat.* Huc cùm suos duxisset, iussit orare: & tamquam bonus Magister, tertiò orationis tempore surgit, & discipulos visitat, examinatque vt se gerant. Aliàs *assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem, vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera.* Vt ità ostenderent per orationem animas transfigurari, & ad Deum accedentes illuminari, vt Deum, seque magis ac magis cognoscant. Iam verò quod actiuam vitam spectat, *conuocatis Duodecim Apostolis, misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.* Similiter *designauit & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Ite, ecce ego mitto vos,* &c.

Ioan. 18. Theophyl. in hunc loc. Luc. 9. *Et actiuâ.* Luc. 9. Ibid. 10.

VIII. *Post actionem ad solitudinem deducit.* OCTAVO, vt à contemplatione ad actionem surgendum, ita post actionem rursus ad contemplationem redeundum: & animus à strepitu & tumultu in secessu nonnihil colligendus. Huc Apostolos suos Saluator noster inuitauit; *Conuenientes enim ad Iesum, renunciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant:* vt ab eo discant, inquit, Toletus, an secundùm eius voluntatem se gesserint. Nouerat Christus quæcumque fecerant, nec indigebat eorum relatione, sed vult Apostolos suas agere partes, vt suorum operum reddant rationem ei, qui misit eos; & ait illis: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Victor Antiochenus: *Per hoc Christus Dominus Ecclesiæ Doctores & Pastores monet, ne externis rebus perpetuò se dedant; sed priuatim sæpè, secretoque agentes animum colligant, eundemque à publicis negotijs & occupationibus, quantum res patitur, identidem seuocent.* vt ità post actionem vacent nonnihil contemplationi, & qui aliorum saluti intenti fuerant, sibi etiam consulant, & in se reuertantur. Ecce hîc specimen recollectionis, & spiritualium exercitiorum, quæ Religiosi plurimi quotannis à reliquorum consortio segregati obire solent. In his, vt suos instruat, exerceatque Magister Nouitios, consultissimum est.

Marc. 6. 31. Tolet. in Luc. cap. 9. Marc. 6. *Vbi aduentus breuis annua recollectionis exercitia.*

Et hæc sunt vtcumque designata à nobis Christi vestigia, quibus prudens Tironum Magister non inutiliter queat insistere.

DISQVISI-

DISQVISITIO III.

Quæ Nouitius erga Magistrum obseruanda?

Nouitij erga Magistrum officia. VT relata sunt inter se Magister, & Discipulus, ità huius erga illum officia eodem Tractatu videntur explicanda: quæ quidem diuersis monitis à SS. Patribus sparsim inculcantur.

I. *Amet, vt Patrem.* *Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 16.* PRIMVM autem suppeditat S. Isidorus Pelusiota: *Discipuli Magistros, & vt patres amare, & vt principes timere debent: ac neque ob amorem discutere metum, neque ob metum, beneuolentiam obscurare.*

II. *Æstimet illum.* *Iustin. lib. de cast. connub. cap. 3.* SECVNDVM fit B. Laurentij Iustiniani monitum. *De ipso,* inquit, (Magistro) *sentiant magna, iudicent recta, sanctaq; cogitent: ne callidâ diaboli suggestione opinio deuotionis, & fides concepta dilectionis ad Patrem intereat.*

III. *Sæpius adeat, & interiora detegat.* *Idem lib. de obed. cap. 20.* TERTIVM fit eiusdem S. Laurentij: Vt ad Magistrum accurrant frequenter, *veluti ad nutricem infans: vt ab illa doctrinæ & consolationis suscipiant nutrimenta atque spirituali lacte pascantur.* Vltrò igitur adeundus Magister, & pro spirituali necessitate consilium expetendum. Vbi illud in primis obseruandum, quod S. P. N. BENEDICTVS

Cap. 6. monuit, *Vt si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subiectione reuerentiæ requirantur.* Notabilem quoque hac in parte doctrinam tradit Climacus: *Noli mi fili,* *Climac. grad. 4. ex versione Raderi.* inquit, *noli spiritu superbiæ falli, vti tanquam ex alienâ personâ delicta tua Magistro tuo denuncies. Nec enim potes sine verecundiâ ab æternâ ignominiâ liberari. Aperi, ostende vul-*

Praxis confessionis huius. *nus tuum religioso medico, positoq; rubore fatere, dic, en adsum, Pater, ego peccaui, mea est culpa, mea plaga, mea non aliena fuit ignauia. Esto cùm ad confessionem accedis, & habitu corporis, & vultus modestiâ, & animo tanquam reus & damnatus ad pœnam, luminibus in terram deiectis, vestigia iudicis & medici tanquam Christi pedes lacrymis, si quas abs te potes impetrare, riga & munda.* Hæc & plura Climacus. Quæ vt meliùs obseruentur, subiungendum.

IV. *Nouitius Magistro credat.* *Arist. lib. 1. Elench. cap. 2.* *Trism. poëm. cap. 10.* *Philo de præm. & pœna.* *Climac. grad. 4.* QVARTVM monitum, vt nimirum magnam in Magistro fiduciam Nouitius collocet, illique per omnia credat. Hinc tritum illud Aristotelis axioma: *Oportet addiscentem credere.* Quod Mercurio Trismegisto quoque placuit; & Philoni Iudæo meritò probatum est. Inculcat idipsum rursus Climacus: *Prorsus,* inquit, *necesse est, vt qui bona mentis constantiam erga suos Maiores inconcussam tueri statuit, rectè facta illorum & virtutes intimis animi sensibus reponat,*

nec vmquam ex memoriâ deleat, sed fixa æternaque custodiat; vt si quando satores malorum dæmones diffidentiæ semina contra cœnobij Antistites in nobis sparserint, ex præterita vita recordatione cerberorum ora retundamus. Idem consequenter vetat Institutorem in aliquo penitus diiudicari, etiamsi in illo (homo enim est) modica aliqua delicta animaduertantur. *Vbi,* inquit, *te cogitationum turba impulerint vti in Præsidem tuum, aut inquiras, aut eum damnes, ab illis tanquam ab stupro resili; neque deceptus huic vipera vllam fidem præbe, neque locum da, nec aditum, nec vllum principij vestigium. Quin tu excetram illam sic compella: Audin' humani tu generis proditor? Non ego Præsidis in me iudicium, sed meum ipse in se suscepit: non illius ego, sed meus ille iudex est.* Ità Climacus. Hinc optimè etiam Ephræm monet: *Sin tibi bona res videatur, quæ à tuo Præfecto in Domino non bona iudicetur, crede illi in Domino, N.m contentiosum esse ac pertinacem, proprioque consilio duci, subuersionis signum existit.* Sic ille: cui consentit & Dorotheus, dicens: *Si res aliqua bona fuerit, & audiertmus à viro quopiam sancto, rem illam esse bonam; debemus quidem credere, rem bonam esse, non tamen credere nobis ipsis, quod benè erga illam nos ipsas, vt oportet, geramus, aut vtamur illa, vt debemus.* NOVITIATVS. *Nec in aliquo illum sæpe diiudicet.* *Ibid.* *S. Ephræm tom. 2. paræn. 5.* *Periculosè suo fruerer consilio.* *Doroth. lect. 5.*

V. Magistrum solicitè audiat. *Caput 6.* QVINTÒ, Magister solicitè & diligenter audiendus est, quod ipsemet S. P. N. BENEDICTVS præscripsit: *Loqui,* inquit, *& docere Magistrum condecet, tacere & audire Discipulo conuenit.* Hinc discipuli vocari solent *Auditores,* & aurium sensus à Philosophis dicitur, *sensus disciplinæ,* quod doctrinæ capessendæ subseruiat. Hinc & Ecclesiasticus monet: *Fili, si at-* *Eccli. 6 33.* *tenderis mihi, disces: & si accommodaueris animum tuum, sapiens eris. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illarum ex corde coniungere; vt omnem narrationem Dei possis audire.* Nota hîc cum Ianssenio, esse afferendum affectum & propensionem ad audiendum, vt proficiamus, iuxta illud Sallustij: *Vbi intenderis ingenium: ibi valet.* Hoc fit, vt non aures solùm corporis magistro præbeantur, sed etiam mentis aperiantur. Cum *Cum affectu & desiderio.* *Ianss. in hunc loc.* *Sallust.* magnâ autem humilitate & silentio, Magistri verba, siue exhortationes, aut consilia audienda sunt. Scriptum est enim: *Audi Israël, & tace.* Indecorum enim est loquentem interpellare Magistrum, & nonnullam redolet superbiam, vt obseruauit Climacus, cuius hæc optima admonitio: *Dum sub religioso Præside sumus, extremum silentium & ignorantiam de illo* *Interpellare loquentem non decet.* *Climac. grad. 4.*

NOVITIATVS. *exerceamus: Est enim taciturnus alumnus sapientiæ, omni veru cognitione preditus. Animaduerti è subiectis quempiam, qui ex ore religiosi Patris sui vocem raperet, & de illius obedientiâ desperani, quòd viderem illum dictis Præsidis sui ad suam superbiam; non ad submissionem abuti.* A

VI. *Obediat illi in omnibus.* SEXTVM monitum est, vt præceptis Magistri in omnibus obediant, & quæ præceperit, aut consiluerit, exequi studeant. *Fructus Magistri*, inquit Ambrosius, *est discipulus obediens.* Rectè proinde Laurentius Iustinianus Nouitios admonendos duxit, ne suo innitantur sensui, proprioque ducantur arbitrio; *sed tamquam diuino oraculo, suo in omnibus credant Pædagogo, & ipsius in cunctis obtemperent voluntati. Nolint discernere quare, sed quid præcipiat.* Sic ille: Similiter Bonauentura: *Necesse est eos Magistro humiliter esse subditos: quia nisi quis medico obtemperarit, non poterit ab infirmitate sanari.* B

Ambros. in 1 Thessal. cap. 2. Laur. Iust. li. de obed. cap. 10.

Bonauent. lib. de sex alis Seraph. cap. 1.

VII. *Magistro lumen à Deo petat.* SEPTIMVM monitum sit: vt consulturus Magistrum Nouitius, Deum deprecetur, vt illi inspiret quæ animæ suæ saluti maximè expediant. Fecit hoc, & suo exemplo faciendum commendauit nostri Ordinis Cardinalis, S. Petrus Damiani, qui Leoni incluso, quem in Patrem, Doctorem, ac Magistrum elegerat, ita scribit: *Quandoquidem meum te Angelum esse constitui, vt in dubiis rebus quidcumque hæsitanti ac sciscitanti mihi consilium ex tuo ore procederet, ita protinus indubitanter acciperem, ac si vox mihi cælestis oraculi angelitus intanaret: atque ideò si quando scrupulosæ cuiuslibet rei mihi subrepit articulus, antequam te consulturus accedam, hoc apud me diuinam imploro clementiam; vt te quasi suæ voluntatis organum faciens, tuo mihi ore præcipiat, quid me facere in obiectâ ambiguitate decernat.* Hæc ille. C D

Pet Dam. opusc. 11. in præfat.

VIII. *Cogitet vbique eius præsentiam.* OCTAVVM, & vltimum sit, vt ita Nouitij, vbicumque fuerint, conuersentur, ac si Magister præsens eos aspiciat, & velut speculator oculatissimus omnes eorum actus obseruet. Solent enim Iuniores, vt Climacus notauit, ex iugi conspectu Præceptoris, diligentius illius mandata custodire, nonnumquam verò per illius absentiam ea paululum transgredi. Idemque ait: *Quando Præsidem cœnobij absentem, nobis tamen in quocumque colloquio, sermone, mensâ, cubiculo & somno, aut quacumque aliâ in re, quam illi displicituram in nobis putamus, tamquam præsentem corpore finxerimus, peccareque cauerimus, tum deinde nos germanos obedientiæ filios esse existimabimus. Veri enim & sinceri discipuli Doctoris sui absentiam suum detrimentum interpretantur: spurij verò & dyscoli præceptorem abesse gaudent.* Sic Climacus. Plura videre est apud Iulium Nigronum. E

Clim. grad. 4.

Quæ vera nota boni Religiosi.

Nigron. Tract. ascet. 1. cap. 6.

DISQVISITIO IV.

Quæ Nouitiis potissimùm à Magistro inculcanda?

Nouitiis inculcanda. LVBET hîc pauca quædam sed selecta, Magistro, imò & Nouitiis monita suggerere, quæ ad felicem tirocinij cursum inchoandum conducant plurimùm.

I. *Corpora foris relinquant.* PRIMVM sit; quod S. Bernardus aduentantibus Nouitiis, & festinantibus ingredi, prædicare ac dicere solitus erat. *Si ad ea quæ intus sunt festinatis, hîc foris dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis. Soli spiritus ingrediantur, caro non prodest quidquam. Nouitiis autem ad nouitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum clementiùs, exponebat quod dixerat, carnalem concupiscentiam prædicans foris dimittendam. Verùm ipse cùm Nouitius esset in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare, non solùm concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt; sed & sensus ipsos per quos fiunt.*

Guild. Ab. in vit. Bern. lib. 1. cap. 4.

II. *Magno feruore incipiant tirocinium.* SECVNDVM. Nouitiis in Monasterium iam admissis maximè inculcādum, vt cùm feruore spiritus & animi alacritate, spirituale certamen aggrediantur. *Insidiatoris nostri consilium eò tendit* (inquit Climacus) *vt cùm primùm nos stadio committimus, inertes, ignauosque reddat, quo reliquus deinceps cursus, ac ad finem decursus languido principio respondeat.* Idemque antè dixerat: *Digna certè res odio, & periculo proxima, Athletam in ipso luctæ aditu languescere certissimo secuturæ cadus suæ argumento. Ex firmo religiosæ vitæ principio ingens nobis fructus existat, quamuis posteà languor aliquis subrepat. Animus generosus & inflammatus, vbi olim incipit fatiscere, memoriâ primæ virtutis veluti calcaribus admotis extimulatur. Hinc sæpe nonnulli seipsos rursum ad feruorem excitarunt.* Hæc Climacus. Optumè proinde Abbas Agathon interrogatus à quodam fratre, quomodo cum fratribus habitaret, respondit: *Sicut in primâ die, quando ingrediens ad eos, ita custodi peregrinationem tuam omnibus diebus vitæ tua, nec assumas fiduciam.* Quod dictum pluribus illustrat S. Bonauentura, Dionysius Carthusianus, & Alphonsus Rodriquez. Inculcarunt id & alij Sancti, in primisque Magnus Antonius, qui rogatus à discipulis, vt instructionis verbum proferret, ita exorsus est: *Hæc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere quod cœperit.* Et prætereà quam quod illud sæpius in vitâ repeteret, etiam morti vicinus pro testamento, & vltimæ voluntatis suæ decreto, vt fratrum animis infixū hæreret profundius, id quàm tenerrimis inculcare cœpit verbis, dicens:

Clim. grad. 1.

Ibid.

Quid momenti tiam prisci Patres.

Lib. 5. de vit. Patr. libel. 10. num. 8.

Bonauent. de profect. religios. lib. 1. cap. 1. Carthus. in scal. religios. Rod. Exercit. perfect. par. 1. tract. 1. cap. 14. Athanas. in vitâ cap. 15. Antonius.

Ego

Ibid. c. 38. *Religiosè cogitandum se primùm inchoare.*

Ego quidem, filioli, secundùm eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cælestia. Sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini, & cœpta voluntatis fortitudo sucerescat. Eadem mente & sensu dixit B. Ephræm: *Quare semper in mente diem illum habeto, quando exutus omnibus, propter Dominum reliquisti sæculum, & quando diuino incensus eras timore, feruensq; spiritu in Dominum: ac idem institutum retine, vsque ad finem.* Auctor quoque epistolæ ad Demetriadem: *Obliuiscere,* inquit, *omne præteritum, & quotidie inchoare te puta.* Et Climacus: *Quis putas,* inquit, *est fidelis & prudēs Monachus, qui primum ab ingressu religionis ardorem spiritus inextinctum retinuit? qui vsque ad vitæ metam exitumq; ignem igni, calorem calori, studium studio, desiderium desiderio semper addendo conatus est augere?* Appositè quoque moniti huius praxim edocturus B. Pet. Damiani, hæc præscripsit: *Tentet Nouitius sæpe maiora, vt quæ minora sunt, reddantur eorū collatione facilia.* Explicans verò se, subdit: *Quod dicere gestio, tale est. Sæpe aqua turbida, vel tepida hoc studio bibitur, vt contemptâ vini concupiscentiâ, perspicua solummodò, vel frigida aqua sufficere indicetur. Sæpe cantabritius panis apponitur, vt dum communis appetitur, siligineus non quæratur. Cui post puluinaria cento non sufficit, quonis sibimet stramine satisfacere poterit, si nudum priùs pauimentum lateribus terit. Qui post carnes oleum nauseat, vt sobrius liquor faucibus suauiter sapiat, salitis leguminibus aliquamdiu viuat. Quem insolita delectat equitandi vectatio; intra cellulæ se angustias colligat, & claustrum Monasterij postmodum forum putat.* Hæc ille. Quæ non nisi cum discretione, & voluntate Magistri, vel Superioris in vsum conferenda sunt. Excedunt enim aliquando Nouitij nimio feruore & indiscreto zelo: sed vt hic temperandus, ita à noxio tepore, vel maximè cauendum, quod pulchrè more suo, sub figurâ florum, qui à pruinâ & frigore læduntur, exponit Bernardus: *Vstionem,* inquit, *metuo floribus, non subreptionem, sed vstionem à frigore. Aquilo mihi suspectus est, & frigora matutina quæ intempestiuos flores solent perdere, fructus præripere. Itaque ab Aquilone panditur vestrum malum. A facie frigoris eius quis sustinebit? hoc frigus si semel animam, animæ quidem (vt assolet) incuriâ, spiritu dormitante peruaserit, ac nemine deinde (quod absit) inhibente ad interiora eius peruenerit, descenderit in viscera cordis & sinum mentis, concusserit affectiones, occupauerit consilij semitas, perturbauerit iudicij lumen, libertatem addixerit spiritus: mox (vt in corpore solet euenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, deferuescit nouitius feruor, ingrauescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, renocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremò impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudēdus, ille turpissimus, plenus ille ignominiâ & confusione, saltus de excelso in abyssum, de pauimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cælo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum.* Hactenus Bernardus. Tanti scilicet refert à primo feruore non defecisse, quod in Apocalypsi Dominus cuidam Episcopo exprobrat, dicens: *Habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & primâ opera fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum dè loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

S. Ephram. Paræn. 9. tom. 2. — Inter opera August. epist. 143. — Climac. grad. 1. — *Veri Monachi descriptio.* — Damian. opusc. 13. cap. 22. — *Praxis se mortificandi.* — *Licita concedente Superiore.* — *Tepiditas in conuersatione fugienda.* — Bernard. Serm. 63. in Cant. — Psal. 147. — *Sensim animo illabitur.* — NOVITIATVS. *Illum deprauat.* — *Et ad interitum sæpe perducit.* — *Primi feruoris magna momenta.* — Apoc. 2. 4.

III. TERTIÒ, Pinuphius Abbas apud Cassianum, Nouitium admonens, quintuplicem ei mouet assumendam personam: vult enim, vt sit spirituali quodam modo *crucifixus, surdus, mutus, cæcus,* & *stultus*; quæ pulchrè exponit. Nam vt *crucifixus* non potest pro libitu membra mouere: ità & nos voluntates nostras non secundùm id quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut patibulo crucis affixus, *non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat;* sed mortem tantùm habet præ oculis, *illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat ilicò transiturum: ità timore Domini crucifixos oportet carnalibus vitiis, ipsisq; elementis mortuos esse,* illuc oculos animæ defigere, quo se sperant momentis singulis migraturos. Deinde, sit velut *surdus*, vt dicat cum Prophetâ: *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & factus sum sicut homo non audiens;* quod fiet, *si inobedientem, si contumacem, si detrahentem non audieris, vel secus quàm tibi traditum est, aliquid admittentem, non offendaris, nec ad imitandum tali subuertaris exemplo: sed vt surdus, qui hæc penitus nec audieris, vniuersa transmittas.* Sit deinde Nouitius *mutus*, vt si ei conuitia irrogentur vel iniuriæ, *ad responsionem talionis, vt mutus auscultet, non habens in ore suo redargutionem, semperque hunc Psalmistæ versiculum in corde suo decantans: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum,*

Sit Nouitius tanquam crucifixus. — Cassian. lib. 4. cap. 35. & 41. — *Sit velut surdus.* — Psal. 37. — *Muti personam assumat.* — Psal. 38.

NOVITIATVS. Sit insular caci. *& filui à bonis.* Esto etiam, mi Tiro, velut *caecus, vt absque illius contemplatione, qui tibi fuerit ad imitandum merito perfectionis electus, vniuersa quacumque videris minus adificationis habentia, velut cacus non videas; ne animatus eorum qui hac agunt, auctoritate vel forma, ad id quod deterius est, & quod ante damnaueras, traducaris.* Denique & stultum te, Et stulti. *secundùm Apostoli sententiam facias in hoc mundo, vt sis sapiens: nihil scilicet discernens, nihil diiudicans ex his, qua tibi fuerint imperata; sed cùm omni simplicitate, ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodò sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi, vel lex Dei, vel Senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus; sub hoc disciplinâ poteris durare perpetuò, & de Cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus deuolueris.*

IV. Qua in corporis compositione fernanda. Bernard. Serm. 63. sup Cant. QVARTÒ, vt de exteriori corporis compositione verbulum adiiciam; commendat Bernardus in Nouitiis, quod induerint sibi faciem disciplinatam, & bonam totius corporis compositionem. *Placent*, inquit, *fateor qua in facie sunt, negligentior vtique is qui foris apparet corporis cultus & vestium, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior.*

DISQVISITIO V.

Quâ ratione Nouitius de temporalibus bonis disponet?

Nouitius potest de bonis suis variè disponere. CVM per monasticam Professionem ciuiliter homo mori censeatur, licebit Nouitio de bonis temporalibus, quæ ei ex vnius, aut vtriusque parentis obitu, vel etiam aliunde obuenerunt, ante ipsam Professionem disponere. Verùm quo id fiat modo, quibusve sua relinquat, non immeritò disquirendum. Plures enim hic occurrunt considerationes. Proinde,

I. Non peccat, si ea parentibus aut consanguineis relinquat. DICO PRIMÒ. Non peccat Nouitius, qui Religionem professurus, bona sua parentibus aut consanguineis relinquit. Cùm enim rerum suarum, vt supponimus, sit dominus, potest de illis liberè disponere prout voluerit, neque vllum extat præceptum, quo prohibeatur hæc bona propinquis relinquere. Et S. Cæsarius Arelatensis de Nouitio expressè ait: Cæsar. Arelat. in Reg. Monach. num. 1. *Si non vult vendere donationis chartas, aut parentibus, aut monasterio faciat.* Et in Regulâ Sanctimonialium: Idem in Reg. Monial. nu. 4. *Qua autem vidua, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad monasterium veniunt, non excipiantur, nisi antea de omni facultatulâ suâ, cui voluerint, chartas, aut donationes, aut venditiones faciant, ita vt nihil sua potestati, quod peculiariter, aut ordinare, aut possidere videantur, reseruent.* Eodem ferè modo S. Aurelia-nus Episcopus præscribit: *Vt vestimento religioso non accipiat, nisi qui de omni facultate suâ chartas donationis aut venditionis, cui voluerit, faciat.* Reg. Aurel. cap. 3. Si cui voluerit; ergo etiam parentibus & consanguineis legare poterit. Quamuis autem perfectius sit, & Christi consilio conformius, non sanguine iunctis, sed pauperibus bona distribuere, Saluator enim dixit: Perfectius est, pauperibus dare. *Si vis perfectus esse, vade, & vende qua habes, & da pauperibus, & veni, sequere me;* Matth. 19. illud tamen non habet vim præcepti, sed per modum consilij declarat, quid in hoc genere sit perfectius; quod tamen qui noluerint sequi, minimè peccant, sed tantùm imperfectius agunt. Quod expressè docuit Hieronymus ad Hedibiam: Hieronym. Epist. 150. quæst. 1. *Non vis esse perfecto*, inquit, *sed secundam vis tenere gradum virtutis: dimitte omnia, quacumque habes, da filiis, da propinquis, nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo illam scias tibi iure pralatam, qua elegerit prima.* Hæc Hieronymus. Quinimò, nonnumquam expedit, parentibus, fratribus, & sororibus, Quamuis non rarò expediat consanguineis ea relinquere. vel consanguineis bona, aut eorum partem relinquant, fieri enim potest vt ipsimet verè pauperes sint, & Nouitij subsidio indigeant. *Etenim est illa probanda liberalitas* (inquit Ambrosius) *vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati.* Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. Idemque fieri potest ad euitanda scandala, rixas, & inimicitias, quæ suboriri possent, si affines omninò prætermittantur.

II. Nouitius melius faciet, si sua distribuat in pauperes. DICO SECVNDÒ. Multò perfectiùs ac meliùs faciet Nouitius, si Christi obsequens consilio, sua distribuat pauperibus. Ita enim docent Patres. Ambrosius enim permittit amicis dari paupertatis titulo. Hortantur SS. Patres. *Non*, inquit, *vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus. Non enim propterea te Domino dicasti, vt tuos diuites facias; sed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas.* Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. Et Hieronymus: *Consideremus quam sapienter Sapientia locuta sit: vende qua habes.* Hieron. Epist. 8. *Cui ista pracipiuntur? nempe illi, cui dictum est. Si vis perfectus esse; non partem bonorum tuorum vende, sed omnia. Cùmque vendideris, quid sequitur? & da pauperibus, non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Laudent te esurientium viscera, non eructantium opulenta conuiuia.* Qui propinquos diuites hic excludunt. Idemque ad Iulianum: *Vade, inquit, & vende: non partem substantia, sed vniuerso, qua possides: Et da, non amicis, non consanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis: plus aliquid addam: Nihil tibi ex omnibus metu inopia reseruans, ne cum Ananiâ damneris & Saphirâ: sed da cuncta pauperibus, & fac tibi amicos de iniqua mammo-* Epist. 34.

Imò vetat, ne sæculo renuntians sibi quidquam reseruet.

mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula, vt me sequaris, vt Dominum mundi, possessionem habeas, vt possis canere cum Prophetâ: Pars mea Dominus, & vt verus Leuita nihil de terrenâ hereditate possideas. Et hoc hortor: Si vis perfectus esse, si Apostolicæ dignitatis culmen cupis, si sublatâ cruce Christum sequi, si apprehenso aratro non respicere post tergum. Similia ferè habet in Epistolâ ad Hedibiam.

Hieron. epist. 150.

Monasterio sua bona tradere, perfectionis est. Colligitur ex S. Benedicto. Cap. 58.

III. DICO TERTIÒ. Perfectionis quoque est, ipsa bona Monasterio assignare, cui seipsum Nouitius per professionem offert, & incorporat. Elicitur hoc quoque ex SS. Patrum sententiis. S. BENEDICTVS enim ait: *Res si quas habet* (professionem emittens) *aut eroget prius pauperibus, aut factâ solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat.* Quod dicit, *factâ solemniter donatione*, intelligitur, inquit Smaragdus, *religiosè coram testibus & vniuersâ Monasterij congregatione. Vnde & alibi Monachorum Patres dixerunt. Si aliquam Nouitius in cellulam voluerit inferre substantiam, vniuerso ponatur coram omnibus fratribus. Hinc quidam Monachorum Magister ait: Vnà cum animâ suâ Deo & Oratorio Monasterij per donationem offerat totum, subscribentibus religiosis testibus, Episcopo, Presbytero, vel Diacono, vel ipsius territorij clero, & in ipsâ cautione taxans hoc, quòd si aliquando de Monasterio discedere voluerit, sine rebus suis de Monasterio, vel sine indulgentiâ peccatorum à Deo discedat.* Hæc Smaragdus. Similiter, vt vidimus, Cæsarius Arelatensis vult parentibus, aut Monasterio res Nouitij consignari: eandemque praxim supponit S. Augustinus, cùm in Regulâ suâ ait: *Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Nec extollantur, si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerunt: nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur.* Hæc Augustinus, cui consentit Hieronymus, deplorans plerosque paruo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in vtroque sexu sæcularibus liberis largiri. *Quod nuper*, inquit, *in hac vrbe diues quidam fecit Presbyter, fecerunt & multæ, prô dolor, nostri propositi feminæ: atque vtinam rarum esset exemplum, quod quantò crebrius, tantò istæ feliciores, quæ ne plurimarum quidem exempla secutæ sunt. Fertur, & omnium Christianorum laude celebratur, quidquid fuerat nuptiis præparatum, à sanctæ Christi Lynoride virgini traditum, ne sponso fieret iniuria, imò vt dotata pristinis opibus veniret ad sponsum, &, quod in rebus mundi periturum erat, domesticorum Dei sustentaret inopiam.* Hactenus Hieronymus.

Smarag. in cap. 58. Reg. — *Et aliis Regularum conditoribus.* — Reg. Magist. cap. — *Praxim supponit S. Augustinus.* Reg. Aug. cap. 2. & 3. — Hieron. epist. 8. — *Perstringit S. Hieronymus secus facientes.*

NOVITIATVS.

Vtrum præstet pauperibus, an Monasterio bona largiri.

Quærat hîc aliquis: num præstet pauperibus bona elargiri, an verò relinquere Monasterio, cui se Nouitius vult aggregare? Respondet Ioannes Lorinus, problema hoc esse posse, & S. Basilium *Reg. 9. ex fusior.* & 187. *ex breu.* videri potius fauere pauperibus, ob periculum mali nominis, & auaritiæ, quod Monasterio posset affingi. Et fideles in Actis Apostolorum, *quotquot erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant; & ponebant ante pedes Apostolorum*, qui ea distribuebant pauperibus. S. BENEDICTO verò, ait idem Lorinus, placuisse ferunt, vt Monasterio detur; caussam hanc ex eius vitâ assignans, vt plures eo modo in Dei familiâ sustententur: cui adde rectum ordinem charitatis. Subiungit verò: Equidem spiritum Domini multiplicem scio; nec ausim inter tantos viros arbitrium interponere. Præsens factum (primorum Christianorum) trahi in exemplum non potest, quia res erat cum fidelibus, & ex primitiuo spiritus instinctu. Sancti BENEDICTI opinio simpliciter præferenda est: Sancti Basilij verò in periculo infamiæ amplectenda; cùm sit *melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*: sicut Paulus alieno sumptu viuere noluit, licet id aliis permitteret, ac optimis rationibus licere confirmaret. Ita ferè Lorinus. Sed pace illius dixerim, non instituit Basilius hanc comparationem, tantùm enim ait partem patrimonij summâ religione distribuendam, & dispiciendum, ne aliqua contingat fraus, nec iudicio contendendum pro obtinendis Nouitij facultatibus, sed testificandum sacrilegij scelere se obstringere, qui aliquam fraudem præsumpserint inferre. Quæstione verò illâ 187. in breuioribus ait, omnia à propinquis reddenda, verumtamen non in oculis illorum, ad quos pertinere visa sunt, consumenda; ne illis superbiæ, pauperioribus verò dolendi caussa præbeatur, quare dispensationem permittendam illi, cui huiuscemodi demandata sit administratio. Non autem ait, præstare similia erogari pauperibus. Quamuis autem in vitâ Sancti BENEDICTI à S. Gregorio descripta, non habeantur ea quæ Lorinus citat, non negauerim tamen eâ potissimum caussâ, hereditates & possessiones ab illo admissas, vt hoc modo plures in Dei familiâ sustentari possent. Sicuti S. Maurus numerum cētum quadraginta Religiosorum, suâ & totius Congregationis auctoritate, præfixit in Monasterio seruandū, quoniam (vt Faustus ait) *ea res quæ ibi tam delegata erant,*

Lorin. in cap. 4. Actor. v. 4. — *Videtur pauperibus fauere S. Basilius.* Ibid. — *Monasterio S. Benedictus.* — Prouerb. 22. 1. — 1. Corinth. 9. 11. — 1. Thessal. 2. 9. — Actor. 20. 35. — *Non ita fuit Basilij mens; quæ explicatur.* — *Cur S. Benedictus facultates admiserit.* — Faustus in Vit. S. Mauri.

NOVITIATVS.

erant, tanto fratrum numero, in his quæ necessaria erant, sufficiebant: & si amplior esset numerus, occasionem patiendæ necessitatis fortè inferre potuisset. Quæ fortè ex S. BENEDICTI exemplo, & instructione hauserit.

Non dicit, vtrum alteri præstet.

Nusquam autem Legislator noster vtrum ex his duobus præstet, pronuntiat. Agens enim de distributione, quam religionem profitens facere debeat, hæc dumtaxat ait: *Res, si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut factâ solemniter donatione, conferat Monasterio.*

Cap. 58. Pauperum rationem haberi voluit.

Vbi vides primo loco poni pauperes, quorum præcipuam curam semper habuit, volens eos Christi nomine hospitio B suscipi, & mensæ Abbatis adhiberi, cauetque ne à Cellerario negligantur, vultque insuper vestiméta vetusta propter eos reseruari in vestiario, vt certò affirmare non ausim, quæ hac in parte S. Patri magis placuerit sententia.

Cap. 53. Cap. 56. Cap. 31. Cap. 55. Cap 66.

Nam etsi Monasterium ita voluerit construi, vt nulla esset necessitas Monachis vagandi foras, vt mendicato victum aliaque necessaria peterent; ita tamen paupertatis studiosus fuit, vt non ex solis redditibus, sed etiam ex manuum labore Monachos viuere optauerit: *Quia tunc*, inquit, *verè Mona-* C *chi sunt, si de labore manuum suarum viuunt: sicut & Patres nostri, & Apostoli.* Atque ex hoc capite permisit benigno pretio distrahi opera ab Artificibus Monasterij elaborata. Hæc de S. BENEDICTO.

Et ipse paupertatis cultor.

Cap. 48. Cap. 57.

Fateor tamen sanã esse Lorini doctrinã, vbi enim auaritiæ suspicio, aliudve scandalum oriretur, ex eo quòd bona Monasterio applicarentur, præstiterit ea distribuere pauperibus.

Quo casu melius sit pauperibus bona distribuere.

Vnde S. Fructuosus Episcopus in Regulâ statuit: *Vt nihil de pristinis facultatibus in eum locũ, vbi ingredi Nouitius petit Monasterium, vel ad vnum nummum recipiatur, sed ipse manu suâ cuncta pauperibus eroget.* Caussam autem eam reddit, quòd cõpererit quosdam cum facultatibus ingressos, grandi cum exprobratione repetere, & per propinquos extorquere, quod Monasterio contulerant, & Iudices sæculares ad hoc requirere. Aliàs verò, si absit scandalũ, licitè hæc talia bona conferuntur monasterio, nã & Clemens V. explicans Regulam Minorum, declarat licere Fratribus liberè à Nouitiis oblata cum moderamine recipere: *Non videtur*, inquit, *quin liceat recipere, consideratis scilicet necessitatibus, si quid de bonis suis intrans, sicut* E *ceteris pauperibus per modum eleëmosynæ velit dare. Cauere tamen in oblationum talium acceptione debent Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili, præsumi possit sinister oculus contra ipsos.* Hæc Pontifex.

Fructuos. in Reg. cap. 18.

Clement. cap. Exiui de paradiso. Minores possunt à Nouitio recipere.

Quæret verò tenacior aliquis è sæculo: Quid opus sit dotatis & ditatis Monasteriis bona relinquere, cùm Religiosi paucis

Cur filiis Religiosis sua portio tribuenda à parentibus.

A egeant? Hanc quæstionẽ proposuit, & dissoluit Saluianus, Episcopus Massiliensis, sanctitate & doctrinâ clarissimus, qui S. Augustini tempore vixit: *Dicitis*, inquit, *Quid opus sit Religiosis æquam accipere cum Fratribus portionem? Respondeo, vt religionis fungantur officio; vt Religiosorum rebus Religio ditetur; vt donent, vt largiantur; vt illis habentibus iuncti habeant non habẽtes. Cur eis, quæso, ô inhumanissimi parẽtes, necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis? Permittite hoc Religioni ipsi, cui filios tradidistis: rectiùs pauperes à se fiunt. Si tantùm eos inopes esse cupitis, concedite id eorum deuotioni, liceat eis, quæsumus, vt velint pauperes fieri. Eligere inopiam debent, non sustinere. Postremò, etiamsi sustineant, deuotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos velut à naturâ expellitis, & quasi è iure sanguinis abdicatis? Et ego eos pauperes esse volo, sed vt habeat tamen præmium suum ipsa paupertas: & præclarâ demutatione eligant inopiam ex copiâ, vt ex inopiæ electione copiam consequantur.* Hæc Saluianus.

Saluian. l. 3. ad Eccles. Cathol. c. 2.

Tres insinuans caussas, vt Lessius obseruauit, cur filiis Religionẽ intrãtibus debeatur legitima. *Primò*, vt ipsi sustententur, nec oneri sint Religioni. Iniquum enim est, si tua diuitibus relinquas, & ipse pauperibus sis oneri. *Secundò*, vt Monasterium locupletetur ad alendos plures Dei ministros, ad augendum cultum diuinum, ad maiores erogandas eleëmosynas. *Tertiò*, vt filius plus mereatur, sponte diuitiis se exuens, & paupertatem amplectens. Quartam caussam posteà subdit, ne in Deum sis ingratus, eum exheredem faciens, à quo omnia accepisti.

Tribus de caussis.

Less. in disput. de stat. vit. eligend. quæst. 11.

Negat porrò idem Saluianus, parentes muneri suo satisfacere, si reseruatâ sibi proprietate, ipsum fructum ad vitam fi- D liorum Monasterio cedant. *Sed*, inquit, *inuenit iniquissima infidelitas parentum quomodo à patrimonio suo penitus Deum excludat, proprietatem rerum Religiosis filiis auferendo. Vsum enim his dedit, vt esset quo ipsi viuerent, proprietatem his tulit, vt quod Deo relinquerent non haberent. O nouum irreligiosæ mentis ingenium! inuenit quo videretur filiis suis, maiore erga Deum suum impietate consulere.* Et infrà. *Quid agis miserrima infidelitas, & paganicæ (vt ità dixerim) irreligiositatis error? Itáne tantum odisti Deum, vt possis etiam filios tuos, ob hoc tantum quòd ad Deum pertinent, non amare? Meliori enim conditione quidam relinquunt libertos tuos, quàm tu relinquis filios tuos. In vsu siquidem quotidiano est, vt serui (etsi non optimæ, certè non improbæ seruitutis) Romanâ à Dominis libertate donentur, in quâ scilicet & potestatem peculij capiunt, & ius testamentarium consequuntur; ita vt & viuentes, cui volunt, res suas tradant, & morientes donatione transcribant. Quanto, ô quisquis es in-*

Non sufficit vsum fructum relinquere.

Saluian. suprà cap. 5.

Contra parentes, qui ita agunt.

es infidelissime pater, quantò Domini illi cum libertis meliùs agunt, quàm tu cum liberis? Illi, quæ donant, perpetuo iure donant; tu temporario: illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis; tu tollis liberis: illi postremò seruos suos dant libertati; tu quasi addicis filios seruituti. Hæc Saluianus. Quare prudenter S. BENEDICTVS permittit parentibus, *qui aliquid offerre voluerint in eleemosynam Monasterio pro mercede suâ*, vt sibi, si ita voluerint reseruẽt *vsumfructuariũ*; ita enim Deo tribuitur proprietas. Iuhumanũ autẽ & impium putat idem Saluianus, Religioso filio aut nihil, aut minus dare, hoc solo titulo, quia Religiosus est. *Nullis*, inquit, *à suis minùs relinquitur, quàm quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minùs respicit, quàm quos præcipuè religio commendat. Denique si qui à parentibus filij offerantur Deo, omnibus ceteris postponantur oblati: indigni indicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione, ac per hoc vnâ tantùm re viles parentibus fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi.* Ex quo intelligi potest, *quod nullus penè apud homines vilior est, quàm Deus: cuius vtique fit despectione, vt eos præcipuè filios spernant parentes, qui ad Deum cœperint pertinere.* Et quibusdam interiectis: *Quid tantum, quæso, sceleris in titulo esse Religionis putas, vt ideò eos qui Religiosi sunt, filios tuos esse non credas, quia filij Dei esse cœperunt? In quo tibi, hoc tam bonæ voluntatis quasi piaculo, rei facti sunt, vt idcircò eos putes habendos peiores, quia optant esse meliores?* Plura vide apud Lessium in *disputatione de vitæ statu deligendo.*

S. Benedictus parentibus permittit vsũfructum. Cap. 59.

Inhumanũ est, filijs causâ Religionis minus dare.

NOVITIATVS. Imò spernitur in his Deus.

Illud tantùm hîc adijciendum, decreuisse Concil. Tridentinum: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio, antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque caussæ piæ, valeat, nisi cum licentiâ Episcopi, siue eius vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressâ renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

Trid sect. 25. cap. 16. de Regul.

TRACTATVS V.

DE NOVITIORVM PROFESSIONE.



N manu Magistri Nouitium, velut rude & indolatum lignum, posuimus, vt ab eius manu formatum, fiat vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus *bonum* paratum. *Quemadmodum enim artifex* Faber, *vbi* de silua lignum rectum secuerit, huius doctè eradit omnem corticem, & arte suâ vsus, diligenter fabricat vas vtile in conuersionem vitæ; *eodem ferè modo Tironum Magister, ex silua huius sæculi rectâ intentione ad conuersionem venientem Nouitium exasciat anno integro, varijs experimentis omnem mundanæ conuersationis prauorumque habituum eradens corticem, vt arte suâ, Deique gratiâ fiat vas vtile in conuersationem vitæ Monasticæ. Cùm autem de variâ probandi formâ, ipsoq; Magistro iam egerimus, superest Nouitium iam suis expoliatum facultatibus rudè donemus, eique vota sua Deo nuncupandi tribuamus facultatem. Reliquâ igitur huius libri parte agemus de Nouitiorum Professione, eiusque Ritibus & Votis. Hoc Tractatu disquiremus* Primò, *Vtrum veteres Monachi emiserint Professionem?* Secundò, *Quibus nominibus ea insigniatur?* Tertiò, *An scripto facienda?* Quartò, *Quæ Benedictinæ Professionis formula?* Quintò, *Quàm rectè Professioni præmittatur diuini nominis inuocatio?* Sextò, *An Professioni aliquid subscribendum?*

1. Tim. 2.

Sap. 13. 11.

NOVITIATVS.

DISQVISITIO I.

Vtrum veteres Monachi emiserint Professionem?

Haretici Vota reijciunt.

Luther. lib. de vot. monast.

NOSTRI temporis sectarij passim Vota, & Monasticã Professionem reijciunt. Lutherus enim ait, Ecclesiam primitiuam, & nouum testamẽtum in totum ignorasse vouendæ cuiuspiam rei vsum. Caluinus Monastica vota dæmonis retia appellat. Petrus Martyr ait, vota fuisse tantùm cerimonias veteris legis, quæ non magis ad Christianos pertineant, quàm circumcisio, & Iudæorum sacrificia. Philippus Melanchton Monachatum ait, nuper esse inuentum, & tempore S. Augustini Monasteria fuisse libera collegia, non astricta vllis votis, quod & Erasmus in vitâ S. Hieronymi affirmauit, dicens eos, qui ex Monasterijs ad sæculum redirent, solùm incurrere quamdam inconstantiæ notam. Hæreticis fauere videtur Polydorus Vergilius, qui ait Paulum, Antonium, Hilarionem, Basilium, Hieronymum, ac plerosque alios in Ægypti Syriæque solo quamuis sterili feliciter increuisse, nullo tamen adhuc certo viuendi ritu: nam id temporis huiusce vitæ genus simplex ac liberum erat, & istis omninò ceremonijs minimè obstrictum, quas hodie Monachi obseruant: vestitum honestum pro iure suo quisque sumebat: item nullum votorũ vinculum, ita vt integrum vnicuique foret manere, aut proficisci, quò terrarum vellet: vel si quem eiusmodi sui instituti pœnituisset, etiam potestas ad pristinam redeundi vitam, non absque tamen inconstantiæ nota. Quod si deinceps per nouas hominum leges, inuiolatũ permanere licuisset, longè sanctissimos omni tempore Monachos habuissemus, quando improbi haud diu Monachi fuissent. Sequẽti verò capite declaraturus quãdo primùm Ordo Monasticus tribus votis astrictus fuerit, & quis primus ea vota introduxerit, ait: post annum quàm Antonius erat mortuus, circiter centesimum sexagesimum sextum, claruit BENEDICTVS Nursinus, qui in Cassino sibi sedem posuit, sparsosque & soliuagos ad id tempus Monachos, in vnum contraxit Cœnobium, mores & vitam, *tribus munitam votis, quæ priùs non fuerant*, quam Basilius cum certa viuendi formula constituisset in Oriente, instituit parum vulgatæ obseruationis. Ita ille.

Lib. 4. instit. cap. 13. §. 14. & 15. Lib. de cælib. & vot. monast.

Melancht. in confess. August. art. 27.

Tanquam nouitia inuentionis.

Polyd. Vergil lib. 7. de inuent. rer. cap. 1.

Polydorus Vergilius in his inscitè locutus.

S. Benedictum Votorum auctorem facit.

Verùm quàm toto, quod aiunt, cœlo hi A Scriptores errent, non difficile erit demonstrare; & sanè si Monastica Vota BENEDICTVM haberent Auctorem, non nuper adinuenta dici possent, quæ ante mille & amplius annos in Ecclesiâ viguerint.

Perperam, nam antiquior eorum vsus.

De singulorum porrò *votorum* antiquitate ex SS. Patribus approbatâ, legi possunt Franciscus Turrianus, *lib. de Votis monasticis*, Gregorius de Valentiâ, Cardinalis Bellarminus & alij. Porrò ante S. BENEDICTVM solere Monachos professionẽ emittere, & votis se obligare, ex Cassiano, quẽ libenter sequitur, constat; qui ait pœnas B grauissimas præparari his, qui secundùm hoc quod *professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidẽ exhibere neglexerint. Melius est enim, secundùm Scripturam, non vouere quemquam, quàm vouere & non reddere.* Paulò pòst subdit: *Reum grauioris supplicij fieri, si quis facilè susceptus, nec pondus* PROFESSIONIS *huius intelligens, vel destitutor post hac, vel tepidus existat*: Et: *In hâc nuditate quam coram Deo & Angelis eius* PROFESSVS *es, ad finem vsque perdures.* Nec solam paupertatem, aut continẽtiam à Monachis tum fuisse deuotam, C sed etiam Obediẽtiam, & si quæ sunt alia, facilè sibi persuadebit, qui apud eundem Cassianum legerit, nõ leue esse peccatum, *perfectionem professum quempiam, ea quæ sunt imperfecta sectari.* Et alibi ex sententiâ Abbatis Ioseph ait: Sine iacturâ professionis, corporalia quædam exercitia cùm necesse fuerit irreprehensibiliter posse prætermitti. Principalia verò mandata constantissimè obseruanda, ac *pro his etiam mors*, inquit, *si necesse fuerit, non vitanda, pro quibus immobiliter est dicẽdum, Iuraui & statui.* Hæc Cassianus. Ad quæ Gazæus: Vides, inquit, etiã D apud veteres Monachos violationem Voti Continentiæ, & aliorum essentialium, non secus ac principalium mandatorum Dei, iudicatã fuisse damnabilem, & mortalem. Confirmat eadem Basilius, Monachum lapsum ita admonẽs. *Vide igitur, ne fortè dum vis, quæ quibusdam pactus es, custodire; transgrediaris* PACTA *à te inita cum Deo, quæ* PROFESSVS *es corã multis testibus.* Et S. Ephrem: *Quare tu Monache, nosce atque considera, in vtro sis ordine constitutus; tum quo signo, quáve notâ sis insignitus, quæ* PACTA, *quæq;* VOTA *cum Deo feceris, constitueris que.* Post: *Sed redde Domino Vota tua: quoniam scriptum est: Melius erat te non vouere, quàm cùm voueris non reddere.*

Valent. to. 3. disp. 10. q. 4. punct. 1.

Bellarm. to. 2. lib. 2. de Mon.

Cassian. lib. 4. cap. 33.

Probatur ex Patribus, qui ante S. Benedictum vixerunt.

Eccles. 5.

Cassiano.

Ibid. cap. 36.

Varijs locis.

Cap. 18.

Collat. 17. cap. 19.

S. Basilio, Epist. 1. ad Monach. laps.

S. Ephrem, Tom. 1. ser. melius est nubere, &c.

S. Hieronymo, Epist. 48. ad Sabin. Diacon. *reddere.* Hieronymus quoque: *Mos est in Ægypti & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem Monasteriorum Matribus afferant desecandum.* Vide suprà, quæ de eiusdem Hieronymi Monachatu Votisque attulimus. Sed S. Augustino, In Psal. 99. & Augustinus de Monacho apostatâ loquens, *Paucorum*, inquit, *molestiâ irritatus, dum non perseuerauerit implere, quod vouerit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi.* Viderit igitur Melanchton, quàm verè dixerit, Augustini tempore Monasteria fuisse libera collegia, nullis votis adstricta: quod falsissimum mendacium nemo In Psal. 75. meliùs refutauerint, quàm Augustinus ipse, qui præter allata, & hæc habet: *Nemo*, inquit, *positus in Monasterio Frater dicat, recedo de Monasterio; neque enim illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondebitur enim ei: Sed illi non* VOVERVNT, *tu* VOVISTI.

Quidam S. Basilio Votorum inuentionem tribuunt. Atque hæc probant sæculo quinto, æuo nimirũ S. Augustini, Hieronymi, Ephræm, & Basilij in vsu fuisse Monasticam per Vota professionem, quod sanè & illi non grauatè admittent, qui Basilium ipsum votorum faciunt auctorem. Volater. Anthropolog. lib. 21. Raphaël enim Volateranus ait, Monasticam tem *od certam, æqualem, ac mitiorem viuendi formulam primum per Basilium redactam, ac tribus confirmatam Votis, quæ priùs non fuerant:* Et Polydorus Polyd. Vergil. de inuent. rer. lib. 7. cap. 2. Vergilius eidem succinens, de Basilio ait: *Obligauit Monachos legibus, vt post annum, quam quis in collegium venisset, si in eo vellet vitæ instituto permanere, voueret se castè victurum, nihil possessurum, ac dicto Præfectorum D fore audientem, quo se in perpetuum omni suâ abdicaret voluntate. Fuit posteà Basilij decretum ab omnibus receptum.* Sic ille. Sed enim Probatur ea esse vetustiora Basilio, testimonio Vrbani I. vetustiora esse Monachorum Vota, & ab ipsis Christianismi cunabulis vsurpata, non difficultet poterit comprobari. Vrbanus enim I. epistolâ ad omnes fideles: *Quicumq; vestrûm*, ait, *communem vitam susceptam habet, &* VOVIT, *se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suã irritam faciat: sed hoc quod Domino est* POLLICITVS, *fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat: quaniam satius est non vouere, quàm votum prout meliùs potest, non perficere.* Tom. 1. Conc. & 17. q. 1. cap. Scimus. Hæc Vrbanus, qui ipso Vergilio teste, annis 140. Basilium antecessit. Sed & Origenes hortatur homiOrigenis, Homil. 11. in Leuit. nes, vt renuntient mundo, & eius concupiscentijs, *& se totos* DEVOVEANT *Deo, tanquam primogenitos.* Verùm antiquissimum Dionysij Areopagitæ, De Eccles. Hierarch. c. 6. part. 2. pro Monachorum votis testimonium suggerit Dionysius Areopagita, qui *mysterium monastica consecrationis* explicans ait: *Sacerdos ad eum accedens, rogat ipsum primum, an omnibus rebus diuiduis renuntiet, non solùm* A *vitis, verùm etiam imaginationibus. Deinde exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere mediam viuendi rationem superare; qua vbi omnia is qui initiatur continenter professus est* (Græcè, ὁμολογήσαντος) *Sacerdos eum signo crucis consignatum tondet.* Ex quo loco NOVITIATVS. Galen. de orig. Monast. cap. 9. Bellarm. l. 2. de Monach. c. 17. Matthæus Galenus, & Bellarminus Monasticorum votorum antiquitatem comprobant. Iosephus quoque de Therapeutis seu Essenis agens, postquam nonnulla de Candidatorum probatione intexuisset, tandem ad eorum Professionem quasi accedens, B subdit: *Priusquam communem attingat* (Neophytus) *cibum, horribilia ijs præstat* SACRAMENTA: *primumse numen piè culturum, cuique etiam mortalium iustè, quod suum fuerit, redditurum*, &c. Hæc autē *Sacramenta*, quid aliud esse dixeris, quàm vota ab Essenis illis præstita? Quid verò de Apostolis dicemus? *quibus erant omnia communia*; de quibus & Scholasticorum Phœnix, S. Thomas: *Apostoli, inquit, intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relicto omnibus sunt secuti.* Vide porrò quæ LiC bro 1. diximus de Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ statu Religioso. Hos etiam ferit specialis Essenorum Sacramentum. Ioseph lib. 2. de bello Iudaic. c. 7. Et Apostoli Vota edideruut. Actor. 4. S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Tract. 3. disq. 1. &c.

Atque ex his satis comprobata est Monasticorum votorum contra hæreticos antiquitas.

DISQVISITIO II.

Quibus nominibus Votorum nuncupatio insigniri soleat?

VVLGATISSIMVM omnibusque passim notum, Votorum emissionem dici PROFESSIONEM: quo nomine Cassianus vtitur frequenter, vt superiori disquisitione vidimus. Idemque significat Græcum ὁμολογία apud Dionysium Areopagitam. Sic & interpres Clementis Alexandrini: *Qui ex proposito castitatis* PROFESSVS *est vxorem non ducere, maneat cælebs.* Et Basilius ait: *Qui intra reliquorum Fratrum societatem adscriptus, factam iam à se* PROFESSIONEM, *resciderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum* E *peccarit, quem videlicet* PROFESSIONIS *testem adhibuerit, cuique solemni se voto obligarit.* Et Augustinus de Presbytero, qui contra Professionem aliquid sibi teseruauerat: *Ego illum Deo quærebam, Deo societatem* PROFESSVS *erat. Hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret.* Cæsarius Arelatensis: *Magnis viribus defendendum est, magnæ nomen* PROFESSIONIS. Concilium Gangrense: *Si quis propter Deum virginitatem* PROFESSVS, *in coniugio positos per arrogantiam vituperauerit, anathema sit.* Concilium Toletanum IV. *Monachum aut paterna deuotio,* 1. Votorum emissio dicitur Professio. Græcis, ὁμολογία. Clem. Strom. 3. Reg 14. fus. disp. August. ser. 1. de comm. vit. cleric. Cæs. Arelat. hom. 8. ad Monach. Gang. can. 10. Tolet. Can. 48.

NOVITIATVS. Cap. 5.

deuotio, aut propria PROFESSIO *facit.* Hoc sensu B.P.N. BENEDICTVS ait, *Obedientiam conuenire his, qui nihil sibi Christo charius existimāt, propter seruitium sanctum quoad* PROFESSI *sunt.*

II. *Iuramenta & Sacramenta.* Ioseph lib. 2. de bel Iudai. cap. 7.

SECVNDÒ, Iosephus vota Essenorum vocat IVRAMENTA ET SACRAMENTA; nec incongruè, etsi enim differentia sit inter votum, & iuramentum; non modicam tamen Monastica *Professio* cum iuramento habet conuenientiam. Nam iuramentum est inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. In Professione autem, ex S.BENEDICTI præscripto, dicitur: *Promitto stabilitatem,* &c. *coram Deo & Sanctis eius.* Sic & Cassianus: *In hac nuditate, quam coram Deo & Angelis eius professus es.* Illud autem *coram Deo,* iuramento æquiualere Doctores tradunt, aiuntque S. Paulum iurasse, cùm dixit: *Ecce coram Deo quia non mentior.* Quia autem *Sacramentum* (Festo auctore) dicitur, *quod iurisiurandi sacratione interpositâ geritur;* hinc pro militari iuramento & sponsione, quę in baptismo fit, passim à Tertulliano accipitur: *Vocati sumus,* inquit, *ad militiam Dei viui, iam tunc cùm in* SACRAMENTI *verba iurauimus.* Plura loca vide annotata apud Pameliūm. Quia verò & Monachi sub Regulâ & Abbate, Deo militant, & mundo perfectiùs, quàm in baptismo renuntiant, hinc eorum Vota *sacramenti* nomine nonnumquam appellantur. Sic Hieronymus ad Heliodorum: *Recordare tirocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti.* Quæ de religiosâ vitâ Nigronus accipit.

Satis congruè. Cassian. lib. 4. cap 16. Galat. 1. *Sacramentum pro sponsione.* Tertull. lib. ad Mart. cap. 3. Pamel. ad cap. 40. de præscript. *Et Votis sumitur.* Hieron. Epist. 1. Nigron. reg. 4 Soc. num 28.

III. *Renuntiatio.* Ephræm tom. 2. in illud: Attēde tibi, cap. 1. vide & tom. 1. let. de verâ & perfect. renunciat. Part. 2. disq 2.

TERTIÒ, ex eâdem baptismi similitudine Professio vocatur RENVNTIATIO. Sic S. Ephræm: *Non ad vnum dumtaxat diem,* RENVNTIATIO *nuncupatur: sed extendit se vsque ad mortem.* Præmiserat autem: *Ausculta charissime, quia ad Monachatum venisti, & sæculo* RENVNTIARE *elegisti.* Hinc Monachi dicti *Renuntiantes*, vt pluribus ostensum in Catechismo.

IV. *Professio dicitur Pactum.* Ephræm serm. de compunct. tom. 3. Idem tom. 2. serm. 1. Basil. Epist. 1. ad Monach. lapſ. Hieron. Epist. 8.

QVARTÒ, Professio etiam dicitur PACTVM, præsertim ab eodem Ephræm: *Semel abrenuntiasti satanæ & angelis eius, pactus autem es Christo coram multis testibus: at vide cuinam pactus sis, & ne paruipendas: Id porrò noueris, quod Angeli in horâ illâ voces tuas, &* PACTA *tua, abrenuntiationemque tuam descripserint, & in cœlis vsque ad horribilem illum diem conseruant.* Et alibi: *O Monache, nosce atque considera, quæ* PACTA, *quæque vota cum Deo feceris, constitueris que.* Et Basilius: *Ne transgrediaris* PACTA *à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.* Hieronymus quoque ad Demetriadem. *Nunc quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu*

A *inijsti* PACTVM *cum aduersario tuo, dicens ei: Renuntio tibi diabole, sæculo tuo, pompæ tuæ, & operibus tuis,* PACTVM *custodi, ne tradat te tortori.* Et Concilium Eliberinum: *Virgines quæ se Deo dedicauerint, si* PACTVM *virginitatis perdiderint, &c.* S. Fructuosus in Regulâ, iubet probatum Nouitium indui Religionis vestibus, *& annotari in* PACTO *cum Fratribus, vt viuat inter Monachos probatus & ipse Monachus.* Annotari autem *in pacto,* est, professionem Monasticam facere, & posteà subscribere, vt patet ex ipso *Pacto* Re-
B gulæ S. Fructuosi subiuncto, cui ex ordine subscribebant omnes, qui ad Religionem admittebantur; nam ad *Pacti* calcem ita subijcitur:

Cān. 13. 27. q. 1. C. Virgines. Fructuos. reg. cap 18. *Quid annotari in pacto, apud Fructuosum.*

Hæc sunt nomina qui manu suâ vnusquisque subscriptionem, vel signum in hoc Pacto fecit, id est, ille, ille, vel illa, illaque.

Ioannes quoque Damascenus in vitâ Barlaam & Iosaphat monasticam professionem PACTVM vocat, inducit enim Monachum ita loquentem: *Ne diaboli impetus in-*
C *stituti nostri constantiam inflectat, aliterque nobis, quàm* PACTIS *cum Deo à nobis initis consentaneum est, aut sentire, aut facere persuadeat.*

Damasc. cap. 22.

Dicitur autem Professio *Pactum*, quia continet obligationem reciprocam inter Professionem emittentem, & admittētem. Nam vt vouens se tradit Religioni, & obstringit ad manendum in eâ; ita Religio quoque obligat se illi, recipiēdo in filium, & iura reliquorum illi communicando. *Regularis Professio,* inquit Bernardus, *quâ se*
D *iunior sponte submittit Priori, æquè obligat & Priorem, fiuntque duo per vnius sponsionem alterutri debitores; vnus, fidelis curæ; alter, humilis obedientiæ.*

Ratio huius nomenclaturæ. Bern. de præcept. & dispens. c. 7.

V. *Dedicatio, promissio, sponsio.* August. Epist. 45.

QVINTÒ, interdum vocatur Professio DEDICATIO, vel consecratio sui ad diuinum obsequium, interdum *promissio, pollicitatio, & sponsio,* quâ voce Augustinus vtitur: *Nunc,* inquit, *quia tenetur apud Deum* SPONSIO *tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magnâ iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis man-*
E *sisses, si nihil tale vouisses.*

VI. *S. Benedicto dicitur Petitio.* Cap. 58. Ibid. Cap. 59.

SEXTÒ, Peculiare est S.BENEDICTO professionis formulam vocare PETITIONEM: *De Promissione,* inquit, *sua faciat* PETITIONEM *ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam* PETITIONEM *manu suâ scribat.* Et circa finem capitis. *Illam tamen* PETITIONEM, *quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat; sed in Monasterio reseruetur.* Capite item sequente: *Parentes eius faciant* PETITIONEM. Et rursus in fine: *Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter* PETITIONEM *faciant.*

Cur

Quia Nouitius petit se Deo offerre, &c. Cur autem Professio dicitur *Petitio?* Respondet Ioannes Craesbeeck: Quia posito super altari Chirographo, seu chartâ professionis, statim hanc petitionem & supplicationem ad Deum profitens faciat, dicens: *Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum, & viuam;* petens nimirùm, vt ipse Dominus ac Pater, tamquam communitatis præses, in eam se admittat atque suscipiat. Columbanus Vranex: Hæc scedula, loquit, ob hoc potest vocari *Petitio*, quia signum est *petitionis*, & desiderij, quo Nouitius petit & desiderat se Deo offerre & consecrare, ad ipsi in monasticâ vitâ seruiendum. Smaragdus tamen post traditam communem professionis formulam, alium satis lõgum adfert *Petitionis* teoorem, quæ itidem altari imponatur, & perenniter in Monasterio conseruetur. Verùm an illius alicubi vsus fuerit, valdè dubito. Consentiunt enim omnes, & ipse textus arguit, Petitionem apud S. BENEDICTVM significare ipsam professionis formulam; quod & ex precibus in Professioois solemnitate iam olim recitari solitis, facilè colligas. In vnâ enim earum dicitur: *Per intercessionem S.P.N.* BENEDICTI, *& aliorum Sanctorum, ad quorum nomina* PETITIONEM *facit, &c.*

Psal. 118.

Columb. in MS. Comment.

Petitio hæc est formula Professionis.

DISQVISITIO III.

An Professio scripto facienda? & quare?

Veteres non videntur Professioně scripto fecisse. QVID olim in hoc genere factum, non vsquequaq; constat. Dionysius enim Areopagita ait, Sacerdotem mysticâ inuocatione absolutâ accedere Nouitium, & interrogare primum, an *renuntiet diuisibilibus omnibus*, &c. *Vbi verò ista omnia intentè promiserit, consignans eum crucis signo Sacerdos, tondet.* Ex quibus apparet, præter interrogationem Sacerdotis, & Nouitij responsionem promissionemque, nihil aliud adhibitum. S. Basilius quoque de professione agens, scripturæ non meminit, sed ait senteotiæ professionis testes assumendos Ecclesiarum Antistites, quo videlicet per ipsos & sanctificatio corporis, veluti res sacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorum testimonium cõfirmatio. Ad Amphilochium quoque scribens, *Virorum*, inquit, *professiones non nouimus, præterquam si qui seipsos Monachorum Ordini adiudicarint, qui tacitè videntur cælibatum admittere, sed in illis quoque illud existimo præcedere oportere, vt ipsi interrogentur, & euidens ipsorum accipiatur professio.* Vbi taciam & expressam professionem insinuat. De scripturâ autem, nulla mentio.

Dionys. de Eccle. Hierarch. c. 6.

Basil. reg. 15. ex fus. fior.

Idem can. 19.

Existimem proinde S. P. N. BENEDICTVM primum fortasse fuisse, qui professionem scripto fieri mandauerit, ait enim: *Quam petitionem manu suâ scribat, aut certè si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat, & ille Nouitius signum faciat, & manu suâ eam super altare ponat.* Dixi, *fortasse primum* fuisse Legislatorẽ nostrum, quia ante eius tempora insinuari eam, aut supponi video à S. Ephræm. *In die iudicij proferent Angeli chirographum tuum, & verbo oris tui coram formidabili tribunali.* Quamquam videatur de baptismi abrenuntiatione ibi loqui, vt chirographum hoc iotelligi queat, non quòd ipse abrenuntians conscripserit, sed Angeli. Præmiserat enim: *Semel abrenuntiasti satanæ & angelis eius, pactus autem es Christo coram multis testibus: at vide cui nam pactus sis, & ne paruipendas. Id porrò noueris, quod Angeli in horâ illâ voces tuas, & pacta tua, abrenuntiationemque tuam descripserint, & in cœlis, vsque ad horribilem illum iudicij diem conseruât.* Hæc ille. Quæ quidem non arguunt scriptam professionem in vsu fuisse ante S. BENEDICTVM, post quem tamen passim de eâ loquuntur. Nam Climacus suadet Monacho, vt si Magistrum, qui animæ ægritudini mederi nouerit, fortè repererit; eum inquit, *Accede, & auro demissionis & chirographo obedientiæ & tabulis ministerij, & Angelis testibus vende teipsum, & instrumentũ proprij arbitrij & volũtatis pro his lacera & concerpe.* Quamquam & hæc mysticè intelligi queant, vt ad Professionis scripturam magis alludat, quàm eam exprimat. Mirari autem liceat in Ordine Romano, qui liber post S. BENEDICTVM scriptus est, vtpote qui in eo aliquoties nominetur, cùm agitur de *Ordine ad Monachum faciendum*, nullam mentionem fieri scribendæ aut legendæ Professionis formulæ, sed tantùm dici: *Interroget Abbas Nouitium, si propriâ voluntate abrenuntiet mundo, & omnibus quæ sunt mundi: & quod maius est, etiam voluntatibus: & si paratus est ad omnem iniuriam & opprobrium sustinendum pro amore Domini nostri Iesu Christi. Et si omnia ista gratuito onimo promiserit, Abbas dicat illi,* &c. Crediderim tamen passim etiam S. BENEDICTI æuo non neglectam ex scripto Professionis formulæ pronũtiationem. Quam Isidorus Hispalensis requisiuit, qui in Regulâ Monachorum, ita ait: *Omnis Conuersus non est recipiendus in Monasterio, nisi prius ipse* SCRIPTO *se spoponderit permansurum.* Similiter apud S. Fructuosum reperire est scriptum, vt vocat *Pactum*, seu Professionis formulam, sed non eam omnes describebant, verùm iam antea exaratæ subscribebant singuli sua nomina. In Concilio Toletano X. ita statuitur: *Omnes fœminæ venientes ad sacram Religionem, pallio capito sua* conto-

NOVITIATVS.

Fortè S. Benedictus id primus fieri voluit.

Cap. 58.

Dubium an S. Ephræm ritum hunc expresserit.

S. Ephræm serm. de compunct. tom. 3.

Quid de eo Climacus.

Climac. grad. 4.

Mirum, quod Ordo Romanus non meminerit.

Posteriores ex scripto faciendam professioně statuunt.

Isidor. c. 4. Reg. Monach.

Item Concilia.

Conc. Tolet. 10. can. 1. & c. Omnes fœminæ.

NOVITIATVS.

contegant, CONSCRIPTAM, *roboratamque Professionem faciant: post quam* SCRIPTVRAM *non finantur relabi ad præuaricationis audaciam.* Eodem Concilio simile quid de viduis statuitur: *Vidua*, inquit, *quæ sanctæ Religionis propositum obtinere voluerit, Sacerdoti vel ministro ad quem aut ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit*, SCRIPTIS *Professionem faciat, à se aut signo aut subscriptione notatam; continentem se Religionis propositum velle, & hoc perenniter inuiolatè seruare.* Sic ibi.

Can. 4.

Et consuetudo vbiq; inualuit.

Succedentibus deinde temporibus, vniuersali pænè consuetudine receptum, vt Professionis formula ex scripto recitetur: licet id ad eius valorem non videatur omninò necessarium: nam & tacitæ Professiones, si debitè fiant, validæ sunt, & quibuscumque verbis exprimatur professio, si mens obligandi adsit, & auctoritas suscipientis, valida censenda est. Tutissimum tamen est, Regulæ nostræ decretum, & communem sequi consuetudinem.

Rationes huius facti. Prima. *Isid. in reg. cap. 4.*

Quamobrem verò scriptio adhibenda sit, exponit Isidorus Hispalensis: *Sicut*, inquit, *ij qui ad sæcularem promouêtur militiam, in legionem non transeunt, nisi antè in tabulis conscrantur: ita & ij qui in spiritualibus castris cælesti militiæ sunt signandi, nisi priùs professione verbi, aut scripti teneantur, in numerum societatemque seruorum Christi transire non possunt.* Deinde, passim contractus ne partes resilire possint conscribi solent, & in coniugijs dotales conscribuntur tabulæ; cùm autem Professio contractus quidam sit inter profitentem ipsamq; Religionem, animæ quoque cum Deo per vota desponsatio; meritò & illa scripto confirmatur. *Legum enim Ecclesiasticarum*, vt Hincmarus in Concilio apud S. Medardum dixit, *consuetudo & auctoritas talis est, vt in cunctis gestorum semper scripturam requirant.* Tertiam rationem ipse suppeditat S. P. BENEDICTVS, *Vt si aliquando suadente diabolo consenserit, vt egrediatur de Monasterio*, Professionis scedula in Monasterio asseruatâ conuinci possit. Sic & in citato Concilio Toletano X. dicitur: Ideò scripturâ Professionem roborari, vt post eam non finâtur relabi ad præuaricationis audaciam. Addit Smaragdus quartam caussam, vt è Monasterio ciectus, si postliminiò reuerti voluerit, ex chirographo professio facta comprobari possit.

Secunda. — *2. q. 1. cap. Legum.* — *Tertia.* — *Conc. Tolet. 10. Can. omnes fœminæ. 2. q. 1.* — *Quarta.*

Litteras nescit, alium roget.

Notandum præterea, requirere S. BENEDICTVM, vt qui litteras nescit, alium roget, qui pro se Professionis textum describat; quod quidem legibus conforme est, quæ requirunt, vt in testimonijs & contractibus tabellio dicat; *Rogatus & vocatus scripsi hac. C. de testament. L. hac consultissima. C. de Codicillis. L. Finali. ff. de testamentis hæredes.*

DISQVISITIO IV.

Quæ in Ordine S. BENEDICTI *Professionis formula?*

MISIT hanc olim ex Cassinate Monasterio ad Carolum Magnum Theodemarus Abbas, sed alijs omninò verbis, quam vel olim, vel nunc in Ordine vsitata. Ita autem scribit: *Textum quoque promissionis, quo ordine solebant* * *antiquiores Monachi Regulam sanctam in hoc loco promittere, ecce intra hanc epistolam in breui paginulâ exaratam direximus vobis:*

* antiquiores.

Formula Professionis quam Carolo Magno misit Theodemarus.

In nomine Domini promitto me ego [a] *N. in sacro Monasterio Beati Martyris, siue Confessoris* [b] *N. secundùm instituta Beati* BENEDICTI, *coram Deo & sanctis* [c] *eius Angelis, præsente etiam Abbate nostro* [d] *N. omnibus diebus meis in hoc sancto Monasterio amodò & deinceps perseneraturum, & in omni Obedientiâ quodcumque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego* [e] *N. hanc promissionem à me factam manu propriâ coram testibus scripsi, & roboraui.*

[a] ille. [b] ille. [c] Angelis suis. [d] illo. [e] ille talis.

In quâ formulâ non immeritò quis miretur, nullam fieri mētionem *conuersionis morum*, de quâ tamen S. BENEDICTVS promissionem fieri voluit, & omisso nomine *stabilitatis*, hic eius loco promitti, *perseueraturum se omnibus diebus in Monasterio.*

Quid ei desit.

Aliam autem profitendi formulam iam olim vsitatam ante septingentos annos attulit Smaragdus Abbas, quæ ex Regulæ verbis desumpta, hoc modo exprimitur:

Formula Professionis Benedictina ex Smaragdo.

Ego ille in hoc Monasterio sancti N. promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundùm Regulam Beati BENEDICTI, *coram Deo & sanctis eius.*

Quam formulam pænè omnes, paucis immutatis vel additis, sequuntur; eademque est in statutis Carthusianorum à Guigone conscriptis.

Valdè vsitata.

Vallisoletanæ Congregationis in Hispaniâ Patres, qui clausuram promittunt, his verbis vota sua enuociant:

Congregationis Vallisoletanæ Professio Clausuram includit.

Ego Frater N. de tali loco, promitto stabilitatem meam perpetuæ inclusionis, & conuersionem morum meorum, & obedientiam coram Deo & Sanctis eius, secundùm Regulam S. BENEDICTI, *in hoc Monasterio S. N. Ordinis eiusdem Sancti, in præsentiâ Reuerendi Patris F. N. Abbatis.*

De quo perpetuæ inclusionis voto scribit Fulgentius de Ouiedo, obtentum à Sede Apostolicâ per Ioannem I. Castellæ & Legionis Regem, vagarionis Monachorum pertæsum, vt nullus deinceps ad habitum & Reli-

Ouiedo Moral. oper. tom. 1. part. 1. tract. 10. c. 1. q. 1.

Eius initium. & Religionem admitteretur, qui hoc votum non emitteret. De quo exstat bulla Innocentij VIII. quæ incipit, *Inter curas multiplices.* Martinus verò V. & Eugenius IV. votum hoc explicarunt, & in eo qnoad aliquos casus dispensarunt, de qno plura apud eundem legenda Auctorem.

Formula Professionis Cassinensium. Cassinenses pleuissimè ita petitionis formam exprimunt.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno à natiuitate eiusdem M. D. XX. Die N. Mensis N. ego Domnus N. de tali loco, promitto, stabilitatem meam, & Conuersionem morum meorum, & Obedientiam secundùm Regulam Sancti BENEDICTI *coram Deo, & omnibus sanctis quorum reliquia habentur in hoc Monasterio NN. de N. in præsentiâ venerandi Patris Domni N. eiusdem Monasterij Abbatis, vel Prioris, & Monachorum eiusdem Monasterij sub Congregatione Cassinensi, aliàs S. Iustina de Paduâ. Ad cuius rei fidem, hanc petitionem manu propriâ scripsi.* Si nescit scribere, dicat, *scribi feci, die, quo supra.*

Monialium Benedictinarum Reformatarũ quæ Professio. In quibusdam reformatis Monialinm Monasterijs, ea iam pridem profitendi forma recepta est, quæ præter obediẽtiæ votum, etiam exprimat vota Castitatis, & Paupertatis: licet enim hæc sufficienter comprehendantur in formâ à S.BENEDICTO præscripta; quia tamen id non ita omnibus clarum est, non incongruè & illa expressè nominantur. In quibusdam autem Belgij Monialium Monasterijs ab annis aliquot,

In Belgio. hæc quæ sequitur Professionis forma, introducta est.

Ego soror N. votum facio, & Professionem, & promitto Deo omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, SS. Apostolis Petro & Paulo, S. Patri S. BENEDICTO, *& omnibus Sanctis. R.*[mo] *Domino Episcopo N. & tibi admodum R.*[da] *in Christo Matri, ac Dominæ N. huius Monasterij Abbatissæ, & omnibus vobis legitimè successuris, Obedientiam, Paupertatem, Castitatem, mutationem morum meorum, & clausuram perpetuam, sub Regulâ Beatissimi Patris* S. BENEDICTI, *& secundùm Constitutiones huius Monasterij.*

Defenditur. Silu V. Professio Monastica X. Quam profitendi formam variè oppugnatam in suis *Resolutionibus* propugnat Eximius Doctor Franciscus Siluius.

Quia verò Arnoldus Wion, Antonius de Yepez, Hugo Menardus, alijque S. Fructuosum, Braccarensem Episcopum, Ordini S. BENEDICTI annumerant, licet peculiarem habeat Regulam, quam instar Statutorum cum S. BENEDICTI Regulâ pu- *Tract. 7. disq 7.* tant seruatam; & nos priori libro discussimus: lubet hic adscribere, & primùm luci dare Professionis formam, siue quod Regulæ suæ subiecit. *NOVITIATVS.*

PACTVM MONACHORVM.

In nomine Domini, incipit Pactum.

In nomine sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Pactum Monachorum S. Fructuosi hactenus nondum in lucẽ editum. QVod corde credimus, & ore proferimus, credimus Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum ab vtroque procedentem, Filium solùm carnem de Virgine suscepisse, & in mundo pro salute omnium in se credentium descendisse, & de Patre, & Spiritu sancto nunquam recessisse, quia ipse dixit: Ego & Pater vnum sumus. *Et,* qui me habet, & Patrem habet, & qui me videt, videt & Patrem. *Idem verò dixit:* Cœlũ mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. *In Cœlo Angeli totam Trinitatem adorant, & in terrâ Dominus hominibus prædicat, dicens:* Ite, vendite omnia quæ possidetis, & date pauperibus, & venite, sequimini me; *& iterum:* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me. *Et alibi,* Qui plus fecerit patri, aut matri, vxori, filijs, vel omnibus, quę cum mundo transeunt, quàm mihi, non est me dignus: *Et iterum:* Qui non odit animam suam propter me, nõ est me dignus, & qui perdiderit eam propter me, in vitam æternam inueniet eam. *Proinde melius, multoq; melius est, mundum calcare, Christum audire, Euangelium complere, vitam beatam cum Angelis sanctis in æternũ, per omnia sæcula possidere. Proinde diuino amore accensi, ecce, nos omnes, qui subternotãdi sumus, Deo, & tibi Domino & Patri nostro, tradimus animas nostras, vt secundùm edictum Apostolorum, & Regulam, & sicut sancta Patrum præcedentium sanxit auctoritas, vno nos in Cœnobio, Christo præcedẽte atque docẽte, habitemus. Et quidquid pro salute animarum nostrarum, annuntiare, docere, augere, increpare, imperare, excommunicare, secũdùm Regulam emendare volueris, humili corde, deposita arrogantiâ, intentâ mente, desiderioque ardenti, diuinâ gratiâ opitulante, inexcusabiliter, Domino fauente omnia adimplebimus. Quod si aliquis ex nobis cõtra Regulam, & tuum præceptum, murmurans, contumax, inobediens, aut calumniator exstiterit, tunc habeamus potestatem, omnes in vnum congregare, & lectâ coram nobis Regulâ, publicè culpam probare, & flagella sen excommunicationem, secundùm intuitum culpa, vnusquisque*

Margin: *Ioan. 10.* *Ioan. 14.* *Act. 7.* *Luc. 12.* *Matth. 16.* *Matth. 10.* *Id. 16.* *Scopus sæculo renunciantium.* *Tradunt se totos Prælato.* *Promittunt eidem Obedientiam.* *Pœnas statuunt in præuaricatores.*

NOVITIATVS.

*quisque suum reatum coniectus suscipiat. Si quis sanè ex nobis contra Regulam occultè, cum parentibus, germanis, filijs, cognatis, vel propinquis, aut certè cum Fratre secum habitante, consilium te absente, supradicto Patre nostro inierit, habeas potestatem in vnumquemque, qui hoc facinus tentauerit, vt per sex menses indutus tegmine raso, aut cilicio, discinctus, & discalceatus, in solo pane & aquâ, in cellâ obscurâ exerceat quodlibet opus excommunicatus. Quòd si aliquis istam pronâ suâ voluntate noluerit agere pœnitentiam, extensus nudo corpore septuaginta & duo flagella suscipiat, & depositâ veste Monasterij, indutus, quod in introitu exutus est, † scissum notabilis, cùm confusione à cœnobio appellatur, & hoc de viris sine feminis dicimus. Promittimus etiam Deo, & tibi Patri nostro; vt si quis sine benedictione Fratrum, aut tuo imperio, per vitium, ad alia loca ad habitandum, transire voluerit; habeas auctoritatem incautam eius persequi voluntatem, qui hoc tentauerit, comprehensum cum * Sagionibus iudicum ad Regulæ censuram reducere. Et si aliquis eum defendere voluerit Episcopus, vel eius qui sequitur ordo, aut laicus, & tuâ admonitione auditâ, apud se eum retinere voluerit, communicatio illius cum diabolo sit, & participat cum Iudâ Scarioth in inferno, & in præsenti sæculo, excommunicatus permaneat ab omni cœtu Christiano, & nec in finem viaticum accipiat, qui hoc fecerit. Tibi verò Domino nostro suggerimus, quod credi certè nefas est, vt quod Deus fieri non patiatur, aliquem ex nobis iniustè aut superbè, aut iracundè, aut certè vnum diligere, & alterum liuoris odio contemnere, vnum imperare, alterum adulari, sicut vulgus habet; tunc habeamus & nos concessam à Deo potestatem, non superbè, non iracundè, per vnamquamque decaniam Præposito nostro querimoniam inferre, & Præpositus tibi Domino nostro humiliter pedes deosculari, & nostram querelam ad singula pandere, & tu patienter iubeas auscultare, & in communi Regulâ ceruicem humiliare, & corripere, & emendare. Quòd si corripere te minimè volueris, tunc habeamus & nos potestatem cetera monasteria commonere, aut certè Episcopum, qui sub Regulâ viuit, vel Catholicum Ecclesiæ defensorem Comitem, & aduocare ad nostram collationem, & coram ipsis te corripias, & cœptam Regulam perficias, & nos simus discipuli subditi, seu adoptiui filij, humiles, obedientes in omnibus quæ oportet. Et*

In his, carcer, cilicio, pane & aqua.

Etiam expulsio.

Vt puniendi, qui Stabilitatem violant.

* al Saionibus. Et eorum fautores.

Correctio Abbatis subditos iniustè regentis.

Quid agendum, si se non emendaverit.

A *tu demum Christo sine maculâ offeras nos illæsos. Amen.*

Hæc sunt nomina qui manu suâ vnusquisque subscriptionem, vel signum in hoc Pacto fecit, id est, ille, ille, vel illa, illaque.

DISQVISITIO V.

Quàm rectè Professioni præmittatur diuini nominis inuocatio?

EXPLICATVRI deinceps ipsam Professionis
B formulam, ab eo non immeritò ordimur, à quo Cassinenses, alijque Professionis formulam censuerunt inchoandam. Enarrabimus enim quàm rectè illud præmittendum duxerint: *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.* Quod quidem admodum laudabile est, eo ipso enim profitentes soliciti sunt, vt illud Apostoli impleant: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia* IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI *facite.* Quē locum explicans S. Chrysostomus, inquit: *Si ad hunc modum egerimus, nihil erit scelesti, nihil immundi, vbi*
C *Christus inuocabitur. Siue edas, siue bibas, siue nubas, siue peregrè proficiscaris, omnia in nomine Domini Dei facias, hoc est, ipsum adiutorem inuoces, ac tum demum agēda contingas, posteaquam ipsum primum precatus fueris. vis aliquid loqui? Nomen Dei præstrue. Propterea & nos epistolis nomen Domini præstruimus. Vbicumque fuerit nomen Domini, ibi omnia sunt prospera. Si enim Consulum nomina securitatem litteris addunt, multò magis Christi nomen. Vbicumque additum fuerit hoc nomen, cuncta erunt secunda. Si dæmones eijcit, si morbos abigit; mul-*
D *tò magis rerum prosperitatem efficit.* Ita Chrysostomus. Iam olim ergo solemne fuit, epistolis præscribere: *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* Atque ita S. Bonifacius scribens Zachariæ summo Pontifici de proposito ædificandi Fuldense Monasterium, Epistolam incepit: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Reuerendissimo Patri ac Domino dilectissimo, & omni honore venerando Apostolicæ Sedis infulâ dignè sublimato, Zachariæ Papa, Bonifacius exiguus Christi seruus,* &c. Quin & libris eadem epigraphe præfixa legitur. Hinc vetusta quædam Regulæ S. BENEDI-
E CTI exemplaria, ita titulum exprimunt.

In nomine Domini nostri IESV *Christi. Incipit prologus Regulæ Beati* BENEDICTI *Abbatis eximij.*

Quod passim in antiquis MSS. codicibus aliorum etiam Auctorum prænotatum legimus. Augustinus quoque hunc morem non ignorauit. Suos enim de Trinitate libros, ita orditur. *In nomine Domini susceptum opus aggredimur.* Hinc non difficile est iudicare,

In nomine Domini omnia facere, laudabile.

Coloss. 3.

S. Chrysost. in 3. Coloss. homil. 9.

Praxis veterū Christianorum.

Epistolis nomen Domini præstrue-bant.

Et Libris.

August. lib. 1. de Trinit.

Malitia & inscitia eorum, qui ex Instit. Iustinians instulerunt In nomine Domini &c. Ruff. in proœm. Institut. L. 1. C. de off. præf. Afr.

care, quàm benè scilicet fecerint, & quàm periti antiquitatis fuerint ij, qui ex Institutionibus Iustiniani sustulerunt hoc initium: *In nomine Domini nostri Iesu Christi;* quod in omnibus manuscriptis, teste Ludouico Ruffardo, inuenitur. Eademque inscriptio quoque in Codice est, nec non in Pandectis *de Confirmatione Digestorum*, vbi & Græcæ constitutionis Pandectis præpositæ hoc est initium. ΕΝ ΟΝΟΜΑΤΙ ΤΟΥ ΔΕΣΠΟΤΟΥ ΚΑΙ ΘΕΟΥ ΗΜΩΝ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. *In nomine Domini & Dei nostri Iesu Christi.* Idemque lemma leges in Nouella 17. 42. 43. 134. 139. & alibi.

Rerum necessitas ad valorem instrumentorum ... Speculat. §. 1.

Nec desunt, qui horū verborum omissione instrumentum putent vitiari, præsertim vbi de re arduâ instrumentum conficitur. Ita Speculator tit: *de instrumentorum editione*, & Faber in principio proœmij Institutionum. Si enim nomen Imperatoris tabelliones præponere debeant, vt in nouellis dicitur, quantò magis nomen diuinum? & communis consuetudo ita passim obseruat. Bernardus Walterus refert Maximiliani I. cōstitutionem in Coloniensibus Comitijs, Anno Domini 1512. editam, vt in Instrumentis, diuini nominis inuocatio fieri debeat. Quidquid autem sit de iure aut valore instrumentorum, illud omninò certum est, optimè illud præmitti chirographo illi, quo se homo totum, idque in perpetuū diuino obstringit seruitio. Quare etiam S. Fructuosus non infructuosè *Monachorum Pacto*, vt statim vidimus, præmisit: *In nomine Domini, incipit Pactum*, ac deinde: *In nomine sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hinc passim in antiquis diplomatibus ita præscribitur: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Nouella 47. Præscripta à Maximiliano I.

Et sic pleraque monumenta incipiunt.

Lectioni mensæ etiā quidam præmittunt. Erem. constitut. patr. 2. cap. 9.

Atque hæc allata sint pro vsu horum verborum in principio Professionis, quæ nostri etiam quotidie lectioni, quæ ad mensam fit, præmittunt. Eremitæ quoque S. Augustini simile quiddam præscribunt. *Antequam*, inquiunt, *Lector lectionē incipiat, dicat stans in eodem tono: In nomine Domini nostri Iesu Christi benedicti. Amen.*

DISQVISITIO VI.

An Professionis formulæ aliquid subscribendum?

An veteres Professioni subscripserint. Cap. 58.

Conc. Tolet. X. can. 4. cap. viduā 20. q. 1.

SVBSCRIPTIO hæc vsu iam passim suscepta, rariùs aut vix in monasticis Regulis inuenitur præscripta: S. BENEDICTVS enim de eo agens, *qui non scit litteras, ait, alter ab eo rogatus scribat, & ille Nouitius signum faciat.* Quod idem videtur ac subscribere. In Concilio Toletano X. præscribitur, *vt vidua scriptis Professionem faciat à se aut signo, aut* SVBSCRIPTIONE *notatam.* Communi nunc apud omnes vsu receptum est, vt Professionis schedulæ aut nominis, aut crucis subscriptione roborentur. De nominis subscriptione, exemplum legere est in diplomate Ludouici Pij, de Ordine monastico in Monasterio S. Dionysij, per Episcopos eius auctoritate restituto, anno Christi 832. vbi dicitur: *Monachi regularem vitam resumentes, tres chartas conscripserunt, vt vna earum ad caput gloriosissimorum Christi Martyrum fieret, altera regiâ custodiâ asseruaretur, tertiam verò ipsius Monasterij Abbas haberet. In quibus se à beato Patre* BENEDICTO *Spiritu sancto docente scriptam Regulam sunt seruare velle professi: & vnusquisque eorum* NOMEN PROPRIVM, *cùm gradu & Monachi appellatione eisdem chartis subterfirmauit.* Pacto, quod ad calcem Regulæ S. Fructuosi, seu Professionis formula adijcitur, nomina sua *subscribebant* singuli Profitentes, vt iam semel iterumque diximus.

NOVITIATVS.

Vestigia quædam huius ritus.

In diplom. Ludou. Pij anno Chri. 832. apud Sirmondum to. 2. Conc. Gall.

Subscriptiones facta cum signo crucis.

Signum porrò *Crucis* nominis loco subscribere, communissimum est; & ita crediderim intellexisse S. BENEDICTVM. vel saltem eius tempore fuisse vsitatum. Nam S. Remigius illi coæuus testamento subscribens, signum crucis expressit, vt etiam alij Episcopi & Presbyteri, qui eidem testamento subscripserunt, pro vt videre est apud Flodoardum. Et Boërius Professionis formam referens, hanc notam ad finem adiecit: o✝o. Cassinenses id expressè decernunt; *Et propriâ manu faciat Crucem in chartulâ Professionis.* De Carthusianis, testis est Petrus Sutor, in ipsius Professionis calce profitentem signum Crucis depingere consueuisse, nihilque aliud prorsus à quoquam adijci, nisi fortè tempus, quo fit ipsa Professio. Tenuit & ea consuetudo apud Canonicos Reg. Windesemenses, de quâ sic Buschius: *Professionis suæ formam manu propriâ in membrano pergameni conscriptam, paruulâ* CRVCE *in vltimâ rigâ consignatam, singuli Fratres profitentes in facie ecclesiæ, ante summum altare, altâ voce publicè lectam ad altare obtulerunt.*

Flod hist. Remens. l. cap. 18. In Profess. Cassin. in cap. 58. Lib. 1. de vit. Carthusianā cap. 8. Busch. Chron. Windesem. lib. 1. c. 17.

Notanda pro subscriptione cum cruce. I. Instrumentis olim roborandis.

Cuiac. in paratit. in lib. 1. Cod. tit. 8. Balsam. in Can 13. Synod Carth.

Vt autem de Crucis signo subscribentium actis subnotato nonnulla hîc ad antiquitatem illustrandam in medium proferamus: Notandum hîc PRIMÒ, adeò fuisse Christi signum Sanctum (teste doctissimo Cuiacio) *vt in Instrumentis pro fide & subscriptione cederet.* Vnde & Theodorus Balsamon dixit: *Septuagesima secunda Imperatoris Domini Leonis sapientis Nouella statuit, vt quodcumque scriptum, in quo veneranda & viuifica Crucis figura per manum eius, qui ipsum composuit, scripta est, firmum & immutabile maneat.*

NOVITIATVS. II. *Valuit pro nomine subscriptione.* Iustin. Authent. 90. de test.

Notandum SECVNDÒ, solùm signum Crucis aliquando subscriptionis locum subiuisse & explesse, vt manifestum fit ex illo casu, quem Iustinianus Imperator in Bithynia accidisse testatur; *Cùm testatrix nondum absoluto testamento efflasset animã, quidã ex testibus*, illecti proculdubio non exigui quæstus dulcedine, *prehensâ, iam defunctæ manu, & tam in transuersum, quàm rectâ lineâ ductâ effecerunt, vt defuncta veneranda Crucis signum adscripsisse videretur.* Sic & in Synodo Theodonis-villæ à Carolo Magno celebrata, Proceres subscripsisse feruntur, *singuli singulas facientes Cruces.* In chartulâ quoque S. Bonifacij de finibus & terminis Fuldensis Monasterij, data anno Dominicæ Incarnationis 747. Crux subscriptionis vice ponitur hoc modo:

Brovver. Antiq. Fuldens. lib. 1. c. 4.

Signum Bonifacij Archiepiscopi, qui hanc chartam pro notitiâ omnium conscribi iussit.



Signum { Burchardi Episcopi. ✠
Sturmi Abbatis. ✠
Megenhelmi Presbyteri. ✠
Et sic consequenter reliqui. }

III. *Nomini crux præposita, vel subiuncta.*

Notandum TERTIÒ, eos, qui scripto alicui aut decreto olim subscribebant; maioris firmitatis causâ nomini suo signum sanctæ Crucis, vel præposuisse, vel subiunxisse. Huc pertinet subscriptio Pragmatij Episcopi, quæ in Epistolâ Fausti Reiensis inter alias subscriptiones habetur, & est his verbis concepta. *Pragmatius in Christi*

Tom. 4. Biblioth. PP. edit. 3.

A *signo Episcopus relegi & subscripsi.* In testamento S. Remigij, singulorũ nomina Crux sequitur.

IV. *Etiam ab ijs qui alienâ manu subscribebant.*

Notandum QVARTÒ, maximè viguisse vsum formandi figuram Crucis, cùm alienâ quis manu subscriberet, vnde in Codice Iustinianeo præcipitur, vt si ab herede inuentarium faciendum sit: ab eodem subscribatur: sin autem scribere nequeat, id eius loco per tabularium præstetur, proposito ab herede venerabili crucis signo. Lex est ista: *Subscriptionem supponere heredem ne-*
B *cesse est, significantem & quantitatem rerum, & quod nullâ malignitate circa eas ab eo facta, vel facienda res apud eum remaneat: vel si ignarus sit litterarum, vel scribere præpediatur, speciali tabulario ad hoc solùm adhibendo, vt pro eo litteras supponat, venerabili Crucis signo antea heredis manu proposito.* Quare in V. Synodo Constantinopolitanâ, illi qui alienâ manu subscribebant, Crucem ipsimet proponebant, seu protẽdebant. Nam inter subscriptiones ceteras leguntur etiam istæ duæ. *Stephanus Presbyter, & Prior Monasterij de Consta, rogatus subscripsi manu Iacobi Diaconi,*
C *qui scripsit secundùm commissionem meam, & ego protendi propriâ manu meâ venerabilem Crucem. Zoticus Presbyter, & Prior Monasterij S. Andreæ, propè Saturniam portam, rogatus subscripsi manu Marci Presbyteri & Secundarij, me protendente honorabilem crucem.* Atque hæc ex occasione de Crucis figurâ Professioni subiungendâ, quæ magnâ parte ex Iacobi Gretseri Tom. 1. de Cruce hausimus.

L. Scimus C. de iure deliberandi. Idem habetur lib. 35. Eclog. Basil. tit. 14.

Act. 1. tom. 2. Concil. *Idq; decebant crucem protendere.*

Gretf. tom. 1. lib. 2. cap. 26. & 19.

TRACTATVS VI.

DE VOTORVM, QVÆ IN PROFESSIONE EMITTVNTVR, EXPLICATIONE.



IRCVMSTANTIAS *quasdam Professionis expendimus, nunc ipsa verborum forma, & quæ Deo per eam nuncupantur Vota consideranda. Erit igitur* Prima *Disquisitio, Quò referendum illud in Professione, secundùm Regulam* S. BENEDICTI? Secunda, *Quid discriminis sit inter quasdam formulas?* Tertia, *Quid voto Stabilitatis intelligatur?* Quarta, *Quænam illi aduersentur, & non?* Quinta, *Quid morum Conuersio?* Sexta, *Cur in professione non nominetur Paupertas, & Castitas?*

DISQVISITIO I.

Quò illud referendum quod in Professione dicitur: Secundùm Regulam S. BENEDICTI.



ANTEQUAM de singulis Votis in particulari aliquid dicamus, disquirendum videtor, An omnia, an verò solum Obedientiæ Votum afficiat illud, quod in Professionis formulâ dicitur: *Secundùm Regulam* Sancti BENEDICTI. Franciscus Suarez diuersos profitêdi modos, qui à Regularibus vsurpantur, ad duos reducit. Prior, inquit, est in quo fit promissio conuersionis morum secundùm Regulam, vt de Carthusiâ suprà retulimus, & de Religione S. BENEDICTI idem colligitur ex cap. 58. Regulæ. Posterior modus est, promittendo Obedientiam secundùm talem Regulam, & seruatur in Religionibus Mendicantium, & specialiter de Prædicatoribus refert D. Thomas. Ita quidem Suarez. Sed memoria lapsus videtur circa Ordinem Carthusianum. De Professione autem Benedictinâ statim videbimus. Professionis enim formula, quâ Carthusiani vtuntur ex S. BENEDICTI Regulâ desumptâ, talis est: *Ego promitto stabilitatem & obedientiam, & conuersionem morum meorum coram Deo & Sanctis eius, & reliquijs istius Eremi, in præsentiâ Domini nostri Prioris*, &c. vt ipsemet Suarez refert, & patet ex ipsorum Statutis. Et Dionysius Carthusianus ex hoc capite alijs quorumcumque Ordinum suam præfert Professionem. *Diuersi*, inquit, *Religiosi diuersas habent formas suarum Professionum: Communiter tamen promittunt Obedientiam cum quâdam limitatione, videlicet secundum Regulam suam, Porrò Carthusienses videntur in hoc ceteros Religiosos excedere, quòd promittunt Obedientiam absolutè dicendo: Ego Frater N. promitto stabilitatem, obedientiam, & conuersionem morum meorum.* ℞. *Vnde videtur peritis, quòd sicut se habet tale secundùm quid ad tale simpliciter: ita se habeat aliorum Religiosorum Professio ad Professionem Carthusiensium. Idcirco Carthusiensibus S. scripsit Bernardus: Altissima est Professio vestra, cælos penetrat, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non solùm enim promisistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem.* Ita Carthusianus de suâ. Nos verò de nostrâ iam agamus Professione.

Suar. tom. 3. de rel. lib. 10. cap. 7. num. 5.

Regularis duplex profitendi modus.

S. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 9.

Neutrum seruât Carthusienses.

Suarez lib. 6. cap. 1. nu. 3.

Stat. 9. cap. 31. Dionys. Carthus. tract. de Profess. monast. ar. 21.

Qui absolutè promittût Obedientiam.

Bernard. ad fratres de monte Dei.

Ante quadringentos & ampliùs annos B. Aelredus, Rhieuallensis in Anglia Ordinis Cisterciensis Abbas, in suo charitatis speculo, quam proposuimus Disquisitionem contra cuiusdam Monachi Epistolam scribens, excussit, atque ita quæstionem proponit: *Sit*, inquit, *Regulæ corpus, ac Monachi substantia, loci Stabilitas; morum conuersio; Obedientia secundùm Regulam* S. BENEDICTI. *Rogo demus interim dextras, & qualis sit hæc loci stabilitas, hæc morû conuersio, hæc Obedientia diligentiùs inquiramus. Vellem tamē scire vtrum sicut hoc vltimū, ita duo illa priora* SECUNDUM REGULAM, *an simpliciter sine determinatione, Monachum profiteri existimet? Quod nullo modo quæsitu dignū arbitrarer, nisi quosdam comperissem, qui sic se professos dicant, vt scilicet solam Obedientiam secundùm Regulam, duo autem priora non secundùm Regulam, sed sine aliquâ determinatione se promisisse affirment.* Quâ proponēdi formâ satis insinuat, intelligere se illud *secundùm Regulam*, non solam Obedientiam, sed alia etiam probè determinare vota. Ex deductione tamen patet ad solam morum conuersionem ab eo referri, vt ex argumentis patebit, quæ compendio proponemus.

Benedictini quid profiteantur.

Aelred. lib. 1. specul. charit. cap. 35.

Censet Aelredus referri ad solam morum conuersionem.

PRIMÒ igitur sic argumentatur: *Si duo illa priora* (Stabilitas & Conuersio morum) *sine determinatione promittūtur, videtur quòd in Obedientiæ tantùm Professione, à ceteris Regulis Regula discrepet* S. BENEDICTI. *Ergo alia erit Obedientia secundùm Regulam* BENEDICTI, *alia secundùm Regulam Augustini.* Id autem reputat absurdum, quia Obedientia, quam B. BENEDICTUS commendat, debet esse nec tarda, nec tepida, nec tristis, nec murmurans, nec in iniurijs, vel contrarijs lassescens, nec ante mortem deficiens. Sed alia esse non potest secundùm Regulam S. Augustini, vel illa, quâ Clericus Episcopo, Episcopus Archiepiscopo, Archiepiscopus Episcoporum debet Episcopo, ergo nulla erit istarum Professionum diuersitas.

Probat primò, ex voto obedientiæ.

Quæ vbiq; eadem.

Si dicas: Obedientia secūdùm Regulam est, ipsius Regulæ præceptis subdi, quibus aliarum Regularum Professores non sunt obnoxij. Occurrit Aelredus: pręcepta hęc, vel sunt ea quæ de charitate, de humilitate, de patientiâ, ceterisq; virtutibus B. BENEDICTUS disserit, vel quædam alia; sed his virtutum pręceptis non tantùm Canonicus, sed quilibet etiam Christianus est obnoxius, nec alia est charitas, quàm in suâ Regulâ vel BENEDICTUS vel Augustinus commendat, quàm illa, quæ in lege & Euangelio commendatur à Christo; ergo in eo omnes Professiones conueniunt. *In diuersis ergo Regulis præceptorum diuersitas erit, sic vesci, sic indui, sic legere, sic psallere, sic corripere & corripi, & cetera huiusmodi, quæ in diuersis Regulis diuersa inueniuntur.*

Occurrit obiectioni.

NOVITIATVS.

Quæ idcirco vel Augustini, vel Basilij, vel BENEDICTI *specialiter dicuntur, quia non Euangelicâ auctoritate Christianis omnibus imponuntur, sed proponuntur; ipsis autem Regularum Professoribus non iam proponuntur, sed etiam imponuntur.* Si ergo præcepta Regulæ in his commemoratis constant, *& illa quam profitemur Obedientia, monastica sit Professionis substantia, quomodo substantiam monasticæ Professionis seruat, qui illa non seruat?* Vult nimirùm Aelredus inferre, Monachum ex vi voti Obedientiæ secundùm Regulam determinatè, peccare si non seruet omnia præscripta de opere manuum, de panis potusque quantitate, pulmentariorum numero, modo induendi, quantitate vigilandi, lectisternij qualitate, silentij grauitate, lectionis prolixitate, psalmorum modulatiône, ieiunij protelatione, hospitum susceptione, & his similibus. De his enim omnibus, imò pænè solis Regula tota compacta est. Sed hoc dicendum non videtur, cùm in eiusmodi, vt inquit, *dispensationes & mutationes multæ inueniantur: ita vt per plura Monasteria nihil horum per omnia, secundùm quod in Regulis præfinitum est, exerceatur.*

Regulæ præcepta continentur sub Obedientiâ.

SECVNDÒ. De Loci Stabilitate eodem modo argumentatur, aitque omnibus vnam incumbere Stabilitatis necessitatem, *ne videlicet sine eius, qui sibi præest consensu, temerariâ præsumptione locum mutet:* quòd cùm in Canonicis & Episcopis etiam locum habeat, nulla ex hoc capite Regularum erit diuersitas, sed tantùm ex morum conuersione, pro quâ producit,

Secundò, eadem omnibus indicta Stabilitas.

TERTIVM Argumentum: *Si morum conuersionem non secundùm Regulam, sed simpliciter sine determinatione profitemur; hoc & hi, qui in Ecclesiâ dicuntur pœnitentes, hoc ad coniugij portum de fornicationis naufragio fugientes. Quis enim horum non profitetur morum conuersionem? Restat ergo inquirere, quæ sit secundùm Regulam* S. BENEDICTI *morum conuersio? Si autem hic ad virtutes confugimus, vt verbi gratiâ, qui hactenus superbus, deinceps humilis; qui hactenus iracundus, deinceps lenis inueniatur; dicimus profectò, quia hæc morum conuersio, non * tantùm ex Regulâ* S. BENEDICTI *Monachis, quàm ex Euangelio omnibus indicitur Christianis. Proinde vt inter conuersiones morum quæ secundùm Regulas diuersas, diuersæ profitentur; aliqua inueniatur diuersitas, non est quo fugiamus nisi ad illa, quæ sola in diuersis Regulis diuersa constituuntur.* Hactenus quidem Aelredus. In eâdem sententiâ fuisse videtur S. Thomas: *Beatus*, inquit, BENEDICTVS *statuit Monachum profiteri non quidem obseruare Regulam, sed quod profitens promittit conuersionem morum suorum* SECVNDVM REGVLAM, *hoc est dictum, vt secundùm Regulam dirigat mores suos.* Ita Doctor Angelicus.

Tertiò, Regularum diuersitas tantùm ex conuersione morum.

* *forte, tam.*

Quibus fortè faueat S. Thomas. Quodlibeto 1. art. 20.

Sed alia mens S. Bernardo: *Non parum*, inquit, *Prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè* SECVNDVM REGVLAM: *nec aliam, quam* S. BENEDICTI: *vt oporteat eum qui præest, non frena sua laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regulâ sibi scire mensuram, & sic demum sua imperia moderari circa id solùm quod rectum esse constiterit. Proinde si professo secundùm illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundùm Regulam, aut etiam quod non sit secundùm ista instituta: verbi caussa, Basilij, Augustini, Pachomij: quænam mihi, quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi? Solùm quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi. Videtis iam ergo Obedientiæ limites, quos requiritis. Si modus est Obeditionis; tenor Professionis: nec se valeat extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis.* Ita S. Bernardus. Idem innuere videtur ipsa profitendi forma, nam τὸ *Secundùm Regulam* S. BENEDICTI, semper subiungitur post expressionem Obedientiæ, quamuis non negauerim, ad præcedentia etiam referri posse; ita tamen vt ab Obedientiæ voto non excludatur. Et hoc sensu Bernardus Cassinensis dixit; *Monachus non profitetur Regulam, sed profitetur tria secundùm Regulam.*

Alia S. Bernardo mens, Bernard. de præcep. & dispens. c. 7.

qui refert ad Obedientiam secundùm Regulam.

Quæ & alia faciunt.

Bernard. Cassin. in Speculo 1. part. cap. 10.

Neque difficile fuerit ad B. Aelredi rationes respondere. Ad primam enim dicimus, Obedientiam Regulæ S. BENEDICTI differre ab alia cuiuscumque Regulæ obedientia, non quidem in qualitate (Omnis enim debet esse velox, feruens, læta, prompta, & perseuerans) sed in materiâ & obiecto. Cuiusque enim Ordinis Obedientia circa propriæ Regulæ mandata & obseruantias versatur: ex quo capite sufficiens habetur distinctio inter variorum Ordinum Professiones. Quòd enim secundùm Regulam S. BENEDICTI licitè iniungi potest, id non æquè secundùm alias semper licebit. Neque hinc inferri potest, Religiosum ad omnia in Regulâ præscripta sub mortali obligari ex vi voti Obedientiæ (quod præter B. Aelredum etiam sensit Henricus) sed tantùm Regulam, eiusdemque obseruantiam esse materiam (vt diximus) voti Obedientiæ Religiosæ. Sed hoc votum non addit Regulæ obligationem sub peccato mortali, nisi in ipsâ Regulâ vel supponatur, vel exprimatur; addit tamen sub veniali alterius speciei, si Regula ex se, vel ratione materiæ, vel ex intentione præcipientis obliget sub veniali. Ita Suarez.

Respondetur ad rationes oppositas. Primò.

Henricus Quodlibeto 6. q. 17.

Suarez to. 1. de religione lib. 10. cap 7.

Ad se-

Secundò. Ad secundum respōderi potest, nullum esse inconueniens si stabilitas promissa secundùm Regulam S. BENEDICTI, non distinguatur ab eâ, quæ promittitur secundùm Regulam S. Augustini, cùm illud, *Secundùm Regulam*, dicamus determinare solùm Obedientiæ votum. Similiter ad

Tertiò. tertium de morum conuersione dicēdum, eam posse in variis Ordinibus eandem esse. Licet non admodum difficulter discrimen aliquod hîc inueniri fortasse posset.

DISQVISITIO II.

Quid discriminis sit inter hæc: *Promitto conuersionem morum secundùm Regulam*; &, *promitto Obedientiam secundùm Regulam*; ac, *promitto seruare Regulam*; denique, *promitto Obedientiam sub Regulâ*?

I. *Quid sit promittere conuersionem morum secundùm Regulam.* S Thomas Quodlib. 1. art. 20. NON esse hæc omnino eadem, ex plurimorum Doctorū distinctionibus patet. Nam de primo Angelicus Doctor, ait: B. BENEDICTVS *statuit Monachū profiteri non quidē obseruare Regulam, sed quòd profitēs promittit conuersionem morum suorum secundùm Regulam: hoc est dictum, vt secundùm Regulam dirigat mores suos, contra quod facit, si vel ea quæ sunt præcepta in Regulâ, transgrediatur, vel etiam contemnat Regulam, secundùm eam dirigere actus suos omninò recusans.* Sic ibi.

2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. Alio verò loco conuersionem morum, vocat *viuere secundùm Regulam, id est, tendere ad hoc, vt aliquis mores suos informet secundùm Regulam, sicut secundum quoddam exemplar.* Alij dicunt, hoc esse conformari in

Aelred. in speculo charitatis lib. 3. c. 15. moribus Regulæ. B. Aelredus *conuersionem morum secundùm Regulam* S. BENEDICTI intelligit idem esse, ac seruare illas obseruantias, quæ Regulæ S. BENEDICTI sunt peculiares. Nimirùm, *sic vesci, sic indui, sic legere, sic psallere, sic corripere & corripi, & cetera huiusmodi, quæ in diuersis Regulis diuersa inueniuntur.* Vnde ad hæc vi professionis Monachum sub mortali obligari, nisi intercedat dispensatio, concludit.

II. *Quid Obedientia secundùm Regulam.* Quod spectat SECVNDVM, *Promittere obedientiam secundùm Regulam*, auctore S. Thoma, est ita vouere, vt Professioni non contrarietur, nisi id quod est contra præceptum Regulæ: transgressio verò, vel omissio aliorum obliget solùm ad peccatum veniale. Alij dicunt hoc votum solùm esse obediendi Prælato, addi autem *secundùm Regulam*, ad designandum terminum,

Palud. in 4. d. 38. q. 3. art 4. Palat. ibid. disp. 1. intra quem possit Prælatus præcipere, non autem promitti his verbis ipsius Regulæ obseruantiam, hunc sensum indicat Paludanus, & Palatius.

NOVITIATVS. III. *Promittere Regulam, quid.* Quodlibeto 1. art. 20. TERTIVM, *Promittere seruare Regulam* (quod faciunt Fratres Minores in Ordine S. Francisci) ex mente S. Thomæ videtur idem esse, atque *obligare se voto ad singula quæ continentur in Regulâ*. Hanc autem profitendi formam vocat *periculosam*: cautiorē verò illam quæ promittit *conuersionem morum secundùm Regulam*; cautissimam verò & securissimam profitendi formam esse, quâ promittitur obedientia *secundùm Regulam*; *vt fit*, inquit, *in Ordine Fratrum Prædicatorum*. Idemque nos superiori Disquisitione de S. BENEDICTI Ordine probauimus. Sequitur has distinctiones S. Antoninus, & secundùm eas ait Religiosos arctiùs vel leuiùs obligari.

Antonin. 3. part. tit. 16. c. 1. §. 4.

Suarez to. 3. de Relig. lib. 10. cap 7. *An illæ formulæ æquiualeant.* Suarez tamen ait, si tres illę formulæ attentè considerentur, esse æquiualentes, & Regulam in quâcumque illarum distinctionum esse materiam voti obedientiæ: nullus enim est Religiosus, qui non existimet eo modo, quo obligatur per Regulam, obligari ratione obedientiæ quam promisit. Vnde etiamsi quis dicat, promittere se conuersionem morum secundùm Regulam, vel obedire iuxta Regulam, in neutrâ formâ excluditur à materiâ voti obedientiæ actus ipse præcipiendi per Regulam: nullum enim præceptum magis est secundùm Regulam, quàm ipsamet Regula, cui mores suos conformare, cui obedire subditus iubente Superiore tenetur eâdem obligatione, quâ obligat Regula in illâ materiâ. Potissima verò difficultas videtur esse in eâ viuendi formâ, quâ promittit Religiosus se seruaturū Regulam. Talis enim videtur ex præcepto obligari ad singula, *Sunt diuersæ.* quæ continentur in Regulâ, vt in primo Quodlibeto dicebat S. Thomas. Verùm in

S. Thom. 2. 2. q 186. art 9. ad 1. Summâ Theologicâ aliter ipsemet loquitur, dicens: *Ille qui profitetur Regulam, non vouet seruare omnia quæ sunt in Regulâ, sed vouet Regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus votis.* Multò autem id fiet euidentius, si formam profitendi Fratrum Minorum, ex S. Francisci Regulâ nonnihil explicauerimus. Ipse enim B. Pater ita Regulam exorditur: *Regula & vita Minorum Fratrum hæc est: scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientiâ, sine proprio, & in castitate.* Capite verò secundo ait: *Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & REGVLAM OBSERVARE.* Concludens verò Regulam, *Sanctum Euangelium*, inquit, *quod firmiter promisimus, obseruemus.*

Declaratur ex Regulâ Minorum.

Qua videtur obligare ad obseruādum Euangelium. Ex his videri posset Minores obligari ad omnia, quæ in Euangelio & Regulâ S. Francisci præcipiuntur, vel consuluntur: Et quidem Angelus Tancredus arbitratur Tancred.

Mmm 4 eam

NOVITIATVS. citatus à Cypriano Croesers in cap. 1. Reg. S. Francisci lect. 1.

eam fuisse S. Patris mentem, refert enim quosdam miuistros ex primâ Regulâ deleuisse hæc consilia Euangelica: *Nihil tuleritis in viâ, neque peram, neque calceamentum*, &c. rursus: *Qui voluerit à te tollere tunicam, dimitte ei & pallium*: & alia eiusmodi, quæ nunc non habentur in Regulâ. Vt hac ratione ab eorum obseruautia forent expediti. Quod vbi resciuisset S. Pater, Ministri, inquit, Deum falli posse cogitant, tollendo è Regula, quod Deus in eâ esse voluit, quodque ipsi Domino promiserunt, vt igitur sciant omnes Regulæ persecurores, se frustrà id tentare, eosque perfectioni Euangelicæ astrictos manere, volo tam in initio quàm in fine Regulæ scribi, quòd Fratres teneantur Euangelium obseruare. Hæc Angelus Tanaredus. Summi tamen

Pontifices aliter declararunt.

Pontifices, Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Nicolaus III. Clemens V. interrogati de hâc quæstione; negatiuè responderunt. Videlicet ad illa, quæ non habentur in Regulâ, non obligari Fratres.

Decretal. 6. de verb. Signif. cap. Exiit.

Quia, vt ait Nicolaus III. non absolutè, sed cum quâdam modificatione seu determinatione voluit S. Franciscus obseruari Euangelium, nimirùm *viuendo in obedientiâ, sine proprio, & in castitate*, ad quæ tria Euangelij obseruatio modificatur & restringitur.

Nicolai III. in hoc interpretatio.

Deinde, quia S. Franciscus nonnulla subnectit *præcipiendo, prohibendo, consulendo, monendo, hortando*, quòd non faceret, si ad omnia obligaret sub præcepto. Tertio, si quis diceret: *Promitto S. Euangelium obseruare: promissio huiusmodi ad alium intellectum absque intentione promittentis non deberet restringi, nisi vt obseruantia Euangelij sit sicut tradita reperitur à Christo: videlicet, quòd præcepta vt præcepta, & consilia vt consilia à promittentibus obseruentur. Quem intellectum etiam in eisdem verbis habuisse B. Franciscus, in ipsâ Regulâ patenter ostendit: cùm aliqua Euangelica consilia inducat vt consilia, sub verbis monitionis, exhortationis, & consilij; nonnulla verò sub prohibitione ac verbo præcepti.* Vnde declarat idem Pontifex, fratres ex Professione ad ea tantùm Euangelica consilia astringi, quæ in ipsâ Regula præceptoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur. Hæc Nicolaus Pontifex.

Quomodo simul conueniunt tres dictæ formulæ. Sanchez to. 2. in Decalog. lib. 6. cap. 4.

Ex quibus apparet ferè idem esse, promittere obseruare Regulam, & promittere obedientiam vel conuersionem morum secundùm Regulam, atque ita etiam post alios asserit Sánchez, qui hanc ponit conclusionem: Religiosi non ità ex voto obedientiæ tenētur Regulas seruare, vt transgressio cuiusvis sit culpa mortalis, aut venialis, sed obligantur ad res in Regulâ contentas eo modo, quo in ipsâ continentur: nempe si continentur tamquam præcepta obligantia sub mortali, tenentur sub mortali; si solùm vt obligantia sub veniali, tenentur sub veniali; si solùm vt consilia sub nullâ culpâ obligantia, ad nullam quoque culpam obligabuntur. Et ratio est: quia Religiosus promittens seruare Regulam, vel obedientiam secundùm Regulam, non promittit singula in particulari, & collectiuè; sed solùm, mores suos iuxta Regulæ præscriptum componere, seu obedire secundùm Regulam. Ergo eodem modo intelligitur obligari, quo Regula præscribit & obligat, & aliàs periculosissimus esset, ac multis passim peccandi ruinis expositus religiosus status, cùm multa munitiora in Regulis præscribantur, quæ facillimum est transgredi.

IV. *Benedictina Reformata legitimè promittunt Obedientiam sub Regulâ.* Sylu. Res. var. V. Profess. monast. 2.

De QVARTO notandum, Sanctimoniales quasdam Ordinis nostri in Belgio Reformatas solitas promittere *Obedientiam*, ceteraque Vota *sub Regulâ* S. BENEDICTI, vt testis est Franciscus Syluius: pro quâ clausulâ, cùm ad Sedem Apostolicam Constitutiones earum approbandæ fuissent transmissæ, Eminentissimi Cardinales responderunt: *Sub Reformatione* B. P. BENEDICTI. Afferit porrò idem Doctor, secundùm rem parùm aut nihil differre, vouere viuere *sub Regulâ*, aut *secundùm Regulam*: sicut eadem sunt promittere viuere *sub* lege Christi, & *secundùm* legem Christi. Hoc enim quod dicitur *sub* lege, importat obligationem viuendi *sub* lege, tamquam *sub* Regulâ, & *secundùm* eam. Quomodo enim quispiam potest teneri viuere *sub* lege Christi, formaliter & propriè loquendo, si non teneatur viuere *secundùm* eam? Quod probatur ex confirmatione Regulæ Fratrum S. Hieronymi anno 1415. in quâ Gregorius XII. ait Prædecessorem suum eis concessisse, vt vitam ducere possint *sub Regulâ* secundùm Constitutiones S. Hieronymi; ac denique vt valeant regularem Professionem iuxta Regulam & Constitutiones huiusmodi emittere. Et posteà de quibusdam dicit, quod secundùm Regulam & instituta præfata regularem professionem emiserant. Et ex ipso Legislatore nostro confirmari potest, qui ait Cœnobitas militare *sub Regulâ vel Abbate*, vultque dici Nouirio: *Ecce lex sub quâ militare vis.* Et: *Sciens constitutum, qui a non liceat collum excutere de sub iugo Regulæ.* Proinde qui ita sub aliquâ viuunt Regulâ, vt non viuant secundùm illam, materialiter tantùm viuunt sub eâ, non formaliter. Nam hoc ipso quo non viuunt secundùm illam non obediunt illi, atque adeò non viuunt tāquam sub illâ existentes; sicut mali Christiani non viuunt formaliter & propriè sub lege Christi,

Probatur.

Reg. cap. 1. Cap. 58.

Christi, quando non seruant præcepta legis Christi.

DISQVISITIO III.

Quid voto Stabilitatis significetur?

[*Quid in Regulâ S. Benedicti Stabilitas.*] PRIMVM inter Monasticæ Professionis vota locum obtinet STABILITAS, velut fundamentum quoddam, & solida atque immobilis petra, cui vniuersa religiosæ conuersationis exercitia superædificantur: Quid autem illa sit, meritò hîc inquirimus. [Bern. Cass. Spec. part. 2. cap. 2.] Bernardus Cassinensis: *Stabilitatem*, ait, *intelligere possumus, prout hîc eam accipimus, quandam mentis perseuerantem constantiam: quâ soli Deo inhærere nitimur; prosperitates & aduersitates, vt in medio earum positi, æqualiter contemnentes.* [*Latè quidã accipiunt pro perseuerantiâ.*] Quæ quidem virtutis *Stabilitatis*, siue perseuerãtiæ, vt ad omnes spectat, videtur esse descriptio; qualis & illa Dionysij Carthusiani [Carthus. lib. de Prof. monast. art. 3.]: *Stabilitas, per quam principaliter ac directè intelligitur perseuerantia, est virtus, per quam homo firmiter proponit permanere in actibus bonis, vsque in finem, & in eisdem finaliter perseuerat. De quâ Saluator* [Matth. 24.]: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Verùm Cardinalis Turrecremata [*Alij pro statu religioso, vt permaneat.*] propius accedens, & hoc nostræ professionis votum explicans, ait [Turrecre. Tract. 127. in reg. S. Bened.]: *Per Stabilitatem adstringitur Monachus, quòd nullo modo deserat Monachatum, nec sine necessitate, & Superioris auctoritate, exeat monasterium.* Antonius Perez [Perez in cap. 58.]: *Stabilitatis* nomine status cum permanentiâ intelligitur. Quocirca *Stabilitas* secundùm Regulam approbatã, idem est ac status religiosus. Et Columbanus Vranck [Columb. in MS. comment. serm. 37.]: *Stabilitas*, inquit, non sumitur hîc pro constantia quâ quis perpetuò retinetur in vno & eodem Religionis loco, sed quâ quis perpetuò Religionem & vitam satagit retinere monasticam. Haud absimili modo *Stabilitatem* explanat Ignatius Balsamon [Balsam. Instr. de perfect. religi. med. 3. de votis.], qui sic loquitur: Voueo primo *Stabilitatem*, id est, in finem vsque perseuerare, viuere ac mori in hâc vocatione, ad quam tibi me immeritum solâ tuâ benignitate placuit vocare.

[*Explicatur Stabilitas ad mentem S. Benedicti.*] Quoniam autem primus omnium, quod sciam, vouendæ *Stabilitatis* meminit S. BENEDICTVS, ex illius verbis & praxi eam conabor explicare, nam de Nouitio agens, ait [Cap. 58.]: *Suscipiatur in Congregatione, sciens lege regulæ constitutum, quòd ei ex illâ die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit recusare aut suscipere.* Quibus verbis *Stabilitatis* votum quasi explicauit; nam mox subiungit: *Suscipiendus autem, in Oratorio coram omnibus promittat de* STABILITATE *suâ*: de quâ scilicet immediatè iam dixerat. Duo igitur hoc *Stabilitatis* voto includuntur. [NOVITIATVS. *Includit perseuerantiam in monasterio.*] Prius est, quòd non liceat egredi de Monasterio, siue vt in Prologo ait: *Vsque ad mortem in monasterio perseuerare.* Vnde Officinam bonorum vocat [Cap. 4.] *claustra Monasterij & Stabilitatem in Congregatione.* Posterius, non *excutere collum de sub iugo Regulæ.* [*Et Obedientiam.*] Contra quod facit, qui, vt alibi loquitur [Cap. 62.], talis fuerit *contumacia, vt subdi, aut obedire Regulæ nolit.* Vtrumque autem hoc *Stabilitatis* voto comprehendi, non tantùm ex suprà citatis elicitur verbis, sed ex eo quoque confirmatur, quòd agens de Clerico [*Probatur ex Legislatoris verbis.*] suscipiendo, duo hæc similiter coniungat, dicens [Cap. 60.]: *Si promittit de obseruatione Regulæ, vel propriâ* STABILITATE. Et sic votum hoc intellexit Petrus Walloncapellius [Walloncap. lib. 1. Inst. Monast. cap. 2.]. Obligantur, inquit, omnes Monachi *Stabilitatis* voto, ad perseuerandum vsque ad mortem in Religione, sub obedientiâ Prælati, ac Regulæ suæ obseruatione. Hęc enim indiuisibilia sunt. [*Ex S. Bernardo.* Bern. Epist. 7.] *Sic te stabilem*, inquit Bernardus, *in loco exhibeas, vt Abbati subiici non contemnas, & sic obedias subiectus Abbati, vt Stabilitatem loci non amittas.* Hæc ille. Adam [*Et alijs in hâc sententiâ.*] quoque Præmonstratensis agens de *Stabilitate* in loco, requirit perseuerantiam in opere bono, siue morum conuersionem, & [Adam lib. de Profess. eius serm. 6. & 8.] perseuerantiam, vt in eo quis maneat loco, in quo se Deo seruiturum promiserit. Et ex eodem Ordine Seruatius Lairuelz [Lairuelz Catech. Nouit to. 1. lect. 112.]: Votum, ait, *Stabilitatis* in loco nihil aliud est, quàm votum perseuerantiæ in loco professionis, quamdiu perseuerantia illa conuersioni morum, vel perfectiori vitæ non obest, vel obedientiæ non repugnat. Sic ille: & rectè omnino. Nam, vt Bernardus [Bernard. de præcep. & disp. cap. 10.] ait: *Stabilitatis pactum non præscribit his quæ in professionis serie sequuntur, morum scilicet conuersioni, & obedientiæ secundùm Regulam.*

[*Obiectio.*] Obiicies: Si *Stabilitatis* voto comprehendatur subdi & obedire Regulæ, iam vnum eâdem professionis formulâ bis promittetur. Semel, cùm dicitur; *Promitto Stabilitatem*: iterumque cùm dicitur; *Et obedientiam secundùm Regulam.* [*Responsio.*] Respondetur, non esse inconueniens, vt quod generali Obedientiæ ambitu continetur, specificè, & veluti per partes explicetur. Et fatetur Walloncapellius [Wallon. cap. suprà cap. 2.], *Stabilitatem* & conuersionem morum includi Obedientiâ denotâ secundùm Regulam: adeoque ad hæc teneri etiam eos, qui expressè ea non sunt professi. Nam qui secundùm Regulam obedit, vt sanctè quisque Monachus promisit, vtique perseuerabit in Religione, nec septa monasterij sine licentia Superiorum suorum exire, nec alia huiusmodi, quę voto *Stabilitatis* prohibentur, audebit. [*Stabilitas non distinguitur ab Obedientiâ secundùm Regulam.*] Deinde sæculariter in cœnobio non viuet, sed mores suos reformabit ad pręscripta Regu-

Landmet. com in reg. S Aug. c.4. n.17.

In bullâ quæ incipit. *Ad vberes.*

Regulę suæ. In eâdem mente & sensu est Laurentius Landmeter, qui ait: Neque censendum est votum hoc distinctum ab obedientia secundùm Regulam: siue promittatur *Stabilitas* simpliciter, siue *Stabilitas* in loco. Quòd confirmat ex verbis Lucij II. dicentis: *Fratrum, qui stabilitatem & Obedientiam in loco promiserunt.* Vbi euidenter *Obedientia in loco, Stabilitatis in loco* periphrasis est, & interpretatio. Non est ergo in formulâ Professionis, *Stabilitatis in loco* votum peculiare: sed est voti obedientiæ quædam modificatio, inquit idem.

Quare S. Benedictus peculiariter hoc votum expresserit.

Ad coërcendos cursus Monachorum.

Sed enim, dicet aliquis: Si omni Ordini hoc commune, cur peculiariter S. BENEDICTVS hoc voluit exprimi? Respondere liceret, hac ipsâ caussa forsan expressum, ne quod omnibus commune, ab eo videretur præteritũ; sic enim & obedientiam, sine quâ status religiosus non subsistit, expressè nominauit, licet omnibus Ordinibus eius votum competat. Sed meliùs fortasse responderi poterit, eam *Stabilitatis* formam, quam S. BENEDICTVS præscripsit, ante eius tempora non vsquequaque fuisse in vsu, vt proinde necessarium etiam fuerit de illa legem condere, suosque ad eandem voto obstringere discipulos. Constat enim ante Legislatoris nostri tempora, ipsiusque æuo consueuisse Monachos, si ampliùs in monasterio permanere nollent, etiam post professionem, ad aliud se conferre cœnobium; idque impunè, ita vt à Superioribus non requirerentur, aut, vt nunc fit, carceribus includerentur. Sic Malchus Monachus ab Abbate abeundi licentiam petiuit & impetrauit. Sic Ioanni Calybitæ facta copia monasterium deserendi, & parentes adeundi. Sic latro quidam Monachus effectus, sumptis vestimentis sęcularibus, cum veniâ Abbatis sui exiuit è monasterio, in quo nonem iam annis vixerat, & venit Diospolim, vt pluribus refert Pratum spirituale. Ita Chronius presbyter apud Palladium, de seipso ait: *Cùm essem iunior ab initio, & propter angorem animi ac tristitiam fugerem de Monasterio mei archimandritæ, errans perueni ad montem S. Antonij.* Vbi receptus in disciplinam ab Antonio, non legitur reprehensus, de priore monasterio deserto. Sic in Regulâ S. Macarij, & in Regulâ à SS. Patribus prolata præscribitur, *vt qui de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat, sed in notatissimo vestimento discedat.*

Qui olim impunè locum mutabant.

Hieron. in vit. Malchi. Metaphras. apud Sur. 14. Ianuar.

Prat. spirit. cap 166. Lausiac. cap. 25.

Reg. Macar. Reg. à Patr. prolata cap. 10.

Ipse S. Pater Monacham abire permisit. Greg lib 2. Dialog. cap. 25. Comment. cap. 25. n. 1.

Vt verò ad S. BENEDICTVM veniamus, manifestum est, & illum Monacho abitum importunius efflagitanti discedendi copiam fecisse, licet obuio dracone territus, & præpeditus fuerit, quod expensum in *Commentario ad eius vitam.* Voluit & Legislator noster, post professionem *vestimenta sæcularia asseruari in vestiario, vt si aliquando,* inquit, *suadente diabolo, consenserit, vt egrediatur de Monasterio (quod absit) tunc exutus rebus monasterij proiiciatur.* Iam & illud manifestum est, Monachos peregrinos de longinquis prouinciis superuenietes, cùm aliquanto tempore instar hospitum in monasterio essent diuersati, & iam se aliquousque Abbati & Religiosis probassent, si vellent posteà *Stabilitatem* suam firmare, non tantùm non fuisse repulsos, sed ex Regulæ præscripto susceptos; quæ etiam vult eis suaderi, vt ad aliorum exemplum permaneant, quos etiam permittit superiori aliquantulùm loco constitui. De notis autem Monasteriis vetat Monachum suscipi absque consensu Abbatis, & litteris commendatitiis.

Cap. 58.

Cap. 61. *Peregrinos quoq; Monachos admittendos decreuit.*

His igitur vigentibus consuetudinibus, & cùm insuper esset Monachorum quoddam genus, quod nominatur Gyrouagum, *qui totâ suâ vitâ per diuersas prouincias, & diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & nunquam stabiles;* voluit Beatissimus Pater omnia hæc pericula & scandala à grege suo præscindere. Ideoque certam *Stabilitatis* formam professionis voto à singulis roborandam prudentissimè induxit: vt nimirum non tantùm præcluderet eis aditum redeundi per apostasiam ad sæculum; verùm etiam ne ad alia transmigrarent monasteria, nisi eo modo, quo id Regula indulget, & in Ordine fieri consueuisset. Hinc quoque cùm austeritatis metu, atque ob nimium plerumque rigorem ad locorum mutationem Monachi soleant tentari, prudentissimè quartum humilitatis gradum in eo constituit, vt *in ipsâ obedientiâ duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis, tacitâ conscientiâ patientiam amplectatur: & sustinens non lassescat vel discedat, dicēte Scripturâ: Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Vult ergo ad humilitatē spectare, oblatis difficultatibus non discedere, sed stabiliter perseuerare.

Cap. 1.

Apostasia, & transitus ad alium locum sine caussâ Stabilitate cauentur.

Cap. 7.

Math. 10.

DISQVISITIO IV.

Quænam promissæ Stabilitati *non aduersentur, vel eidem contraria sint?*

EXPLICANDA nunc paulò planiùs pleniusque ea, quæ S. BENEDICTO dicitur STABILITAS IN CONGREGATIONE, quâ deuotâ, sciat Monachus *lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illâ die non liceat monasterio egredi.* Videri enim queat perpetua promissa clausura, omnisque abdicata è monasterio egressio. Hoc autem non ita se habere, satis constat. Quare:

Cap. 58.

Egredi liceat Monasterio variis de caussis.

Notan-

I. *Ad vitam Anachoreticam excedendam.* Cap. 1.

Notandum PRIMO, non obstante Stabilitatis voto, licitam esse migrationem à cœnobiticâ ad eremiticam vitam. Quod ipse S.P. insinuat, dicens: Anachoretarum siue Eremitarum genus esse eorum, *qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturnâ, didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare: & benè instructi fraternâ ex acie ad singularem pugnam eremi descendunt.* Cuius quidem ea est ratio, quòd qui se inferiori obstrinxerit bono, neutiquam censeatur ad superius meliusque aditum sibi præclusisse, aut limites præscripsisse Spiritui sancto, quin eius ad meliora instinctibus licitè possit obedire. Et eodem hoc titulo licebit petitâ saltem veniâ ad strictiorem Ordinem, aut eiusdem etiam Ordinis strictiorem obseruantiam transire, de quo alij pluribus.

II. *Ad propagationem Ordinis, & condendam, vel reformanda cœnobia.* *Huius rei exempla.* Benedictina cap. 14.

SECVNDÒ, licita quoque cum facultate Superiorum egressio ad Ordinis propagationem, & nouum erigendum monasterium, aut vt collapsa disciplina in fundatis iam cœnobiis instauretur. Côstat enim S. BENEDICTVM è Cassinate Monte S. Maurum in Galliam, S. Placidum in Siciliam, vtrumq; cùm Monachorum plurium comitatu, aliosque aliò transmisisse. Atque ea omnium, ni fallor, Ordinum iam pridem recepta, hodieque perseuerans est consuetudo. Et Benedictus XII. statuit, vt in Monasteriis in religione, vel regulari obseruantiâ collapsis, *si per Monachos eiusdem monasterij verisimiliter reparari non posit; auctoritate Apostolicâ assumantur de alio monasterio (in cultu eiusdem religionis viuente) Monachi idonei: & ad dictum monasterium lapsum patiens transmittantur, per quos lapsus huiusmodi reparetur. Illi autem Monachi, ob quorum culpam alij transmittentur ad monasterium sic collapsum, in dicto monasterio, de quo alij assumpti fuerunt, vel in diuersis aliis monasteriis religione vigentibus, vbi eorum conditio valeat reformari per præsidentes eosdem, prout expeditius fuerit, eadem auctoritate Apostolicâ collocentur.*

III. *Monachi cum venia Prælati licitè exeunt ad negotia.* Cap. 66.

TERTIÒ, quamuis S.P. Monasterium ita voluerit construi, *vt non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omninò non expedit animabus eorum;* ex ipsâ tamen Regulâ docemur, licitè quandoque Fratres posse egredi. Hinc caput L. est, *De fratribus, qui longè ab oratorio laborant, aut in viâ sunt.* Cap. LI. *De fratribus, qui non satis longè proficiscuntur.* Et cap. LXVII. *De fratribus in viâ directis.* Quod ne putetur fuisse valdè rarum, voluit, *Semper ad Orationem vltimam operis Dei commemorationem omnium absentium fieri.* (Cap. 67.) Quin & ipse sanctissimus Pater Monachos suos ad Sanctimoniales cuiusdam vici non longè à monasterio, *pro exhortandis animabus crebrò mittere solebat,* quò & ipsum iuisse certum est: cùm *non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu eius exhortatione conuersa sit.* Cum Superioris ergo veniâ, licet nostris ad negotia quæcumque: atque etiam ad recreationes, siue pro conseruandâ, siue pro recuperandâ sanitate, monasterio exire. Vnde & S. Basilius cùm præscripsisset: *Quòd neque frequenter, neque temerè extra monasterium exire Monachus debeat,* subdit: *Neque verò propterea perpetuò est tanquam in custodiâ permanendum: sed quandocumque & res poscit, & conscientia non reprehendit, liberè est fidenterq; prodeundum.*

NOVITIATVS. Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 19. *Etiam ad recreationes.* Basil. const. Monast. cap. 8.

IV. *Ad generale Studium,* Benedictina cap. 7. *& Apostolatum, cuius & in Anglia hodie fructus.*

QVARTÒ, ex *Benedictinâ* constat, Monachos posse mitti ad generalia seu solemnia studia, quod omninò fieri Pontifex mandat. Ex historiis in Ordine nostro vsitatum fuisse discimus, vt ad prædicandû & euangelizandum gêtibus Monachi nostri transmitterentur; cuius fructum tot iam regiones sibi in Domino gratulantur; hodieque etiam floret Missio Anglicana, è quâ nonnulli recêter non verbo tantum, sed etiam profuso sanguine, illustre testimonium veritati dederunt.

V. *Ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium.* *Quæ fuit primorum Cistertiensium praxis.* Henriq. not. ad Menol. Cist. 6. April.

QVINTÒ, Neque inusitatum in Ordine nostro, Religiosos ex vno monasterio in aliud transmittere, siue vt ibidem aliquo fungantur officio, siue vt Nouitiatum peragant, aut studeant, siue vt ibidem simpliciter degant. Quod commune potissimum fit monasteriis, quæ in vnum Congregationis corpus redacta, vt membra sibi inuicem succurrunt: quamuis singuli certo in loco suam firmauerint Stabilitatem. De Ordine Cistertiensi scribit Chrysostomus Henriquez: primis illius Ordinis Patribus id fuisse in vsu: nam sæpe Monachos suos ad diuersas & dissitas orbis partes mittere consueuerunt. Imò tunc temporis nullum certum aut firmum locum habebant, sed modò in Galliâ, modò in Italiâ, modò in Noruegiâ conuersabantur, & ad nutum Superiorum mittebantur, remittebantur, & reuocabantur. Patet hæc praxis ex eo, quod S.Bernardo accidisse refert Cesarius. Cùm enim vir quidam diues & nobilis ei dixisset: *Domine si nô me terreret illa consuetudo, quam intellexi esse in Ordine vestro, scilicet quod venientes ad vos, indifferenter ad diuersas mittitis regiones, ego me vobis redderem in continenti.* Vir Sanctus respondit: *Ego sub conditione te non recipiam.* Idem Cæsarius alibi ait: *Talis est consuetudo Ordinis Cistertiensis, vt nostis, quatenus eis, à quibus mittuntur, contradicere non liceat.* Sed ipse Bernardus hîc de se, & pro se loquatur: *Sed quæris forsitan, inquiens mihi: Quid ergò tu de Stabilitate tuâ facis, quam apud Cistertium firma-*

S. Bernardus illam vrget. Cæsar. lib. 1. cap. 16. Idem homil 7 post Pentecost. Bern. Epist. 7.

NOVITIATVS. Et illo elypeo se defendit.

firmasti, & nunc alibi habitas? Ad quod respondeo: Ego quidem Cistertiensis Monachus, ibidem professus, ab Abbate meo, vbi nunc habito, missus sum: sed missus in pace, missus iuxta CONSVETVDINEM, *&* COMMVNEM INSTITVTIONEM.

Conformis doctrina S. Benedicti. Cap. 61.

Neque verò deuiat hęc institutio à mente nostri Institutoris,qui peregrinum Monachum,*si pro hospite voluerit habitare in monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci quam inuenerit*, iubet suscipi *quanto tempore cupit*. Atque etiam de *noto monasterio Monachum ad habitandum suscipi* permittit, *cùm consensu Abbatis eius, aut litteris commendatitiis*. Bursfeldenses præscribunt, quomodo agendum cum Religiosis ad aliquod monasterium animo illic commorandi, venientibus. Plenissimè verò Cassinēses mutationum harum vtilitatem & formam prǽscribunt. *Sicut*, inquiunt, *Prælatorum,ita & Fratrum nostræ Congregationis discreta mutatio, plerumq; vtilis, & necessaria est.*

Mutationū modus, vtilitas. Cærim. Bursf. dist. 3. cap. 28. Cassinen. const. part. 2. cap. 4.

Quid supposuit in sit Stabilitas.

Has porrò mutationes iam pridem in Ordine frequentatas præ oculis habentes, quos superiori Disquisitione citauimus auctores, *Stabilitatem* definierunt perseuerantiam in Monachatu, aut statu religioso: eam neutiquam restringentes ad perpetuam in vno monasterio commorationem. Vnde Panormitanus, & apud eum Innocentius sentiunt, quod *ex caussâ vrgenti & probabili Abbas possit* concedere vni Monacho,vt stet in perpetuum extra claustrum. Nam vt dicit Abbas: *Vbicumque fuerit Monachus, dummodò sit sub obedientiâ Abbatis, semper fingitur esse in claustro.*

In c.cx rescripto de iureiur.nu. 3.4. & 5. Arg. cinsinuante qui cle.vel.vo. in cap.cùm illorum de sent. excom.

Quibus modis violetur votum Stabilitatis.

Sed remanet quæstio, quando *Stabilitatis* votum violetur? De quâ quidem audiendus hîc S.Bernardus,ita scribens: *Præscribat*,inquit,*proinde Stabilitatis pactum omni deinceps remisso descensui, contentioso discessui, vago & curioso discursui, totius denique inconstantiæ leuitati;non tamen his quæ in professionis serie sequuntur,morũ videlicet conuersioni, & obedientiæ, quæ secundum regulam fit.*

Hæc autem nonnihil illustranda sunt.

I. *Per reditum ad sæculum.* PRIMVM ait, *stabilitas præscripsit remisso descensui*, per quem primò vetat reditum ad sæculum, secūdò ad monasterium vel Ordinem laxiorem. *A bono*,inquit Bernardus, *quod semel quis vouerit, descendere non licet; & ad hoc mutare locum quem sibi quisque delegerit, & cui se suâ voluntate & voce firmauerit, omninò non consulo,sed nec S. Papa Gregorius: Ait enim: Perfecti quiq; magnâ se discretionis subtilitate cōspiciunt,ne ad deteriora vnquam vel in opere,vel in cogitatione dilabātur.*

Ibid.

quod vesan.

II. *Per transitum ad strictius monasterium si-*

SECVNDÒ,per contentiosum discessum, Bernardum intelligere arbitror,cùm quis ad æquale aut strictius monasterium transit absque consilio, auctoritate & licentiâ

A Superioris; hæc enim saltem petenda est, quamuis non obtineretur. Talis autem discessus plerumq; lites, contentiones, rixas ac scandala gignit. Et notæ sunt quæ inter Cluniacenses, Cistertienses,Præmonstratenses hac occasione natę sunt difficultates. De quibus sæpè B. Bernardus.

consulto Superiore.

Bern. Epist. 7. 65 66 67. 68 & 293.

TERTIÒ, Præscribit *Stabilitas* vago & curioso discursui, quod alter Bernardus Cassinensis Abbas ita interpretatur. *Intelligo*,inquit, *vagum discursum, quem nulla necessitas,nulla obedientia, nulla loci certitudo metitur. Curiosum autem,qui vel vt delectabilia, & oculis placentia videat, aut sua cura voluptuosè deseruiat, aut fabulis intendat, abhorret monasterium, & hac curâ illectus discurrit per mundum.* Sic ille. Meritò proinde ab eodem dictum, Stabilitatis votum à Legislatore nostro introductum contra Gyrouagos siue Circumcelliones, alibi suis coloribus depictos. Magnus Basilius frequentiorem egressum Stabilitati contrarium à diabolo suggeri affirmat. *Illud*, inquit, *cauendum est, vt nequaquam quouis prætextu visendorum, conueniendarumque fratrum, crebrò monasterio velimus egredi: siquidem diabolicum quoque illud commentum est,quando huiusmodi artificio vti aduersarius solet, ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, peruertendumque, atque hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, variis, iisque instabilitatis cogitationibus facere obnoxias studet. Quod cùm ita sit,amplexenda nobis magnâ ex parte quies est,& in suo cuique assignato loco ad habitandum fortiter perdurandum, qui videlicet hoc ipso animi sui stabilitatem faciat.* Sic ille. Aduerte præterea Clementem VIII.in Bullâ de *Casuum reseruatione*, inter eos referre, *nocturnam & furtiuam claustri egressionem*. Vbi Pontifex supponit,huiusmodi egressionem esse grauis reatus.

Item de præcept. & dispens. cap. 12.

III. *Per discursum vagum & curiosum.*

Bernard. Cassin.part. 1.spec. c.6.

Basil.const. Monast. cap. 8.

Qui plerumq; fit instinctu diaboli.

QVARTÒ. Præscribit *Stabilitas* inconstantiæ leuitati, quam intelligo cum aliquis absque iusta caussâ ex solâ mentis mobilitate, inconstantiâ & leuitate, aliud monasterium petit, non potens vno loco diu consistere. Qui enim ægritudine animi laborant: migrando de loco ad locum effugere illam student, sed vbique seipsos inueniunt,seipsos circumferunt, nisi quòd deteriorem facit ipsa mobilitas, vnde de talibus dicere licet:

IV. *Stabilitati aduersatur inconstans, & sine caussâ transitus ad aliud monasterium.*

Sine vtilitate fruge.

Cælum, non animum mutant,qui trans mare currunt.

Horat.lib. 1. epist. 11.

Et illud Ciceronis: *Fit magna mutatio loci, non ingenij.* Nec minùs acutè quàm verè in hanc rem S. Chrysostomus: Οὐ τόπος, ἀλλὰ τρόπος. *Non locus, sed mores. Impossibile est*, ait Bernardus, *hominem figere in vna animum suum, qui non in aliquo loco,effixerit corpus*

Cic. orat. pro Quintio.

Bern. Epist. ad Fratres de mont. Dei.

corpus suum. Hinc prouidè statutum in Conc. Anglicano I. referente S. Bedâ, *Vt Monachi non migrarent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis, sed in eâ permaneant obedientiâ, quam tempore suæ conuersionis promiserunt.*

Beda lib. 4. histor. Angl. c. 5.

V. *Stabilitas non præscribat morum conuersioni.*

QVINTÒ denique, Non debet *Stabilitas* præscribere morum conuersioni & obedientiæ, quæ secundùm Regulam fit. Nam (vt exponit Bernardus) *si hæc alicubi pro improbitate nimirū atque irreligiositate cohabitātium obtineri fortè nequiuerint, duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad locum alium, vbi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Equidem cum sancto sanctus eris, & cùm peruerso peruerteris.* Atque eodem ferè modo alibi soluit hanc quæstionem. *Quæri, inquit, à me potest, qua pactâ illos recipiam & retineam, qui de aliis monasteriis fracto Stabilitatis voto, & contempto seniorum imperio, ad nostrum Ordinem veniunt? Ad quod quidem breuis responsio: hac enim ratione illos suscipimus, quoniam non putamus esse malum, si vota labiorum suorū, quæ in locis suis patuerunt quidem promittere, sed nequaquam persoluere, Deo qui vbique est, vbicumque poterunt, reddant; & solius ruptæ stabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integrâ obseruatione compensent.* Sic ille. Sed hoc ipsum quoque cum discretione faciendum. Nam & *in terrâ Hus* aliquando Iob inuenitur, *& sicut lilium inter spinas, & sic amica inter filias.* Et nonnunquam talis multùm meretur, instar illius quem Dominus commendans, dicebat: *Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.*

Bernard. de præcep. & dispens. cap. 20. Psal. 65. Psal. 17.

Bernard. Epist. 7.

Subinde licet transire ad alium Ordinem.

Sed prudenter ac discretè.

Iob. 1. Cant. 2.

Apoc. 2.

Quæ porrò conducant ad *Stabilitatem* tum cordis tum corporis fouendam, exponunt Bernardus Cassinensis, Turrecremata, Dionysius Carthusianus de professione monasticâ.

Bern. Cass. in Spec. part. 1. c. 2. Turrect. in Reg. tr. 118. Carthus. de prof. Monast. art. 5.

Optimè autem de *Stabilitate* dixit Basilius: *Oportet vt qui se ad vitæ monasticæ rationem contulerit, is stabili, firma, immobilique voluntatis constantia sit, indicioque huiusmodi, quod à maleuolis spiritibus, neque attentari possit, neque loco pelli. Animi verò firmitate tantâ, vt ad mortem vsque, martyrum constantiam præseferat, cùm in diuinis præceptis retinendis, tum obedientiâ aduersus magistros suos conseruandâ. Siquidem hoc totius vitæ huius instituti caput est.*

Basil. constit. monast. c. 20. Stabilitas inculcatur.

DISQVISITIO V.

Quid morum Conuersio?

VOTVM hoc, quòd cùm Canonicis Regularibus, Præmonstratensibus, & Carthusianis nobis commune est, non vno modo ab Auctoribus explicatur. Cùm enim duplex sit *morum conuersio*, Prior à peccato ad gratiam, posterior à gratiâ ad virtutem, ab imperfectionibus ad perfectionem, à moribus & actibus sæculi, ad mores & cōuersationem religiosam, piam, & sanctam: potest votum hoc vel de priore tantùm, vel de solâ posteriore, vel de vtraque simul intelligi, atque ita diuersimodè, & satis intricatè Interpretes aliqui loquuntur. S. Anselmus in carmine suo de *mundi contemptu, & Monachorum vitâ,* ita votum hoc explicat.

NOVITIATVS. *Auctores non vniformiter Conuersionem morum exponunt.*

S. Anselmi duplex explicatio.

Vouistis fratres. Vouistis, vestra rogamus
Viuite solliciti reddere vota Deo.
In maiestatem diuinam peccat abundè,
Quisquis quæ nō vult reddere, vota vouet.
Vouistis Domino, vestros cōuertere mores,
Iam non peccetis, sit modus & vitiis.
Nunc humilis viuat, qui vixerat ante superbus,
Sit castus, quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis? captabat honores?
Huic iam vilescant census, honosque sibi.
Gaudebat dapibus, gaudebat diuite mensâ?
Nunc tenuem victum sobria cœna dabit.

Et plura subiicit in eandem sententiam, tandemque ita concludit.

Hæc veniam fratres cōuersio *vera meretur.*
Hæc valet offensum flectere vita Deum.

Vbi animaduertere est, misceri priorem & posteriorem morum conuersionem. Simili modo exponit Carthusianus; cùm enim dixisset superbiam, iracundiam, aliaque vitia, in humilitatem, mansuetudinem, aliasque virtutes conuertendas, subiunxit, ad *morum conuersionem* pertinere, *singulas vires animæ reformare, in verbis & actibus ordinatum consistere, interiores exterioresque sensus comprimere: quatenus sicut Religiosus totum quod est & habet, in animâ & corpore, à Deo accepit, sic totum hoc ad Dei cultum, amorem & honorem conuertat, nec aliquid sui relinquat sibi.* Sic ille. Noster verò Walloncapellius ita scribit: Mores conuertimus, cùm studemus odisse quod fuimus, & amare incipimus, quod esse debemus. Quoties ad meliora conuertimur, quoties exteriori vetustate depositâ, in Domini seruitute, noui hominis alacritate iuuenescimus, & quoties ad feruorem animi de tepore, ad continentiam de voluptate transimus. Paucis, si posteriora relinquentes, in anteriora toti feramur.

Quam & alij secuti sunt.

Carth. lib. de profess. monach. art. 6.

Walloncap. Instit. Monast. lib. 3. cap. 7.

Verùm hæc, vt idem Auctor fatetur, generalia sunt, nec facilè hinc Monachi intelligent, ad quæ per *Conuersionem morum* teneantur; & ante eum B. Aelredus de *Conuersione morum* loquens, ait: *Si ad virtutes confugimus, vt verbi gratiâ, qui hactenus superbus, deinceps humilis; qui hactenus iracundus,*

Sed nimis in genere.

Aelred. in Spec. charitat. lib. 3. cap. 35.

Nnn

NOVITIATVS.

dus, deinceps lenis inueniatur; dicimus profectò quia hæc morum conuersio non tam ex Regulâ S. BENEDICTI *Monachis, quàm ex Euangelio omnibus indicitur Christianis.* Qui deinde Conuersionem morum consistere ait, *in cibi, potusque paruâ, vilique quantitate, vestium asperitate, ieiuniorum ac vigiliarum afflictione, quotidiani operis contritione, & ceteris talibus, quæ in ipsâ Regulâ à* B. BENEDICTO *instituta inueniuntur.*

Conuersionē morum in quo ponat Aelredus.

Huius voti antiquitas.

Vt autem in particulari magis explicemus, in quo hæc *morum Conuersio* consistat: prænotandum, votum hoc esse antiquissimum, à priscis etiam Monachis edi solitũ.
B
Nam quod Dionysius Areopagita scribit, Sacerdotem futuro Monacho exponere *perfectissimam vitam*, illudque apertè contestari, *oportere illum medio longè antecellere:* quid aliud est, quàm *morum Conuersio*, quæ à mediâ sæcularium vitâ recedens, ad perfectiorem tendit? Hanc enim ita definit Petrus Sutor, vt sit obligatio quædam, quâ vouens seipsum ad sæcularem conuersationem desercodam, & vitam secundùm institutionem Regularem dirigẽdam, perpetuò ligat. Similiter Turrecremata ait:
C
Per *morum Conuersionem* Monachus obligat se, vt non sæculariter viuat, sed mores suos secũdùm Regulam dirigat. Ex vi ergo huius voti, vt ait præcitatus Sutor, Religiosus PRIMÒ tenetur non solùm deserere mundanam vitam, quæ scilicet voluptatibus, deliciis, vanitatibusq́, indulget, (ad hoc enim omnes tenẽtur) sed etiam sęcularem conuersatiooẽ destituere, vestẽ mutare, & sub habitu regulari, regularem vitã agere.

Dionys. de Ecclef. hierarch. cap. 6. part. 2.

Definitio.

Petr. Sutor. de vit. Carthus. lib. 2. tract. 5. c. 8.

Turrecre. tract. 139. in Reg. S. Bened.

I.
Obligat ad omnimodã sæculi renunciationem.

II
Ad exactã Regulæ obseruantiam.

DEINDE debet Regulam, siue regularẽ, quàm suscepit institutionem obseruare, & secundùm eam mores componere, actusq́; suos ad vitã dirigere. Vnde secundùm Do-
D
ctorem Aogelicum, contra *morum conuersionem* facit: *Si vel ea quæ sunt præcepta in Regulâ, trãsgrediatur, vel etiam contemnat Regulam: secundùm eam dirigere actus suos omninò recusans.* Quare obligatur seruare ea, quæ vitæ monasticæ sunt substantialia, & insuper illa quæ in Regulâ præcipiuntur, tanqoam ad essentialium obseruationem necessaria, & sine quibus illa seruari nequeũt.

S. Thom. Quodlib. 1. art. 20.

III.
Ab bonas consuetudines ipsius loci.

Wallon. cap. vbi suprà.

Bernard. de præcept. & disp. c. 20.

TERTIÒ, vt Wallõcapellius notauit, votum *conuersionis morum* obligat ad illas corporales obseruationes, quæ secundùm Re-
E
gulam obseroabantur eo tẽpore, quo professio facta est. *Quamdiu* (inquit S. Bernardus) *sui quisq́, loci vsus bonos seruat, haud dubiè, quin secundùm Regulam viuat, quoniam quidẽ boni vsus, à Regulâ non discordant. Quisquis ergò tenet, quod teneri inuenerit bonum, profectò viuit, sicut promittit.* Porrò horum omnium obseruationẽ requiri à Religiosis, docet sancta Synodus Trideot. præci-

Vt Tridentinum.

A
piens, *vt omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad Regulam, quam professi sunt, vitam instituant, ac componant; maximè ad ea, quæ ad suæ professionis perfectionẽ pertinent, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & si quæ alia sunt alicuius Regulæ & Ordinis vota peculiaria, ad eorum respectiuè essentiam, nec non communem vitam, victum & vestitum obseruanda, pertinentia fideliter obseruent.*

Trident. Synod. sess. 25. cap. 1.

Aduertendum præterea, voto isto non voueri perfectam *morum conuersionem*, quasi factam; sed tantùm de conuertendis moribus studium: atque ita non statim præ-
B
uaricatorem huius voti censendum, qui in aliquo à Regulâ fuerit lapsus, sed tum primùm cùm fructus tædio, vel animo vel facto, sciens & prudens relinquit studium, conatumque mores suos conuertendi, & secundùm Regulam vioendi. Hanc materiam pluribus prosequitur Sanchez, *tom. 2. in Decalogum*, vbi ait; Religiosum peccare venialiter, qui proponit non seruare alia, præter ea ad quæ tenetur ex voto vel pręcepto Regulæ, aut Superiorum sub mortali, licet ob periculum transgressionis votorum, & non perseuerandi, possit esse
C
mortale. Esset autem hoc propositum peccatum mortale, si ipsa consilia, quibus ad perfectionem peruenitur, contemnerentur. Quod fit, si contemnatur Deus, consiliorum auctor & inspirator, & homo non vult subiici ei, & consiliis ab eo traditis. Aut si quis consilia tanquam vana & inutilia amplecti nollet. Peccat pręterea mortaliter Religiosus, si seruans Regulam & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religiosæ, neque finem per illam iotentum. Licet enim non teneatur ipsam perfectionem attingere, tenetur tamen nõ
D
habere actù contrarium, qoalis est propositum non attingẽdi per talia media finem intentum. Frustra enim apponeret media, cum ioteotione repugnante fini, ad quem talia media ordinantur. Ita docet Corduba.

Requiritur à Religioso studium conuertendi mores.

Quibus casibus in hoc delinquat.

Sanchez lib. 6. cap. 5.

Subinde etiam mortaliter.

Corduba in Reg. S. Francis. c. 1. q. 1.

Ad perfectionem autem huius voti spectat, *A sæculi Actibus se prorsus facere alienum*, intellectu & affectu à creaturis se auertere, & toto corde se conuertere ad ad Creatorem, sicut scriptum est: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Planè non sufficit Monacho mutasse locum, contem-
E
ptibilem habitum assumpsisse, deferre tonsuram altam, coronam latam. Vnde Bernardus ait: *Corporis conuersio si sola fuerit, erit nulla: forma quidem conuersionis est ista, non veritas vacuam virtute gerens speciem pietatis.* Subiicit deinde, in quo vera conuersio consistat: *Attende solerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas aut contristeris. Conuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Conuer-*

Quæ perficiant Conuersionem.

Reg. cap. 4.

Ioel. cap. 2.

Bernard. serm. 2. in cap. ieiunij.

Vera conuersio in quo consistat.

tatur

tatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid prater eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum & tristitia aquè convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundùm eum doleas aut lateris. Hæc Bernardus.

DISQVISITIO VI.

Cur Paupertatis, & Castitatis in Professionis formulâ nulla fiat mentio?

Plerique Ordines non exprimunt Paupertatem & Castitatem. CVM ad Religiosi status substantiam nō minùs pertineant vota *Paupertatis* & *Castitatis*, quàm Obedientiæ, mirari merito quispiam posset, cur illa non similiter exprimantur. Hoc autem multis Ordinibus commune est, nam in Regulâ S. Basilij sola mentio fit professionis *virginitatis*. Et alibi scribit: *Virorum professionem non novimus præter eos, qui seipsos Monachorum Ordini addixerunt, qui tacitè videntur cælibatum admisisse.* *Basil. reg. fus. disp. 15. Epist. 1. ad Amphiloc. can. 19.* De suo autem Ordine Petrus Dorlandus ait: Nos Carthusienses, sed & Cluniacenses, & Camaldulenses, & Cistertienses, & Canonici Regulares, nec *Paupertatis*, nec *Castitatis* votum palam emittimus. *Dorland. Serm. de fig. prof. habit. Carthus.* Et quidem de Ordinibus sub S. P. BENEDICTI Regulâ militantibus plana est ratio, cur id faciant; quòd nimirùm formulam in ipsâ Regulâ utramque expressam servare voluerint. *Benedictini.* Quæ etiam ratio militat in Carthusianis, de quibus Petrus Sutor: Quæris, inquit, cur expressis aliis, taceantur *Castitas* & *Paupertas*. *Carthusiani. Petr. Sut. lib. 1. de vit. Carthus. tr. 4. cap. 11.* Ad quod tibi redditur caussa, quoniam illum profitendi modum animadverterunt in Benedictinâ Regulâ, capitulo 58. contineri, quam magnâ ex parte sectari voluerunt Carthusiani. Sed nec Præmonstratenses in suâ professione *Castitatis* aut *Paupertatis* meminerunt, prout est videre apud Servatium Lairuelz *tom. 2. Catechismi Novitiorum.* *Præmonstratenses. Lairuelz. lect. 125.* Carmelitæ verò & Prædicatores, ut ex eorum colligitur Constitutionibus, solam promittunt *Obedientiam*. *Aliqui solâ promittunt Obedientiam. Stat. Carm. sub Ioan. Soreth par. 6. Const. Prædic. dist. 2. cap. 15.* Prout etiam Eremitæ Augustiniani, saltem in primâ Institutione. Innocentius enim IV. hanc illis profitendi præscribit formam. *Ego N. facio professionem & promitto Obedientiam Deo & B. Mariæ Virgini, & tibi Priori Generali Ordinis Eremitarum, tuisque successoribus usque ad mortem, secundum Regulam B. Augustini, & Constitutiones fratrum ipsius Ordinis.* *Litt. Innoc. IV. anno 1253.* Posterioribus autem temporibus, videntur reliqua duo Vota adiecisse. *Augustiniani postea duo vota adiecerunt.* Iordanus enim de Saxoniâ referens formam professionis, in fine adiicit: *Vivere sine proprio, & in Castitate*, aitque: *Isti itaq. professores profitentur explicitè non solùm Obedientiam, sed omnia tria substantialia Religionis.* *Iordan. in vit. frat. Ord Erem. S. August. lib. 2. c. 14.* Quæ etiam formula exprimitur in Constitutionibus eiusdem Ordinis *part. 2. cap. 30.* *NOVITIATVS.*

Sed inquirendum modò, cur plerique Ordines duorū horum votorum in Monasticæ professionis formulâ mētionem non faciant? *Cur illa duo omissa.* Respondet Boerius, profitentem monachatū, sive stabilitatem Ordinis, per consequens etiam *Continentiam*, & *Paupertatem* promittere, nam ut Innocentius III. ait: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, adeò est annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiā indulgere.* *Extra. de stat. Monach. Cap. Cùm ad monasterium.* *Simili modo*, inquit Boerius, *Ordinādi Clerici eum sacros recipiunt Ordines, continentiam tacitè profitetur.* *Voventur implicitè.* Quibus adde Honorium III. definiisse eum, qui ultra annum *habitum Monachalem in monasterio detulerit, ad carentiam proprij, & continentiam, ac alias Regulares observantias teneri.* *Extra. de Regularib. Cap. ex parte.* Voventur ergò hæc implicitè. Sed in quonam votorum hæc continentur.

PRIMÒ, Bernardus Cassinensis ait: *Abdicatio proprietatis, & observatia continentiæ salutaris, in morum conversione includitur. Quæ plenè non servaretur, si is qui proprij corporis potestatem non habet, proprietatem de rebus omninò non abdicaret, ita quod nullam rem retineat Monachus, nisi quam Abbas dederit, aut scienter permiserit. Nec potest habere matrimonium, aut sine transgressione voti continentiam violare.* *Bernard. Cassin in Spec. part. 1. cap. 10. Quidam censent contineri sub voto conversionis morum.* Sic ille. Quem sequitur Boërius, allegans Romanum Pontificem voletem quodammodo comprehendere species sub genere, in titulo Iuris non dixisse: *De continentiâ, & paupertate coniugatorum*, sed, de *Conversione Coniugatorum*, quo titulo agit de Religiosâ coniugatorum professione. *Et probans variè. Lib. 3. Decretal. tit. 32.* *Et iuris, aiì, exploratì existit, quod qui renuntiat uni, renūtiat omnibus quæ sequuntur ex illo: & qui unum dicit, dicit omnia quæ sequuntur ex illa.* Eiusdem sententiæ est Petrus Dorlandus, dicens: Sub morum cōversione has duas virtutes (*Castitatis* & *Paupertatis*) in veritate tenemus. *Dorland. ubi suprà.* Qui enim veteres mores perfectè convertit, nec luxuriæ servit, nec avaritiæ: quæ duo vitia capitalia ad veterem hominem pertinere sciuntur. *Adduntur rationes, & congruentiæ.* Morum ergo cōversio, dum promittitur, dum promissa cōpletur, non solùm duarum, sed virtutum omnium culmen apprehenditur. Similiter & noster Carolus Fernandus ait: Beatissimus BENEDICTVS in professione, quam ipse digessit, nec *Castitatem* nominat, nec *Paupertatem*, nam *morum conversio utramq. congruenter includit.* *Fernand in Spec. lib. 1. cap. 17.* Porrò quod ad paupertatem pertinet, summâ cum severitate Pater sanctus prohibet, ne proprium Monachus habeat. Quòd autem pertinet ad Castitatem, ieiunia certa, & carnium institut abstinentiam, quæ duo castitati conservandæ prosunt non minimum.

NOVITIATVS. *Alij dicunt Obedientiam sub se alia vota continere.* S.Tho 2.2. q 186. a.8. in Corpor. Turr tr.130. in reg. S. Bened. Seruat.lect. 823. Sutor vbi suprà.

SECVNDÒ, respondet S.Thomas: *Votum Obedientiæ continet sub se alia vota. Nam Religiosus etsi teneatur ex voto Continentiam seruare & Paupertatem, tamen hæc etiam sub Obedientia cadunt.* Idem tenet Turrecremata, & Seruatius Lairuelz in *Catechismo Nouitiorum.* Et Petrus Sutor ait: Obedientia tam vniuersalis est, vt quodam modo ceteras substantiales complectatur habenas. Atque hanc sententiam necesse est sequi eos, qui solam exprimunt Obedientiam. A

Ratio cur S. Benedictus tria tantùm vota expressit.

Neque verò deest congruentia cur S. BENEDICTVS solummodò expresserit *Stabilitatem, Conuersionem morum*, & *Obedientiam.* Cùm enim quatuor Monachorum descripserit genera, & ex iis Cœnobitarum solum susceperit instruendum; hoc ipsum à reliquis, ipsis voluit distingui votis. *Stabilitate* enim distinguuntur à Gyrouagis, *Conuersione* morum à Sarabaitis; *Obedientia* verò ab Anachoretis; vt obseruatum à Bernardo Cassinensi. Bern. Cass. Spec. part. 1. cap. 2.

TRACTATVS VII.

DE VOTO PAVPERTATIS.



RIPLEX ille substantialium Votorum funiculus, quo se arctiùs diuinæ Maiestati Religiosi alligant & obligant, suo hic loco & ordine tractationem exigere videtur; vt Professionis suæ vim & naturam agnoscentes, fideliter Domino reddant Vota, quæ distinxerunt labia eorum. Verùm cùm de Castitate vix quidquam peculiare Legifer noster attulerit, quod eius obligationem monasticæ vitæ terminis includi nimis quàm notum censuerit: & de Obedientiâ infrà Lib. VI. agendum sit, superest tantùm Paupertas; *siue abdicatio proprietatis. De hâc igitur, non omnia quidem, quæ Scholastici Doctores, vel moralis Theologiæ tractatores adferre solent, discutiemus; sed ea dumtaxat, quæ ad S.P.* BENEDICTI *decreta, mentemque explicandam videbuntur opportuna. Erunt proinde Disquisitiones VII. quarum* Prima *discutit, quid proprium, proprietas, peculium, opus peculiare?* Secunda, *Quæ nomine proprij interdicta?* Tertia, *Cur litteræ non scribendæ, vel recipiendæ citra Superioris veniam?* Quarta, *Quæ, & quales* Eulogiæ? Quinta, *Cur proprietas vitium nequissimum dicta?* Sexta, *Quæ proprietariorum pœna?* Septima, *Quomodo necessaria distribuenda?*

DISQVISITIO I.

Quid proprium, proprietas, peculium, Opus peculiare.

Reg. cap. 33.



VOD *non debeant Monachi proprium aliquid habere*, S.BENEDICTI expressa sententia est. Vnde quid *proprium*, & affinia ei significent vocabula, meritò hîc discutimus. B

I. *Quid sit proprium.*

PRIMÒ. *Proprium*, vt ait, Nonius Marcellus, *est suum vniuscuiusque*; Perotto sic dictum, quod maximè *propè* sit: Varro Caprino prælio: *Nam virtutem propriam mortalibus fecit; cetera promiscuè voluit communia habere.* Marcus Tullius: *Et noster Plato, magis etiam quàm Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, nequis ciuis propriam, aut suam rem vllam addiceret.* Cicer lib. 4. de Repub.

II. *Quid proprietas apud Iurisconsultos.*

SECVNDÒ. *Proprietas* vocabulum est à Iureconsultis, distinguendorum definiendorumque dominiorum causâ, cōfictum: id est, in quo vsusfructus inest. Vnde vsusfructus pars dominij appellatur, *l. 3. ff. de vsufruct.* Cùm igitur dominium vsufructu deminutum significare vellent, *Proprietatem* dixerunt, vt patet ex *tit. de vsufruct.* locis innumeris, in quibus vsusfructus proprietati opponitur. Aliàs distinguunt in proprietatem nudam & proprietatem plenam: nudam dixerunt, quæ vsufructu deminuta est: plenam verò, quæ vsumfructum in se haberet. Sed non ita in nostrâ materiâ hæc vocabula accipiuntur: in *Duplex, nuda & plena.*

quâ,

Sanch to. 2. moral. lib. 7. cap. 18. num. 45. *Sumitur aliter in hâc materiâ.*

quâ, vt Thomas Sãchez ait, nomine *proprij* intelligitur non solùm dominium, & proprietas rei, sed etiam vsus iuris, & vsusfructus possessio, & administratio, prout sunt quid iuris, non autem prout sunt quid facti. Nam qui facti tantùm detentionem, vsum, administrationem, vel possessionem habet, nihil proprium retinet, quia illud habet nutu, & voluntate, aut nomine alterius, vt notat Nauarrus. Qui autem hæc habet prout sunt iuris, administrat & disponit de illis pro suo arbitratu, absque alterius consensu & voluntate.

Nauarr. comm. 2. de regul. num. 15.

III. *Quid vox peculij intelligendum.* Siluest. V. peculium I.

TERTIÒ. *Peculium*, vt Siluester ait, est quasi pecunia pusilla, vel pusillum patrimonium *ff. de peculio l. depositi*. Et aliquando significat omne patrimonium cuiuslibet hominis, etiam liberi; vt *ff. ad Trebell. l. cogi*. Et est peculium pusilla substantia, vel pecunia separata à rebus, & ratiociniis patris aut domini, data vel promissa filio vel seruo. Cùm autem filiusfamilias habeat plenum dominium in peculio castrensi & quasi castrensi; ita vt tota proprietas, & vsusfructus & administratio horum bonorum sit penes illum; & aduentitij sit Dominus directus, siue proprietarius (quamuis careat vsufructu & vtilitate, sub patriâ potestate constitutus:) hinc est quod Monachis (qui filiisfamilias & seruis in aliquibus æquiparantur) interdictum quoque sit *peculium*. Auctor vitæ sancti Fulgentij Ruspensis: *Dicebat frequenter non debere, nec posse Monachum iudicari, cui voluntas habere priuatum* PECVLIVM *persuaserit*. Lateranense Conc. sub Alexandro III. *Monachi* PECVLIVM *non permittantur habere. Qui verò* PECVLIVM *habuerit*, &c. Et: *quin cum* PECVLIO *inuentus fuerit*, &c. Petrus Damiani: *Cùm sancti Patres in clericalis* PECVLII *condemnationem non dissonent*. Et deinceps: *Quisquis ergo Clericus proprietatis conatur habere* PECVLIVM, *non valet Apostolorum tenere vestigia*. Item: *Peculij proprietas facit vt Clerici sui Pontificis dedignentur imperium*. Et hoc vocari solet *Peculium iniustum*, quod à Monacho sine licentiâ Superioris possidetur. Quare *iustum* dicitur *peculium*, in quo Religiosus tantùm habet administrationem & vsum, dependenter tamen à voluntate Prælati: diciturque peculium, ex similitudine ad peculium profectitium, vt notauit Nauarrus. Nam sicut filiusfamilias peculium habens profectitium, non habet dominium, neque ius aliquod ciuile; sed tantùm administrationem & negotiationem bonorum patris cui subest: sic Monachus dicitur habere peculium Monasticum, ex eo quòd habeat administrationem bonorum monasterij, vel aliqua alia bona suis propriis vsibus deputata, dependenter tamen à voluntate prælati. Quatenus autem à Prælato hoc peculium possit concedi, vide apud Thomam à Iesu Comment. in Cap. *Non dicatis*.

Monachi sunt incapaces vt filijfamilias. Surord in iterdictum. Lateran. Patr. 180. part. 1. c. 10. Opusc. XXIV. c. 4. Cap. 5. *Peculium iustũ quanam Religioso conceditur.* Nauarr. comm. 1. de regul. n. 34. NOVITIATVS. part. 4. cap. 5. & 6.

IV. *Vitium peculiare, pro proprio.* Cap. 55.

QVARTÒ. Proprium S. BENEDICTO quoque dicitur VITIVM PECVLIARE. *Vt hoc*, inquit, VITIVM PECVLIARE *radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia necessaria*. Ibidem & hoc inculcat: *Lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt, propter* OPVS PECVLIARE *ne inueniatur*. Nomenclaturam hanc ex Cassiano hausit, qui ait: *Inter quos* (*Ægypti Monachos*) *nullũ* PECVLIARE OPVS, *non dicam effectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo penitus affectatur*. Et infrà: *Operis peculiaris præsumptio, philargyria contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ à ceteris fratribus non habentur; extraordinaria ac furtiua cibi refectio*, enumerantur inter illa quæ plagis, vel expulsione purgantur. Quid autem sit *opus peculiare* alibi explicat: Nam cùm dixisset proprietarium excogitare, qualiter vnum saltem denarium acquirere possit, subiungit: *Tunc* PECVLIARE OPVS, *quod exerceat Abbate inscio, sollicitè mente perquirit. Quod vendens clam, & optato tandem potitus nummo, qualiter eum duplicet, acriùs vehementiusq́; torquetur; vbi reponat, cuiue illum credat, ambiguus*. Et S. Fructuosus: *Peculiare opus institutum est, vt nulla his* (fortè, *nullatenus*; apud Smaragdum legitur *nullus*, absque *his*) *exerceat Monachus, quasi sibi propriè vendicandum, aut cuilibet, cùm voluerit, suâ præsumptione distribuendum*. Idem prohibuit Augustinus in Regulâ: *Nullus*, inquit, *sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant, maiori studio, & feruentiori alacritate, quàm si vobis singulis faceretis propria*. S. Leander sine addito, PECVLIARE nuncupat: *Peculiare*, inquit, *quòd in cœnobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi euita contagione*. Et Magister in Regulâ: *Aliquid* PECVLIARE *habere denegatur*. Item: *Si quod* PECVLIARE, *aut aliquid inuentum in aliquo fuerit, grandi eum Abbas & diuturna excommunicatione condemnet*. S. Gregorio dicitur *Peculiaritas*: *Fratri*, inquit, *& coëpiscopo nostro dicere studeat, vt* PECVLIARITATEM *à quatuor aut quinque Monachis, studiosissimè compescat. Quia si illic* PECVLIARITAS *à Monachis habetur*, &c. Sic & Fructuosus: PECVLIARITAS *aut in vtensilibus, aut in vestimentis, aut quibuslibet rebus vilissimis saltem & abiectis omni modo vitetur*.

Cassian. lib. 4. cap. 14. Ibid cap. 16. *Quid opus peculiare.* Idem lib. 7. cap. 7. *Prohibetur.* Fruct. in reg. cap. 6. Aug. Reg. cap. 14. *Peculiare sine addito, idem quod peculium.* Leand. lib. de instit. Virg. c. 18. Reg. Magist. cap. 82. *Similiter peculiaritas.* Greg. lib. 10. epist. 22. Reg. Fruct. cap. 8.

NOVITIATVS.

DISQVISITIO II.

Quæ nomine PROPRII *interdicta?*

S. Benedictus accuratè tractat de eliminando proprio. Reg. cap. 33.

ACCVRATE omninò quæ proprietatis titulo censeantur probibita, S.P.N. prosequitur. *Præcipuè*, inquit, *hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium.* Quia onim *radix omnium malorum est cupiditas;* securim ad radicem arboris ponens, monet hoc vitium radicitus amputandum. Ita scilicet, vt nec iu corde, nec iu opere, nec in ore pullulet, vt Turrecremata obseruauit. In corde, nihil interiùs concupiscendo, in opere, nibil exteriùs tanquam proprium possidendo: in ore, nihil proprium nominando. Et quidem si è corde eradicetur cupiditas, euulsi planè erunt omnes proprietatis surculi; nec opere possidebitur, quod corde non fuerit concupitum: nec prodibit ex ore, si non fuit in corde; quia *ex abundantiâ cordis os loquitur.* Vnde Gregorius ait: *Multum Petrus & Andreas dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessâ etiam concupiscentiis renunciauit.* Sed vide, mi Lector, vt stirpitus boc vitium exscindat; quasi enim non satis esset dixisse: *Neque aliquid habere proprium;* fortiùs inculcat, dicens: *Nullam omninò rem.* Q. D. inquit Bernardus Cassinensis, *dummodò res sit, illam tibi excludo. Et quòd* OMNINO, id est, *per nullum modum habeas.* Et ne modica pro nihilo reputari dicas, addit: *Neque codicem, neque tabulas, neque graphium.* Nec hîc sistit, sed addit: *Nihil omninò. Mira,* inquit idem Bernardus, *huius vitij eradicatio & amputatio, vbi est tam frequens negationis inculcatio.*

1. Tim. 6. — *A corde, opere, & ore proscribit. Turrecre. tract. 92. in Reg. S. Bened.* — *Matth 12.* — *Greg. homil. 5. in Euang.* — *Quod frequenti negatione repetit.*

Animaduersione dignum puto, hoc capite omnimodam doceri abnegationem, rerum scilicet, corporis, & animæ: quæ per substãtialia vota in Religione promittitur. Ad Paupertatem enim spectat, *nihil habere proprium.* Ad Castitatem verò & Obedientiam, quod sequitur. *Quippe quibus nec* CORPORA *sua, nec* VOLVNTATES *licet habere in propriâ potestate.* Per Castitatem enim, *corpus;* per Obedientiam, *voluntas* Deo immolatur: atque adeò rotum hominem Deo subiicit. De quo alibi S. BENEDICTVS: Qui angustam viam arripientes, *non suo* ARBITRIO *viuentes, vel desideriis suis, & voluptatibus obedientes; sed ambulantes alieno iudicio & imperio, in cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant.*

Triplicem docet abnegationem tribus votis respondentem. — *Cap. 5.*

Quamquam, si particula illa, *quippe*, quæ caussalis plerumque est, attendatur, cum Turrecremata dici possit, hîc assignari quodammodo rationẽ amputationis proprietaris rerum extrinsecarũ: quia si corpora & voluntates in propriâ non licet habere potestate, cùm Monachus iam sit mũdo mortuus, multò minùs debet habere quidquam proprij rerum exteriorum. Et confirmari potest bæc expositio ex cap. *non dicatis*, vbi dicit: *Cùm huius nostræ Congregationis fratres non solùm facultatibus, vel voluntatibus propriis in ipsâ Ordinis susceptione renunciauerint, & se per promissam Obedientiam penitus aliorum potestati, & imperiis in Christo & pro Christo subdiderint: certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentiâ debere.* Vbi ex Obedientiâ, velut à maiore ad minus, infert abdicationem proprij; q. d. si non licet habere propriam voluntatem, multò minùs aliquod bonum externum.

Quippe caussalis particula. — *Eâ hic vtitur S. Benedictus vt ratione. 12. q. 1.*

Iam vt S. BENEDICTI mentem penitiùs intelligamus, notandum expressè ab eo prohiberi, Ne quis præsumat sine licentiâ Abbatis,

Quæ in caussâ proprij Monachis interdicat.

Aliquid { Habere / Dare / Accipere / Dicere } Proprium

I.

PRIMÒ, prohibetur aliquid *habere proprium*: nam ex vi voti paupertatis, auctore Lessio, tenetur, vt nihil velit habere, possidere, vel vti tanquam proprium, id est, affectu retinendi iure suo, seu independenter à voluntate Superioris. Expressit idipsum ferè S. Isidorus: *Monachi*, inquit, *nihil peculiare sibi facere audeant: neque in suis cellulis quidquam quod ad victum, vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regulari dispensatione habere vel possidere præsumant.* Præcipuè autem Religiosis interdictum apud se pecuniam habere, quod antiquissimum, & apud multos Religiosos lege cautum; idque iustissimis rationibus fusè demonstrat Nigronus.

Habere aliquid proprium. — *Less. de Iustit. lib. 2. cap. 4.* — *Isid. Reg. Monach. cap. 19.* — *Præcipuè pecuniam.* — *Nigron. ad Reg. 7. com. Soc.*

Debet insuper Monachus esse paratus exui possessione & vsu, omni momẽto, quo superior iusserit, quia non potest hæc retinere, nisi cum dependentiâ à voluntate superioris, alioquin esset proprietarius, vt constat ex cap. *Cùm ad Monasterium.* Proinde qui petenti Superiori rem aliquam denegauerit, nec paratus est reddere, aut qui ne auferatur, occultauerit, etiamsi illam anteà cùm eius facultate obtinuerit, peccat. Vnde Augustinus ait: *Quòd si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio cõdemnetur.* Et hinc peculiares iam olim hodieque in Religiosis Congregationibus prohibitæ *Claues.* Cassianus enim tanquam miserabiles deplorat, *qui in cœnobiis commorantes, ac sub Abbatis curâ & solicitudine constituti;*

Nec quidquam retinere inscio Superiore. — *Vel occultare.* — *August. in Reg. cap. 10.* — *Prohibitæ claues peculiares.* — *Cass. lib. 4. cap. 15.*

tuti; peculiares circumferunt claues. S. Cæsarius: *Armariolum; vel quamlibet clausuram nullus habeat.* Et vt alios à Nigrono recensitos præteream; statuunt nostri Cassinenses: *Claues ad capsas, seu scabella, seu vbilibet, nullus ex fratribus habeat sine licentiâ, præter Priorem claustralem.* Nec porrò opus claue, vbi omnia communia: & proprietatem quodammodo redolet, serâ & claue quidquam obseratum tenere.

Cæsar. in reg. nu. 3. Nigron. ad reg. XI. com. n. 9. Cassin. in cap. 22.

Item vsurpatio supellectilis vel domesticæ rei. Adhæc, illicitum Religioso quidquam communis supellectilis vel domesticæ rei sibi vsurpare; non tantùm per furtum & appropriationem, sed ne quidem ad rem vtendam, aut vt rei vsum sibi vendicet, contra superioris voluntatem. Quod expressum in Regulâ Pauli & Stephani: *Nulli liceat vel vestimentum, vel calceamentum, aut tabulas, vel cuiuscumque rei paruissima, tam nanum quàm vetus: nec quidquam quod alteri fratri datum fuerit, prauâ præsumptione contingere ad vtendum.* Et Pachomius statuit: *Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.* Item: *Palmarum folia, vnde texuntur sportæ nemo suo iure tollat, absque eo cui palmæ sunt creditæ.* Regula Orientalis: *Nemo suum quidquam vindicet, neque vllus aliquid peculiariter vsurpet, sed habeant omnia communia.*

Reg. Paul. & Steph. cap. 17. Pachom. in Reg. n. 38. 39. 40. & 41. In Concil. Reg. cap. 42 § 19.

II. *Vetat S. Benedictus aliquid dare.* SECVNDÒ, Prohibet S. BENEDICTVS aliquid DARE, quo nomine intelligas omnẽ, quæ prçter superioris voluntatem fit, alienationem. Regula Orientalis: *Sine Seniorum verba & auctoritate, nullus frater aliquid aliquid aut det:* Et Regula Cuiusdam ad Virgines: *Nulli dare aut accipere, nisi Abbatissâ ordinante præsumat.* Exstat quoque Constitutio Clemẽtis VIII. vetans Religiosos munera largiri externis, quam alij explicarũt.

Reg. Cuiusdam c. 17. Clem. 8. const. de larg. num.

Distribuere præter mentem Prælati. Quod Officiales spectat, qui est dispensator aliquarum rerum, vt ait Lessius, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto & mente Superioris; ita vt non det alia, nec plura vel pauciora, nec meliora vel deteriora, quàm scit Superiorem velle: quâ parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitium proprietatis; nam ita dispensat ac si esset Dominus, & ab alterius arbitrio non penderet: Hinc Cellerario S. Legislator præcipit, vt *omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abbatis.* His adde non posse Religiosum expendere quidquam in res illicitas, aut vanas, etiamsi Superior id ei permitteret. Nam iura & Canones non concedunt administrationem Regularibus, nisi ad res necessarias, vtiles, aut honestas; prohibent autem ad vanas & illicitas. De quo vide R.mum Antonium Perez pluribus disserentem.

Less. vbi supra. Reg cap. 31. *Expendere inutiliter & in vana.* Perez in c. 33. Reg. S. Bened. dub. 4. Pach. art. 45. in pœnis breu. art. 14.

Commodare. Similiter prohibitum mutuò aut commodatò DARE, etiam ex ijs, quorum vsus Religioso permissus. Iam olim id in Monasterijs cautum. S. Pachomius: *Mutare de his, quæ à Præposito acceperit, nemo audebit.* S. Basilius: *Si quis permutauerit aliquid cum aliquo, & dederit præter mentem Abbatis, sit sine benedictione.* Regula Pauli & Stephani: *Nec inter se fratribus liceat id quod de communi quisquam acceperit, nisi permissu Prioris cum alio Fratre, quasi peculiari amore mutuare.* Et Isidorus præscribit: *Cùm alia Fratre quidpiam commutare, nisi Abbas vel Præpositus iusserit, nulli licebit.* Similiter Regula Cuiusdam ad Virgines: *In vestimento, aut in qualibet re nihil dare aut commodare cuiquam præsumat, nisi tantùm si ab Abbatissâ illi fuerit ordinatum.*

NOVITIATVS. Reg. Pauli & Steph. cap. 27. Reg. Isid. cap. 19. Reg. Cuiusdam c. 17.

III. *Prohibet accipere aliquid sine licentiâ.* TERTIÒ, à S. BENEDICTO prohibitum aliquid ACCIPERE, sine ab externis, siue domesticis, absq; Superioris licẽtiâ: Sicut enim non potest quidquam retinere sine illius consensu, ita nec acquirere. Colligitur ex Innocentio III. dicente: *Si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori, aut Cellerario assignetur.* Allusit ad cap. 54. Regulæ S. BENEDICTI. Idem statuit S. Pachomius: *Nemo ab altero accipiat quidquam.* Vetat quoque Orsiesius, ne Monachus à Fratribus vel amicis penitus aliquid accipiat, *non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem.* S. Basilius in pœnis breuibus: *Si quis dederit foras aliquid, aut acceperit præter voluntatem Abbatis, excommunicetur.* Isidorus quoque: *Qui occultè ab aliquo litteras, vel aliquod munus acceperit,* &c. Fructuosus: *Munus quodlibet, siue epistolas nemo Monachus accipiat.* Idem statuunt Regulæ Orientalis & Cuiusdam iam citatæ, & posteriores Ordines, quos recenset Nigronus.

D. cap. cùm ad Monasterium. Pachom. art. 58. Orsies. inst. Monast. Basil. ar. 31. Isid. Reg. cap. 17. Fruct. in reg. cap. 8.

IV. *Vetat suum aliquid dicere.* QVARTÒ, vetat S. BENEDICTVS, *ne quisquam* SVVM *esse aliquid* DICAT. Profluxit id ex primorum Christianorum more, de quo Lucas in Actis: *Nec quisquam eorum aliquid* SVVM *esse dicebat*, retentum à Monachis, illisque Regularũ auctoritate præscriptum. Legendus Basilius, in *Regulis* breuioribus, *interrog.* 35. & 85. Item Regula S. Augustini *cap.* 1. & ex eo Regula Tarnatensis, *cap.* 14. Aurelianus Arelatensis in Regulâ Monachorum *cap.* 25. Regula Ferreoli *cap.* 10. Regula S. Fructuosi *cap.* 4. quo pœnitentia decernitur illi infligenda, qui dixerit, *codex meus, tabula mea.* Cassianus autem tradit, etiam *in ijs Monasterijs in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam strictissimè seruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid* SVVM, *magnumque sit crimen ex ore Monachi processisse, Codicẽ meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas; proque hoc dignâ pœnitentiâ satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem, vel ignorantiam huius-*

Reg. c. 11. Act. 4. *Et pœna decreta in præuaricantes.* Cass. lib. 4. Inst. cap. 13.

NOVITIATVS.

huiusmodi verbum de ore eius effugerit. Exaggerat idem, Regula Cuiusdam, distincta ab illa quæ est Serui Dei ad Sorores, ita statueus: *Qui dixerit, meum est hoc aut illud, peccauit coram Deo, nisi tantùm per obreptionem sermonis: sed pro hoc ipso tamen veniat petat à Deo; & caueat de reliquo, & ne iterare audeat.* Hiuc S. Columbanus iu pœnitētiali: *Meum & tuum dixit, sex plagis*, supple puniatur. Non malè Blesensis: *Felicissimam vitam agerent homines, si hæc duo verba de medio tollerentur*, MEVM, & TVVM. Quod disticho hoc nescio quis expressit:

Meum & Tuum proscribenda.
Blesl. in opusc. de amicit. c. 10. al. Pub. Mim.

Si duo de nostris tollas Pronomina *rebus,*
Prælia cessarent: pax sine lite foret.

Si quæras, quale peccatum sit dicere, *Liber meus.* Respoudet Turrecremata, uon esse mortale; si ex lapsu linguæ proferatur. Esse autem si ex proposito & animo asseueratiuo, quod est propriè dicere: nimirùm si ex affectu proprietarij. Excusat etiam à peccato hunc loquendi modum, si de vsu nudo ac licito intelligatur, Aluarus Pelagius. Sed legendi de hoc puncto, qui de casibus conscientiæ ex professo tractant.

Quale peccatū vsurpasse.
Turrecre. tract 92. in Reg. S. Bened.
Pelag. lib. 2. de planc. Eccl. c. 67.

DISQVISITIO III.

Cur litteræ non scribendæ, vel recipiendæ citra Superioris veniam?

AD proprietatis abdicationem, & deuotæ Paupertatis cultum, spectat quoque caput Regulæ uostræ LIV. quo Legillator uoster statuit: *Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem* LITTERAS, *aut eulogias, vel qualibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto Abbatis sui.* Quæ verba duplicem facient Disquisitionem; quarum prior, cur prohibita litterarum scriptio aut acceptio? posterior, quid Eulogiæ? Quod autem priorem spectat, clancularia litterarum acceptio & missitatio iuterdicta.

Litterarum furtiua receptio & scriptio interdicta.

I. PRIMÒ, quòd per has nimia cum sæcularibus ineatur communicatio, & familiaris quædam cum abseute sermocinatio.

Ad vitandam sæcularium familiaritatem.

II. SECVNDÒ, cùm Monachi solitudini, & silentio maximè studere debeant, ex hoc capite commendata rarior epistolarum exaratio, à quâ & abstinendum Bernardus sacro quadragesimæ tempore putauit, & amico etiam conatus est persuadere. *Quando,* inquit, *suum tempus silentium habebit, si hos etiam sacros dies quadragesima nostra sibi vendicat confabulatio? eaque ipsa tantò occupatior quantò laboriosior? dum non quidem præsentes alterutrum dicere leuiter valemus quæ volumus: sed absentibus necesse est, nobis inuicem di-*A*ligenter dictare quæ vel petimus ab inuicem vel petimur? Dum ergo absens cogito, dicto, scriptito, mittoque quod præsens legas; rogo vbi otium, vbi silentij quies? Sed hæc, inquies, omnia facere potes in silentio, mirùm si ex sententiâ hoc respondeas. Quantus enim tumultus in mēte dictātium, vbi multitudo perstrepit dictionum, vbi orationum varietas, & diuersitas sententiarum concurrit; vbi sæpe respuitur quod occurrit, & requiritur quod excidit; vbi quid pulchrius secundùm litteram, quid consequentius secundùm sententiam, quid planius propter* B *intelligentiam, quid vtilius ad conscientiam, quid denique cui vel post vel ante ponatur, intentissimè attendatur, multaq; alia quæ à doctis in huiusmodi curiosiùs obseruantur. Et tu mihi dices, in hoc esse quietem? tu hoc etiamsi lingua sileat, silentium nominabis?* Hæc ibi Bernardus.

Ad solitudinis & silentij obseruantiam.
Bern. epist. 89.
B. Bernardus in Quadragesima Epistolis abstinendum censet.

Æquale periculum à transmissis litteris formidandum. Illæ enim parētum, propinquorum, relictæ patriæ, & sodalium memoriam refricant. Vnde Maches solitarius, vt Cassianus auctor est, cùm grandem litterarum fasciculum à suis recepisset; C multa secum voluens & reuoluēs, inquietudinem quoque veritus, & à suauissimâ contemplatione nou fereus auelli; statuit ne quidem ipsum fasciculum resignare, atque vt eum constrictum susceperat, in ignem proiecit, dicens: *Ite cogitationes patriæ pariter concremamini, nec me vlteriùs ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.*

Maches litteras suorum sibi missas exurit.
Cassian lib. 5. Inst. cap. 19.

III. TERTIÒ, litteris præsertim furtiuis mēs & voluutas propria scribentis indicatur, eaque plerumque petuntur vel præstantur, quæ Superior conscius negaret. Notum est miserabile Sabiniani Diaconi ex- D emplum, cuius cum sacra Virgine per furtiuos codicillos detestanda commercia S. Hieronymus multis deplorat.

Periculum à litteris clanculariis.
Hieron. Epist. 48.

IV. QVARTÒ, epistolis iuseri, vel adiungi possunt munuscula, quorum claudestinâ receptione Paupertatis puritatem temerari manifestum. Huc respexerit, vt opinor, Nauarrus, qui ad proprietatis vitium spectare ait, litteras dare, vel accipere citra consensum aut licentiam Superioris. Et hinc est, quod monasticis legibus litteræ, & munuscula simul interdicantur. Vnde E Augustinus: *Quicumque in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit; si hoc vltro confiteatur, parcatur illi & oretur pro eo: si autem deprehenditur & conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri vel Præpositi grauiùs emendetur.* Quæ & iu suam Regulam transtulit Cæsarius Arelatensis, & ex eo Donatus *cap. 53.* Fructuosus: *Munus denique quodlibet, siue Epistolas nemo Monachus accipiat.* Regula Tarnantensis: *Qui litteras, vel munuscula*

Adiungi possunt munuscula.
Nauarr. comm. 2. de regul. n. 23.
Quæ simul cum litteris vetita.
August. in Regulâ.
Pœna in transgressores.
Cæsar. in Reg. c. 23.
Fruct. in Reg. cap 8.
Reg. Tarn. cap. 18.

nuſcula cuiuſcumque accipere præſumpſerit, ſi non ſtatim à quo accepit, & quæ accepit, publicauerit, diſtrictioni ſeueriſſimæ ſubiacebit. Sed & ſine munuſculis prohibitum vltrò citroque litterarum commercium. Hinc in pœnis apud Baſilium: *Si quis inuentus fuerit* SCRIBERE, *aut accipere ſine Archimendritæ ſcientiâ, ſit excommunicatus.* Regula Cæſarij: *Præcipuè epiſtolas ſine ſcientiâ Abbatis nec accipiat, nec tranſmittat.* S. quoque Columbanus in huiuſmodi litterarum ſcriptorem aut receptorem pœnam decernit: *Si*, inquit, *epiſtolam cuiuſcumque ſuſceperit, ſi tribuere præſumpſerit ſine Abbate, ſuperpoſitione:* nempe emendetur. Deſumptum ex Caſſiano, qui huiuſmodi ſpirituali animaduerſioni ſubdit.

Et in eos, qui ſolas litteras ſcribũt, vel recipiunt.
Pœn. breu. num. 49.
Reg. Cæſar. ad Monac. cap. 15.
Colomb. in pœnis
Caſſian lib. 4. cap. 16.

Prudenter admodum Caſſinenſes Patres, ad hunc Regulæ textum decernunt: *Si quâ vtili & honeſtâ cauſâ, volunt Fratres ſcribere litteras, habitâ priùs ſcribendi licentiâ, ſcribant. Deinde litteras apertas deferant Prælatis: quas mandamus ab ipſis Prælatis legi, ſubſcribi & ſignari. Similiter & qui ipſas recipiũt, antequam ipſas legant, clauſas præſentent Prælato ſuo: quas volumus omninò & iubemus Prælatum legere, vel eo abſente vicem eius gerentem, & ſi videbitur ſibi, Fratribus, quibus directæ ſunt, reddat.*

Caſſinenſium prudens in hac re decretum.
Caſſin. in cap. 54. n. 3.

Quæ praxis & aliorum Ordinum decretis confirmata eſt, nam vt omittam noſtros Montis Olìueti, & Cæleſtinos, ſimilis conſtitutio eſt Canonicorum Regularium S. Saluatoris, & Clericorum S. Pauli, Minimorum S. Franciſci de Paulâ, & Societatis Ieſu, vt apud Nigronum, Tract. aſcet. XII. cap. 2. legere eſt.

Cui alij Ordines ſubſcribunt.
Can. S. Saluat conſt. c. 14. ſ. 4.
Cler. S. Pauli in inſt. nou. ſ. 6.
Correct. Minim. c. 10. §. 107.

DISQVISITIO IV.

Quæ & quales Eulogiæ?

CVM litteris, & munuſculis, vt vidimus, ſimul etiam EVLOGIAS S. BENEDICTVS clam accipi vetuit. Videndum proinde hîc quidnam per EVLOGIAS intelligatur, quàm variæ illæ fuerint, & quis earum vſus.

Quid Eulogiæ.

PRIMÒ, annotat Gabriel Albaſpinæus, Aurelianenſis Epiſcopus: Genus quoddam fuiſſe Communionis apud antiquos ideò inſtitutum, vt abſentibus pars aliqua & ſocietas eſſet cum Epiſcopo & ceteris fidelibus, qui in matrice eccleſiâ (vt vocant) morarentur. Nam cùm per vicos & pagos ſparſi & diffuſi ex eâdem non poſſent ſumere communione, cuperentque ſemper vnionis Chriſtianæ, & Chriſti corporis ſpeciem quam poſſent maximam retinere, ſolemniſſimis diebus & feſtiuis, ex matrice per parochias, benedictus mitteba- A tur panis, ex cuius perceptione communitas quæ inter omnes fideles eiuſdem Diœceſis intercedere debet, intelligebatur, & repræſentabatur. Tanta enim apud eos huiuſce Communionis & ſocietatis erat religio, vt ſi vna Euchariſtia, id eſt, ab vno Epiſcopo conſecrata toti orbi ſufficere, & ex eâ vniuerſâ Eccleſiâ communicare potuiſſet, non aliâ, neque alio Sacerdote vſi fuiſſent. Ita ille. Qui exiſtimat eos qui in matricibus feſtos dies agerent, ex ipſis *Eulogijs*, quæ per vicos mitterentur, B deguſtaſſe. Id enim ad perfectam & intimam vnionem exprimendam deſiderari videbatur.

I.
Genus Communionis apud veteres.
Albaſpin. lib. 1. de veter. eccleſ. rit. obſeruat. 8.
NOVITIATVS.
Ad declarandam veram fideliũ vnionem.

Sed & antequam ea conſuetudo per vicos *Eulogias* mittendi inualeſceret, in vnaquaque tamen eccleſiâ panis benedictus inter fideles diuidebatur, id eſt, ex oblationibus partes aliquæ in ipſis ſacris, fidelibus offerebãtur, quæ oblationes per benedictionem, *Eulogiæ* nuncupabantur. Exſtat porrò de his *Eulogijs* antiquus canon Pij Papæ & Martyris titulo inſcriptus, his C verbis: *Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus quæ ſuperſunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam vel certè de ſuis Presbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, & conuenienti; vt poſt miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati,* EVLOGIAS *omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Hæc Canon, quem explicans Baronius, ait; à Melchiade fuiſſe inſtitutum, vt panem huiuſmodi fermentatum ab Epiſcopo ſingulorum titulorum D Presbyteri acciperent, vt qui ſacratiſſimâ Euchariſtiâ minimè communicaſſent, hoc ſaltem alio communionis ſigno cenſerentur eſſe fideles. Quare in Laodiceno Concilio ſancitum fuit: *Sanctas oblationes ad vicem* EVLOGIARVM *per feſtiuitatem paſchalem ad alias parochias mitti minimè oportere.* Idq; ideò, quòd eâ die omnis populus, non *Eulogijs*, ſed Euchariſtiâ communicare deberet.

Quibus panis benedictus dabatur.
Tom. 1. conc. ſub Pio Cod. quinque librorum lib. 2. cap. 117.
Baron. anni Chriſti 313. num. 52.
Maximè cum non ſumebant ss. Euchariſtiam.
Concil. Laod. c. 14. poſterioris edit.

Fiebat autem *Eulogiarum* benedictio quandoque poſt miſſam, vt auctor eſt Ho- E norius, & patet ex Concilio Matiſconenſi apud Burchardum, vbi hæc leguntur: *Cautum eſt, finitâ miſſâ à Presbytero oblationes accipere.* Gregorius Turonenſis: *Poſt miſſas autem petijt, vt ei Eulogias dare deberemus.* De his etiam *Eulogijs* ita ſtatuit Regula Magiſtri: *Cùm Eulogia à Pontifice ſumma, vel à Sacerdotibus ſequentibus monaſterio aduenerint, mox Abbas oſculans tranſmiſſum Eulogia munus, & donans ſecum omnibus qui ibi aſtant, orent dicentes hunc verſum: Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, cum Gloriâ, & complens ſedeat.* Hæc citans Petrus Rouerius,

Eulogiarũ benedictio quando.
Honor. in gem. animæ cap. 67.
Conc. Matiſc. c. 50.
Burchard. lib. 5. c. 31.
Greg. Turon. lib. 5. hiſt. Franc. c. 14.
Reg. Mag. cap. 76.

NOVI-VIATVS. Rou. illust. hist Reom. num. 23.

Roucrius, vtroque loco legit OBLAGIAS, quod an vocis corruptione, an nominis mutatione factum sit, ambigit; nisi quod licet conijcere, ait, Ex *Eulogijs* primo factas *Eblogias*, ac deinde *Oblagias*, vnde hodieque Galli panem tenuissimum vocant

Oblies, Oblaet, Obly.

OBLIES. Verum Kilianus in Etymologico à Latinâ voce OBLATA deducit. Oblaet/ inquit, vetus, id est, Oblije/ eamque synonimo exponens Oblije / Outwel. Alij hîc ad Græcam vocem ὀβελίας ἄρτος confugiunt, quod nimirùm panes hi, vt Athenæus annotauit, Obolo venderentur, vel quod in Obelis, siue verubus assarentur, vnde ὀβελιαφόροι, qui illos panes ferebant in Bacchi pompis humeris impositos. Apud Græcos, vt Cabasilas scriptum reliquit, Sacerdos sacrificio peracto, oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in multa diuisum tradit fidelibus, vt qui sanctus sit, eò quòd téplo fuerit dedicatus & oblatus. Illi autem cum reuerentiâ suscipiunt, & dexteram deosculantur.

Athen. lib. 3. — *Cabasil. cap. 53.*

Eulogiæ hæreticis & excommunicatis non dabant. — *Laod. can. 32.* — *Turonens. lib. 5. hist. cap. 10.* — *Vit. Patr. lib. 5. libel. 15. num. 8.*

Vt autem in signum communionis, & communicationis in eadem fide *Eulogiæ* exhibebantur, ita quoq; in Concilio Laodiceno statuitur: *Quod non oporteat hæreticorum Eulogias accipere.* Vnde & excommunicati Episcopi *Eulogias* dare prohibebantur, vt videre est apud Gregorium Turonensem de Vrsicino Cadurcensi Episcopo excommunicato. Nec verò excommunicatis fas erat *Eulogias* accipere, vt facto suo ostendit Abbas Arsenius: cui cùm fratres in Schiti nihil transmisissent ex paucis, quas acceperat, caricis, *non est egressus iuxta morem ad opus Dei cum Fratribus celebrandum, dicens: Excommunicastis me, vt non mihi daretis Eulogiam, quam transmisit Dominus Fratribus, ex quâ ego non fui dignus accipere.* Qui porrò ab excommunicationis vinculo absoluebantur, *Eulogijs* donabantur, vt legere est apud Gregorium Turonensem, lib. 5. hist. cap. 14.

Apud Benedictinos frequens Eulogiarum vsus. — *In antiq. Fuld. nu. 4.* — *Can. 68.* — *Ritus eas benedicendi, & sumendi.*

Vt verò ad nostri Ordinis Monachos veniamus, videtur & apud ipsos *Eulogiarum* vsus frequens & quotidianus fuisse. Fuldenses enim in supplici libello, quem Carolo Magno porrexerunt, ita habent: *Quod communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere, non respuatur, secundùm exempla præcedentium Patrum.* Et in Aquisgranensi Concilio decernitur, *vt Eulogiæ Fratribus à Presbyteris in refectorio dentur.* In peruetusto autem codice, qui ritus & cærimonias Affligeniensis nostri Monasterij describit, particularis habetur praxis harum, vt puto, *Eulogiarum*, quam compendio hîc repræsento. Offerunt singuli Religiosorum in patena hostiam vnam, & aliquantum vini, vtrumque autem à Sacerdote cum Diacono & Subdiacono ad gradum Presbyterij stante suscipitur. Ex omnibus autem oblatis hostijs vnam Sacerdos eligit, & seorsim ad consecrandum ponit similiter ex calice in quo omnium vinum receptum fuit, tantùm suo calici infundit, quantùm ad celebrationem missæ sufficit, reliquum vini in piscinâ mittitur. Hostiæ verò oblatę duabus pixidibus congruo loco extra altare positis immittuntur. Horâ autem prandij in refectorium deferuntur, & in mensâ superiori ponuntur, quas datâ benedictione duo Sacerdotes, qui matutinalem scilicet & summam missam celebrarunt, singulis distribuunt, vnus in latere Abbatis, alter verò in latere Prioris. Sumuntur autem hostiæ hæ cum reuerentia assurgentibus his, qui eas accipiunt, casque manducantibus, antequam alia cibaria masticêtur. Reuerentiam quoque in suscipiendis his *Eulogijs* requirebat S. Columbanus; *Eulogias*, inquit, *immundus accipiens, duodecim percussionibus emendetur.* Atque hîc erat publicus *Eulogiarum* vsus, de quo non arbitror Sanctum BENEDICTVM agere.

Cum reuerentiâ. — *Columb. Pœnitent.*

II. Eulogiæ sumpta pro munusculis.

SECVNDÒ, erat & aliud *Eulogiarum* genus priuatum, ad imitationem fortasse publici illius introductum, quo amici inter se vltro citroque munuscula, quæ *Eulogias* vocabant, mittere atque accipere consueuerunt; cuius quidem antiqui vsus exempla complura suppetunt, & inter alia S. Paulini Nolani Episcopi, & Augustini, vt in *Commentario ad vitam* S. BENEDICTI obseruauimus.

Cap. 8. nu. 3.

III. Esculenta varia. — *Lib. 1. de vit Patr.* — *Pallad. cap. 12. Lausiac.* — *Heracl. cap 13.* — *1. Reg. 25.*

TERTIÒ, prętcr panem, & alia quęcumque esculenta *Eulogiarum* nomine censebantur; sic in vitâ Frontonij diues mittens per camelos ex omnibus bonis, quibus famuli Dei poterant vesci, dicitur *Eulogias* submisisse, & cùm recepisset eosdem camelos cum medietate transmissorum munerum; *tunc & ille amicos, & pauperes plures, ad prandium nobile vocat, easdemque Eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat.* Et Palladius scribit, etiam *bellaria*, siue vt habet Heraclidis Paradisus, *varia leguminum genera, nucum atque pomorum*, Fratribus in Ecclesiâ fuisse pro benedictione allata. Eodem modo Abigail accipiens *ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum*, attulit ad Dauid, dicens: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua.* Vbi Hebraicum הַבְּרָכָה *Habberachah*, LXX. transtulerunt: λάβε τὴν εὐλογίαν ταύτην. Eadem tam Hebræa quam Græca vox occurrit 4. Reg. 5. 15. vbi Naaman à leprâ mundatus, ait; *Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo.*

QVARTÒ,

IV. *Eulogiæ pro reliquijs Sanctorum.* QVARTÒ, S. Gregorius * *Eulogiarum* nomine etiam appellat illa munera, quæ ex reliquijs Sanctorum mittuntur. Eulogio enim Patriarchæ Alexandrino pro his gratias agens, ita scribit: *Eulogias verò S. Marci à beatissimâ fraternitate vestrâ transmissas cum eâ charitate, quâ transmissa sunt, secundùm notitiam earum suscepimus.* Alibi Latino vocabulo, eas BENEDICTIONES vocat: Dinamio enim Patricio scribens: *Transmisimus*, inquit, *B. Petri Apostoli* BENEDICTIONEM, *crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta.* Item Leontio Exconsuli: BENEDICTIONEM *vobis S. Apostolorum Principis, clauem sacratissimi sepulchri eius, in quâ* BENEDICTIO *de catenis illius est inserta, transmisimus.* Et * alibi sæpiùs.

Greg. lib. 11 Epist. 49.
Lib. 2. Epist. 33.
Lib. 7. Epist. 34.
** Lib. 2. Epist. 47.*
Lib. 7. Epist. 34.
Lib. 7. Epist. 128.

V. *Et cuiusuis generis dona.* QVINTÒ, *Eulogiarum* nomine cuiusuis generis munuscula designari solent, prout in sacrâ scripturâ beneficia, dona, ac munera quælibet, *benedictiones* appellantur, Hebraicum enim בְּרָכָה *Berachah*, idem est quod Græcè *Eulogia:* sic Iacob cùm dixisset: *Placabo* Esau *muneribus quæ præcedunt* (erant autem greges ouium, arietum, camelorum, vaccarum, taurorum) cùm ad illum accessisset, dixit: *Suscipe* BENEDICTIONEM *quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus.* Sic Axa petens à patre Caleb terram irriguam, aiebat: *Da mihi benedictionem.* Sic Dauid mittens dona de prædâ hostium Senioribus Iuda, dixit: *Accipite benedictionem.* Et alibi locis pluribus. S. Paulus 2. *Corinth.* 9. 5. & 6. εὐλογίαν sumit pro *eleëmosynis*, Syr. est *beneficentia.* Cur autem eleëmosynas, munera & beneficentiam, *Eulogiam*, siue benedictionem vocauerint, duplex caussa est. Prior, quòd Patriarchæ, prisci fideles, & Eremitæ, alijque Sancti noui testamenti, sua dona cum faustâ apprecatione, & benedictione communicabant. Posterior, quod suauius & mollius tam dando, quàm petendo, donum quoduis vocetur *benedictio* potiùs quàm beneficentia. Sic enim & petentes & dantes donū suum modestè extenuant. Vnde pauperes honesti eleëmosynam petentes, quasi rem facilem & exiguam, vulgò petunt *benedictiones*, & diuites vicissim eam dantes, quasi rem paruam, vocant pariter *benedictionem.* Ita Cornelius in hunc locum.

Genes. 32. 20.
Genes. 33. 11.
Iosue 15. 19.
1. Reg. 30.
Eleemosyna cur dicta à S. Paulo Eulogia?

S. Benedictus quas Eulogias recipi vetuerit. Sed his præmissis, vt S. BENEDICTI decretum illustremus, asserendum videtur, interdictas ab eo cuiusuis generis *Eulogias*, siue Panes, siue esculenta, siue alia quæcumque fuerint munera, vt illud, *aut quælibet munuscula*, accipi possit pro prioris vocis explicatione. Post litteras autem *Eulogiarum* mentionem fecit, quod hæ communiter cum illis transmitterentur, vt in Epistolis S. Gregorij, & aliorum videre liA cet. Nam, vt Eduardus Maihew annotauit, viguit inter antiquos Ordinis nostri Monachos hic mos, vt ad mutuum amorem conciliandum, alter alteri cum licentiâ Abbatis xeniola quædam, siue *Eulogias* omnis ferè generis mitteret; imò munuscula hæc ferè semper epistolas comitabantur. Nec à se inuicem solùm, sed etiam à sæcularibus huiusmodi *Eulogias* recipiebant, vicissimque mittebant, cùm veniâ tamen Abbatis, vt S. BENEDICTVS præscripsit. Atque ita S. Cutbertus in episto B lâ de transitu Venerabilis Bedæ, quæ ad calcem operum eius habetur, & recitatur à Baronio, scribit S. Bedam habuisse quædam pretiosa in capsellâ, id est, piper, oraria, & incensum, quæ moriturus presbyteris Monasterij sui distribuerit. Sic S. Siniardus Anisolēsis Abbas iam mortuus, in medio SS. Petri & Pauli cuidam fratri apparens, dixit: *Frater, ego Christo ago gratias, qui me dignatus est nunc in requie suâ suscipere. Vado ecce cum Dominis meis præsentibus: vos verò Eulogias, quas ego paraui, ferte* C *germanæ meæ & eius sororibus.*

NOVITIATVS. Antiqua consuetudo Benedictinorum in his transmittendis. Maihew tab. 2. troph. Angl.
Baron. tom. 9. an. Christi 731.
Seruabant eo fine in capsis.
Surius 1. Martij.

Notandum porrò, non prohiberi absolutè à S. BENEDICTO *Eulogias* suscipi, aut dari, sed tantùm ne id fiat *sine præcepto*, siue licentiâ, *Abbatis.* Similiter Cæsarius: *Si aliqua transmittere voluerit Eulogiam, priùs Matri suggerat, & si ipsa permiserit, per posticiarias det, & ipsa nomine illius transmittant cui voluerit.* Quod in suam Regulam transtulit Donatus. In pœnis quoque S. Basilio adscriptis, ita decernitur: *Si quis mittit alicui benedictionem* (Græcè εὐλογίαν) *aut ac*D*cipit aliquid aliunde, excepto Archimandritâ, careat benedictione.*

Prohibitæ sine Prælati licentiâ.
Cæsar. reg. Sanctimonial. art. 38.
Basil. art. 49.

Quia autem à parentibus & propinquis plerumque munuscula transmitti solent, religiosam admodum Legislator noster adhibet cautionem, ne animus hac occasione vllatenus inquinetur. Sic enim ait: *Quod si etiam à parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate cui illud iubeat dari: Et non contristetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo.* E *Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.* Peccauerat in hoc Regulæ caput Catellus Monachus, quem cum Vrbicus Abbas peteret Præpositum fieri Lucusiani Monasterij sub Bono Abbate, negauit S. Gregorius id faciēdum, quia, inquit, *quòd Monachus non sit agnonimus. Ex paruâ enim Eulogiâ, quam Bonus Monachus accepit, partem petendo, contentionem facere in itinere minimè timuit; quòd ex quantâ amaritudine cordis descēderit, poterit tua dilectio scire, si Regulam Monachorum nosse voluisset.* Vbi ad hoc

S. Benedicti de his decretum.
Cap. 54.
Greg. lib. 9. Epist. 42. Ad quod allusit S. Gregorius.

Regulæ

NOVITIATVS.

Regulæ caput alludit. Et videtur *Eulogia* ista Catello fuisse missa, vt hoc titulo contra Regulæ præceptum pro ea contenderit. Et quod Gregorius ait, ex amaritudine cordis hanc contentionem descendisse, id nimirùm, id est, quòd S. BENEDICTVS dixerat: *Non contristetur Frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo.*

DISQVISITIO V.

Cur proprietas vitium nequissimum *dicta?*

VT suorũ à proprietate animos quàm posset maximè deterreret S. BENEDICTVS, peculiari eam epitheto perstrinxit, & VITIVM NEQVISSIMVM appellauit. Quàm autem meritò, hac disquisitione vtcumque apparebit. *Nequissimum* autem à positiuo *Nequam* est, quod Varro deriuat ex *ne* & *quidquam*: *Vt, ex non & volo, nolo: sic ex ne & quidquam, item mediô extritô syllabâ, coactum est nequam. Itaque vt eum, quem putamus esse non hili, dicimus nihili; sic in quo putamus esse nequidquam, dicimus nequam.* Cui cõsentiens Augustinus, ait: *Ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequidquã sit, id est, ex eo quod nihil sit, veteres dictam esse voluerunt. Cui vitio quæ contraria virtus est, frugalitas nominatur. Vt igitur hæc à fruge, id est, à fructu, propter quandam animorum fecunditatem, ita illa ab sterilitate, hoc est à nihilo nequitia nominata est.* Hæc Augustinus. Qui veteres nominans, ad Ciceronem fortè respexit, qui *nequitiam* frugalitati vult esse contrariam. Et in Orat. pro C. Fonteio, de L. Calpurnio Pisone, ait; *Tantâ virtute atque integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus cum hominem inuenire nequam neminem posses, solus tamen frugi nominaretur.* Donatus autem *nequitiã* dici vult, quod *nihil queat, nullique rei apta sit*. Sed enim si nihil queat, nulli rei apta sit, ab sterilitate & nihilo nomen habeat, vnde ei gignendi vis, vt vitiorum omniũ mater sit, ex nihilo enim nihil fit, & sterilis non parit. Respondetur iuxta ea, quæ Augustinus alibi ait: *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant.* Ex vno autẽ peccato plura pullulare notissimum, & hasce filias genitrici suæ esse simillimas. Nónne ex fame & ventris inanitate plures oriuntur morbi? at *nequitia*, vt idem ait Augustinus, *quædam sterilitas & quasi fames animorum est. Nam quemadmodum corpus detracto cibo plerumque morbis atque scabie repletur, quæ in eo vitio indicant famem, ita & illorum animi pleni sunt morbis, quibus suaieiunia confitentur.*

Nequissimum autem hoc vitium plurium aliorum esse progenitricem, ab alijs quo-

Etymologia nequam à ne & quidquam. Varro lib. 9 de ling. Lat.

August. lib. de vit. beat. disp. 1.

Nequitia frugalitati contraria.

Tusc. 4.

Alias significationes vide apud Agellium, lib. 7. c. 11.

Vnde nequitia cum nihil queat & sit, vitia generat.

Id. tract. 1. in Ioan.

Pulchra obseruatio S. Augustini.

Idem lib. de beat. vit. disp. 2.

Quòd tot vitia & mala oriantur ex proprietate.

A que obseruatum. Cassianus siquidem ait: *Receptaculum est vitiorum, malorumq́; omnium radix, & inextricabilis nequitia fomes efficitur, dicente Apostolo: Radix omnium malorum est philargyria, id est, amor pecuniæ.* Cuius noxiam deinde & multiplicem sobolem describit: *Pro hac non mendacij, non periurij, non furti facinus admittere perhorrescit, non fidem frangere, non iracundia noxio furore succendi. Si quoquam à spe quæstus deciderit; nõ honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitque ei per omnia, vt alijs venter, ita huic*
B *aurum & spes lucri pro Deo. Vnde Apostolus huius morbi noxia veneno prospiciens, non solùm eam radicem esse omnium malorum, verùm etiam idolorum seruitutem pronunciauit, dicẽs: Et auaritia, (quod in Græco dicitur φιλαργυρία,) quæ est simulacrorum seruitus.* Itẽ ille, *Qui* subdit eò Monachum hac rabie pertrahi, vt suæ professionis efficiatur desertor. Quòd & S. Basilius cõfirmat, dicens: *Qui proprium aliquid habere studet, is sine dubio nihil aliud quàm disiunctionem & defectionem à ceteris meditatur.* Audiendus quoq; Magnus Gregorius infaustam stirpem huius vitij per-
C stringens: *Si*, inquit, *peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia, neque charitas in congregatione poterit permanere.* Concinit huic perfamiliaris amicus S. Leander: *Peculiare, quod in cœnobijs pro magno crimine habetur, tu pro grandi euita contagione. Adulterium certè est, quia conscientia bona integritatem vsurpatæ rei prauitate maculat. Furti crimen est, quoniam dum omnia, quæ habentur in monasterio, omnibus sunt communia, habere vnà latenter præsumit, quod à ceteris ignoratur. Fraus est manifesta quia reponit in commune, quod possidet, sed exiguam paruitatem priuatim occultat fraude.*
D *Vnum crimen, sed plura contagia. Tanta nequitiæ malum velut gehenna euita præcipitium; & quasi iter eone ducens ad infernum.*

Ex his iam facilè liquet, quàm meritò S. BENEDICTVS hoc *vitium* appellauerit *nequissimum*, quamq́ue vberi prouentu alia ex se generet.

Quadruplex in eo notari solet malitia. PRIMÒ enim est violatio paupertatis religiosæ Deo deuotæ, per quam omnibus se facultatibus, bonisq́ue nudauit.

SECVNDÒ, interuenit quoq́ue inobediẽ-
E tia, propter præcepta cum Regulæ, tum etiam consiliorum, & decretorum summorum Pontificum.

TERTIÒ, nõ raro annectitur ei iniustitia, & furti malitia. Vnde Basilius: *Furtũ est, priuata possessio.* Et Augustinus: *Quod si aliquis rẽ sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.* Vnde passim proprietarius à Patribus, Ananiæ & Saphiræ, imò ipsi traditori Iudæ comparatur. Hugo Victorinus in citata Augustini verba: *Frater, qui rem sibi collatam celauerit,*

Cass. lib. 7. Instit. c. 6.

1. Tim. 6.

Cass. cap. 7.

Coloss. 3.

Cap. 4. Viam sternit ad apostasiam.

Basil. const. Monast. cap. 15.

Gregor. lib. 10. epist. 22.

Leand. in Instit. virg. cap. 18. Magnum crimen & pestilens.

Quadruplex eius malitia. Prima.

Secunda.

Tertia. Furti malitiam habet. Basil. const. Monast. cap. 31. August. in Reg. ad Patres, &c.

Scolastici in has sententiâ. *celauerit, Iudæ traditoris locum tenet in Ecclesiâ sanctâ, qui fur erat & latro, & loculos habens.* Agnoscunt & Scholastici in hoc peccato furti malitiam. Suarez: Vsurpare aliquid ex bonis monasterij propriâ auctoritate, ex se est contra paupertatem, imò & contra iustitiam. Quod posterius probat, quia est vsurpatio rei alienæ inuito domino, scilicet ipsâ Religione, apud quam est tantùm bonorũ dominium vel administratio. Idẽ docet Lessius, & Layman dicit solũ vsum rei sine licentiâ Prælati attentare, non solùm voto repugnare, sed esse etiam speciem furti. Sanchez verò nullam ait differentię rationem se inuenire in acceptione Religiosi sine licentiâ, & in furto, cùm hoc casu accipiatur res inuito Superiore. Hinc Clemens VIII. inter casus, qui possunt per Pręlatos Regulares reseruari, ponit furtum mortale, vti quoque proprietatem mortalem. Censetur autem furtũ mortale in Religioso, quod tale foret in sæculari: cum hac tamen consideratione, vt respectu rerum monasterij sui de eo iudicetur, sicut de furtis filiorum familias. Quæ vide apud Lessium, & Rebellum, *l. 3. de Iust. p. 1. q. 15. sect. 3 num. 22.*

Suar. to. 4. de relig. l. 8. c. 11. n. 19. Less. de iust. l. 2. c. 41. dub. 9.

Laym. l. 4. tr. 5. cap. 7. Sanch. l. 7. moral. c 21. num. 29. *Inter casus reseruatos.*

Less. suprà c. 12. dub. 13

B

C

Quarta malitia est sacrilegij, vt censet Basilius. QVARTÒ, est denique in hoc proprietarij furto malitia *sacrilegij*, distincta ab illâ, quâ violatur votum paupertatis; quia nimirum res Deo sacrata accipiatur. Hinc Basilius de instrumentis opificum in monasterio quærens, *Quid si ex incuriâ aliquis omiserit, aut ex contemptu abusus fuerit?* Respondet: *Prorsus qui abusus sit, is tamquam* SACRILEGVS: *qui verò amiserit, tamquam* SACRILEGII *auctor iudicatur: cùm omnia Domino sint dedicata, & Deo consecrata.* Et Cassianus de priscis agens Monachis: *Vtensilia ac vasa tantâ solicitudine, curaque custodiunt, ne quid ex eis imminuatur, vel pereat, vt credant se etiam pro minimis quibusque vasis, tamquam pro sacrosanctis, Domino rationem reddituros.* Et infrà: *Si quid fuerit monasterio illatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentiâ debere tractari.* Hunc de More imitans S. BENEDICTVS, monet, vt Cellerarius *omnia vasa monasterij, cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat*: Quod intellige non æqualiter, sed proportionaliter, vt ait Turrecremata. Hoc est, pro ratione & proportione sui gradus, & ordinis inter res sacras. Sunt enim multa rerum sacrarum genera, vt notat D. Thomas, in quorum postremo sunt bona ecclesiarum, & monasteriorum.

Basil reg. breu. interrog. 144.

Et Cassianus. Cass. lib. 4. Instit. c. 19.

Cap. 20.

Reg. c. 31.

S. Th. 2. 2. q. 59. art. 3.

DISQVISITIO VI

Quæ proprietariorum pœna?

Proprietariorũ pœna. ÆQVA, ni fallor, lance proprietatis expendimus culpam, nunc quæ eam consequatur pœna, discutiendum. Non vna tam multiplici vitio decreta inuenitur.

A

NOVITIATVS.

PRIMÒ enim, Legifer noster itâ statuit: *Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum: si non emendauerit, correptioni subiaceat.* Quibus in verbis notanda S. P. discretio. Vult enim priùs deprehendi reum, quàm iudicari: atque vt vindictam duplex præcedat admonitio, quæ quidem in cap. *cùm ad monasterium* vocatur *regularis monitio.* Nimirum quòd in ipsâ Regulâ præscribatur, vt *contrarius existens sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum suorum contemptor repertus, admoneatur semel, & secretè à senioribus suis.* Jam verò quod sequitur: *Si non emendauerit, correptioni subiaceat*; intelligendũ de publicâ, de quâ antè dixerat: *Si non emendauerit, obiurgetur publicè corã omnibus.* Sed quid, si neque sic correxerit? tum locũ habebit, quod alibi ait: *Si cui iniunctum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat.* Quæ verò hæc grauissima disciplina? Respondet apud Boërium Nicolaus de S. Germano, esse maiorem excommunicationem, additque Bernardus Cassinensis, *quia his gradibus* (correptionum) *non seruatis, excommunicationem intelligo grauissimam disciplinam, vt sicut notorius proprietarius puniatur.* Vult tamen Boërius per omnes gradus cap. 23. descriptos deduci; vt sic grauissimæ disciplinæ subiaceat, id est, *vindictæ corporali subdatur.* Probabiliter omninò. Nam & Cassianus, plagis hanc culpam scripsit expiari. Pœnitentiale verò S. Columbani hunc plagarum taxans numerum, ait: *Operis peculiaris præsumptio centum plagis. Possessio alicuius rei, quam non necessitas generaliter fratribus concesserit, amissione eiusdem, & centum plagis coërceatur.* Boerius censet esse arbitrarium. Ex his ergo colligitur corporalis vindictæ pœna.

I. *Vindicta corporalis.* Reg. c. 33. *Quomodo in correptione procedendum iuxta Regulam.*

Cap. 23.

B

Cap. 33.

Cap. 23.

Cap. 55.

Quid grauissima disciplina.

C

Excommunicatio.

Boërius intelligit per ensionem.

Cassian. Inst. lib. 4. cap. 16.

Plagarum numerus.

D

II. *Expulsio de monasterio.* SECVNDA pœna ex Cassiano, est expulsio de monasterio, quam etiam infligit Innocentius III. dicens: *Si post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissâ, de monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi priùs pœniteat secundùm monasticam disciplinam.* Quam S. BENEDICTVS descripsit cap. 29. nimirum, vt *spondeat omnem emendationem vitij, pro quo egressus est.* Hanc pœnam viguisse apud Cistercienses, colligas ex Cæsario, qui de proprietarijs agens, *Lacerat*, inquit, *illorum conscientiam opprobrium, si deprehensi fuerint*, EIECTIONIS. Notat porrò Abbas per *cap. fin. de regul.* interdictam hanc expulsionem, & expellendum aliàs, iubet in monasterij ergastulo concludi ad agendam pœnitentiam, ne vagandi occasio detur. Thomas à Iesu scribit in suo Ordine infligi pœnam carceris duorum mensium, imò expulsionis ab Ordine, si correptus noluerit emendari, vt in specie

Cap. cum ad monast. de stat. monach.

E

Cæsar. homil. in sexag.

Abb. in id. c. num. 13. *Antiquata, & in carcerẽ mutata.*

Thom. à Ies. in c. non dicatis p. 2. cap. 2. *Nõ vbique.*

NOVITIATVS. Conc. Antiſ. can. 13.

conceſſum à Sixto V. Gregorio XIII. & Clemente VIII. Affinis pœna eſt, de quâ Antiſſiodorenſe II. *Si Monachus peculiare habere præſumpſerit, ad agendam pœnitentiam in alio monaſterio detrudatur.*

III. *Priuatio vocis actiuæ & paſſiuæ.* Trid. ſeſſ. 25. c. 2. de regul.

TERTIA pœna, à Conc. Tridentino inflicta, vt in proprietate *deprehenſus, aut conuictus, biennio actiuâ & paſſiuâ voce priuatus ſit, atque etiam iuxta ſuæ Regulæ & Ordinis Conſtitutiones puniatur.* Hæc pœna expreſſe ſententiam iudicis exigit, & tantùm comprehendit retinentes *proprium*, vt docet Palacius, 4. *diſt.* 38. *diſp.* 1.

IV. *Inhabilitas ad beneficia.* Benedictin. cap. 16.

QVARTA pœna, Benedictus XII. ſtatuit, vt proprietarij ſint *inhabiles ad beneficium, prioratum, adminiſtrationem, officium, regimen & gubernationem quamlibet in Ordine ſeu Religione obtinenda.* Permittit tamen, vt Abbates ſuper his pœnis diſpenſare poſſint cum ſuis Monachis.

V. *Proprietarij excommunicantur.*

QVINTA pœna quibuſdam peculiaris, eſt Excommunicatio, de quâ Gregorius IX. in Bullâ ad Cluniacenſes: *Monachis proprietarijs etiam pœna iuxta morem Ciſtercienſis Ordinis infligatur: & in proprietarios excommunicationis ſententia promulgetur: niſi Monachus proprietarius reſtituerit, quæ ſuis fuerint monaſterijs reſignanda.* De Ciſtertienſibus teſtem habemus Cæſarium ſupracitatum, cùm ſcribit metuere proprietarios *pœnam Excommunicationis*, ſi deprehendantur. Carthuſiani ſtatuunt, vt ſingulis annis *Monachi à quinquageſimâ vſque ad ramos Palmarum, quidquid habent oſtendant, & exponant voluntati Prioris. Et ipſa Dominica in Ramis Palmarum omnes conueniant in capitulo Monachorum, ibique non præmiſſo alio ſermone, tractetur de conſuetudinibus Ordinis: & excommunicetur à Priore, & à ſingulis Sacerdotibus omnis tam præſens, quàm abſens, qui occultando animo retinuerit aliquid vltra 12. denarios valens; donec illud oſtendat vel exponat Priori.* In 2. autem parte *Stat. Nouorum* decernitur, vt hæc excommunicatio deferatur in ſcriptis. Sed & in Ordine noſtro non diſſimile inuenitur. Nam in Statutis Capituli Prouinc. Northamtoniæ in Angliâ celebrati, cap. 3. præſcribitur vt *omnes proprietarij*, aliique criminoſi, *primo die lunæ quadrageſimæ legitimâ monitione præmiſſâ, per locorum Prælatos excommunicentur in ſcriptis, ſi hoc Prælati iudicauerint expedire*, quæ totidem verbis reperiuntur in alio capitulo ibidem celebrato conſtituta. In Ordinario Burſfeldenſi tam monitionis præmittendæ, quàm ipſius excommunicationis forma præſcribitur. Excommunicationem ita peragendam ſtatuit. *Feriâ quintâ ante Paſcha, manè in capitulo habitâ locutione de Ordine, Abbas poſtulet ſibi præſentari Stolam & Virgam paſtoralem quibus à Sacriſtâ ſibi traditis, & accenſâ candelâ, in ſcriptis excommunicet omnes proprietarios, conſpiratores, incendiarios, & fures, Monachos & conuerſos, ſub hac formâ verborum. Nos N. diuinâ permiſſione Abbas huius monaſterij, more Ordinis, iuxta antiquam & approbatam conſuetudinem, trinâ ac canonicâ monitione præmiſſâ, omnes iam dicti monaſterij noſtri Monachos, & Conuerſos proprietarios, conſpiratores, incendiarios & fures in his ſcriptis auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti, & totius Ordinis excommunicamus: & vt tales, arctiùs vitari in diuinis, & extrà volumus.* In recentioribus Conſtitutionibus Ord. Carmelitarum antiquæ obſeruantiæ à S. D. N. Vrbano VIII. confirmatis ità ſtatuitur: *Quotannis volumus in ſingulis obſeruantiæ noſtræ conuentibus in refectorio, aut capitulo, nullo de Fratribus abſente, ſolemne pronunciari anathema, & excommunicationem euibrari in proprietarios, ad quam omnes reſpondeant, Amen.*

Stat. antiq. Carth. 2. p. c. 22. n. 19. — Praxis Carthuſianorū. — Cap. 5. — Benedictinorū in Angliâ olim. Subijciūtur Apoſtolatui Benedictin. Reyn. Anno 1343. Cap. 6. — Burſfeldenſium. Ordin. Burſf. c. 11. Cap. 39. — *Excommunicationis formula.* — Carmelit. antiq. obſeruantiæ. 1. part. c. 3. num. 22.

VI. *Reditus ad Nouitiatū.*

SEXTA pœna à Nicolao IV. in Bullâ ad Cluniacenſes ſtatuta. *Pœna*, inquit, *Monachus proprietarijs infligatur: videlicet vt per annum ad ſtatum * nouum redigantur: & infra dictum annum aſſiduè coram conuentu comedant in terrâ ſedentes.* Et hactenus quæ in viuos ſtatutæ ſunt pœnæ. Quæ verò ſequitur.

* Fortè Nouitiorū.

VII. *Proprietarij non poſſunt ſepeliri in loco ſacro.* Cap. cum ad monaſterium.

SEPTIMA pœna, mortuos perſtringit, & in ſacris litteris vocatur *ſepultura aſini*; quam Innocentius III. his verbis expreſſit: *Quòd ſi proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra monaſterium in ſterquilinio ſubterretur. Secundùm quod B. Gregorius narrat in Dialogo feciſſe.* Habetur illud ipſis Gregorij verbis, *lib.* 4. *Dialog.* Vbi cauſſam huius ſuæ reddens ſententiæ, ait: *In quibus vtriſque rebus, vnum morienti, alteram verò voluit prodeſſe fratribus viuentibus: vt & illum amaritudo mortis à culpâ ſolubilem faceret, & iſtos auaritia tanta damnatio terreret, atque à culpâ prohiberet: quod ità factum eſt. Nam cùm idem Monachus perueniſſet ad mortem, atque anxiè ſe quæreret commendari fratribus, & nullus è fratribus ei applicari, & loqui dignaretur, ei carnalis frater, cur ab omnibus eſſet abominatus, indicauit. Qui protinus de reatu ſuo vehementer ingemuit, atque in ipsâ triſtitiâ ſuâ è corpore exiuit, qui ità eſt ſepultus, vt dixeram. Sed fratres omnes ex eadem eius ſententiâ conturbati, cœperunt ſinguli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter ſemper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud eos eſſet, vnde reprehendi potuiſſent.* Hæc Gregorius. Qui fortè diceret hanc cenſuram ex ſimili facto, quod apud Ægyptios olim contigit, vt narrat S. Hieronymus.

Gregor. lib. 4. dialog. cap. 11. — *Salubriter id ſtatuitur ad aliorum terrorem & bonum.* — *Vt patuit ex facto S. Gregorij.* — Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtoch.

Viguiſſe deinceps hanc in ordine noſtro pœnam, docemur ex facto Nicolai, Abbatis Hardenhauſenſis, qui fratrem ſuum carnalem;

Quod Nicolaus Abbas imitatur.

Cæsar. Homil. 10. domin. in sexag.

carnalem; verba sunt Cæsarij Heisterbacensis, *suæque domus Monachum, propter vnum obulum, qui inuentus est circa eum, cum moreretur, extra cæmeterium sepeliri facit, atque eundem obulum super ipsum iactari, cunctis clamantibus: Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Primi Cistertienses proprium execrati. Ibidem.

Vides, vt proprietatis vitium execrati fuerint primi illi Cistertiensium Patres, quibus cùm exacta Regulæ obseruatio cordi esset, & illud, teste eodem Cæsario, in more fuit. *Cum*, inquit, *aliquid proprij ad lectum Monachi alicuius repertum fuerit, non tollitur, vt reseruetur: sed in ignem mittitur, vel mortuo consepelitur.* Subdit verò *Monachus habens obulum, non valet obulum.*

DISQVISITIO VII.

Quomodo necessaria fratribus distribuenda?

ENORME proprietatis vitium, eiusque pœnam multiplicem considerauimus; quid superest, nisi vt tanto malo adhibeatur remedium & medicina? quam non melius exspectes, quàm ab eius malo, qui hoc vitium radicitùs amputari voluit de monasterio. Proinde ab erudito medico præscriptos hos quinque *Recipe* Aphorismos.

Aphorismi ad eradicandam è monasterys proprietatē. Cap. 33.

I. *Dentur à prælato omnia necessaria.* Cap. 55.

PRIMVS sit. *Vt hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria.* Et subdit rationem, *vt omnis auferatur necessitatis excusatio.* Ne quis scilicet necessarijs sibi deficientibus, clam illa alicunde accipiat aut procuret, factumq; excuset, quod necessitate compulsus fecerit. Qui enim sartam tectam tueri vult vitam communem, nihil is denegare debet quod sit verè necessarium. Sed quid hoc loco censendum *necessarium*? Respondet Thomas à Iesu, *Necessarium* esse non solùm quod ita ad statum requiritur, vt sine eo non possit consistere, sed illud sine quo non potest decenter aut conuenienter esse. Quare in Religione *necessarium* Monachis dicitur, quod non excedit eorum professionis statum. Hinc S. P. BENEDICTVS cùm dixisset: *Dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria;* quænam illa sint explicans, consequenter subdit: *Id est, cuculla, tunica, pedules, caliga, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula.* Hæc enim sunt Monachi vestimenta, & instrumenta scribendi, quibus addenda eodem capite recensita, quæ ad lectum & dormitionem spectant: statuitque; vt, *accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti.* Libros pro quotidiana lectione sumi vult de Bibliotheca: eamdem cibi potusque

Quæ hîc necessaria? Thom. comm. in c. non dicat part. 4. c. 4.

Cap. 55. *Vestimenta, & instrumenta ad laborem.*

Ibid.

Cap. 49.

A mensuram in communi refectorio omnibus subministrari. Si qui in viam diriguntur, ex vestiario communi ijs femoralia, cucullas, & tunicas assignat modicè aliquantò meliores his, quas habere soliti sunt, quas reuertentes restituant. Noluit proinde singulis esse vestes, & alia itineri accommodata. Instrumenta, siue, vt vocat, *ferramenta*, operis manualis, quamuis illud quotidianum sit, noluit esse penes singulos, sed penes certos officiales, quibus Abbas *singula consignet custodienda* B *atque recolligenda*, opere scilicet iam finito. Ex quibus constat, quàm modicam supellectilem S. P. suis indulserit, & quantus fuerit amator religiosæ paupertatis.

NOVITIATVS.

S. Benedictus modicā supellectilem suis indulget.

Cap. 32.

Quo modo autem ab Abbate necessariorum facienda distributio? respondet S. P. N.

II. *Distribuenda necessaria secundū cuiusque indigentiā.* Reg. c. 55. Act. 4. August. in Reg. n. 6. Reg. Tarn. cap. 9. Reg. c. 34. Cap. 55.

SECVNDVS APHORISMVS: *Ab Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis prout cuique opus erat.* Ergò non omnibus æqualiter, quia non æquè omnibus opus est. C Hinc Augustinus: *Distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes.* Et Regula Tarnatensis: *Non æqualiter omnibus: sed sicut ratio dispensationis, aut caussa infirmitatis exegerit.* Hoc ipsum est, quod Regula nostra ait: *Non dicimus, vt personarum, quod absit, acceptio sit; sed infirmitatum consideratio.* Et alibi: *Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium.* Cùm autem D vtrisque, & qui pluribus, & qui paucioribus indigent, periculum sit, ne hi in superbiam, illi incidant in tristitiam; vtrisque medicam manum adfert.

III. *Qui paucis eget, non inuideat; qui multis, humilietur.* Cap. 34. Leand. in reg. cap. 8. Exponitur.

TERTIVS APHORISMVS. *Qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordiâ; & ita omnia membra erunt in pace.* Quod in suâ Regulâ ad Florentinam, siue Institutione Virginum, exposuisse videtur S. Leander: *Nec debet*, inquit, *scandalizari quæ sana est, si remissiùs vel indulgentiùs quæ infirma est, alitur: sed magis eò se meliorem,* E *sanctioremque esse consideret, quòd fragilibus rebus non indiget, quibus eget infirmitas. Illa autem quæ infirmitatis obtentu meretur aliquid lenius; sit præ ceteris humilis; doleatque, se non posse, quæ aliæ possunt; & abstinentiam tempore laxatam, non reputet virtuti, sed infirmitati.* Seruauit & hanc necessaria dispertiendi methodum S. Fulgentius Ruspensis, de quo vitæ auctor. *Distribuebat ipse cum summâ discretione seruus Dei necessaria vitæ subsidia, singulorum vires, infirmitatesque considerans. Verumtamen quibuscumque plus ceteris consu-*

S. Fulgentius eo modo distribuebat. Apud. Sur. 1. Ianu.

NOVITIATVS.

lebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat, dicens eis: *De substantiâ communi quisquis alijs plus accipit, omnium fit debitor, quorum est illa substantia: debitorem porrò sola iuuabit humilitas. Sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando vni propter infirmitatem plus dare videretur.* Addendus iam

IV. *Habens necessaria, vitet superflua.* Cap. 33.

QVARTVS APHORISMVS. *Monachus necessarijs contentus, vitet superflua.* Ex mente, & pænè ipsis S. BENEDICTI verbis hunc apponimus. Nam si debeat *omnia necessaria à Patre Monasterij sperare nec quidquam habere liceat, quod Abbas non dederit, aut permiserit;* rectè colligas abijcienda *superflua,* cùm ab Abbate tantùm danda sint *necessaria,* consideratâ infirmitate indigentium. Quod & inde comprobatur, quòd enumeratis vestibus, quas Monacho credidit S. Patriarcha *sufficere;* statim subiunxerit: *Iam quod supra fuerit, superfluum est, amputari debet.*

Ex mente Legislatoris nostri. Cap. 55.

Trid. sess. 25. cap. 2.

Conformiter loquitur Tridentinum: *Mobilium vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quem professi sunt, conueniat, nihil superfluum in ea sit.* Si quæras, quid *Superfluum?* Respondet Ioannes de Fano, *Superfluum est illud, quo sublato, reliquum sufficit: duarum rerum altera superfluit, quando vna illarum sufficit: multum superfluit, quando parum satis est: pretiosum abundat, si vile satisfacit.* Sic ille. Et aptè quidem nostro indicio. Nam quod à Christi Prodromo pronunciatum: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat;* exponunt interpretes ita dictum, quasi vna sit illi superflua, quæ alteri est necessaria: si enim vnica esset tunica, non vtique eâ se priuare tenetur, vt alteri eam det, similiter de escis. Verbum autem Græcum magis hoc explicat; dicitur enim: *μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι, impartiatur non habenti,* id est, partem, quâ ipse non indiget, alteri det. Ita Toletus, Franc. Lucas, Maldonatus, Iansenius Episcopus Iprensis. Cur autem plures liceat habere vestes, & S. BENEDICTVS assignauerit duas tunicas, & duas cucullas, sequenti explicandum libro. Quod vlteriùs Ioannes à Fano dicebat: *Pretiosum abundat, si vile satisfacit;* congruit sanè cum mente S. BENEDICTI, qui in vestibus voluit attendi *quod vilius*

Quid superfluum. In discursu sup. obseru. paupert. FF. Minorũ.

Luc. 3.

Locus Euangelij explicatus.

In veste quærendum quod vilius. Cap. 55.

A comparari potest. Et sextum humilitatis gradum statuit: *Si omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus.*

Nullus, vt arbitror, hæc vt nimiæ perfectionis in Monacho contemnet, qui Romanum Sapientem legerit Lucilio suo scripsisse: *Quæ est enim virtus, superuacua contemnere præsertim hominem philosophum? tunc te admirare, cùm contempseris necessaria; tunc te admirare, cùm contempseris etiam sordidum panem.* Verùm si hæc non vsquequaque placeant, audi Thomam à Iesu ad normam

Superuacua spernere docuit. Sen. epist. 110.

B scholasticam disserentem: Ea, inquit, in præsenti *Superflua* appellamus, quæ neque ad vitam, neque ad decentiam status Religiosorum sunt necessaria. Quare superfluum pensandum est ex omnibus circumstantijs Religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. Vnde qui in vnâ Religione iudicatur moderatus vsus, in alterâ vt superfluus meritò reijcitur: & quod intra eandem Religionem vni est necessarium, respectu alterius iudicatur superfluum, & quod alicui tempore infirmitatis conue-

Tom. in c. non dicatis p. 4. c. 6.

Quæ variè consideranda in Religionibus.

C niens opportunumque est, id restitutâ sanitate eidem concedere, veræ derogat paupertati.

Reiecto igitur superfluo, [illegible]necessariarum tantùm rerum admisso vsu, videndum ne & in illo admittatur peccatum. Si nimirum ipsa vtensilia destruantur, corrumpantur, imminuantur, perdantur, aut ita negligenter tractentur, vt notabilis in ijs censeatur facta iactura. Hinc S. P. BENEDICTI

D QVINTVS APHORISMVS. *Si quis dum in labore quouis, in Coquinâ, in Cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliquâ dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbi vbi: & non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum: dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.* Et quod ante dixerat: *Si quis sordidè, aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur: si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.* Quos textus cùm de labore manuum agendum erit, infra nonnihil illustrabimus.

V. *Necessarijs vtendi sine eorũ notabili iacturâ.* Reg. c. 46.

TRACTA-

TRACTATVS VIII.

DE RITIBVS PROFESSIONIS, EIVSQVE RENOVATIONE.



Cerimoniarum sacrarum commendatio.

ON *solam hominis substantiam Philosophi, Medicique considerant, sed de varijs eiusdem agunt accidentibus:* Theologi, *non actiones modò humanas, sed & earumdem examinant circumstantias: non secus & nos explicatâ Professionis nostræ substantiâ, & votorum in quibus illa consistit, obligatione; de sacris Ritibus Cærimonijsque quæ in eorumdem nuncupatione solent* adhiberi, *tanquam de accidentibus, circumstantijsque agendum duximus. Nam vt arbores folijs, homines suis exornantur vestimentis; ita externæ Cerimoniæ sacris actionibus adhibitæ, plurimum conferunt cùm ad eas decorandas, tùm ad diuini Numinis interiorem religionem retinendam, atque exaugendam. Nimirum, sic ipse Deus per Moysen famulum suum sigillatim describi iussit, quibus ritibus Nazaræi, veteris testamenti Religiosi, consecrabantur. Victimarum, immolationum, libaminum, holocaustorum, aliorumque sacrificiorum cerimoniæ quàm accuratè inueniuntur descriptæ. Monasticam Professionem genus esse quoddam sacrificij, & quidem perfectissimi, ex SS. Patribus constat.* Ipse homo, *inquit Augustinus,* Dei nomini consecratus sic deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, SACRIFICIVM est. *Et Gregorius:* Nos ipsos SACRIFICIVM Deo offerimus, cùm vitam nostram diuino cultui dedicamus. *In Religiosis verò, non sacrificium tantùm, sed etiam agnoscit holocaustum.* Qui, *inquit,* sic operantur ea quæ Dei sunt, vt tamen & quædam, quæ sunt sæculi, non relinquant, nimirum, sacrificium & non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta, quæ mundi sunt, deserunt, & totam mentem igne diuini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium & HOLOCAVSTVM fiunt. *Quid ni igitur mystici huius sacrificij ritus expendamus, vt eorumdem contemplatione venerabilior nobis, & sacratior habeatur nostra erga Deum obligatio & oblatio?*

Deus eas describi iussit. Num. 6.

Professio Monastica sacrificium. August. lib. 18. de ciuit. cap. 6. Greg. l. 9. moral. c. 3. Idem homil. 12. in Ezech. *Imò & holocaustum.*

Ordine igitur hæc disquiremus. Primò, *Qui Professionis ritus, quæve significatio?* Secundò, *Num Professio alter dici possit baptismus?* Tertiò, *Quæ inter baptismum & professionem monasticam comparatio?* Quartò, *An nomen nouum congruè imponatur Nouitijs?* Quintò, *Quàm vtilis professionis renouatio?* Sextò, *Quæ renouationis votorum praxis?* Septimò, *Quæ pia circa votorum materiam exercitatio?*

DISQVISITIO I.

Qui Monasticæ Professionis ritus, quæve eorumdem significatio?



In Professione meritò adhibitæ cærimoniæ.

CVM ea sit religiosæ Professionis dignitas, vt vniuersa alia humanæ vitæ opera longè superet, sitque post diuina Ecclesiæ sacramenta opus excellentissimum, & maximi meriti, non immeritò sacris quibusdam ritibus & cærimonijs SS. Patres illud exornandum putarunt: vt ex A hisce exterioribus ritibus, sanctitas & præstantia solênis huius oblationis, & abrenuntiationis sæculi intelligatur. Has autem cærimonias ab antiquis Patribus acceptas S. BENEDICTVS in Regulâ vtcumque expressit, cuius verba sequentes, omnes Professionis ritus in Ordine nostro, siue hoc, siue præteritis sæculis vsitatos, explicabimus.

NOVITIATVS. I. *Fiebat professio in ecclesiâ.* Cap. 58.

PRIMÒ autem ait: *Suscipiendus in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate suâ, & conuersione morum*, &c. Ex quo colligimus, professionem in Ecclesiâ faciendam, quamuis enim valida sit, quocumque emittatur loco; antiquitùs tamen in ecclesiâ fieri consueuit, vt colligitur ex Dionysio Areopagitâ, qui ait. *Stat Sacerdos ante sacrum altare, monasticam imprecationem psallens.* Et Ordo Romanus ait: *Conueniente vniuerso cœtu Monachorum in Ecclesiam, vbi ordinatio celebranda est.* Vsus autem omnium, ni fallor, Congregationũ habet, vt post Euangelium, vel Offertorium summi Sacri hoc fiat; quamquam Lantfrancus scribat: *In arbitrio Abbatis esse, an ante Introitum missæ, an post Euangelium benedictio hac Nouitij fiat.* Sed vtcumque hoc fit, *Nouitio templum ingresso*, vt habet Ordo Romanus, *& prostrato illo in terram, qui ordinandus est; Prior scholæ ad nutum Abbatis imponat Antiphonam: hic accipiet benedictionem.* Psalm. *Domini est terra.* Antiph. *Cor mundum crea in me Deus.* Psalm. *Miserere mei Deus.* Antiph. *Dicam Deo susceptor meus es Deus meus, sperabo in eum.* Psalm. *Qui habitat. Deinde Litaniam. Et Pater noster, qui es in cælis, &c. Tunc Abbas imponat benedictionem vestimentorum.* Hæc autem ab alijs non præscribuntur canenda, & vestimentorum benedictio alio loco fit, vt statim videbimus. Lanfrancus: *Ingrediente Nouitio chorum, præcedente eum Magistro suo, dicit Conuentus* Psalm. Miserere mei Deus: *interim Nouitius ante altare veniens, super gradum se prosternit, dictoque Psalmo, surgens professionem legit.* Vallisoletani Nouitium introducentes, medium eum collocant inter Cantorem & Magistrum Nouitiorum cappis indutos.

Dionys. l. de eccles. hierarch. p. 3. cap. 6. Ordo Roman. ad fac. Monach. *Sub Missa solemni.* Stat. Lanfr. cap. 18. *Cantatur variæ preces.* Lanf. vbi suprà.

II. *Examinantur Nouitij ab Abbate.*

SECVNDÒ. Boërius ante votorum nuncupationem, in ipsâ Ecclesiâ examen præmitti solitum scribit:

ABBAS: *frater tu, vis abrenuntiare sæculo, & omnibus pompis eius?*

NOVITIVS: *Volo.*

A. *Vis assumere morum conuersionem tuorum? N. Volo. A. Vis profiteri obedientiam secundum Regulam* B. BENEDICTI? *N. Volo. Et Abbas subdit: Deus auxilietur tibi. Inde legit Nouitius professionem.* Ordo Romanus quoque præscribit, vt Abbas interroget eum, *si propriâ voluntate abrenuntiet mundo, & omnibus quæ sunt mundi, & quod maius est, etiam voluntatibus: & si paratus est ad omnem iniuriam & opprobrium sustinendum pro amore Domini nostri Iesu Christi.* Similiter Dionysius Areopagita scribit, Nouitium interrogari, *an renuntiet diuisibilibus omnibus, non solùm vitis, verùm imaginibus quoque ac phantasijs.* Hoc autem tempore Nouitij examen fit in capitulo, pridie, vel ipso die professionis.

Dionys. Areopag. vbi suprà.

III. *Nouitius legit ex chartâ.*

TERTIÒ. Legit Nouitius ex chartâ descriptam Professionis formulam, eamque A Crucis signo à se subsignatam ponit super altare, vt habent Constitutiones Lanfranci, Bursfeldenses, antiquum Cerimoniale Affligeniense, & Casinenses. Vallisoletani autem cantantem Nouitium, *Suscipe me Domine*, iubent paulatim ad altare ascendere. In vltimâ autem repetitione chartam professionis super corporale ponere. Boërius verò ait: *Nos consueuimus huiusmodi petitionem ponere primò in capite, & cum capite ipsam portamus, & adferimus ad altare.* Vt ità quasi seipsum cum formâ professionis Deo offerat profitens. Sic enim de puero scribit S. BE- B NEDICTVS, vt *ipsam petitionem & manum pueri parentes inuoluant palla altaris, & sic eum offerant.* Quid autem mysterij in eo lateat, quod celebrante Abbate, professionis chirographum altari imponatur, optimè exposuit S. Gregorius Magnus, dicens: *Nos velut solam accedentium* (Nouitiorum) *vocem audimus, cùm scimus quid exteriùs afferunt: sed quales inter sponsiones assentiones futuri sunt, non videmus. Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, vt ipse sponsionis verbo suscipiat, qui dum verba audit, corda discutit, & ex textu professio-* C *nis vsuras exquirit robusti operis. Hoc namque Nouitiorum nostrorum mentes audiant, & expauescant: quia videlicet quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur. Nam quod coram nobis promittunt, Deo offerimus: vt ipse iam de manibus nostris teneat, quod exquirat. Cùm ergo ea, quæ Nouitij promittunt, Deo offerimus, quasi chirographum, quod nobis faciunt, illi damus.* Hæc Gregorius, optimus Benedictinæ cerimoniæ interpres.

ta Professionis formulam. Cap. 59. *Cur chirographum altari imponat.* Gregor. Magn. l. 4. in 1. Reg. cap. 4.

IV. *Lectâ Professione dicit, Suscipe me Domine, &c.*

QVARTÒ. Perlectâ Professione, *incipiat* (inquit S. BENEDICTVS) *ipse Nouitius mox hunc versum: Suscipe me Domine secundùm elo-* D *quium tuum, & viuam, & non confundas me ab exspectatione meâ. Quem versum omnis Congregatio tertiò respondeat, adiungens Gloria Patri.* Vallisoletani præscribunt versum, *Suscipe*, non à solo Nouitio, sed etiam à Cantore & Magistro Nouitiorum simul decantandum. Quo autem ritu, exponit Lanfrancus, dicens: *Ibique inter dicendum, ter genua flectat.* Idem præscribunt Bursfeldenses. Rituale nostrum Affligeniense hoc exponit: *Faciunt*, inquit, *Nouitij ad primam & secundam vicem longam veniam, ita quod* E *ad mediam ipsius partem eorum genua terram contingant, & ad eius finem toto corpore prostrati iaceant in eadem. Ad tertiam verò vicem super genua quidem procumbunt, sed tunc manus solummodo ad terram ponentes, sic versus terram inclinantes ante & retro faciunt, ita quod ad finem versus ad orientem gyrando redeant, ibique vt prius longam veniam perficiant, & sic iaceant donec Abbas orationes suas expleuerit, & cucullas benedixerit eorumdem.* Hęc ibi, quæ Cluniacensibus crediderim quoque vsitata. Ordo autem Romanus de hoc

Cum trinâ genuflexione.

hoc ritu ait: *Indutus ipsam melotem, toto corpore prostratus* (ecce quid *longâ venia*, in Columbani Pœnitentiali quoque nominata) *dicat hunc versum, Suscipe, &c. per tres vices.*

Quid. longa venia.

V. *Prosternit se Nouitius ante singulos, vt orent pro eo.* Lanf. vbi suprà.

QVINTO. Pergit S. BENEDICTVS: *Tunc ipse frater Nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo.* Hic ritus variè quoque obseruatus legitur. Lanfrancus ità exponit: *Conuentu incipiente Gloria Patri post Suscipe, Nouitius inclinatus prouoluat se in circuitum, & statim prosternat se.* Boërius: *Prosternatur singulorum pedibus in terrâ, vt orent, id est, Litanias dicant.* Sed hoc latiùs explicant Vallisoletani, dicentes: *In medio Cappigerarum eat ad caput chori, vbi ad pedes tatius Congregationis se prosternat, sintque ad caput & pedes quatuor intorticia accensa, Cappigeri autem flexis genibus iuxta eum, vnus ad latus dexterum, alter ad sinistrum cantent litanias pro eo, Abbasque dicat orationes.* Optimè autem hanc cæremoniam Bursfeldenses expressisse videntur, illi enim post *Suscipe*, & *Gloria Patri*, recitant Psalmum *Miserere mei Deus*, atque interim flexis poplitibus, humiliat se ante Abbatem Nouitius, deinde ante ministros, & consequenter ante singulos fratres per ordinem, vtrumque percurrens chorum, Magistro eum deducente, ac submissâ voce pro se orari Nouitius petit. *Quo facto reuertitur in locum vbi ante erat, ibique retro Abbatem se prosternit.* Apud Casinenses prætermissis alijs, post *Suscipe* & *Gloria*, Nouitius manet genuflexus, capite aliquantulum inclinato, caputium profundè in capite tenens, atque interim Superior cantat versus & orationes.

Praxis exprimitur.

VI. *Benedicitur habitus.*

SEXTÒ Expletâ hac cæremoniâ, benedicitur habitus, quod Boerius scribit fieri post Communionem; & post *Ite missa est*, eodem Nouitium indui; sed alij id scribunt fieri consequenter antequam Abbas Missam prosequatur. Ante habitus benedictionem, Statuta Lanfranci præmittunt hymnum *Veni creator Spiritus*, quem Casinenses post benedictionem decantant, atque sub illo Nouitius habitu induitur Professorum. Expletis autem orationibus, Abbas dat ei osculum pacis, & successiuè omnes fratres ad quos deducitur. Huius verò vestimentorum mutationis, osculi pacis, sacræq; cõmunionis etiam meminit Areopagita, explicatque in hunc modum: *Prioris*, inquit, *vestis positio, alteriusque assumptio, migrationem illam à mediâ vitâ* (laicorum) *ad perfectiorem significat. Quod tam Saterdas quàm circumstantes reliqui viri sancti, sic dicatum consalutant: sacram intellige Dei praferentium speciem, societatem, quâ sibi inuicem cum lætitiâ & charitate gratulantur.* Hæc ille. Optimè quoque corpus Christi illi traditur, qui corpus suum, & sua omnia Christo æternùm tradidit.

Osculum pacis.

Dionys. Areop. de ecclesi. hierarch. part. 3. cap. 6.

NOVITIATVS. VII. *Nouitius in nigro panno collocatur, tamquam mortuus.*

SEPTIMÒ hanc denique adiungunt Casinenses cæremoniam, vt Nouitius iaceat prostratus super pallium nigrum ante altare, facie manibusque *cum pedibus de cucullâ coopertis, positis duobus cereis, vno ad caput, & altero ad pedes, in signum quod viuat mortuus, & moriatur viuens. Completâ verò communione, Sacerdos siue Diaconus vertens se ad ipsum mediocri voce dicat. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, illuminabit te Christus. Tunc ipse frater surgat ad Communionem, demum Pater Benedicat ei dicens: Benedictio Dei omnipotentis*, &c. Posteà assignetur ei locus in vltimo Professorum gradu. De hoc autem ritu alij mentionem nullam faciunt: Lanfrancus tamen, Boërius, vetus rituale Affligeniense, & Vallisoletani aliam addunt post deosculationẽ fratrum cęremoniam. Magister enim Nouitiorum, siue (vt Vallisoletani habent) vestiarius, acu & filo Nouitij caputium sub mento consuit, non dissoluendum nisi in Missâ diei tertiæ post Professionem. Toto autem illo triduo nulli debet loqui, choro quidem adesse, sed nihil vocaliter recitare, nec in ordine suo stat, sed sequestratus à reliquis, postremus est in congregatione. Tertio autem die Cantor repræsentet Nouitium Præsidi chori, qui cultro abscindit fila, quibus connexum est caputium, statimque sacrâ reficitur Eucharistiâ, prout etiam duobus diebus pręcedentibus. Huius autem rei mysterium exponit Rupertus Tuitiensis, vt nimirum in cõsecratione sui, *Monachus Christo quodammodo commoriatur, & consepeliatur, videlicet triduano silentio, capite cooperto, mortificationis, vel susceptæ pœnitentiæ circumferens testimonium, spectaculumque factus & Angelis & hominibus, tertia tandem die, deposito capite reueletur ab Abbate, dante sibi osculum pacis, in similitudinem resurrectionis] Domini, qui discipulis suis post triduanam eorum tristitiam, rediuiuus apparens, dixit eis: Pax vobis.* Et alibi clariùs: *Vsque in diem tertium velatum habeat caput cum summo silentio, & debitâ reuerentiâ. Die autem tertiâ tollat Abbas caputium de capite eius*, &c. Vt porrò ritus antiquitatem videas, iam olim in Concilio Aquisgranensi præscriptum: *Vt Monachus professione factâ, tribus diebus coopertum habeat caput.*

Caputium triduo gerit, nec caput reuelat.

Quod mystice exponitur.

Rup. lib. 9. in Reg. S. Bened. c. 9.

Idem. l. 8. de oper. Spirit. S. cap. 8.

Conc. Aquisg. can. 35.

Postremò hìc annotandum quoque duxi, Orationes, quæ in consecratione siue professione Monachi adhibentur, antiquas admodum esse. Eædem enim inueniuntur non tantùm apud S. Lanfrancum, sed etiam in Ordine Romano, quem vel Gregorio Magno tribuunt, vel eius auctorem illi faciunt coæuum.

Antiquitas precum, quæ hic adhibentur.

NOVITIATVS.

DISQVISITIO II.

Num monastica Professio alter dici possit Baptismus?

Sectarij ringuntur Professionē dici secundū baptismum.

HÆRETICI pro innatâ sibi monasticen vituperandi libidine, etiam hoc inter cetera vellicant ac carpunt, quod dicamus monasticam professionem secundum quodammodo esse baptisma. Philippus Melanchton audacter admodum affirmat Catholicos asserere, vitam monasticam mereri iustificationem, & remissionem peccatorum, & applicatam alijs eos saluare, & longè meliorem esse ipso baptismo. Sed spissum hoc ac portentosum est mendacium, quosnam enim allegat Catholicos hæc asserentes? Caluinus dicit Patres toto pectore abhorruisse ab illâ blasphemiâ, & sacrilego dogmate, quo professio monastica secundum baptisma nominatur. Sed quis non videat effrenatam hominis impudentiam? Sancti enim Patres, sanctorum virorū exempla, & Scholasticorū receptissima doctrina constāter hoc, quod ipse sacrilegum dogma audet nominare, asserunt.

Melancht. l. concord. Luther.

B

Caluin. l. 4. instit c. 13 §. 14.

Refutatur.

C

I. *A Patribus.* Hieron. epist. 25.

PRIMO enim, ex Patribus, Hieronymus de obitu Blesillæ scribens: *Cùm propitia Christo, ante quatuor ferè menses, secundo quodammoda se prapositi baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitauerit, non vereris ne tibi Saluator dicat: Irasceris Paula, quia filia tua facta est filia mea?* Idem epistolâ ad Demetriadem: *Nunc*, inquit, *quia Sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei: Renuntio tibi diabole & seculo tuo, & pompa tuæ, & operibus tuis: serua fœdus quod pepigisti.* Et Barlaam apud Damascenum sic ait: *Etenim diuinam hanc professionem peccatum propulsare, atque incorruptionis per diuinum baptisma nobis concessa sociam & apitulatricem esse, perspectum habemus.* Petrus quoque Damiani ait: *In dictis Patrum inueniri monasticæ vitæ propositum secundum esse baptismum.* Bernardus: *Audire*, inquit, *& hoc vultis à me, vnde inter cetera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, ut* SECVNDVM BAPTISMA *nuncupetur: arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quâ præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, & quasi denique secundò baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius.* Goffridus

Idem epist. 8. ad Demetriad.

D

Damasc. in hist. Barl. & Ioseph.

Pet. Dam. Opusc. 26. cap. 8.

Bernard. l. de precept. & dispēs. c.

Ratio cur Professio dicatur alter baptismus.

E

Goffrid. Vindemicens. lib. 4. epist. 12.

A quoq; Vindocinensis monasticā professionē nunc *stolam*, nunc *habitum secundæ regenerationis* vocat. In sermone quoq; de S. BENEDICTO, sic ait: *Gloriosus etenim iste sanctus nostræ secundæ regenerationis inuentor pariter extitit, & scriptor. Monastica, inquam, religio quam ipse instituit, secunda regeneratio iure nominatur, & etiam pontificali confirmationi non immeritò comparatur. Huius namque vitæ obseruatione & præterita peccata, sicut in baptismate delentur, & contra futura velut in confirmatione, Christianus munitur.* Ita ille.

B SECVNDO, non desunt Sanctorum visiones hanc inter baptismū & religiosam professionem, comparationem adstruentes. In vitis enim Patrum scribitur, fuisse Magnum quemdam inter præuidētes, qui affirmaret, dicens: *Quia virtutem quam vidi stare super baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accipit habitum spiritualem.* Refert quoque Athanasius in vitâ Magni Antonij, cum dæmones illi peccata ab exordio natiuitatis obijcere cœpissent, Angelos respōdisse: *Nō debere eas à natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita: si qua autem scirent ex eo tempore, quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri.* Idipsum demonstrat Anselmus exemplo Osberni Monachi. Hic enim cùm de hac vitâ migrasset, non multò pòst apparuit de nocte Anselmo ipsi, narrauitq; ter se in illâ supremâ luctâ à satanâ oppugnatum grauissimè, sed à quodam, qui sibi adstabat, Aduocato strenuè defensum: primum cùm peccata ante baptismum, quem adultus susceperat, perpetrata, obijceret, cui cū aduocatus ille responderet, omnia baptismo eluta esse, dæmonē obmutuisse: iterū cum ea cōmemoraret, quę in sęculo ante susceptā Religionē deliquerat: quod etiā refutasse, cùm diceret, hęc quoq; per religiosę vitę professionem condonata. Sed iucundū in primis, & notabile hoc in genere, quod Leontius Cyprius Episcopus, antiquus auctor narrat in vitâ Simeonis Abbatis. Cùm enim Simeon & Ioannes, in ipso ętatis flore ad monasterium venissent, ac die posterâ religioso habitu induendi essent: Quidā ex fratribus ità eis dixerūt: *Beati estis, quoniā cras regenerabimini, & mundi efficiemini, sicut nati estis, ab omni peccato, perinde ac si in ipso die essetis baptizati. Quod illi audientes, admirati sunt ambo, & encurrerunt ad diuinum Nicanē Abbatem monasterij, & ad eius pedes prociderunt, dicentes: Rogimus te, Pater, ne nos baptizes; sumus enim Christiani, & nati ex parentibus Christianis. Is autem cùm nesciret, quidnā audissent à patribus cœnobij, dixit eis: Quis enim vult vos, ò filij, baptizare? Illi verò dixerunt: Domini nostri, Patres monasterij dicunt nobis: Cras rebaptizabimini. Tunc intellexit Præfectus eos dixisse de Sancto habitu, & ait eis: Rectè dixerunt, filij. Etenim*

C

D

E

II. *Exemplis Sanctorum, quibus visiones factæ.*

Vit. Patr. l. 6. libell. 1. num. 9.

Athanas. in vit. cap 37.

Anselm. l. similitud. cap. 191.

Osberni apparitio.

Apud Sur. 1. Iul.

Iucunda narratio de Simeone & Ioanne.

fi

Sentiunt in monastici habitus assumptione baptismi gratiam.

si Deo placuerit, volumus vos induere sancto & Angelico habitu. Donati autem monastico habitu baptismi efficaciam in se experti sunt, unde gratulabundi Patri dixerunt: Gratias agimus tibi Pater. Quidnam autem Deo offerre & venerando tuo capiti possimus, ignoramus. Quis sperauit fore, vt talibus donis digni haberemur? Quorumnam lauacrorum ablutiones ità nostram emundassent animam? Per te pretiosam acquisiuimus margaritam. Baptismatis vim verè didicimus, de quo pradixerunt nobis sancti Patres. Cognouimus nostra peccata vere fuisse exusta ab igne, qui corda nostra accendit.

III. *Scholastici docent ingressu Religionis omnia peccata deleri.* TERTIÒ, idipsum docent Scholastici. Antoninus parte 3. summæ allegat dici in Authenticâ de *Monachis*, quòd monachatus omnem maculam abstergat. Verba autem Iustiniani Imperatoris hæc sunt: *Conuersationis monachalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominē vt omnē humanam eius maculam detergat.* Maculam autem Glossa ibidem explicat, purgat à peccatis. Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 3. Thomas Waldensis tom. 3. de sacrament. tit. 9. cap. 80. Syluester verb. Religio 3. quæst. 23. Sed audiendus præ omnibus S. Thomas, Scholasticorum Phœnix, qui ait: *Rationabiliter dici potest quod etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleēmosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis: secundùm illud Danielis 4. Peccata tua eleēmosynis redime, multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per Religionis ingressum: quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in decretis Sicut etiam holocaustum excedit sacrificium, vt Gregorius dicit super Ezechielem. Vnde legitur in vitis Patrum, quòd eandem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* Ita Doctor Angelicus. Quem præter citatos sequuntur Azorius *lib. 12. Institut. moral. cap. 5. quæst. 11.* Bellarminus *lib. 2. de Monach. cap. 6.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 13.* Sanchez *tom. 2. in Oper. moral. lib. 5. cap. 5.* Emmanuel Rodriguez *tom. 2. quæstionum regular. quæstione* 87. *articulo* 1. Hieronymus Platus *libro 1. de bono stat. cap. 13.* qui omnes communi consensu docent, per Religionis Professionem obtineri omninm antea commissorum criminum plenissimam condonationem. Quæ etsi in effectu conueniat cum plenariâ indulgentiâ, differt tamen ab illâ, quòd indulgentia plenaria concedatur ex Christi & Sanctorum satisfactione in Ecclesiæ thesauro deposita, applicante eam summo Pontifice. At Professio hanc condonandi pœnas virtutem habet, non ex aliquâ Pontificiâ concessione, sed ex vi & merito ipsius operis excellentissimi, & quamcumque peccatis debitam satisfactionem excedentis. Cuius rationem dat S. Thomas: *Quia cùm profitens voluntatem suam ceteris rebus chariorem, in perpetuam Dei seruitutem redigat, iam plenissimè pro omnibus anteacta vita delictis satisfecisse censetur: vtpote qui id dat, quo nihil maius dari poterat.* Atque ità Stephanus V. Hastulpho, qui vxorem propriam occiderat, publicam remittit pœnitentiam, si monasterium ingredi, & humiliare se sub manu Abbatis voluerit.

Antonin. p. 3. tit. 16. c. 3. §. 3. *Authent. de monach. collat. 1.* *S. Thom. 2.2. q. 189. art. 3. ad 3.* *Excedit omne genus satisfactionis.* *33. q. 2. can. admonere.* *Gregor. hom. 20. à medio.* *Quomodo conueniat cum plenariâ indulgentiâ.* NOVITIATUS. *S. Thom. 4. dist. 4. q. 3. art. 3.* *33. q. 2. cap admonere.*

Hæreticorū impostura. Quid igitur nunc habent hæretici, quod tantorum Patrum auctoritati, quod testatissimis historijs, quod scholasticorum receptissimæ doctrinæ opponant? falsum autem est, vt diximus, Catholicos docere professionem baptismo meliorem esse, illam enim baptismati quidem conferunt, sed non præferunt, imò ne quidem æquiparant, nihilque ei ex opere operato tribuunt: Vnde Caietanus expresse docet, sicut alia opera satisfactoria in mortali facta non reuiuiscunt adeptâ gratiâ, ita nec professionem, quæ nihil virtutis habet, nisi ex vi & merito ipsius operantis. Et Bellarminus differentiam ponit inter baptismum & professionem, quòd ille tollit culpam & pœnam, hæc autem solam pœnam. Et Suarez ait temerarium se censere eundem effectum tribuere professioni, qui tribuitur baptismo. Est enim, inquit, res grauissima, & valdè supernaturalis, quam sine reuelatione, traditione Ecclesiæ, ac Patrum doctrinâ asserere temerarium est.

Catholici non præferunt, sed æquiparant Religionem cum Baptismo. *Caiet. 2.2. q. vlt. a. 3.*

DISQVISITIO III.

Quæ inter Baptismum, & Professionem monasticam comparatio?

In quibus comparentur Baptismus & Professio. AD vberiorem præcedentis Disquisitionis explicationem, operæ pretium hic fuerit Baptismi & Professionis quasdam analogias & parallela exponere, vt intelligamus quàm meritò monasticum propositum, secundum dixerint Baptismum, & status nostri excellentiam debitâ grati animi significatione recolamus.

Nouitij instar Catechumenorū instruuntur. PRIMÒ. Quemadmodum ante baptismum baptizandi constituebantur *Catechumeni*, siue vt Neocæsariense & Ancyranum vocant Concilia, *Audientes*, qui catechismo & fide Christianâ priùs imbuebãtur, quàm ad baptismi gratiâ admitterentur: quod quidē per tres annos fieri volunt constitutiones Apostolicæ, quamuis Conciliū Braccarense II. viginti tantū dies requirat. Ita quoq; monasticā professionē, per quā introitus fit in Religionē, præcedit integri anni nouitiatus, in

Neocæsar. 5. Ancyran. 4. c. 6. Constit. Apost. cap. 3. 18. apud Clem. Rom.

NOVITIATVS.

in quo Tirones de vitâ Religiosâ, votis monasticis, obseruãtiâ Regulari, & ceremonijs Ordinis ad plenum instituuntur.

II. *Seorsim viuunt, vt illi orabant ab alijs sequestrati.*

SECVNDÒ. Seorsim à reliquis orabãt olim Catechumeni, & post Euangeliũ à Missæ sacrificio dimittebãtur, tamquã adhuc indonei, vt sacratioribus interessent mysterijs. Non dissimiliter Nouitij priùs versantur in atrijs domus Dei nostri, quam cum reliquis cõuersentur in domo Domini. Vnde S. BENEDICTVS, vt vidimus, vult eos seorsim à Professis probari in *cella*, vt vocat, *Nouitiorũ*, quod ante S. BENEDICTVM vsitatum legere est apud S. Ephrem.

Tract. 3, disq. 2.

III. *Profitentur in Ecclesiâ, vbi illi baptizantur.*

TERTIÒ. Vt Baptismus ordinariè celebratur in ecclesiâ, ita Legislator noster præscripsit, vt *suscipiendus, in Oratorio corã omnibus promittat de stabilitate*: nimirum vt sanctitas loci sanctitatem & veneratione professionis insinuet, indicetque rem non esse vulgarem, quæ quouis loco exerceri queat, sed sanctã, & ad Deũ spectantẽ, immò mysticum sacrificium in domo Dei offerendũ.

IV. *Nomen vtrisque imponitur.*

QVARTÒ. Quemadmodũ in baptismo infanti nomẽ imponitur, itá & in Professione religiosâ, vel in Nouitiatu nomen subinde mutari solet, vt mox videmus.

V. *Abrenunciant vtrique diabolo, &c.*

Ambros. l. 1. de Sacram. c. 2.

QVINTÒ. Baptizandus expressè abrenũtiat satanæ, & operibus eius, mundo eiusq; pompis; quam abrenuntiationẽ SS. Patres *Sponsionem, pactum, votum, & promissionem* sæpe vocant. Vnde Ambrosius: *Renuntiasti diabolo, & operibus eius, mundo & luxuria eius ac voluptatibus. Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis: Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius vt pecuniã eius accipias: teneris obstrictus, & reluctantem te fænerator astringit: Si recusas, vadis ad Iudicem, atque illic tuâ cautione conuinceris. Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi, erga chirographũ tuum tenetur, non in terrâ, sed in cœlo.* Quid autem aptius in Religionem quadrare possit, nam & Monachi ab hoc actu, quẽ in Professione faciũt, *Renuntiantes* dicti sunt. Abrenuntiant enim omni eo quod habẽt, per votũ paupertatis; omni eo quod viuunt, per votum castitatis; omni eo quod sapiunt, per votũ obedientiæ. Et Dionysius iam olim scripsit Nouitium à Sacerdote rogari: *An renuntiet omnibus diuisibilibus.*

Tria vota in monastica abrenunciatione.

Dionys. de Eccles. hierarch. c. 6.

VI. *Conueniunt in trina inuocatione.*

Psal. 118.

SEXTÒ. Baptismus confertur sub inuocatione trium personarum SS. Trinitatis, & profitẽs ex præscripto S. BENEDICTI tertiò dicit hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum & viuam; & ne confundas me ab exspectatione meâ.* Quem tertiò etiam conuentus repetit, subiungens *Gloria Patri.* Sed quid illud est: *Suscipe me Domine?* Apud Isaiam dicit Dominus: *Ecce seruus meus suscipiam eum.* Quia ergo professionem emittens, se totum mancipat diuino seruitio, & id

Quid, suscipe me Domine.

Isaiæ 42.

A scripto chirographo testatur, rogat vt Deus suscipiat eum in seruum & in domũ suam, vt possit dicere: *Susceptor meus es tu.* Subiungit, *& viuam*; quia si viuit ille, quem sinus Abrahæ suscepit, quantò magis, qui suscipitur à Christo? Omitto hîc ad singulas Trinitatis personas pro profitente subiungi orationes.

VII. *Vestes vtrique commutant.*

Pastorale Rom.

SEPTIMÒ. Baptizatus etiam albâ veste induebatur, & nunc vitta infantiũ capiti imponitur cum his verbis: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Christi.* Monachus quoq; post vota nuncu- B pata, professionis induitur habitu, imò, vt ex Regulâ nostrâ patet, non ante illã vestes mutabantur. Nunc autem peculiares professis, & à Nouitiorum distinctæ vestes tribuuntur. Atque olim, vt habet Ordo Romanus, similia verba ijs, quæ in baptismo dicuntur, Abbas proferebat, dicens:

Accipe hoc salutare indumentum, quod Venerabilis Pater BENEDICTVS *illæsum custodiuit, vt per eius imitationem ipsius cœtui aggregatus, ante tribunal Christi valeas peruenire.*

VIII. *Christum induunt.*

Gal. 3.

S. Hildegard l. 2. visione 5.

OCTAVÒ. De Baptizato Apostolus ait: C *Omnes quotquot baptizati estis, Christum induistis.* De Monastico Benedictino habitu S. Hildegardis asseruit, vel potiùs Deus illi loquens. *Vestitus Monachorum vestitui aliorum populorum non assimilatur, quia & ipse integer incorruptam incarnationem filij mei, quæ plurimùm distat à procreatione aliorum hominum, ostendit. Signum enim incarnationis in vestitu suo habet, qui se ad fortissimã obedientiam exhibet.* Quemadmodum igitur Christus *in similitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus vt homo* (id est, interprete Augustino, verbum carnem, D hominemque ceu vestem quandam induit) *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*: Ita Religiosus Christi incarnationem habitu suo colit, quando se totum velut veste quadam induit obedientiæ, quæ omnes ipsius actiones tegit, & exornat.

Philip. 2.

August. lib. 83. quæst. 73.

IX. *Remissio omnium peccatorũ.*

Bernard. l. de præcept. & dispens. cap. 21.

NONÒ. Baptismus remittit omnia peccata, tam originale quàm actuale. Ita Bernardus ait: *Quasi secundò baptizamur, dum per id quod mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius. Sed & quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in* E *regnum transferimur claritatis æternæ, ita & in sancti huius secundâ quadam regeneratione propositi, de tenebris aquè non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus.* Hæc Bernardus.

DISQVISI-

DISQVISITIO IV.

An nomen nouum congruè imponatur Nouitijs?

NOVITIATVS.

NOVO nomine siue in primâ habitus susceptione, siue in ipsâ votorũ nuncupatione Nouitios insigniri, Ordinibus plurimis familiare est. Hunc tamen ritum, vt plures alios insectatus est, & arrosit Erasmus his verbis: *Vt quoque sit euidẽtior* (in Monasterijs) *seruitus, commutãt vestem, quam dedere parentes, & ad exemplum priscum eorum, qui olim serui essent mercati, commutant nomen in Baptismo inditam, ac pro Petro, siue Ioanne, vocant Franciscum, aut Dominicũ, aut Thomam. Petrus dedit nomen Christo, & Dominico initiandus vocatur Thomas.* Sic ille.

Erasmus ridet ritum mutationis nominum. Erasm. in colloq. virgo μισόγαμον

Perperam; nam

Sed enim quid hîc illiciti? aut quis hoc iure improbet, vel cur potiùs non probet?

I. *Legibus id permissum.* C. l. 9. tit. 25. l. sicut.

PRIMÒ, quia Imperatorũ legibus id permissum: *Sicut in initio, nominis, cognominis, prænominis, recognoscendi singulos* (gratia) *impositio libera est priuatis; ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel pronomen, siue cognomen, sine aliquâ fraude, licito iure, si liber es, minimè prohiberis.*

II. *Deus quorumdã nomina mutauit.* Ioan. 1. Marc. 3.

SECVNDÒ, Deus ipse suo exemplo veluti præiuit, nam indita quibusdam à natiuitate nomina mutauit, vt constat de Abrahã, Sara, Iacob, & Christus Dominus Simonem, *Cepham*, siue *Petrum* appellauit, filijs verò Zebedæi *imposuit nomina Boanerges.*

III. *Summi Põtifices nouũ nomen accipiunt.*

TERTIÒ, Solemne est Summis Pontificibus in inauguratione suâ nouum accipere nomen, imitatione illius, qui Simonẽ, *Petrũ* vocauit, seu *Cephã*: quin & ipsi alios ordinãtes in Episcopos, aliud illis subinde imposuêre nomen. S. Willibrordus à Papâ dictus *Clemens*, vt Beda & Alcuinus testantur. Et qui anteà vocabatur Winfridus, in Episcopali consecratione appellatus est *Bonifacius.* Similem nominum mutationem subinde factam quibusdam, dum sacro Chrismate confirmarentur, tradit Serarius.

Serar. in c. 2. Iosue q. 4.

IV. *Ipse Erasmus cum diceretur Gerardus Gerardi, mutauit.* Val. Andr. in Bibl. Belg.

QVARTÒ, ad hominem dicere liceat, nec Erasmum religioni sibi duxisse, inditum in baptismate commutare nomen. Nam cùm Batauico more dictus esset *Gerardus Gerardi*, vt scribit Valerius Andreas, placuit illi Latino Græcoque nomine diceretur *Desiderius Erasmus.* Quo facto videtur alios sibi adsciuisse patronos, quã in sacro regenerationis lauacro à patrinis acceperat. Ex tabulis enim Ecclesiasticis constat distinctos esse Sanctos *Desiderium, Erasmum, Gerardum.* Nec refert tria hæc esse synonyma: Nam vt benè annotauit Serarius, in eadem linguâ, etsi synonyma eamdem vim habeant, non tamen absque caussâ, in proprijs hominũ appellationibus vnũ pro alio ponitur. Habent hæc quatuor eamdem notionem *Nicodemus, Demonicus, Laonicus, Nicolaus*, si quis me tamen, ait, trium primorũ nomine aliquo vocaret, non audirem. Nec ego, si pro *Benedicto* quis dixerit *Baruch, Eulogius, Benno.* Quòd si his non obstantibus, licuerit Erasmo pro suo desiderio se *Desiderium Erasmum* nominare; cur indignetur, quæso, si id nec leuibus de caussis in Religiosis fiat familijs?

Serar. suprà q. 5.

Occurritur obiectioni.

Olim viguit hic ritus. Balsam. ad can. 5. 1. & 2. Synod. Cõstantinop.

Quod ne adeò nuperum existimet, sciat moris huius apud Balsamonem luculentum exstare testimonium. Nam ita scribit: *Cùm aliqui Monasteria ingressi essent, & rasâ induti, & cum Trisagio in templo*, ET NOMEN MVTAVISSENT, *& vt semel dicam, instar Monachorum, & intra & extra versarentur, antequam monasticâ tonsurâ perficerentur*, &c.

Græci adhuc hodie obseruant;

Animaduertis hîc Lector, in primâ susceptione habitûs, & ante professionẽ factam hanc nominũ mutationẽ, quod vt fiat, etiam præscribunt Cerimoniæ Casinẽses. Et verò etiam hodie apud Græcos vsitatissimum, vt qui Monachi fiunt, & schema τῆς μετανοίας, ἢ ἀγγελικὸν (sic enim ab ipsis Monasticus appellatur habitus) suscipiunt, vt vitam, sic & nomen mutent. Vti de se mihi, inquit Serarius, referebat D. Nectarius, Archiepiscopus Acridanus, qui in baptismate dictus erat *Nicolaus.* Et hoc pacto existimat Raderus, eum qui priùs *Socion* appellabatur, in monasterio consecutũ nomen *Simeonis*, qui Stylites deinde fuit. Sed Rosweydus nomen *Socionis* patri huius tribuit. Illud certius, quod Metaphrastes scriptum reliquit, de *Edrano*, qui Danielis stylitæ hortatu Monachus effectus, *mutato nomine piè vocatus est Titus.* Qui in sæculo priùs erat *Dauferius*, in Casinate monasterio vocatus est *Desiderius*, & in pontificatu *Victor III.* Casimirus, legitimus coronæ Polonicæ heres, Cluniacensis effectus Monachus, *Carolus* audiuit; ad regnũ repetitus, & Põtificiâ auctoritate, laxatis Professionis & Diaconatûs vinculis, rex iterum Casimirus salutatus est. Antonio de Paduâ *Ferdinandi* nomen prius fuit, quàm S. Francisci militiæ adscriberetur, & alijs aliud, ne longum opus sit texere catalogum.

Exempla quorumdã qui nomen mutarunt. Rader. virid. part. 2. Rosw. notat. ad vit. Sim. Styl. Metaph. in vit. Dan. cap. 38. Leo Ost. l. 3. c. 4. Baron. anno Christi 1034.

Rationes huius rei,

Sed quas iustas huius mutationis diximus rationes, hîc denique adtexamus.

I. *Conformatio cum baptismo.*

PRIMA est, quam diximus, conformatio cum baptismo, in quo Catholicæ Ecclesiæ initiandis nomina imposita, vel si adulti, mutata. Sic apud Metaphrasten, & Damascenum, qui antea dicebatur *Placidus*, vocatus est *Eustathius*, eiusque vxor *Theopiste*, quæ priùs *Traiana.* Ita quoque *Ceadulla* rex, post baptismum, apud Bedam *Petrus* est: & apud Saxonem Sueciæ rex *Olaus*, fit *Iacobus.* Et alij apud alios. Videndus de his Josephus Vicecomes, lib. 2. de Baptismi rit. & cærim. cap. 12. 13.

Orat. de imag. c. 9. & 18. Bed. l. 5. hist. Angl. cap. 7. Sax. Gram. lib. 1.

SECVNDA

NOVITIATVS.

II. *Vt in nouitate vitæ deinceps degant.* Quinct. l. 9. cap. 1.

SECVNDA ratio, vt hoc ritu admoneantur, quemadmodum nominis, sic hominis innouationẽ fieri oportere. Quamuis enim Quinctilianus dicat: *Homines, si aliud acceperunt, quã quod habẽt nomen, ijdem sunt tamen*, id tamen locum non habet in gratiæ statu, in quo nouum nomen nouã vitam, nouos postulat mores. Quod quidem eâ professionis explicatur cęrimoniâ, quâ dum sęculari veste tiro exuitur, ei à superiore dicitur; *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.* Et dum induitur monasticâ: *Induat te Dominus* NOVVM HOMINEM, *qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis.* Prȩclarè Hieronymus. *Sancti in virtutibus proficientes, mutato nomine sunt vocati, vt essent etiã ipso nomine noui, vt Abraham, & Sara, & Cephas.* Quis autẽ negauerit eos, qui sæculo abrenunciant, in virtutibus supra vulgus proficere, vt ad vlteriora se deinceps quotidie extendant; vt non immeritò nouo nomine ad hoc excitentur.

Cærimonia id innuunt. Hieron. in epist. Rom. cap. 1.

III. *Vt imitētur Patronos suos.* Alex. Genial. die. l. 2. c. 29. & l. 4. c. 10.

TERTIA, Romanis, vt Alexander ab Alexandro memorat, in more fuit, vt quos aut ciuitate donabant, aut equestri ordine ornabant, vetere nomine deposito, nominibus clarissimorum ciuium appellarent, *Brutorum, Metellorũ, Scipionum.* Vt nimirum acrẽ stimulum ijs inderent eas virtutes sectandi, quȩ in ijs effulserant, quorum nomine insigniebantur. Alexander Magnus Ducem eiusdem secum nominis compellans, *Res*, inquit, *dignas tuo nomine, dignas Alexandro gere.* Qui & vetuerat ignauum militem *Alexandrum* appellari, nisi se *Alexandri* spiritus & decora imitaturum, addiceret. Non secus monasticâ ciuitate donatos, & Benedictinę, Cistertiensi, Prȩmonstratensi, Prȩdicatorũ, Minorum, aliorumque familiæ adscriptos, nouo licet decorare nomine, vt Procerum suorum illustria imitentur exempla, & eorum se nomine dignos efficiant.

IV. *Vt agnoscãt se Dei seruos.* Refert Gothofred. in l. fals. D. 48. tit. 10. Dan. 1. 7. Theodoret. in hunc locum. Chrysost. hom. de ferend. reprehen.

QVARTA ratio esse potest, quòd seruo solus dominus pro arbitrio nomẽ imponit, & ad voluptatem quidem, vt in Orat. pro Roscio Amerino notauit Vulcatius. Sic princeps Eunuchorũ filijs Iuda, quos in regis ministerium adsciscebat, nomina imposuit, *Danieli, Baltassar: Ananiæ Sidrach: Misaëli, Misach: & Azariæ, Abdenago.* Nam vt optimè annotauit Theodoretus: *Hoc dominij ius apud quosdam est in more, qui seruos ementes, eorũ mutant nomina, vt nominis mutatione seruitutem agnoscant.* Eadem mente à S. Chrysostomo scriptum: *Dominus, qui seruum mercatus est, ostendere volens se dominum serui, nomen illius immutat.* Quid ni ergò regis gloriæ seruitio auctorandus, nouum accipiat nomen, cuius memoriâ excitetur ad seruiendũ illi cui seruire regnare est? Et verò Monachos, *Dei seruos* audire & esse, nimis quàm notum & nos officij huius partes * alibi expendimus.

* Catech. monast. p. 3. diff. 7.

V. *Vt ostendãt se in veram assertos libertatem.* Tertull. de resurr. carn. cap. 57. Suid. in Lexico.

QVINTA ratio, seruis manumissis & libertate donatis suum Patroni nomen imponebãt. Testis Tertullianus, qui scribit: *Si famulum tuum libertate mutaueris*, &c. *Vestes albæ nitore, & aurei anuli honore, &* PATRONI NOMINE, *ac tribu mensaque honoratur.* Tradit quoque Suidas, Alexandrum Milesium *Corneliũ* esse appellatũ à *Cornelio* Lentulo, à quo Manumissus fuerat. Meritò igitur Religiosos, cùm per obedientiæ suauissimum iugum in veram asseruntur libertatem, *Benedictos, Bernardos, Norbertos, Dominicos, Franciscos* vocamus, nominibus suorũ Patronorũ. Quando & reliqua manumissionis symbola ijs quoque videmus conuenire. Nam & vestẽ mutant, quæ in quibusdã Ordinibus alba: & ad mensæ participationem admittuntur, & in sacram Ordinis sui tribum cooptantur.

Etiã cognomen quidã mutant.

His denique addendum, etiam cognomẽ mutari. Quidam enim gentilitio familię nomine, quod illud subinde splendidũ sit, humilitatis gratiâ deposito, solius patriæ retinẽt, quod PP. Capucinis maximè familiare. Alij, in quibus Fulienses nostri, ad prænomen, Christi Domini, vel sanctorũ adijciunt nomen, vt ad eorum imitationẽ scilicet excitẽtur, gaudeantq; patrocinio. Sicut Ioannes à Iesu Maria, Leander de S. Martino, Eustachius à S. Paulo.

DISQVISITIO V.

Quàm vtilis Professionis renouatio?

Anniuersariũ Baptismi olim celebre. Microl. lib. de eccles. obser. c. 56.

EX Baptismi & religiosæ Professionis analogiâ, & hoc elicere possumus, admodum conuenienter Religiosos secundæ huius regenerationis memoriam per votorũ renouationẽ celebrare. Consuetũ enim aliquando fuisse Baptismi memoriã pio ritu venerari, auctor est Micrologus: *Romani*, inquit, *annotinũ Pascha; quasi anniuersariũ Pascha dicunt: quia antiquitus apud illos, qui in priore Pascha baptizati erant, insequenti anno eadẽ die ad ecclesiã cõuenêre, suaq; regenerationis anniuersariũ diẽ cum oblationibus solẽniter celebrauerũt.* Quidni etiã Monachi annuo cultu repetãt solẽnia illa Vota in Professione olim edita, vt & Deo se gratos ostendãt, & ad eorumdẽ obseruantiã se denuo offerant? Vsu receptũ id in quibusdã Religionibus. Patribus enim Societatis Iesu S. Ignatius præscripsit, vt singulis annis bis, in festis videlicet Resurrectionis & Natiuitatis, Vota renouarent. Carmelitę Discalceati itidem singulis annis die Exaltationis S. Crucis, & Epiphaniæ pio solemniq; ritu in ecclesiâ, vel Capitulo prȩmissâ exhortatione, Professionem renouãt. De Prȩmonstratẽsibus scribit ità Seruatius Lairuelz: Nos sacris eorumdem Discalceatorũ insistentes vestigijs, triplici à summo Pontifice acceptâ eâ de re, etiam per indulgẽtias, veniâ Professionis nostrę repetitioni quotannis

Qui ordines vota quotannis instaurent. Constit. S. Ignat. p. 4. cap. 3. §. 5. Constit. Discalc. p. 1. cap. 21. Lairuelz tom. 2. Catechismi Nouit. lect. 90

quotannis ipso Circumcisionis Dominicæ die incumbimus. Religio ministrantium infirmis, inter Statuta, quæ Clemens VIII. confirmauit, ponit illud: *Vt vota simplicia, quæ post Professionem faciunt, de more quotannis renouentur die S. Crucis Inuentioni sacra.* Clerici Minores, vt refert Miræus, *Vota quotannis in die Epiphaniæ communiter renouare tenentur.* Neque verò id Ordini Sancti BENEDICTI prorsus incognitum, nam S. Gertrudis, illustre Ordinis nostri decus, duplex *Exercitium* huic instituto apprimè vtile proposuit, quorum prius est, quo (vt ipsa ait) *renouato bono proposito memoria primæ conuersionis, quâ mundo abrenuntiauimus, celebratur.* Alterum, quo *Professio seu Votum noui feruoris innouatione spirituali celebratur.* Quare prudenter admodum Patres Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia, quorum vestigijs inhæret Gallicana S. BENEDICTI, & Belgica nostra Beatæ Mariæ Congregatio, pijssimam renouationis Votorum formulam ad calcem Cæremonialis monastici præscripserunt, quam die Circumcisionis Domini, vel Epiphaniæ solemni ritu fieri volunt. Sed & ante BENEDICTVM S. Hieronymus non obscurè insinuat solere Deo dicatas virgines Professionem suam subinde repetere: increpans enim Sabinianum Diaconum, qui virginem Deo deuotam ad stuprum sollicitauerat, hæc de illa scribit: *Post Apostoli Petri basilicam, in quâ Christi flammeo consecrata est: post Crucis & Resurrectionis, & Ascensionis Dominicæ sacramenta, in quibus rursum se in Monasterio victuram spoponderat.* Marianus Victorius S. Hieronymi Scholiastes sic verba hæc illustrat: Subdit Hieronymus, virginis Professionem ter ab eâ, in die scilicet Crucis, Resurrectionis, & Ascensionis factam, ac ratam fuisse. Ex quo liquidò apparet, non esse nuperam hanc consuetudinem, sed Sanctis etiam Patribus cognitam atque probatam.

Sunt & quibus quotidiana placet renouatio. Nam in Constitut. Clericorum Regularium, quos Theatinos appellant, ita præscribitur: *Illorum consuetudinem valdè probamus, qui Patrum nostrorū exempla secuti, antequam cubitum se recipiant, flexis coram Deo genibus Professionem iterare consueuerunt.* B. quoque Franciscus Xauerius bis quotidie vota sua renouabat, atque alios, vt quoquo die id facerent, seriò adhortabatur. Vnde, in Epistol. ad Ioannem Brauium & alios socios data, ita ait: *Tibi auctor sum quotidie sub meditationem vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ renouandi, quo vix vllum est hominibus Deo sacratis tutius castro diaboli, intestiniq; hostis impetus munimentum. Quocirca antiquissimum habebis, quotidie salutaribus hisce armis munire pectus.* Ita ille vir sanctus.

Habet verò hæc renouationis Votorum cærimonia facti sui congruentias aptissimas: Si enim Iudæi, & post illos Christiani publicâ lætitiâ quotannis anniuersariam dedicationis templi memoriam celebreut, cur non & Religiosi, qui tēplum sunt Dei viui, dedicationis suæ festum diem agant? Augustinus enim Religiosos suos in Regulâ alloquens, ait: *Honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis. Videte ergo,* ait, Bernardus, *num dignum sit, vt festum agamus diem, qua nos assumpsit in proprios, & inuestiuit se per ministeriales, & vicarios suos: vt fiat sicut iam olim promiserat; Ego, inquiens, in medio eorum, ero eorum Deus: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.*

Altera porrò Congruentia à militiâ desumpta est. Milites enim, vt Polybius de Romanis scribit, finitâ conscriptione, sacramento adigebantur omnes; vno præeunte conceptis verbis, alij iurabant idem confirmantes. Sed & singulis annis Kalendis Ianuarijs, vt obseruat Alexander ab Alexandro, idem sacramentum denuò præstabatur. Lipsius quoque auctor est, Romanos Milites cum seditionem fecissent, aut facturi putarentur, vt rursum in fide confirmarentur, iterum in Imperatoris verba iurare coactos. Monachi ad militiam Dei viuentis vocati, iam tum cùm primùm Professionem emittunt, in sacramenti verba quodammodo iurāt. Votum enim in multis, & potissimùm in ratione obligandi æquatur iuramento. Rationi igitur congruum est, vt sacramentum hoc nonnumquam repetant, vt fideles se Imperatori suo promptosq; ad prælium ostendant, atque omnem de seditione, fugâ, ac proditione, suspicionem tollant.

Tertia Congruentia fit, Ob liberationem populi de seruitute Ægypti, & introductionem in terram promissionis, instituit olim Deus festum Paschatis. Sæculum autem hoc nequam in arcano sensu Ægypti nomine censetur, Religio verò terra promissionis. Si igitur de seruitute ac tyrannide mundi per vocationem ad hunc nobilissimum statum vindicati sumus; si ipso Professionis die in libertatem filiorum Dei asserti, quis obsecro tam ingratus erit, cui graue sit, & non iucundissimum, Vota sua in grati animi significationem subinde renouare? *Planè* enim, vt S. Cæsarius ait, *magnus vitæ fructus est, sæculum potuisse despicere, & Deo seruire cœpisse, euasisse vitiorum infelicissimum dominatum, & fugisse gulæ atque luxuriæ fœdissimam seruitu-*

Clem. VIII. in confirm. statut. Minist. infir.
Miræus in Regul. & Cōst. Cler. pag. 106.
Benedictini veteres & moderni in hac praxi.
Cæremon. Monast. sect. 3. c. 15. *Professionis renouatio ex S. Hieronymo eruta.*
Hieron. Epist. 48. ad Sabin.
Mar. Vict. in epist. 48. num. 14.
Quidam quotidie vota renouāt.
Constitut. Cler. Reg. part. 2. c. 1.
Horat. Tursel. lib. 6. vitæ eius cap. 13.

NOVITIATVS.
Prima, Congruentia instaurationis Votorum.
August. c. 4. Reg.
Bernard. serm. 1. de dedic. Eccles.
Secunda. Polyb. lib. 1. de milit. Rom.
Romani milites quodā de anno sacramentum renouare.
Alexand. ab Alex. lib. 2. Genial. dier. c. 10.
Lips. lib. 1. de mil. Roman. dial. 6.
Tertia. Ad recolendum beneficium vocationis ad Religionem.
Cæsar. hom. 5. ad Monach.

NOVITIATVS.

Arsenius celebrat anniuersarium Conuersionis suæ.

tem. Quare Magnus ille Arsenius consueuerat quotannis semel se Deo repetitâ sui totius oblatione dedicare. Diem enim sui in cellam ingressus & habitus assumpti festiuum agens, ad sacram synaxim accedebat, tres pauperes fouebat, legumina & olera cocta sumebat, & vnicuique cellam suam patentem eodem die esse volebat.

Quæ vtilitas ex Votorum instaurationе. Primò,

Quàm vtilis verò hæc Votorum repetitio sit, quis explicet? *Primò* enim excludit ab animis nostris perniciosam factæ iam olim Professionis obliuionem. Solet enim diabolus recordationem Votorum in nobis impedire, vt ita sensim ab eorum obseruantiâ declinemus. Nam vt Seneca dixit: *Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio. Secundò*, mirùm in modum hæc renouatio deuotionem nostram erga Vota adauget, atque id efficit, *vt pretiosam militiam, pretioso agamus affectu*, vt inquiebat Cæsarius. *Tertiò*, cùm mutabilis admodum sit humana voluntas, votorum renouatione eadem in suscepto vitæ proposito vehementer confirmatur, fitque homo in vocatione suâ admodum stabilis, dum renouationis anchorâ à fluctuatione retinetur. Solemne erat olim Romanis, vt Dion Cassius narrat, quotannis iurare in leges, & acta Imperatoris, idque eâ mente fiebat, vt fideliores essent ijdem Imperatori. Cur etiam serui summi Regis, qui paupertatem, castitatem, & obedientiam liberè primùm spoponderunt, vt fideliores in seruando promisso sint sacramentum voti non aliquando repetant?

Seneca lib. 3. de benef. cap. 1. — *Secundò, auget deuotionem.* — Cæsar hom. 3. ad Monachos. — *Tertiò, conducit ad stabilitatem.* — Dion lib. 47. hist.

Quartò, Forte etiam tribuit peccatorum remissionem.

Quartò, non improbabiliter dici potest, Professionis renouatione mereri hominem remissionem peccatorum. Nam, vt asserit Dionysius Carthusianus; *sententia est Bernardini, aliorumque multorum Doctorum, quotiescumque Religiosus suæ recordatur Professionis, & hanc esse factam gaudet, adeò vt si illam non fecisset, adhuc Dei amore motus faceret, indulgentiam omnium peccatorum suorum plenam assequitur. Quod (suppositâ infinitâ Dei clementiâ & promptitate ad miserandum magis quàm ad vindicandum) hoc probatur modo: Homo qui post peccatum gaudet de scelere à se patrato, paratus iterum hoc peccatum facere si posset, commeretur à Deo tot gradus pœnæ, quot ante commeruerat, quando peccatum opere consummauit. Testatur hoc Alexander Halensis. Ratio huius est, quia mala voluntas apud Deum pro opere computatur. Ergo è diuerso, quoties aliquis facit bonum opus, & postea ita de eo gaudet, vt rursus illud faceret, si posset, quamuis non possit amplius illud facere, Deus dabit illi tot gradus meriti, & præmij essentialis, ratione huius bonæ voluntatis, quot prius dare debuit, quando bonum illud fecit, quia bonum potentius est malo. Cùm ergo in Professione acquirat Religiosus indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum, conficitur, quod etiam quotiescumque gaudet se fecisse Professionem, ita vt rursus illam faceret, si non fecisset, eandem indulgentiam plenariam absque dubio consequitur, quam in Professione habuit. Et hanc potest renouare omni tempore, quoties voluerit solâ bonæ voluntatis renouatione.* Ita pius & doctus ille Theologus, ad quem respexerit fortè Emmanuel Sà, cùm scribit aliquos tenere renouatione Professionis omnium peccatorum condonationem obtineri, quod ipse quoque non improbat.

Dionys. Carthus. lib de Prof. Mon. cap. vlt. — *Ita sentit ac probat Diony. Carthusianus.* — Alexander Halensis 3. part. sum. tract. de prohib. cō cupisc. de pœnit. d. 3. cap. homie. & omnis nomquid. & cap noli. & cap. Si propterea. — Arist. 1. Ethic. — Emman. Sà verb. Relig. num. 17.

Quidam non admittunt.

Thomas verò Sanchez secutus Tabienam, negat hanc condonationem obtineri quoties Professio renouatur. Ratio autem eius est, quod hæc condonatio fit virtute illius operis, quo Profitens se integrè Deo tradidit. At huius traditionis renouatio non est opus ita meritorium & satisfactorium, sicut prima traditio: tum ob maioris difficultatis defectum, quæ in ipsâ prima traditione reperitur: tum etiam quia opus ipsum est intensius, ac intensiori voluntate fit, quàm sola operis facti complacentia.

Tho. Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 5. nu. 5. Tabiena V. Nouitius.

DISQVISITIO VI.

Quæ renouationis Votorum praxis?

Triplex praxis instaurandi Vota.

DVPLICEM superior disquisitio suggessit Votorum renouationem: alteram annuam; alteram quotidianam. Vtramque instaurandæ pietatis cùm subseruiat, aliquod ei adminiculum, quo maiori fructu fiat, præstare conabor, & praxim aliquam subijciam, quæ nostris, alijsque Religiosis vtilis esse possit. Ea autem tribus hisce constat partibus. *Prima* est, gratiarum actio. *Secunda*, vetustatis deploratio. *Tertia*, votorum renouatio.

I. *Recolas beneficium vocationis ad Religionem.*

PRIMÒ autem, cuicumque Monacho expendendum beneficium vocationis ad Ordinem religiosum, eiusque memoriâ in varias gratiarum actiones, Dei laudes, & benedictiones prorumpendum; quod nullo suo merito à mundi huius diluuio ad Arcam, à flagranti Sodomâ, ad montem Religionis: à terrâ Ægypti & domo seruitutis in terram promissionis, fluētem lac & mel, & in domum Domini singulari eius gratiâ sit translatus. Quantum autem hoc beneficium, quam ingens, quam eximium, & infinitam quamdam beneficiorum Dei continēs abyssum! Felicissimus enim Religionis status, vt confertim dicam, omnia penè salutis impedimenta, quantum quidem in hac mortali vitâ fas est, remouet. Omnia deinde adiumenta ac præsidia ad salutem confe-

Quod ingens ex multis capitibus.

consequendam secum adducit. Denique grauissimo illi debito, quo diuinæ maiestati tot titulis obstricti sumus, eo quo ab homine fieri potest modo, satisfacit. Nihil autem in hac vitâ potest esse homini optabilius, quàm carere impedimētis, & abundare salutis adminiculis, & debitam Deo gratitudinem præstare. Hinc enim maxima spes datur euadendi summum malum, & consequendi summum bonum. Si aliqua ratio terrâ mariq́ue inuenta esset, quæ omnia damnorum pericula excluderet, & omnes lucrorum vias cōtineret, quis mercatorum illam non amplecteretur? At hæc Euangelico negotiatori, hominiq́ue religioso diuina indulsit Maiestas. Quantò igitur mētis in bilo in Domino exultet, quod tanti boni factus sit particeps: nam vt scriptum est: *Religiositas custodiet & iustificabit cor, iucūditatem atque gaudium dabit.* Verùm qui hoc planiùs pleniusq́ue volet expendere, legat Platum de bono status religiosi copiosissimè differentem, aut Lesium in *Disput. de Statu vitæ deligendo q.* 12. Consideratis verò beneficijs, quid Religiosus retribuet Domino, pro omnibus, quæ retribuit ei? Respondet S. Thomas: Ad gratitudinem tria requiruntur, quorum *primum est, quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundum est; quod laudet, & gratias agat. Tertium est, quod retribuat pro loco & tempore secundum suam facultatem.* In his ergo Religiosus pro modulo suo se exerceat.

Gaudeat se tanti boni participem esse. Eccli. 1. *Et gratias Deo agat.* 2. 2. quæst. 107. art. 2.

11. SECVNDÒ. Ad piam innouationem vtilis, & cuique pænè necessaria vetustatis suæ consideratio. Ea enim est conditarum rerum natura & conditio, vt varietati, mutationi, imò & corruptioni obnoxiæ sint, & suo veluti pondere in interitum vergant. Res omnes quæ ætatem ferunt, veterascunt. *Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est*, inquit Apostolus. Homo ipse *quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet*, sed magnis passibus tendit, vel potiùs propellitur in senectutem & mortem. Idem in virtutum exercitio, totoq́ue animæ statu euenire, nimis quam notissimum. Sed enim vt obnium cuiq́ne senectutis incommoda obseruare, ita ex analogiâ corporalis, spiritualem animæ senectutem licebit agnoscere. In senectute enim facies rugis obducitur, capilli canescunt & excidunt, membra obrigescunt, & admodum fiunt tardiora: accedit spirandi difficultas, visus obtusus, auditus grauis, dorsi curuatio, recuruatio, & obliquatio, & plura alia, vt non immeritò dictum sit: *Senectus ipsa morbus est.* Idipsum in animâ & spiritu, ptô dolor, quam sæpè ex-

Consideret ac deploret vetustatem suam. Hebr. 8. Iob 14. *Senectutis incommoda varia.* Terent. Phormion. *In animâ locum habens.*

A perimur! Quotusquisq́ne enim est, qui non reperiat primam illam alacritatem, animiq́ue feruorem, qno ad diuinum primò venerat seruitium, multùm remisisse, sensim intepuisse, & pænè iā exstinctum? Multi enim in principio conuersionis ad omnia parati, quiduis videbantur facturi, qui nunc hærent ad singula, vt valde timendum sit, ne illud locum habeat:

NOVITIATVS.

Principium feruet: medium tepet: exitus alget.

Inquirat proinde in se pius Asceta, 1. An B animæ facies non sit corrugata, perieritq́ue illa rectæ intentionis serenitas, quâ soli Deo placere cupiebat. 2. An capilli cogitationum in terram & terrena non defluant, sæpiusq́ne versentur circa ollas Ægypti, quàm circa terram promissionis. 3. An ad motum spiritualem non iam effectus sit tardiot, ægrè ferat disciplinam religiosam, otium amet, subterfugiat labores, ad obedientiam, opus Dei, sacras meditationes, lectionem, conscientiæ examen non sit negligentior. 4. An difficulter C respiret, id est, an rariùs per mentis eleuationem ad Deum aspiret, in orationis exercitio frigescat, illud intermittat, & ad profectum spiritualem vix aspiret. 5. An internus mentis oculus non sit obtusus, aut lippiens, an spiritualia iam tanti non æstimet, sed illa fastidiat: contra verò mundana & sensualia pluris faciat. 6. An auditus non patiatur grauedinem, siue an horreat pias admonitiones, increpationes; an obturet aurem suam, ne diuinas inspirationes admittat. 7. An cum Dauide D non possit dicere: *Adhæsit pauimento anima mea*: an pecorum ritu non propendeat, in cibum, potum, somnum, & cœlo natam animam non depresserit ad carnalia & terrena. Attendat insuper, quàm tepidè & imperfectè se habuerit circa Votorum obseruantiam, quàm parum suam resignauerit voluntatem & intellectum in arbitrium Superioris: vt se habuerit circa materiam castitatis: vt coluerit spiritus paupertatem, & an omni vilitate & extremitate contentus fuerit: Denique quàm negligenter Regulam, constitutio- E nes, & exercitia Ordinis seruauerit: nullo spiritu, sed solâ consuetudine, aut vt pœnam aut notam euaderet, illa obiens. Circa hæc aliaq́ue diligens instituat examen.

Quæ rugas contrahit. *Canescit.* *Tardior fit.* *Difficulter respirat.* *Caligat.* *Surda fit.* *& incuruatur.* Psalm. 118. *Tepor in Votis obseruandis.*

Exploratâ verò domus suæ vetustate, quid superest, nisi vt de instanratione cogitet, cognitoq́ue morbo adhibeat medicinam? Vehementissimè proinde de peccatis suis doleat, humiliter à diuinâ misericordiâ veniam petat, meliora proposita concipiat, & defectuum suorum radices

Modus ad hoc instaurandæ.

NOVITIATVS. sedulò inquirat, statuatque eas prorsus A eradicare.

III. *Maximâ deuotione renouet Professionem.* Tertiò. Quantâ potest pietate, mentisque feruore Vota sua renouet, & seipsum in hostiam viuentem Deo offerat: vel publico illo, qui in Ordine viget ritu, vel hâc, quâ priuatim in quotidianâ innouatione vti licet, oratione.

Oratio ad renouandam Professionem.

G*Ratias ago Tibi Domine* IESV *Christe,* B *pro gratiâ illâ singulari, quâ me vilissimum peccatorem de hoc saculo nequam eduxisti; & in hoc religiosissimo Ordine ad solemnẽ Professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quòd gratia huic non satis responderim, & tanto beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes negligentias in hoc statu commissas, & quòd tam parum ad eius perfectionem adspirauerim. Ignosce mihi, Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, & da, vt vel nunc tandem tuâ gratiâ incipiam. Quod equidem ex animo cupio & propono. Quod si me votis necdum Tua Maiestati obstrinxissem, nunc sanè id facerem: ideoq́ quantâ deuotione possum, illa nunc renouo, &* C *nouo feruore tibi* PROMITTO STABILITATEM ET CONVERSIONEM MORVM MEORVM, AC OBEDIENTIAM SECVNDVM REGVLAM S. BENEDICTI. *Verumtamen quia ad hac implenda me nimis tepidum & infirmum agnosco, rogo te misericordissime* IESV, *vt qui dedisti mihi vouendi voluntatem, tribuas etiam exsequendi facultatem: meq́ ita dirigas, vt non mihi, sed tibi soli viuam; omnesque Ordinis obseruantias & quidquid animæ perfectionem pro-* D *mouere possit, summo studio amplectar, ad gloriam nominis tui, qui es Deus benedictus in sacula.*

Quàm necessaria in ipsum renouatio. Precationem hanc, quam quiuis, si longior fortè videatur, facilè cõtrahet, in vsum quotidianæ, aut saltem frequentioris renouationis ideò concinnauimus, quia, vt S. Leo ait. *Semper necessaria est omnibus contra rubiginem mortalitatis* QVOTIDIANA RENOVATIO, *& intra profectuum gradus nullus est, qui non semper melior esse debeat.* Hoc nimirùm est angelicam imitari vitam: iuuenili E enim facie depinguntur Angeli, ad significandum, vt quidam ait, *quod vitalem vim semper vigentem, & velut continuâ instauratione renouatam habeant.* Vtinam in Religiosis omnibus illa S. Pauli obtineat sententia: *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est,* RENOVATVR DE DIE IN DIEM.

Leo serm. 6. de quadrag.

2. Cor. 4.

DISQVISITIO VII.

Quæ pia circa Votorum materiam exercitatio?

CVM mihi in votis sit, hoc qualicumq́; scripto ijs vel maximè prodesse, qui Vota sua pro affectu Altissimo reddere satagunt; non importunum videbatur hîc adijcere praxim spiritualem, quâ animus se circa Votorum obiecta piè frequenter exercere possit; quo & in nouitate vitæ votorumque semper proficiat, & his ipsis Deum religiosiùs colat. Etenim cùm religiosi status substantia in tribus potissimùm votis consistat, pietatis studioso neutiquam satis esse debet, professionem semel emisisse, eamdem[...] e aliquoties reiterasse, vel etiam nihil graue contra eam admisisse; sed hoc insuper conari debet, vt per vota, tamquam aptissima instrumenta, ad culmen perfectionis ascendat. *Praxis se exercendi circa vota.*

NOTANDVM proinde, Vota Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis Deo nuncupare, non esse idem atque harum trium virtutum actus exercere, multoque minùs earumdem habitum acquisiuisse, quasi is qui iam vouerit, verè effectus sit obediens, castus, & pauper: sed ad harum virtutum exercitiũ se obligare. Neque enim in professione harum virtutum habitus infunduntur, sed multo labore, & frequentatis actibus acquiruntur. Hinc accidere potest, vt quis pluribus annis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis votis obstrictus, nullum eorum vnquam violauerit, & tamen virtutes has necdum obtineat. Ex quo discrimen illud oritur inter perfectos & imperfectos, feruidos & tepidos Religiosos. Quamuis enim vtrique eadem Vota nuncupauerint, eodem induantur habitu, eosdem cõmunitatis obeant actus, eadem frequentent exercitia; hi solâ professionis emissione contenti sunt: illi verò diligenter serióq; se in virtute Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis exercent, earumq́ue occasiones inquirunt & obseruãt. Quemadmodum enim mechanicæ artis opificibus satis non est, eam per annum vnum aut alterum didicisse, eiusq́ue instrumenta iam comparasse; sed vt de fructu manuum suarum possint viuere, omnem exquirũt modum, vt suum exercere queant opificium, & instrumentis suis ea elaborare, quæ alij diuendant: non secus accidit in Religione, in quâ tirocinij tempore, artem discimus spiritualem, eiusq́ue in professione nobis comparamus instrumenta, quibus deinceps ad multa meritorum lucra, & vi-

Non sufficit ea Deo nuncupasse, *Sed exercenda.* *Vnde discrimen inter perfectos & imperfectos.* *Declaratur à simili.*

& vitam æternam acquirendam vtamur. Nam vt benè Abbas Moyses docuit: *Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplina* (monasticæ) *finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Sed quid hinc conficitur, nimirùm hæc propter principalem scopum, id est, puritatem cordis, quod est charitas, exercenda, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo, conscendendum. Proposito igitur charitatis fine, hæc obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis instrumēta quotidie assumenda, omnisque quærenda occasio, vt plures actus possimus elicere.

Cassia. collat. 1. cap. 7. Quo dirigantur Religionis exercitia.

Desiderium inefficax assequendæ perfectionis.

Quemadmodum enim improbari solet illud quorumdam desideriū in specie pium, sed solidâ pietate destitutum, quo optant esse patientes sine aduersitate; mites sine opprobrio aut vexatione; humiles sine despectu; abstinentes sine fame: ita verendum inueniri Religiosos minimè paucos, qui velint esse obedientes, sine resignatione vel abnegatione propriæ voluntatis; casti, sine mortificatione; pauperes spiritu, sine vllo defectu.

Cui triplicitier occurritur.

Hoc autem ne contingat, expedit tria nouisse, Primum, quæ singulorum votorum sit medulla, Secundum, quod cuiusque officiū, tertium, quomodo illud Christus Iesus, splendidissimum Religiosæ vitæ speculum, adimpleuerit, suoque nobis præluxerit exemplo. Videamus singula.

I. Expenditur in quo consistat Obedientia.

OBEDIENTIÆ medulla est, in Superiore, Dei, cuius sustinet personam agnoscere, eidemque propter Deum non voluntatem dumtaxat, sed etiam intellectum & iudicium subijcere, vt quæ Superior iusserit, non tantùm faciat, verùm etiam ita iudicet faciēdum. Vbi illud notandum discrimen, aliud esse agere aliquid cum obedientiâ; aliud, ex obedientiâ. Nam qui postulat à Superiore, quod ei conceditur, actū illum quidem facit cum obedientiâ, ita vt non peccet: non tamen ex obedientiâ. Si enim in eo sensualitati, proprioque satisfaciat amori, actus ille propter veniam superioris non excusatur à defectu: non rarò enim subditi imperfectioni se accommodat præfectus, vt vitet peiora, aut ne eum contristet, aut quod ita reuera iudicet expedire. Quo casu hic probè agit, ille secus, qui propriæ obsequitur voluntati. Tum autem aliquid fit ex obedientiâ, cùm quod propriâ sponte iniungit Superior, id subditus ideo exsequitur, quia in eo Dei vicem vocemque attendit. Hoc autem semper meritorium, nisi alio respectu vitietur, cùm nimirùm idcirco obedit, quod res præcepta suo allubescat genio, ægrè facturus si displiceret. Veri ergo Obediētis Officium est, hoc fine quælibet iniūncta promptè amplecti & adimplere. Quinimò non exspectato mandato, tacitæ quoque præsulis, quàm præsagit, voluntati satisfacere. Frequenter etiam petere obedientiæ materiā sibi offerri, & tam in petitione, quàm exsecutione, voluntatem propriumq; iudicium perfectè abnegare, nihilque sibi iudicare conuenientius, quàm quod illius federit arbitrio.

Quod effectum veri obedientis.

NOVITIATVS.

Aspice iam in auctorem fidei, & cōsummatorem Iesum, qui *factus est omnibus obtemperantibus sibi, caussa salutis æternæ.* Ipse enim non tantùm æterno Patri, quo secundùm humanam naturam minor erat, exactissimè obediuit, verùm etiam Mariæ & Ioseph subditus erat. Sed minùs hoc mirabitur, qui considerauerit eum & sententiæ Pilati, & carnificum iussis, quibus vestes ponere, rursum sumere, crucem baiulare, in eâ manus extendere præcipiebatur, paruisse. *Humiliauit enim semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

Et Christi exemplum. Hebr. 5.

Philipp. 2.

II. Quæ sit Castitatis medulla.

Medulla CASTITATIS est, totū cor suum soli animarum sponso ita prorsus tribuere, nulli vt creatæ rei illud patiamur adhærere. Castitas enim carnis concupiscentiam moderatur, & illicitas voluptates excludit. Duplex porrò est Officium illius, qui angelicam hanc virtutem impensiùs volet excolere. Prius, sensus suos cohibere & custodire, ne per illos, tamquam animæ fenestras, delectatio vlla subintret. Alterum est, rebellem spiritui carnem ieiunijs, vigilijs, disciplinis, cilicijs, alijsque Ordinis austeritatibus affligere & mortificare, ne sensuales delicias, in quas auidè propendet, consectetur.

Quid in hanc rem à Christo Domino factum.

Sed quale hîc exemplum Virginis Filius, Virginum sponsus exhibuit? Maluit enim naturæ leges inaudito miraculo violari, quàm communi generationis modo nasci, vt ita matris integritatem non minueret, sed sacraret. Nec satis hoc illi fuit, sed ad nostram instructionem duo illa quæ diximus, sensuum custodiam, & carnis mortificationem, vltrò elegit. Nam quod oculos passim demitteret, rariusque erigeret, illa Euangelistæ verba loquuntur: *Cùm subleuasset Iesus oculos.* Et: *Subleuatis oculis in discipulos.* Quod parcè vixerit, quadraginta diebus noctibusque in deserto ieiunauerit, humi cubauerit, pernoctans fuerit in oratione Dei, carnem suam odio habuerit, omnibus notissimum est, licet his præsidijs eius castitas non indigeret.

Ioan. 6. Ioan. 17.

III. Quæ sit medulla Paupertatis.

PAVPERTATIS medulla est, ita summo illo bono, quod Deus est, esse contentum, vt propter eum aliorum omnium obliuiscatur, nec ad ea respicere, aut vllo in pretio ha-

NOVITIATVS. tio babere dignetur, dicens cum Propheta: Domine, *quid mihi est in cælo, & à te* (.i. Psalm.72. prætet te) *quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ.* Officium autem illius qui diuitias sanctæ paupertatis assequi concupiscit, in eo situm est, vt postquam renunciauerit omnibus quæ possidebat, & terrena bona propter Deum reliquerit, omnem deinceps erga illa exuat affectum. Vlteriùs verò exercendæ Paupertatis amore, quærat occasiones penuriam aliquam patiendi in cibo, potu, veste, alijsque; tolerando frigus, calorem, famem, sitim, nuditatem, incommodam cellam & sellam. Rebus sibi concessis ita vtatur, ac si commodatò accepisset, optetq; sibi semper viliora obtingere, & quibus carere potest, ea Superiori sponte resignet, paucissimis sibi retentis.

Officium eiusdem.

Et exemplum Christi. Respice iam in faciem Christi tui, qui *cùm diues esset, propter nos egenus factus est.* 2.Cor.8. Cùm esset in eius potestate talem eligere mattem, talemq; natiuitatis locum, qualẽ vellet; matrem tamen elegit pauperem, & pro natali domo, stabulũ; pto lectica, præsepium; pto lecto, fenum; pro regio paludamento, pannos quibus inuolutus est. Quid autem in reliquâ habuit vitâ, de quâ ait:

A *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Matth.8. An non tempore famis, pauperes illius *discipuli vellebant spicas?* An non fatigatus Luc.6. sedens super fontem, à Samaritanâ petijt haustum aquæ? An nõ à Zacchæo cibum, Ioan.4. à Marthâ accepit hospitium? Et quid, quæso, triduo amissus comedit? sanè vel mendicauit, vel ieiunauit; vt vetè apud Prophetam dixerit: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Psalm.39.

B Ex his iam constat Christum Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis vittutes excetcuisse, occasiones ambiuisse, & in his, exemplum nobis dedisse, vt sequamur vestigia eius. Felix illa anima, quæ votorum suorum instrumẽtis, & spiritualibus veluti calceis viam religiosæ perfectionis duce Christo non segniter perambulat. De eiusmodi illud sacri Epithalamij dicere liceat: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Cant.7. Vbi aduertendum, non laudari pulchra calceamenta, sed qui in ijs fiunt gressus; vt sciremus non sola desideria, aut vota Domino virtutum placere, sed qui ex desiderijs votisque à fideli anima fiunt in virtute progressus.

Quod eximium in hisce Votis, vt eu sequaris.

SIT
NOMEN DOMINI
BENEDICTVM
EX HOC
NVNC, ET VSQVE IN
SÆCVLVM.

MONA-

MONASTICARVM

DISQVISITIONVM

LIBER QVINTVS:

VESTIARIVM,

SIVE

DE RELIGIOSO HABITV.

Reuerentiam Habitus sui in actu, in cogitatione, in locutione semper circumspiciat Monachus, vt ea, quæ mundi sunt, perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis Habitu, hoc ante Dei oculos prætendat moribus. *S. Gregor. homil. 17. in Euang.*

ARGVMENTVM.



VEROS Nouitiosque superiori libro contemplati sumus, & ad Professionem vsque deduximus, in quâ edito sacramento militiæ sacræ auctorati sunt. Proximum nunc, vt baltheo tesseraque militari, qua discernantur à ceteris, insigniantur. Recens natos infantes fasciis primùm inuolui, ac posteà tunicâ donari, quotidiano vsu compertum est. Apud Romanos pueri prætextâ positâ, ad annum XV. vel XVII. Lips. in Tacit annal. 12. & Torrent in Horat. virilem sumebant togam. Haud secus noster decreuit Patriarcha, non ipso primo ingressu, sed probationis anno expleto, votisque Deo nuncupatis, exuendum Nouitium propriis, & induendum Regul. cap. 58. rebus Monasterij. Has ei è monastico nunc proferemus VESTIARIO, quo titulo Librum hunc placuit prænotare. Nam etsi VESTIARIVM pro ipsis vestibus, vel quod ad eas pertinet, *Quid Vestiarium, & quis eius vsus.* subinde sumatur, vt apud Vlpianum, aliosque: frequentiùs tamen ac- Vlpian. de alim. leg. t. cipitur pro ἱματιοφυλάκιον. Vnde Plinius: *Vestiarium dicitur vestimentorum repositorium.* Plin. lib. 15. Vopiscus: *Vestem holosericam neque ipse in* VESTIA- Vopisc in Aureliano.

RIO *suo habuit, neque alteri vtendam dedit.* Quâ notione etiam vſurpat Auguſtinus in Regulâ: *Sicut paſcimini ex vno Cellario, ſic induamini ex vno* VESTIARIO. Sed quòd noſtris eſſe ſatis debeat, ipſe S. P. hac voce crebriùs vtitur. *Vetera,* ait, *ſemper reddant in præſenti, reponenda in* VESTIARIO *propter pauperes.* Item: *Femoralia hi, qui in viâ diriguntur, de* VESTIARIO *accipiant.* Et alibi: *Illa veſtimenta quibus exutus eſt, reponantur in* VESTIARIO *conſeruanda.* Poſteriores Græci hinç dicunt βεστιάριον, vt in Gloſſario Meurſius annotauit.

Auguſtin. epiſt. 109. Cap. 55. Cap. 58.

Omnia igitur VESTIARII huius armaria ſcrutabimur, & quidquid in iis Monaſticarum inuenerimus veſtium, in lucem producemus, & pro modulo noſtro Tractatibus his explicabimus. *Primus* eſt, De Monachorum veſtibus generatim. *Secundus,* De veſtibus Benedictinis in genere. *Tertius,* De veſtibus longioribus. *Quartus,* De breuioribus. *Quintus,* De Calceamentis. *Sextus,* De Monaſtici amictus colore. *Septimus,* De quibuſdam Benedictinæ veſti ſingularibus. *Octauus,* De obligatione deferendi habitum, & quæ in eo vitanda. *Nonus,* De Coronâ, & Tonſurâ Monachorum. *Decimus,* De myſtica Benedictini habitus explicatione.

TRACTATVS I.

DE MONACHORVM VESTIBVS GENERATIM.

VESTIARIVM.



T Ordine quodam veſtimentorum repoſitoria luſtremus, ordiri lubet à generali quorumcumque Ordinum amictu, qui vti à ſecularium diſcretus, ita peculiari videbatur explicandus Tractatu, qui reliquorum quædam baſis eſſet & fundamentum. Diſquirimus proinde, Primò, *Deceatne Religioſos diſtinctus à ſecularibus habitus?* Secundò, *Num diſcreta Monachorum à vulgo veſtis ſacræ Scripturæ, ac puriorìs Eccleſiæ vſui repugnet?* Tertiò, *Quæ cauſſæ peculiaris Monachorū habitus?* Quartò, *Quæ Religioſi habitus prærogatiuæ?*

DISQVISITIO I.

An diſtinctus olim Monachorum à ſecularium habitus?



ECVLIAREM Monachorum veſtem, eiuſque antiquitatem impugnant paſſim, aut ſanè vellicant Nouatores. Etenim cùm ex iis nonnulli excuſſo cucullo è Monaſteriorum clauſtris A vulgari thorace, & braccis follicantibus ad quinti Euangelij cathedram proſiliberint: nimirùm probare in aliis non poſſunt, quod ipſi iam pridem deſeruerunt. Magdeburgici Centuriatores loquẽtes de habitu & tonſurâ Monachorum, dicunt eſſe

Nouatores impugnant monaſticæ veſtis antiquitatem. Cent. 4. cap. 6. col. 467.

esse res superstitiosas, & non conformes Scripturę, nec vsui purioris Ecclesię. Rhenanus in argumento libri Tertulliani de pallio, ait: *Sub tempara Apostolarum, verisimile est Christianos simplici cultu, calceatuque fuisse vsas. Id quad etiam multis saculis obseruatum constat.* Polydorus quoque Vergilius scripsit: *Priscos Manachos nulla certo viuendi ritu simplex ac liberum vita genus elegisse, nec istis carimoniis obstrictum, quas hodie Monachi obseruant. Vestitum honestum pro iure suo quemque sibi sumpsisse.*

De inuent. rer. lib. 7. cap. 1.

Refutantur veterum testimoniis.

Sed veteres aut non legisse, aut malitiosè dissimulasse videntur, quicumque in hâc sunt sententiâ. Cassianus enim integro libro Monachorum habitum *Zonas, Cucullos, Colobia, Rebrachiatoria, Masartes, Melotes, & calceamenta* describit. De iisdem etiam S. Dorotheus agit. Basilius epist. 1. ad Gregorium Theologum, & in Regulis fusiùs disputatis, atque alibi sæpiùs de religioso & peculiari amictu agit. Coëtaneus illi S. Æphrem, cùm sæpius *cuculli, analabi*, aliorumque indumētorum religiosorum meminerit, tum hæc planè in rem nostram habet: *Considera habitum, quo indutus es, ô Monache, & cerne, quantum sit inter hunc, sæcularemq; discrimen: diligenterq; animaduerte, quidnam ille designet.* S. verò Augustinus dicit, peccatum esse, si *vel Sanctimonialis gerat ornamenta nuptarum, vel nupta speciem virginum vestibus referant.* Et ad Ediciam scribens, indicat, *fuscam vestem fuisse* tunc *insigne cantinentiam profitentium.* Et Massiliensium ille Præsul Saluianus *reprehendit* eos, qui *summam diuini cultus habitum magis quàm actum existimantes, vestem tantummodò exuère, non mentem.* Ambrosius de Paulino, qui ex nobili Senatore Monachus factus fuerat, agens: *Et cùm ipsi* (Gentiles) inquit, *capita & supercilia suaradant, si quando Isidis suscipiunt sacra: si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ Religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant.* Hieronymus verò quoties Religiosorum vestes commemorat? ad Rusticum Monachum: *Vidi quosdam,* inquit, *qui pastquam renuntiauere saculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de canuersatione pristinâ mutauerunt.* Et ad Marcellam: *Tunicam fusciorem induta, se repente Domino consecrauit.* Ad Eustochium, omnium Cœnobitarum eundem fuisse habitum dicit, nimirum *tunicam, & sagum,* quibus in vitâ Hilarionis addit *cucullam*: dicit enim vestes eius fuisse, *tunicam sacceam, palliolum, & cucullam.* Et Chrysostomus ait, Monachos habitu imitari Eliam & Ioannem. Et lib. de comparatione Regis & Monachi, dicit, *Manachum vno tantùm amictu, instituto suo conformi, vti solere.* Et alibi de Veteribus Mona-

Cassian. Instit. lib. 1.
Doroth. serm. 1.
Æphr. lib. de virtute, cap. 9.
August. lib. 6. contra Faust. cap. 9.
Id. epist. 199.
Saluian. lib. 5 de prouid. cap. 7.
Ambros. lib. 6. epist. 36.
Hieronym. epist. 4.
Epist. 15.
Epist. 22.
Chrysost. homil. 56. ad pop. Antioch.

A chis loquens: *Vestis,* inquit, *est iis fortitudine digna: non enim candidatis vestibus vtentes, iuxta eneruatos & molles induuntur, sed iuxta beatos illos Angelos, Eliam, Elisæum, Ioannem, secundùm Apostolos.* Athanasius docet Sanctimonialem, vt *fuscam & vilem gerat vestem.* S. Pachomius quales suis præscripserit Vestes, ex eius apparet Regulâ à Palladio recitatâ: vbi sic scribitur: *Noctu autem gestent lebitones lineos, succincti. Habeat vnusquisque pellem ouillam albam labaratam. Absque ea neque comedant, neque dormiant. Fecit eis Cucullas sine villis tamquam* B *pueris, in quibus etiam iussit imponi figuram crucis purpureæ.* An & hoc Nouatores omnium Christianorum dicent indumētum? Sozomenus certè ait, Tabennesiotis schema siue habitum, & vitæ institutionem à reliquorum Monachorum disciplinâ paulò fuisse diuersa. Baronius pluribus ostendit *pallium* distinctam fuisse à communi Christianorum habitu vestem, eoque vti consueuisse sanctioris propositi viros: & Tertullianum illud, non cùm baptizaretur, sed cùm arctiùs vitæ genus & eminentioris philosophiæ cultum vellet pro- C fiteri, assumpsisse. Quid verò Dionysius Areopagita, S. Pauli Apostoli discipulus, an non expressè Monastici habitus mentionem facit, cùm de Professione Monachi agens, ita ait: *Sacerdos signo crucis eum consignatum tondet, omniq; veste detractâ, eum aliâ induit.* Ex quibus liquidò constat, quàm antiqua Monachorum vestimenta, vt mirum sit, tot radiantibus luminibus nihil hîc noctuas vidisse.

VESTIARIVM.
Athanas. Lib. de Virg.
Pallad. cap. 18.
Habitus Monachorum S. Pachomij.
Sozom. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 13.
Baron. anno 197.
Pallio quinam vterentur.
Dionys. de Hier. eccles. cap. 6.

Gentium omnium Sacerdotes veste à ceteris distincti.

Sed & omnium gentium consuetudine receptum est, vt sęculi negotiis implicitos peculiaris vestitus ab iis discriminaret, D quibus ex officio incumbebat Deo & sacris vacare. Sanè quidem apud profanas etiam gentes, conscias licet vanissimæ religionis, Sacerdotes à laicis vestibus distingui solitos, memoriæ prodit Herodotus. Nec abludit Athenæus, narrans, solemne olim Gręcis fuisse vestes eorum prę reuerentiâ tangere, quos proximè Deos venerabantur. Apud Romanos Vestales virgines, albâ quidem veste, sicut ceteri vsæ, sed ad discretionem, limbo punicante, qui ornatus etiam Sacerdotum, ac Ma- E gistratus erat, vt auctor est Lipsius. Sacerdotes Ægyptij lineis vestibus vtebantur, *non solùm intrinsecus, sed etiam extrinsecus,* inquit D. Hieronymus. Apud Indos tam Orientales, quàm Occidentales vsque ad hæc nostra tempora, peculiaris habitus fuit iis, qui sacris præerant. De Sacerdotibus, Monachis, Monialibus Mexicanorum, ac eorum veste & ornatu, scripsit Iosephus à Costâ, quem vide si lubet. Quid, quod

Herod. Euterp. lib. 2. cap. 12.
Lips. Syntag. de Vestal. c. 12.
Hieron. ad Ezech. cap. 44.
Etiam hodie in America.
Histor. Occid. Ind. lib. 5.

VESTIARIVM.

quod Philoſophis etiam peculiaris eſſet habitus, *Pallium* ſcilicet, de quo integrum librum exarauit Tertullianus. Iulius verò Capitolinus auctor eſt, M. Antoninum Imperatorem anno duodecimo habitum philoſophicum ſumpſiſſe. Et Iuſtinus Martyr fatetur ſe ex habitu, pro Philoſopho à quodam fuiſſe habitum. Litteratorum Sinenſium pileos, tibialia, & induſia accuratè deſcribit Nicolaus Trigautius.

Philoſophorum peculiaris amictus.

Trigaut. l. 1. de Chriſtianâ expedit. apud Sinas, cap. 8.

Ex quibus iam liquidò patet, quàm ſit conforme omnium gentium iudicio, ac purioris Eccleſiæ vſui, quòd Monachis veſtis ſit peculiaris. Quare quod de Philoſophis Lucianus dixit, id ad Monachos appoſitiſſimè transferam. *Minimè mirandum* (inquiebat ille) *ſi ab his differrent habitu, à quibus differebant inſtituto: contra verò, indecorum putat exiſtere, quod peculiaris veſtis citharœdo, tibicini, atque tragœdo tribuatur; viro autem bono & ſapienti cultus habituſque non attribuatur niſi cum vulgo communis.* Sed Nouatores noſtri malunt toti antiquitati, & vniuerſi orbis conſuetudini præfractè contraire, quàm cum Catholicâ Dei Eccleſiâ & SS. Patribus conuenire.

Et iure merito.

DISQVISITIO II.

Num diſcreta Monachorum à vulgo Veſtis ſacræ Scripturæ, ac purioris Eccleſiæ vſui repugnet?

NE ſine gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, pugnare videantur Centuriatores Magdeburgenſes, audacter & velut ex tripode pronuntiant, Monachorum peculiarem amictum *non eſſe conformem ſcripturis ſacris, nec vſui purioris Eccleſiæ.* Id autem nullo teſtimonio euincunt. Nos verò, ne quidquam intactum relinquamus, oſtendemus id ſacræ Scripturæ, & Eccleſiæ conſuetudini minimè repugnare.

Cent. 4. cap. 6. Col. 467.

Diſtinctio veſtis religioſæ non repugnat Scripturæ.

I.

PRIMÒ enim, ſi peculiaris olim viduis fuerit cultus, pudoris, modeſtiæ, & grauitatis index, quo demonſtrarent ſe nuptiis abſolutas, non ampliùs cogitare quæ ſunt mundi, & quomodo placeant viris; cur non etiam Monachis liceat externo ſymbolo profiteri ſe ſolùm ſolicitos eſſe, & cogitare quæ Domini ſunt, vt ſint ſancti corpore, & ſpiritu, & vt contemptum mundi ipsâ indumentorum profiteantur vilitate? De viduarum verò habitu conſtat ex Geneſi, vbi Thamar ſcribitur *depoſitis viduitatis veſtibus*, aſſumpſiſſe *theriſtrum,* &c. Sanctiſſima quoque illa Iudith ſcribitur exuiſſe ſe *veſtimento viduitatis*, & induiſſe *veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſraël.* Atque hæc ipſa videtur ſuo viuendi modo Sanctimoniales noſtras non leuiter adumbraſſe, nam & *Religioſam* ſeipſam nominat cap. 11. v. 14. vbi ſic legimus: *Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum;* quorum loco in Græco habetur, ἡ δούλη σου θεοσεβής ἐστι, καὶ θεραπεύουσα νυκτὸς καὶ ἡμέρας τὸν θεὸν τοῦ οὐρανοῦ. *Ancilla tua Religioſa eſt, ipſum cœli Deum noctes atque dies colens.* An hoc longè à monaſtico inſtituto? Vis clauſuram, & virginum choros? *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Non ſemel ac iterum illuc aſcendebat, ſed continuò morabatur. Vis Religioſorum pœnitentias & ieiunia? *Habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, Neomenias, & feſta domus Iſraël.* Cùm ab his valde laudetur, cur in Monachis improbanda putabimus?

1. Corinth. 7.

Viduarum amictus.

Geneſ. 38.

Iudith 16. 9.

Iudith Religioſa.

Ibid. 8. 5.

6.

II.

SECVNDÒ, luctus & pœnitentiæ tempore, ſacco & cilicio corpus olim affligebant. Sic Iacob lugens filium ſuum Ioſeph, *cilicio* ſcribitur indutus. Et Dauid: *Cùm mihi,* inquit, *moleſti eſſent; induebar cilicio.* Et * infrà plures Cilicioferos commemorabimus. Inter Cilicium verò & ſaccum, hoc quidam diſcrimen ponunt, quod hic extrinſecus dumtaxat geſtaretur, humilitatis & confuſionis ergo; illud verò intrinſecus ad nudam carnem adhiberetur, afflictionis gratiâ. Quamquam Hebræa lingua hæc duo ſæpè confundat. Ita Achab cùm audiſſet minas Domini ex ore Eliæ, *operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Quod Domino ità placuit, vt ad Eliam diceret: *Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſâ, non inducam malum in diebus eius.* Filij Iſraël pœnitentes *conuenerunt in ieiunio & in ſaccis, & humus ſuper eos.* Mardochæus quoque Eſther reginæ nutritius, *indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti*, cum Aſſuerus Rex Iudæos perdere decreuiſſet. Daniel in ieiuniis, *ſacco, & cinere* Deum deprecabatur. Niniuitæ cum Rege ſuo *veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem*, & iram Domini placauerunt. Atque alibi ſæpius, ſaccus velut pœnitentiæ indumentum ponitur. Iam verò quid Monachi officium, niſi lugere? *Monachus*, inquit Climacus, *eſt, qui vigilans ac dormiens in aſſiduo luctu, & mortis meditatione verſatur.* Cur conſentaneum rationi non fuerit, officium hoc ipsâ veſte præferri?

Pœnitentium ſaccus & cilicium.

Geneſ. 37. 34.

Pſal. 34.

** Tract. 3. diſq. 8.*

1. Reg. 21. 27.

2. Eſdræ. cap. 9. 1.

Eſther 4. 1.

Dan. 9. 3.

Ion. 3. 5.

Monachi lugentes.

Clim. grad. 1.

III.

TERTIÒ, ipſe Deus pontificalia indumenta Aaronis, & filiorum eius Moyſi facienda præſcribit. Quid ni habeant & Monachi diuino cultui nocte dieque dicati, & nouæ legis ſacerdotio aut initiati, aut initiandi,

Aaronis veſtes.

Exod. 28.

tiandi, peculiares vestes statui suo congruentes?

IV. *Iudæos à reliquis populis amictus distinxit.* Nu. 15. 38.

QVARTÒ, Moysi præceptum hoc dedit Deus: *Loquere filiis Israël, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.* Cuius scripturæ hic redditur sensus à Leonardo Mario: In imâ extremaque vestium parte ponetis fimbrias, id est, fila fluida & libera, sicuti in telarum extremitatibus depēdent, atque his inducetis limbulum hyacinthini coloris, quo sic ab aliis gentibus differatis, & ex perpetuo huius rei aspectu excitemini ad rerum cælestiū memoriam, præceptorumque meorum obseruationem. Habuit & Christus Dominus has fimbrias, ad quarum contactum Hæmorrhoissam sanauit. Pharisæi verò, quos Iudæorum Clericos S. Hieronymus alicubi nominat, & quorum sequacem se Paulus fuisse affirmat, vt religiosiores apparerent, magnificabant has fimbrias, & maiores faciebant. Si ergo *ad Israëlis populum dignoscendum* (vt inquit Hieronymus) fimbriæ hæ & vestis differentia à Deo præscripta est, minimè scripturis contrarium censendum est, si distincto Monachi vtantur indumento.

Mari. in cap. 15. Num. *Fimbria hyacinthino limbo prætexta.* Math. 9. Hieron. in cap 23. Math.

V. *Eliæ & Prophetarum vestimenta peculiaria.* 4. Reg 1. Stellart. in fundam. ord. cap 1.

QVINTÒ, Elias ab Ochoziâ Rege Israël agnitus est zonâ, veste, crine à ceteris distinctissimus. Quis hinc, inquit Prosper Stellartius, non colligat Religiosum? Comâ, capillo, vesteque singularem fuisse rex agnouit eum, qui singulari quodam asceticæ Religionis affectu, solitariæ vitæ cultor iuga Carmeli montis incolebat, præeratque gregibus Monachorum indidem Deo famulantium. Hæc Stellartius. Qui non sine teste locutus, nam filios Prophetarum veteris testamenti Monachos appellat S. Hieronymus. Et verò Prophetarum vestem à Religiosis nostris vix aut nihil distantem accuratè describit Cornelius. Vestis, inquit, Prophetarum erat saccus, siue cilicium ex pilis hircorum, vel camelorum, vel equorum contextum, patet id ex Isaiâ: *Solue*, inquit, *saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Et Zacharias loquens de falsis Prophetis habitum verorum assumentibus: *Nec operientur pallio saccino.* Vbi S. Hieronymus asserit Prophetas, cùm prophetarent, induisse cilicium, vt populum incitarent ad pœnitentiam. Idem docet Clemens Alexandrinus. Porrò sacco huic, siue tunicæ saccinæ, vel cilicinæ iniiciebant pallium, vti patet de Eliâ; qui pallium suum iniiciens Elisæo, eum ad se sequendum, & prophetandum vocauit. Idipsum tradit Origenes. Incedebant ergo Prophetæ tali, vel simili habitu, quali iam Patres Capucini, quasi contemptores mundi & prædicatores regni vitæque cælestis. Hactenus Cornelius. Quid ergo habent Nouatores, cùm monasticam vestem ab ipsis Prophetis delatam animaduertunt? Quid verò, an non Paulus Apostolus ait, quosdam Patres veteris testamenti circumiisse *in melotis, & in pellibus caprinis*, egentes, angustiatos, afflictos, quibus dignus non erat mundus? An non hæc religiosa indumenta ab Ægyptiis Monachis, horum Patrum imitatione assumpta? Cassianus enim ait: *Vltimus habitus eorum pellis caprina, quæ melotes appellatur, quã gestant ad imitationem eorum, qui professionis huius* (monasticæ) *præfigurauêre lineas in veteri testamento, de quibus Apostolus: Circuierunt in melotis*, &c. de quibus alibi, & rursus infrà. Videre hinc est, quàm longè à sacræ Scripturæ exemplis dissentiat monasticus habitus.

Epist. 4. ad Rustic. Cornel. in proœm. ad proph. minor. *Saccus, siue cilicium.* Isa. 20. 2. Zachar. 13. 4. Clem Alexand. lib. 3. Strom *Cur pallium iniiciebant.* 3 Reg. 19. 17.

VESTIARIVM. Origen. hom. 13. in Num. ad Hebr. 11 *Melota Patrum.* Cassian lib. 1. cap. 8.

VI. *S. Ioan. Baptista habitus* Matth. 3.

SEXTÒ, Noui veterisque testamenti sacratissimus limes, finis, initiumque, Ioannes Baptista, ita Euangelista narrante processit: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Asperum hoc indumenti genus contra Sanctos Patres molliculi hæretici, & carni nimiùm propitij extenuare, & Ioanni prorsus adimere conantur. Caluinus docet eum rusticano victu & vestitu fuisse contentum, & mediocrem, vsitatamque munditiem fugisse. Marloratus Magistrum secutus; *non dubium est*, inquit, *quin hic montanum hominem describat Euangelista, ab omni vrbano nitore & lautitiis remotum.* Centuriatores vsitato genere vestitus quali illi, qui ad montosa loca habitabant, indutum Ioannem scribunt; quibus succenturiatur Victorinus Strigelius, Ioannem è numero egenorum faciens, & Scripturæ verba interuertens: *In oriente*, inquit, *tenuiores homines vestiebantur panno contexto ex pilis camelorum. Non igitur imaginandum est, Ioannem monstrosâ veste, videlicet pelle camelorum, indutum fuisse.* Id verò si pauperibus omnibus commune fuit, nihil mirum de Præcursore Domini Euangelista attulit. Dauid verò Chytræus, hispidam hanc vestem in pulcherrimam & lautissimam transformat: *Vestis Ioannis erat contexta ex pilis cameli, similis ei quam hodie vulgò à Camelis vocamus* kamlot. Sed cur inauditum hoc figmentum excogitauit Sectarius cōtra ipsum Christum, qui dicit Ioannem non mollibus vestitum? Cur asperitatem vestis tam S. Prophetæ ita eleuant? nimirum ne hinc Monachorum instituta,

A Nouatoribus iudaizò describitur. In cap. 3. Math. Cent. lib. 1. cap. 10. pag. 356. Strigel. in cap. 1. Marci. *Tribuunt ipsi vestem camelinam mollissimam.* Chytr. in cap 1. Matth. Luc. 7.

certum

VESTIARIVM. *Sectarij quidam id intendunt.*

certum cibi & vestimenti genus, contra A ipsos adstruamus. Etenim si tale quidquam de Ioanne faterentur, animaduertunt id statim ad alios etiam Ioannis imitatores, vitæque monasticæ sectatores referri posse. Quod ne sine teste dixisse videamur, excucullato id credamus Bucero, qui de Ioanne agens, ait eum *panno ex pilis camelorum confecto vestitum*. Et quare quæso? *Ne quis*, inquit, *existimet in morem nostrorum Monachorum peculiare sibi aliquod cibi & vestimenti genus delegisse*. Scilicet hoc erat, cur Ioanni rigidiorem vestem detractum B irent. Sed quid faciant SS. Patribus, qui Ioannem non tantùm asperè & durè vestitum scribunt, sed etiam Monachorum principem faciunt: quos vide alibi à nobis allegatos, & apud Canisium, *lib. 1. de corruptel. verbi Dei, cap. 2.* Atque hæc quidem satis ostendunt discretum Monachorum habitum sacræ Scripturæ satis esse conformem.

Bucer. in cap. 3. Matth.

Lib. 1. Tract. Disq.

Discretus Monachorum habitus non repugnat Ecclesiæ.

Quòd verò puriorís Ecclesiæ vsui non repugnet, satis superque ex SS. Patrum testimoniis superiori disquisitione allatis C manifestum est. Neque enim credendum, aduersarios Ecclesiam istorum temporum pro impurâ & coinquinatâ habere. Iam verò si Esseni à Philone descripti, fuerint Christiani, & Monachi à S. Marco in Ægypto instituti, de quibus aliàs, absque vllâ controuersiâ peculiarem vestem in primitiuâ, & puriori Ecclesiâ viguisse fatendum est. Iosephus enim scribit, vestitum Essæorum fuisse, *qualis puerorum, qui sub pædagogo sunt, ac instituuntur, esse solet; modestum scilicet ac simplicem.* Quem album fuisse Sera- D rius tradit. Philo autem ait: *In veste eadem apparet simplicitas; ad arcendos calores & frigora, pro pelliceis crasso tunica in hieme, æstate verò exomis aut interula linea.* Sed vt hos iam prætereamus, ipsi etiam Apostoli singularem & modestum habitum detulisse videntur, nam Apostolorum Princeps de seipso apud Clementem ait: *Indumentum hoc est mihi, quod vides, tunica cum pallio. Hoc mihi sufficit: quiamens mea non ad hæc præsentia, sed illa, quæ æterna sunt adspicit, & ideò nihil me rerum præsentium visibiliumque dele- E ctat.* Quid verò de Iacobo fratre Domini dicemus, de quo Hieronymus: *Non ferrum in eius caput adscendit, non se in balneo lauit, non laneam vestem, non calceamentum induit, imam tunicam non mutauit, lineâ semper indutus.* Eant nunc hæretici, & tantum Dei Apostolum contra Scripturam id fecisse, aut puriori Ecclesiæ minùs conformem fuisse asserant; vel si id Apostolo concedendum putent, in Monachis non calumnientur.

Essæorum vestis singularis.

Philo de vitâ contemplat.

Item Apostolorum. Lib. 7. Recognit.

Hieron. in Catal. Script. Eccles.

DISQVISITIO III.

Quæ caussæ peculiaris Monachorum habitus?

NON veterum tantùm auctoritate, sed & rationibus, admodum probabilibus peculiarem sibi vestem Monachi vendicant. Sparsim has suggerunt SS. Patres, & nos ex illis septem omnino explicabimus.

Gestant peculiarem Monachi vestem.

PRIMA est, vt nimirum habitus index sit Professionis, & per eum ab aliis quibuslibet siue sæcularibus, siue alterius instituti Religiosis secernantur. Iuris quoque ciuilis simul & Canonici dogma est, *quod cultum corporis ordinis dignitati & officio, decet esse conuenientem*: iubeturque idcirco meretrix ornatu distingui à matronâ: virgo ab ancillâ, clericus à laico. *Suo quoque in melius transgressis* (vt loquitur Tertullianus) *sunt signa.* Atque vt peculiaris quidam in vestitu est *ornatus militis*, ait Basilius, *alius Senatoris, itemque aliorum alius, vnde vt plurimum de dignitate illorum cuiusque capitur coniectura: sic decorum quoque esse, ac consentaneum videtur, hominem Christianum in vestitu etiam præcipuum aliquid à ceteris seruare oportere, per quod traditum ab Apostolo modestum ornatum illum conseruet. Vtilis ergo peculiaris hic amictus, quod is, qualis sit vnusquisque antè indicet, & vita quæ ex Deo est, professionem antè veluti testificetur.*

I. *Vt ab aliis discernantur.*

Tit. de aduocat. §. a.

D. cap. in audientiâ.

Tertull. De pallio.

Basil. in reg. fusè disput. quæst. 22.

SECVNDA ratio ex præcedenti consequens est, quòd Religiosi vel inuiti coguntur rectè viuere. Si certus illis non esset amictus, non internoscerentur ab aliis; at nunc ab omnibus statim cognoscuntur, & obseruantur; & si quid professione suâ indignum patrent, ab omnibus notantur & reprehenduntur. Quare optimè Basilius: *Vtilis in hoc peculiaris amictus ratio est, vt ab iis, qui nos viderint, actiones etiam isti professioni consentaneæ requirantur. Neque enim si quid indecorum inhonestumve geritur, id similiter & in obscuris hominibus, & in iis qui illustres magna quadam profitentur, animaduerti perinde solet aut propalam elucescit.* Idem etiam docuit Anselmus: *Qui religionem, inquit, interiùs seruare desiderat, habitui monachali exteriùs se alligat; qui quod exteriùs demonstrat, semper cum esse arguat. Quia si postcà noluerit hoc esse, magis eum dedecet habitus iste. Si enim, (verbi gratiâ.) Monachus superbus fuerit, qui habitu exteriori humilitatem prætendit, multò inconuenientius esse videtur, quàm si careret humilitatis habitu.* Rectè proinde monuit Hieronymus: *Aut loquendum nobis vt vestiti sumus, aut vestiendum vt loquimur.* Hinc Ambrosius virginem lapsam

II. *Vt sciant sibi indictam boni agendi necessitatem.*

Basil. vbi suprà.

Anselm. lib. de similitudin. cap. 91.

Quam continuo id habitus ingerit.

Hieron. Epist. ad Furiam. Ambros. cap. 5. & 6.

lapsam grauiter increpat, quod habitus sui oblita fuisset: *In illo*, inquit, *consecrationis tua die, sacro velamine tecta es: quomodo tibi in actu isto ignominioso non venit in mentem habitus virginitatis?* Alteram lapsam similiter Basilius interrogat: *Vbi est reuerendus ille tuus habitus? Vbi honesti mores, & vestitus frugalis virginem decens?* Ipse igitur habitus præuaricantem Monachum castigat ac reprehendit; tacens quidam monitor est, qui eum in officio contineat, & ad actiones professione suâ dignas excitet. *Grande igitur*, vt cùm Tertulliano rursus loquar, *Religiosi pallij beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt.*

Basil. ad Virg. lapſ.
Castigans & monens.
Tertull. de pallio.

III. Habitus mutatio ad mundi contemptum inuitat.
Gregor. lib. 10 epist. 22.
S. Ephræm de virtute cap. 9.

TERTIA ratio est, vt vilitate vestium mundi contemptum, & sæcularium rerum abdicationem profiteatur Monachus. *Quid est*, inquit Gregorius Magnus, *habitus Monachi, nisi* CONTEMPTVS MVNDI? Et S. Ephræm: *Considera habitum, quo indutus es ô Monache, & cerne, quantum sit inter hunc, sæcularemque discrimen: diligenterque animaduerte, quidnam ille designet. Constat quippe quod sæcularium institutorum, siue etiam rerum significet abiectionem; spiritualiumque operationum recordationem afferat. Noli igitur virtutem negligere, sed totis viribus sanctificationem procura: quoniam ideo egressus es mundo.* Pari sensu sed breuiùs S. Hieronymus: *Sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt, vilis tunica* CONTEMPTVM SÆCVLI *probet: ità dumtaxat, ne animus tumeat, nec habitus sermoque dissentiant.* Significationis huius memor erat S. Anastasius Persa Martyr, cui cùm rex dignitates, & diuitias obtulisset, respondit: *Mihi ô Præses, quæ hic sunt iucunda, valdeque expetenda & inuidiosa: nomen scilicet, deliciæ & diuitiæ, & splendor, iam sunt diu abhinc contempta, vt qui vitam susceperim monasticam, & à solâ spe, quam hinc concepi, pendeam. Huius rei etiam antequam loquar, hic venerandus Monachorum habitus, & hic vilis pannus est certus nuntius. Quomodo ergo ea, in qua omne studium omnemq; meam curam contuli & solicitudinem, ea nunc habebo contemptui, regis quæ est ad tempus, & in quem cadit interitus, inductus promissionibus?*

Hieronym. epist. 4. ad Rustic.
Sur. in vitâ S. Anastas. 22. Ian.
Expressus S. Anastasius, Martyr & Monachus.

IV. Morum conuersionē designat.
Dionys. cap. 6. de Eccles. hierarch.

QVARTA ratio. Morum conuersionem, quam plerique in professione Deo vouent, habitus mutatio designat. Testis sanctus Dionysius Areopagita: *Prioris*, inquit, *vestis depositio, alteriusque assumptio, migrationem illam à mediâ vitâ* (sæcularium) *ad perfectionem significat: sicut in diuinâ regeneratione* (id est baptismo) *promotionem indicat à purgatâ vitâ ad contemplantem illuminantemque habitum, candentis vestis immutatio.* Sicuti ergo Monachi non ampliùs gestant sæcularem habitum, ita quoque monentur sæculares deponere mores, atque vt Apostolus ait: *Exspoliantes se veterem hominem cum actibus suis, nouum induere, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis.*

VESTIARIVM.
Coloss. 3. 9.
Ephes. 4. 24.

V. Omnium rerum abdicationem.
Cassian. lib. 4. cap. 5.

QVINTA ratio à Cassiano allata, Paupertatis votum & abdicationem omnium rerum insinuat. *Exuitur*, inquit, *renuntians rebus propriis, ac per manus Abbatis induitur monasterij vestimentis, vt per hoc se non solùm vniuersis rebus suis antiquis nouerit spoliatum, verumetiam omni fastu deposito mundiali, ad Christi paupertatem & inopiam descendisse, iamque opibus sustentandum non sæculi arte quæsitis, nec de infidelitate pristinâ reseruatis, sed de sanctis ac piis monasterij largitionibus militiæ suæ stipendia percepturum, atque inde se deinceps vestiendum alendumque cognoscens, & nihil habere; & nihilominus de crastino non esse solicitus secundùm Euangelij discat sententiam, nec erubescat pauperibus, id est, corpori fraternitatis æquari, quibus connumerari Christus, & quorum se fratrem non erubuit nuncupare: quinpotiùs glorietur domesticis eius factum se esse consortem.* Hæc Cassianus. Commendat B. Hieronymus Paulinum, quòd hoc spiritu religionis habitum assumpserit: *Tunicam*, inquit, *mutas cum animo, nec pleno marsupio gloriosas sordes appetis: sed puris manibus, & candido pectore pauperem te & spiritu & operibus gloriaris.*

Hieron. epist. 13.

VI. Forma, colore, monastici amictus animū eleuant.
Cassian. lib. 1. cap. 4.

SEXTA ratio est, vt ad earum virtutum amorem & studium Monachi incitentur, quæ ipsa vestimentorum forma, aut colore in arcano sensu mysticè designantur. Testatur siquidem Cassianus, esse quædam in ipso Ægyptiorum Monachorum habitu *non tantùm ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis & innocentiæ obseruantia, etiam in ipsâ vestitus qualitate teneatur.* Vtilissimas porrò esse mysticas has significationes, vel inde constat, quòd animus humanus, vtpote corpori coniunctus, corporalibus delectetur, & spiritualia contemplari mysteria vix possit, nisi similitudinibus corporalium, sensibiliumque iuuetur. Quapropter Monachus suarum vestium attendens qualitates, colores, formam, varietatem, earumque significata intelligens, plurimum ad spiritualem meditationem auxilij habet ac progressus. Scribit Sozomenus, Tabennesiotis habitum fuisse à reliquorū Monachorum nonnihil discrepantē: *sed qui in virtutis contemplatione aciem mentis defigeret, animum tum ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad cælestium indagationem sic excitaret, vt cùm è corporis custodiâ migraret, aditū ad cælum haberet perfacilem.* Ita ergo externa corporis indumenta, inquit Lindanus, piis Christi athletis in eum prosunt finem,

Sozom. lib. 3. Eccles. hist. cap. 13.
Laudat Tabennesiotas.
Lind. in Apol. pro rel. cathol. p. 2.

VESTIARIVM. finem, in quem sunt pietatis aut conseruandæ, aut promouendæ studio assumpta. Quid autem singula vestimenta mysticè Monachum admoneant, inferius suo loco * explicabimus.

* Hoc libro Tract. X.

VII. Sanctorum Patriarchã imitatio. SEPTIMA atque vltima ratio: Vt Religiosi intuentes se habitu Patriarchæ ac fundatoris sui indutos, & quem tot Sancti eiusdem Ordinis, meritis & vitâ quasi consecrarunt, primò erubescant, quod ab eorumdem vestigiis tam longè dissiti sint; deinde etiam ad eorumdem imitationem se generosè excitent. Vtrumque hunc affectum ex Sanctorum habitu & vitâ eliciendum Patres docent. Ita consideratione S.P.N. BENEDICTI se perurgebat S. Bernardus: *Est mihi, inquit, de ipsius imitatione vobiscum sæculi abrenuntiatio, & monasticæ professio disciplinæ* (addere poterat, habitus & vestis vna) *nomen vnum, sed in altero sola magni nominis vmbra: ministerium vnum, sed heu me, quàm dissimiles ministri, quantum ministratio ipsa dissimilis. Væ mihi si tam longè à te fuero ò Beate* BENEDICTE *in futuro, quàm à tua vestigiis sanctitatis longè esse reperior in præsenti.* S. Franciscus à dæmone tentatus, vestem monasticam, quâ se reputabat indignum, abiecit, ac cordâ se acerrimè verberans, in hæc verba prorupit: *Eia frater Asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica Religioni deseruit, sanctitatis signaculum præfert. furari eam libidinoso non licet, si quò vis pergere, perge.* Eodem spiritu Barlaam apud Damascenum de antiquis Monachis dixit: *Hos admirandos & sanctos viros nos quoque indigni ac despicabiles imitari studemus; verum eorum vitæ cælestis fastigium minimè assequimur, sed pro infirmitatis nostræ ac miseræ facultatis modulo eorum vitam exprimimus. Atque ipsorum habitum gerimus, etiamsi opera non assequamur.* In alterum verò illum affectum imitationis intendebant S. Pachomij Monachi. *Isti enim*, vt habet Sozomenus, *ad exemplum Eliæ Thesbytis, pellibus se induebant, vt singuli ex pelle corpori circumiecta virtutem Prophetæ semper in memoriam reuocantes, strennè contra cupiditates venereas confligerent: atque studio, quo ad eius vitam imitandam incendebantur, & spe similium præmiorum consequendorum inducti, multo alacriore animo se à voluptate temperarent.* Quoties ergo se Monachus S. BENEDICTI habitu ornatum consideraț, ad illius sequenda vestigia se excitari cognoscat, vt quem veste repræsentat, eundem & moribus ac vitâ exprimat.

Ad quam excitabatur S. Bernardus. Serm. de S. Benedict.

S. Franciscus habitu monastico se indignũ reputat.

In hist. de Barlaam & Iosaphat cap. 12.

Pachomiani cur pellibus se induerint. Sozom. lib. 3. hist. Eccles. cap. 13.

DISQVISITIO IV.

Quæ Religiosi Habitus prærogatiuæ.

TOT tamque eximia in Religiosum statum confluunt bona, vt ne ipsa quidem vestimenta suis destituantur prærogatiuis, eas porrò hîc explicare aggredimur. Prærogatiuæ.

I. Monasticus habitus dicitur sanctus. PRIMA sit, quòd Religiosus habitus *venerandus*, atque *sanctus* à Patribus vocetur, atque in magnâ apud omnes habeatur reuerentiâ. S. enim Hieronymus ait: *Si Dominus ei optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quàm regum purpuram cum regnis suis.* Et Iustinianus Imperator tanti monasticum habitum æstimauit, vt legibus seuerè admodum prohiberet, illum quoquo modo imitari. *Omnibus, inquit, generaliter in vitâ sæculari conuersantibus, & maximè theatralia exercentibus viris ac mulieribus, nec non & prostantibus interdicimus vti schemate Monachi, aut Monastria, aut Ascetria, aut cuiuscumque personæ huiusmodi imitari schema: scientibus vniuersis præsumentibus, aut vti tali schemate, aut imitari, aut illudere in quâcumque Ecclesiasticâ disciplinâ, quia & corporalia supplicia sustinebunt, & exilio tradentur; prouidentibus his quæ nos non solùm locorum Episcopis, & qui sub eis sunt Clericis, sed etiam militaribus ciuilibusque Iudicibus, & quæ sub eis sunt officiis, & locorum defensoribus.* Cur autem has pœnas infligi Imperator voluit, nisi quia monasticum schema, vt rem sacram ad profanos vsus noluit transferri. Sanctus Anastasius Martyr tantâ reuerentiâ Monachalem habitum prosecutus est, vt in ipsâ martyrij passione magnam curam gesserit, vt nullo afficeretur probro. Cùm enim pronus humi cecidisset, & continuis clauæ ictibus verberaretur, hanc solam ab inimicis gratiam petiit, vt exuere liceret venerandum Monachorum amictum, & nudis verberaretur carnibus. *Ne is*, inquit, *vnà cum meis membris probro afficiatur.* Sic ille, non solùm vitæ ex Deo institutionem, sed etiam eius signa omni honore afficiebat.

Hieron. in vitâ Pauli Eremitæ.

Iustinian. Nouel. 123. cap. 44. Leges vetant profanis eius vsum.

S. Anastasius eum honorat.

Metaph. in vit. Sur. 22. Ian.

II. Deus vindicat iniurias vesti religiosæ illatas. SECVNDA prærogatiua, quod ipse Deus vindex sit iniuriæ monasticæ vesti illatæ, nempe communem sibi cum seruis & honorem simul & contumeliam facit, ne quis cùm lædit Dei seruum, hominem tantùm à se lædi arbitretur, cùm absque dubio iniuriis seruorum Dei admisceatur iniuria, qui dixit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Saluianus Massiliensis testa-

Zachar. 2. Salu. lib. 8. de vero iudicio.

testatur Africanam prouinciam à barbaris affligi commeruisse, quòd Monachorum habitum ludibriis ac sannis insectati fuissent. *Non sine causâ*, inquit, *istud fuit, quod inter Africa ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros palliatum & pallidum & recisis comarum fluentium iubis vsque ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus quàm infidelis sine conuitio atque execratione vix poterat. Et si quando aliquis Dei seruus, aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de sacris Hierusalem locis, aut de sanctis eremi venerandisque secretis ad vrbem illam officio diuini operis accessit, simul vt populo apparuit, contumelias sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solùm hoc, sed improbissimus flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi taureis cædebatur: verè vt si quis ea inscius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, sed nouum inauditumque monstrum abigi atque exterminari arbitraretur.* Hæc Saluianus.

Afri Monachorum irrisores à barbaris afflicti.

Sic aliàs legimus iratum Deum, irrisionem monastico Ordinis S. Dominici schemati illatam acerrimâ ac perpetuâ febre vindicasse, quin & audita est hæc vox: *Putásne ipsas Fratrum Prædicatorum personas, dumtaxat velle me honore affici? Ego verò te scire velim, me & vestes eorum nolle debitâ veneratione fraudari.*

Alius perpetua febre punitur. In vitâ S. Dominici.

III. *Vocatur habitus Angelicus.*

TERTIA prærogatiua est, quod *Angelicus* vocetur *Monachorum habitus.* Ita enim tam apud Palladium, quàm in Græcorum Euchologio appellatur. Dictus autem videtur (inquit Rosweydus) *Angelicus habitus*, quod eo induti memores esse deberent, viuere se debere angelicam vitam. Hinc in Euchologio dicitur: *Tuæ enim obediens cooperationi, Angelicam viuendi rationem hanc accedo, amator hominum.* Et Ruffinus de Hor Abbate agens: *Hic multorum,* ait, *erat Monachorum Pater, qui habitu ipso honoris videbantur angelici.* Idem Benum vocat *per omnia quasi angelici ordinis virum.* Accedit enim vita monastica ad vitam Angelicam, & Monachorum est cum Paulo dicere: *Nostra autem conuersatio est in cælis. Beati* (inquit Euphrosyna virgo) *qui suscipiunt vita genus monasticum, quia & hic sic viuunt, vt parum aut nihil ab Angelis differant: & postquam hinc excesserint, vitâ fruuntur æternâ.* In vitâ quoque Galactionis & Epistemes Martyrum, qui sub Decio passi sunt, ita legitur: *Eos, qui sunt nigro pallio induti, dixit similes esse Angelis, nimirum qui se à mundo separant, & ab his quæ sunt mundi, & seruant virginitatem, & elegerunt vitam Christo consimilem.* Angelicum autem hunc habitum, Angelicos quoque requirere mores, facilè intellexit Senex ille emeritæ virtutis, qui iuueni tabernas licentiùs ingredienti, non aliunde, quàm à vestis monasticæ reuerentiâ scrupulum ac ruborem iniecit. *An nescis*, inquit, *Domine frater, quia habitum Angelicum defers.*

Rosweyd. in Onomast.
Euchol. pag. 102.
Ruffin. lib. 2. cap. 2.
Eodem lib. cap. 4.
Philip. 3.
Lib. 1. vit. Patr.
Eum deferentes Angelis comparantur.
Apud Surium in vitâ 5. Nouemb. c. 9.
Prat. spirit. cap. 194.

IV. *Baptismus secundus.*

QVARTA prærogatiua, quod habitus Religiosi susceptio sit veluti alter baptismus, per quem Deus, vt Michæas Prophetâ dixit: *Deponat iniquitates nostras, & proiiciat in profundum maris omnia peccata nostra.* Confirmat hoc apud Smaragdum nostrum, Magnus inter præuidentes Senex, qui affirmabat, dicens: *Quia virtutem quam vidi stantem super baptisma, eamdem vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accepit habitum spiritualem.* De quo pluribus actum lib. IV. cum de Professione tractauimus.

Mich. 7.
Smaragd. in diadem Monach. cap. 79.

V. *Vestis religiosa immutat hominem.*

QVINTA prærogatiua. Quemadmodum Elisæus postquam Elias pallium suum super illum misit, mutatus est in virum alterum, & relictis bobus atque aratro, factus est Propheta Domini; ità quoque diuinâ bonitate nonnumquam accidit, vt assumptione Religiosi habitus, in alium prorsus hominem commutemur. Ità Philemon Mimus habitu Christiano per iocum indutus, mirabiliter mutatus, & gloriosus Christi Martyr effectus est, vt pluribus refert Metaphrastes. Experti hanc sacram metamorphosin Ioannes & Simeon, quorum hic ita locutus est: *Aliam vitam cerno, & res alienas in hoc habitu: ex quo enim Dei seruus nos eo induit, intrinsecus inflammor nescio vnde, & quærit anima mea neminem videre, & neminem alloqui, & audire neminem.* Sed ipse eorum Præfectus Nicon mirabatur & obstupescebat, videns eos, qui duobus ante diebus erant idiotæ & planè rudes, tam repentè euasisse sapientes, per diuini habitus susceptionem. Sed ex eadem historiâ subiicienda hîc est,

3 Reg. 19. 20.
Metaphr. apud Surium in Decemb.
Metaphr. in vitâ.

VI. *A Deo variis oblatis approbatur & gratus.*

SEXTA prærogatiua, quòd nimirùm admirandam Religiosi habitus dignitatem & singularem, quæ per eum confertur gratiam, cælestibus visionibus diuina bonitas illustrare dignetur. Volens enim S. Nicon Simeoni & Ioanni prædictis ostendere qualisnam esset iste habitus, iussit in medium adduci iuniorem quemdam fratrem, cui à septem diebus habitum sanctum dederat. Is verò postquam venit, eum ambo cõtemplantur, & ad pedes Abbatis prociderunt protinus, & ei dixerunt: *Rogamus te, Si nos ita es induturus, & nos tali honore, & gloriâ dignaturus, id facias vespere, ne cum homines simus, per noctem ad nos veniat id, quod est humanum, & abeamus, talem gloriam & lætitiam, taleque vespertinum officium, & talem coronam minimè consecuti.* Cùm verò iunior ille iussus esset recedere, magno dolore affecti fuerunt Christi pueri, & dicunt Præfecto: *Propter Chri-*

Mira visio.

VESTIARIVM.

ſtum Pater, ſurge, & fac nos, ſicut ille eſt. Nam A *in toto monaſterio nullus eſt in tanto honore, quanto ille eſt. Dicit eis Abbas: Quonam honore? Tunc dixerunt: Per eum Pater, qui nos dignatus es hoc habitu & honore, beati quoque nos ſumus, ſi à tantâ Monachorum multitudine, cum cereis deducamur in veſperis & coronam tam ſplendidam geſtemus in noſtro capite. Id autem iam induti ſe etiam conſecutos viderunt.*

VII. *Miracula patrantur per habitū religioſum.* Acta Ioannis & Cyri apud Metaph. & Sur. 31. Ian. Glycas annal. tom. 3.

SEPTIMA: Quod vt pallio Eliæ, ſic etiam monaſtico habitu, maxima ſubinde miracula Deus effecerit. Theodoſius Imperator profecturus aduerſus Maximum B Tyrãnum, rogauit per Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, Senuphium magni nominis in Ægypto Monachum, vt ad ſe veniret. Ille, aut ex modeſtia, aut faſtidio aulicarum cærimoniarum, ſe excuſans, miſit Imperatori, inuocato priùs Deo, baculum ſuum, & ſuperhumerale; nimirum vt manum baculo, ſuperhumerali caput armaret. Non contempſit Imperator, ſed munit caput ſuperhumerali, quauis galeâ tutius: baculo autem munit dexteram, lanceâ longè validius, & hac ratione con- C fidens fore vt videretur hoſtibus terribilior, quàm olim, vt aiunt, Clauâ Hercules. Iam accedentibus hoſtibus ipſe primus præcedit, ducens totum exercitum. Simul ac eum viderunt Barbari, cum admirati tamquam vnum ex cæleſtibus, in fugam conuerſi ſunt: adeò vt Imperator non ſolùm ſine ſanguine, ſed etiam ſine labore hanc victoriam retulerit. Non diſſimilem hiſtoriam narrat S. Petrus Damiani.

Theodoſius quibus armis Maximum tyrãnum debellauerit.

Pet. Dam. epiſt. 17. ad Firmin.

Erat inter Abbatem & quemdam ſæculi prapo- D *tentem non leuis controuerſia. Cùm autem apertis vtriuſque fautoribus minis diu certaretur & iurgiis, tandem vt armis ageretur, vtrimque condictum eſt. Et ſæcularis quidem paratis copiis campum præliaturus ingreditur, acies ſtruit, cuneos ordinat, atque ad fortiter agendum omnium mentes acerrimus cohortator inflammat. Abbas autem non in armis terrenis ſpem ſuam, ſed in humana ſalutis auctore conſtituens, ſolos Monachos ſuos equis impoſuit, capita cucullis operiri præcepit. Sicque cum illis velut galeatis & loricatis fidei munimento, cruciſque vexillo, ad locum certaminis venit. Cumque vir ille non ferreâ, vt ſperabat, arma conſpiceret, ſed tamquam cæleſtem & angelicam aciem aduentare cominus aduertiſſet, tantus enim cum ſuis omnibus diuini timoris horror inuaſit, vt deſilientes de equis, protinus arma proiicerent, terræ ſe humiliter proſternerent, & indulgentiam flagitarent.*

Abbas cum Monachis cucullatis vincit aduerſarium validè armatum.

OCTAVA prærogatiua. Quòd Religioſus habitus ſit veluti pignus quoddam æternæ beatitudinis, quam Monaſticâ obſeruantiâ conſequi ſperamus. Perſuaſum id fuerat Euphraſiæ, regiâ ſtirpe oriundæ puellulæ. Quæ etiamnum ſeptennis nec Matris blanditiis, nec religioſæ vitæ auſteritate à Monaſterio potuit diuelli. Cùm autem ab Abbatiſsâ induta eſſet monachali veſte, Mater eius Euphraxia dixit: *Filia mea, amas hoc ſchemate veſtiri? Cui Euphraſia dixit: vtique Mater mea, quia ſicut agnoui ab Abbatiſſâ, & Domina ſorores dixerunt, hoc ſchema pro arrhis præbet diligentibus ſe Dominus Ieſus Chriſtus. Cui Mater ſua dixit: Cui deſponſata es, ipſe faciat te thalamo ſuo dignam.*

VIII. *Veſtis religioſa pignus æternæ vitæ.* Lib. 1. vit. Patr.

Quid porrò vlteriùs de Monaſtico habitu dicemus, niſi eum eſſe veſtem nuptialem, quâ ornati Monachi ad cæleſtis Regis nuptias introducuntur. S. Chryſoſtomi hæc eſt conſideratio: *Vis*, inquit, *vt tibi oſtendam eos, qui condignas veſtes nuptiis cæleſtibus amiciuntur? Illorum in mentem tibi veniat Sanctorum, qui cilicio induuntur, eremum habitant, conuenientia his nuptiis amicula poſſident: quæ res inde patet, quia nunquam oblatas purpuras acceptarent, ſed quemadmodum Rex, ſi quis pannoſa indumento pauperis ei offerret, ea abominaretur & repelleret; non aliter illi regiam purpuram contemnunt, quòd ideò illis euenire ſolet, quia pulchritudinem cultus ſui non ignorant. Vnde fit vt tamquam aranearum telas veſtitum regium deſpuant.* Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus diſcant Monachi habitus ſui dignitatem æſtimare, & per externam illius decentiam interiorem morum honeſtatem demonſtrare.

Eſt veſtis nuptialis.

Chryſoſt. homil. 7. in Matth.

TRA-

TRACTATVS II.

DE VESTIBVS BENEDICTINIS IN GENERE.



PRIORIS tractatus vestibulo ad instructum à S. BENEDICTO *progredimur* Vestiarium*: in quo nostrarum vestium quantitatem, qualitatem, & alia quædam accidentia in genere considerabimus. Inuestigat proinde* Prima *Disquisitio*, *Certúmne suis* S. BENEDICTVS *præscripserit habitum?* Secunda, *Quando vestium facienda mutatio?* Tertia, *Quæ & quot Monachorum vestes?* Quarta, *Quæ monasticorum vestimentorum diuisio?* Quinta, *Conueniátne Benedictinis suas vt ipsi vestes eluant?* Sexta, *An Monacho sua reficienda vestimenta?* Septima, *Cur vetera reddenda cùm noua accipiuntur vestimenta.*

DISQVISITIO I.

Certúmne suis S. BENEDICTVS *præscripserit habitum?*

QVEMADMODVM heterodoxi, vt suprà vidimus, prodromo Christi asperam detraxerunt vestem, & vulgari eorum, qui circa montes habitant, asserunt indutum, ne hinc scilicet, quidquam contra eos præsidij pro monastico acciperetur vestimento: ita B. P. N. BENEDICTVM aut primum adinuenisse peculiares Monachorum vestes, aut vsum communibus, quibus simpliciores & rustici eâ tempestate & regione in quâ viuebat, amicti erant. Prius illud opinatus est Polydorus Vergilius: BENEDICTVS, inquit, *dedit suis Monachis nouum vestitus genus, constituit modum orandi, & tenue victus alimentum, ac nouam abstinentiæ normam.* Posterius assertum Erasmo in colloquio, quod inscripsit πτωχοπλούσιοι, siue, *Franciscani*, in quo ait, vsum qui nihil non inuehit, & hoc malum, quod tot scilicet sint discrimina cultus monastici, inuexisse: BENEDICTVS, inquit, *non commentus est nouum cultum, sed is quo tum vtebatur cum suis, erat cultus laici simplicis, ac probi. Nec Franciscus inuenit nouam formam, sed hæc erat vestis pauperum & rusticorum. Posteriores additis quibusdam, verterunt rem in superstitionem.* Paulò pòst cùm interlocutor attulisset variarum gentium varium esse cultum, & in eâdem regione magnam varietatem vestium, etiam in eiusdem sexus, ætatis & ordinis hominibus: quando alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano, atque hæc intra vnam Italiam: subiicit deinde: *Hinc nata est & nostra varietas. Dominicus sumpsit cultum à probis agricolis eius Hispaniæ partis, in quâ vixit. Franciscus ab Agricolis diuersæ partis: atque item de ceteris.* Censet ergo certum nullum Benedictinis Monachis à suo Legislatore præscriptum vestimenti genus, quod & in *Ecclesiaste* suo insinuat: *Si professio instituti*, inquit, *quod* BENEDICTVS *aut Franciscus tradidit, aut amictus*

Quidam S. Benedictum habitus monastici inuentorem facit.

Polydor. lib. 7. cap. 1. de inuent. rerum.

Alij asserunt vsum veste laicâ.

Erasm. Eccles. lib. 3. pag. 339.

B *quem illi præscripserunt, si tamen vllum certum præscripserunt homines pij*, &c. Rhenanus quoque huic succinens, ait: *Veterum Monachorum vestes, quibus Benedictini vtuntur, communes omnibus olim Christianis ætate* D. BENEDICTI *quidam fuisse putant.*

Rhenan. argum. in pall. Tertull.

Refutantur.

Verùm hæc ad veritatis trutinam accuratiùs expendenda; ac *primùm*, parum nos vrgere debet Polydori anctoritas, quem imperitissimum vocat, & vanitatis redarguit doctissimus Lindanus, aitque, homi-

Polyd. Vergilius à Lindano notatus.

Lindan. Panopl. Euág. lib. cap 98.

C nis huius scripto, quod de rerum inuentoribus finxit, nihil exstare, nostrá ætate in lucem editum, pluribus quod scateat nugis, aut futilibus perfluat conïecturis. Sic ille. Quare non immeritò hi libri Romæ Decreto Gregorij XIII. purgati sunt. Sed vt ad rem veniamus, cùm ait: BENEDICTVS *dedit suis Monachis nouum vestitus ge-*

VESTIARIVM.

nus Erasmum habet, vt vidimus, contradicentem. Nec nouum sibi finxit amictum, qui ab Romano Monacho *sanctæ conuersationis habitum* accepit; quem ex priscorum Monachorum forma fuisse, quis ambigat? Et sanè quæ ex Patribus suprà posuimus testimonia, conuincunt monastica indumenta ipso BENEDICTO multò antiquiora, vt primum, aut nouum adinuenisse dicendus non sit, qui veterum disciplinam, & præsertim Cassiani Instituta æmulabatur strenuè. Sin autem per *nouum vestitus genus*, Polydorus intellexerit præscripto à S. BENEDICTO schemate discipulos eius ab aliis Monachis fuisse discretos, id tolerari sanè queat, neque nobis officeret: nam & Tabennesiotas Pachomij Monachos à reliquis veste distinctos scribit Sozomenus. Quamquam vix assignari queat, quid circa monasticum cultum BENEDICTVS innouauerit, qui *Cucullas, tunicas, scapularia* iam ante nata & nota, suis assignauerit: nec eorumdem formam aut colorem vllo modo determinauerit.

Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 1.

Monastica vestes ante S. Benedictum.

Sozom. hist. Eccles. li. 3. cap. 13.

Nec eas innouauit.

SECVNDÒ, frustra est Erasmus, cùm cultum quo S. BENEDICTVS vtebatur, ait fuisse simplicium laicorum, vel rusticorum. Magnus enim Gregorius scribit eum, non à rusticis, sed à Romano, vt diximus, Monacho, *sanctæ conuersationis habitum* accepisse. Quo gladio & Rhenanus iugulatur. Nam si Christiani omnes eâdem cum Monachis vtebantur veste, ergò iam tum B. BENEDICTVS eâ indutus erat, nec quidquam opus erat à Romano eam accipere. De Monialibus quoque ab eodem S. BENEDICTO excommunicatis, idem Gregorius ait, quòd necdum *perfectè linguam suam sub* HABITVS *sui freno restrinxerant*. Habuit ergò Sanctimonialium indumentũ aliquid in exteriori formâ, quod eas modestiæ admoneret & pietatis, quodque in sæcularium vestitu minimè appareret.

Erasmus ei perperam tribuit habitum laicalem.

Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 23.

TERTIÒ, frustrà est Erasmus, cùm ait, *Posteriores rem in superstitionem vertisse*, nam quem hodieque Benedictini præferunt amictum, is vel idem omnino est cum eo, quem in suâ depingit Regulâ, vel modicè tantùm, & accidentaliter pro locorum & temporum consuetudine variatus. Et cedo, quinam illi sunt, qui rem hanc vestiariam verterunt in superstitionem, aut quidnam, quæso, in nostro vel aliorum schemate superstitiosum, quod teneriorem Erasmi scilicet angat conscientiam?

Falsò etiam posteros superstitionis arguit.

QVARTÒ, Cur obsecro dubitantiùs ille hæret, an certum amictum pij homines (BENEDICTVS & Franciscus) præscripserint: cùm ex vtriusque id manifestum sit Regulâ. Si enim nostram S. BENEDICTI voluisset inspicere; reperisset illicò Benedictinis Monachis præscribi *Cucullam, tunicam, scapulare*, &c. Quis autem dixerit, hæc omnibus Christianis fuisse communia, aut propria rusticorum indumenta? Quid autẽ attinebat omnia hæc ita singillatim recensere, quæ nemo non in sæculo habuisset? Paria de S. Francisci Regulâ dicere licet, in quà præscribitur vestis Nouitiorum, quam vocat *Pãnos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem vsque ad cingulum*. Mox verò subiicit Professorum habitũ, his verbis: *Et illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestibus vilibus induantur, & possint ea repeciare de saccis & alijs pecijs*. Cur igitur ambigit Erasmus, an peculiarem suis Franciscus præscripserit amictum? An fortè omnibus commune iudicauit incedere sine calceamentis, nisi necessitas cogat, gestare tunicam cum caputio, adeò vilibus indui, vt saccis refici possint, vt peciarũ scilicet vilitas, cum vilitate cohæreat totius indumẽti? Aliud sanè indicat ipse P. Franciscus, dum fratres suos monet, & exhortatur: *Ne despiciant, neque iudicẽt homines, quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos*. Idem SS. Pater in Regulâ Sanctimonialium S. Claræ cap. 2. expresse meminit depositionis habitus sæcularis, & panni religiosi. Quid, quòd & ipse Erasmus in Colloquio cui titulus, *Exequiæ Seraphicæ*, disertè affirmet, Franciscum quædam addidisse Euangelio Christi, *vestem scilicet cinericiam, funem canabeum, & pedes nudos*. Hęc ergò censet ibi Ordini Minorum ex sui institutoris præscripto peculiaria, nec omnibus qui Euangelium sequuntur, passim vsitata. Sed de S. Francisci habitu legi possunt quæ habet Waddingus in *Annalibus Minorum tom. 1.* & Zacharias Bonerius ad calcem *tom. 1. Annal. Capucinorum*.

S. Benedictus expressit in Regulâ vestes monasticas.

Reg. cap. 55.

Et S. Franciscus.

Reg. S. Franc. cap. 2.

Malè dubitat Erasmus.

Nec sibi constans.

Quòd autem & S. Dominicum S. BENEDICTO & Francisco admiscuerit Erasmus, pauca hîc videntur adiicienda. Gratis dici videtur sanctissimum hunc virũ sumpsisse cultum *à probis agricolis eius Hispaniæ partis, in quâ vixit*. Quis enim hoc credat, cùm non à sæculari vitâ, sed ex Canonicorum Regularium ad Ordinis sui institutionem accesserit. Atque inde est, quod Petrus Martyr Festus Vrceanus scribit: Ex chronicâ Ordinis colligitur B. P. Dominicum, & alios primitiuos Patres Ordinis habitũ, quem modò portamus, non statim deferre cœpisse, sed superpelliceis ad modũ habitus Canonicorum regularium vsos fuisse, cuius ordinis erat ipse S. P. Dominicus. Ingressus est autẽ Ordinem nostrum quidam

Fallitur & in S. Dominico.

Vrcean. ad Sum. Cõst. Prædicat. cap. 39.

Doctor

Doctor insignis, Magister Reginaldus, Decanus Aurelianensis, eo anno confirmationis ordinis. Et cùm in grauem morbum incidisset, ita vt de eius salute desperarent medici, illi decumbenti, nocte apparuit B. Virgo, quæ eum salutari vnctione perunxit, propter quam sanatus est. Et deinde habitum religionis quo nũc vtimur ostendens, dixit: *En habitus tui Ordinis.* Propter quam visionem omnes fratres hoc habitu à Deiparâ ostenso vti cœperunt. Hunc eundem habitũ Ven. Abbas Ioachim præuidit propheticè, cùm D. Dominicum hoc habitu indutũ per multos annos ante eius vitam effigiauerit, & Venetijs in templo S. Marci, & Calabriæ in quodam sui Ordinis Monasterio. Dionysius verò Carthusianus ait S. Dominicum, à deuotissimo viro D. Basilio Priore Maioris Carthusiæ *accepisse consilium de modo prædicandi aduersus hæreticos, & de institutione, & habitu Ordinis sui.* Quibus addit Theodorus Petræus, hinc forsitan factum, quòd tanta inter Dominicanos ac Carthusianos vestium reperiatur conformitas. Non igitur à rusticorum indumẽtis sui Ordinis schema S. Dominicus accepit, aut fatendum esset æuo illo Hispanos rusticos indutos fuisse vt Prædicatores, aut Ordinem illum illustrissimum sui Patriarchæ habitum deseruisse.

B. Virgo designauit habitum Ord. Prædicatorum.

Quid Carthusienses contulerint. Carthus. de Laud. Ord. Carthus. art. 8. Petræ. not. ad Chron. Carth. l. 3. c. 14.

DISQVISITIO II.

Quando vestium facienda mutatio?

MVTATIONIS huius duplex apud veteres tempus inuenitur. Quidam enim statim in ipso conuersionis initio, paucis ab admissione diebus monasticum schema Nouitio tribuebant; alij verò non nisi expleto tirocinij tempore. Posterius hoc B. P. N. BENEDICTO magis placuit, vt ex ipsâ Regulâ constat. Nam postquam totam probandi formam, & professionis post annum emittẽdæ ritum descripsisset, tum demum subiũgit: *Mox ergò in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij.* Id verò non in Ordine nostro tantùm, sed & priscis Monachis vsitatum fuit. *Dixerunt enim* (inquit Smaragdus) *nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur.* (sumptum ex Regula Tarnantensi cap. 1.) Et quidam antiquus Monachorum Magister apud eundem ait: *Cùm ergo cum ceteris fratribus inculpabiliter in Monasterio integrum annum impleuerit, tunc demum sine aliquâ dubitatione tondeatur, vel ei sancti propositi vestes mutentur.* Nec S. Pachomij Monachi ante expletam probationem videntur habitum mutasse. Vt enim

S. Benedictus statuit expleto tirocinio Nouitios induendos.

Cap. 58.

Smaragd. in cap. 58.

Ita & veteres Monachi.

Pachomiani.

A patet ex art. 26. Regulæ S. Pachomij, volens sæculo renuntiare, & Fratrum congregari numero, probabatur priùs paucis diebus foris ante ianuam: deinde si aptus videbatur, docebatur & reliquas monasterij disciplinas, & instructus, atque perfectus in omni opere bono, fratribus copulabatur. *Tunc demum nudabant eum vestimentis sæcularibus, & induebant habitum Monachorum.* Idem etiam insinuat S. Ephræm: *Frater,* inquit, *dignus es habitus sancto indumento monastico: ne extollaris aduersus exspectantes in futurum annum.* Ac postea subdit, B eundem monastico habitu indutum in exteriore ad illud vsque tempus versatum *tholo,* seu camerâ, nunc verò in interiorem domum introisse, quod est à nouitiatu ad professorum locum commigrasse. Regula S. Fructuosi Episcopi: *In monasterium sub regulâ introducatur, & anno integro à cunctis fratribus ex industriâ conuitijs comprobetur, & postquam probatus in cunctis obediens fuerit, exuatur sæcularibus vestibus, & induatur Monasterij rebus simplicibus.* Patet id etiam ex C iure Canonico, in quo præcipitur, quod militares viri festinantes, in Monasterio conuerti, *non temerè suscipiantur, nisi illorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tũc Monachicum habitum Deo auctore suscipere.* Et alibi dicitur: *Si quis incognitus monachus ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præstetur.* Et de Regularibus: *Si ante susceptum huiusmodi habitum in probatione positi recedere voluerint, secundùm Regulam S. BENEDICTI non videntur* D *prohiberi ad priorem statum redire; quæ videtur præcipere, vt in eadem veste in quâ veniunt, reuertantur.* Abbates quoque in Concilio Aquisgranensi congregati, *Ritum* hũc S. BENEDICTI stabiliunt, aut alicubi fortè desertum in vsum reuocant. *Nouitius,* inquiunt, *nec tondeatur, nec vestimento pristino immutet priusquam obedientiam promittat.* Caussam verò statuti sui cam S. BENEDICTVM habuisse crediderim, vt libertati Nouitiorum consuleretur: eoque minori cum infamiâ monasterio egredi possent, E quòd nunquam monasticum habitum detulissent, idque publicè ex eo constaret, quòd sæcularibus semper induti fuissent vestibus.

VESTIARIVM.

Et alij insinuant hūc ritum.

Ephræm tom. 2 paræneś 17.

Cap. 18.

Qui & expressus in iure Canonico.

Distinct. 53. cap. Legem.

17 q. 2. c. 3.

Cap. Super eodem de Regul.

Can. 34.

Caussa huius statuti.

Perseuerauit autem, vel restitutus est hîc mos in Ordine Cistertiensi tempore S. Bernardi. Ipse enim ad Robertum Nepotem scribens, ita ait: *Multis si meministi lacrymis, diu exspectatam impetrasti misericordiam, & quem satis desideraueras ingressum, obtinuisti. Post hæc per annum iuxta regulam in omni patientiâ probatus, perseueranter, & sine querelâ conuersatus; post annum sponte profes-*

Diu viguit in Ordine nostro.

Bernard. Epist. 1.

VESTIARIVM.

sus, tunc primum sæculari veste relictâ, religionis habitum suscepisti.

Posteà Nouitiÿ in habitu monastico.

Posterioribus autem temporibus, cùm multis videretur inconueniens, vt qui integro tirocinij anno cum Monachis versabantur, ijsdemque mancipabantur exercitijs, habitu ab ijs distinguerentur; generaliter quasi recepta fuit ea, quæ hodieque viget consuetudo, mutandi vestem in ipsa Nouitiatûs susceptione, quod posterioribus Ordinibus commune est, & probabili

Nec immeritò.

ratione non caret. Nam monastici habitûs gestatio ad nonnullam quoque austeritatem Ordinis, quam experiri debeant Nouitij, pertinet. Laneis enim ad carnem indui, in vestibus dormire, contemptibilem sæculo deferre habitum, quis neget rigorem aliquem continere, quem meritò ante professionem Nouitius experiatur? Et iam

Paul. in c. 58. reg. S. Bened. apud Boër. *Cassinenses id in more habuerunt.*

olim ita Benedictinos fecisse constat. Paulus enim Diaconus ait: *Si post duorum mensium circulum prælectâ sibi Regulâ, Nouitius dicat, se stare velle, post istos duos menses debet radi. Nos autem* (verba sunt Bernardi Cassinensis) *de consuetudine modernâ, vtinam rationabi[?], in ipso ingressu probationis, & radimus & tonsuramus, & habitum induimus, non tamen benedictum. Et licet ista consuetudo non reprobetur à iure, tamen consultiùs videtur opinionem dicti Pauli sequi.* Subiungit porrò Boërius: *Ego credo benè factum, si in initio probationis tradantur ei vestes, tonsura & clausura regularis, vt per annum probetur in eis, & alijs duris & asperis obseruationibus Ordinis.*

Imò ante S. Benedictum fortè vsitatum. Cass. lib. 4. cap. 7.

Neque verò id adeo nouum est, sed etiã ante S. BENEDICTI tẽpora vsitatum. Cassianus enim disertè satis insinuat, post aliqualem probationem, Nouitios indui solere monastico schemate, ac deinde integro anno probari antequam corpori congregationis socientur: *Cùm*, inquit, *quis susceptus & comprobatus, ac depositis proprijs vestimentis habitu monasteriali fuerit accinctus, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur Seniori, qui seorsim haud longè à vestibulo monasterij commanens, habet curam peregrinorum*, &c. *Cumque ibidem integro anno deseruiens absque vllâ querelâ suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc primâ institutione humilitatis, ac patientiæ, atque in eâ longâ exercitatione præcognitus, admiscendus ex hoc congregationi Fratrum, alij traditur Seniori.* In iure

Iura idem decernunt. Lib. 1. decret. tit. 21. cap. 21.

quoque Canonico, posteà statuit Honorius III. *Vt qui per annum gestauerint habitum Monachalem, compellantur ecclesiasticâ censurâ regulam secundùm ordinis formam profiteri & seruare.* Quod intelligitur, vbi habitus Professorum & Nouitiorum est indistinctus. Nam præcedenti capite dicitur

Cap. 20.

eum, qui monasterium ingressus est, habi-

A tum sumendo nouitij, *si ante professionem emissam intra tempus probationis exire voluerit, licitè posse absque apostasiæ nota ad sæculum remeare.* Atque hæc caussa fuit, quare Gregorius IX. ad omnem ambiguitatem tollendam, statuerit: *Quod cùm in quibusdam locis religiosis Nouitiorum habitus non distinguatur, ab habitu professorum: professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, vt nouitiorum habitus professorum habitu discernatur.* Id verò passim obseruari videmus, atque vt de nostro Ordine

Eodem tit. cap. 24.

Distinctio inter habitum Professorum & Nouitiorum.

B tantùm agam, Bursfeldenses scribunt: *Habitus Nouitiorum ad instar esse cuculla monachalis: excepto quòd in vtroque latere est apertus.* Cassinenses verò maiorem distinctionem inter Nouitios & professos obseruant, illis enim tribuunt tunicam, & scapulare strictum, adeòque breue, vt vltra genua non protendatur, & loco cucullæ dant mantellum. In statutis Lanfranci Nouitij induebantur vestibus regularibus, præter cucullam, habeantque caputium tunicæ assutum.

Cærem. Bursfeld. dist. 3. cap. 14.

Cassin. in declar. ad c. 58. Reg.

Stat. Lanf. cap. 18.

C Vetustum porrò esse hunc morem distinguendi Nouitiorum habitum à Professorum, ex Græcorũ patet Euchologio, ex quo triplicem vestitionem colligere licet, quam adfert & describit Rosweydus in Onomastico. Prima erat Nouitij rasam ferentis, atque hoc ordine fiebat: *Sacerdos Nouitium tondet in modum crucis, deinde induit eum tunicâ & Camelanchio.* Rasa autem erat tunica rudis & aspera. Camelauchium verò galerus aut tyara. Secunda vestitio erat, monachi instituti in paruo

Eius antiquitas apud Græcos.

D schemate. Tertia, instituti in magno & Angelico habitu. Vtriusque verò ordinem & cærimonias vide citato loco apud Rosweydum.

DISQVISITIO III.

Quæ, & quot Monachorum vestes?

SANCTI Patres, Regularum conditores, vt erãt in omnem partem piè soliciti, neutiquam eam neglexerunt, quæ etsi ani-

Sancti Patres pro amictu corporis soliciti.

E mâ vilior est, ipsa tamen per illam plerasq; suas in hâc vita exercet actiones, corpus, inquam, cui tegendo necessaria vestimenta; quæ ab ijs accuratè enumerata & subministrata legimus. Pretium operæ fuerit, hoc loco eorum tam qualitatem, quàm numerum expendere; ex quibus vtcumq; liquebit, quantâ discretione & prudentiâ in his talibus vbi fuerint. Erunt proinde quatuor huius disquisitionis membra, quibus inuestigabimus 1. quæ Monachis ante S. BENEDICTVM; 2. quæ ab ipsomet in sua Regula; 3. quæ a nonnullis post eum

Quas vestes assignarint.

Regula-

Regularum conditoribus; 4. quæ denique ab Ordinis nostri Constitutionibus assignata vestimenta.

I.
Vestimenta Tabennesiotarum.
Hieron. præfat. ad reg. Pach.

PRIMÒ. Vestiariam Monachorum S. Pachomij supellectilem ita S. Hieronymus enumerat: *Habebant duo lebitonaria, & vnum iam attritum ad dormiendum, vel operandum, & amictum lineum, cucullasque duas, & caprinam pelliculam, quam melotem vocant, balteolum lineum, & caligas, ac baculum itineris socium.* De ijsdem ita Orsiesius: *Sufficit nobis habere duo Lenitonaria, & pallium attritum, & palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicam pellem, & virgam.* Restrictior est Basilius, qui ait: *De numero indumentorum nihil possumus dicere: cùm manifestâ definitione perscriptũ sit, in quo dicit: Qui habet duas tunicas, det non habenti vnã. Ex quo sine dubio duas habere illicitum est.* Præter tunicam autem meminit & *calceamentorum*, & *zonæ*. Basilio synchronos Ephræm meminit *Superhumeralis* siue ἀπεχαλαναλίν, item *pallij*, *Colobij*, *Cuculli*, & *Analabi*, siue *Scapularis*. Ex quo colligas Græcorum Monachorum, quas S. Dorotheus enumerat vestes, earumque nomina, quæ apud Dorotheum occurrũt, valdè esse antiqua. Sunt autem, *Colobium*, *zona pellicea*, *Analabus*, & *Cucullus*. Apud Cassianum verò hæc sunt Ægyptiorum Monachorum indumenta. 1. *Cingulum* siue *zona*. 2. *vestis* quæ corpus contegat, & nuditatem frigusque arceat. 3. *Cuculla*, capitis operimentum. 4. *Colobium lineum*. 5. *Rebrachiatoria*, quæ erant resticulæ quædam ad succingendum. 6. *Masortes*, angustum palliolum. 7. *Melotes*.

Orsie. Inst. Monast.
S. Basilius in ijs restrictius.
Basil. reg. fus. disp. interr. 23.
Luc. 3.
Ephr. doct. var. cap 88.
Vestes Monachorum Græcorum.
Idem lib. de tim. Dei ad imit. prou.
Doroth. serm. 1.
Ægyptiorum.
Cassian. lib. 1. Inst.

II.
S. Benedictus quomodo suis præscripserit.
Cap. 55.

SECVNDÒ. Vt ad S. BENEDICTVM iam accedamus, prænotãdum, quod antequam suorum numeret vel nominet vestes, hanc quasi generalem præmittat regulam: *Vestimenta Fratribus secundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aëris temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus, ampliùs indigetur, in calidis verò, minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem sit.* In quibus verbis *locorum qualitatem* Smaragdus interpretatur secũdùm hoc, quod in vno loco plus sit laborandum, quàm in altero: *Sunt enim*, inquit, *monasteria iam perfecta, & in amœno loco posita, vbi minùs operatur, & ideò vestimento minus indigetur. Sunt verò adhuc alia imperfecta & in aspero, petroso, atque siluoso posita loco; vbi quia plus & duriùs operatur, plus vestimentis & calceamentis indigetur.* Quænam verò indumenta præscribit? *Dentur*, inquit, *ab Abbate omnia quæ sunt necessaria: id est, Cuculla, Tunica, Pedules, Caligæ, Bracile, Cultellus, Graphium, Acus, Mappula, Tabulæ.* Adde his *Femoralia* pro itinerãtibus, & *Zonas*, siue *Cingula* ex cap. 22. vbi ait: *Vestiti dormiant, & cincti Cingulis aut funibus.* Verùm hæc quonam numero suppeditanda? De vtroque extremo, aut nimis calido aut frigido loco considerationem Abbati relinquens, medio tutissimus incedit S. P. *Mediocribus*, inquit, *sufficere credimus Monachis, per singulos Cucullam & Tunicam: Cucullam in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam, & Scapulare propter opera.* Satísne hæc? satis omninò ad necessitatem, mentemque Legislatoris, quem audi. *Sufficit Monacho duas Tunicas, & duas Cucullas habere: iam quod suprà fuerit, superfluum est, & amputari debet.* Vbi notanda Petri Venerabilis obseruatio: *Secundùm B. BENEDICTI dicta, licet Abbati superfluitate recisâ, more boni Pastoris ouibus sibi commissis cuncta necessaria prouidere. Nec tantùm licet, sed etiam præuaricatæ Regulæ reus existeret, si quod Regula exhiberi egentibus charitatiuè præcipit, non exhiberet.* Ita ille.

Smarag. in hũc locum.
Enumerantur vestes Benedictinæ.
Cap. 55.
VESTIARIVM.
Quo numero danda.
Ibid.
Non supra necessitatem.
Petr. Ven. lib. 1. Epist. 28.

III.
Quæ post S. Benedictum Monastica indumenta.
Isid. in reg. Monach. cap. 12.
Fruct. in reg. cap. 4.

TERTIÒ, Qui post S. BENEDICTVM Regulas scripserunt, peculiarem quoq; monasticorum indumentorum texuêre catalogum. Audiamus Isidorum Hispalensem: *Ternis*, inquit, *tunicis, & binis pallijs, & singulis cucullis contenti erunt serui Christi, quibus superadijcietur melotes pellicea, mappula, manicæ quoque, pedules, & caligæ.* S. Fructuosus ita statuit: *Vestimenta nõ multa, nec superflua sint: duabus tantùm cucullis, villata & simplici, & vno palliolo, ternisq; tunicis, & stamineis duabus cuiusque necessitatis querimonia sufficienda est. In hieme habeant pedules æstiuis mensibus tantùm caligas.* Femoralium vsum relinquit liberum.

IV.
Cassinensium vestes tempore Caroli Magni.
Theodem. in Epist. ad Carolum Magn.

QVARTÒ, Quæ, qualésve vestes deinceps in Ordine nostro vsitatæ fuerint, vel ex generali cõsuetudine, vel scriptis Constitutionibus colligitur. Theodemarus æui sui consuetudinem ita explicat: *Seniores nostri & præteriti Abbates instituerunt fratribus nostris, propter diuersos labores, tres tunicas habere, duas grossiores in hieme, & vnam subtiliorem in æstate. Similiter & loco cucullarum duas quas nos dicimus mantas habemus, & vnum in æstate operimentum. Habent autem Fratres nostri & duplicia femoralia, & scapulare. Præter hæc addimus vnicuique sicut opus est ei: Nam senibus nostris * geminas pelliculas tribuimus.* Benedictinum vestiarium Abbates in Aquisgranensi Concilio congregati ita explicant: *Vt si infrà posita mensuræ quantitatem decreuerit Abbas causâ necessitatis quippiam augeri, in illius maneat potestate: Alioquin hoc omninò prouideat, vt camisias duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas, vnusquisque Monachorum habeat, quibus verò necesse est, addatur & tertia, & pedules quatuor paria, & femoralia duo paria, roccum vnum, pellicias vsque ad talos duas, fasciolas duas, quibus autem necesse est itineris causâ, aliàs duas. Wantos in æstate, muffulas in hieme veruecinas: Calciamenta*

* al. gũnas.
Concil. Aquisg. can. 22.
Quid de Monachorum vestibus statutum sub Ludouico Pio.

VESTIARIVM. Bursfeld in Cæremon. dist. 3. cap. 3. 14. Bursfeldensium indumenta quæ.

ciamenta diurna paria duo. Subtalares per noctem in æstate duos, in hieme verò soccos. Bursfeldenses verò post floccum, cucullam, & scapulare, tunicas duas cuilibet fratrum assignant, albam scilicet & nigram, & duas camisias, caligas insuper laneas, pelliceum pro hieme. Caputium fissum in vtroque latere super humerum, quod nunquam nisi sub habitu regulari deferri licebit. Vittam vnam de lanâ, & duas de lino, aut si quid aliud necessarium fuerit, propter noctes & opera. Pedulum duo aut tria paria, femoralia tria aut quatuor, & bracile de lino, aut corio ceruino, sudarium seu mappulam, cingulum de corio ceruino, duo aut tria paria calceorum. Cassinenses ita de vestibus statuunt: *Ordinamus quòd fratres nostri habeant singuli tunicam vnam de panno: possint etiam alteram habere pro æstate, de panno vetusto, seu de rascia. Habeant & cucullam, quæ secundùm Clementinam; Ne in agro, vocatur floccus, & scapulare, quod habet quasi formam Cucullæ. De interioribus verò vestibus, Prælatorum discretioni relinquimus.*

Item Cassinensium. Cassin. ad cap. 55. nu. 10.

DISQVISITIO IV.

Quæ Monasticorum Vestimentorum diuisio?

TAM ex S.P. BENEDICTI verbis, quàm aliorum allatis sententijs, quadruplex regularium vestium colligitur diuisio. Aliæ enim sunt Hibernæ, aliæ Æstiuæ; aliæ Diurnæ, aliæ Nocturnæ; aliæ laboris tempore, aliæ vacationis; aliæ Domesticæ, aliæ viatoriæ. Agnoscit & hanc differentiam S. Basilius, exponens enim quisnam traditus sit ab Apostolo habitus ornatus, respondet, *vsus cum decoro, habitâ ratione temporis, loci, personæ. Neque enim vestimenta eadem ratio admittit & tempore hiemis & æstatis: neque eundem esse conueniens putandum est habitum eius qui laboret: & eius qui quiescat, militis, & priuati, viri, & feminæ.* Hęc vt ita se habeant in sæcularibus, in Monachis tamen ob paupertatis studium, magno illi Præsuli magis placuere ea vestimenta, *quæ ad plures possint vsus accommodari. Neque alia,* inquit, *ad forensem ostentationem, alia ad domesticum vsum parta habeamus; atque ex his ipsis item ad diurnum quadam, quædam ad nocturnum tempus distributa: sed eiusmodi quoddam nobis vestimenti excogitãdum est genus, quo ad omnia vti commodè possimus: vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honestati, & nocturnæ etiam necessitati faciamus satis.*

Vestium diuisio antiqua. — Basil. reg. breu. interr. 100. — S. Basilius in Monachis non admittit mutatorias. — Idem reg. fus. disput. interr. 22.

Verùm religiosæ paupertati hanc pro temporum diuersitate vestium mutationẽ minimè aduersari, alij existimarunt. Nam olim ea viris religiosis, & paupertatis stu-

Alij non ita restricti.

A diosissimis in vsu fuit. Philo de Therapeutis: *In veste eadẽ apparet simplicitas ad arcendos calores & frigora: pro pelliceis crassa tunica in hieme: æstate verò, exomis aut interula linea.* Ex vsu nempe Ægyptiorũ, apud quos frequẽs lineus amictus. Fuitq; priscis adeò vsitata hæc vestium vicissitudo, vt miretur auctor vitæ S. Germani Episcopi Antisiodorẽsis, *Sancto Præsuli neque hieme accessisse adiectionem, neque æstate leuamen admissum esse.* Mirùm id etiam videtur, & insolitum Ioanni Damasceno in Barlaamo. Inde adeò est, B quod mutatorias vestes pro anni tempestate S. Augustini Regulam videamus supponere. *Ad vos non pertineat,* inquit, *quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisq; quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen vnicuique, quod opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cùm queritur aliquis se deteriùs accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse qui non ita vestiatur, vt alius frater vestitur: hinc vos probate quantum vobis desit in illo* C *interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.* Optauit proinde vir sanctissimus vsque adeò in Monasterio omnia esse communia, vt promiscuus etiam esset vestium vsus, & quo nunc hic, eò posteà alius indueretur. Quod quidem seruasse olim Palæstinæ Monachos, auctor est Euagrius, ita scribens: *Quo pallio aut tunicâ vnus iam induitur, alter vestitur eodem paulò pòst, adeò vt omnium vestitus vnius esse videatur, & vnius omnium.* Plura de vestium diuersitate, diuersis temporibus aut locis, mini- D mè necessarium congerere: quæ ex ipsâ, quam attulimus, distinctione, clariùs, elucescet.

Therapeutæ. Philo de vit. contempl. — S. Augustini Regula mutatorias supponit vestes. Reg. Aug. cap. 5. — Promiscuũ ijs quondam vs. — Euag. Hist. Eccles. lib. 1. cap. 21.

PRIMÒ, de Hibernis & Æstiuis ita Legislator noster: *Cucullam in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam.* Quid autem *Villosa?* dupliciter exponi posse, ait Turrecremata: vno modo, vt sit de panno forrato (suffulto) vellere ouis, ad ministrandum calorem contra rigorem frigoris. Alio modò, de panno grosso non tonso. Quæ posterior expositio magis arridet. Constat enim E *villos* etiam dici de pannorum filamentis, seu veluti floccis, qui in panno rudiori & nouo prominent, & densitate suâ calorem corpori tribuunt. Villosam huiusmodi vestem hieme priscis vsitatam ex Martiali discimus.

Vestes Hibernæ & æstiuæ. Cap. 55. — Quid cuculla villosa. — Conueniens pro hieme.

Tempore brumali non multum lania prosunt,
Calfaciunt villi pallia vestra mei. Mart. l. 14. epig. 136.

Iterumque de pænulâ gausapinâ candidâ & Hibernâ:

Is mihi candor inest, villorũ gratia tanta est,
Vt me vel mediâ sumere messe velis. Ibid. epig. 145.

Iterumque:

Dona

Lib. 2. epig. 85.

Dona quod æstatis, misi tibi mense Decembri,
Si quæreris, rasam tu mihi mitte togam.

Vbi *rasa toga* æstati conueniens opponitur villosæ. Quem locum imitatus videtur Sidonius Apollinaris, cùm Charibaudi Abbati ita scribit: *Nocturnalem cucullum, quo membra confecta ieiuniis, inter orandum cubandumque dignanter tegare, transmisi: quamquam non opportunè species villosa mittatur hieme finitâ, iamque temporibus æstatis appropinquantibus.* Vbi aduertendum, etiam noctibus conuenire villosas. Quam verò æstati tribuit S. Benedictvs *puram* aut *vetustam*, intelligenda est villis spoliata, trita, rasa, defloccata, depexa. Nam, vt Turnebus ait, vestes illæ pexæ sunt, in quibus nec stamen, nec subtegmen apparet, eminente & operiente villo.

Sidon. lib. 7. epist. 7. *Et frigidis noctibus.*

Nocturna & diurna vestimenta. Cap. 55.

Secvndò, distincta fuisse vestimenta nocturna, saltem à diurnis, ex his S. P. verbis constat: *Sufficit Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipsas res.* Neque enim, vt Turrecremata notauit, videtur decere, vt Monachi eisdem vestibus vtantur per diem in conuersatione hominum, quibus de nocte in dormiendo. Ex S. autem Benedicti verbis colligitur, Monachos quoque dormiuisse cum cucullâ, quæ ideo erat nocturna, & cùm illa vigilias decantabant, cùm ideò iusserit dormire vestitos, vt semper essent parati, quod fieri non potuisset, si positâ nocturna, assumpsissent cucullâ diurnam. Vnde Bursfeldenses ita decreuerunt. *Pro habitu superiori, cucullâ vtantur regulari, clausa sine manicis, nisi fuerint itinerantes, quibus conceditur scapularibus vti dormitionis tempore. Non minùs tamen quiescentes, tunica & caligis vestiantur sub habitu regulari.* Cassinenses indulgent, vt dormiant cum scapula. i & caputio super tunicellam. Pachomianis quoque monachis iam olim in vsu fuit peculiaris aliquis de nocte habitus. Scribit enim Hieronymus, habuisse *Lebitonarium attritum ad dormiendum*, præter alia duo, quibus interdiu vti poterant.

Turrecr. Tract. 120. in reg. S. Bened. — *Eorum vsus.* — Cap. 22. — Cætim. Bursf. dist. 3. cap. 23. — Cassin. ad cap. 22. n. 17. — Hieron. præf. in reg. Pachom.

Scapulare pro opere.

Tertiò, præscribit S. P. *Scapulare* propter opera, nam inter operandum manibus, impedimento esset laxior ille & sinuosior cucullæ habitus.

Viatoriæ vestes. Cap. 55.

Qvartò, pro itinerantibus hæc in particulari decreta: *Femoralia hi qui in viâ diriguntur, de Vestiario accipiant. Et cucullæ, & tunicæ sint aliquantò his, quas habere solitti sunt meliores: quas exeuntes in viam accipiant de Vestiario, & reuertentes restituant.*

Cur aliqui plura assignarint vestimenta.

Ex hac porrò quadripartitâ vestium diuisione non difficulter fuerit colligere, cur binarium in cucullis & tunicis numerum aliqui superiori disquisitione recensiti excesserint; nam qui tres admittunt, æstiuas, Hibernas, & nocturnas computant, quibus si itineraria adiungatur cuculla aut tunica, etiam quartam habebimus. Sed verosimile non est, has singulis deputatas, cùm pauci tantùm, & rariùs foras mittantur, adeóque pro communi vsu, aliquot tantùm fuerint viatoria indumenta. Adde quod de mediocribus tantùm locis agat S. Benedictvs, vt proinde in frigidioribus ex eiusdem mente pluribus liceat vti.

Vestiarium.

Quadruplicia in vestiario reposita.

Animaduertendum denique quadruplicia in Monastico Vestiario reponi solere vestimenta. 1. Æstiua vel Hiberna, pro temporis qualitate. 2. Viatoria. 3. Vetusta & iam detrita, deponenda in vsum pauperum. 4. Sæcularia, quibus in professione Nouitius exuitur: quæ ideò iubentur in Vestiario conseruari: *Vt si aliquando suadente diabolo, consenserit vt egrediatur de Monasterio, tunc exutus rebus Monasterij, proijciatur.* Sed quousque harum vestium reseruatio extenditur? Respondet Cassianus: *Donec profectus, & conuersationis eius, ac tolerantiæ virtutem diuersis tentationibus, ac probationibus euidenter Fratres agnoscant. Et si quidem posse eum inibi perdurare perspexerint, & in feruore persistere, indigentibus eadem largiuntur.* Quare Boërius ait, saltem per annum sæculares vestes reseruandas. Pergit verò Cassianus: *Nullum enim fas est cum illis, quæ accepit* (in Monasterio) *abscedere, nec quicquam patiuntur illis adhuc indui, quem semel ab institutionis suæ regulâ tepuisse peruiderint.*

Cap. 58. — *Quid actū de vestibus sæcularibus.* — Cassian. lib. 4. cap. 6.

DISQVISITIO V.

Conueniátne Benedictinis suas vt ipsi vestes eluant?

Dvas cucullas tunicasque Monachis concedens S. Benedictvs, duas adiunxit caussas; alteram, quam expendimus, *propter noctes*; alteram, *propter lauare ipsas res*, vt loquitur. Quæ verba disquisitioni huic locum fecêre. Et quidem mundities has mulieribus conuenire, Marius olim apud Sallustium dixit. Adeò verò id huic sexui propriū apparet, vt virili indignum putetur. Effeminatus enim & muliebris vulgò audit, qui ad hæc feminea obsequia se dimittit, tantumque à viro abesse, quantum ad hæc magis accesserit. Vnde non illepidè quidam versum inuertit, simulque euertit, qui dixit:

Mundities mulieribus conueniunt.

Omnia si perdas, famulam seruare memento:
Quâ semel amissâ, quis lauet indusia?

Distichon hoc, vt nostrûm quidam vetusti moris amantior legit, ita subitò reposuit:

Quisque sibi lauit Monachus quæ commaculauit;
Si factum pridem, vos faciatis idem.

Etiam Monachus.

Constat

VESTIARIVM.

Qui olim vestes sua eluebant.

Constat enim Monachos, Monachorumq; magnos Patres hæc adeò non horruisse, vt ipsi suis manibus vestes, & calceamenta non tarò abluerint. Et quis priscis illis Anachoretis in vastissimis solitudinibus degentibus hoc obsequij præstitisset, vbi nullus ferè feminis erat accessus? De Magno Antonio S. Athanasius scribit, quod lauerit *Ependyten*, siue scapulare suum. Pachomianis Monachis id familiare fuisse, ex Regulâ apparet, in quâ ita statuitur: *Si quis lauare voluerit vestimentum, commonebit Præpositum suum, & ille mittet cum eo alium, & lotâ veste reuertuntur domum, & siccatam reponit ille cui hoc iniunctum est.* Et rursus: *Lotum in domo nemo faciat, absque sententiâ Præpositi, & omne quod nouum est illius sententiâ disponetur.* Atque hæc de priuatâ lotione. De communi verò citantur hi duo articuli in Concordiâ Regul. *Non vadant ad lauandum, nisi omnibus signum insonuerit: sequenturque Præpositum suum, & lauabunt taciti cum disciplinâ.* Item: *Nemo lauet retractis in altum priusquam est, vestibus: cumque lauerint, omnes pariter reuertentur.* S. Augustinus in Regulâ: *Indumenta vestra secundùm arbitrium Præpositi* LAVENTVR, *siue à* VOBIS, *siue à Fullonibus.* Inter poëmas incerti auctoris apud Basilium, hæc etiã habetur: *Si quis lauat, aut alterius, aut suã vestem, præter voluntatem Archimandritæ, careat benedictione.* Similiter regula Pauli & Stephani: *Vestimenta vel lectualia, nullus sibi lauare audeat absque oratione & permissione superioris.* In regulâ S. Fructuosi Episcopi: *Cellerarius eis* (iuuenibus) *pedes & vestimenta lauet.* Fuisse autem consuetudinem, vt Monachi præsertim solitarij propria lauarent vestimenta, colligitur ex Isaiâ Abbate, qui de hospite, qui Monachum fortè inuiserit agens, ait: *Si pauper est, & sordida habet vestimenta, ea tu ablue.*

Athanas. in vit. cap. 20.

Priuatim.

Reg. Pach. art. 37.

Art. 77.

Et cum aliis. Concord. reg. ad cap. 61. 5. 13. & 14.

Augustin. in Reg.

Licentiâ Superioris obtentâ.

Num. 22.

Reg. Paul. & Steph. cap. 28.

Reg. S. Fructuos. Episcop. cap. 6.

Orat. 5.

Tom. 2. Biblioth. Pat.

Hæc lotio extra controuersiam.

Neque verò ambigendum est, quin omnes olim Monachi sua ipsi abluerint vestimenta, cùm & de labore manuum suarum viuerent, & aliena ministeria, nisi in ægritudine non admitterent. Consentaneum quoque est hoc vestilauium Benedictinæ humilitati, quæ omni extremitate & vilitate contẽta, ad omnia quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum se iudicat & indignum: quare id ab opere manuum excludi non putauerim, præsertim cùm mũditiæ & honestatis maximus amator fuerit S. P. ideóque decreuerit, vt, *si quis sordidè aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emẽdauerit, disciplinæ subiaceat.* Quare etiam statuit, vt Septimanarij coquinæ *vasa ministerij sui munda & sana cellerario reconsignent.* Eundem porrò nitorem, quem in vtensilibus Monasterij requirit, à vestibus sine dubio abesse noluit.

Consentanea Benedictinæ humilitati.

Cap. 32.

A S. Benedicto præscripta. Cap. 35.

Vnde *duas tunicas & duas cucullas* singulis Monachis habere permittit, cùm *propter noctes*, vt loquitur, tùm *propter lauare ipsas res.* Ex quo colligas, solere illo tempore Religiosorum vestes subindè ablui. Eodemque capite id præscribit, quod maximè ad rem præsentem pertinet, vt nimirũm *Fratres in viam directi, femoralia, quæ de Vestiario acceperant, reuertentes lota restituãt.* Lotionem autem hanc ab illis sine dubio fieri voluit, qui vestes acceperant, quique easdem restituunt. Neque verò argumenti vim eludere licebit, dicendo sufficere vt restituãtur lota, siue per se, siue per alium; decet enim vt ille vestimentum purget, qui eodem vsus est. Et verò linteorum ablutionẽ expresse Legislator noster hebdomadario culinæ ministro iniũgit. *Egressurus* (inquit) *de septimanâ, sabbato munditias faciat, linteamina, cum quibus sibi Fratres manus ac pedes tergunt, lauet.* Id autem si ab eo requirat, cur non similiter ab omnibus exigat, vt sua quisque eluat vestimenta? ab illa enim priore linteaminum ablutione neminem omninò excipit, cùm ait: *Fratres sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio.* Cui quidẽ officio annexa est, vt vidimus, mũditiæ cura, & linteaminum ablutio. Hunc porrò locum ita elucidat Smaragdus Abbas: *Ipsi hebdomadarij omne seruitium, & omnem diligentiam, & munditias monasterij exerceant, aquâ manibus ipsi ministrent, pedes lauent, mappas, & sabanas, & facitergia ipsi lauent. Sabanas* autem Meursius interpretatur *linteum*, adfertque Theodorum Prisciaunm dicentem: *Phlebotomum adhibito, perseuerando tamen fricationibus, manibus vel* SABANIS *calidis.* Victor quoque de persecutione Vandalicâ: *Illa, quibus eum susciepiens de fonte dudum texerat,* SABANA *baiulabat.* Et Aldhelmus: *Qui in sabanis, & sindonibus baiulabantur ægroti*, &c.

Cap. 55.

In Femoralibus Vestiarij.

In linteis & manutergijs.

Cap. 35.

Hic nulla exceptio.

Quid Sabanæ.

Theodor. Prisc. lib. 2. cap. 9.

Victor. de persecut. Vandal. l. 1.

Aldhel. de laud. Virg.

De cuiusque autem vestibus lauandis, antiquam cõsuetudinem idem Smaragdus ex S. Fructuoso satis indicat, cùm eodem capite ita scribat: *Cùm necessitas poposcerit, lauandi atque emendandi habeant facultatem.*

Vetus lauandi vestes consuetudo.

Hæc autem tam quæ vestes, quàm quæ culinam spectant officia, etsi in speciem sint vilia, sancti Viri magno tamen animo suscepêre, scientes non paruum in ijs humilitatis esse lucrum. Vnde S. Ephræm ait: *Qui Dei causâ in Cænobio elaborat; neque secessum purgare aspernabitur: non est enim quod ægrè ferri à pijs oporteat.* Non aspernaturus id fuerat B. Leo Nouantulanus Abbas, qui ante regiminis officium, cùm asino quotidie saltus & pascua circumquaque perlustrans, materias congerebat, quibus ad requisita naturæ necessaria Fratribus anitergia ministraret, atque in hoc glorifico

Sancti viri vilia & sordida obierunt.

Ephræm tom. 3. de timore Dei, ad imitat. Prouerb.

Petr. Dam. opusc. 9. cap. 11.

glorifico manuum opere psalterium simul decurrebat, & posteà non sine multis lacrymis celebrabat.

Decretum, vt Monachi vestes suas eluerent. Concil. Aquisg. can. 4.

Verùm enimverò vt ad vestilauium nostrum reuertamur, tanti illud olim habitum fuit, vt Abbates Aquisgrani sub Ludouico Pio, decreuerint: *Vt Monachi proprijs operentur manibus, & vestimenta sua opportuno tempore lauet.* Similem omninò constitutionem in Concordiâ regulari edidit Dunstanus: *Calceamentorum vnctio, vestimentorumq́ ablutio, & aquæ administratio non aspernatur, sed ab vniuersis si Domini gratia vires concesserit, tempore opportuno consuetè peragatur.* B

Obseruatum à Cluniacensibus.

Eius verò statuti praxis & obseruantia viguit apud Cluniacenses, nec defuerunt qui eam irriderent, vt videre est in vitâ Sancti Odonis, vbi hæc habetur narratio: *Peractâ hebdomadâ sabbato vesperascente, cùm nostri Fratres cœpissent mandatum Regulæ more peragere, contigit vt vnus ex illis Monachis per eundem locum vbi hæc parabantur, transiret. Certè cùm vidisset prædictum Fratrem nostrum, nostrâ consuetudine suos abluere subtalares, irâ permotus, rupta silentio cœpit dicere: Dic mihi in quo loco* S. BENEDICTVS *præcepit Monachis, suos lauare subtalares? Ille autem nostra more signum ei fecit vt taceret, quia erat incompetens hora.* Subdit deinde eundem Monachum, qui silentio quoque obtrectauerat, mutum effectum, & intra triduum sine confessione defunctum. Ad eius verò querelam prolixè satis respondet, & pleraque Regulæ loca adfert, quæ iam attulimus, ac postremò sic concludit: *Cùm in sexto humilitatis gradu præcipiat* B. BENEDICTVS, *vt omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus; Ob hoc enim sua non vult lauare calceamenta, vt in quodam angulo ea proijciat, atque à luti pallore marcescant, & demum nec sibi nec pauperibus aliquid valeant, cùm omnia vetusta pauperibus præcipiat prædictus Pater eroganda. Hac namque dicimus non quòd squalidi aut lurdi, more hypocritarum incedant: sed vt omnibus suis vestimentis nitidis & latis vtantur, sicut per quemdam sapientem dicitur:*

Lib. 2. vit. S. Odon.

Punitur, quidam obtrectator.

Cap. 7.

Defenditur hoc vestilauium.

C D

Qui cupis esse bonus, & vitam quæris honestam,
Corporis atque animæ dilige munditiam.

His ille & pluribus monasticum morem tuetur.

Calceorum ablutio abrogata apud Cluniacenses.

Scio equidem sublatum posteà à S. Petro Venerabili vsum abluendi calceos, cuius quidem caussas ipse reddens, simul rationem adfert, cur olim ea consuetudo vtilis esset atque laudabilis, sic enim in statutis suis habet: *Statutum est, ne calciarois cum corrigijs, quia inutiliter laboriosum erat, sabbato abluant. Caussa instituti huius fuit, quia olim vbicumque necessitas occurrebat, sub* A *diuo operantes, & pluuijs, & lutosis diebus Monachi calcariôs suos, ipsâ operis necessitate cogente, luto plerumque infectos ad claustrum reuertentes lauabant. Inde superstitia descendens, cùm illi hoc ex necessitate facerent, & illos, qui per annum & biennium de claustro nusquam procedentes, sua & mundissima & noua calciamenta lauare quidem, quia necessarium non erat, non compellebat, sed duorum tantùm digitorum extremis summitatibus, duabus aut tribus aquæ guttulis infundere imperabat.* Hæc ibi.

Petr. Ven. Statut. nu. 27.

VESTIARIVM.

Ob caussas.

Sancti quidam eius huius tenaces.

S. VVlmarus.

Aliàs sanè nouimus hoc calceos purgandi & lauandi exercitium viros sanctos, tamquam summæ humilitatis actum, sæpè frequentasse. De S. Wlmaro Abbate auctor vitæ tradit, cum in Altimontensi Monasterio, nocturnis horis, cùm se Fratres somno dedissent, omnium repurgasse calceos, mundatosque clam suis locis restituisse. Porrò Abbas nosse percupiens, quisnam tantæ humilitatis officium obiret, quadam nocte ante lectum suum in dormitorio, vbi cubare solebat, calceos suos sordibus affectos deposuit. Quos cùm Wlmarus suo more tacitùs auferret, ab Abbate deprehensus est. Idem quoque fecit S. Edburga, Anglorum regis filia, quæ, narrante Vincentio Belluacensi, cùm Sanctimonialis esset in vrbe Wintoniæ, tantâ sanctitate emicuit, vt singularum Sororum soccos furtim nocte surriperet, & diligenter lotos, & inunctos lectis earum rursum apponeret. Sanctum Bernardum quoque scribit Cæsarius, calceos suos proprijs manibus inunxisse, ideoque à dæmone humilitatem eius non ferente irrisum. S. Theobaldus ex eâdem Cistertiensi familiâ, fratrum calceos etiam Abbas existens vngebat. Monachus quidam Longipontis, Amandus nomine, olim seruus exstiterat humilis Ioannis de monte Mirabili, volensque ei aliquid obsequij impertire, eius calceamenta occultè vngebat: quòd cùm ille rescisset, apud Priorem grauiter conquestus est, quod non ideò reliquisset seruos, vt in Monasterio reperiret: Prior enim placare cupiens, ei E præcepit, vt eiusdem Monachi calceamenta vicissim vngeret, quod libentissimè fecit.

S. Edburga. Vincent. lib. 23. c. 22.

S. Bernardus.

Theobaldus.

Menard. lib. 2. obseruat. 8. Iul. Idem lib. 2. obseruat. 28. Sept.

Ioannes de Monte.

Quæ quidem tam illustrium personarum exempla stimuli loco Monachis esse queant, ne humilitatis hoc officium, quasi vile abijciant, sed libenti animo pro Christi amore suscipiant: ad quod etiam illos excitare potest pium responsum Romani Imperatoris, qui cùm in Monasterio (vt testatur Luitprandus) à filijs regnandi cupiditate ardentibus, detrusus erat, à Monachis, quod domum verreret, redargueretur,

Sunt Monachis stimulo.

Romani Imper memorabile factum.

Luitpr. lib. 5. cap. 11.

VESTIARIVM.

guetetur, reſpondiſſe fertur: *Luculentiùs regnat, qui ſeruorum Dei humilitatibus deſeruit, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperat.*

Sententia S. Bernardi de hâc lotione.
Bernard. de præcept. & diſp.

Et hæc fortè ſuffecerint ad perſuadendum hoc humilitatis obſequium in Monaſterijs, vbi eiuſdem fuerit vſus. Vniuerſè verò id de eo dicendum cenſeo, quod S. Bernardus ſcripſit: *Iam de mutandis veſtibus, vel lauandis ob nocturnam illuſionem, accipite breue conſilium. Iuxta ritum ſui loci quemque facere conſulo de huiuſmodi, quæ diuerſis modis diuerſis in Monaſterijs certum eſt* B *obſeruari.* In quibus verbis, præter humilitatis meritum etiam alteram cauſſam animaduertis, quare expediat Religioſo, vt ſaltem intimas veſtes ipſemet eluat, nec ad muliercularum obſequia recurrat. Id tamen Superiorum diſcretioni expendendum relinquo.

Ritus veſtilauij Beneſtini deſcriptus.
Cærim. S. Iuſtin. part. 3. cap. 23.

MS. Liber Cærimoniarum S. Iuſtinæ de Paduâ communem veſtilauij ritum exercitiumque accuratè deſcribit: ex quo hæc carptim accipe. Superior Fratrem præficit lotioni pannorum: is ſtatutis diebus parat vaſa, C caldarias, ahena, lixiuium, ſaponem, & pridie immittit in aquam calciamenta, bireta, faſcioleta, ſcapularia, & ſi quæ alia, & antequam conuentus aduenerit, extrahit & ſuſpendit. Interim dum ignem caldarijs ſupponit, conueniũt Fratres cum Superiore, orant, operi ſe accingũt, eluunt lanea & linea in ſilentio. Completo exercitio dicit Superior: *Omnis ſpiritus laudet Dominum. Tu autem Domine miſerere nobis. R. Amen.* Poſt hæc certis cura demandatur pannos diſtendeñdi, vt ſiccentur. Inde ſua D quiſque tollit.

DISQVISITIO VI.

An Monacho ſua reficienda veſtimenta?

VESTIMENTA qui abluit, ſordes tollit, reſtituitque nitori: ſed quid ſi ea lacera fuerint, vel attrita, an & ab ipſomet reficienda Monacho? Supponi, aut ſaltem ex ipsâ Regulâ colligi videtur: E

Acus Monachis data ad conſuendum.

nam inter neceſſaria ab Abbate omnibus danda, recenſet S. Legiſlator etiam ACVM. Cur quæſo, niſi ad conſuendum, dum opus eſt laceras aut tenuatas veſtes?

Auctor vitæ apud Sur.
Ita decreuerunt Regulæ quorumdam.
Iſid. in reg. cap. 20.

Hinc laudata S. Eugendi congregatio, in quâ ita, omnis proprietatis reciſa erat occaſio, vt *vſque ad* ACVM *ipſam, lanaſque netas, etiam ſuendi conſuendique cuncta præberentur in medium.* Quod quidem aliorum Regulis expreſsè decretum. Iſidorus Hiſpalenſis de cuſtode ſacrarij agens, ait: *Iſte à veſtiario Monaſterij ſuſcipiet* A ACVS, *& fila diuerſa pro conſuendis veſtibus Fraternis habebit, & omnibus vt neceſſe eſt, miniſtrabit.*

Fruct. in reg. cap. 4.

Fructuoſus: *Subulæ,* ACVS, *ac fila diuerſa pro conſuendis, emendandiſque veſtibus, ipſis tribuenda ſunt ab Abbate, & cùm neceſſitas popoſcerit, lauandi atque emendandi habeant facultatem.*

Stud. in Teſtamento.

Theodorus Studita ſucceſſori ſuo mandat: *Curabis omninò vt inter Fratres communia & indiuiſa ſint omnia, & nihil cuiuſquã proprij vſque ad* ACVM. Cæſarius quoque ait: ACVS *ſignum virtutis, id eſt, humilitatis eſt in Monacho, ad reſar-* B *ciendum enim veſtimenta ſua diſſoluta portat illam.*

Cap. 2.
Cur S. Franciſcus ſtatuerit veſtes reficiendas.

S. etiam Franciſcus: *Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis, & alijs petijs cum benedictione Dei.* Ad quæ verba Hieronymus à Politio annotat tres cauſſas, cur veſtes reficere de ſaccis poſſint. Prima eſt, amor paupertatis; ſecunda, ſtudium humilitatis; tertia, neceſſitas, vt non ſtatim opus ſit nouas procurare. Et ſciant fratres quod licet contra ſæculi prudentiam, & honeſtatem ſit veſtes repetiare; C vbi tamen paupertas abundat, vilitas, & abiectio propter Deum; honeſtum erit, & meritorium illas repetiare, & non ſtatim nouas parare.

S. Benedictus acum aſſignans, tria commendauit.

Tria quoq; S. BENEDICTVS, dum ACVM exhiberi voluit, ſuis viſus eſt commendaſſe. Primum, ne lacero incederent habitu, quod indecorum eſt, & ſordes ſapit. Secundum, ne Monachi, quos omni vilitate & extremitate contẽtos eſſe oportet, erubeſcant reſarcitam deferre veſtem. Tertium, vt ipſi ſua non dedignentur concin- D nare & reſarcire indumenta, quod non dubito quin S. BENEDICTI tempore fuerit obſeruatum, cùm multa alia, etiam humiliora, atque etiam coquinæ miniſteria tum obierint. Etſi autem in Monaſterijs plerumque laicus aliquis conficiendi ac reficiẽdi veſtes munus iniunctum habeat, atque id vtcumque neceſſarium ſit, poſtquam clericatus Monachatui adiunctus eſt, atque adeò litterarum ſtudia aucta, labores verò manuum imminuti ſint;

Minuta à Monachis reficienda.

non inutiliter tamen ſingulis Monachis *acus* tri- E buitur, vt leuiora quędam, quæ facilè occurrũt, ipſimet reſarciant, nec hac de cauſsâ ſæpiùs ſartorem adeant, aut veſtiario moleſtiores ſint.

An obligentur ſecum deferre acum.
Cæſar. lib. 6. cap. 15.
Nocuit quibuſdam eâ caruiſſe.
Ibid. cap. 16.

Et videntur olim quidam ſenſiſſe, ex Regulâ S. BENEDICTI Monachos obligari *acum* vbicumque fuerint ſecum deferre, de quâ tria exempla commemorat Cæſarius. Primum, Fredericum Imperatorem hoc titulo aliquem ad Abbatiam noluiſſe promouere, quod *Acu* ex Regulæ præſcripto inſtructus non eſſet, eamque contuliſſe, qui habebat. Secundum, Ottonem Imperatorem à tribus Ab-

bus Abbatibus acum popoſciſſe, cùm verò duobus negantibus ſe eam habere, tertius eam exhibuiſſet, laudatus is ab Imperatore, ceu diligens Regulæ obſeruator fuit.

Id Cap. 17. Tertium eſt, Cùm Monachus quidam Ciſtertienſis acum ſecundùm Monachorum conſuetudinem ſanus portare non curaret, vel fortè contemneret, poſito eo in agoniâ, diabolus adfuit, & acum ignitum, ad humani corporis longitudinem, in manu ferens, iecit ſuper illum; *Quia acum noluiſti portare ſanus, feras hanc acum moriturus.* Qui viſum aſtantibus referens, terruit omnes.

DISQVISITIO VII.

Cur vetera reddenda, cùm noua accipiuntur veſtimenta?

ABLVENDA diximus ſordida, reſarcienda lacera; addimus nunc, quid agendum de ijs, quæ vetera & detrita: de quibus hæc Legiſlatoris noſtri conſtitutio eſt: *Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in veſtiario.* Iterumque: *Et Pedules, & quodcumque eſt vetuſtum, reddant dum accipiunt nouum.* Tres autem rationes inuenio, cur vetera veſtimenta in veſtiario reponi iuſſerit.

Cap. 55. Reg.

Cur vetera in veſtiario reponenda.

I. *Propter pauperes.* PRIMA eſt propter pauperes, quibus relicta à Monachis, diſtribuantur: Quare hîc quidam annotant, non eo vſque ferendas Religioſis veſtes, donec prorſus detritæ ſint, adeoque pauperibus vſui eſſe non poſſint, ne obnoxij reddantur huic maledictioni: *Maledictus qui offert debile.* Hanc autem diſtributionem in pauperes, non per ipſos Monachos, ſed per Abbatem, aut cui id commiſſum fuerit, fieri oportet. Vnde Baſilius: *Dare, aut accipere, etiam ſecundùm mandatum, non eſt cuiuſlibet; ſed eius, cui de communi ſententiâ adhibitâ circumſpectione delatum eſt munus diſpenſandi. Proinde hic erit, qui ſine vetus ſine nouum, habitâ ratione temporis cuiuſque & dabit ipſe & accipiet.* Et Iſidorus: *Non eſt præſumendum*, inquit, *ſine conſcientia Abbatis, egenis vel quibuſlibet conferre de eo, quod regulari diſpenſatione noſcitur Monachus poſſidere.* Sed & B. Fructuoſo, quem Smaragdus refert, placuit ſimilis diſtribuendi ratio: *Quidquid*, ait, *in veſtimentis, calceamentis, vel lecticarijs Monachorum vetuſtum fuerit, dum noua percipiunt, totum ab Abbate pauperibus erogetur.* Hinc & Aurelianus dicit: *Si quid verò ſuperfuerit ex vſibus Fratrum in auro, aut in veſtibus vel cellario, ſanctus Abbas per manus prouiſoris, aut per quamlibet perſonam fidelem pauperibus, peregrinis, aut captinis faciat diſpenſari. Veſtimenta verò vetera, cùm noua accipiunt, Abbati refundant, incipientibus aut pauperibus eroganda.* Hæc ille. Imitatus prædeceſſorem ſuum S. Cæſarium Arelatenſem, qui ita ait: *Indumenta verò ipſa cùm noua accipiunt, ſi vetera neceſſaria non habuerint, Abbatiſſa refundat pauperibus aut incipientibus, vel iunioribus diſpenſanda.*

A quibus ea diſtribuenda.

Baſil. in Reg. breu. interr. 87.

In regul. Monach. cap. 19.

Eſt in arbitrio Abbatis.

Aurelian. in Reg. Monach. cap. 44. & 45.

VESTIARIVM.

Cæſar. in Regulâ ſâcimonialium cap. 41.

II. *Reddenda vetera, ne ſuperflua habeantur.* SECVNDA cauſſa eſt, ne quid Monachi habeant ſuperflui; nam ſi noua accipientes, non reddant vetera; non duas tantùm tunicas aut cucullas; quas ſufficere S. Pater ait, habebunt, ſed ternas aut quaternas; quod eius iudicio in mediocribus regionibus nimiùm eſſet, cùm dicat: *Iam quod ſuprà fuerit, ſuperfluum eſt, & amputari debet.* Et Sanctus Baſilius abuſum vocat in veſtium pluralitatem: *Vſus enim*, inquit, *modum ipſa ineuitabilis rerum ad vſum pertinentium neceſſitas definit. Qui autem vltra neceſſitatem progreditur, is aut intemperantiæ habendi cupiditatis, aut voluptatis libidinis, aut inanis gloriæ morbum habet.* Ad hanc ſuperfluitatem amputandam, in Regulâ Monacharum apud S. Hieronymum, prohibentur Moniales aliam habere tunicam, *niſi quæ ex neceſſitate portatur, non caligam, nec aliud minimùm quodque*, vltra ea quæ ex neceſſitate portantur: nec tamen hæc niſi de licentiâ Abbatiſſæ. *Diſcatis ea ſolùm habere, quæ naturæ tantùm ſubueniant; & non quæ nutriant tineas. Si qua verò ſuperſunt, vno claudantur in loco: vt ex his quæcumque ſoror eget, indui poſſit.*

Baſil. in Reg. breu. interr. 70.

Cap. 2.

Cap. 4.

III. *Ad vitandam proprietatem.* TERTIA cauſſa eſt, vt proprietatis periculum, quod hîc ſubrepere poſſet, euitetur. Quare Sanctus BENEDICTVS præſcripſit: *Lectos frequenter ab Abbate ſcrutandos eſſe, propter opus peculiare ne inueniatur. Et ſi cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauiſſimæ diſciplinæ ſubiaceat.* Huius verò ſcrutinij tempus Beatus Fructuoſus determinauit, dicens: *Lectulaſingulorum Abbas vel Præpoſitus bis in hebdomada reuoluat, atque perſcrutetur; vt videant ne quis ſuperfluum aliquid illic, vel occultum habeat.* Ab hâc verò diligentiâ commẽdat Theodoretus Publium quemdam, qui domunculas ſuorum Monachorum ſæpiùs inuiſebat & perſcrutabatur, num quid præter vſum haberent repoſitum. Solent autem vetuſta quæque ſub lectis recondi, quæ cauſſa Sancto BENEDICTO fuit, vt eos ſcrutari iuberet. Et ſanè apud Sanctum Antoninum legimus defunctum quemdam religioſum ſocio poſt mortem apparuiſſe, illique aduſtas tibias oſtendiſſe. Cauſſam verò interrogatus, reſpondit, in purgatorio ſe eſſe, eò quòd receptis nouis caligis, vel ſoccis, veteres non reſignaſſet, ſed ſub lecto aſſeruaſſet.

Cap. 55.

Lectorum hinc ſcrutinium.

Theod. in Philoteo. cap. 5.

Punitur non reddens vetera.

Antonin. part. 4. tit. 14. cap. 10. § 1.

VESTIARIVM.

Tho. à Iesu in Comm. de propric. relig. part. 3. cap. 4.

Ordines strictè seruant hanc constitutionem.

Non immeritò igitur P. Thomas à Iesu ait: Præceptum Regulæ S.BENEDICTI de reddendis veteribus cum noua recipiuntur, etsi alios Religiosos qui sub illâ Regulâ non militant, non obstringat; tamen in quantum vim voti paupertatis explicat, asserens contra illud esse, aliquid non necessarium retinere etiam illi se conformare tenentur. Vnde, inquit, in nostrâ religione (Carmelitarum Discalceatorum) magnâ cum districtione cauetur, vt quidquid Religiosis necessarium non fuerit, ad communem deducant custodiam, idemque in alijs reformatis religionibus obseruari solet.

Nau. consil. lib. 3. consil. 3. num. 47.

Et in speciali de Carthusiensi refert Nauarrus, per constitutiones expresse præcipi, vt omnia quæ illis superfuerint ex cibo, & vestitu, reddant communitati.

Exemplum memorabile apud Discalceatos.

In vitâ eius lib. 1. c. 22.

Accurata verò illa obseruantia, quam apud suos vigere ait Thomas à Iesu, plurimùm confirmatur ex eo; quod de beatæ memoriæ Francisco à Puero Iesu traditum accepimus. Is cùm noua aliquando sandalia de more A accepisset, officij sui immemor, vetera retinuit. Ergo cùm huius se reatus accusaret, tironum Magister officij sui probè memor pœnam exigere, & veteres illas non redditas soleas ex vtraque aure suspendi iussit. Intereà Magnates quidam ex aulâ Philippi Hispaniarum Regis cum interuisunt, & hisce eum inauribus ornatum cernentes, non modicum mirabantur. At ille caussam statim reddere, ac dicere hac pœnâ se mulctatum, quod fur B & proprietarius fuisset contra monasticas leges: in sæculo quidem inter malos, bonum se apparuisse, at nunc inter religiosos, qualis esset, facilè ex hoc facto colligi.

Cassinenses pœnam statuunt.

Cassin. in cap. 55. n. 9.

Sed nec apud Benedictinos à pœnâ immunis est vetustorum retentor. Cassinenses enim ita congruenter statuunt: *Accipientes noua, intra octo dies lota, & munda omninò restituant vetera, secundùm Regulam. Contrà facientes dicant suam culpam in Capitulo: & comedant semel in pane & aquâ in Refectorio, & priuentur rebus nouis, quousque restituant vetera.*

TRACTATVS III.

DE VESTIBVS LONGIORIBVS.



ERTIO hoc *Tractatu peculiare aperimus armarium longioribus vestibus asseruandis deputatum: has autem vt explicemus, nouem hæc occurrunt disquirenda.* Primò, *Quid sit cuculla?* Secundò, *Quid melote? an vestis Benedictina?* Tertiò, *Quod capitis operimentum suis* S.BENEDICTVS *assignauerit?* Quartò, *Vnde Monachorum Almutia?* Quintò, *Quale Benedictinum Scapulare?* Sextò, *An scapulare sit essentialis Benedictinorum habitus?* Septimò, *Qualis Tunica Benedictina?* Octauò, *Quæ intima vestis Benedictinorum?* Nonò, *Num Benedictinis liceat vti pelliceis?*

DISQVISITIO I.

Quid sit cuculla?



Cuculla vel Cucullus.

RINCIPEM locum inter Monastica indumenta illa vestis obtinet, quam Sanctus BENEDICTVS, & post eum Pontificum Decretales, CVCVLLAM vocant, Latiniùs autem *Cucullus*, vel *Cucullio* dicitur. Quamuis autem Ambro- A sius Calepinus dicat, Monachos nostros malè vti *Cucullâ* feminini generis, tamen præter Sanctum BENEDICTVM, & ius Pontificium, quo se tueantur, habent. Nam Sanctus Hieronymus, Patrum latinissimus, non semel eâ voce vtitur, in vitâ enim Hilarionis scribit eum *tunicam saccineam,*

Redditiam Cuculla. 1

Hieron. in vitâ Hilarion.

cineam, *Cucullam*, & *palliolum* Hesychio pro testamento reliquisse. Deinde scribit, corpus mortuum integrum perdurasse illæsâ *tunicâ*, *Cucullâ*, *& pallio*. Et præfatione in Regulam Sancti Pachomij ait, Monachis eius in vsu fuisse inter cetera duas *Cucullas*. Ennodius: *Accepi Cucullam, qualem debuit dirigere religionem profitenti*. Vsus eius apud priscos Monachos etiam ante Sanctum BENEDICTVM fuit, quare Sozomenus de ijsdem agens: *Caput*, inquit, *integumento, quod Cucullam*, κουκούλιον, *appellare solent, aperiebant*. Et Sanctus Ephræm *Cuculli* meminit, eoque indutus legitur, prout etiam Monachi Sancti Pachomij, teste Palladio. Agit quoque Cassianus de *Cucullis* Ægyptiorum, & S. Dorotheus.

Ennod. l. 9. Epist. 17. Eius vsus ante S. Benedictum.

Lib. 3 hist. cap. 13.

Hist. Lau. siac. cap. 13.

Sed quodnam vestimenti genus, quaso, est *Cuculla*? Amictus est, caput & humeros circumambiens & protegens: vnde *Cucullatus*, id est, *Cucullâ* vel *Cucullâ* indutus. In nostro autem Benedictino Ordine non modò capitis, sed totius etiam corporis *Cuculla* indumentum est. Varia tamen eiusdem est significatio: nam Theodemarus Abbas Carolo Magno scribens, multa de *Cucullæ* significatione, vsuque congerit.

Quale vestimentum.

Variè accipitur.

Theodem. epistol. ad Carol. M.

I. PRIMÒ enim ait: *Sanè quia percontari dignati estis, quod vestimentum Cucullæ habent intelligi: Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine Casulam vocamus. Et inde est quod in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam Beatus Pater habendam instituit: quia scilicet hoc genus indumenti falet* * *villis intexi*. Quod autem ait *Cucullam* vocari solitam *casulam*, etiam innuit Smaragdus, qui hanc facit *Cucullæ* derivationem: *Per diminutionem*, inquit, *à casulâ dicitur Cucullo, & à cosula casullâ, & à cosullâ diminuitur Cucullo*. In Regulâ quoque Macarij *Casula* pro monastico habitu sumitur: *Hic ego durare non possum, sed accipiam Casulam meam, vt eam vbi voluerit Dominus*, &c. Auctor quoque vitæ S. Cæsarij Arelatensis: *Ambulans*, inquit, *per plateam ciuitatis vidit cantro in foro hominem, qui à dæmonio agebatur, in quem cùm ottendisset, habens manum sub Casulâ, vt à suis non videretur, crucem contra eum fecit*. Ad marginem adiecit aliquis: *Casula est habitus Monachalis, qui dicitur Cuculla, siue scapulare, seu flaccus*. Quæ proba interpretatio est. Ioannes Diaconus: *Casulam* pro veste Monachali posuit. Ait enim Monachum quemdam Monasterij Sancti Gregorij à Fratre sæculari vestimentum petentem, dixisse, *Casulam non habeo; sed fac charitatem: eme mihi*. Quod ex Prato spirituali à Præceptore suo interpretatum esse scribit. Pratum autem spirituale cap. 192. ait Monachum dixisse: *Tunicam non habeo*. Idem Ioannes Diaconus ex eodem Prato refert Sanctum Gregorium dedisse Abbati Ioanni Persæ, numismata tria, & iussisse dari *Casulam*, & necessitates omnes. *Casula*, inquit Sanctus Isidorus, *est vestis Cucullata, per diminutionem à Casa; quòd totum hominem tegat*. Fuit hæc olim Monachorum vestis. Acta Sancti Fulgentij Ruspensis: *Casulam pretiosam, vel superbi coloris ipse non habuit, nec Monachos suos habere voluit*. Fuit etiam seruorum indumentum. Procopius: *Vestem indutus neque Imperatoriam, neque aly viro militari omninò conuenientem, sed seruo aut vili personæ omninò conuenientem*, CASVLAM *latinè voce dicunt Romani*. Sic sumitur apud Augustinum: *De Sartore, qui Casulam perdiderat*. Serarius, notis ad epist. 3. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, ait *Casulam* fortè deriuari ab Hebræo verbo CASAH, quod est tegere, seu operire, à quo Exod. 22. 27. Iob 24. 7. & Cap. 31. 19. CESVTH, id est, *vestis, apertmentum*, vt ibidem vertit vulgatus interpres, Et fortè Gallis & Germanis quibusdam CASACQVE.

* al. villis.

Quibusdam dicitur Casula.

In cap. 55. Reg. S. Bened.

Reg. Macar. num.

Lib. 2.

Ioan. Diac. lib. 2. vit. S. Gregorij cap. 45.

Qua est monastica vestis.

VESTIARIVM.

Lib. 4. c. 63.

Isid lib. 19. Origin. c. 24.

Quâ & serui vsi aliquando.

Procop. lib. 2. de bell. Wandal.

August. lib. 22. de ciuit. cap. 8.

Vnde Casula deriuetur.

Verùm interrogabit quispiam, quî *Casula* cum *Cuculla* conueniat, cùm illa, vt Onuphrius Panuinus inquit, ab vtraque parte concisa, ante & retro tantùm producatur vsque ad talos; hæc autem totum corpus vndequaque ambiat. Respondetur de antiquâ *Casulâ* Theodemarum locutum fuisse, illa enim olim aliam omninò formam habebat. Nam, vt noster Rabanus Maurus scribit, per diminutionem dicta est *à casâ*, eò quòd totum hominem tegat, quasi minor casa. Hæc vestis (teste Honorio Augustodunensi) & *Planeta*, *quod errar sonat, vacatur, eò quòd errabundus limbus eius vtrimque in brachia subleuatur. Hac in duobus locis, scilicet in pectore, & inter humeros duplicatur, in duobus videlicet in vtroque brachio triplicatur*. Hæc ille. Ex quâ descriptione facilè colligas, amplum & sinuosum vestimenti genus fuisse *Casulam*; eratque, vt Onuphrius scribit, latissimo initio, & sine manicis, cuius limbus super brachia, & scapulas proiectus, errabundus totū corpus circumibat. Hinc ad eleuationem sacræ hostiæ, *Casulam* in brachia humerosq; replicare necesse erat, & hodieque vsus subleuandi *Casulam* perseuerat, licet vix eius sit necessitas. Antiqua autem illa *Casula* prorsus *Cucullæ* monasticæ speciem referebat, præterquam quod manicis, vt diximus, careret; vt appareret ex priscis illis *Casulis*, quæ multis locis etiamnum habentur. Et talis erat *Casula* S. Vrsini, vnius ex septuaginta duobus disci-

Quæ Casula cum Cuculla conueniat.

In Interpr. voc. obscur. eccles.

Raban. de ordine Antiph. cap. 51.

Casula vetus differebat à moderna.

Gemma animæ lib. 1. cap. 207.

Ritus eam eleuandi.

Referebat formam Cucullæ.

Patet ex antiquis, quæ adhuc extant.

VESTIARIVM. discipulis, quam Bituricis vidisse se ait Laurentius Benard: quæ vndique clausa, nullam omninò habebat aperturam, nisi in superiori parte, quà caput transmittitur. Idem quoque patet ex *Casulâ* S. Vdalrici, Episcopi Augustani, cuius formam æneæ laminæ incisam Bernardus Hertuelder in descriptione basilicæ eiusdem Sancti edidit. Respondet autem eidem *Casulæ* forma & interpretatio *Cucullæ*, quam Clemens V. in Concilio Viennensi assignauit: adferens enim distinctionem inter *floccum*, & *Cucullam*, ait: *Cucullæ nomine, habitum longum & amplum, sed manicas non habentem; nomine verò flocci, habitum longum qui longas & amplas habeat manicas, nos intelligere declaramus.* Ita Pontifex. Cardinalis verò Turrecremata scribit iuxta hanc Pontificis declarationem, Vltramontanos *Cucullam & floccum* accipere pro distinctis. Contrà verò alios *Cucullam* nominare eum habitum, qui apud alios dicitur *floccus*, videlicet habitum cum caputio ex omni parte clausum, longisque manicis manicatum. Atque notionem hanc Franci & Germani, teste Antonio de Yepez, sequuntur, apud quos in minoribus Monasterijs *Cucullas* induunt, in maioribus verò & præsertim Reformatis, *floccos*: vt videre est in Congregationibus Cluniacensi, Bursfeldensi, Casalis-Benedicti, Cistertiensi, Cælestinorum, Vallisoletana in Hispaniâ, alijsque alibi, quod conforme est Statuto Pontificis superiùs allegato. Sancta Hildegardis *Cucullam* describit vestem amplam, & ad talum descendentem, manicis breuibus, & ad manum modicè præcedentibus, duobus quoque gyronibus in vtroque latere sub ascella deorsum profluentibus, cui caputium desuper adhærebat. Mirari autem quis posset cur manicas breues dixerit, cùm omnes longas scribant, nisi quòd excessum longitudinis fortè reprehendere voluerit, prout fecit Sanctus Bernardus, qui longas Cluniacensium manicas, & amplum caputium perstringit. Et satis longas manicas S. Hildegardis indulget, cùm eas manum (extensam intellige) modicè præcedere scribit, siue vltra manum nonnihil protendi. Sed ad Theodemarum redeamus *Cucullas* sui temporis explicantem.

Benar. Pol. lit. Regul. patzen. 15. — *Patr. 2. tab. 23.* — *Ex Clementina. Cap. ne in agro. de stat. Monach.* — *Ad Cap. 55. Reg.* — *Distinctio inter Cucullam & floccum.* — *Tom. 1. chron. Benedict. an. no 494. c. 5.* — *Iste celebrior.* — *Hildeg. in expos. Reg.* — *Qualis Cuculla quam describit Hildegardis.* — *Bern. epist. 1.*

II. SECVNDÒ igitur dicit: *Illud indumentum, quod à Gallicanis Monachis* CVCVLLA *dicitur, nos Cappam vocamus.* Qualis verò hæc *Cappa* sit, vix assequi possum. Meminit etiam *Cappæ* Clementina suprà citata, dicens: *Cùm verò Abbates, Priores, aut alios Præsidentes, aut Monachos alios extra monasterium proficisci contingat, floc-*

Cuculla dicitur Cappa.

A *cum, Cucullam, aut Cappam clausam habeant: & subtus Cappam (si eam portauerint) Cucullam deferant, aut (si maluerint) scapulare.* Ad quæ verba Glossa annotat; sub *Cappa* saltem scapulare deportandum; non autem sub *flocco*, vel *Cucullâ*: quasi illa sint habitus, non autem *Cappa*. Quare Bursfeldenses conformiter huic decreto ita statuunt: *Itinerantes, pro floccis si velint, poterunt vti Cappâ rotundâ, quæ flocco sit breuior, & ex vtraque parte foramen habeat ad exserendum brachia, & desuper caputium as-*
B *sutum ad instar caputÿ regularis: Subtus verò Cappam, scapulare deferant, & capellum de filtro, nigrum, in superficie non hirsutum, sed planum.* Apud eosdem, *habitus Conuersorum est Cappa longa & rotunda, & ab anteriori parte aperta, caputium habens per omnia simile caputÿ flocci regularis.* Nunc porrò videmus floccum vel *Cucullam Cappæ* nomine in Belgio & alibi sæpiùs vocari.

Cappa forma & vsus apud Monachos. — *Cæremon. Bursf.*

Sed vt harum vocum etymologiam explicemus, notandum *Cappam* dici à *capios* quia scilicet totum corpus capiat.
C Alij à capite deduci volunt. *Floccus* verò, quem litterulâ mutatâ Franci (vt Sirmundus annotauit) *Froccum* vocant, inde dici videtur, quia ampla Cuculla largiter fluctuans totum corpus circumquaque tegit: vel meliùs, vt coniectat P. Laurentius Benard, quia ex lanâ fiebat villosâ & minimè attonsâ. *Floccus* enim propriè significat lanarum particulas à velleribus diuisas; in vestibus autem *flocci* sunt eminentiores illæ laneæ particulæ, quæ filum tegunt, & vltrò subinde
D excidunt, vt in ouium velleribus accidere videmus. In Carthusiâ Gratianopolitanâ, in quâ Generalis residet, & exactâ Ordinis viget obseruantia, etiamnum tunicas deferunt villosas floccis vndequaque dependentibus, idque vel quia sic frigus continuum, & assiduæ niues requirant, vel vt vilius induantur; ita enim præcipit Regula, vt *Cucullam in hieme deferamus villosam*; & vt de grossitudine non causentur Monachi; &, quòd vilius comparari potest, pro vestium materiâ assu-
E matur: & fortè hinc etiam Cuculla nostra *floccus* dicitur, vt vilitas pretij eius indicetur. Nam quia *floccus* res est nullius pretij, factum est vt dicamus *floccifacio*, & *floccipendo*, pro contemno, & in nullâ æstimatione habeo. Angelus tamen Manrique existimat *floccos* pretiosiores fuisse Cucullis, quæ ex vili materiâ strictâque conficiebantur, cùm illi ex pretiosâ eleganter & laxè concinnarentur: quo nomine & eos Primi Cistertienses reiecerunt, tamquam cum sanctâ paupertate minùs conuenientes.

Vnde sit dicta. — *Ad lib. 2. Goffrid. Vindocin. Epist. 7.* — *Quid floccus.* — *Benar. Pol. lit. Regul. patzen. 15.* — *Carthusia maioris vestes cum floccis.* — *Floccus Cuculla vilior, an pretiosior.* — *Manrique Annal. Cistert. tom. 1. ann. 1120.*

TR-

III. *Theodemarus ait nullum tegumenti genus à S. Benedicto assignatum.* Tertiò loco ita subiicit Theodemarus: A *De genere tegumenti nihil* B. Benedictvs *in suo textu Regulæ locutus est: ob hoc scilicet (vt conicere possumus) quia diverso modo hoc vidit à plerisque Monachis vti tegumento. Nam Galliarum Monachi hoc latius & prolixius induuntur. Itali verò Monachi (sicut nostis) breuius & strictius huiuscemodi vestimentum habent. Græci verò propter operimentum capitis, modicum tantùm ante pectus, & à dorso dependens. Transmarini autem Monachi huiusmodi operimentum pellicium habent. Ergo quia tantam in hoc* B. Benedictvs *indumento diuersitatem vidit, vnicuique Monachorum quid ex* B *his potiùs eligere vellent, proprio arbitrio dereliquit.* De eo verò qui tum apud eos vigebat vsu, ita paucis interiectis subdit: *Similiter & loco Cucullarum duas, quas nos dicimus* MANTAS *habemus, quæ ex grossiori sago fiunt: & vnum in æstate operimentum. Cucullas autem ideò non habemus, quia maioris sunt pretij, & quia nobis Pater noster præcepit vestibus vti, quales possint in prouinciâ vilius emi.*

Manta vsi Cassinenses.

Quid eâ voce significetur. Isid. lib. 19. Etymol. cap. 24. At quæres, quid sit *Manta*? Isidorus ait: *Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantùm. Est enim breue amictum.* At Pollux fusiorem agnouit hanc vestem: μανδύην, inquit, C ἱμάτιόν τι ἐκ καλυμμάτων φαινόλη ὅμοιον, quod propiùs ad Cucullam accedit. ἱμάτιον enim vestis exterior est, quæ Romanis toga, atque id quod suprà tunicam induitur. φαινόλη verò pænula, quæ aduersus pluuiam & frigora comparari solebat. Iuuenal.

Paenula. *Iouen. Sat. 5.*

——— *cum pænula multo*
Stillaret nimbo. ———

Vestis ex crassioribus villis. Lampridius in Alexandro: *Pænulis intra vrbem frigoris causâ, vt senes vterentur permisit; cùm id vestimenti genus semper itinerarium aut pluuiæ fuisset.* Et Gallicè vne *Mante*, Flādricè Pproch, dicitur Gausape vel nau- D tica pænula ex crassioribus villis compacta, rudis & hirsuta: quòd sanè Regulæ nostræ congruit, quæ *villosam* in hieme *Cucullam* requirit. In æstate autem *puram aut vetustam*: quam ille *operimentum* vocat.

Ex his porro Benedictinæ *Cucullæ* materiam & formam colligere licet. De hac tamen nullus inquirendi locus superesset, si ipsa S. P. Benedicti *Cuculla* modò exstaret, prout exstitit tempore Petri Blesensis, qui sic scribit: *In monte Cassino schema monasticum quo* B. Benedictvs *est vsus, vsque* E *hodie, sicut dicitur, perseuerat.*

Cuculla S. Benedicti. Blesf. epist. 97.

Quænam Cucullæ mensura. Cap. 55. Quænam verò *Cucullæ* mensura? Nihil definiuit Legislator, nisi quòd in genere præscripserit: *Abbas de mensurâ prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus eis, sed mensurata.* Vbi Bernardus Cassinensis: *Nimis curtum intelligo, quod circa talum non attingit, nimis verò longum, quod defluit per humum, puluerem excitat, & congregat lutum.*

A In Concilio tamen Aquisgranensi decretum, *vt mensura Cucullæ duobus consistat cubitis.* Sed hic nodus implexus, qualisnam ea *Cuculla*, quæ hanc mensuram non excedat. Petrus Rouerius ait, planum esse accipi non posse, nisi de parte vestis. Et Monachos *Cucullam* à Flocco distinxisse interdum, vt à parte totum. *Cucullam* enim vocitatam eam supremæ vestis partem, cui hæret *Cucullus*, quæque à capite in dorsum demissa in angulum extremo colligitur. Sed occurrere videtur huic intellectui, quòd in vitâ S. Benedicti Anianæ Abba- B tis, huius Concilij Præsidis, scribit Ardo. Cùm enim in habitu dissimilis esset multorum consuetudo, *siquidem nonnullis vsque ad talos Cucullæ pendebant; vir Dei*, inquit, *Monachis instituit modum, vt non amplius à duobus cubitis excederet mensura, vel vsque ad genua pertingere posset.* Quis autem credat tam longum cuiusdam tum fuisse *Cuculli*, siue caputij angulum, vt ad talos vsque protenderetur? nisi fortè tum temporis *Cucullæ* ille, quas intendebat reformare, habuerint longam illam ex caputio dependentem fasciam, quam *timpam*, vel *liripi-* C *pium* vocant, quam vtramque vocem explicat Rosweydus in Glossario Chronici Windesemensis. Aliàs enim æqualis videtur difficultatis existimare integram Cucullam duos cubitos non excessisse. Sed lucem hîc, quâ nodum soluas, præbet Smaragdus, prædicti Benedicti, vt Menardus probat, discipulus, quique his temporibus vt apparet, vixerit. Is ad cap. 55. Regulæ ait: *Cucullam dicit ille*, (S. Benedictvs) *quod nos modò Cappam dicimus. Quod verò ille dicit, Scapulare propter opera, hoc nos modò dicimus Cucullam.* Et Apologiæ pro Henrico D IV. auctor dicit S. Benedictvm, *alteram constituisse Cucullam, quæ dicitur Scapulare.* Proinde tam in vitâ Benedicti Anianæ, quàm in illo Aquisgranensi Canone *Cucullâ* idem quod Scapulare. Vnde in sequenti canone, quo omnia Monachorum recensentur indumenta, prorsus omittitur Scapulare, cùm tamen alia omnia vsque ad femoralia, quorum tamen tum rarior vsus, accuratissimè enumerentur. Sed per *Cucullas* abundè expressa videntur Scapularia. At qualia illa fuerint, quæ duobus consi- E sterent cubitis, videre est in priore imagine à Browero allata; de quâ infrà.

VESTIARIUM. *Conc. Aquisg. can. 21.* *Duorum cubitorum. Rouer. illust. Reom. num. 102.* *An Cuculla in Conc. Aquisgran. sumatur pro parte flocci.* *Ardo in vita Bened. Anian.* *Videri non.* *Et probatur accipi pro Scapulari.*

Cassinenses autem, vt certiora videamus, ita suas describunt: *Cucullæ sint longæ vno digito super terram, manicæ longæ vltra manum extensam per dimidium brachij, largæ verò per tres quartas, cum dimidio.* Similiter Bursfeldenses curiosè admodum floccos suos (quibus generaliter in omnibus monasteriis etiam vbi duodenarius Monacho-

Recentiori de Cucullæ formâ decreta.

VESTIARIVM. Cæremon. Bursfeld. dist. 3. c. 24

rum non esset numerus, vti volunt) ita describunt. *Flocci, qui habitus est rotundus, manicatus, latitudo inferius in circumferentiâ, ad minus septem, vel ad maius octo sit vlnarum, longitudine verò protendatur super talos aut vltra: ita tamen vt terram vsquequaque non contingat ad immunditias contrahendas: Caputium flocci, ex vtroque latere vsque ad medium ossis spatulæ, retrò autem vsque ad corrigiam protendatur, aut parum vltra Manicæ dependentes, in longitudine vltra cubitum vnum protendantur, super extremitatem digitorum; in latitudine, cubitum aut amplius habeant.*

DISQVISITIO II.

Quid Melote? an vestis Benedictina?

Cassian. lib. 1. cap. 8. *Melotes, pellis caprina.*

FREQVENS mentio est in vitis Patrum MELOTES, siue MELOTÆ; quod verò indumenti genus sit, exp[...] Cassianus, dicens: *Vltimus habitus eorum* (Ægyptiorum Monachorum) *pellis est caprina, quæ* MELOTES, *vel Pera appellatur, quam gestant ad imitationem eorum, qui professionis huius præfiguranere lineas in veteri testamento. De quibus Apostolus: Circuierunt in Melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Quibus verbis Apostolum volunt respexisse ad Prophetas, & potissimùm ad Eliam, palliique eius heredē Eliseum. Nam pallium Eliæ septuaginta μηλωτὴν appellant: vnde & ipse homo pilosus dictus est, quòd non tam de barbâ & comâ, quàm de veste intelligendum. Hinc D. Hieronymus: *Elias*, inquit, *igneo curru raptus ad cælum, Melotem reliquit in terris.* Horum exemplo, *Melotem* etiam habuisse legitur S. Antonius, de quâ iam moriturus dixit: *Melotem, & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date.* Eodemque imitandi studio Sozomenus Monachos Ægyptios pellibus indutos fuisse cōmemorat, quas διφθέρας vocat, hoc est, pænulas pelliccas, seu lacernas scateas & villosas: huiusque indumenti rationem exponit his verbis: *Isti ad exemplum Eliæ Thesbitis pellibus se induebant, vt singuli ex pelle corpori circumiecto virtutem Prophetæ semper in memoriam reuocantes, strenuè contra cupiditates venereas confligerent.* Hæc ille. In Regulâ etiam S. Pachomij apud Palladium legitur hic articulus: *Habeat vnusquisque pellem ouillam albam laboratam, absque eâ neque comedant, neque dormiant.* Idemque confirmat B. Hieronymus, præfatione in eamdem Regulam.

Heb. 11. — *Elias ad vsus, & Prophetæ.* 3 Reg. 9. & 4 Reg. 2. 4 Reg. 1. epist. 28. — S. Antonius. Lib. 1. vit. PP. — Sozom. lib. 3. cap. 13. — *Ægyptij Monachi.* — *Pachomiani.* In Lausiac. cap. 38.

Vnde Melote derinetur. Isid. Etymol. lib. 19. S. Thom. ad cap. 11. ad Hebr.

Iam quod nominis etymologiam spectat, sunt qui existiment *Melotem* vocatam, ab animali, quod *Meles*, vel *Melo* nominatur, ita docuit Isidorus, & secutus est S. Thomas, & ante eum Theodemarus Abbas Cassinensis Carolo Magno scribens: *Melote*, inquit, *appellata est, quia solebant antiquitus, de illius animantis pelle fieri, quod* MELOS *propter rotunditatem sui corporis appellatur.* Sic ille. De *Mele* loquens Gesnerus: Est *Mele* non alia quadrupes, inquit, quàm quæ recentioribus *Taxus*, vel Tassus. *Melis* dicta, vt aliqui volunt, quia mellis auidissima. Aliqui idem putant cum eo quòd vulgus fouinam aut marturellam appellat, magnitudine vulpis, cute spissa, villosa, sed duris villis: pilo tegitur magis albo quàm nigro.

Quidam deducunt à melo, vel melo. Gesner. lib. 1. de Animal.

Sed quis credat priscos illos & seuerioris vitæ Monachos ex huius animalculi pellibus confecisse sibi *Melotes*, cùm illæ satis paruæ, & pretiosæ sint? Omitto ridiculam esse hanc interpretationem: nam *Melota* est pellis ouina cùm lana, vt ante dictum, & ouis à Græcis μῆλον dicitur. Probè tamen notatum à Martinio, vicinas esse voces μηλωτὴ, & μαλλωτὴ. Sed μαλλωτὴ, adiectiuè est villosa. Deinde substantiuè est pellis lanata, vellus; subaudi διφθέρα. Quare etiam reiicienda est interpretatio nostri Ruperti Tuitiensis, qui in Regulam S. BENEDICTI scribens, *Meloten* dici vult eò *quòd nigra sit. Nam quod nos dicimus nigrum, inquit, Græci melan dicunt*, sed tum vestis hæc μελανωτὴ, non μηλωτὴ diceretur.

Reiiciuntur, & verum etymon monstratur. — Rup. lib. 3. in reg. S. Bened. c. 16. *Alia interpretatio refutata.*

Sed quærat curiosior aliquis, quæ fuerit *Melotes* forma? Respondeo eam ex descriptionibus vtcumque colligi posse. Eucherius: *Melota in Regum libro pellis simplex, quâ Monachi Ægypty etiam nunc vtuntur, ex vno latere dependens.* Eadem ad verbum habet MS. Glossarium Claromarescanum. Paulò clariùs Glossarium Camberonense: *Melota, lanuta, & pera vocatur. Est autem pellis caprina à collo pendens vsque ad lumbos præcincta.* Ruffinus de Tabennesiotis agens, ait eos indui *colobiis quasi saccis lineis, & pelle confecto* (hæc Melota) *à collo post tergum & latus descendente contegi.* Apud Theodoretum Simeones Priscus *exiguum ex pelle caprinâ contextum pannum super humeros* haber. Vnde colligas in humeris pellem hanc gestatam ad eum modum, quo plures Canonici sua almutia, quæ ab hac pelle Monachorum originem trahere existimat Laurentius Landtmeter.

Forma Melotes. Lib. 2. cap. 10. Instruc. ad Salonium. — Ruf. vit. Patr lib. 2. cap 3. *Pendebat à collo, ad lumbos vsque.* in Philoth. cap. 6. — Landt lib. 1. de vet. Cler. & Mon. habit. cap. 17.

Sed an etiam Benedictinum indumentum? argumentum suggerit ipsa S. Patris vita. Cùm enim humili atque amicâ contentione inter S. Maurum & B. P. N. BENEDICTVM quæstio agitaretur, cui adscribendum esset miraculum, quo super aquas S. Maurus ambulauerat, vt Placidum puerum educeret, ipse velut arbiter Placidus accessit, ac dixit: *Ego cùm ex aquâ traherer, super caput meū* MELOTEM *Abbatis videbam, videbamque*

An indumentum Benedictinum. — Greg lib. 2. Dialog. cap. 7.

atque ipsum me ex aquis educere considerabam. Ex his verbis Antonius de Yepez in Chronico, eumque secutus Simon Millетius, & Alardus Gazæus, putant S. BENEDICTVM in principio vsum *Melote*, & animalium pellibus, ad imitationem Eliæ aliorumque Prophetarum. Verùm, vt ait Milletius, non obstrinxit Legislator noster discipulos suos, vt simili vterentur *Melote*, sed iis tantùm, quas in Regulâ præscripsit vestibus, *Tunica* scilicet, *Cucullâ*, & *Scapulari*. Hæc ergo sententia tribuit S. BENEDICTO post fundata iam duodecim monasteria differentem habitum, ab eo quem in Regulâ præscripsit, vel posteri deinceps gestauerunt, quod sanè inconueniens videtur.

Yepez ann. Christi 523. Millet. ad lib. 2. Dial. S. Gregor. Gaz. in cap. 8. lib. 1. Cass.

Citrarium probatur.

Quare probabilius dicendum puto, tempore S. BENEDICTI ipsam cucullam alio nomine *Melotem* appellatam. Quam coniecturam confirmat antiquus liber, qui *Ordo Romanus* inscribitur, & à nonnullis S. Gregorio tribuitur, in quo Cap. *de ordine ad faciendum Monachum*, de Nouitio profitente dicitur: *Et indutus ipsam* MELOTEM *toto corpore prostratus ante altare dicat hunc versum: Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum, & viuam.* Hanc porrò professionem secundùm Regulam S. BENEDICTI fieri, cùm ipsæ cærimoniæ satis ostendunt, tum ex eo apparet, quòd S. BENEDICTI nomen & inuocatio non semel exprimatur. Et dum profitens nouo induitur habitu, præscribitur vt Abbas dicat: *Accipe hoc salutare indumentum, quod Venerabilis Pater* BENEDICTVS *illæsum custodiuit,* &c. Idipsum colligi potest ex epistolâ Theodemari Abbatis ad Carolum Magnum.

Cuculla aut S. Benedicti Melote dicta.

DISQVISITIO III.

Quod Capitis operimentum suis S. BENEDICTVS *assignauerit?*

TOTVM Monachum à capite vsque ad calcem vestiens Legislator noster, nullam, quod forsitan mireris, mentionem integumenti capitis fecisse videtur. Cur autem id factum? arbitror quod *cuculla* pars caput operiret, imò capitis amictus *Cuculla* esset, vt suprà vidimus. Quare etiam constitutiones Cassinenses, Bursfeldenses, aliæque, nullum vestimenti genus, præter Cucullæ Caputium capiti attribuunt, quod vel inde nostratibus 𝔆𝔞𝔭 dicitur, de quo Goropius Becanus: 𝔆𝔞𝔭 vocabulum est nobis in vsu frequētissimum, quo id nobis denotatur, quod supremum rerum subtus comprehēsarum tectum est. Hinc supremam quoque vestem significat; non quamuis illam quidem, sed eam præsertim, quæ & caput, & totum corpus, &

Cuculla olim capitis tegumentum.

Becan. lib. 11. Hieroglyph.

Cappa totius corporis, & capitis.

A vnà ceteras vestes tegat & comprehendat: qualis rusticorum in Hispaniâ suprema vestis est, à quâ nostris *Cappis* Hispanicis origo. Hinc & Monachorum *Cappæ* olim tales erant, vt vna eademque toga caput tegeret, ac cetera omnia non membra modò, sed & vestimenta. Plerique nunc pænulam à cucullâ capitis habent diuisam, tanto tenus à vetusto *Cappæ* vsu & modo recedentes. Sic ille.

VESTIARIVM.

Vt autem de monastico *Caputio*, siue *Capitio* aliquid dicamus, notandum illud à *capite* sic esse dictum, siue vt Varroni placet, à *capiendo*, quod pectus capiat, id est, comprehendat; eratque muliebre tegumentum, quo pectus vinciebatur. Veterum porrò *Cuculli*, qui caput & humeros tantùm ambiebant, formâ erant pyramidali, similes papyraceis illis inuolucris, quibus propolæ & institores aromata & pulueres condunt, belgæ vocant 𝔭𝔢𝔭𝔢𝔯-𝔥𝔲𝔶𝔰𝔨𝔢𝔫/ 𝔭𝔞𝔭𝔦𝔢𝔯𝔢𝔫 𝔥𝔬𝔯𝔢𝔨𝔢𝔫. Vnde lepidè Martialis ad suum libellum;

Caputium; vnde.

Var. lib. 4. de ling. Latin.

Cuculli forma pyramidalis.

B (beside "capite sic esse dictum")

Festina tibi vindicem parare,
C *Ne nigram citò raptus in culinam,*
Cordyllas madidâ tegas papyro,
Vel thuris piperisue sis cucullus.

Mart. lib. 3. epig. 2.

Nicephorus quoque tegmen illud, seu amiculum, quo Monachi caput tegebant, acuminatum fuisse scribit, qualia hodieque videmus Carthusianorum & Capucinorum caputia.

Lib. 9. Christ. cap. 14.

Verùm vnde euenerit, vt Religiosorum quorumcumque *Caputia* in pyramidalem desinant formam, siue ea suprà caput erecta, siue in dorsum reflexa sint, operæpretium hîc fuerit expendere. Id autem inde
D accidisse credimus, quod antiquus pœnitentium habitus, vt ex sacrâ constat Scripturâ, fuerit saccus, quem etiam Prophetæ, vt ad pœnitentiam populum hortarentur, deferebant. Cùm autem Monachi pœnitentiæ assumpserint statum, veterem saccum etiam suo expresserunt habitu: quod obseruauit, & explicauit Ioannes Heusden, de quo Buschius: *Quid*, inquit, *est Cappa, nisi saccus? vt si quis saccum induat, & in vno eius angulo integro faciat foramen per quod possit videre, & caput suum extende-*
E *re, reliquum autem angulum sacci illius integrum super scapulas per dorsum quasi tympam sine cucullam reflectas, tunc omnium penè Monachorum consuetam Capparum habet formam, licet in modo, colore, & amplitudine iuxta Ordinum differentiam variè sæpè formetur.* Sic ille. Idipsum & à nostro Laurentio Benard obseruatum, qui ità se explicat: Saccus quadratus & æquè largus in superiori atque inferiori parte si capiti imponatur, altera cuspidum velut cornu suprà caput efficit, idque apparet in Caputiis S. Maioli Abba-

Vnde Caputia acuminata.

A veteri pœnitentium sacco.

In Chronico Windesemensi lib. 2. cap. 16.

Ostensum vt è sacco formentur hæc caputia.

Benar. Parœn. 15.

VESTIARIVM. Antiqua Caputia nunc in dorsum reclinata.

Abbatis Cluniacensis, & S.Bernardi; quorum illud sub scapulari, hoc sub cucullâ inchoabatur, vt idem Benard se vidisse asserit; qui illud etiam addit, Cluniacenses Monachos hodieque acuminatum deferre caputium, sed in scapulare & dorsum reclinatum, ac pendulum. Verùm, si Fuldensium prisca Scapularium *Caputia* à Browero expressa attendamus, colligemus ea & crassioris fuisse materiæ, & capiti imposita cuspidem super illud ostentasse. Atque ita Reuerēdissimus Abbas Caietanus in Frontispicio *Encyclicæ Epistolæ de Gregoriani Collegij erectione*, delineandum curauit S. BENEDICTVM scapulari non cucullâ indutum. Nec absimilis est imago Venerabilis Ioannis Gersen, Abbatis Benedictini, ex MS. Cauensi codice expressâ, quam operi eius *de Imitatione Christi* præfixit Franciscus Valgrauius; nisi quòd extremum caputij non tam acuatur, quàm paullò obtusiùs in orbiculum desinat. Nunc autem vulgato magis more receptum, vt in humeros & dorsum tam scapularis, quàm cucullæ *Caputium* reiiciatur.

Oculos vagos reprimebant.

Quò autem profundiora *Caputia*, eò magis oculorum custodiæ deseruiunt, & Monachum à multis tentationibus, quas huc illucq; adspiciendo posset incurrere, protegunt. Nec minus etiam interiorem adiuuant recollectionem, dum quasi velum quoddam oculis oppandunt, vt dum creaturis clauduntur exteriores, interiores contemplando soli intendant Creatori.

Caputium Benedictinū ab aliis distinctum.

Vlteriùs verò notandum, Benedictinorum *Caputia*, quoad anteriorem formam, iam inde à multis sæculis ità efformata fuisse, vt per illa ab omnibus aliorum Ordinum Professoribus distinguerentur. Bonifacius enim IV. & ex eo Petrus Damiani, Rupertus Tuitiensis, Honorius Augustodunensis, & Conradus scriptor vitæ S. Wolfelmi, scribunt Benedictinum cucullum figurâ suâ sex alas Seraphim repræsentare. *Nam vti Cherubim*, inquit Damianus, *ita Monachi sex alis velantur: duæ quidem in Caputio, quo caput tegitur, verisimilibus demonstratur assertionibus: illud verò tunica, quod brachiis extenditur, alas duas esse dicimus & illud tandem quo conditur corpus, sex alarum numerum certissimè implere asseritur.* Duę autem illæ alæ, quas *Caputium* exprimere ait; habitus nostri ab aliis manifestam distinctionem innuunt, nam vt scriptor vitæ S. Wolfelmi ait, duas superiores inuicem sibi iunctas alas capitis operimento exprimi significans, nimirùm *Caputia* nostra in modum alarum bifida esse, seseque ad humeros extendere, ita tamen vt sub mento connexa sint, quod aliorum Ordinum Cappis seu cucullis eorúmve Caputiis, ita aptè & concinnè nequit accommodari, vt ait Clemens Reynerus. Atque eadem forma apparet in Cappis Canonicorum cathedralium ecclesiarum, qui Monachos hac in parte imitati sunt, cùm olim byrrati, non caputiati, seu cucullati procedere consueuerint: Vnde in Concilio Aquisgranensi prohibetur expressè Canonicis, *ne Monachorum caputiis vtantur.*

Petr. Dam. lib. 6. epist. 19. Rup. lib. de operib. Sp. S. cap. 8. Honor. in Gem. animæ lib. 1. cap. 137. Repræsentat sex alas Seraphim.

Apost. Angl. Tract. 3. sect. 1. §. 16. Canonicis ne interdictum. Can. 125.

Illa autem in Ordine nostro debere esse bifida, Clementina decreuit, pœnam statuens, eamque satis grauem in eum, qui *Caputia* non scissa portare præsumpserit. *Nam si Abbas*, ait, *vel Prior non habens Abbatem proprium fuerit, per annum se nouerit à beneficiorum collatione suspensum. Si verò alius fuerit, ab administratione, si quam obtineat, sit per annū suspensus: quòd si nullam habeat, eo ipso anno reddatur inhabilis ad administrationem & ecclesiasticum beneficium obtinendum.* Quam pœnam adeò grauem ideò infligi puto, quòd in iis propriam habitus nostri differentiam Pontifex constituerit. Quòd non obscurè indicat S.Hildegardis, quæ in expositione Regulæ cùm descripsisset Cucullam, ait: *Ei Caputium desuper adhærere, quod singulare signum Monachi est, significans ne hac vel illac ad sæculum prospiciat, cùm illud super caput suum habet.* Angelus quoque præscripsit in Regulâ S.Pachomij, vt, *Cùm Monachi comederent, capita sua* CVCVLLIS *operirent, ne frater fratrem videret manducantem: & vt nullus comedens loqueretur, nec prater mensam suos alibi circumferret adspectus.* Idemque de Ægyptiis Monachis Cassianus: *Tanta vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demissis, ne scilicet liber adspectus habeat curiosiùs copiam euagandi, nihil amplius intueantur, quàm mensam, & appositos vel quos in eā capiunt cibos.*

Clement. Ne in agro. Bifidum erat. Singularē Monachi signum. Hildeg. in expos. Regulæ. Oculorum curiositatem restringunt. In vitâ Pachom. cap. 21. Cassian lib. 4. instit. cap. 17.

Quo autem modo *Caputia* hæc findi debeant, in eâdem Clementinâ exprimitur, in quâ dicitur: *Iuxta dispositionem Abbatis scissis super humeros, & honestis Caputiis vti possunt.* Benedictina quoque huic constitutioni inhærens, ait nulli modo licitum esse Monacho portare *Caputium etiam fissum super humeros quoquomodo: nisi priùs ipsius Caputij fissura & honestas alia per Abbatem, seu Præsidentem alium vbi præest alius, fuerint arbitrata.* Quod Glossa Clementinæ exponēs, ait: *Apud nos communiùs scindunt ante pectus: & tamen infrà imponitur pœna.* Quibus verbis innuere videtur, Benedictinos in vsu *Caputiorum* à textu Clementinæ recedere. Verùm conciliari hoc modo posse credo. Quòd fissura quidem ante pectus & sub mento incipiat, in humeros autem defluat, adeoque super humeros scissa dici queant, vnde Bursfeldenses *Caputium* flocci ita descri-

Qualis Caputiorū fissura. Clem. cap. 13. Explicatur Clementina. Cærimon. Bursfeld. dist. 3. c. 2. 4.

Verg. lib. 2. de Inuent. rer. cap. 2. num. 15.

Caputio vti debent Monachi.

Bles. serm. 50.

Vnde apud ipsos biretorum vsus.

Brovv. Antiq. Fuld. l. 2. c. 6.

describunt, vt ex vtroque latere vsque ad medium ossis spatulæ, retro autem vsque ad corrigiam protendatur, aut parum vltra. Idemque innuit Polydorus Vergilius, qui nostrum habitum his verbis adumbrat: Ceterùm, qui tum primùm instituti fuerunt, Benedictinos fuisse tradunt, qui nigro hodie amiciuntur colore, tunica laxiore, ac discincta, & ad pedes vsque dimissa, amictu capitis, quem cucullum vocant, in humeros & scapulas breuiùs reiecto, quàm ceteris. *Tanto autem debet esse Caputij scissura*, ait Glossa, *quod appareat & potens sit, quia nimirum nostros ab aliis distinguat.* Ex his patet supremam Cucullæ partem, siue *Caputium* Monachis capitis tegmen esse, & sic passim inueniuntur depicti. Quod quidem præteritis sæculis ita vsu inualuerat, vt *Caputiari* dicerent eum, qui Monachum indueret. Testis Petrus Blesensis, qui ait: *Erubescibilis enim est viro manifesto curiositas, quocirca Caputiari se appetit, ne vilescat.* Nunc verò Caputiis in humeros reiectis, passim subintrarunt Sacerdotales pilei, siue Bireta, quibus hæresin occasionem dedisse, multis persuasum est. Quare Browerus ait: Nec mutauit Benedictinæ familiæ proprius amictus ante, quàm hæresi, nouisque motibus mutata Germania, seuerior ille cultus sperni cœpit. Hinc honesta Cleri decensque toga placuit, retento scapulari, id ita cogente temporum iniuriâ & nonnullo quoque assensu Legati Apostolici. Sed quidquid sit, non dissimulandum hoc loco, quod apud S. Birgittam pro monastico *Caputio* retinendo legitur. Cùm Frater quidam Benedictinus rogasset eam, *vt requireret Deum, quatenus certificari posset de habitu suo, quia multùm tribulabatur de multitudine abusionum habitus Religionis* S. BENEDICTI. *Igitur cùm Domina fuisset in spiritu, dixit ei filius Dei: Nunc fratres* S. BENEDICTI *quærunt vestes, quæ excitant luxuriam, & abominantur asperitatem, quærunt indumenta, quæ placent hominibus, & quæ carnem excitant ad carnale. Nam caput muniunt cum Caputio sæcularium, vt sæcularibus se conforment. Et sic nec similes sunt hominibus mundi, nec laborant cum humilibus seruis Dei. Propterea Monachus, qui saluari desiderat, attendat quòd Regula* BENEDICTI *mei, permittit habere necessaria cum moderantia, vtilia non superflua, honesta, & expedientiâ, omnia humilia, nullaque superba. Quid enim significat Cuculla, nisi habere maiorem præ ceteris humilitatem? Quid verò significat Caputium contemptibile cucullæ, nisi quandam abiectionem habere contra mores mundiales? Sed cur nunc à Religiosis assumitur Caputium mundiale, nisi quia erubescunt humilia, & vt mundialiùs se concordent? Quid verò ornamenti habet*

Caputia resumenda & retinenda. Birg. lib. 4. Reuelat. cap. 127.

Christus queritur Monachos imitari sæcularium pileos.

cauda Caputij, quidve vtilitatis, nisi quandam ostentationem, & quandam contra Religionis pulchritudinẽ curiositatem? Si verò Monachus infirmaretur in capite, aut affligeretur frigore, non peccaret si haberet conueniens, & humile cooperimentum subtus Caputium Cucullæ, non ab extra, quia hoc arguitur leuitatis & vanitatis. Respondit Domino; ô Domine, ne indigneris, si quæro. Numquid illi Fratres peccant, qui portant talem habitum ex licentiâ Prælatorum, & consuetudine institutionum prædecessorum? Cui Deus. Dispensatio, inquit, rata est, si ex bonâ intentione procedit. Apud me est illa dispensatio grata, quæ non contrariatur humilitati: & illa permissio rata est, quæ necessario discretè permittit, superfluaque in minimis damnat. Hactenus ex S. Birgitta. Quæ vtinam accuratiùs expendant illi, quorum interest Benedictinæ Regulæ obseruantiam tueri, aut collapsam postliminio reuocare? Vtinam, inquam, his attentis id nostri faciant, quod Cassinenses olim ad S. Petri Damiani exhortationem fecisse legimus. Cùm enim ieiunium, & disciplinam feriæ sextæ apud eos introduxisset, non solùm ad strenuam obseruantiam feruentiùs succensi sunt; verùm etiam (vt habet auctor vitæ) *eum insuper rogauerunt, vt si quid deesse apud eos adhuc videretur, iniungeret; si quid superfluum, tolleret; quod verò corrigendum foret, cunctis applaudentibus emendaret. Vnde factum est inter cetera, vt proiicerent copulas, quibus quasi quibusdam pileis, capita contegebant, quo de cetero solis* Caputiis *honesto essent Monachorum more contenti. Statuerunt quoq; vt de peregrinis inuolucris vltra iam grandioris pretij vestimento non emerent: sed ex rusticorum textrinis vilio potiùs ac vernaculo compararẽt.* Quibus & illud addendum putauerim, quod recentior Scriptor Ordinis nostri asserere non veretur, Monachos huius temporis, qui monasticum *Caputium* nimiùm exhorrent, magis distare ab antiquis Ordinis sui Patribus, quàm olim sæculares etiam Principes & milites, qui capita *Caputiis* obtegebant. Nam vt Belforestius refert, pileorum vsus tempore Ioannis I. Francorum Regis, qui vixit anno 1350. rarior erat, sed *cucullos*, siue *Caputia* instar Monachorum deferebant. Nobiles verò sæpe etiam pileum habebant *Caputio* in humeros reiecto, vt hodieque plures Monachorum faciunt. Non indecorum igitur erit Monacho, qui mundi contemptum ipso habitu profitetur, eo indui vestimento, quo Nobiles & Principes viri honestè olim induti incedebant.

VESTIARIVM.

Quid censendum de dispensatione.

Attendant Prælati.

In vitâ S. Petri Dam. cap. 19.

Cassinenses pileos Caputiis commutant.

Lauren. Benard in Polit. regul. Parænes. 15.

Franci ante 300. annos Caputium gestabant. Belforest. lib. 5. hist. cap. 22.

Nec pudere debet Monachos.

DIS-

VESTIARIVM.

DISQVISITIO IV.

Vnde Monachorum Almutia?

Cur Almutia Benedictinis concessa.

CVM solum cucullæ, aut flocci Caputium multis videri possit non satis sufficiens capitis tegumentum, præsertim hieme, atque iis locis, quibus ex leuidensâ materiâ Cucullæ fiunt; permissus quoque nostris est vsus ALMVTIORVM, de quibus sæpe citata Clementina: ALMVTIIS *de panno nigro, vel pellibus, Caputiorum loco: cùm Caputiis habitus quem gestauerint, sint contenti.* Eadem *Almutia* in Bursfeldensium statutis his verbis describi & permitti credo: *Caputium fissum in vtroque latere super humerum, quod numquam nisi sub habitu regulari deferri licebit.* Monastica ergo *Almutia* capitis sunt tegumenta, sicut olim etiã erant Canonicorum. Nam quæ nunc à Canonicis sæcularibus in brachio, à Regularibus verò in humeris gestantur, antiquitus caput operiebant. Vnde in Cõcilio Basileensi legitur de Canonicis: *Ecclesias ingrediantur, Almutias vel Byrreta tenentes in capite.* Cuius autem gentis vocabulum sit *Almutium*, & vnde originem traxerit, ignorare se doctissimus Molanus profitetur; qui tamen has aliorum adfert explicationes.

Canonici ea gestabant in capite.

Basil. sess. 21.

Quæsitum etymon Almutiorum.

Molan. lib. 3. de Canon. cap. 5.

Primò.

PRIMÒ, ait, nonnullos *Almutium* dicere, quasi Flandricè esset **een aelmuetsse /** voce corruptâ, vt dicunt, ab **aelmoesse /** quam Latinè eleëmosynam dicimus; quasi Canonici ex eleëmosynis victitarint, & in eius signum ac protestationem, saccum mendicitatis, qui *Almutium* vocetur, in brachio gestarent. Verùm hi veteris moris ignari voluntarias sequuntur speculationes.

Secundò.

Becan. Hieroglyph. lib. 2.

SECVNDÒ, Gotopius Becanus *Almutia* dicta esse vult quasi **alden mutsen**, hoc est, antiqua pilea, è quo intelligimus, olim primarios Sacerdotes pileis pellitis more Gothorum veterum, & Germanorum huius temporis vsos fuisse, sed maioribus, & in dorso longam appendicem infularum loco demittentibus; quod caudæ fimbriarum clarè demonstrant. Sed Cimbricas has coniecturas doctorum virorum iudiciis obtrudere aut commendate, non audet Molanus.

Tertiò.

Bayf. de re vestiariâ cap. 16.

TERTIÒ, aliqui dicunt, vt à capite est caputium: ità ab amiciendo Gallus nouam *Almutÿ* vocem confinxisse. Sacerdotes, inquit Bayfius, qui Canonici dicuntur, lacernis nigris ornantur, vt cucullorum in ædis choro Dauidis versus alternis vltro citroque vocibus decantant; tempore verò æstiuo vtuntur pelliceo: quem ab amiciendo, opinor, vulgò *Amutiam* vocant.

Quartò.

Benat. Patxa. 15.

QVARTÒ, Laurentius Benard à Gallico deriuat *Hautmusse*, quasi esset *en haut musser* supernè abscondere, quod olim superiorem colli partem contegeret.

Quintò.

QVINTÒ, Gesnerus deducit à mure Pontico. Est, inquit, vestis Sacerdotum, maximè Canonicorum ex pellibus murium Ponticorum, siue Variorum, aut Venetorum, cum caudis ad imum dependentibus marginem. Cui respondet Teutonicum **almuys**, quasi totum ex muribus. Quidquid tandem sit de vocis deriuatione, illud nobis suffecerit, Monachis quoque *Almutia* quædam permissa, atque in vsu esse.

DISQVISITIO V.

Quale Benedictinum Scapulare?

Scapularis vsus propter opera.

A CAPITE ad scapulas, & inde denominatum Monachorum amictum, SCAPVLARE descendimus. Cui autem illud vsui seruiat, hîc primò accipe. Ne laborantibus quotidie Monachis impedimento esset fluida & largior Cuculla, aliud vestimenti genus ei S. P. suffecit, *Scapulare* nimirum; *propter opera*, vt ipse inquit, quod cucullæ quandam habet similitudinem, si ei Caputium annexum sit. Nostro verò *Scapulari* respondere quidam arbitrantur *Rebrachiatoria* Cassiani, quę ἀναβολάς, succinctoria, & redimiuicula quoque appellat: *quæ descendentia*, inquit, *per summa ceruicis & è lateribus colli diuisa, vtrarumque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt.* Ex quibus colligas Monachos illos Ægyptios alia prorsus habuisse *Scapularia*, quàm nunc communiter. Et vetera illa Cassiani Laurentius Landtmeter Mosaico Ephod persimilia facit. Græci autem *Scapulare Analabum* vocant, vt videre est in eorum Euchologio, & apud Dorotheum Abbatem: *Habitus noster*, inquit, *is est, Tunica absque manicis, zona pellicea, Analabus, cucullus.* Quid verò sit Analabus, infra exponit: *Analabus in crucis modum ponitur. Super humeros autem nostros crucis signum deferimus.* Rursus infrà: *Habemus & analabum, id est Scapulare ab humeris pendens, quod est crux.* Meminit quoque *Analabi* S. Ephræm eundemque καταναύλιον appellat: *Arbitror*, inquit, *conducere Monacho, non exire cellâ, sine humerali* (ἄνευ καταναυλίου) id est, inquit Gerardus Vossius, *sine superhumerali.* Videtur enim vocabulum καταναύλιον hîc quoque pro *Analabo*, id est, *Scapulari* accipi, quod ab humeris dependet, crucemque designat, quam crucem in veste repræsentatam horret fugitque dæmon, vt insigni exemplo idem S. Ephræm declarat: *Negligens quidam*

Quæ Cassiani rebrachiatoria.

Cassian. lib. 1. cap. 6.

Landt. lib. 1. de Cler. & Monac. habitu p. 2. cap. 19.

Scapulare Græcis est Analabus.

Doroth. 1. de Abrenunt.

Habebat formam crucis.

Eph. to. 2. in doct. var. cap. 88.

Tom 3. de S. Iulian. Monach.

Dæmon horruit Monachum analabo amictum.

quidam erat Monachus, qui filium valdè paruum habebat, & hunc tamquam inobedientem atque immorigerum in sacrificium dæmoni propter suam auaritiam offerre non verebatur: verùm diuino auxilio assumptus præseruatusque est puer. Cùm enim deduxisset eum miser & ignauus homo in quemdam subterraneum locum, vbi multum auri putabatur reconditum ab iis, qui sacra sepulchra parabant: dæmon conspectu crucis signo, quo puer amictus ac consignatus erat, non est ausus ei nocere: nam eum Analabo adduxerat eum vir ille, quem patrem hic appellare piget pudetque. Sic igitur re exploratâ, & ex euentu cognitâ, surgens abstulit à puero Analabum. Rursusque vox ex locis abditis atque secretioribus audita est, quòd cùm omninò consecratus is sit Deo, frustrà mali quid contra ipsum tentari. Illustre hoc miraculum manifestè ostendit *Scapulare* Religiosis non modò pro veste esse, verùm etiam pro thorace ac loricâ, quæ eos protegat contra omnia tela inimici. Quinimò Magni illius Anachoretæ Senuphij *Scapulare* Imperatorem Theodosium validè contra hostes muniit, vt refert Glycas, *annal. tom.* 3.

Scapulare Religiosis pro loricâ.

Dicitur etiam Ependytes. Vit. Ant. cap. 23.

Vocatur etiã *Scapulare* apud Græcos *Ependytes*, ita in vitâ S. Antonij: *Lauit Ependyten suum, id est, Scapulare.* Licet enim aliqui existiment interpretationem illam ex margine irrepsisse in textum, admittunt tamen eam rectam esse & genuinam. Labitur verò Marianus Victorius, qui eâ voce interulam significari putauit: quia iuxta omnes, *Ependytes* est vestis exterior.

Vnde Scapulare deductum.

Latinum verò nomen *Scapulare* dictum à Scapulis. Bernardus Cassinensis: *Puto Scapulare dictum à Scapulis, eò quòd Scapulas tegit, & vsque hodie tam Cassinenses quàm Cistertienses habitum caputiatum à Scapulis ab vtraque parte dependentem appellant. Nam idem Scapulare sub brachiis circa medium corporis quasi ad locum cinguli cinctum quasi ad mensuram medij palmi de consuetudine claudunt, quod Scapulare quando operantur, ne opus impediat, desuper cingunt.*

Quæsitum accuratius de eius formâ.

Quod ad formam verò *Scapularis*, ex Sanctis Ephræm & Dorotheo suprà allegatis constat, crucis figuram olim expressisse, quòd in hodiernis non apparet, nisi in Carthusianorum, quæ anteriorem & posteriorem partem ad latera vtrimque connectunt. Antiquitus autem alia *Scapularium* videtur fuisse forma, quam in Fuldensium antiquitatibus exhibet Browerus, vocatque *Colobium*, siue *Lebetonem*, quem maiores à tunicâ distinxerint: Quæ, inquit tamquam saga cucullata absque manicis, & ἀχειρίδωτα humeros ambire tantùm placuit; quod genus, seu κουκούλιον Orientalium Monachorum, seu *Lebitonarium* Isidori, seu denique *Analabum*, id est, *Scapulare*, interpreteris, in medio hîc relinquimus. Huius formæ *Scapulare* exprimere videtur auctor Apologiæ pro Henrico IV. Imperatore, cuius hîc verba adscribere visum. *Constituit*, inquit, S. BENEDICTVS *alteram cucullam, quæ dicitur* SCAPVLARE; *eò quòd eiusmodi vestis apta sit caput tantùm, & Scapulas tegere. Sic enim scribit & docet Beatus Basilius in Regulâ suâ de institutione Monachorum: Reuera, inquiens, necessarium videtur, eum, qui manuum opere vti in aliquo debet, expeditum esse, & in omnibus præparatum: ac sine vllo impedimento inueniri ad omne boni operis ministerium. Vidimus nos aliquando vestem cucullatam, paruam quidem: sed ita moderatam, vt desuper vsque ad renes tantùm deflueret, & vtrimque vsque ad humerorum confinia pertingeret: qualis certè forma atque mensura propriè dicitur* SCAPVLARE, *quod Monachis propter opera tantum assignatur ex mandato Regulæ, quia ibi exprimitur vtrimque, vt & Monachus singularitatis suæ custodiam per vestem cucullatam attendat; & per breuitatem eius simul & per brachiorum nuditatem magis explicitus & impiger ad opera fiat. Rara autem est nunc apud Monachos, & insitata eiusmodi vestis: quia pauci, aut omninò nulli istius temporis Monachi student more Patrum labori aut exercitio operis.* Sic ille.

Brovv lib. 2. *cap.* 16. *Fuldensium anno* 809. *annos instar colobij erat.*

VESTIARIVM.

Exstat inter Scriptores Germa. à Frehero editos, mihi pag. 252. *Plenior eius descriptio.*

Quando desierint huius formæ Scapularia.

Quantum verò ex appositâ Broweri icone colligere licet, Scapulare illud, quo Candidus & Modestus induti sunt, tunicella est caputiata vsque ad mediam femorum partem, aut paulò vltrò protensa, vndique clausa, nec ad latera vllo modo aperta, nec omninò manicis caret, sed eæ suprà cubitum desinunt, prout olim erant Ægyptiorum colobia, hodieque nostræ sunt dalmaticæ & tunicellæ, quibus in sacris vtimur. Non absimile fuisse videtur *Scapulare* sancti Maioli, Laurentio Benard visum & descriptum. Erat enim illud longum ante & retrò, vnà cum caputio suo acuminato, pedes quatuor cum dimidio, latum tres tam in anteriori, quàm in posteriori parte, vndique corpus ambiens, retinetque eam latitudinem super brachia, & descendit vsque ad cubitos, non secus atque Diaconorum dalmaticæ. Hoc verò *Scapulare* satis expressè crucis figuram defectis illis manicis refert; quod etiam in dalmaticis alij obseruant.

Fuldensium describitur.

Eiusmodi fuit Scapulare Sancti Maioli. In politiâ Regul. parænel. 15.

Vetera modernis commodiora.

Ad opera verò expeditiùs peragenda, multò commodiùs videtur antiquum hoc *Scapulare*, quàm longiora illa quibus modò vtimur; & fortè tale est illud *Scapulare*, quod Theodemarus descripsit: *Statuit*, inquit, *Venerabilis Pater* (BENEDICTVS) *vt Scapulare Monachi propter opera habeant, quod*

Theodem. epist. ad Carol. M.

Sff ob hoc

VESTIARIVM. *ob hoc Scapulare dicitur, quod scapulas praecipuè tegat & caput. Quo vestimento penè omnes in hâc terrâ rustici vtuntur. Pro quo tegumento ex grossiore textu od melotarum similitudinem operimentum habemus: nisi quod manica in hoc vsque ad manus pertingentes habentur.* Ex quo colligas, antiqua illa *Scapularia* subinde producta ad melotarum fiue cucullarum longitudinem, manicasque ad pugnum vsque protensas. Vtebantur nimirum hoc amictu non tantùm cùm manibus laborarent, sed in aliis quoque officiis & religiosis quibusque locis. Tandem verò *Scapularis* huius vicem vt reor, subierit cuculla in Clementinâ *Ne in agro* descripta, quae *est habitus longus & amplus, sed manicas non habens.* Credidetim verò Carthusianos paucioribus contentos amplitudinem hanc reiecisse, ideoque *Scapulare* satis latum hinc inde à lateribus panno quodam connexuisse, quale etiam fuisse dicitur Sancti Bernardi *Scapulare*, & primorum, vt credo, Cisterciensium, à quibus hoc, vt alia plura acceperint Carthusiani.

Scapularia sensim immutata.

In Cucullam transierunt.

Carthusiani vetera reseruarunt.

Vt verò ad nostra tandem veniamus, qualia illa esse debeant, religiosè admodû Bursfeldenses describunt: *Pro opere verò manuali, & ex Apostolico indulto etiam in ministerio diuino, sub sacris vestibus, etiam scapulari vtimur, cuius caputium eidem assutum, retro & ad vtrumque latus vnam palmam habebit minus in extensu quàm cuculla. Pars verò Scapularis ante & retro dependens, latitudinis media vlna sit vel quasi, longitudo protendatur vsque ad talos.* Similia ferè habent Cassinenses: *Scapularia Monachorum sint longa super tunicam per dimidium quarta, totaque secundum latitudinem fascia. Scapularia Nouitiorum, sint stricta & curta: & protendantur vsque ad genua. Sed caputia Scapularium sint aliquantò minora caputiis cucullarum.* Haec illi. Notandum verò quemadmodum Carthusianorum *Scapularia* in vtroque latere quibusdam fasciis sunt connexa, ita nostros Casalis-Benedicti, & Sancti Martini de Campis Parisijs, similes connexiones in suis *Scapularibus* habere, quae illi Gallicè *Eretelles*, & Niuernenses appellant *Brecilles*, quasi *bracelettes*, à bracili, inquit noster Benard, qui *bracile Scapulare* esse, vt deinceps videbimus existimauit.

Scapulare Bursfeldensium.

Bursf. Caerim. dist. 3. cap. 21.

Cassin. in cap. 55. Cassinensium.

De fasciolis quae Scapulari nectuntur.

Benar. vbi supra.

Considerandum porrò hîc restat, in omnibus quae attulimus hactenus, *Scapularibus* fieri mentionem adhaerentis *caputij*: vnde perperam illi faciunt, qui illud illis non connectunt, aut nullo omnino vtuntur. Irregulare quoque est adeò breui, & stricto vti *Scapulari*, vt vix illius formam retineat, illudque sub axillis instar fasciae militaris substringere. Reprehendit siquidem Saluator noster apud S. Birgitram Monachos, qui pro *Scapularibus habent breuem panniculum ante & retro, & caput muniunt cum caputio saecularium.* quia fortè nullum in *Scapulari* caputium habeant.

Scapulari semper assutum Caputium.

Breuia & stricta Scapularia reprehensa.

Lib. 4. Reuelat. cap. 117.

Quoad vsum verò *Scapularis*, illud constat institutum esse primariò à S. BENEDICTO, vt laboris tempore cucullae loco seruiret, ac deinde à Clemente V. concessum, vt sub sacris vestibus tempore diuini officij eodem vti liceret. Nunc verò continuus est religiosorum habitus, quem etiam sub cuculla, aut flocco deferunt, vt si labotandi, aut sacris assistendi sese offerat occasio, non opus sit cellam petere, vt *Scapulare* induatur. Et fortasse iam olim eo ita vsus fuerit S. Maclouius, de quo Sigebertus: *Cùm ab euangelizandi officio vacaret, labori manuum intendebat. Quadam die cum in putandâ vineâ laboraret cum fratribus, depositam cappam reposuit in abdito, vt operari posset expeditiùs.* Verisimile autem est eum tum *Scapulare* habuisse, non enim ad cellam iuit, vt illud assumeret, nam ibidem etiam cappam reposuisset, quàm tamen reliquisse sub dio constat, quia aues in eâ oua posuerint. Nec putandus est sine habitu religioso operari voluisse, id enim semper indecorum, ne dicam illicitum habitum fuit; vnde sanctus Ephraem dicebat: *Arbitror conducere Monacho, non exire cella sine humerali ac pallio; siquidem nudo aliquo amictu, siue cum solo colobio prodire, Monacho turpe est.* Postquam autem quotidiana ac perpetua facta est *Scapularis* deportatio, rarior fieri coepit vsus cucullarum, praesertim apud Cassinenses, qui iis non nisi in diuinis officiis, & statis tantùm temporibus vtuntur. Atque haec caussa est, cur longiora & honestiora facta sint *Scapularia.*

Primitus Scapulare fuit pro opere.

Clement. ne in agro.

Inde effit in continuum vsum.

Sigeb. in vit. cap. 15.

Nec ita pridem.

Ephraem tom. 1. de Doct. varia cap. 88.

Cuculla iam praecipuè pro choro.

DISQVISITIO VI.

An Scapulare *sit essentialis Benedictinorum habitus?*

PROPRIVM professionis nostrae habitum, qui nos ab aliis distinguat; neque cucullam, neque tunicam, sed *Scapulare* esse existimat R. D. Laurentius Benard, cuius rationes hîc expendendę. Quarum *Prima*: Monastici status perfectio fundatur in verbis Christi Domini: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* At Scapulare, vt ex S. Dorotheo vidimus, in crucis modum super

Rationes sententiae affirmantis.

Benar. in Polit. Reg. Parte 15. Prima.

Matth. 16.

Dionys. Carthus. opusc. de Institu. Nouit.

per humeros ponitur, & crucem ferendam post Christum designat; & Saluator noster Cistertiensi cuidam apparens, ei reuelauit, Scapulari quod gestabat designari cruce, cui spirituali modo per religiosam professionem esset affixus. Hic igitur habitus Religiosis erit maximè essentialis.

Secunda.

Secundò; Seculares olim & tunicâ, & cucullâ vtebantur: ergo id quod Religiosos ab eis distinguit, aliud esse non potest quàm scapulare.

Tertia.

Tertiò, Militares ordines sub Regulâ S. BENEDICTI, nullum ex indumentis nostris sub armis deferunt præter scapulare.

Quarta.

Quartò, in pluribus Ordinis nostri monasteriis, nouitiis religionem ambientibus, neque cuculla, neque floccus datur, sed tantummodò *Scapulare* cum togâ cõmuni, & pileo quadrato; vnde appareat illud esse formam & differentiam essentialẽ habitus nostri, aut saltem præcipuam eius partem. Neque enim Ecclesia hoc toleraret, nisi pro præcipuo habitu *Scapulare* haberet, cùm maior excommunicatio feratur in illos, qui non deferunt habitum sui Ordinis.

Scapulare non tantùm erat pro labore.

Quòd si autem quis vrgeat, à S. BENEDICTO concedi *Scapulare* propter opera? Respondet Benard, non intelligi tum tantùm adhibẽdum esse scapulare, cùm operi mannum incumbendum est, alioqui de nocte non esset gestandũ, cùm ab omni opere cessamus. Deinde Mendicãtes Ordines etiam scapulare deferunt, præsertim Carmelitæ, Prædicatores, & Augustiniani, qui tamen non manuum operibus, vt nostri olim, sed prædicando, confessiones audiendo, in choro cantando, aliisque piis exercitiis se occupant. Præterea, si Scapulare operi tãtùm manuali subseruiret, nulla ratio est cur potiùs scapulare à scapulis, quàm pectorale, aut ventrale diceretur. Quid enim ad opus confert scapularum, aut dorsi operimentum ad talos vsque protensum? Operarij autẽ ventrem aut pectus semicinctiis quibusdam præmunire solent. Quare si ad opera manuũ tantùm respexisset S. BENEDICTVS, non appellasset indumentum illud operatoriũ *Scapulare,* sed pectorale, aut ventrale. Præcipuum ergo quod in scapulari spectanit, hoc fuit, vt nobis crucẽ & mortificationem Domini nostri Iesu Christi referret, quod est præcipuum opus status monastici, & ad salutem prorsus necessarium: Secundariò verò & velut accessoriè etiam conducit, vt expeditiùs labori manuum insistamus, cùm per adiunctã succinctoria vestes constringere liceat. Atque hæc sunt, quæ pro suâ sententiâ vir ille eruditus attulit.

Sed præcipuè ad Crucis Christi mysterium exprimendum.

Hæc non planè euincunt.

Verùm pace illius dixerim, non arbitror eam ex mente S. BENEDICTI aut veterum vsu procedere, quãuis non diffitear posterioribus seculis vsum *Scapularis,* & quidem longioris quàm olim fuerit, ita inualuisse, vt locum principalis habitus ferè obtinuerit, & cucullæ sensim successerit, vt nefas deinceps habitum fuerit sine eo Monachum incedere. Quod meliùs ex argumentorum solutione patebit.

VESTIARIVM.

Respondetur ad primum.

Quare ad *primum* respondeo, mysticam eam significationẽ de cruce baiulandâ, non in scapulari tãtùm, sed in aliis etiam indumentis inueniri. Nam Honorius Augustodunensis ait, *Cucullam & Tunicam Monachorum formam Crucis præferre, quia Monachi se vitiis & concupiscentiis crucifigunt.* Et Seruatius Lairuelz: Tunica, inquit, figura est crucis religiosæ, quam perpetuò non minùs quàm illam, cum quâ etiã dormit, gestare debet, iuxta illud: *Qui non accipit crucẽ suam, & sequitur me, non est me dignus.* Omitto hîc, ex allegorico sensu nõ semper trahi validum argumentũ, vt docuit S. Thomas.

In Gemmâ Animæ lib. 1. c. 217.

Lairu. to. 2. Catech. Nouit. lect. 61.

Matth. 10.

1. part. q. 1. art. 10.

Ad secundum.

Ad *Secundum* respõderi potest, seculares non minùs vsos legi scapulari, quàm Cucullâ & caputio. Theodemarus enim ita scribit: *Scapulare ob hoc dicitur, quod scapulas præcipuè tegat & caput. Quo vestimento penè omnes in hac terrâ rustici vtuntur.* Quo ad distinctionem verò habitus nostri à secularibus, aliorumq; Ordinũ religiosis vestibus, iam suprà diximus eam inde à nongentis circiter annis in formâ cucullæ, siue fissurâ caputij constitutam fuisse; quæ caussa est, cur tam accuratè fissuræ modum summi Pontifices præscripserint.

Theodem. epist. ad Carol. M.

Ad tertium.

Ad *tertium* dicendum, minimè mirum videri si in Ordinibus militaribus nullus alius esset habitus, præter scapulare: vix enim in bello alius cõgruere potest: sinuosior enim & laxior cuculla impedimento potiùs quàm adiumento esset. Quid, quod expediat etiã in bello minimè agnosci? Et licuit hisce Ordinũ conditoribus quẽcumque habitum, & cuiuscumque formæ suis præscribere sectatoribus; vt omittam eos sexcentis ferè seculis S. BENEDICTO posteriores esse, ideoque mirum non sit, si recentiorum, & sui temporis Monachorum consuetudinem æmulari fuerint. Auisius enim Equitum Ordo primùm incepit ad annum Domini 1147. ab Alphonso I. Lusitaniæ Rege institutus; atque is reliquos omnes sub S. BENEDICTI signis militantes tempore antecedit. Quibus adde singulis hisce militãtibus Ordinibus peculiarẽ esse amictum cruce vt plurimùm insignitum, vt alibi diximus, quibus sufficienter à secularibus & ab inuicem discernuntur.

Cur milites Ordines vtantur tantùm scapulari.

Quartum non vrget.

QVARTVM parum vrget, quia licet Nouitiis, non tantùm sine cucullâ, flocco & caputio tempore tirocinij secundùm Regulam

VESTIARIVM. gulam incedere, sed etiā absque scapulari imò in habitu prorsus sęculari. S.BENEDICTVS enim habitus mutationem tantùm præscribit in ipsā professione, neque ante eam olim religiosæ vestes assumebantur.

Lanf. Stat. cap. 18. Et crediderim tempore S. Lanfranci, Nouitiis scapulare datum non fuisse. Præscribit enim, *vt Nouitius vestibus sęcularibus exuatur, & rebus monasterij regularibus, præter cucullā, caputio assuto tunicæ induatur.* Cur autem caputium tunicę annecti voluit, nisi quod scapulari cui annecti solet, forsitan caruerint? Imò caruisse eo Fuldenses olim Monachos, & solùm in opere vsurpasse, planum fit ex sigillo cōuentus maioris Ecclesiæ Fuldensis, quod exhibet Browerus, in quo videas Monachos solā tunicā, cingulo, & caputio amictos benedici à S. Bonifacio, cui supplices sese offerunt.

Brow. lib. 1. antiq. Fuld. c. 15.

Scapularis gestatio cum tunicā non est antiqua. Quòd verò Religionem iam professi, solum scapulare tunicæ superponant, id ex recentiori fit consuetudine, quā in vicem cucullæ illud (vt anteā dixi) ferè transit; ab initio enim non fuit sic quod vel ex Clementinā colligas, quæ scapulare restringit ad hæc tria. *Primum*, cùm occupabuntur operibus manuum. *Secundò*, cùm in diuinis officiis albis & sacris vestibus induuntur. *Tertiò*, cùm in itinere constituti sunt, quibus conceditur vt sub cappā clausā (si eam portauerint) cucullam deferant, aut (si maluerint) scapulare. Expressè verò notat Glossā, sub flocco, vel cucullā non deferendum scapulare, quia illa religiosorum habitus sint. Tolerat autem Ecclesia Religiosos cum solo scapulari, quia illud quasi cucullę quoddam compendium haberi cœpit, & vsu ipso longā consuetudine introducto in locum principalis habitus successit.

Quæ S. Benedicti mens pro vsu Scapularis. Frustrā verò S.BENEDICTI verba in aliū sensum Benard accipiat, quasi scapulare propter opera intelligendū sit de spiritualibus operibus: cùm omnes passim de manualibus interpretentur, vt insolens ac noua sit hęc ad spiritualē sensum transcursiō.

In dormitione. Quòd autem cum *scapulari* dormiamus, id non ex S.BENEDICTI pręscripto est, qui generatim vestitos dormire voluit Monachos, & expressè *duas tunicas, & duas cucullas præscripsit, propter noctes.* Ad quæ verba Turrecremata ait, non decere vt iisdem vtamur vestibus per diem in cōuersatione hominum, quibus de nocte in dormiendo.

Reg. cap. 55.

Bursf. Cærim. dist. 3. cap. 23. Et Bursfeldenses non nisi itinerantibus vsum *scapularis* somni tempore indulgent. Aliis verò pro superiori habitu præscribunt cucullam regularem, clausam fine manicis, quā etiam in nocturnali vti liceat officio, qui mos hodieque à pluribus monialibus obseruatur.

Quòd autē Mendicantes scapulari vtantur, nec tamen labori manuum ex professo insistant, id neutiquam conuincit Benedictinorum scapulare in illum finem non esse institutum. Mendicantes enim posteriores Ordinis nostri Monachos forsitan imitati sunt, quos videbant scapularibus illis prolixioribus indui ad quandam religiosam honestatem, & mysticam crucis Christi significationem, quod ad suos quoque transferendum duxerint.

Mendicantium Scapularia, vnde.

Soluitur alia difficultas. Neque illud mouere debet, quod hæc scapularia manualibus operibus non ita congrua videantur quàm semicinctia, & succinctoria mechanicorum artificum: satis enim est quòd minùs opera impediant, quàm sinuosa & ampla cuculla. Deinde, vetera illa Fuldensium S. Maioli, & quæ Theodemarus descripsit, accōmodatissima operariis erant. Supparum enim, siue ventrale anteriore suā parte pręstabant, & dorsuale, siue humerale posteriori, & breuioribus illis manicis brachia manusque ad quoduis opus exhibebant expeditas. Maneat igitur Scapulare non esse præcipuum Ordinis nostri indumentum, sed secundarium ad manuum opera ab ipso Legislatore institutū, & in illum finē longo tempore vsurpatum, quod illustri miraculo, & ipsius Parentis nostri apparitione luculenter cōprobatur, qui Monachum cum habitu laboris, id est, scapulari, ad locū ęternę quietis admittere noluit, nisi monasticā cucullā conuestitus esset. Refertur autem à Cęsario in hunc modum. *Ante annos paucos in regno Francorum, quadam domo ordinis Cisterciensis, Monachus quidam bonæ vitæ laborabat in acutis: qui dum duplici calore torqueretur, infirmitatis scilicet & æris, rogauit infirmarium, quatenus sibi liceret cucullam exuere, & induere scapulare: quòd ille concessit, compassus infirmo. Qui cùm abiret, reuersus, infirmum reperit expirasse: non modicum ex hoc turbatus, domum clausit, scapulare extraxit, reinduit ei cucullam, sicque in mattā illum ponens, tabulam pulsauit. Deportatus in oratoriū, proxima nocte cùm Monachi secūdùm consuetudinem circa corpus psalmos legerēt, ille in feretro se erigens, & circumspiciēs, Monachos aduocauit: qui cùm territi fugerent omnes in dormitoriū, excepto Suppriore, qui constātior erat, ait illi; nolite timere, ego sum ille frater vester, qui mortuus fui, & reuixi, vocate mihi Abbatē. Interim signantibus Monachis qui fugerant, quòd surrexisset mortuus, factus est in dormitorio magnus motus, atque concursus. Accedente Abbate ad feretrum, ait ille; Domine, cōfiteor vobis, quòd sic atque sic mortuus sum; ductus verò ab Angelis ad paradisū; cùm putarē me liberè posse intrare, accessit ad ostium S. BENEDICTVS, & ait: Quis es tu? respondente me: Ego sum Monachus Cistertiensis: subiecit Sanctus; nequaquam, si monachus ès, vbi est habitus tuus?*

Et probatur Scapulare non esse essentialem nobis vestem.

Cæsar. lib. 11. c. 16. Exemplum memorabile.

S. Benedictus non agnoscit pro suo amictū solo Scapulari.

tuus? iste lacus est quietis, & tu vis intrare cum habitu laboris? Qui cùm circumgyrassem muros eiusdem felicissimæ mansionis, & per fenestras seniores quosdam magnæ reuerentiæ illic conspexissem, vni eorum, qui ceteris beniguior videbatur, vt pro me intercederet, supplicaui; cuius interuentu, permissus sum ad corpus redire, vt sic habitu à te recepto, merear ad prædictam beatitudinem introire. Quo audito Abbas cucullam, in quâ iacebat, ei extraxit; cucullâ, quam in infirmitate exucrat, ei reinduens: sicque acceptâ benedictione, rursum expirauit.

Atque hæc satis erunt ad euertendam superiorem Laurentij opinionem. Neque de exempli veritate ambigendum est, cùm & locum nominet, & Abbatem, qui id ei retulerit, atque ab ipso Priore & conuentu in quo miraculum contigerat.

DISQVISITIO VII.

Qualis Tunica Benedictina?

Tunica veterum sine manicis.

CVCVLLÆ *Tunicam* S. BENEDICTVS proximè sociauit: quia hæc sub illâ immediatè gestari solet. Erat autem *Tunica* olim vestis sine manicis, nam vt Agellius dixit, Romæ ac toto Latio, Tunicis vltra brachia prolixis vti, viris indecorum fuit. Virgilius quoque Tunicas huiusmodi quasi femineas & probrosas criminatur:

Agell lib. 7. cap. 7.

Et Tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Ennius quoq; Carthaginiensium *Tunicatam iuuentutem* non videtur sine probro dixisse. Vnde apud Nonium Marcellū, Tunica definitur, vestimentū sine manicis. Tales autem erant veterum Monachorum tunicæ, vt constat ex Cassiano & S. Dorotheo, quorum ille ait: *Abscissio manicarum Monachis significat amputatos eos habere actus & opera huius mundi.* Hic verò: *Non habere eos manus ad operandum aliquid hominis pristini.* Num autem Benedictina tunica etiam sit ἀχειρίδωτος, an verò (vt Plautus locutus est) *manuleata,* siue *manicata;* hîc quæri possit. Et quidem Guido Iuuenalis in Gallicâ traductione Regulæ Tunicam manicis carere asserit, quas vult seorsim ab Abbate dari, vt nimirùm exemptiles sint tempore laboris. Sed non arbitror id ex mēte S. BENEDICTI esse, cuius Tunicam omnes describūt manicatam; & ante eum S. Athanasius ad virginem scribens, dixerat: *Manicæ laneæ tibi sint, quæ tegant brachia vsque ad manuum digitos.*

Tales & Monachorum.

Cassia. lib. 1. cap. 5. Doroth. serm. 1.

An benedictinorum.

Non videtur.

Athanas. lib. de Virginit.

Sed totam nostrā Tunicam accuratiùs inspiciamus. Honorius Augustodunēsis vti Cucullam casulæ similem fecerat, ita Tunicam Dalmaticæ instar formari ait. Sed cùm hac exceptione intelligendus est, vt Tunica ad latera aperta non sit, sed vndique clausa. Dalmatica verò hîc intelligēda non qualis nunc passim est, manicis ad cubitū aut paulò vltrà protensis (qualia fuere Ægyptiorū colobia, quæ, vt Cassianus ait, ferè ad cubitorum extrema pertingebant) sed antiqua, quæ colobiis successit. Nam vt Alcuinus noster ait, cùm nuditas brachiorum cnlparetur à B. Siluestro, Dalmaticarum repertus est vsus. Dalmatica autē dicebatur, quòd in Dalmatiâ reperta esset, eratque inconsutilis, vt idem auctor air, & manicas habebat. Exstat etiānum S. Vdalrici Augustani Episcopi Dalmatica tantæ longitudinis, vt totum ferè corpus texisse videatur, cuius figuram Bernardus Hertuelder in descriptione SS. Vdalrici & Afrę expressit, quæ satis conuenit cum Tunicâ monachicâ, quam S. Hildegardis describit fuisse Tunicam laneam, *& aliquantū cucullâ constrictiorem, sed circa crura aliquātulum largiorem, & ad pedes tendentem, brachialijs nec multum amplis, nec multum constrictis, ad manus tendentibus, imò autem gyrone in vtroq; latere sub ascellâ deorsum descendente, quæ desuper caputio carebat.* Gyronem credo intelligit laciniam, & partem eam, quâ vestis fit largior, quæque Italicè *Gerone* dicitur, Belgicè **een gheere**/ quam Galli vocant, *Gousset.* Rectè autem Tunicam dicit caputio carere, illud enim vt vidimus, cucullæ annexum erat, vti etiam scapulari, vt ita capitis tegumentum Religiosis non desit eo tempore, quo cucullâ non vtuntur. In statutis tamen S. Lanfranci, *caputiatam Tunicam* inuenire est, quâ nouitios induebāt, ita enim dicitur: *Nouitius capitio assuta Tunica induatur.* Et iam suprà notauimus ex Browero, Fuldensium Tunicę annexum fuisse caputium: quod & apud Cistertienses olim obtinuisse videtur. Nam in libro vsuum legitur: *Verberandus postquam ab Abbate exui iussus fuerit, mox assideat in eodem loca in quo stat, & exuens cucullam, panat eam ante se. Per caputium verà Tunica exerat brachia & totum corpus vsque ad cingulum.*

Gemma animæ lib. 1. cap. 237.

Benedictina tunica non absimilis veterum Dalmaticæ.

VESTIARIVM.

Cassian. lib. 1. cap. 5.

Qualis S. Vdalrici.

Part. 2. tabula 24.

Hildeg. in exposit. Reg. S. Benedicti.

Eiusmodi tunicæ descripta.

Sine caputio.

Lanfr. cap. 18.

Quidam tunicæ caputium assuerunt.

Vsus Cist. cap. 70.

Sed accuratè satis Benedictinam Tunicam Clemens V. descripsit, vocatque superiorē vestem habitui proximam, & pręcipit, *vt sit ipsa vestis rotunda per circuitum: & non scissa; nec longitudine nimiâ aut breuitate notanda: largas etiam manicas habeat vsque ad pugnum protensas, non consuticias, vel quomodolibet botonatas.* Ita Pontifex; cui inhęrētes Bursfeldenses, volunt suorum *tunicas* esse *clausas, absque scissuris, plicaturis, aut soderaturis, nisi forsan de eiusdem vel alterius nobis permissi coloris panno: manicas habētes strictas, vsque ad pugnū protensas, sine nodis, quæ sub mento & ante pectus claudantur.* Cassinenses ita breuiter de iisdem statuunt: *Tunicæ Monachorum super collum pedis protendantur, quæ iuxta Clementinam debent esse circumquaque clausa.*

Qua tunica Benedictina iuxta Clementinam.

Bursfeldenses.

Bursfeld. Cærim. dist. 1. c. 24.

Cassinenses.

Cassin. in Declarat. ad cap. 55. Reg.

VESTIARIVM.

clausæ. Manicæ Tunicarum ita larga, vt possint capere alterũ pugillum. Qui insuper ordinant: *Ne fratres vlla tempore, ad Chorum Refectorium & Capitulum conuentualiter sine Tunicâ accedant: vt disciplina & grauitas monasticæ seruetur.* Hîc porrò notandum, prçter Tunicam habere eosdem Cassinẽses etiam Tunicellam, quam alij *Sattanam*, aut *Casaccam* vocant, idq; necessitas exigere videtur, cùm non semper nec vbique cucullâ vtantur.

Eorundem tunicella.

DISQVISITIO VIII.

Quæ intima vestis Benedictinorum?

An Benedictini vnicâ vsi tantùm tunicâ. *Laurent. Benard. in Polit. Reg. Parænes. 15.*

CVM præter Cucullam, tunicam, scapulare, aliarum vestium nullam B. P. N. fecerit mentionem, hinc existimauit Laurentius Benard tunicam fuisse vnicam nostrorum vestem, intimam scilicet, & extimam, & indusij ac togę locum obtinuisse, atque hinc præscriptũ esse singulis, vt duæ darentur tunicæ, *propter noctes, & propter lauare ipsas res*, id est, vt vnâ vti liceat de nocte, & de die alterâ, cùm eluenda est prior.

Asserit quidam.

Quod probabilitatis speciem ex eo potissimùm obtinet, quòd Christi prodromus dixerit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti:* & ipse Christus Apostolis prohibuerit *duas tunicas:* quòd Euangelicæ perfectionis sectatoribus meritò videatur æmulandum.

Non probatur.

Sed ex hactenus dictis liquet non tunicam modò, sed cucullam nostris assignatam, geminas vtique vestes. Nam quòd Cucullam Laurentius Benard faciat tãtum caput humerosq; ambire, qualem Cassianus describit: prisco & hodierno Ordinis nostri repugnat vsui, vt taceam amplam longamq; nostram Cucullam describi in Clementinâ. Et sanè si villosam in hieme assignauerit S. BENEDICTVS cucullam, id potissimùm ad frigoris iniuriam propulsandam fecerit, (quo etiam fine Charihaudi Abbati Sidonius talẽ mittebat:) & illa non capitis tantùm, sed totius corporis fuerit amictus.

Explicatur quo sensu vetita dua tunica.

Nec Euangelio contrarius hac in parte Legislatot noster fuit: nam vt aliàs visum, voluit tantùm Christus, ne præter vestimenta, quibus induti essent, alia etiam eiusdem generis Apostoli deferrent, itaque habebant duplicia. Tradit sanè Euthymius triplex Christo fuisse indumentum, pallium, tunicam exteriorem, & tunicam interiorẽ, in modum subuculæ corpori applicatam. Sed vtcumque hoc sit de Saluatoris nostri vestimentis, hîc iam quærimus, an præter cucullam & tunicam, tertia etiam Benedictinis sit vestis, quæ indusij vice corpus proximè ambiat? Non enim videtur illis denegandũ *Cilicium*, quod & Basilius, qui vnicam solam indulgebat tunicam, etiam admittit, *Habet enim*, inquit, *cilicij vsus opportunitates suas: neque enim ad necessitates corporis comparatum est, sed ad macerationem animi, & afflictionem.* Si verò in ipsum Parentem nostrum oculos coniiciamus, inueniemus eum Cilicij asperitate catnem domuisse, atque hanc fuisse eius intimam vestem, de quâ Christi Domini apud S. Birgittam, aliorumque in Commentario ad eius vitam produximus testimonia.

Benedictinis olim pro indusio fuit cilicium. *In regul. breuiorib. interr. 90.*

Præiuit Patriarcha noster.

Sanctissimum parentem suum imitatus est S. Maurus, & S. Placidus, vt ibidem diximus. Ab his, vt prorsus credibile, vsus trãsiuit ad posteros. Sancto enim Lamberto, Tungrensi Episcopo *primus amictus erat facces cilicinus.* Et S. Laurentius Dublinensis Archiepiscopus, *mox vt pontificalis stolę gloriâ indutus est, etiam vasis virtutis expetiit coronari. Circumcinxit ergo se zonâ institia, circumpedes, & femaralia, & humerale sibi impanens, tunicam talarem tatam cilicinam non tantùm induens, sed carni assuens, cuius Cilicij asperitate, & vermium multitudine succrescente perforabatur caro sancti Pontificis; vt ex interiori ardore spiritus flamma exteriùs resultante, ipsa cara velut in frixaria coqueretur.* De Matthæo quoque ex Cluniacensi Monacho Albanensi Episcopo, scribit Petrus Venerabilis, eum nunquam ex quo Monachus factus fuerat, Cilicio caruisse. Atque vt multos alios prætercam, adeò familiare olim nostris fuit Cilicium, vt Polydorus Virgilius de Benedictinis vniuersim asseruerit, eos sub candidâ tunicâ, & eâ quidem laneâ, Cilicio indui. Quod vt ex antiquiore auctore cõfirmemus, refert Arnulphus de S. Emmeramo, eiusque cœnobij primordiis, Monachos, qui secundùm Regulam S. BENEDICTI promissionem faciebant, in tantâ egestate vixisse, vt Cilicinas interulas comparare nequiuerint. *Lineis*, inquit, *camisiis vtebantur seniores, qui eas habere poterunt. Ceteri laneis induebantur ab penuriam scilicet, Cilicinarum vestium.* Hinc autem mihi verisimile fit Carthusianos, apud quos perpetua remansit continuaque vestis cilicinæ gestatio, id à nostris, vt pleraque etiam alia, accepisse.

Secuti longo ordine & tempore filij. *Surius 17. Septemb.* *Surius 14. Nouemb. c. 11.* *Petr. Venerab. lib 2. Mirac. cap. 322.* *Lib. 7. de Inuent. rer. c. 2. nu. 15.* *Arnulph. lib. 2* *Carthusiani.*

Sed quibus ex caussis hæc aspera vestis à nostris tanto studio est assumpta? *Primam* caussam arbitror eam esse, quòd cùm Monachi lugentium atque pœnitentium gerant officium, voluisse eos etiam illam assumere vestem, quâ illi ab omni æuo vsi fuut. Iacob namq; oblatâ sibi tunicâ Ioseph sanguine tinctâ, *scissis vestibus, indutus est Cilicio, lugens filiũ suum.* Hunc verò cilicophororum principem facit Cornelius à Lapide. Verùm ex S. Irenæi sententiâ asserere licebit, primùm fuisse Adamum, qui asperitate vestis corpus domare, & coërcere, & malè commissa expiare studuerit: nam per

Cur Benedictini gestauerint cilicium. *Primò, in signum pœnitentiæ.* *Genes. 37. 14.*

Irenæ. lib. 3. aduers. hæres. cap. 37. *per fuccinctorium*, verba funt Irenæi, *in facto* A
oftendit Adam *fuam pœnitentiam, folijs ficul-neis femetipfum contegens, exiftentibus & alijs folijs, quæ minùs corpus eius vexare potuiffent: condignum tamen inobedientia amictum fecit, retundens petulantem carnis impetum, quod delectationem nullam quidem præftet, mordet autē & pungit corpus.* Sed vt eos fubuectamus, qui cilicijs iram Dei placare ftuduerunt,
3. Reg. 21. occurrit impius quoque Rex Achab, qui cum terribilem aduerfus fe, fuofque Domini fententiam ex ore Eliæ audiuiffet, *fcidit veftimenta fua, & operuit Cilicio carnem* B
fuam, ieiunauitque, & dormiuit in facco, & ambulauit dimiffo capite. Et de Ioram ait facer
4. Reg. 6. textus: *Vidit omnis populus Cilicium, quo Rex*
Iudith 8. 5. *veftitus erat ad carnē intrinfecus.* Iudith quoque fcribitur *fuper lumbos fuos* habuiffe *Ci-*
Pfal. 34. 13. *licium.* Et de fe Dauid ait: *Ego autem cùm*
Pfal. 68. 12. *mihi molefti effent, induebam me Cilicio.* Iterumque: *Pofui veftimentum meum cilicium.*
Ierem. 4. 8. & 49. 3. Et Ieremias Propheta ad pœnitentiā & lamenta hortaturus, fæpiùs ait: *Accingite vos*
Matth. 11. 21. *cilicijs.* Et ipfe Saluator nofter ait: *Va tibi Corozain, va tibi Betfaida: quia, fi in Tyro &* C
Sidone factæ effent virtutes, quæ factæ funt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiffent. Ex quibus verbis conftat *Cilicium*
Hieron. Epift. 28. pœnitentium effe indumentum. Quare Hieronymus Lucinio Bætico eiufq; vxori, quæ dono mittebat quatuor ciliciola, *quotidiana* vocauit *fymbola pœnitentiæ, apta propofito & vfibus eorum.*

Secundò, ad imitationem veterum Monachorum. Hinc iam fequitur *altera* cauffa, ftudium nimirùm imitandi prifcos Monachos. Nam
Ephræm in vit. & S. Abraham eremita eximiæ fanctitatis, fago, & *ciliciná tunicá indutus* perhibetur in D
vitis Patrum, & Barlaam Iofaphat regi In-
In vitâ Barl. & Iof. cap. 28. diarum loquēs: *Veftis, inquit, nobis ex afperis cilicijs, & ouium pellibus funt, vetufta omnes, atque ex varijs pannis confuta, imbecillam noftrā carnem atterentes.* Sanctum quoque Pa-
In vitâ cap. 17. chomium legimus ad humiliādum corpus proprium, induiffe fe *cilicio.* Auguftinus
Auguft. Epift. 81. etiam Cilicium, velut ordinariam Monachorum veftem fuiffe fupponit, cùm ad Eudoxiū fcribit: Euftathius *nec Caprariam defiderat, quia nec Cilicia iam quæris indui.*
Chryfoft. homil. 56. in Matth. & 69. Chryfoftomus de Monachis æui fui: *Humi dormiunt, vigilant, Cilicium, milleque alijs mo-* E
dis feipfos caftigant, ieiunium illorum menfa eft. Et aliàs: *Amictus autem ipfis fortitudini fua conueniens circumiacet, etenim alij caprarum, alij camelorum pilis veftes confectæ funt; multis coria folùm, & ea vetuftate confumpta fo-*
Homil. 70. in Matth. *tiffaciunt.* Idem: *Vis vt tibi oftendam eos, qui condignas veftes nuptijs cæleftibus amiciuntur? Illorum in mentem tibi veniat fanctorum qui* CILICIO *induuntur, eremum habitant, conuenientia his nuptijs amicula poffident, vnde fit, vt tanquam aranearum telas veftitum regium*

defpuant. Hac illis inftituto ciliciorum vfu confirmata funt. S. Paulinus Monachos depingit VESTIARIVM.
horrentibus cilicijs humiles. Et Pachymeres Paul. Epift. 7.
inter Monafticas veftes recenfet τρίχινον. Pachym. in cap. 6. Hierarch. Eccl. S. Dionyf.

Tertiam S. BENEDICTO cauffam vfurpandi cilicij fuiffe arbitror, vt peculiari cultu referret S. Martinum, cui admodum femper deuotus extitit, & templum exftruxit. Hunc autem fanctum cilicio carnem domuiffe, Paulinus iunior teftatur, qui de eius indumento ita cecinit: Tertiò, S. Benedictus fortè imitatus in hoc S. Martinum.

Paulin. in vit. S. Mart. Cuius veftis & cilicium depingitur.

Quin ex contexto fetis coopertus amictu,
Exefo affiduo compunxit acumine membra,
Vt tereret tenuem veftis nimis afpero pellem,
Et cutis extenfis ftimulis attacta pateret.

Et lib. 5.

Rurfum igitur fetofi habitus, ftimulifque reclinem
Confueti penetrare cutem, connexa rebellis
Vellere duritior, rigidis in vulnera filis.

Eumdum verò habitum Difcipulis eius affignat Seuerus Sulpicius: *Plerique*, ait, *Camelorum fetis veftiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat.* Quæ verba Paulinus ita repræfentat. De vitâ S. Mart. c. 7.

Multis veftis erat, fetis contexta cameli
Qua leuibus ftimulis vigiles contingeret artus;
Excludēs tenuem compunctā carne foporem:
Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus,
Lafciua & tenui veftis fluitaret amictu.

Hæc de illis. Magis autem vrgeret, fi Chriftus Dominus Cilicio indutus fuiffet, quod quidem negant Hieronymus, Auguftinus, Caffiodorus, & S. Thomas omnes in Pfal. 34. v. 13. tefte ibidem Lorino, qui alibi illa Pfalmiftæ verba exponens: *Pofui veftimentum meum cilicium*, qui manifeftè de Chrifto eft, ita ait: afpero ipfo cilicio Chriftum vfum concedunt Valentia, & Bredembachius; Carthufianus, Caietanus, Placidus Parmenfis exponūt de afperiore & rudiore veftitu. Probat autem Rickelius, quia laudauit hoc nomine Ioannem, reprehendens mollitiem veftium, cœpit verò *facere, & docere*; præterea, quia tunica Chrifti erat inconfutilis defuper contexta per totum, quemadmodū veftes ciliciuæ fieri folent. Liranus verò ait, Chryfoftomum dicere, quod in Palæftina pauperes induebantur indumentis reticulato opere factis ad modum ciliciorum. Et hoc videtur verius, quàm quod pretiofis vfus fuiffet veftibus, quia Chriftus commendauit vilitatem veftimentorū in Ioanne Baptiftâ. Caietanus probabile ducit vfum Chriftum aufteriore camifiâ ad exemplum paftorum & Prædicatorum, quos caftigare corpus oportet, ne reprobi efficiantur. Sed quidquid fit de Chrifti interiori tunicâ, minimè dubito voluiffe S. BENEDICTVM mortificationem An Chriftus cilicio vfus. Pfal. 68. Variant auctores. Matth. 11. Act. 1. Liran. in 19. Ioan. Caiet. in Pfal. 34.

VESTIARIVM.

Christi iugiter in suo corpore portare, & veterum Monachorum sectari austeritatem. Hinc tam creber ciliciorum apud nostros vsus, quæ interulam illis præstabant.

Cilicio deincepi successit lanea interula.

Concil. Aquisg. can. 21.

Succedentibus verò temporibus camisiæ laneæ, sive staminiæ successerunt. S. enim Fructuosus, & Abbates in Concilio Aquisgranensi congregati, duas vnicuique Monacho indulserunt camisias. In his enim deferendis mitior quidam affligendi corporis modus reperitur, summorum deinceps Pontificum, nostrarumque Congregationū legibus decretus. Zacharias enim B Papa rescribēs Pipino, & vniuersis Episcopis & Abbatibus Franciæ, de multis ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus, de quibus consultus erat, inter cetera hæc habet. *Monachi laneo indumento, iuxta normam & Regulam Monastica disciplina atque traditionem sanctorum probabilium Patrum, sine intermissione vtantur.* Probatque hanc suam constitutionem, *quia Monachi ab omnibus illicitis debent abstinere. Apostolis autē diuinum datum esse mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas, dixit, itaque laneas, non lineas:* Epistolam hanc ex Bibliotheca Vaticana adfert Baronius. Quis fuerit S. Odilonis Abbatis Clnniacensis habitus, ex Petro Damiani colligas: *Nam cùm die quodam duos in itinere pueros fame peremptos reperit; mox equo descendens, laneam, quā indutus erat ad carnem, subduxit sibi interulam; eoque prout velaminis quantitas permittebat, vtrumq; cadauer obuoluens, exhibet mortuis sepulturam.* S. quoque Vdalricius statim atque Augustanam Cathedram inuitus conscendit, inquit Berno Abbas Augiensis, *tantā maceratione seipsum* D *castigauit, vt carnem non manducaret, & intrinsecus super nudā cutem, laneam vestem portaret, nunquamque membro sua, in Dei obsequio fatigato, in plumarum mollitie, sed superposito psiathio, tapete, vel sago, post multo alio dura mortificationum exercitio, recrearet.* Quin etiam sacræ virgines, S. Hieronymi tempore, vt ipse fidem facit: linteaminc ad tergendum solùm manus vtebantur alibi semper lana purissima. Laneorum autem gestationem ad pœnitentiam facere, comprobat Annonis Coloniensis Archiepiscopi exemplum, E qui è ciuitate pulsus, posteà forti rusticorum manu restitutus fuit: quare Coloniēses Legatos misêre, qui nefandi criminis veniam deprecarentur, & ad pœnitentiam se offerrent. *At Archiepiscopus dignè petentibus se veniam non negaturum respondit. Quamobrem celebratā apud S. Georgij missarum celebritate, eos, qui Pontificem sede propriā expulissent, qui ecclesiam homicidio polluissent, qui templum S. Petri hostiliter impetissent, qui cetero religionis iura ausu barbaro temerassent, Episcopali banno ad satisfactionem vocauit. Pro-*

Monachis præscripta. Cap. 1.

Baron. ann. 744.

In vitā.

Et vsitata pro more.

Berno apud Surium in Iulio.

In Epitaph. S. Paulæ.

Laneorum gestatio pœnitentia index.

Apud Surium 4. Decembris. lib. 4. c. 21.

tinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt, vix & ægrè impetratā pace multitudinis, quæ circa Episcopum erat, vt hoc tutò facere sinerentur.

Sed vt ab exemplis ad leges veniam, ex statutis Petri Venerabilis constat Cluniacenses *stamineis* vsos pro indusijs. Vnde & Innocentius III. vetuit ne Monachi Benedictini Camisijs lineis vterentur. Et in vniuersum Zacharias Papa Monachis præscribit *laneum indumentum, vt suprà vidimus.* Gregorius quoq; IX. & Nicolaus IV. Cluniacensibus expressè interdicunt, *Ne quisquam quouis in loco camisijs aut lintcaminibus lineis vti præsumat.* Idipsum verò omnibus omninò Benedictinis inhibitū voluit Benedictus XII. ita statuens: *Vestiti autem iaceant Abbates, Priores, Administratores, & Monachi vniuersi, tam infrà quàm vbicumq; extra Monasterium constituti: lineisq; camisijs (cùm sint eis expressè prohibitæ) non vtantur.* Atque hinc Bursfeldenses rectè præscribunt *camisias laneas* collaria parua assuta habentes, cùm quibus aliæ Congregationes quoque C consentiunt.

Benedictinis non sunt permissæ.

In bulla Cluniac.

Benedictina c. 26.

In Cærem. dist. 3. c. 24.

Sed & apud alios Ordines hæc laneorū ad carnē delatio deinceps vsitata fuit. Carmelitis enim omnis lini vsus, exceptis sudariolis & strophijs, crebrò iteratis statutis interdictus fuit. In constitutionibus Prædicatorum, ita quoque præscribitur: *Lineis non vtantur ad carnem, nec etiam infirmi camisijs aut linteaminibus.* De Præmonstratēsibus verò ita Seruatius Lairuelz disserit: Laneorum indusiorum ac linteaminum vsus in Ordine nostro est antiquissimus, vt videre est in antiquioribus eiusdem ordinis statutis: estque ceteris pænè omnibus Ordinibus tam recētioribus quàm antiquioribus conformis, & ideò Paulus papa V. triginta annorum indulgentias concessit ijs Præmonstratensibus, qui pro lineis lanea indusia gestarent, & non nisi vestiti noctē somnum capere decernerent.

Etiam aliis Ordinibus in vsu, & præscripta.

Vide Leon. à S. Ioan. in typ. vest. rec. pag. 25.

Dist. 1. c. 10. text. 1.

Laur. Carum. tec. Lect. 17. doc. 1.

Cum indulgentijs.

DISQVISITIO IX.

Num Benedictinis liceat vti pelliceis?

AB hirsutis Monachorum cilicijs, ad læuiores eorundem *Pelliceas* transitum facimus.

Fuisse autem veteribus pelliceas vestes in vsu, ex vitis Patrum facile est probare. De Antonio Athanasius ait: *Vestimento cilicino intrinsecus, desuper pellicio vtebatur.* Et Damascenus: *Vestis autem nobis ex asperis cilicijs, & ouiū pellibus sunt, vetusta omnes, atque ex varijs pannis consuta, imbecillam nostram carnem atterentes.* Iacobo Nisibite, vt Theodoretus ait, *vsus lana erat supernocaneus; asperrimi*

Pelliceis vsi veteres Monachi.

Athan. in vitā Anton. c. 31.

Damascen. lib. de Barl. & Iosaph. c. 18.

Theodor. in Philoth. c. 1.

rimi enim caprarum villi eius vsum implebant, ex eis ipsi fiebat & tunica, & simplex amiculum.

Ibid. cap. 5. Aphtonius apud eundē, etiam Episcopus factus, *nec cilicium mutauit monasticum, nec* Ibid. cap. 10. & 11. *tunicam cōtextam ex pellibus caprarum.* Theodosius & Romanus, eorumque discipuli Ibid. c. 20. veste ex pilis contextā vtebantur. Maris nonaginta annos natus, *vtebatur vestibus cōtextis ex villis caprinis.* Ibid. cap. 26. Ad Simeonem Stylitam innumerabiles concurrebant homines, *conabantur autem omnes contrectare, & ex pelliceis illis vestibus aliquam percipere benedictionem.* Matth. 3. 4. Atque vt omittam Ioannem Baptistam *pilis Camelorum* vestitum; Seuerus Paulin. Epist. 10. S. Paulino *pallia Camelorum pilis texta* muneris loco transmisit. Cui ille vicissim *tunicam* transmisit de *agnorum vellere* contextam.

Et Benedictinis ante octingentos annos. Benedictinis nostris iam ab octingentis annis *Pellicearum* vsum fuisse, ex Aquisgranensi Synodo colligitur, in quā Abbates Aquisgran. Conc. can. 22. decernunt, vt *vnusquisque Monachorum habeat pelliceas vsque ad talos duas.* Et Goffridus Goffrid. lib. 1. Epist. 11. Vindocinensis ad Calixtū Papam scribens, ait, se Armanno Monacho *griseam pelliceam*, atque varias pelles obtulisse. De S. Abbone Vitā Abbo. c. 10. martyre in vitā legitur: *vnda sanguinis prorumpens* (è vulnere scilicet) *manicā laxioris pelliceæ excipitur.* Auctor anonymus vitæ S. Hugonis Abbatis Cluniacensis: *Festinauit pelliceam suam exui, & infirmum vestiuit.* Liber Statutorum & Consuetudinum Abbatiæ Regulæ fol. 111. *Similiter omnes Pelliparij debent Priori bonam pelliceam vnoquoque anno.* Sed hæ Monachorum nostrorum *Pelliceæ* in hoc à priscis illis differebant, quòd nostri intrinsecùs, illi verò eas gestarent extrinsecùs.

Asserta à Cluniacensibus Pellicea. Petr. Venerab. lib. 1. epist. 28. De vsu verò earumdem disputarūt olim Cistertienses cum Cluniacensibus, vnde hæc illorum apud Petrum Venerabilem est obiectio: *Vsum quoq; pellicearum, & diuersarum pellium, quā auctoritate vobis defenditis, cùm in eādem Regulā* (S. BENEDICTI) *nihil de huiusmodi reperiatur?* *Varijs rationibus.* Rupert lib. 3. in Reg. S. Bened. c. 16. Respondent verò pro Cluniacensibus tam citatus Petrus, quàm Rupertus Tuitiensis, quorum rationes compendio colligam.

Prima. PRIMÒ autem, requirentibus quā auctoritate pelliceis vtantur, vicissim Petrus proponit, quā auctoritate eas auferre conentur, cùm Regula nullam vestimentis certam metam præfixerit, nihil necessitati abstulerit, sed in arbitrio patris spiritualis totum posuerit? Cap. 55. *Vestimenta*, inquit, *Fratribus secundùm locorum qualitatem, aut aërum temperiem dentur; quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hac ergo consideratio penes Abbatem sit.* Licet proinde Abbati superfluitate recisā *Pelliceas*, vel cetera indumenta Fratribus largiri, & more boni Pastoris ouibus sibi commissis cuncta necessaria prouidere. VESTIARIUM.

Secunda. Genes. 3. SECUNDÒ, Ne exempla deesse videātur, *fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eas.* Cùm ergo hæc indumēta non pro gloria, sed pro ignominia; non pro delicijs, sed pro pœnitentiā; non pro honore, sed pro dedecore, Deus contulerit: non debent Monachorum pelliceæ videri deliciæ, cùm exsules patriæ faciant recordari.

Tertia. Ad Hebr. 11. 4. Reg. 1. Marc. 1. TERTIÒ, de Prophetis Apostolus ait: *Circumierunt in melotis, & pellibus caprinis.* Elias quoque, & Ioannes Baptista zonā pelliceā accincti describuntur.

Quarta. QUARTÒ, S. BENEDICTUM pellibus vestitum inter fruteta Pastores inuenerunt, & aliquam bestiam esse crediderunt.

Quinta ratio ex Regulā petitur. Cap. 55. QUINTÒ, ex Regulā sic argumentantur: *Mediocribus locis sufficere credimus per singulos Cucullā, & tunicam. Cucullam in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam.* Nullum hic tradit Legislator præceptum, sed tantùm ait credere se sufficere Cucullam & tunicam; nec omnibus quidem locis, sed tantùm mediocribus. Ergo in frigidis regionibus, & cùm necessitas exegerit, licebit plura exhibere, cùm & ipsi Cistertienses, vt Petrus ait, necessitate compulsi, simplici flocco & cucullā minimè fuerint cōtenti, sed vltra Regulæ metas, multiplices, & quotquot libet tunicas induerint. Rup. lib. 3. in Reg. S. Ben. cap. 16. Rupertus verò Regulæ verba expendens, *mediocria loca* dicit à S. BENEDICTO nominari, illa, *quæ nec perusta zona, nec boreali polo multùm vicina sunt, in qualibus & ipse habitauit, vbi tamen,* inquit, *& præsenti anno, die Natalis Domini, quando in his regionibus acerrimum frigus vineas nostras penè omnes peremit, cùm essem Romæ, grandia tonitrua, & tempestas fuit valdè importuna. Adeò ille aër à nostro aëre diuersus est, qui tamen inter loca, quæ hìc dicit mediocria, reputandus est. Huic litteræ suo modo inhærere volunt quidam, sed non possunt. Duæ namq; Cucullæ, & duæ tunicæ ad istam mutationem, quam dicit propter noctes, & propter lauare ipsas res, non sufficiunt, quinimò simul omnes & fortè plures magnitudine frigoris agente superinduuntur.* Hactenus ille. *Quid intelligatur per loca mediocria.*

Cur S. Benedictus nō meminerit Pellicearum. Si autem quæras, cur de *Pelliceis* verbum nullum S. BENEDICTUS fecerit? Respondet idem Rupertus: *Quia de illis duntaxat vestibus, sine quibus non perficitur exterior Monachi habitus, ad se pertinere indicauit; cetera in consideratione Abbatis reliquit.*

Pleræque Congregationes easdē concedunt. Ob has similesque rationes à plerisque Congregationibus, vrgente præsertim necessitate, Pellicearum admissus est vsus. Bursfeld. in Cæremon. dist. 5 cap. 14. Bursfeldenses: *Habeant,* inquiunt, *Monachi de pellibus ouinis, seu caprinis pelliceam pro hieme.* Cassinenses ita statuunt: *Qui pelliceā propter*

VESTIARIVM. Cassinens. in declarat. ad cap. 55.

pter aliquam infirmitatem, seu necessitatem indiguerit, careat ratâ vestimentorum illo anno sibi contingente. Et hæ pelliceæ ad necessitatem, non ad ostentationem aut luxum concedendæ sunt. In ipsis igitur cauendus est omnis ornatus, nec illis vti liceat loco tunicarum, aut sine tunicis, sed superinduantur illis vtentes & tunicâ: præsertim accedentes ad chorum, aut refe- A *ctorium.* Non dissimiliter Camaldulenses: *Si quis*, inquiunt, *ob ætatem senilem, aut complexionem frigidam, veste pelliceâ indigeat, non ei denegetur: verumtamen è pellibus syluestrium animalium, & nobilioribus non fiant, nec permittantur.* Carthusiani assignant incolæ cellæ *duas pelliceas, vnam deteriorem, alteram meliorem.*

Camaldul. ad cap. 55.

Carthus. stat. antiq. part. 2. c. 16.

TRACTATVS IV.

DE VESTIBVS BREVIORIBVS.



LTERVM *hoc Armarium breuiores exhibet vestes, de quibus hæc dicenda occurrunt.* Primò, *Qualis Benedictinorum zona?* Secundò, *Num vetitum aliquando Monachis zonam gestare?* Tertiò, *Quid Mappula?* Quartò, *Quid Bracile?* Quintò, *An Benedictinis domi femoralia permissa?* Sextò, *An apud eosdem femoralia pòst recepta?*

DISQVISITIO I.

Qualis Benedictinorum zona?



VNICA ne laxiùs fluat, cingulo corripi ac constringi solet; erat id in vsu Ægyptijs Monachis, de quibus Cassianus: *Monachum vt militem Christi in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Hoc etiã habitu illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam scilicet & Eliseum, diuinarum Scipturarum auctoritate* B *monstratur: ac deinceps Principes auctoresq́ testamenti noui, Ioannem videlicet, Petrum & Paulum, ceterosq́ eiusdem ordinis viros taliter incessisse cognoscimus.* S. quoq; Basilius *zonæ* vsum necessarium esse commonstrat: *Nam cùm necesse sit*, ait, *vt qui per se ipse aliquod est opus tractaturus, succinctus sit, & ad omnes corporis motiones expeditus, ei necessaria sit* zona, *quâ tunica restringatur, & corpori pressiùs ad-* C *hærescat. Quin etiam ea in sinus collecta complicataque naturalem calorem impendio magis fouebit, tolletque quicquid naturales corporis motus posset impedire; quando etiam Dominus, quo tempore parabat se, vt discipulis ministraret, sumpto linteo præcinxit se. Sanéque discipulis etiam Domini familiarem fuisse zonæ vsum, ex eo etiam intelligitur, quòd interdictum ipsis fuerit, ne æs haberent in zonis.* Hæc Basilius.

Cassian. lib. 1. cap. 2. Monachi zonâ cincti.

Exemplo Prophetarum.

Basil. in Reg. fus. disput. c. 23.

Commoditas ex cincturâ.

Iam verò quod Monasticam *zonam* spectat, quadruplex ea fuit. *Prima*, Pellicea, quâ vsus est Elias, & eius imitator Ioannes Baptista; quorum exemplo S. Fulgentius Ruspensis Episcopus testatur consueuisse Monachos in Africâ *pelliceo* vti *cingulo*: idemq; confirmat B. Dorotheus: *Habemus*, inquit, *& zonam pelliceam circa renes nostros.* Hæc verò pellicea *zona* aut ex villosâ pelle, aut ex crudo erat corio, quæ Augustinianis hodieque, ac multis alijs Religiosis in vsu est.

Zona Monastica quadruplex. I. Pellicea. Baron. to. 9. Annal. Anno 827. Doroth. serm. 1.

Secũda, Linea est; scribit enim de Pachomianis Monachis S. Hieronymus: *Baltheolum vnusquisque habebat lineum.* Quod Palladius *zonam* vocat, additq; illis à Pachomio præscriptum, vt ad sacram synaxin sabbato & Dominicâ accedentes, *zonas* soluerent, & pellem ouillam, seu melotẽ deponerent, & cùm solâ cucullâ accederent. Quod & Sozomenus, & Nicephorus confirmant. Oresiesis Pachomij discipulus, paternis inhærens præceptis: *Sufficit*, inquit, *nobis habere zonam lineam.* Et Climacus: *ζῶσαι ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφύν σου λεντίῳ ὑπακοῆς. Accinge sicut vir lumbos tuos Linteo obedientiæ.*

II. Linea. Præfat. in Reg. S. Pachom. Pallad. in Lausiac. cap. 37. Sozomen. lib. 3. Hist. cap. 13. Niceph. lib. 9. cap. 14. Oresies Instit. Mon. Climac. grad. 4.

Tertia zona est lanea, quâ Iudæi in Palæstinâ vsi; vt Auctor operis imperfecti in Matthæum

III. Lanea. Auct. Imperfect. c. 3.

Matthęum habet, taliqúe cingulo Christus vsus creditur, qui à communi more cultuque minimè recessit. S. Hieronymus Marcellæ: *Sit*, inquit, *cingulum laneum, & tatâ simplicitate purißimũ: quod poßit magis astringere vestimentum, quàm scindere.*

Hier. Epist. 7.

IV. *Funis, seu restis.* Paulin. Epist. 7. Lib. 1. cap. 6.

IV. *Quartum* zonarum genus sit funis, scribit enim S. Paulinus Monachos quosdam non baltheo, sed *reste succinctos*. Et Cassianus Ægyptios Monachos ait gestare *resticulas, siue succinctoria*, quibus vestes inferiores, & laxiores circa pectus lumbosq́ue succingebant, atque constringebant. Contextum verò è funibus cingulum, tamquam vilissimum, paupertatis amator S. Franciscus sibi suisq́ue Fratribus delegit.

S. Benedictus cingulum suis tribuit.

Sed iam de Benedictinâ *zona* agendum. Neque enim B. P. N. qui vbiq; antiquorum Monachorum premit vestigia, suos discinctos voluit. Nam S. Hildegardis explicans Regulam ad illa verba: *Dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria*, hæc habet: *Et zana, id est, quâ super tunicã cingebantur, ne illa diffluere*t. Habebat ergo textus, quo illa vtebatur, cap. 55. inter cetera necessaria etiam annumeratam *zonam*, sed id alia exemplaria non præferunt. Verùm cincturæ omniũ exemplariorũ consensu expressæ meminit, cùm dormituris Monachis præscribit, vt *vestiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus*, idq́ue eâ quam subdit caussâ: *Vt parati sint semper, & factâ signo absque morâ surgentes, festinent se inuicem præuenire ad opus Dei.* Quibus verbis satis indicat etiam interdiu, idq́ue rationes succinctos esse oportere. Idipsum verò S. BENEDICTVM de die fuisse præcinctum, Christus Dominus apud S. Birgittam testatur, dicens: *Quintam eius vestem fuisse cingulum humilitatis, quo præcinctus restringeret superflua, & expeditus laboraret consuetum & iniunctum laborem.*

Cap. 22. *Vnde id colligatur.*

Ipse S. P. præcinctus. Birgit. lib. 4. cap. 127.

Cuius materia esse voluit zonam.

Duo autem circa hoc Monachorum cingulum disquirenda. Prius, quænam zonæ materia. Nullam certam S. BENEDICTVS designauit, nam hoc tantùm ait: *Vestiti dormiãt, & cincti cingulis aut funibus.* Et Regulâ Magistri à Smaragdo citata: *Cùm dormiunt Monachi, vestiti dormiant & cincti, id est, aut cingulis, aut restibus, aut corrigiâ.* Cõstantinus verò Caietanus ait, Regulã S. BENEDICTI liberum reliquisse cuiusnam materiæ vel coloris esse debeat: eaq; libertate vsos Benedictinos, videre est in Camaldulensibus, Cęlestinis, Fuliensibus, & alijs, qui baltheis vtuntur laneis vel lineis. Hinc Paulus Diaconus ait: *Cingula fiunt ex lanâ, funes autem ex cannabo.* Probant hanc materiã Carthusiani: *Zonæ*, inquiũt, *nostræ totaliter vel pro maiori parte sint cannabinæ.* S. Cuthberti *zona* fuit linea, quia etiã miracula facta refert Beda. De cingulo Camaldulẽses ita statuunt: *Tu-*

Caietan. l. 2. pro Ioan. Diac. cap. 4. *Videtur non definiuisse.* Paul. Diac. in cap. 22. Reg. S. Bened. *Hinc ea varia apud varios.* Carthus. 2. part. Statut. nouor. cap. 3. §. 5. Beda in vit. Cuthbert. cap. 23.

A *nicæ cingi non possunt, sub graui pænâ, nisi corrigijs coriaceis: & habitus non cingantur nisi cingulo laneo, ex pannorum extremitatibus desumpto.* Cælestini verò suis ita præcipiunt: *Cinguli tam pro die, quàm pro nocte, sint de lanâ communi, vel etiam de panno lineo communi, albi coloris.* Cistertienses in Hispaniâ, laneâ candidaque zonâ super scapulare sunt pręcincti, in memoriã illius fauoris, quo Deipara Virgo B. Stephanum Cistertiẽsem in agro cum suis Monachis laborantem benigno vultu aspiciens, candidissimâ & laneâ B zonâ, quã è cœlo visa est portare, proprijs manibus cinxit, vt testãtur Angelus Manrique, & Chrysostomus Hẽriquez. Cluniacenses corrigiâ subinde vsi staminea. Cassinenses porrò ita decernũt: *Caueant insuper omnes à cingulis sericis aut etiam laneis super tunicam, sed omninò vtantur cingulis ex corio confectis.* Bursfeldenses verò suis præscribunt *cingulum* ex corio *ceruino*.

VESTIARIVM. Camald. ad c. 22. Reg. *Plerisque ex lana placent.* Constitut. Cælest. tr. 1. c. 10 p. 4. *Vnde zona alba Cistertiensium.* Angel. Mãriq. in Sanctoral Cist. lib. 1. in proœm. Henriq. in Menol. Cister. 6. Apr. Cassinens. in cap. 35. Reg. *Quidam habent cingula coriacea.*

Latitudo zonæ Benedictinæ.

Alterum illud disquirendũ, quę Benedictinæ zonæ forma, siue amplitudo? Vnius pollicis latitudinem nõ excessisse, colligas C ex Ioanne Diacono, qui ex hoc cingulo arguit S. Gregorium Benedictinum fuisse; scribens enim de eiusdem Sancti translatione, ait: *Porrò exilitate balthei, quæ vnius pollicis mensuram numquam excedit, speciẽ propositi regularis, olim à* S. BENEDICTO *statuti, cuius ipse vitam describẽs in Dialogo, Regulam quoque laudauerat, eum seruasse, luce clarius manifestat.* Notat verò Cõstantinus Caietanus, nullam exstare memoriam Benedictinos acceptam à maioribus balthei mensuram variasse, quamuis materiam subindè mutaD uerint. Cùm autem eo tempore scripserit Ioannes Diaconus, quo Græci S. Andreæ Monasterium Gregorianũ obtinebãt, numquam certè ille in oculis Græcorum, ipsi summo Pontifici, totiq; Ecclesiæ scribens, huius in baltheo distinctionis Monachorũ meminisset, eandemq́ue contra Græcos Latinorum Monachorum æmulos pro argumẽto posuisset, nisi Balthei Benedictini & Gregoriani à Græcorum baltheo adeò insignis differentia extitisset, vt in Gregorio Benedictini Monachatus euidẽs argumentum faceret. E De hâc verò cinguli mẽsura ad posteros deriuata, testis quoque est Ioannes Monachus, qui ante sexcẽtos ferè annos floruit, in opere suo ex disciplinâ Patrum Cluniacensium excerpto, quod inscribitur: *Perfectus vsus, siue ordo ad ornandam Ecclesiam Catholicam: nec non ad conseruandam regularis tramitis normam.* Vbi sic ait: *Vestimenta Fratrum mittit* S. BENEDICTVS *in prouidentiâ Abbatis, vt sint mensurata. Qualis autem sit illa mensura, secundùm Patrum definitionem, quantùm possumus indagamus.* Et paulò pòst: *Corrigia, quâ cingitur staminea,*

Ioan. Diac. lib. 4. vit. c. 80. *Vnius pollicis.*

Constant. Caiet. lib. 2. pro Ioan. Diac. c. 4. *Inuariatè obseruata.*

Gregorius Magnus Benedictinus.

Ioan. Monach. cap. de vestim. Monach.

postquam

VESTIARIVM.

postquam fuerit benè extenta, latitudinem in se pollicis habeat.

Baron. 10. 9. an. Christi 827. *Frustra sunt, qui ex cinguli exilitate id negant.*

Ex quibus non difficile fuerit respōdere Baronij & Gallonij argumento, qui volunt ex hâc balthei exilitate minimè probari S. Gregorium fuisse Monachum instituti S. BENEDICTI, quòd nimirum Occidentales omnes Monachi eiusdem cinguli genere vterentur. Respondemus enim non ipsum cingulum, sed cinguli mensuram differentem fuisse inter Orientales, & Occidentales, siue Basilianos & Benedictinos Monachatus tesseram. Quales enim fuerint, ait Caietanus, quamque amplæ *zonæ* Monachorum S.Basilij ex illorum vsu præsenti, ac perpetuò facilè intelligere poterat Gallonius, atque etiam ab ipsis Patribus Basilianis Romæ saltem degentibus didicisse: lanam enim crassiorem pilis caprarum in chordulas tortam contexunt, quarum plures conuincientes, zonam sibi componunt, vel certè in fasciæ speciem dilatant, ad mensuram non vnius pollicis, sed duorum vel trium digitorum. Neque vllam aliam diuersitatem Monachi illi, vel in materiâ, vel in formâ zonæ recipiunt, nisi quod harum rudioribus vtitur Anachoretæ; mollioribus verò eiusdē Instituti Cœnobitæ.

Differebant zonæ Benedictinorum & Basilianorum. *Horum latior fuit.*

Porrò id generis contextus pannus, ex quo non tantùm zonas, sed etiā vestes alias sibi conficiunt Basiliani, *ῥάσον* à Græcis nuncupatus fuit. Est autem *rhoson* (vt Coniates Nicetas autumat) vilis, tenuisque pannus, pilis crassaque lanâ textilis, Monachis (vt ipse affirmat) atque militibus in vsu. Non igitur pelliceam fuisse S.Basilij zonam (vt Gallonio asserere libuit) dici potest; sed ex pilis caprarum lanâ contextis, atque Benedictinâ latiorem: proindeque vel ex hâc vtriusque zonæ insigni differentiâ, & ex arcto S. Gregorij cingulo, hunc non Basilianum, sed Benedictinum, Ioannem Diaconum interpretari potuisse. Et hæc de *zonâ*.

Nec pelliceа, sed è pilis caprarum texta. Coniat. Nicet. Lexic. MS. in Biblioth. Vatic.

Cingendi modus. Basil. Epist. 8.

Sed quis cingendi modus? Basilium audiamus Gregorio Theologo ita scribētem: *Tunica cincta appressa sit corpori & adstricta. Cinctus neque muliebrem in modum ilia exsuperet, neque prælaxus fluxam tunicam efficiat.*

DISQVISITIO II.

Num vetitum aliquando Monachis zonam gestare?

Vt intelligendum Conc. Aurelian. Monacho zonam prohibens. Aurel. can. 22.

I. *Quidam legit tzangas, non zonas.*

PRÆCINCTOS ab omni æuo vidimus Monachos, quos Aurelianensis Concilij canō videtur discingere, ita enim habet: *Monacho orarium in Monasterio, vel zonas habere non liceat.* Hanc difficultatem vt expediret homo quidam eruditus apud Stephanum Durantum, conijciebat, corruptè in eo canone scriptum, *zonas*, legendumq; esse *Tzangas*, quarum vsum intra vrbem vetant Arcadius & Honorius *libro* 2. & 3. de habitu, quo vti oporteat intra vrbem. *Tzangarum* quoque semel atque iterum meminit Curopalates, & Moschopulus, lib. *περὶ χιτῶν τζαγκάςαν*, quibus locis apparet *Tzangas* fuisse genus quoddam calceamētorum. Vetus interpres Horatij senatorios calceos *zangas* interpretatur. Verùm, vt idem Durantus obseruat, communis lectio retinenda videtur, cùm in omnibus exemplaribus, & Concilij Aurelianensis, & in Summa Conciliorum, & Decreto Gratiani legamus *zonas*. Deinde non solùm in Monasterio, sed nec extra licet Monacho habere *Tzangas*.

Durant. lib. 1. de ritib. Eccles. Cathol. cap. 9. num. 11. Ioan. Curopal. lib. de official. palatij Constantinop. *Non placet.*

II. *Prima nostra coniectura.* Grat. 27. q. 1. cap. Monacho.

Ego verò incidens in hunc Canonem apud Gratianum, legensq; hunc titulum: *Monachus vxorem ducens nunquā sacri gradus sortiatur officium*; ipsumque Canonem hoc modo expressum: *Monacho Orariū in Monasterio, vel zonas habere non licet. Et si postea vxori fuerit sociatus, tātæ prauaricationis reus nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Et quod glossa ibidem, *Orarium* asserere poni pro quolibet ornamento muliebri, & propriè esse peplum, quo mulieres caput velant, partemq; poni pro toto; existimaui similiter *zonas* pro muliebri indumento, aut ipsis feminis positum. Quam coniecturam confirmare videtur, quod Vlpianus in L. *vestis*, inter muliebria indumenta, quæ Matrisfamilias causâ parata sunt, quibusque vir non facilè vti potest sine vituperatione, connumeret *zonas*, quod Bayfius, Martialis, Athenæi, Platonis, Ciceronis testimonio comprobat. Verùm postquam animaduerti Gratianū duos Canones Cōcilij Aurelianensis in vnum conflasse, & fortè vtrumque non eadem de re agere, non ausus fui coniecturæ huic inniti.

Per zonam hic accipi muliebre indumentum. ff. de auro & argento. *Non satisfacit.*

III. *Verius, vetari hic marsupia.* Loco citat. Matth. 10.

Tertia proinde meliorque responsio sit, quam affert quoque Stephanus Durantus; Non licere Monacho in Monasterio *zonas* habere, hoc est, marsupia, siue crumenas, quemadmodum Christus Dominus Apostolis dixit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Quod Euthymius exponens, ait: *Moris erat ijs, qui per viam gradiebantur, crumenas ferre zonis appensas, in quibus æreos nummos habebant.* Quem sequitur Abulensis. Sed rectiùs omninò intelligemus in ipsis *zonis* pecuniam repositam. Veteres enim *zonas* nummis refertas habebant, quod complurium testimonijs comprobatur. Suetonius in Vitellio: *Zonâ*, inquit, *se aureorum plenâ circumdedit.* Et Alexander Seuerus Imperator, vt scribit Lampridius, *Miles*, ait, non

Veteres in zonis nummos gerebant. Sueton. c. 16. Lamprid. in Alexand.

ait, *non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliquid in zonulâ.* Spartianus in Pescennio Nigro: *Iussit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent.* Jtem Appuleius: *Femina quædam Plotina Zonis auro monetali refertis incincta dicitur.* Gracchus apud Agellium: *Zonas,* inquit, *quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes intuli.* Hinc Castrense prouerbium apud Horatium:

Spart. in Pescennio Nigro. Appul. l. 7. Agell. lib. 15. cap. 12. Horat. l. 2. Epistola 2.

Ibit eò, quò vis, qui zonam *perdidit, inquit,*

Id est, qui pecuniam amisit, & inopia laborat. Et Iuuenalis:

Iuuenal. Satyr. 14.

—— *Et* zonam *læuâ morsuque tenebit.*

A naufrago enim *zona* pecuniæ plena, manu tenetur & dentibus. Plutarchus quoque tradit, Sosiginem nummos aureos habuisse in *cingulo* militari. Venustè quoque Plautus:

Plutarch. in Demetrio. Plaut. in Pœnulo.

—— *Tu qui* zonam *non habes,*
Quid in hanc venistis vrbem, aut quidnam quæritis?

Pæni enim discincti, vel Virgilio teste: neque in vrbem sumptuosam sine Marsupio venire oportuit.

Ex quibus omnibus satis confirmatur veterum consuetudo nummos in *zonâ* gestandi, ad quam respexerit Synodus. Non igitur prohibet Monachum in monasterio habere *Zonam*, quâ cingi solet: sed *Zonas*, id est, crumenas nummis refertas. At vbi è monasterio proficiscuntur, non prohibentur Monachi *Zonas*, marsupia, & nummos viatici ergo deferre.

Monachis itinerantibus permissa pecunia.

DISQVISITIO III.

Quid Mappula?

A Monasticâ zonâ æs & pecuniam abscidimus, non sudarium, quod ex eo suspendi plerumque solet. Sed vbi sudarium in Regulâ S. BENEDICTI? Recenset ille Monachorum supellectilem prorsus accurate, & in eo censu occurrit MAPPVLA. Videamus quid illa sit, & quem habeat vsum. Antonius Perez vocem hanc sublatâ interpunctione cum sequente coniungit, legitque *Mappulas tabulæ*, hoc est, inquit, mappulas mensæ, etiam illas, quæ ad manus lauandas, sudoremque laboris tempore abstergendum conducant. Priorem autem illam expositionis suæ partem, ex Calepini Dictionario videtur desumpsisse, qui *Mappam* interpretatur linteum, quo mensa sternitur, aut certè quâ manuum sordes in mensâ abstergimus. Nam in conuiuium pro se quisque *mappam* afferebat. Martialis:

Quid Mappula Benedictina. *Peregrina interpretatio.* Mart. l. 12.

Attulerat mappam *nemo, dum furta timentur.*

Hanc interpretationem secutus est, qui Regulam nostram Belgicè vertit, & *Mappulas* interpretatur **dwaelen**. Quæ quidem vt vocis illius significationem probè explicant, ita putauerim ad mentem S. BENEDICTI non facere, qui non de domesticâ aut refectorij supellectili, sed de eâ dumtaxat agit, quam singulis Monachis pro quotidiano vsu ab Abbate vult tribui.

Etiam Flå- VESTIARIVM. *drica allucinatur.*

Quare melius quid *Mappula* sit interpretatus est noster Alcuinus: *Mappula,* inquit, *est quæ in sinistrâ parte gestatur, quâ pituitam oculorum & narium detergimus.* Et Honorius Augustodunensis: *Ad extremum,* ait, *Sacerdos fanonem in sinistrũ brachium ponit, qui & Mappula & sudarium vocatur, per quod olim sudor, & nariũ sordes extergebantur.* Prudentius iunior, siue Trecensis, qui ante octingentos vixit annos, in vitâ S. Mauræ Virginis: *Leo Abbas & sancta eius conuersatio recognoscunt, quibus de proprio cucullas & Mappulas acquirebat.* Et infrà: *quantæ autem virtutis & efficaciæ sit Mappula, quam Leoni Maura tribuit, protestatur Melanius.* Gaspar Barthius hæc exponens, ait: *Mappulæ* sunt emunctoria, siue muccinia, vt vocat Arnobius. Occurrit quoque eadem vox in Regulâ sanctimonialium S. Cæsarij, vbi sic habetur: *Acupictura nunquam nisi in Mappulis & britergijs, in quibus Abbatissa iusserit, fiat.* Vbi Franciscus Meinardus, antecessor Pictauiẽsis, obseruat legendum, *Facitergijs*, quibus faciei sudores absterguntur, vt est in glossis Arabico-latinis. Arnobius *Muccinium* appellat. Quibus *Mappulis* & muccinijs similem præbebant vsum senatoribus *Odonaria*, siue *Odonia* vel *Oraria*, de quibus ita Glossæ Basilixῶν: *Odonaria & Odonia textilia oblonga, quæ & Oraria nonnullis dicuntur;* hæc autem Senatores Palatium intrantes deferebant, ijsque mucum & sputum excipiebat.

Mappula est sudariũ. Alcuin. l. de diuinis offic. c. 37. Honorius Gemmæ animæ l. 1. cap. 208. Barth Aduersarior. l. 48. cap. 9. *Idem quod Muccinia.* *Facitergia.* Arnob. l. 2. *Odonaria senatorum.*

In hoc autẽ sensu *Mappulã* accipi à S. BENEDICTO, vel ex eius vita colligi potest. Refert enim S. Gregorius, misisse eum quemdã è fratribus suis pro exhortandis Sanctimonialibus feminis, eumque post admonitionem factã ab ijs rogatũ, *mappulas* accepisse, sibique eas abscondisse in sinu. Vbi Zachariæ metaphrasis habet ἐγχείριον. Quã vocẽ explicat S Germanus Constãtinopolitanus. τὸ δὲ ἐγχείριον τὸ ἐπὶ τῆς ζώνης ἐστὶ τὸ ἀπομάξαι τὰς χεῖρας αὐτοῦ λέντιον. *Manuale verò est linteum de zonâ pendens ad eius manus tergendas.* Ex quo facile apparet, *Mappulas* non pro mantilibus, sed pro strophiolis, sudarijs, aut muccinijs accipiendas, qualia hodieque Moniales Concionatoribus, Confessarijs, alijsque subinde dare solent: Vnde etiam Turrecremata; *Mappula*, inquit, ad abstergendum scilicet sudorem laboris tempore, vel cùm in viâ faciem Manusque lauat. Et Bursfeldenses *Mappulam* sudarium vocant: Gallicæ interpretationes *mouchoirs*, vel *mouchouers*. Et S. Hildegardis: *Mappula,*

Probatur Mappulas sumi hîc pro strophiolis. Greg. l. 2. dial. c. 19. *Ex vitâ S. Benedicti.* Germ. in myst. Theor. *Et Regulæ interpretibus.* Hildeg. in Exposit. reg. S. Bened.

VESTIARIUM

Talis Arsenij mappula.

Amal. l. 1. de eccl. off. c. 6.

Ex SS. Patrum.

Durand. in Ration. c. 5

inquit, *velut sudariū ex lino forma, qua sudorē à se profluentē, dum in opere laborabant, abstergebāt.* In Martyrologio Bedæ, XIV. Calendas Augusti, legimus, inquit Amalarius Fortunatus, S. Arsenium, *propter copiam, & affluentiam lacrymarū,* quas perpetuò effundebat; *mappulam,* seu sudarium semper in sinu, vel in manu habuisse, quo fletum abstergeret. Habebant, ait Durandus, sancti Patres dum sacra tractabant, & sacramenta conficiebant, mappulas, & parua mantilia pro manibus tergendis.

Quid Mappula in Isidori Regulâ.

Reg. Isid. cap. 12.

Aliam porrò significationem *Mappula* habere videtur in Regulâ S. Isidori. *Mappulam* enim cum tunicis, cucullis & pallijs inter vestes recenset: *Monachi,* inquit, *in Monasterio pallijs semper operiantur: vt pro honestate tecti incedant, & pro ministerio operis expediti discurrant. Sanè si quis fortè pallium non habet, humeris Mappulam superponat.* Quid verò talis *Mappula* sit, non satis assequor, nisi fortè scapulare quis intelligendum putet. Ioannes quidem Diaconus in vitâ S. Gregorij Magni, meminit Planetatotum, *Mappulatorumque,* qui in solemni processione Pontificem præcedebant, de quibus etiam ipse Gregorius scribit Ioanni Episcopo Rauēnati: *Illud quod pro vtendis à Clero vestro Mappulis scripsistis, à nostris est Clericis fortiter obuiatum; dicentibus nulli hoc vnquam alij Ecclesiæ fuisse concessum.* Verùm hę *Mappulæ,* vt docet Laurentius Lantmeter, erant candida equorum strata ex panno lineo. Quali equorum ornamento vsos quoque fuisse Carthophylaces Ecclesiæ Constantinopolitanæ, refert ex Balsamone Baronius. Sed hæc in Monachos quadrare non possunt, quibus linteis, birris & Planetis, ex eâdem S. Isidori Regulâ vti non licet, vt omittam *Mappulas* illas, de quibus Gregorius, fuisse propria Romanorum Clericorum ornamenta, quibus alijs non nisi ex priuilegio vti fas erat. Onuphrius Panuinus *Mappulam* ait esse, quam hodie manipulum appellamus, quæ à Mappa, quâ manuum sordes in mensâ abstergimus, dicta est.

Distinct. 93 cap. Illud autem.

Quæ Mappula Cleri Romani.

Lantmet. l. 1. de vel. Cler. & mon. hab. p. 1. c. 18.

Baron. ad Ann. 591.

Non conueniunt Monachis.

Pannin. in terp. voc. eccl. obsc.

DISQVISITIO IV.

Quid Bracile?

Varia sententia, quid sit Bracile.

CONNUMERATUM & hoc à S. P. inter necessaria ab Abbate danda. Quid verò sit, non satis inter auctores constat. Smaragdus & Turrecremata absque interpretatione, vocabulū hoc transiliunt.

I.

Quidam legunt brachiale.

PRIMO, videtur positum pro *Brachiali,* nam vetustus codex MS. S. Dionysij, & expositio S. Hildegardis, & Boerij, pro *Bracile* habet *Brachiale.* Brachialia autem ornamenta & tegumenta sunt brachiorum, sicut tibialia tibiarum, frontalia frontis. Atque hinc Guido Iuuenalis, Laurentius Benard, alijsque in traductione Gallicâ Regulæ, *Bracile* vertunt *Manicas,* quæ brachiorum indumenta sunt. Quam interpretationem Belgica traductio quoque sequitur, & confirmari posset ex S. Hildegardis expositione, quæ monasticam tunicam instructam esse ait *brachialijs, nec multum amplis, nec multum constrictis ad manus tendentibus.* Hæc autem *bracialia,* paulò superiùs de cucullâ agens, vocauerat *Manicas.* Quod si verò quis interroget, quid opus fuerit S. BENEDICTO seorsim manicas præscribere, cùm in tunicâ satis intelligerentur? Respondet Guido Iuuenalis, Tunicam fuisse absque manicis, & ideò eas seorsim ab Abbate dandas, vt cùm laborandum est, monachi eas exuant. Sed de hoc iam suprà egimus.

Et vertunt manicas.

Hildeg. in expos. c. 55.

Quæ tunica non fuerint assuta.

II.

Quid de Bracile dicat Isidorus

Lib. 19. Etimolog. cap. 33.

SECVNDO. Isidorus: *Redimicilum, quod succinctorium seu* BRACILE *nuncupamus, quod descendens per ceruicem, & à lateribus colli dimissum vtrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit, vt constringens latitudinem, vestiat corpus, atque coniungendo componat; hoc vulgo* BRACILE, *quasi braciale, vocant, quamuis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum.* Locus ex Cassiano expressus. Vbi *Rebrachiatoria* vocantur, & sunt, vt ibi Gazæus, resticulæ duplices, laneo plexæ subtegmine, quæ inferiores vestes circa pectus & lumbos succingebant. Gestant hodie (vt habetur in notis ad Isidorum) has duplices resticulas laneas Monachi, qui S. Bernardi instituta sectantur. Hæc verò *rebrachiatoria,* & succinctoria à Cassiano & Isidoro descripta, Laurentius Benard volt esse S. BENEDICTI *Bracile,* nostrumque scapulare, quod illud brachia, pectus, humerosque stringat, quale fuisse dicit Scapulare S. Maioli, latum pedes tres super vtrumque brachium, descendebatque vsque ad cubitos, vbi brachium finitur, atque hinc *bracile* à S. BENEDICTO, & *Rebrachiatorium* à Cassiano vocatur; quod Analabum S. Dorotheus dixit. Sed an hinc conficiatur *bracile* esse scapulare, meritò quis dubitet. Nam Isidorus expressè ait, *Bracile* suo tempore non brachiorum, sed renum fuisse cingulum. Deinde etsi scapulare S. Maioli, & à Theodemaro descriptum, & antiquum Fuldensium vsque ad cubitos manicas habuerit, non tamen hinc rectè inferas, idem esse cum *bracili.* Anabolum verò S. Dorothei, Gazæus noster ait significatione longè diuersum esse ab Anabola Cassiani, & Anaboladio Isidori; & noua prorsus est expositio, *bracile* pro scapulari.

Rebrachiatoria quid esse censet.

Cass. l. 1. institut. c. 4

Et Benedictinum scapulare.

Non videtur.

III.

Bracile pro Zonâ accipi.

TERTIÒ, suppositâ posteriore Isidori interpretatione, Menardus ait, *Bracile* significare Zonam, seu renum cingulum.

Menard ad c. 62. Concord. Reg. Mag. c. 11.

lum. In quâ etiam manifestè sumitur à Magistro in Regulâ. *Cum dormiunt, vestiti dormiant, & cincti aut cingulis, aut restibus, aut corrigiâ. Bracili in nocte fratrem vti ideo prohibemus; ne dum se regirat per somnũ oppressus, exiens per thecã mucro cultelli carni eius infigatur. In die verò cingãtur Bracilibus, dicente de S. Ioãne scripturâ: Et circa lumbos erat cinctus Zonâ pelliceâ.* Ex quo Magistri loco, inquit Menardus, satis patet, quid S. B. per *Bracile* intelligat; maximè cùm nullã zonę mentionẽ fecerit, quę tamẽ necessaria. Quę si probanda videatur expositio, in eius confirmationẽ considerare licebit optimo ordine S. BENEDICTVM necessaria cuinis exhibenda recensuisse. Primò enim posuit corporis indumenta, cucullam, & tunicam; Secundò, indumenta pedũ pedules & caligas; tertiò, zonam, vel cingulum, quod dixerit *Bracile*, & quia ex eo solent dependere, ex vno scilicet latere cultellus, graphium, acus; ex altero mappulæ, & tabulæ. Nam suspensum ita cultellũ ex Magistro discimus, cui in eadem thecâ graphium, & acus facilè poterant adiungi. De Mappulâ dictum, & de tabulis, siue pugillaribus aliàs ostendemus.

Et fauent quadã huic expositioni.

IV. Hildegardis sumsit pro cingulo, cui illigata tibialia.

QVARTÒ. S. Hildegardis *Bracile* manifestè distinguit à zonâ, quâ, inquit, *super tunicã cingebantur, ne illa diffflueret.* Bracile autem, siue vt legit *Brachiale ad cutem erat, à quo caliga dependebant.* Boërius: *Brachile,* inquit, aliàs *Bracile, id est lumbare, & est zona in quâ bracca & corrigia, quibus ligantur caliga, dependent.* Et Bursfeldenses præscribunt *Caligas laneas, in hieme longiores, ad Bracile religatas.* Horum proinde sententiâ, *Bracile* zona esset aut cingulum interius ad cutem, cui tibialia, quæ caligas vocant, alligarentur.

Cerim. Bursf. dist. 3. c. 14.

V. Verius Bracile capitur pro breuibus femoralibus.

Manriq. annal. Cistert. 10. 1. anno Christi 1101. c. 2. n. 8.

Probatur.

QVINTÒ, Angelus Manrique non longè ab hac sentẽtia recedẽs, ait: *Bracile* nomẽ à braccarũ vocabulo deductũ tegmẽ sonare videtur illorũ partiũ, quas natura velari voluit. Additque: Siluanus Camaldulensis, confusè licet, indicat per *Bracile*, femoralia ex panno; per *femoralia*, linea intelligẽda, atq; illis concessis, hæc negata, itinerãtibus tantùm seruitura. Breuia quippe illa necessaria credita cunctis inhonestis naturæ cõtegendis. Longiora equitantibus vtilia, tunicã in ascensu, aut descensu, quamuis honestè & proindè demitterẽt, inuoluntariè aliquãdo eleuaturis. Ergo *Bracile* indumentũ breuius erat, proprio vocabulo exprimẽte breuitatem, à voce Gręcâ *βραχὺ* quæ breue sonat; neq; operiens inferiorẽ partem femoris. E contra verò femoralia longa, decidẽtia vsq; ad genua, atq; à femoribus, quę integrè tegebant; sic appellata, eoque itinerantibus aptiora. Certè hoc modo Regulã intelligit, exsequiturq; vt alia prorsus ad litterã, sacra

A voce βραχὺ,

VESTIARIVM.

Fulliensium interpretatione.

In constit. ad cap. 55. regulæ.

Fulliensium Patrum congregatio, editâ ad idem caput constitutione, quæ ita habet. *Femoralia, seu mutandæ petentibus à superiore cõcedantur. Sed linea ex telâ crassiori, & breuiora, iter facturis longiora, & hieme lanea, si petierint, dentur.* Benedictinis proinde *Bracile* idem erit quod succinctorium, subligaculũ, siue campestre, quibus probi auctores breuiora designãt tegmina, quibus protoplasti nostri sua consuerunt perizomata. De his agens Augustinus, *Consuerunt,* inquit, *folia fici, & fecerũt sibi campestria, id est, succinctoria genitalium. Nam quidam interpretes* succinctoria *posuerunt. Porrò autem Campestria Latinum quidẽ verbum est, sed ex eo dictũ, quod iuuenes qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: Vnde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat.* Horatius hac voce vsus.

Bracile idẽ quod subligaculum, succinctorium, & Campestre.

August. l. 14. de ciuit. cap. 17.

Quid illud.

Horat. l. 1. Epist. 11.

Pænula solstitio, campestre niualibus auris.

De quo vide Torrentium. Iuxta hanc sententiam S. Legislator noster honestati optimè prospexit; expressè assignando breuiora subligacula, quibus domi, femoralibus ibidem interdictis, vterentur, de quibus aliàs nusquam mentionem fecerit.

Vsus Bracilis domi.

DISQVISITIO V.

An Benedictinis domi femoralia permissa?

Scenici femoralibus vsi.

Cic. lib. 1. offic. c. 35.

CONTRA religiosam honestatẽ esse videtur, femoralibus non vti, cùm etiã, vt Cicero ait: *Scenicorum mos tantam habeat à vetere disciplinâ verecundiam, vt in scenã sine subligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, si quo casu euenerit, vt corporis partes quadam aperiantur, adspiciantur non decorè.* Deinde pro Sacerdotibus veteris testamenti Moysi præceptum hoc datum fuit: *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis sua à renibus vsque ad femora: & vtentur eis Aaron & filij eius quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando propinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Quousque autem hęc feminalia pertingerent, & in quem vsum ea Deus præscripserit, optimè explicat S. Hieronymus: *Lineis,* inquit, *feminalibus quæ vsque ad genua & poplites veniunt, verẽda celantur: & superior pars sub vmbilico vehemẽter adstringatur: vt, si quando expediti mactant victimas, tauros & arietes, trahunt, portantque onera, & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, & femora reuelauerint, non pateat quod opertũ est.* Cũ autẽ S. BENEDICTVS quotidianũ manuum laborẽ suis pręscripserit, illoq; viuẽte cõstet Religiosos cæmentariã exercuisse, parietes satis altos construxisse, humum fodisse, ligna secuisse, aliaque similia passim exercuisse, in quibus lapsus periculum non rarò occurit: omnino dicendum videtur ijs eâdem ratio-

Sacerdotibus Mosaicis præscripta.

Exod. 28. 42.

Cui vsui.

Hieron. Epist. 128. ad Fabi.

Videri Benedictinis concessa.

VESTIARIVM. ne, qua sacerdotibus veteris testamenti femoralia concedenda.

Luc. 12. Tertiò, Christi Saluatoris vox est: *Sint lumbi vestri præcincti.* quam præcincturam Hieron. in cap. 44. Ezechiel. per feminalia fieri docet idem Hieronymus, nam exponens locum Ezechielis, vbi *feminalium linearum* est mentio, dicit; *Quibus feminalibus accingi vult Saluator Apostolos, dicens: Sint lumbi vestri accincti.* Quare quidam putant S. P. BENEDICTVM cùm dixit: *Femoralia hi qui in viâ diriguntur, de Vestiario accipiant, quæ reuertentes lota ibi restituant;* intelligendum, vt itinerantibus dentur femoralia meliora, quàm ea quæ erant in quotidiano vsu. Sic enim paulò infrà generatim præcipit, vt in viam directis vestes dentur meliores, & honestiores, ita Laurentius Landtmeter. Sed magis mihi probatur altera eius expositio, quâ ait, censere se, femoralia à S. BENEDICTO nec vetita, nec præcepta, fuisse tamen in vsu, saltem succinctoria, siue campestria: atque eâ regulæ parte Legislatorē nostrū statuisse, vt in iter directis dentur femoralia longiora, quia quotidiana & domestica breuiora erant.

Et Regulâ sic aliqui interpretantur.

Landtm. l. 1. de cler. & monach. hib part. a. cap. 14.

Sed plures censent domi interdicta femoralia.

Plerique autem censent, femoralia nostris domi interdicta, inter quos occurrit *Primò* Antonius Perez, dicens: Ex verbis S. BENEDICTI datur intelligi, quòd Monachi nisi extra monasteriū femoralibus non amiciebantur. Non enim de illis æquè ac de cucullâ, & tunicâ dicitur, quod egressuris de Monasterio meliora solitis tribuantur, sed absolutè dicitur, quòd dirigendis in viam conferantur de vestiario, & quòd reuertentes lota ibi restituant. In eadem sententia est Iulius Nigronus, qui ait S. BENEDICTVM femoralia iter acturis tantùm concedere, laudatque Cardinalem Turrecrematam iure ac prudenter à S. BENEDICTO recedentem, atq; ita loquentem: Vbi aduertendū quod tempore huius institutionis rarus erat vsus braccarum; sed quidquid sit de vsu illius tēporis, cōuenientius nobis videtur, quòd Religiosi in monasterio, & in viâ directi illis vtantur. Quod autem ait tēpore S. BENEDICTI rariorem fuisse vsum braccarū, etiam ante ipsum scripsit S. Hildegardis, quæ ait: *Abbas autem de mensurâ prauideat, vt non sint curta, velut quorumdam laicorum, sed ad talum descendentia, quoniam femoralibus in cellâ suâ non vtebantur. Quapropter subinfert: Femoralia hi, qui in viâ diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes ibidem lota restituant, vbi intelligi potest, quod Monachi sub Magisterio eiusdem Patris degentes, non nisi de cellâ exeuntes, femoralibus vtebantur. Nā quia multitudo hominum femoralibus eo tempore non vtebatur, idcirco idem Pater, propter mores hominum, & propter sinum puerilis simplicitatis & humilitatis, dum in cella resideret, discipulis suis femoralia non concessit. Sed exeuntibus, siue equestribus, siue pedestribus, propter exemplum castitatis, & propter virilem honestatem, & reuerentiam hominum, eis indulsit.* Hæc sanctissima virgo; quibus addendum ob arenam, lutum, pluuiam, cùm tunica est succingenda, ac inferior femorū pars poplitibus vicina nudāda, eadē esse necessaria. Vnde Carlomannus, Francorū Rex, Nouitius Cassinensis, ea habuisse scribitur, cùm oues ad pastū deduceret. Id enim ei ex obedientiâ iniunctū erat. Is autē à latronibus per vim aliquādo nudatus, *detegi pudenda non ferens, femoralia tantùm ab eis violenter eripuit; cetera patienter illos auferre permisit,* Vt pluribus refert Ostiensis.

In cap. 55. Reg.

Nigron. in Comment. ad Regul. 11. com. Societ.

Tr. 11. in c. 55. Reg. S. Bened.

Nam aeuo S. Benedicti rarior eorum fuit vsus.

Hildeg. in Coment. Reg. S. Bened. c. 55.

Itinerantibus indulta.

Nec mirandum tempore S. BENEDICTI quosdam fuisse sine femoralibus, nam etiā S. Ambrosius de Iudaicorum Sacerdotum feminalibus loquens, insinuat suo tempore non omnibus fuisse vsitata, cùm ait: *Quod* (præceptum de feminalibus) *nonnulli nostrorum adhuc seruare dicuntur, quasi plures non obseruarent.* Et Philippus Bonæ spei Abbas, qui longam de his disputationē texit, testatur vsque in sua tempora Scotos sub tunica fuisse sine braccis aut femoralibus. Cistertienses quoq; tempore S. Bernardi, arbitrati sunt vetita esse Benedictinis extra iter constitutis femoralia, nam de hac re cum Cluniacensibus tamquam Regulæ violatoribus expostularunt: *Femoralia,* inquiunt, *de vestiario hos, qui in viâ diriguntur, accipere, & reuertentes ibidem reponere iubet: vtique præter illos nulli ea ferre permittens.* Atque ita etiam Cistertienses obseruarunt, quorum instituta describens Iacobus à Vitriaco, ait: *Camisijs non vtuntur, neque femoralibus, nisi fortè cùm necesse fuerit eos equitare.* Fluxit autem hoc ex primâ S. Roberti institutione, qui (vt Ordericus Vitalis annotauit) Molismensibus suis inter cetera sic dixit: *A femoralibus & staminijs, pellicijsque secundū Regulā abstineamus.* Regulæ quoq; religione ducti sine dubio fuerūt illi Casinenses, de quibus Theodemarus ait: *Multi tamē ex fratribus adiuuante Deo, in tantum se continent, vt neque femoralia habeant, neque amplius quàm duplicia (secundùm regulæ textum) indumenta.* Vbi illud, *secundùm regulæ textum,* non tantùm ad duplicia vestimenta, sed etiam femoralia referas: atque hanc solam fuisse caussam, cur à concessis pluribus vestimentis, & femoralibus abstinuerint. Et Bernardus Casinensis à Boerio citatus, ait Casinenses femoralibus non vti, *nisi in viam fuerint directi, neque etiam Cistertienses.* Non dissimiliter B. Fructuosus apud Smaragdum: *Qui femoralibus vti noluerit, reprehendendus,* inquit, *non erit: cùm nunc vsque comites pleraque hunc vsum monasteria etiam in his regionibus non habere.*

Nec soli Monachi sine femoralibus.

L. 2. chron. Cassin. c. 7.

Ambros. Lib. offic. cap. 18.

Philipp. de contin. cler. cap. 2.

Primi Cistertienses, vt Regulæ contrariæ reiecerunt.

Apud Pet. Venerab. l. 4. Epist. 28.

Vitr. hist. occid. c. 14.

Vital. Ecclesiast. hist. lib. 8.

Etiam quidam Casinenses.

Theod. epist. ad Carol. M.

Smarag. in cap. 55.

Ex quibus omnibus constare credo mentem S. BENEDICTI fuisse, vt in Monasterio à femoralibus nostri abstinerent, quorum nuditati

Mens S. Benedicti pro femoralium vsu.

nuditati satis consultum putauit solo illo, de quo superiùs egimus, subligaculo; quod probabiliter putamus dictum *bracile*. Neque verò id magnoperè mirandum, cùm olim neque Hebræis, neque Romanis togatis, alijsque pluribus gentibus etiam Christianis vsus femoralium fuerit promiscous, vt dissertatione singulari de Caligâ probat Nigronus.

Qui varius apud veteres.

Nigron de caligâ c. 2. 9. 29. 30. 31.

DISQVISITIO VI.

An apud Benedictinos femoralium vsus postea receptus?

QVAMQVAM in pluribus monasterijs nostri Ordinis vsque ad hæc ferè tempora perseuerauerit consuetudo sine femoralibus, solo breuiori subligaculo, vel etiam sine illo incedendi; id tamen, vsque adeò nonnullis visum indecorum, vt hac in parte à Regulâ recedere maluerint, quàm pudoris aliquod periculum subire. Vnde Theodemarus scribit, concessa fratribus suis *duplicia femoralia*. In Aquisgranensi Synodo Monachis singulis *duo paria femoralium* assignantur. Et iam olim in hoc nostro Affligemensi monasterio ante quingentos annos vsus femoralium increbuerat, vt patet ex peruetusto libro Guilielmi Abbatis, *de modo ordinis obseruandi à Monachis professis sub Regulâ B. Benedicti*, quem titulo *Ritualis* citauimus. Cluniacenses eadem gestasse, ex epistolâ Petri Venerabilis, quâ vsum hunc defendit, constat. Et Turrecremata, vt vidimus, conuenientius iudicat Religiosos etiam in monasterijs braccis vti, quod ante eum etiã alij censuerunt, vnde S. Fructuosus ait: *Femoralium vsus custodibus est permittendus, maximè his qui in ministerio implicantur altaris.* Et S. Hildegardis: *Nunc tempore isto quoniam mores hominum ita ostendunt, Deo non displicet, si Monachi propter blasphemiam incessus, quam in nuditate carnis degustare poterunt, femoralibus vtantur, ne nudi carne carnem attingentes, carnalium peccatorum reminiscantur.* Molismenses quoque S. Roberto pro femoralium abrogatione differenti, eundem honestatis titulum inter cetera prætexuerunt. Hęc enim apud Ordericum Vitalem: *Magna pars hominum, in calidis regionibus caret femoralibus, tunicisque fruitur, vt mulieres, laxis & talaribus. Quorum consuetudinem non abhorret, sed amplectitur inde propagatus, ibique consistens Monachorum cuneus. At omnes populi braccis vtuntur in Occiduo climate, nec eis tam pro frigore, quàm pro dedecore norunt carere. Quibus pro caussis idem mos est in nostro Ordine. Nec illum, qui vtilis & honestus est, volumus relinquere.*

Femoralia ob verecundiam quandoque à Benedictinis recepta.

Conc. Aquisgr. can. 22.

Lib. 1. Epistola 28.

Apud Smaragd.

Hildeg. in explicat. Reg. c. 55.

Molismenses pro ipsis differunt.

Vital. Eccl. hist. lib. 8.

VESTIARIVM.

Sed audiendus cum primis hîc est Petrus Venerabilis, qui consuetudinē hanc contra Cistertiensium obiectiones egregiè tuetur: *Femoralia sanè*, inquit, *ratione necessitatis, munditiæ & honestatis nobis defendimus: recolentes insuper Deum præcepisse, ne summus Sacerdos sine femoralibus lineis ad altare suũ accedere præsumeret, ne si hoc faceret, pœnã mortis incurreret. Et quãuis in feminalibus lineis ministris Dei castitas indiceretur: tamen honestas velandorum inhonestorum non excludebatur, immò sollicitè præcipiebatur. Vnde & Apostolus: Inhonesta, inquit, nostra abundantiori honore circumdamus. Huius ergo rei honestas quidem intelligitur: necessitas autem apertiùs exponeretur, si de talibus sicut de ceteris, liberè loqui permitteremur. Honestum tamen est, vtile est, necessarium est, & idcirco contra Regulam, quæ nulla, vt sæpe iam diximus, necessaria interdicit, nec in hoc aliquid agimus.* Hæc S. Abbas. Necessitatem verò, quam ille honestatis caussâ non exponit; nimis fortè curiosè explanauit Abulensis, quem adeat cui talia legere animo sederit. Nos id addere possumus, eâdem ratione quâ Mosaicis sacerdotibus præceptum fuit, ne per gradus ad altare ascenderent, femoralia nostris permitti debere, ne vllâ occasione aliqua corporis nuditas apparere possit, quod in Religiosis indecens omnino est: cùm videamus eos passim etiam manus cucullæ manicis, aut scapulari tegere.

Cluniacenses tuentur contra Cistertienses.

Petrus Lib. 1. Epist. 28.

1 Corinth 12.

Et accedit necessitas aliqua.

Ad cap. 28. Exod. q. 1.

Item decentia.

Nicolaus Papa I. à Bulgaris recèns baptizatis consultos, num femoralia Christiani facti induere deberent, vbi dixisset hoc ad salutem haud pertinere, & illis integrũ esse vtrumlibet, suadet & auctor est, vt ea induãt: *Quia*, inquit, *in libris nostris iussa sunt femoralia fieri, & ijs viri vtuntur.* Quid, quod & summæ paupertatis amor S. Franciscus, & femoralia habuerit, & suis permisit? De ipso enim parente suo S. Bonauentura ait: *Reuerà, ipse à principio Religionis vsque ad mortem, tunicâ, chordulâ, & femoralibus diues, ijs contentus fuit.* Et ipse S. Franciscus in Testamento suo: *Eramus contenti vnâ tunicâ intus, & foris repetitatâ, cum cingulo, & braccis, & nolebamus plus habere.* Carmelitæ verò Discalceati non modò statuerunt *subligacula* ex rudi telâ lineâ sub genua pertingentia esse ferenda; sed etiam ob pudorem nunquam exuenda.

Nicol. 1. ad consul. Bulg c. 59.

S. Franciscus braccis vsus fuit.

Bonau. in vitâ S. Francisci cap. 7.

Carmelitæ Discalceati. Part. 1. const. cap. 10. §. 10.

VESTIARIVM.

TRACTATVS V.

DE CALCEAMENTIS.



VÆ duo S. P. BENEDICTVS *in epigraphe capitis LV. Regulæ suæ coniunxit, vestimenta & Calceamenta, solidum huius libri constituunt argumentum. Cum itaque illa hactenus utcumque explicata sint, superest pars altera curæ, & pedes nobis suis muniendi integumentis. De quibus ordine ita disquirimus.* Primò, *An Calceamenta Monachis concessa?* Secundò, *Quid Pedules?* Tertiò, *Quid Caliga?* Quartò, *Quæ Caligarum materia? forma, & vsus?* Quintò, *Quæ deinceps circa Benedictinorum præscripta Calceamenta?*

DISQVISITIO I.

An Calceamenta Monachis concessa?

ANTEQVAM de ipsis pedum indumentis, quæ S. BENEDICTVS nominatim expressit, agamus, disquirendum Primò videtur, num ea Monachis permissa, neque enim defuerunt, qui à Religiosorum hominum vsu, imò etiam quorumcumque Christianorum ea excludere voluerunt. Tertullianus: *Calceos nihil dicimus proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum & falsum.* Quantam autem immunditiam Calceus colligat, ex Plauti Querula, seu quisquis illius auctor, patet:

Quidam calceos proscripserunt.

Tertul. l. de pallio c. 5.

Propter foetus.

Sume laneos cothurnos, semper refluos
Calceos,
Quos pluuia soluat, puluis compleat,
cœnum & sudor glutinet.
Sume Calceos humili fluxos tegmine,
Quos terra reuocet, fraudet limus
concolor.

Clem. Pædag. l. 2. cap. 11.

Clemens Alexandrinus: *Viro, inquit, pulchrè conuenit nullos habere Calceos, præterquam si miles et. Calceatum enim esse, non paruam affinitatem habet cum eo quod est, esse ligatum. Optimum quidem exercitationis genus est, nudis vti pedibus; & ad sanitatem, & expeditam facilitatem, vbi non prohibeat necessitas.* De sanitate idem docuerat Plato, qui (auctore Hieronymo) *præcepit duas corporis partes non esse velandas, nec assuefieri mollitiei capitis ac pedum, cùm enim hæc habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt.* Vnde multi è primis Christianis, incesserunt fine Calceis. Docet id Lucianus, qui habitum Christiani describēs, ait: *Pallium putre, fine Calceis & tegmine, capite nudo incedens, detonsi comâ.* Consueuisse autem plerosque olim Monachos fine calceis, aut

Et ad sanitatem.
Hieron. in Matth. c. 10.

Christiani olim nudipedes.
Lucian. in Philopatro.

nudis pedibus, aut soleis solùm munitis incedere, testatur Gregor. Nazianzenus, qui inter exercitia Monachorum, *ponit pedes nudos Apostolicis similes.* Idemque haud obscurè indicat D. Hieronymus, dum Iouinianum Monachū Apostatam ità sugillat: *Anteà nudo eras pede, modò non solùm calceato sed & ornato.* De Ægyptijs porrò Monachis hæc Cassianus: *Calceamenta verò velut interdicta Euangelico præcepto recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodò caligis suos muniunt pedes.* Quibus in verbis facilè animaduertere est, quo fundamento à Calceis abstinuerint, quia videlicet id Christi esset præcepto prohibitum, cui alterum etiam argumentum à Christi exemplo, non contemnendi auctores adijciunt. Christum enim nudipedem fuisse, nudisque pedibus terram calcasse, censent Tostatus, Liranus in cap. 1. Marci & Ioannis, Ianssenius, Didacus Stella, S. Bonauentura, S. Birgitta, & confirmat S. Hieronymus ad Eustochium scribens: *Moyses, & Iesus Naue, nudis in terram sanctam pedibus iubentur incedere, & discipuli sine Calceamentorum onere, & vinculis pelliū ad prædicationē noui Euangelij destinantur, & milites vestimētis Iesu sorte diuisis, caligas non habuere quas tollerent, non enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat seruis.* Ex quibus etiam subinfert: *Quod nudus Iesus, nudas quærit amicas & sponsas.* Ex hoc capite credo Isidorum etiam in Regulâ Monachorum Calceorum vsum reprobasse, ita enim ait: *Porrò linteo non oportet Monachum indui: orario, birris, planetis non est fas vti, neq; indumentis, vel Calceamentis, quibus generaliter cetera Monasteria abutuntur.* Scribit quoq; S. Bonauētura: *Monachi*

Et plerique Monachi.
Nazianz. orat. 1.

Cassian. l. 4. cap. 10

Ex præcepto Christi, vt putabant.

Item & fundamento dis pedibus ambulasse credunt.
Tost. q. 48. in c. 3. Matt.
Ianss. in c. 16. Cōcord.
Did. Stel. in c. 3. Luc.
Bonau. to. 1. opusc.
Birg. orat. 3.
Hieron. epist. 22.

In Reg. Monach. cap. 12.

Bonau. to. 7. opusc. de sandal.

Monachi Indiæ, sicut ille retulit mihi, qui vidit, Calceamentis non vtuntur, nudis pedibus incedentes.

Calceis vti numquam Christianis interdictũ fuit. Verùm his non obstantibus, omninò asserendum est, quamuis meritorum & vtile valdè sit ad carnis castigationem nudis incedere pedibus, id tamen numquam Christianis præceptum fuit, nec Calceamentorum vsu ijs interdictum. Quinimmo Philastrius & Augustinus hæresim quorumdam notant, dicentium, non licere homini Calceamenta portare, quam etiam refutans Alfonsus de Castro, ait: Cominus assignans Iudæis modum iuxta quem debeant agnum paschalem comedere, dicit: *Calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Propter quod, vt veritas figuræ, & corpus vmbræ assimilaretur, Sacerdotes solemne sacrum celebrantes, in quo verus ille agnus, videlicet Christus benedictus, comeditur, Calceamenta in pedibus tenent, etiam qui aliàs non essent portaturi, vt Fratres Minores, qui etsi aliàs nudis pedibus incedant, cùm tamen missam celebrant, Calceamenta in pedibus tenent. Et Dominus ad Ezechielem ait: *Calceamenta tua erunt in pedibus tuis.* Et Christus redemptor noster cùm Apostolos suos misit binos ante faciem suam, misit illos (vt Marcus ait) *Calceatos sandalijs.* Præterea, quod numquam reperitur denegatum, intelligitur esse concessum. Si ergo portare Calceamenta numquam fuit omnibus prohibitum, inde conuincitur nobis esse concessum. Hæc ille.

Castro l. 4. adu. hæres.
Imperatiagnum paschalem comesturis. Exod. 12.
Ezech. 24.
Marc. 6.

Respondetur ad præceptum Christi. Neque verò obstat Domini præceptum à Cassiano suprà allatum, quo discipulis dixit: *Nolite portare sacculum, neq; peram, neque Calceamenta.* Primò enim inhibitionem illam mysticum habere intellectum, ait Augustius, ac per Calceamenta opera mortua intelligit. Secundò, aliqui respondent, non fuisse prohibita nisi Calceamenta duplicia: eodem modo quo antè præmiserat, *neque duas tunicas*, ita seueriores illi Esseni Calceis quidem vtebantur, cum hoc tamen (vt Iosephus ait) rigore, quod Calceos non mutarent, *nisi aut omnino conscissis prius, aut longi temporis vsu consumptis.* Tertiò, respondet Suarez, fuisse præceptum temporale initio prędicationis Euãgelicę Apostolis impositum, quod posteà in nocte cænę Christus reuocauerit, cùm dixit: *Quando misi vos sine sacculo & perâ, & Calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & perâ.* Quod eodem modo intelligit Augustinus, & Chrysostomus. Ægyptij autem illi Monachi, quos Cassianus scribit ex Domini verbis collegisse Calceamẽtorum vsum Apostolis & eorum sectatoribus, id est Monachis, & perfectioris vitæ cultoribus fuisse interdictum; & proindè nudis & discalceatis pedibus incessisse; pro suo captu & simplicitate, ait Alardus Gazæus, verba Scripturæ nimis rigide, & secundùm litteram vt dicitur, seu verborum sonum interpretati sunt. More nimirum primorum Christianorum, qui quidquid ex Euangelio audirent, vel ex feruore, vel ex simplicitate, tamquam præceptum amplectebantur, nihil de consiliorum, & præceptorum distinctione cogitantes.

Luc. 10. 4. *Primò.* Serm. 42. de Sanctis. *Secundò.*
Ioseph l. 2. cap. 7. de bell. Iud. *Tertiò.* Suarez Tom. 2. in 3. p. disp. 18. sect. 1.
Luc. 22.
Aug l. 21. cont. Faust. cap. 67. Chrysost. hom. 9. in epist. Philipp.
Ægyptij Monachi nimis rigidè.
VISTIARIVM Scripturam interpretati sunt.

A

Quod verò Saluatoris nostri exemplum spectat, non desunt auctores, qui Christum Calceis, aut sandalijs, siue soleis vsum fuisse affirment, inter quos est Paulus Burgensis in additionibus ad cap. 1. Marci, contra Liranum. Cardinalis Toletus, Franciscus Suarez, Laurentius Landtmeter. Thomas verò Trugillus dicit esse communem sententiam; quam potissimùm confirmant, quòd Christus Dominus viuendi modum inierit communem, neque adeò austerum vt Ioannes Baptista, de quo eleganter Angelicus Doctor ait: *Dupliciter homines attrahuntur ad bonam vitam. Quidam eum per speciem sanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus & Ioannes diuiserunt sibi duas vias. Ioannes, imò Dominus per Ioannem, elegit viam austeritatis, perfè elegit viam lenitatis.* Idipsum Christus ipse testatur, dicens: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorator, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Quibus verbis apertissimè docuit victum sibi fuisse eum vulgo communem. Si victus, ergo & amictus. Non fuisse autem Iudæos illâ tempestate discalceatos, ex Isaiâ colligi potest, cui Deus præcepit, vt nudis incederet pedibus, nimirum vt insolito hoc more, & rei nouitate terrorem Iudæis incuteret. Quod ex eo etiam confirmatur, quod Pręcursor Domini dixerit: *Fortior me est, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam Calceamentorum eius.* Etsi enim id per modum prouerbij à Ioanne dictum quidam putent, ac si dicas (inquit Salmeron) non sum librum ei aut matulam dignus portare, etiamsi is nec libro, nec matulâ vtatur. Ex ipso tamen hoc prouerbio apertè colligitur, communem fuisse morem Calceos gestandi, cuius etiam Christus tenax & obseruator fuerit. Quæ Augustini etiam collectio est: *De ijs Calceamentis, quibus ambulamus* (inquit) *consolatur me idem Dominus meus. Si enim ipse Calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret: Non sum dignus soluere corrigiam Calceamentorum.*

B C D E

Quinam dicat Christum calceis vsum.
Tolet. annot. 65. Suar. 3. p. to. 2 disp. 18. sect 1. Landtm. l. 2. de Cle. & Monach. habitu p. 1 cap. 16. Trug. dom. 3. aduent. D. Tho. in c. 11. Mat. probabiliter.
Matth 11.
Nam tunc dearum fuisse consuetudinem.
Isaiæ 20.
Matth. 3.
Salmeron Tom. 4. p. 1. tract 12.
Qui & ipse calceati.
August. Serm. 42. de sanct.

Sed quomodo calceatus vel Christus, vel Apostoli? non nostratibus Calceis, qui totum tegant pedem, sed sandalijs, id est soleis, quæ solam muniunt pedis plantam, ne in saxa impingat; supernè autem pedem relinquunt

Christus sandalia induit.

VESTIARIVM

August. l. 2. de consens. Euang. c. 30

relinquunt nudum. Vnde Augustinus. *Marcus dicit Calceatos sandalijs, soleis, quibus scilicet pes, nec tectus desuper, nec nudus ad terram.* His porrò sandalijs Apostolos post Christi ascensionem vsos, patet Act. 12. vbi Angelus ad Petrum: *Calcea*, ait, *te caligas tuas*, Græcè *sandalia tua*. Et tale est sandalium S. Andreæ, quod Treuiris, in Cathedrali Ecclesiâ ostenditur. Talia quoque gessere Isaias, Ieremias, & Ezechiel Prophetæ, vt patet ex eorum antiquis imaginibus in codice Basilij Porpbyrogeniti Imp. quæ exstant in Vaticano. Talia denique exhibet imago B. Virginis Romæ depicta à S. Lucâ: Puer enim Iesus in eius brachijs pingitur cum sandalijs, quæ supernè per ligacula circumligantur pedi, itá vt pedes & digiti pedum Christi sint intecti, prorsus & nudi, planta verò pedum soleâ tegatur.

Et Apostoli. Cornel. in cap. 10. Matth. *Item Prophetæ.* *Puer Iesus cum Sandalijs pictus.*

Atque hæc suffecerint de hac quęstione, quam qui fusiùs disputatam legere volet, adeat S. Bonauenturam, Franciscum Suarez, Danielem Mallonium in elucidatione cap. lib. de Christi stigmatibus sacræ Sindoni impressis, ab Alphonso Paleoto Archiepiscopo Bononiensi conscripti.

Bonau. vbi supra. Suarez suprà.

DISQVISITIO II.

Quid Pedules.

Bad. ad Cathol. Genuens. *Grammatica quæstio de voce Pedules.* Apud Rosvveyd. prolog. 22. eit. Pat 6. 5. Schol. sat. 1.

INDVMENTA pedum, quæ suis indulsit S. BENEDICTVS, vocauit *Pedules* & Caligas: de quibus nunc agendum. Quid autem *Pedules*? Iudocus Badius insolitum vocabulum nominat, & nisi plurale sit, non constat cur masculinum à Genuensi dicatur. Passim tamen monastici scriptores in vtroque masculinè vsurpant numero. Auctor vitæ Christiani Monachi: *Inuenit vnum pedulem, & in eo magnam massam denariorum.* Interpres Iuuenalis: *Pedules nouos in braccis, quos pedornes dicunt:* Occurrit eadem vox in Canone Theodori: *Dat ei baculum, & Pedules.* In vita B. Nicetij Lugdun. *Aptatus Pedulibus pedes operuit.* Isidorus: *Pedules autem vtentur, quamdiu hiemis coëgerit violentia.* Fructuosus: *In ipsis quoque calciarijs hoc videndum est, vt hieme Pedules calcient.* Regula Magistri: *Habeant in hieme fasciolas aut Pedules.* Pseudo-Augustini liber vitä de Eremiticâ ad Sororem vocat *Pedilles*. S. Franciscus videtur nominare *Pedeola*, aut *Pediola* vbi vide Waddingum. Hæc de voce, nunc de re.

Reg. Isidor. c. 14. Reg. Fruct. c. 4. Reg. Mag. c. 81. Pseudo-Aug c. 10. Franc. Reg. Sanctim. cap. 8.

Pedules, vt ipsa vox indicat, ad pedes pertinere manifestum est, & pro pedum indumento à Legislatore assignatum: vt proinde ad crura, tibiasve referri nequeant. Cornelius Fronto: *Pedale*, inquit, *mensura est pedis; Pedule verò sub pedibus præstat vtilitatem.* Glossæ Benedicti: Πεδῖλα, ποδῶν καλύμματα τινὲς ἢ ἀρτάρια ἑρμηνεύουσι. *Pedulia, pedum integumenta, quidam artaria interpretantur.* Artaria Suidæ sunt τῶν ποδῶν πῖλοι. πῖλοι autem *pedum sunt quædam textilia, quibus pedes inuoluũtur*, inquit Ioãnes Tzetzes. Hadrianus Iunius: *Pedule*, Cornelij Frontonis testimonio, videtur esse laneus calceus, qui plantis tamquam solum quoddam aduersus frigora substernitur: aut certè coactile ex lanâ coactâ. Idemque Iunius explicans quid sit calceus laneus, & soccus, ait idem ferè esse cum *Pedulí*. Eodemque sensu interpretatur *Impilia* (quâ voce Plinius vsus est, vbi malè in vulgatis codicibus, inquit, legitur *mapalia*) pedum tegmina è lanâ coactâ, quæ & coactilia. Baysius *Pedalia*, aut veriore lectione, *Pedulia* voluit reponere apud Plinium. Bernardus Casinensis Regulam nostram interpretans, non malè ait: *Quidquid in pedibus mittitur, siue sit de corio, vel lanâ, congruè* Pedules *nominantur, quia à pede dicuntur, quos quidam Soccos, aut Sotulares appellant. Sed nota quòd* Monachi *Vltramontani habent* Pedules *de lanâ diuisos ab illo indumento, quod est in modum tributi factum, & operit tibiam propter facilem ablutionem, & ad euitandum pedum sudorem. De nocte autem extrahentes illos* Pedules, *pedibus iam nudatis, tributisque retentis in lecto quiescunt, ne fumositates forsan pedum per poros emissæ retineantur inclusa, sic per consequens caput lædant ad cerebrum ascendendo.* Vnde S. Hugo ex Cluniacensi Monacho Gratianopolitanus Episcopus, Regulę obseruãtissimus, Odolricum Diensem Episcopũ habitu Carthusiano induens, id etiam mandare curauit, *vt de caligis Pedules abscinderet, quatenus præter pedes totus iaceret vestitus. Dolebat enim nonnullos in religioso habitu, ad sanctitatis iniuriam, tibijs dormire nudatis.* Id etiam valetudini non expedire, Scholæ Salernitanæ Commentator asserit: *Calceatus*, inquit, *siue vestitis pedibus dormiendum non est. Hoc enim si quid Magnino excellentissimo Medico credimus, visum debilitat, memoriam lædit, & totum corpus extraneo calore æstuare facit, ob vaporum reflexum.* Illud autem quod sanctus hic Episcopus monuit, hodie Patres Minimi, alijque nonnulli obseruant, à quorum tibialibus *Pedules*, siue socculi separati sunt. Atque ex his auctoribus satis constat, *Pedules* pro soccis accipi. Quod confirmat quoque Nigronus, dicens etiamnum Romæ, & in Latio, intima pedum indumenta, ex lineâ telâ vulgò dici *Pedali*. Et Belgica Regulæ nostræ interpretatio *Pedules* vertit voetsocken, & Gallica Guidonis Iuuenalis *Chaussons*.

Sumuntur pro pedum indumento. Front. l. de propr. latin. lerm. Tzet. in in Hesiod. *Propriè laneo socco.* In Nomenclat. n. 129. *Plinius explicatus.* Plin. l. 19. cap. 2. *Pedules describuntur.* *Quidã noctu eos extrahunt.* Guigo in vitâ S. Hugonis. *Ne officiant sanitati.* *Probatur vlterius pedules sumi pro soccis.* Nigron. de calig. cap. 2. num. 43.

Quod autem Gratianopolitanus Hugo monuerit *Pedules* à caligis rescindendos, id iuxta eorum facit sententiam, qui caligam tibiæ faciunt indumentum, quod proxima Disquisitione erroneum demonstrabitur. Turrecremata quoque & Ioannes Genuensis

Falluntur qui caligæ partem eos faciunt.

sis *Pedules* caligæ partem faciunt. Sic & Glossæ Isidori: *Pedana vocant, & exponunt Pedulis nouus, qui caligæ assuitur.* Paulus vero Diaconus pro tibialibus *Pedules* accepisse videtur. *Non debent,* inquit, *Monachi caussari si* Pedules *albi fuerint.* Dissentit quoque ab alijs noster Smaragdus, qui *Pedules*, calceos exponit.

Paul. in Reg. S. Bened.

Quod monasticum verò spectat vsum, ex Isidori Regulâ constat *Pedules* concessos, *quamdiu hiemis coëgerit violentia, siue dum Fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad vrbem.* Fructuosus verò etiam tempus hoc definit: *Hieme,* inquit, *Pedules calcient qui voluerint, à die Kalendarum Nouembrium ad Kalendas Maias. Reliquis æstiuis mensibus caligarum tantùm solatijs muniendi sunt.* Vnde notis hîc ordine sequitur,

De vsu apud Monachos. Isid. in reg. c. 14. Reg. Fruct. cap. 4.

DISQVISITIO III.

Quid Caliga?

NON prorsus extra caliginem est, quid *Caliga* nomine designetur. Plures enim auctores crurum tibiarumve operimentum esse existimant, nonnulli quoque, licet per abusum, hac voce femorum tegumentum designant, cùm hæc cruralia, tibialia, & femoralia, vel feminalia probati scriptores dicant. Sed disertè Legislator noster ad pedes retulit, dum ait: *Indumenta pedum, pedules & Caligæ.* Si pedum propriè, ergo non tibiarum, multoque minus femorum. Hinc Smaragdus: *Caligas ille* (S. BENEDICTVS) *dicit, quod nos subtalares, vel soccos vocamus. Caliga autem vel à callo pedum dicta, vel quia ligantur: nam & Calcearij vocantur;* ab ipso scilicet Legislatore in lemmate capitis, & à S. Fructuoso, alijsque. Hanc porrò Etymologiam ex Isidoro Hispalensi hausit; qui tamen quòd *Caligas* soccos dici Smaragdus inquiebat, prorsus euertit, & contra eos distinguit; ita enim habet: *Caliga vel à callo pedum dicta, vel quia ligantur: nam socci non ligantur, sed tantùm intromittuntur.* Alphonsus Salmeron similem ferè originationem facit. *Caliga,* inquit, à ligando calce, id est, imo pede dicitur, quasi *calciliga.* Et cùm calx à calcando dicatur, & calceus à calce, liquet propriè *Caligas* non esse tibialia, sed soleas, aut genus calceorum, quod plantas, aut calces muniret. Hinc, vt à Nigrono annotatum, sutor, qui Plauto *calceolarius,* Sosipatro Charisio in Grammat. Instit. dictus *Caligarius* artifex. Quæ vox haud dubiè deducitur à *Caliga*, & eadem significatione retinetur in aliquot Italiæ prouincijs, à Latino sermone, vt par est credere, relicta, diciturque IL CALEGARO. Quin etiam in vetusto lapide, apud collectorem Romanarum inscriptionum, pag. 649. n. 1. legitur sutori *Caligarius* adiunctus hoc modo:

Errant, qui Caligas putant esse tibialia, vel femoralia.

Reg. c. 55.

Etymon vocis Caliga.

Isidor. l. 19. orig. c. 34.

Salmeron tract. 35. in acta.

Nigron. de calig. c. 2. num. 6. Caligarius idem quod sutor.

VESTIARIVM.

C. ATILIVS. C. F.

IVSTVS

SVTOR CALIGARIVS

SIBI ET

CORNELIÆ EXORAT

VXORI PI.

SED *Caligam* calcei genus esse, decem rationibus eleganter probat in suâ dissertatione idem Nigronus: Nos qui nonnulla antequam hoc scriptum videre licuit, collegeramus, tribus deinceps contenti erimus. Auctoritate scilicet Latinorum scriptorum, qui propriè vel maximè sunt locuti, Sacræ deinde scripturæ, & Patrum.

Probatur Caligam esse calcei genus.

PRIMO, ex Scriptoribus Latinis primus sit Tacitus, qui indicans cur *Caligulæ* nomen Caio Cæsari adhæserit, simul quid *Caliga* sit, declarat, dicens: *Quem militari, vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur.* De eodem Sext. Aurel. Victor: *Quia in exercitu natus fuerat, cognomen calceamenti militaris sortitus est.* Iustinus de Antiochi exercitu loquens: *Argenti certè aurique tantum, vt etiam gregarij milites* CALIGAS *auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant.* Quòd hîc *Caligæ* sint pedum munimenta, colligitur tum ex verbo, *proculcarent,* quod neque tibialibus, neque femoralibus aptari potest: tum ex clauis, quibus militum calcei figebantur.

I. Ex scriptoribus Latinis. Tacit. lib. 1. annal. Victor in Calig. Iustin. l. 38.

SECVNDO, *Caliga* vocabulum in vtroque occurrit testamento, nam Gen. 14. Abraham dicit: *A filo subtegminis, vsque ad corrigiam Caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Vbi pro *Caliga* in Hebræo est נַעַל naal, quod Benedictus Fernandius ait ab Hebræis explicari: *A filo sartoris, vsque ad corrigiam calceamenti.* Vti etiam habet paraphrasis Chaldaica, versio Latina, LXX, quam secutus est Ambrosius. LXX, autē Hebręum verbum reddiderunt ὑπόδημα, quod *calceamentum* est, & ab interprete vulgatæ editionis, Exodi 3. Iosue 5. Matthæi 10. Marci 1. Lucæ 3. vertitur *calceamentum.* Vnde Dio Cassius *Caliga* latinæ reddidit ὑπόδημα Græcum. In nouo testamento, Angelus Petro dicit: *Calcea te Caligas tuas.* Græcè est, ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου *Caligæ*

II. Ex Sacrâ Scripturâ. Fernand. in hunc loc. Eiusque Interpretibus. Ambros. l. 1. de Abra. cap. 24. Act. 12. 8

VESTIARIVM.
Gaudent. ferm. de Exod.
Isai. 20.

A *liga* ergo Sandalia sunt. Sic Marci 6. dicitur: *Calceatos sandalijs*, quod S. Gaudentius Brixiensis extulit, *Calceatos Caligis*. Sic & Hieronymus exponens illud Isaiæ, *Calceamenta tua tolle de pedibus tuis*; *Calceamenta*, inquit LXX. σανδάλια, *id est*, CALIGAS *vocant*: quasi dicat, Sandalia sunt illa calceamenta, quæ Latinis *Caligæ* nominantur. Glossa in hunc locum act. *Caliga est genus calceamenti, non habens corium supra pedem.*

III.
Ex sanctis Patribus.
Ambros. l. 7. epist. 35.
Hieron. epist. 22.
Matth. 10.
Idem epist. 11 ad Ager.
Idem epist. 47.
Odo lib. 2. collat. c. 8.
August. lib. 50. homil. 25.

TERTIÒ, ex Patribus occurrit S. B Ambrosius, narrans sibi inter somnum & vigiliam ostensos *duas iuuenes ephebos vestibus candidissimis, id est colobia & pallio indutas*, CALIGVLIS *calceatos, manibus extensis orantes*. Vbi cùm dicit, *Caligulis calceatos*, liquet satis exprimi indumenta pedum. Hieronymus: *Milites vestibus Iesu sorte diuisis*, CALIGAS *non habuere, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis.* Prohibuerat autem non tibialia, non femoralia, sed *Calceamenta*. Idem: *Apostoli toto orbe peregrini non æs in zonâ, non virgam in manu, non* CALIGAS *ha-* C *buere in pedibus*. Rursus: CALIGA *quoque ambulantis nigella, ac nitens, stridore ad se iuuenes vocat.* Calceum notat stridulum, qui progredientem virginem indicabat. Quem locum S. Odo Cluniacensis referens, calceos pro *Caligis* reposuit, *Calcei*, inquit, *nigelli & nitentes stridore suo oculos lasciuos, in fauos excitant appetitus.* Augustinus. *Cùm tibi* CALIGA *mala & constricta nocuerit, sedens discalceas te, abijcis an corrigis, aut mutas, ne digitum lædas.* CALIGA *nocens dolorem facit.* Accedat Gregorius Magnus, vt quatuor hîc Ecclesiæ Doctores solemnissimos testes si- D mul habeamus. De S. Equitio ait: *Ecce vir Dei, clauatis calceatus* CALIGIS, *falcem fœnariam in collo deferens, veniebat.* Et alibi de Stephano quodam: *Qui quodam die mancipio suo negligenter loquens, præcepit dicens: Veni diabole, discalcea me. Mox cœperunt se* CALIGARVM *corrigia in summâ velocitate dissoluere.*

Gregor. l. 1. Dial. cap. 4.
Lib. 3. c. 20.
a Lib. 1. inst. c. 10.
b Reg. c. 12.
c In reg. cap. 4
d In vit. Cuthbert. cap. 8.
Et Monasticis scriptoribus.
Nigron supra n. 44.

Omitto [a] Cassianum, [b] Isidorum, [c] Fructuosum, [d] Bedam, & Regulam Magistri, qui eadem notione *Caligam* extulere. Claudant Disquisitionem verba Nigroni: Adeò clarè Smaragdus asserit, *Caligas* E esse calcearios, hoc est aliquod genus calceorum, vt vehementer mirer nonnullos recentiores Regulæ Benedictinæ interpretes, qui tibialia intelligunt in *Caligis*.

DISQVISITIO IV.

Quæ Caligarum *materia, forma, & vsus?*

Caliga descriptio.
Nigron de Calig. cap. 4. num. 2.

A Militiâ ad aliorum calceatum *Caliga* transijt. Non melius proinde qualis vrbanorum, viatorum, rusticorum, Apostolorum vel Religiosorum fuerit *Caliga* intelligemus, quam si eam in primæuo B suo aliquantisper spectemus vsu. Descripsit eam Nigronus in hunc modum: *Caliga non aliud esse videtur, nisi solea sine obstragulo, habents alligata pedi, multis minutisque clauis infernè suffixa.* Quæ per partes exponenda. Soleam *primò* dixit, quia vt Agellius: *Omnia fermè id genus, quibus plantarum calces tantùm in fine teguntur, cetera propè nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt.*

I.
Et solea.
Agell. l. 13. cap. 20.

II.
Carens corio superiori.
Isid. l. 20. c vlt.
Sicut sandalia.
Aug. l. 2. de cons. c. 30.
Alcuin. de diu. offic. c. 39.

SECVNDÒ, caret obstragulo, id est, corio superiori summam pedis partem C tegente. Cùm enim superior aluta non esset; sed tantùm solea sub pedibus, eam vinculis obstringi oportebat, vt hæreret. Vnde dicti Isidoro *obstrigilli, calcei qui per plantas consuti sunt, & ex superiori parte corrigia trahitur, vt constringantur, vnde & nominantur.* Non his opus est cùm obstragula habentur, quæ supremam pedis partem operiunt. Carere obstragulis sandalia, quæ & soleæ dicuntur, auctor est Augustinus, & Alcuinus, sandalium dicens esse *genus calciamenti, quo induuntur ministri ecclesiæ subterius quidem soleâ muniens* D *pedes à terrâ, superiùs verò nihil operimenti habens, patet: quo iussi sunt Apostoli à Domino indui.* Hinc sandalia hæc vulgus Italorum *calceos Apostolicos nominat*, & similia soleis Capucinorum.

III.
Habenis alligata pedi.

TERTIÒ, habenis, inquit, alligata pedi, quod expressum testimonio Agellij: & Sacræ Scripturæ consonat, quæ *corrigias Caligis*, sandalijs, ac calceamentis attribuit. Quo modo autem loris, siue vinculis *Caligæ* obstringebantur, videre est in effigie *Caligarum*, quam tam ex co- E lumnâ marmoreâ Traiani, quam arcu Constantini exhibet Nigronus.

IV.
Clauis infernè suffixa.
August. tr. 10. in epist. Ioan.
Plin. l. 9. c. 18. & l. 22. c. 22.
Isid. l. 16. cap. 200.

QVARTÒ, clauis infernè suffixas fuisse *Caligas* passim notum, quia hinc dictæ *Caligæ clauatæ*. Augustinus: *Tamquam si velit tibi aliquis, osculari caput, & calcare tibi pedes. Fortè* CALIGIS *clauatis canteret pedes.* Et S. Equitius, vt vidimus, *clauatus calceatus Caligis erat.* Hinc & ipsi claui dicti *Caligares* Plinio, & *Caligarij* Isidor. Transijt ad rusticos, inquit Nigronus, hic mos suffigendi calceamenta clauis. Theophrastus id obseruauit in Græciâ: Nos in Ita-

liâ

lia passim conspicimus. Atque hæc *Caliga* descriptio.

Ex corio.

Quæ verò materia? Soleas ex corio fieri cunctis sæculis consuetum est: sufficiat S. Isidorus: *Soleæ materiales ex materiâ corio contextâ. Corrigia à corio vocantur.*

Id. l. 19. c. 34.

Dubium, quæ Caligæ forma.

Quod formam spectat, quæsitum à Doctis, ascenderetne *Caliga* vsque ad mediam tibiam, an talos tanrùm attingeret habenis? Quibusdam affirmantibus, negat Nigronus, airque veram & priscam *Caligam* militarem, stante rep. Romana, & primis Imperatoribus dominantibus, ad mediam tibiam non pertigisse, nec pertingere potuisse, additque: Soleam tantùm esse probauimus, plantæ inhærentem pedi, talisque alligatam loris, siue habenis: quâ sui parte potest ad crus medium peruenire? Dabo fuisse alios calceos, qui supra talos assurgerent: nego inter eos *Caligam* militarem esse numerandam.

Transitũ ad Monasticã.

Sed ab hac ad monasticam, propter quam hæc omnia allata, transeundum, videndumque an hæc illi similis. Temporum, locorum, functionum ac personarum varietatem nonnullam quoque in *Caligis* attulisse diuersitatem, facile mihi persuadeo. Quid enim frequentius, quàm vestium formas mutari videmus? & in ipsâ Traiani columnâ duplex *Caliga* militaris occurrit forma, altera in pedibus vigilum, & militum prætorianorum elegantior, decussatis supra pedem corrigijs, atque inter priores digitos ductis. Altera, vulgarium militum, circumuolutis varioribus supra pedem tantùm, non inter digitos habenis. Porerar in his aliunde quoque esse discrimen vel forma, vt non corrigijs ligarenrur in pedibus, sed obstragulis tegerentur more nostro, vel materia, vt clauis non ferreis, sed argenteis configerentur, vel ornamentis aliquibus, quibus carerent *Caligæ* vulgares. Hâc obseruatione positâ, dicendum S. BENEDICTVM, cùm pro indumento pedum *Caligam* assignauit, propriè omninò fuisse locutum. Nam si proprio vocabulo non vsus fuisset, reliquisset institutionem obscuram. Iam verò *Caligam* esse soleam, sandalium vidimus. Glossæ veteres: *Solea*, σανδάλιον: & in Actis Apostolorum, *Caligæ* sunt sandalia, non quidem compta illa & concinna veterum, quibus ferè mulieres vtebantur, sed vulgaria, & paupertati congrua: qualia hodieque Capucinorum, quæ constat multùm differre à sandalijs Episcoporum. Ex quo sequirur iuxra S. P. N. institutionem, Monachorum pedes infer- A nè tectos, cetera fuisse nudos, vel pedulibus tantùm, siue soccis contectos.

Tempus & locus Caligam immutarunt.

S. Benedictus propriè eã accepit.

Sãdalijs igitur vsi Benedictini.

VESTIARIVM.

Et Cassianus de Egyptijs Monachis ait: *Calceamenta velut interdicta, Euangelico præcepto recusantes: cùm infirmitas corpori, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodo Caligis suos muniunt pedes.* Hæc cùm legerit S. BENEDICTVS, voluerit forsitan, vt alia multa, ad suos quoque referre discipulos. Verùm nimium existimans rigorem, si nudis ambularent pedibus, toto anno indulserit *Caligas*, quibus in hieme B adiungerent & pedules, vri præscriptum ab Isidoro, Fructuoso, & Magistro. Et hoc sensu eum intellexerunt Congregationis Fuliensis Institutores, apud quos *perpetua crurum, pedum, & capitis nuditas.* Irà quoque sentit Nigronus, cuius hæc verba: Cùm Monachi S. BENEDICTI non incederent pedibus nudis, & æstate solâ *Caligas* gestarenr, liquidò apparet, *Caligas* esse calceamenta, quibus munirent pedes. Reor enim pedules tunc C fuisse tegmina lanea, tum ad arcendum frigus, rum ad tegendam nuditatem, cùm exibant domum. Illis pedulibus indutos pedes in *Caligas* inserebant egressuri: quemadmodum Fratres Minores de Obseruanria in regionibus frigidioribus faciunt, qui pedes hieme panno laneo calcearos ac vestitos in soccos ligneos induunt. Sic ille.

Cassian. l. 1. cap. 10.

Fulienses in hac hodie sententiâ & praxi.

Ludou. à S. Malachia.

Nigron. de Caliga cap. 2. num. 44.

Pedulium quis vsus apud Benedictinos.

Quod si quis dicat, maiori S. P. erga suos vsum benignitate, & pedules hos tam æstate, quàm hieme, tam foris, quàm domi; semper & vbique indul- D sisse; non admodum repugnauerim: cùm distinctionem in his nullam fecerit, prout in cucullâ villosâ, & purâ constituerat.

Caliga sine obstragulo.

Sed quod *Caligam* spectat, videtur illa obstragulo caruisse, cùm eam Cassianus calceamento opponat. Et tales fuerint *Caligæ* Stephani presbyteri, de quibus Gregorius air. *Mox cœperunt se Caligarum corrigiæ in summâ velocitate dissoluere. Ita vt inuentæ sint magnâ ex parte dissoluta corrigia.* Vnde colligas plures fuisse: quibus sanè non vsque adeò opus fuisset, si obstragu- E lum *Caligas* texisser. Has porrò ligulas etiam monasticis *Caligis*, siue calceamentis non defuisse, ex Ferreolo colligimus, qui modum in his ponit: *De calceamentis*, inquit, *reliquorum vos tenere statuimus consuetudinem Monachorum. Sed & hoc curandum est, ne pes ità sit ligamentis temperatiùs vinculatus, vt non iactantia signum multos adstrictos habeat, sed sanctiùs vinculo laxiori follescat.* Hoc & improbi quidam ab Hieronymo perstricti, imitabantur.

Gregor. l. 3. dial. c. 20.

Et cum ligulis.

Ferreol. in reg. cap. 29.

Hieron. epist. 22.

Apud

VESTIARIVM. *Apud hos*, ait, *affectata sunt omnia; laxa manica, Caligæ follicantes*, &c.

Videri Benedictinos olim carnuisse tibialibus. Sed percunctaberis: si pedules & *Caligæ* indumenta pedum, vbi ergo crurium & tibiarum? Ao illa nuda S. BENEDICTVS esse voluit? Videri id queat, cùm nullum his reperiatur assignasse operimentum, aut probandum esset pedules, vel totum operuisse. S. Eugendus Abbas ocreas legitur habuisse, sic enim vitæ auctor. *Habebat Eugendus beatissimus calceamenta fortia rusticaque in modum priscorum patrum, constrictus ocreis crura, fasciolisque plantas.* Nomioat *Vlpianus fascias crurales pedulesque.* An has S. BENEDICTI tempore habuerint, & crura inuoluerint, quis nobis explicet? *Vlp. ff. l. argument. de. aur. & arg. leg.*

DISQVISITIO V.

Quid deinceps circa Benedictinorum præscriptum Calceamenta?

VERBA S. BENEDICTI pro modulo nostro illustrare conati sumus. Vtinam, quod vel maximè in votis fuit, mentem essemus assecuti! Nunc quæ deinceps in Ordine nostro circa monasticum calceatum decreta, disquirimus. Nam cùm *Caligas* pedulesque aliter atque aliter intellexerint; hinc diuersimode de ijsdem fuot locuti: quin & alia substituerunt vocabula, quibus pedum crurumque indumenta designareot. In Concilio Aquisgraoensi plura occurrunt pedibus subseruieotia. Decernitur enim, vt vnusquisque Monachorum habeat *pedules IV. paria, falciolas II. quibus autem necesse est itineris caussa, alias duas, Calciamenta diurna paria II. Subtalares per noctem in æstate II. in hieme verò soccos.* Quid singulis his designetur, non adeò promptum dicere. *Pedules* arbitror esse calceos, ductus auctoritate Smaragdi, quem Menardus Benedicti Anianæ Abbatis, & huius Concilij Præsidis, scribit fuisse discipulum, adeoque circa hæc tempora vixerit; exponens autem illud S. BENEDICTI: *Indumenta pedum, pedules & caligas. Pedules autem dicit ille, quod nos modò dicimus calceos. Caligas ille, quod nos subtalares, vel soccos vocamus.* Quia autem nimia videri queat liberalitas, singulis Monachis assignare quatuor calceorum paria; hioc mihi suborta suspicio, hæc primum in genere posita sub nomine *pedulium*, & paulò post subdiuisa in calceamenta diurna, & subtalares per noctem in æstate, quibus in hieme additi socci. Nam cùm S. BENEDICTVS posuerit *pedules & caligas*, harum nulla in hoc canone mentio, vt earum loco videri queant substituti subtalares cum soccis. Diurna autem illa calceamenta crediderim fuisse & vltra talum producta, vt sunt perones, cothurni, siue ocreæ breuiores, quæ noctu cùm ad opus Dei festinatur, non ita facilè induantur. Cothornis his indutì videntor apud Browerum Candidus & Modestus, & in Rituali Affligenienfi iubentur à Camerario Fratribus dari. In nocte verò assignat *Subtalares*, veluti diurnis calceis & cothurnis his oppositos: nam talos non attinguot. Hinc Papias: *Subtalares genus calceamenti, quasi sub talo propriè.* Fuerint ergo breuiora calceamenta, vel crepidæ, & ideo à Smaragdo non malè dicuntur responderе S. BENEDICTI *caligæ*. His in hieme additi *socci*, lanei calcei, quorum vsus in Comœdijs, vti Cothurnorum in Tragœdijs. Vt videas & monasticos *soccos* diurnis illis, quos diximus, opponi cothurnis.

I. *Conc. Aquisgranensis de calceatu Benedictino decretum. Can. 22.*

Per pedules intelligit calceos.

Quos diuidit in diurnos, & nocturnos.

Antiq. Fuld. lib. 2. Rit. Afflig. par. 3. c. 20.

His sunt subtalares.

Iam qoid *Fasciolas* hîc esse dicemus, nisi crurum tegmina; quibus alioqui nihil per hosce canones tributum? & tamen muniendæ tibiæ, ocdu præsertim, cùm subtalaribus vtendum, vel soccis. Hanc verò diuinorum & nocturnorum calceorum in Ordine nostro viguisse vicissitudinem, ex S. Dunstani colligere est Statutis, in quibus scribitur, vt peractâ primâ vsque ad secundam vacent fratres lectioni, *tunc facto signo eant, & se diurnalibus induant calceamentis, nullus enim hoc debet præsumere antequam illud audiatur signum, exceptis ministris, neque tunc ab aliquo intermittatur sine licentiâ.* Et rursus: Vesperis peractis, *eant fratres ad exuendos diurnales calceos, induentes nocturnales.* Similia sunt in Statutis Lanfranci: *Surgentes fratres in nocturnalibus suis.* Item: *Cum appropinquauerit tempus horæ tertiæ, pulsetur à Secretario modicè signum minimum, quam Killam vocant, & statim pergant in dormitorium, & calcient se diurnalibus, & cultellos accipiant.* Atque hic mos deinceps io Ordine obtinuit.

Fasciola, tibialia.

Viguit hæc calceorum vicissitudo in Ordine nostro.

Stat. S. Dunst. c. 8.

Stat. Lanf. cap. 1. §. 1.

II. Sed quid in hoc genere præscripsit Clementina? *Æstiualibus largis, aut botis altis pro calciamentis vtantur.* Æstiualia ait Glossa in vulgari vocari *Stiuals*, & esse calceamenta corij, quibus io æstate vtenJum. Itaiautem ocreas vocant *Stiualls*, quas Galli dicunt *Botes*, quo verbo hic Pontifex vtitur. Et à Boetio iu hunc modum explicatur: *Botæ sunt compagi, siue liga, aut pedules, quorum altitudo*

Clementina decretum.

Clement. ne in agro.

Quid botæ.

Boet. cõm. in Reg. Bened. c. 23.

altitudo super cauillam circiter vnam palmam attingit: sed non ligantur corrigijs, vt ligæ, nec nodulantur vt pedules, sine alti Sotulares: sed latitudine suâ pedi & tibiæ cooperiuntur. Alij barbaram vocem alijs non multò clarioribus explicant. Infrà verò Clementina *Sotulares corrigiatos & altos* vocat. Catholicon: *Sotularis à soleâ dicitur, inde per apocopen Sotular.* Sed vox est corrupta more Italico, vbi *Sotto*, est sub, vt *Sottolegare*, pro subligare. *Tolare* Italis talum significat, vnde *Sotularis* idem est quod *Subtalaris*. Altitudinem autem horum *Sotularium* describit Benedictina: *Quamuis in Constitutione Viennensis Concilij de vestibus, caputijs, & sotularibus Monachorum, eorumque formis prouidè sit statutum: nos tamen præmissis adijcimus, quod altitudo Sotularium tanto ad minùs esse debeat, vt quatuor digitorum transuersalium de tibiâ super cauillam spatium comprehendat.* Bursfeldenses verò æstiuos Hibernosque assignantes calceos, illos ad præscriptum Benedictinæ fieri iubent, hos verò longiores subductos filtris vsque ad medias tibias. Nec adeò miranda hæc calceorum pro temporum varietate mutatio, quæ antiqua satis est: nam ex S. Fulgentij Ruspensis vita colligitur, eum è Monacho Episcopum factum, nec ipsa calceamenta suscepisse Clericorum: *aut vltimis caligis tempore hiemis, aut caligulis tempore æstatis vsum.*

Sotulares sunt subtulares.

Benedict. cap. 23.

Eorum forma ex præscripto Benedictina.

Cærimon. Bursf. dist. 3 cap. 21.

Denique calceorum simplicitatem & vilitatem Monachis non semel commēdat S. Basilius: *Calciarium, ait, sit pretio quidem illud vili, sed quod vicem suam implere possit.* Alibi monet, vt calceamentū tale sit, quod quàm minimùm præferat curiositatis, minimoq; sumptu parari possit. Vnde videas quàm meritò Philippus Franciæ Rex perstrinxerit Monachum, qui strictos & bellè concinnatos gerebat calceos. Quod ipsis Cæsarij verbis accipe: Nobilis quidam, inquit, Monasterium quoddam in Franciâ spoliauit; erat autē de Ordine Nigrorum. Placuit Abbati & Fratribus, vt vnus ex Monachis ad Regem Philippum, qui tunc regnabat, mitteretur, per quem ei violētia militis exponeretur. Missus est iuuenis sanguine nobilis, tamquam qui apud Regem propter cognatos aliquid ampliùs posset impetrare quàm ceteri. Veniēs ad Regem ait: *Domine, vir ille nobilis multum indebitè Monasterium nostrū damnis & iniurijs vexat, sæpè fratres ac familiam nostram minis, ac contumelijs molestat; rogat Maiestatem vestram humilis conuentus noster; quatenus intuitu diuinæ remunerationis, eūdem nobilem ab iniurijs tantis compescatis, & ad satisfactionem condignam de ablatis compellatis.* Considerans Rex gestus vel habitum Monachi, ait: *Domine, quis vel vnde estis?* Cui cùm iuuenis diceret: *Domine, filius sum illius*, Patrem suū nominans: respondit Rex: *Benè nobilis estis.* Cumque Rex post hæc nescio quid diceret, Monachus subiunxit; *Verè Domine, omnia quæ habemus rapit, & iam penè nihil nobis dimisit.* Ad quod respondit Rex: *Verè Domine, hoc benè apparet in* CALCEIS *vestris; si aliquid dimisisset vobis corij, non essent tam stricti: quantò estis ceteris nobilior, tantò esse debetis humilior.*

Calceorum simplicitas commendata.

Basil. epist. 1.

VESTIARIVM.

Reg. fus. disp. 22.

Cæsar. lib. 4. cap. 15.

Lepida historia de Monacho à rege Francia irriso.

TRACTATVS VI.

DE MONASTICARVM VESTIVM COLORE.



INTER *congenitos nobis ab infectâ naturâ morbos, & ille latè grassatur, quo vestium splendore, aut alijs, aut nobis saltem ipsis placere studemus. Trahimur enim omnes incredibili cupiditate elegantioris amictus, quod anima quæ post scenam latet nec videri potest, nec magnificentiâ mentis ostendere, in externo illo apparatu quodammodo luceat & triumphet. Hinc in vestibus non calor tantùm quæsitus, sed & color: vt varietatis lenocinio oculis blandiamur, siue vt ipsam naturam omnifaria elegantia ludentem quadantenus imitemur. Sed vt ab omni vanitate alienissimos esse decet Monachos, colorem in vestibus non tam aspectabilem, quàm aspernabilem vel maximè elegerunt. De quo hic disquirendum.* Primò, *Quis color vestis Benedictinæ?* Secundò, *Cur niger potissimùm habitus à Benedictinis assumptus?* Tertiò, *Vnde nigrorum Monachorum nomen Benedictinis tributum?*

VESTIARIVM.

DISQVISITIO I.

Quis color vestis Benedictina?

S. Benedictus nihil certi statuit de vestium colore.

NVLLVM certum inuenitur S. A P. BENEDICTVS præscripsisse, hoc tantùm monuisse côtentus: *De colore aut grossitudine non caussentur Monachi.*

Cap 55.

Qua in re veterum, vt aliàs sæpè, secutus est vestigia; nam & S. Basilius, de habitu Monachorum disputans, de colore prorsus tacet, illud tantùm adferens, vt communis omnium Monachorum in vestitu sit ornatus.

Basil. reg. fusius disp. quæst. 22.

Clarius autem Gregorio Nazianzeno scribens, ait: *Colorum amœnitates ne exquirantur, nec opificiorum deliciæ prætenues ac molliculæ. Etenim in veste pigmentorum* B *lautitias consectari, perinde est, atque si muliebrem comptum nobis accommodemus.*

Epist. 1.

Sed nec veteres Monachi.

Similiter Cassianus monuit vestimenta Monachorum adeò oportere esse vilia, *vt nulla coloris, vel habitus nouitate inter ceteros huius propositi viros habeantur insignia.* Cûm his congruit noster Legislator. Et meritò, cùm vnius propositi tum pænè essent omnes monasticæ vitæ professores, nec ea, quam, modò videmus, exorta esset Ordinum diuersitas, quæ vestium colore debuerit distingui.

Cassian. lib. 1. cap. 5.

Hinc nata varietas.

Cùm igitur S. BENEDICTVS dicat: *De* C *colore non caussentur Monachi*, id est, inter se disceptent, aut contendant. *Propter hanc caussam in statu monastico varius inoleuit mos, & vestium color.* Hunc porrò quâ licet inuestigemus, & oculis legentium objiciamus.

Cassin. de clat. in cap. 55.

I.

Diuersi colores in vnius Monachi veste.

PRIMÒ, Paulus Diaconus de vnius Monachi in diuersis vestibus ea verba accepit. *Non debent*, inquit, *Monachi caussare, si pedules albi fuerint, & tunica fusca, id est, si pedules alterius coloris fuerint, & alterius tunica, atque alterius cuculla.* Ex quibus apparet, iam inde ab octingentis quinquaginta D annis, alba tibialia Benedictinis nostris in vsu fuisse, vt mirùm non sit, id Cassinensium Constitutionibus decerni: qui tamen de alijs vestimentis interioribus, statuunt, *quod sint alba, vel nigra, vel beritina.* Bursfeldenses quoque duas cuilibet assignantes tunicas, alteram volunt esse *albam.* Et Antonius de Yepez in Chronico Benedictino, testatur in pluribus Monasterijs congregationis Vallisoletanæ vsu receptas esse tunicas albas, quibus de noctibus vtantur.

Paul in c. 55. reg.

Tibialia alba.

Bursfeld in cærim. dist. 3. cap. 14.

Et tunica nocturna.

Ann. Christi 551. c. 5.

Ratio huius rei.

Assumptum autem hunc album colorem in interioribus vestibus idcirco existimo, vt faciliùs lauari queant, niger enim, vel alius quicumque tinctus color abluendo dilutior fit, & in album sensim facessit. Nostro sæculo B. Mater Margarita à S. Gertrude, in Abbatiâ Vallis Gratiæ Monialibus habitum præscripsit nigri naturalis dumtaxat coloris, non tincti, in togâ & tunicâ, cucullam tamen, quâ in choro vtantur, admittit tinctam.

II.

Clementina his detractum.

SECVNDÒ, Clemens V. Monastici amictus colorem expressurus, ita decernit. *Statuimus, vt superior vestis ipsorum habitui proxima, nigri, bruni, aut albi coloris existat.* Cuius caussam exponens Glossa, ait: *Isti colores sine tincturâ ex lanâ possunt haberi, & ideò potiùs approbati.* Hic autem non agit de flocco, aut cucullâ, quæ habitus nomine designantur, sed veste, quæ illi est proxima, tunica scilicet.

Clement. ne in agro.

Tunica tribuis nigrā, brunum, &c.

Ad hunc porrò textum obseruat Leo à S. Ioanne, nigrum hîc intelligi debere pullum, siue natiuum nigrum, & olim Benedictinos eo fuisse conuestitos: tale enim nigrum illis præfinit summus Pontifex, quod sine tincturâ posse comparari affirmat interpres, velut ac si constituat duas nigri vel bruni species; alteram, quæ magis accedit ad leucophæum, aut castaneum, & hanc vocat brunum; alteram, quæ potiùs vergit in atrum nigerrimum, & hæc niger natiuus appellatur. Hactenus ille.

Leo in typo vest. relig. tat. 1. sect. 1.

Explicantur hi colores.

Probabiliter sanè, nam cùm natiuus color tincto vilior sit, & minoris omninò pretij, humilitati Benedictinæ maximè congruit, cùm S. BENEDICTVS tales vestium materias adhiberi voluerit, *quales inueniri possunt in Prouinciâ quâ habitant, aut quod vilius comparari potest.*

Sunt sine tincturâ, & ad mentem S. Benedicti.

Ita Nepotianû Monachum Hieronymus admonuit cultus ipsius Prouinciæ, in quâ degebat morem sequi, sic vt nec munditijs, nec sordibus notabilis videretur. Noluit ergo S. BENEDICTVS Monachos peregrinas merces, longè, & cùm molestiâ quæsitas in habitu adhibere; sed eas quas in regionibus suis passim venales inuenirent.

Qui pretiosa & peregrina reijcit.

Ita quoque Alardus Gazæus arbitratur Ægyptios illos Eremicolas non alijs, quàm simplicissimis & vilissimis indumentis vti potuisse, nec vno eodemque habitu omnes vniuersim, ac perpetuò vsos fuisse; sed pro diuersitate locorum, temporum, facultatum, aut variâ traditione maiorum.

Gaz. in cap. 5. lib. 1. Cass.

Plerisque placuit natiuus lanæ color.

S. Cuthbertus Episcopus, vt scribit Venerabilis

Beda in vità Cuthberti c.15.

rabilis Beda, *Veſtimentis vtebatur communibus, ita temperatè agens, vt horum neque mundities, neque ſordibus eſſet notabilis. Vnde vſque hodie in eodem Monaſterio exemplo eius obſeruatur, ne quis varij, aut pretioſi coloris habeat indumentum: ſed eo maximè veſtium ſpecie ſint contenti, quam naturalis ouium lana miniſtrat.*

Cæſar. in reg. nu. 42. Etiam Monialibus in Franciâ.
In reg. Monach. c. 26.
Cap. 22.

S. Cæſarius Arelatenſis, Monialium indumenta ſimplici tantùm, & honeſto colore eſſe præſcribit, nullaque tincturâ, niſi laiâ & lactinâ infecta. Similiter Aurelianus Cæſarij ſucceſſor: *Veſtimenta alio colore non induatis, niſi laia, lactina, & nigra natiua.* Quod poſterius in Regulà Monialium eiuſdem Aureliani omittitur, quod atro colore non vterentur.

In vno cœnobio diuerſicolor habitus.
Biuar. ad Luc. Dext. ann. 419.

Quod verò Benedictinos noſtros ſpectat, exiſtimat Franciſcus Biuarius, non omnes vno eodemque colore veſtitos inceſſiſſe in vno Monaſterio, ſed diuerſis, ſecundùm quod vilius emere poterant. Quod tamen ſe ait intelligere de natiuis vellerum coloribus, vti de bruno, ſubcinericio, aut ſubnigro, vel ſubruſo, minimè namque ipſis colores aduentitij licebant. Sic ille.

III.
Congregationes Benedictinæ vario colore vſæ.
Albo.
Apud Caiet. MS.
Leonato, ſeu griſeo ſubobſcuro.
Cæruleo.

TERTIÒ, cùm certum colorem non deſignauerit Legiſlator, liberum ſibi exiſtimauêre, qui poſteà ad Ordinis inſtauratione̅ varias excitauerunt Congregationes, eum accipere colore̅, quo vel ab alijs magis diſtinguerentur, vel qui ipſis certâ occaſione eſſet tributus. Nã Camaldulenſes Romualdus albo veſtiri voluit. De S. Ioanne Gualberto S. Acto: *Ioannes Pater de ſuorum ouium variâ lanâ iuſſit pannum promiſcuum fieri.* Vnde in Conſtitutionibus ita decretum: *Veſtimento omnia extrinſeca, cuculla, tunica, ſcopularia, & caputia ſint vniformis coloris, id eſt, vulgò,* tanè, *aut leonati, longè tamen à nigro.* Quin & Landulſus, Cõgregationis Fontis-Auellanæ Fundator, & B. Petrus Damiani, indumentis albis, & cærulei coloris pallio, vnà cum ſuis Monachis vſi ſunt, vt habet Ricordatus. Ciſtertienſes album retento nigro ſcapulari aſſumpſerunt, vſi quandoque cappa viatoriâ, eodemque ſcapulari, colore griſeo, vnde à S. Hildegarde, Cæſario, Lamberto Schafnaburge̅ſi, Paulo Langio, alijſq; nominati *griſei Monachi.* De quibus vide Angelum Manrique tom. 1. Annal. Ciſtert. Cæleſtini quamuis cucullo induantur nigro, in ceteris veſtibus album ſeruant colorem. Candidus quoque eſt habitus Oliuetanorum. Sed & Ycpez de Cõgregationis ſuæ primario Monaſterio S. BENEDICTI Valliſoleti, refert habitũ fuiſſe caſtaneum, ſeu ceruinum, vt tetigimus in Commentario ad vitam S. BENEDICTI. Quinimò legimus Reomaënſibus circa annum Chriſti 1280. decretũ, quolibet anno tradi *cucullam, & frocum de panno roſſeto,* vt

Ricord. Hiſtor. Monaſt. diar. 1.
Albo & nigro.
Ciſtertienſes vnde griſei Monachi dicti.
Schafnab. ann. 1275.
Lang. Chron. Citiz.
Manr. ann. Chriſti 1103. c. 1. & 2.
Caſtaneo.
Reomaenſes rouſſeto, ſeu ruſo.

habent Statuta Gauderici Abbatis. Color, inquit, Rouerius, parum vt puto antea obſeruatus veſtis extimæ Monachorum Reomaënſium. Non enim, vt nunc nigris, ſed rouſſetis, id eſt, ruſſis amiciebantur, ac cum iam olim in ore eſſet id quod ſcribit Martialis,

VESTIARIVM.
Rouer. illuſt. Reom. num. 102.

Veſtitur Gallia Ruſſis.

Tum veriſimile eſt Monachos, qui procul quæſita, & inſolita ambire non debuerunt, eodem colore amictos fuiſſe. Quamobrem ita ſancitum reperias in Regula Tarnate̅ſi c. 19. *Veſtes ſimplici erunt, & natiuo colore procurandæ.* Atqui Ruſſum, quem *Burrum* veteres dixêre, vt Feſtus notat, natiui coloris genus eſſe nemo dubitat. Sed expreſſima eſt Regula Ferreoli 32. *Colorem,* inquit, *in his veſtibus album, vel nimis ruſſum, per quem ſæpè ſpecies corporis ad perniciem ſuam videntibus commendatur, vitet,* hoc eſt, habere non ambiat. Album abſolutè, Ruſſum autẽ non niſi nimium interdicit, quod indicio eſt Ruſſum moderatum in vſu fuiſſe. Sanè Vadianus in Monaſterio ſancti Galli tunicam intimam antiquarum imaginum, quæ Monachos repræſentarent, non nigram, ſed ſuſcam, ſed leuiter ruſſam fuiſſe tradidit. Hæc Rouerius.

Et alij Monachi in Galliâ.

Ex hoc autem allegato S. Ferreoli teſtimonio, licebit cõformiter dicere, vetitum Monachis à ſuo Patre cauſſari de veſtium colore, quod hic ſcilicet etiã ex permiſſis ſit intenſior, pulchrior, & melior; alter, remiſſior, obſcurior, magis dilutus, & peior, vt quoque Turrecremata inſinuauit.

IV.
Benedictinis Cardinalibus & Epiſcopis licitus color purpureus, & violaceus.
Caiet. ad opuſc. 31. Petri Damiani.

QVARTÒ denique, ex hoc fundamento, quòd nullus noſtris determinatè præſcriptus ſit veſtium color, Conſtantinus Caietanus annotauit, licitè iam olim à Cardinalibus & Epiſcopis Ordinis noſtri vſitatum purpureum & violaceum, quod euidenter probat ex auctore libri B. Deſiderio Abbati & Cardinali propè annum Domini 1060. dedicati, & ex Bibliothecâ Caſſine̅ſi cum alijs multis in Vaticanam tranſlati: in cuius fronte, ipſe, inquam Deſiderius Monachus & Abbas ſacri Monaſterij Caſſinenſis, ac tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, duplici veſte, ſtrictâ vnâ, talari alterâ, & quaſi conſulari, purpureâ vtrâque, vittâque aureâ in ſingulis extremitatibus ornata inſpicitur. Nec eſt dubitandum quia viuente Deſiderio ea pictura facta ſit; nam præterquam quod verſus, qui libri principio ab Anonymo illo Caſſinenſi eiuſdem libri ſcriptore præfigũtur, ipſum tamquam præſentem alloquũtur: id etiam præterea oſtendit, quod Deſiderius ad capitis tergum quadratam habet tabellam, quæ indicium ea tempeſtate viuentis eſſe ſolere, perueтuſta Vrbis monumenta, quo-

VESTIARIVM. rum nos multa obseruauimus, demonstrat; Et Ioannes Diaconus Cardinalis in vitâ S. Gregorij testatur. Verùm vt hoc loco illud etiã non prætereamus, Abbates etiam Benedictini Ordinis quosdam dignitatis commonstrandæ gratia (licet eorum Monachi nigris vestibus induti incederent) violaceo vsos esse; vt constat ex antiquissimo Monasterij Farfensis Registro, ex quo manifestè apparet quinque ac triginta ferè numero Abbates ad Supponem, qui anno Domini 1040. vixit, his vestibus indutos Monasterium rexisse. Quod confirmatur ex flocco illo violaceo, quo Venerabilis Patris Ruperti, Abbatis Monasterij Ottenpurani in Sueuiâ Ord. S. BENEDICTI, cineres induti reperti sunt CCCCLXXV. post obitum eius annis. Anno Christi scilicet 1555.

Lib. 4. cap. 84. — *Etiam Abbatibus vsitatum fuit.* — Caiet. in addendis ad lib. 2. pro Ioan. Diac.

DISQVISITIO II.

Cur niger potissimùm habitus à Benedictinis assumptus?

PRÆCIPVAM huius rei caussam in Declaratorio suo exposuerunt Cassinenses: *Assumpsimus*, inquiunt, *colorem nigrum, Beatissimum Patrem nostrum* BENEDICTVM *sectantes; qui (vt legimus) nigro vsus est colore.* Similia habent Camaldulenses. Et iam olim Petrus Diaconus coram Lothario Imperatore cum * Cistellensi quodam Monacho de obseruantiâ Regulæ S. BENEDICTI disputans, cùm interrogatus esset, cur nigris Cassinenses vterentur vestibus, respondit. *Quia talibus* BENEDICTVS *Pater vsus est; vt habitu quoque mundo renuntiasse videretur.* Quam responsionem Imperator suo calculo approbauit: si tamen vera sit illa historia, quæ ab correctiori Cassinensis Chronici editione reiecta est. Interim legat curiosior harum rerum indagator, quæ scripsit Angelus Manrique. Quid, quòd & ipse S. P. BENEDICTVS in varijs, quæ de eo leguntur apparitionibus, nigro plerumque visus sit habitu, vt alibi diximus? Raphael quoque Volaterranus nigro colore visum S. BENEDICTVM asserit. Atque illud quidem clarissimum est Benedictinos nostros totis quadringentis annis nigrum colorem nusquam variasse, & qui primus collapsum Ordinem restaurare aggressus est S. Odo, Auctor Congregationis Cluniacensis, eundem in omnibus suis Monasterijs retinendum putauit. Candido autem amictu primos suos Camaldulẽses induit S. Romualdus, longè antequam Cistertiẽses habitum mutarent, cùm quibus grauem admodum disputationem suscepit S. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, & retinendi nigrum

Cassin in Declarat. — *S. Benedicti amictus nigri coloris.* — Libro 4. Chron. Casc. c. 115. — * Fortè, Cistertiensi. — Manr. Annal. Cister. tom. 1 ann. Christi 1137 cap. 1. — Comment. ad vitam cap. 18. — *A filijs assumptus, & in diuturnum.* — *S. Romuald. duos primò mutauit, dein Cistertienses.*

A grotis has adfert caussas.

Primò est: *Habet*, inquit, *& tu* (Cluniacensis) *probabilem auctorem nigredinis tuæ, longissimum à Patribus traditum consuetudinis morem: quo tutior tibi videris sequendo vetera, quàm adinueniendo noua. Tuetur ergo nigredinem tuam paterna auctoritas, quæ omni rationi æquipollet: & quam inferiorem iudicari ab aliquo sapiente sanum non decet.* Quod

Secundò, probat exemplis: *Cuius*, inquit, *Patris exemplum ad hoc asserendum adferre potero? & quem maiorem Magno Martino reperire* B *valebo? Ille, inquam, ille magnus Martinus, Monachus & Episcopus, nigrarum colorem vestium suis vestibus dedicauit. De quâ re sic in eius vitâ legitur. Quem cum nigro ac pendulo pallio circumtectum cõtigua de latere iumenta vidissent, paululùm in partem alteram pauefacta cesserunt.* Meritò autem S. Martini exemplum proposuit, hunc enim Sanctum beatissimus S. BENEDICTVS honorauit plurimum, & tanto suo Patrono, quem vita exprimere studebat, ecclesiam construxit.

Pergit *Tertiò* Cluniacensis Petrus nigrum habitus colorem auctoritate Sancto- C rum Hieronymi & Paulini astruere. *Sed quid de his Hieronymus in Epistolâ ad Nepotianum missâ scribit? Vestes, ait, pullas æquè vt candidas deuita. Monens eum, scilicet, vt fastum vel iactantiam caueret, non solùm in candidis vestibus, quibus tunc magis sæculares vtebantur: sed etiam in pullis, quibus illius temporis religionis professores vti consueuerant. De his admirabundus ille Episcopus Nolanus Paulinus, iam dicti Martini, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, contemporaneus ac familiaris, multisque sæpè ab ipsis, sed & à Magno Papa* D *Gregorio laudibus prædicatus: iter cuiusdam nobilissimæ, sed ad religionis monasticæ propositum nuper conuersæ feminæ describens, sic in epistolâ Sulpitio Seuero directâ loquitur: Vidimus dignam Deo huius mundi confusionem, purpuream sericam, auratamque supellectilem, pannis veteribus & NIGRIS seruientem. Benedicimus Dominum, qui humiles excelsos facit, esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes. Ecce, non solùm viri antiquæ religionis, sed etiam mulieres sanctitatis propositum assumentes, vestibus NIGRIS vsæ scribuntur.* Hæc S. Petrus. At multò clariùs id con- E stat ex veteri historia. Nam in vitâ SS. Galactionis, & Epistemes Martyrum, qui sub Decio passi sunt, hęc Metaphrastes: *Eos*, inquit, *qui sunt NIGRO pallio induti, dixit similes esse Angelis, nimirùm qui se à mundo separant, & ab his quæ sunt mundi: & seruant virginitatem, & elegerunt habere vitam Christo consimilem.* Et Augustinus indicat fuscam vestem, quam vocat *nigellam*, fuisse tunc insigne continentiam profitentium. Imò Clericos olim atque etiam Episcopos atratos

Defendunt nigrũ Cluniacenses. — Petr. Ven. lib. 4. epist. 17. — I. *Auctoritate S. Benedicti.* — II. *Exemplo S. Martini.* — Sener. Sulpit. in vit. S. Martini. — *Quē imitatus fit Legislator.* — III. *Auctoritate SS. Patrum.* — *Qui nigris Monachus tribuunt.* — *Et constat ex Historijs.* — Apud Sur. tom. 6. c. 9. — Aug. epist. 199. ad Ediciam. — *Imò Clerici atrati incedebant.*

atratos incessisse, non cæruleos, aut violaceos, aduersus Baronium asserit Caracciolus, & probat ex Socrate. Nam cùm Sisinnius, Nouatianus Episcopus, albas vestes, more, & astu suæ sectæ gestaret, atque huius rei à quodam è domo Arsacij Constantinopolitani Episcopi notarctur, respondit; *Tu priùs dic mihi, vbi sit scriptum, Episcopum debere nigrâ veste vti?* Vellicans scilicet hoc responso Arsacium, ceterosque Episcopos Catholicos *nigris* vestibus vtentes.

Ad annum 391. In Synops. religios. m. part. 2. c. 2. lib. 6. Hist. cap. 22.

IV. *Quartò* denique, subiungit S. Petrus Cluniacensis probabilem rationem, quâ moti SS. Patres atrum habitum alijs prætulerint. *Nam vt quod sentio, inquit, fatear, visum est, vt mihi videtur, magnis Patribus illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem, magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui conuenire. Quibus studijs quia totam Monachi vitam maximè inuigilare oportet, decreuerunt, vt color moribus, vestes virtutibus, quâ possent cognatione iungerentur. Vestes enim candidas magis gloriam, quàm abiectionem, magis gaudium quàm mærorem antiquitùs designasse: magis etiam ecclesia, vt olim notum est, sic interpretantibus, & Angelus resurgentis, & Angeli adscendentis Domini præcones indicarunt: ipseque Saluator in illâ transformationis suæ gloriâ vestibus niueis præclarus apparens, ostendit.*

Rationi: ad humilitati, pœnitentiæ magis conuenit.

Albus color in lætis.

Atque hactenus quidem Sanctus hîc pro Ordinis sui colore depugnans. Quibus omnibus accedat, quòd veteres olim Monachi nigrâ induerentur veste. Vnde Rosweydus caussam reddens cur S. Antonius martyrij desiderio incensus, *candente prçcinctus* fuerit *veste*, ait id factum vt ad Iudicem Ægyptijs alba indutis mixtus securiùs procederet: quòd Monachis, qui pullâ veste dignoscebantur, ciuitate esset interdictum, vt in vitâ S. Antonij cap. 23. habetur. Et in citatâ Galactionis & Epistemes vitâ, de Honorio Monacho dicitur: *Albâ veste tegens Monasticam, erat animâ verè Monachus.* Synesius ad Ioannem monachicum institutum arripientem ita scribit: *Et pullam te lacernam induere narrat.* Athanasius ὁ ἐπενδύτης ἐν μέλας. *Niger tibi Ependytes*, id est scapulare. Eunapius quoque notauit suo tempore *nigro* habitu Monachos contectos. Ita enim Hadriano Iunio interprete, ait: *Ijdem postea in loca sacra inuexerunt Monachos*, &c. *nam eâ tempestate, quiuis* ATRAM *vestem indutus, quique in publico sordido habitu spectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat auctoritatem.* Ita rabiosus ille Christi canis, Theodorus Balsamon in Canonem V. Synodi Constantinopolitanæ: *Nam & mulieres, quæ defunctos viros lugent*, ATRIS *vestibus ad tempus induuntur, & rursus sine periculo sæculares induunt. Pluribus autem & religiosioribus non videtur, in eorum esse potestate, qui Monasterium ingressi sunt, & quomodocumque se res habeat*, NIGRIS *vestibus induti fuere, & Monastico more degunt, habitum läicum resumere: ipsi enim inquiunt, licebat cum vestibus laicis probari spatio triênij.* Et Claudius Hemereus ait, *nigris stolis indui*, apud Græcos passim idem esse atque fieri Monasten. Probatque ex Zonorâ ita scribente: *Claudit Monasterio vxorem Mariam Constantinus, & tonderi iubet, & huic circumponi vestes* PVLLAS. Idem in Michaële Rangabi: *Theophanonem Stauracij coniugem Monacham factam, &* NIGRA *indutam stola, donauit multa pecunia.* Rursus idē in Constantino Monomacho: *Tornicio comâ detondit Constantinus gladiator, se spem eius vnà detonsurum ratus, &* NIGRAM *lacernam induit, quasi eo colore exspectatum illi fortunæ splendorem obscuraturus.* Concil. in Trullo: *Sanctimoniales iubet sine pompâ vllâ citò vestibus* ATRIS *amicíri, cùm vota faciunt.* Pachymeres; *Exuens Sacerdos Monachum futurum, circumponit illi* NIGRAM *vestem.*

Probatur suisse Monachos veteres nigris vsur passe colorem. Rosw. in c. 21. vit. S. Anton. Cap. 11. Apud Græcos præsertim. Synes. epist. 146. Athan. lib. de virginit. Eunap. vit. Philos. in Ædesio.

VESTIARIVM. Carbus. peregrin. die 5. cap. 7. Etiam Monialis atratæ. Zonar. in Constantino Leone fil. Trull. cap. 6. Pachym. in myst. c. 7. eccles. Hierarch.

Atque hæc quidem pro retinēdo, atque etiam defendendo prisco & vero Benedictini habitus colore ita dicta sint, vt alio vtentem nec iudicemus, nec damnemus; nam in his talibus probæ vtrimque militant rationes: & bono cuique sufficerit, quòd receptum instituti sui sequatur morem. Quando, vt diximus, & in hâc parte ex ipsis Legislatoris verbis eligendorum colorum permissa sit libertas, & facultas. Quibus cùm Apostolicæ sedis approbatio, & continuatus Ordinis accesserit vsus; non est quod ampliùs quis requirat. *Christus diuisus nō est*, scribit Blesensis ad quemdam Ordinis nostri Abbatem, *sine in albâ, siue in pullâ veste, in omni professione & ordine, in omni gente quicumque operatur voluntatem Domini, acceptus est illi. Inter album & nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Iudæi & Græci. Attendit Dominus mentem, non vestem, merita non colorem. In monte Cassino schema Monasticum, quo* B. BENEDICTVS *est vsus, vsque hodie, sicut dicitur, perseuerat. Quis audeat tanti Patris habitum blasphemare in filijs? nam si delibatio sancta, & massa: si radix sancta & rami. Sine cum Nazaræis candidior niue sit aliquis; siue cùm B. Iob super carbonem denigrata sit cutis eius, vterque salutem in domo Domini operatur. Sanè in ouili Iacob sunt agni albi, & nigri. In vineâ Sorec sunt vua alba, & nigra. Sed & sponsa quæ lilijs conuallium prænlbescit, ipsa eadem dicit:* Nigra sum, sed formosa. *Apud sponsam Christi non est absurda varietas, cùm ipsa circumamicta varietatibus describatur. Ipsa varietas vniformitatis caussa est. Nam in cithara*

Laudandus cuiusq; Ordinis proprio colore insistentium. Bles. epist. 97. ad Abbat. de Ensesham. Deus non distinguit inter album & nigrum. 1. Corint. 4. Rom. 11. 16. Thren. 4. 7. Iob 30. 30. Gen. 30. 35. Isai. 5. 2. Cant. 1. 5. Et pulchra hac in Ecclesia varietas.

VESTIARIVM. *thara ex diuersitate chordarum fit vniformis modulatio ad concentum.*

DISQVISITIO III.

Vnde Nigrorum Monachorum nomen Benedictinis tributum?

Benedictini dicti nigri Monachi.

CVm primis quatuor sæculis Benedictini nostri non nisi atro vestirentur colore, inde adeò factum est, vt pro synonymis haberentur *Nigri Monachi*, & *Benedictini*; quo nomine in Pontificum Decretis, & Iure Canonico passim appellantur.

Origo huius nomenclaturæ in Angliâ. Reyn. Hist. discept. de antiq. Bened. Tract. 1. sect. 1. §. 18.

Primam autem huius nuncupationis originem in Angliâ ortum habuisse, atque inde per reliquam Europam diffusam asserit Clemens Reynerus, aitque vsurpatam fuisse ipso Apostolorum Anglicanorum sæculo, sic enim disserit: Nusquam huius appellationis mentionem tam antiquam inuenimus, quàm quæ est in Diplomate Regis Ethbaldi. Vbi Rex insulam Croylandiæ se donare Deo profitetur, *ad fundationem Monasterij Nigrorum Monachorum, sub normâ* S. BENEDICTI *Deo famulantium*; nec tum demum exortâ illam appellationem, *Quæsitum de anno.* hoc est anno 716. quo Diploma hoc expeditum est, sed iam dudum in Monasterijs Anglicis receptum insinuat expressè, dum ait, *Se quemdam Cœnobitam Euesbamensem, probatæ religionis virum, nomine Kenulphum, vt secum eiusdem Ordinis Monachos probatos* *Est antiqua.* *ibidem congregaret, Abbatē constituisse.* Clarissimè autem ex hoc regio Diplomate monstratur, iam dudū per Angliam appellationem Ordinis *Monachorum Nigrorū* S. BENEDICTI vsurpatam fuisse, etiam diu ante annum 716. quo hoc diploma scripserit Ethbaldus Rex (quo & Venerab. Beda annum agens 15. Monachilia iam per octo annos in cœnobio Giruiensi gestauerat,) atque adeò ipso Apostolorum nostrorum sæculo, quorum vltimus Paulinus non ante an- *Quæ ratio inducendæ huius distinctionis.* num 644. defunctus est. Sed quænam fuerit occasio inuehendæ huius distinctionis & Nomenclaturæ, idem Auctor fusè prosequitur, eamque necessariam fuisse tradit, vt Monachi Romani, qui auctoritate S. Gregorij fidem Anglis primi prædicabāt, & Romanæ Ecclesiæ traditionem ritumque per omnia sequebantur, distinguerentur à Monachis Britonum & Scotorum, qui in Paschatis obseruantiâ, rituq; tonsuræ Ecclesiasticæ à Romanâ Ecclesiâ dissentiebant. *Monachi Scoti albas vestes gestabant.* Britones autem & Scoti Monachi colore vestium albicante, seu natiuo ipsius velleris, qui ad albedinem plerumque accedit, vtebantur in vestibus, idque ita constanter, vt etiam Lindisfarnenses Monachi, à Scotis primùm educati, post-

A quam S. Cuthberti patientiâ & assiduitate ad Benedictinam Regulam suscipiendam fuerunt inducti, adhuc tamen colorem illum natiuum lanæ in vestimētis diu posteà retinuerint. Igitur vt Romanorum rituum assertores Monachi, ab alijs appellatione facili internoscerentur, à colore nigro habitus, *Monachi Nigri* cœperunt deinceps vocari. Hactenus ille. In ceteris verò Europæ prouincijs hac distinctionis tesserâ minùs opus erat, cùm in illis nulla prorsus esset in Ecclesiasticis ritibus dis- *Nigri Monachi vbiq; increbuerunt.* B sensio, sensim tamen appellatio illa *Nigrorum Monachorum* ad reliquas Europæ totiusque orbis prouincias transijt, vt idem auctor ait.

Verùm enim verò antiquior etiam nuncupatio *Nigrorum Monachorum* esse videtur, nam tempore Gregorij Magni in ipsâ Italiâ, hic loquendi modus videtur vsitatus. *Videtur adhuc vetustior hæc nomenclatura.* In tomis enim Conciliorum, hæc Lateranensis Synodi inscriptio legitur: *Decretum Lateranensis Concily de quiete & libertate, atque exemptione Nigrorum Monachorum,* C *in quo B. Gregorius Papa præsedit.* Habitum est autem hoc Concilium iuxta Baronij calculum anno Christi 601. quare si vera est tituli inscriptio, quadraginta annis vetustior est appellatio *Nigrorum Monachorum*, quam posuerit Doctissimus Clemens Reynerus, quē miror huius Concilij mentionem non fecisse, cuius eum tamen memorem reddere poterat Benedictinum Chronicum ab eo diligēter lectum, & non rarò citatum. Quare suspicio mihi est, eum fortasse illius Concilij titulum habuisse D suspectum aut certè noluisse eò referre originem nuncupationis *Nigrorum Monachorum*, quod in ipso Decreto simpliciter tantùm *Monachorum* mentio fiat. *Sed quadā assensum remorantur.* Sanè ne quid dissimulem, Cardinalis Baronius Decretum hoc inter opera S. Gregorij desideratum, sed à se in Vaticanâ Bibliothecâ inuentum, VIII. Annalium Ecclesiasticorum tomo intexens, nullum titulum illi præscribit, sed ita incipit: *Gregorius Episcopus omnibus Episcopis.* *Baron anno 601. Nec leuis.* Quare & ipse facilè concesserim, recentiorem fortassis illam E inscriptionem esse. Quamuis minimè dubitandum putem, quin in fauorem *Nigrorum Monachorum*, siue Benedictinorum, Decretum illud sancitum fuerit.

Sed & ante S. BENEDICTVM *Nigrorum Monachorum* mentio fit in Chronico Flauij Lucij Dextri. *Nigri Monachi in Lusitaniâ anno 391.* Ad annum enim Domini 419. ita scribit: *Canali in Lusitaniâ Monachi Nigri, ab annis* 393. Hos autem Franciscus Biuarius discipulos credit fuisse S. Martini, qui vt Seuerus auctor est, plurima construxit Monasteria, non solùm Mediolani & Turonis, sed alijs quoque in prouincijs.

TRACTA-

TRACTATVS VII.

DE QVIBVSDAM BENEDICTINÆ VESTI SINGVLARIBVS.



RIA in hunc Tractatum congessi, quæ descriptis hactenus Ordinis nostri vestibus prorsus sunt singularia, eoque nomine hoc libro videbantur non prætereunda. Primum, *Quid ex Benedictino amictu alij non Monachi assumpserint?* Secundum, *Quantum profuerit eum detulisse?* Tertium, *Cur habitus prolapsorum à fide, apud Hispanos* S. BENEDICTI *vocetur.*

DISQVISITIO I.

Quid ex Benedictino Amictu alij etiam non Monachi assumpserint?



TER, siue pullus monastici habitus color primum omnium à Monachis in Clerum, Baronio teste, transmigrauit. Cùm enim, vt ipsius verbis loquar, neque pullus, neque candidus color Clericis congruere videretur; possumus intelligere castaneum colorem, nec non violaceum in Ecclesiâ Catholicâ antiquo vsu receptum, retentumque vsque hodie ab eis, qui familiæ sunt Summi Pontificis, nec non ab alumnis Romanæ Ecclesiæ Seminarij, & aliis: vt omittamus Episcopos, illis exceptis, qui ex Claustralium Ordinibus ad eam promoti sunt dignitatem. Irrepsisse autem color niger in Clerum videtur, cùm & Monachismus in nonnullis Ecclesiis à Clericis receptus est, & ex Monachis Episcopi creati sunt, reliquos autem Clericos alio vsos esse colore.

Baron. ann. Christi 393.

Clerici primitus castanei coloris vestes habuerunt.

Monachismo diffuso prævaluit niger.

Quibus Baronij verbis hoc etiam Laurentius Benard adiicit, multitudinem Episcoporum ex Benedictino Ordine assumptorum, qui nigrum habitum constanter retinebant, (quòd etiam S. Fulgentium Ruspensem Episcopum fecisse legimus) occasionem dedisse reliquis Episcopis è sæculari Clero electis, cùm minori multò essent numero, vt violaceum colorem in nigrum commutarent; vt esset inter Episcopos maior in vestitu vniformitas. Idemque auctor de Laicis acturus, hæc habet: Si mihi fas, inquit, post Baronium hęc addere, oues Pastoribus, Plebem Episcopis coniungam, dicamque eorum imitatione, primos quosque, & Laicorum honoratissimos nigrum

Benard. in Elog. Benedict.

In Episcopis,

Plebs, & præsertim honoratiores Episcopos secuti.

A habitum suscepisse. Ipsi adeò Reges, Principes, Præsides, Consiliarij, Nobiles, aliique passim, vt Prælatis suis honorem & amorem exhiberent, gloriosum sibi duxerunt proprio spoliari colore, Regum purpurâ, Consiliariorum Coccino, vt pœnitentialem habitum Patrum suorum spiritualium assumerent.

A Monachorum Ordine verisimile est Canonicos desumpsisse nigram illam cappam, quâ à Calendis Nouembris vsque ad Pascha vti consueuerunt. Nam caputium B pelliculis suffultum, quod isti cappę superimponitur, magnam omninò habet similitudinem cum caputiis cucullæ Benedictinæ. Verisimile id, inquam, est; nam Doctissimus Molanus, Canonicus de Canonicis scribens, ait eos olim veluti argumentosas apes, multa sanctissima instituta ex Regula S. BENEDICTI, & aliunde, in suam Regulam, & regularem obseruantiam transsumpsisse, & sub canonico habitu Monachorum vitam perfectè impleuisse. Quin C imò Laurentius Landtmeter disertè ait, cappam & cucullam, quâ suprà lineam Canonici sæculares per hiemem vestiuntur, deriuata à Monachis; cappamque referre veterum Monachorum pallium. Hoc tamen discrimine, quòd pallia Monachorum angusta essent, cappæ hodiernæ laxæ ac longo syrmate terram verrentes. Probatque hanc suam assertionem ex eo, quòd in signum pœnitentiæ & seuerioris disciplinæ à Canonicis Calendis Nouembris assumantur, teste Durando. Constat verò veteribus eadem fuisse, & pro synonymis habita,

Nigra Cappa Canonicorum venit à Benedictinis.

Lib de Canon. cap. 11.

Item cuculla.

Landt. lib. 1. de vet. Cler. hab. p. 3. c. 6.

Qua pœnitentia habitus.

Durand. rat. diu. offic. lib. 3. cap. 17.

VESTIARIVM.

Osbert. in vit. S. Dunstan. c. 19. Sur. 19. Mai.

Probatur non infructuoso excursu.

habita, *habitum pœnitentiæ*, & *habitum monasticum*. Vnde Ethelwoldus ex Monacho factus Episcopus Wintoniensis, cùm post varios conatus nequiuisset Clerum suum ad disciplinæ normam reducere, piùm hoc stratagema aggressus est, diuino, vti reor, instinctu. *Paratis quamplurimis Monachorum cucullis, die, quo communio; Seruite Domino in timore, cantabatur: chorum intrauit, vestes, quas parauerat, secum deferri faciens. Et proiectis illis in medium, Cononicis ait: Animaduertistis, quid modò cantaueritis? Animaduertimus, inquiunt. Igitur, inquit, si seruire Domino in timore, & ei vultis exultare cum tremore; apprehendite disciplinam, vestem scilicet Monachalem, ne pereatis (sicut cantastis) de viâ iustâ. Ad quod illi obstupefacti, more solito inducias petunt; id se facturos in futuro, promittunt. Tunc ille; Mihi credite, amplius non credam huic vestræ responsioni coruinæ. Sed aut disciplinam in præsenti apprehendetis; aut loci istius beneficiis & cõuersationi, hinc eliminati, iam iam cedetis. Itaque nonnulli, ex illis statim, abiecto clericali habitu, Monachi facti sunt, ceteris verbo Pontificis de ecclesiâ eliminatis.* Quàm verò inusitatum hoc factum Deo placuerit, hoc loco quamuis περιεργῶς, fortè non iniucundum fuerit. Eiecti Clerici Regem adeunt, *iudicium atque iustitiam de expulsione fieri postulant*. Indicitur ex Regis præcepto Wintoniæ omnium Ordinum Concilium, vt huius negotij querela determinetur. *Surgunt hinc inde lites, quas Dunstanus propositis rationibus destruit.* Quibus auditis Rex, & ex Principibus plerique omisâ controuersiâ, Concilio excesserunt: sed mox Clericorum precibus permoti, sese deprecatores exhibuerunt apud Dunstanum, vt vel hac vice veniam tribuat, eiectosque in pristinum statum restituat. Silet ad ista Vir Sanctus, eumque demisso capite, quid facto potissimùm opus esset pertractaret, & reliqui interim suspensis animis ad Pontificis responsum aures arrigerent: ecce subitò Crucifixi imago, quæ in edito loco pendebat, cunctis audientibus dixit: *Non fiet, Iudicastis benè, Mutaretis non benè. Tremefacto in his vniuerso simul conuentu, intulit Pater Dunstanus, & ait: Quid amplius vultis, fratres mei? Diuinâ sententiâ, definitum audistis negotium præsens.* Cùm autem non multò pòst horum Canonicorum posteri conducto quodam admirandæ eloquentiæ viro, iterùm apud Dunstanum instarent, vt bona ablata restituerentur, & S. Præsul respondisset se iam grandæuum, Deo caussam Ecclesiæ suæ tuendam committere: *ecce solarium sub pedibus eorum, qui aduersus virum conuenerant, è vestigio cecidit, omnesq; pariter præcipitatos, in suo casu non modicum læsit. Vbi verò Dunstanus cum suis consistebat, nulla ruinæ domus, nullus emerserat casus. Hoc ergo modo calumnia Clericorum est sopita, & vsque hodie Monachorũ conuersatio in ipsâ ecclesiâ stabilita.*

Ethevvoldus cogit Canonicos ad Disciplinam, id est, Monachatum.

Factum defendit S. Dunstanus.

Approbat & Crucifixi vox.

Ibid. cap. 40.

Puniuntur refractarij.

His porrò ex occasione dictis, ad Canonicorum vestem redeamus. Constat enim eos monasticam cucullam adeò aliquando ambiuisse, vt Synodali constitutione id illis inhibendum fuerit. Vnde in Concilio Aquisgranensi expressè statuitur, *vt Canonici cucullas Monachorum non induant*. Et rationem etiam addunt: *Reprehensibilem, & Ecclesiasticâ emendatione dignum apud plerosq; Canonicos inoleuisse comperimus vsum, eò quod contra morem ecclesiasticum cucullas, quibus solis Monachis vtendum est, induant: cùm vtique illorum habitum penitus vsurpare non debeant, à quorum proposito quodammodo distant. Quia sicut indecens est, vt arma militaria more laicorum gestent: ita nimirum inhonestum est, & valdè indecorum, vt alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus namq; singulorum Ordinum idcirco in Ecclesiâ ab inuicem discreti sunt, vt his visis, cuius propositi sit gestans, vel in quâ professione Domino militet, liquidò cognoscatur. Nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem, scilicet vt vterque sexus sibi conuenienti veste incedat. Sicut enim turpe est, virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem induere; ità valdè indecorum est, Canonicum vestem monachicam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere.* Hæc ibi. Mos enim tum obtinuit, vt permixta esset vtriusque instituti dissimilis professio: cùm Canonici quidam perfectionis maioris studio, Clericali suæ vitæ Monasticum rigorem, medio solemni voto adiungerent, quod fiebat vel persecutione ingruente, vel cùm Monachis ad Episcopatum assumptis, Clero cõuiuendum foret. Cùm enim illi habitum monasticum cum pietate seruarent, potestas aliis facta est, vt vel ad Canonum normam vitam exigerent, vel liberè perfectiores instituti ascetici Regulas eodem in loco amplecterentur, vt etiam obseruauit Antonius à Gurnez. Voluit ergo Canon monasticum cucullum nonnisi à Monasticen professis indui, vt non fallax esset vitæ testis vestis.

Canonici ambiunt monasticam cucullam: quæ iis inhibita.

Conc. Aquisg. an. 816. c. 125.

Rationes huius prohibitionis.

Deut. 22.

Vnde Canonico-Monachi.

Gurnez cap. 7. fac. hist. ad rer. gest. S. Liberti.

DISQVISITIO II.

Quantum profuerit Benedictinum habitum detulisse.

DIVINA bonitas adeò in benedictionibus dulcedinis præuenit seruũ suum BENEDICTVM, vt peculiaribus etiam gratiis eos sit prosecuta, qui monasticum eius habitum detulissent, siue id pœnitentiæ affectu, siue humilitatis gratiâ fecissent.

Deus gratiis prosequitur Benedictino amictu indutos.

Quòd

Rupert. Tuit. de operib. Spiritus S. li. 8. cap. 8. & 9.

Quod quidem Tuitiensis Abbas pulchrè his verbis exponit: *Habet, & scit clementissimus Pater unde reuertenti filio prodigo stolam primam, aut propè primam proferre possit, scilicet* HABITVM SANCTÆ CONVERSATIONIS, *habitum Monachicum reuerendum, & omninò pœnitentialem, quia ideò reuerendum, quia pœnitentialem. Quis enim hunc habitum pro eo, quia pœnitentialis est, non reuereatur, nisi qui se pœnitentiâ non indigere arbitratur? sed non hoc dicimus, quod solis peccatoribus repositus sit hic ordo pœnitentialis, sed etiam iustis. Peccatori namq; hac sæpedicta stola cum acceperit eum, venia & gratia est, iusto cum quasi descendendo sumpserit eam, gratia & gloria est. Nouimus quàm plures iustos, & iustitia columnas in illâ pœnitentiæ domo stantes, in quâ pœnitentes sub eodem habitu recipiuntur, & gaudij conuiuium celebratur, qualis fuit Pannoniensis Martinus, & Apostolicæ sedis Præsul B. Gregorius, Augustinus quoq; eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus. Aliique quàm plurimi viri sanctissimi, iustitiâ & sanctitate fulgidi, & nihilominus propter pretiosam iustitiam fulgidum monachica humilitatis Habitum non dedignati.* Hæc ille.

Peccatores.

Quibus & hoc meritò addendum, quod B. P. BENEDICTVS non semel se in mortis agone defensorem exhibuit, eorum, qui habitu eius indui rogauerant. Atque ex hoc capite profluxit vetus illa consuetudo, quæ in Hispaniâ maximè viguit, moribundos monasticâ induere cucullâ, in quâ vltimum exhalarent spiritum, & sepulturæ traderentur. Quòd iam à mille ferè annis in vsu fuisse, Concilium Toletanum XII. & ea quę de rege Wambâ Hispaniæ Annales referunt, satis superque conuincunt. Rem gestam ex Iuliano Toletano, & Lucâ Tudensi refert Baronius, & breuiter sic se habet. *Eruigius Comes, elatus superbiâ, callidè aduersus Regem Wambam excogitauit, & potionem letiferam dedit ei, ex quâ Rex officium memoriæ perdidit. Cumque Episcopus ciuitatis, & Optimates palatij, qui erant fideles regis, quos potionis caussa latebat, vidissent regem iacentem absque memoriâ, caussâ pietatis commoti, pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem sancti olei, & communionem Christi corporis obtulerunt.* In Concilio verò Toletano additur, Wambam, *dum ineuitabilis necessitudinis teneretur euentu, suscepto Religionis debito cultu, & venerabili tonsuræ sacræ signaculo,* scriptis suis Eruigium designasse regni successorem. Superatâ verò potionis vi, sibique Rex restitutus, cùm se repentè Monachum ex rege factum cerneret, memorabili exemplo maluit diadema, quàm vestem deponere monasticam, quare ad monasterium quoddam perrexit, ibique vitam immaculatam finiuit. Capite verò secundo

In mortis agone constitutos.

Olim in Hispaniâ moribundis cuculla dabatur.

Annal. ecclesiast. to. 8. an. Chri. 680.

In quibus VVamba rex.

Tolet. 12. cap. 1.

Qui recuperatâ valetudine, Monachus manet.

A eiusdem Toletani Concilij, significatur eam tunc in Hispaniarum ecclesiis viguisse consuetudinem, vt vrgente ægritudine, cùm se quis proximè moriturum putaret, eiusmodi *Pœnitentiam* (id est vestem monasticam) peteret: quam si etiam extra mentis integrum sensum constitutus ab Antistite ministratam accepisset, haud vlteriùs ad sæculum reuerti ipsi liceret, sed teneretur Monachus permanere, etiamsi eam minimè petiisset, sed nescius accepisset; licet pœnâ dignus censeretur Sacer- B dos, qui eam non petenti, vel aliquo saltem signo se id cupere significanti, tribuisset ac ministrasset.

VESTIARIVM.

Decretum eâ de re editum.

S. Petrus Damiani grauissimè inuehitur in Episcopum Maurum, quòd ausus fuit asserere, Monachum Religionis habitum semel susceptum ægritudinis caussâ posse deserere. Agit autem de eo, qui in ægritudine positus habitum monasticum suscepit, & postquam conualuerit, pristinæ conuersationis habitum vult repetere. Probat autem ex sacris Canonibus, & Toleta- C no Concilio, sine peccato non deseri, quod sponte semel susceptum est, & quartum caput ità concludit: *Ecce, iuxta Gelasiani decreti sententiam, quacumque occasione etiamsi nulla interueniat mora probationis, quisquis religioso Habitu semel inditur, funditus sibi redeundi ad sæculum licentia denegatur.* Et infrà: *Ægrotos pariter & incolumes eadem regula comprehendit, quæ non solùm voluntariè, sed etiam violenter conuersos, vltrò etiam deceptoris machinationibus persuasos, in eodem proposito perseuerare decernit.* Quam sententiam D pluribus deinceps inculcat, sed quidquid de illius veritate vel probabilitate sit, illud certè hinc constat, maximi id habitum fuisse, & velut ad asylum pœnitentiæ moribundos olim confugisse ad monasticum habitum, etiam cum discrimine perpetuo, si conualuissent, ducendi vitam religiosam.

Petr. Dam. opusc. 16.

Non licet susceptum in morbo Monasticũ habitum posteà deserere.

Ibid. cap 6.

Quam hoc probabile.

Sed & Græcis Imperatoribus eâ pietas cordi fuit, vt in monastico habitu diem clauderent extremum. De Manuele Comneno refert Nicetas Choniates: *Imperator* E *morbo correptus, admotâ ad arteriam manu, & pulsu pertentato cum alto suspirio femur percussit, &* MONASTICVM HABITVM *postulauit. Quo dicto, cùm vt fieri solet, tumultus esset ortus, ministri spiritualem vestem nigro panno, omnis ornatus expertem, nescio vbi nacti; mollibus & regiis vestibus detractis, & aspero illo diuinæ vitæ indumento, in spiritualem illum conuertunt militem; & galeâ illum, thoraceque insigniore ornatum, in cælestis Imperatoris catalogum referunt. Sic igitur vitâ & imperio cedit.* De Theodoro Lascari iuniore scripsit Nicephorus Gregoras, *cum annum agentem ætatis*

Imperatores Græci in veste monachicâ mortui.

Choniat. lib. 7. Annal.

Gregor. lib 3. hist.

VESTIARIVM.

ætatis sextum & trigesimum, molestus ac difficilis & planè letalis morbus inuasisset, paulò antè mortem alacriter HABITVM MONASTICVM *induisse.* Et de Andronico iuniore: *Cùm grauissimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur, atque id malum omnem medicorum artem superaret, & de vitâ illius postridie actum videretur: iureiurando adstantes adegisse, vt sibi* MONASTICVM CVCVLLVM *induerent, priusquam vitâ excessisset.*

Idem lib. 9.

Benedictini amictus gestatio profuit.

Verùm vt ad Benedictinum habitum, à quo tantillum discessimus, reuertamur; mirum profectò est, quantum auxilij ille attulerit, vel potiùs S. BENEDICTVS per illum, iis, qui magnâ religione eum vel in vitâ, vel sub eius exitum detulerunt. Tribus id miraculis adstruit Leo Ostiensis, quæ eius verbis hic Lectori repræsentabimus.

Leo Ostiens. Chron. Cas. lib. 3. c. 42.

Angelo Monacho.

I. Primum itâ enarrat. His diebus (anno 1060.) quidam huius Cassinensis cœnobij frater, Angelus nomine, vir omni virtute ornatus, & reuerendis moribus præditus, ad extrema perueniens Deo spiritum reddidit. Dæmoniacus autem quidam adueniens garrire cœpit: *Quid hac horâ mihi* BENEDICTE *fecisti? Angeli Monachi animam, ob exigui cuculli gestaturam, meæ potestati subducens, tuo in cælestibus gregi sociasti.* Cumque hæc lugubri voce prosequeretur, repentè signum, quo fratrum obitus significari solet, insonuit: euntesque præfatum Angelum iam excessisse reperiunt. Alterum sic habet.

Ibid. c. 39.

Homini flagitiosissimo.

II. Operæpretium reor quid hoc anno Dominus B. BENEDICTI meritis in Galliis operatus sit, ad posterorum memoriam & ædificationem, tradere historiæ. Quidam vir præpotens, Gallorum gente progenitus, tantis se à puero vitiis exposuerat, tot flagitiis impiarat: vt nulla pars corporis proprio vacaret à vitio. Hic ad mortem veniens, conuocatis cuiusdam cœnobij fratribus, *Monasticum Habitum* sibi tribui flagitabat. Mox autem vt sacris indutus est vestibus, spiritum reddidit. Cuidam verò seruo Dei iuxta manenti Dominus, quæ circa defuncti animam agerentur est dignatus ostendere. Mox enim vt de corpore exiit, terribilis dæmonum turba catenis eam igneis vinciens, cùm ad tartarea ferre conaretur incendia: B. P. BENEDICTVS pastoralem manu præferens virgam, in medium adstitit. At verò hostes se prædam perdere cognoscentes, dixerunt: *Quot à nobis iam diu animas tuleris* BENEDICTE *nosti: hunc verò qui boni numquam aliquid gessit, iniustè agis, si à nobis auferre conaris.* Et secundus: *Ne vobis*, inquit, *iniustè fortassis agere videar, eius facta examinate: & si quid vestri operis ex quo meum accepit habitum, recognoscitis, vobiscum ducite.* Tunc ille malignorum conuentus victum se rationabiliter sentiens, in tenues dilabitur auras. Hoc Dei seruus vt vidit, cœpit laudare clementiam Christi, qui eandem animam adeò mirabiliter de manibus dæmonum liberare dignatus est. Tertium ita refert.

Quem S. Benedictus ex diaboli faucibus eripit.

Ibid.

Venafranus vicecomes sceleratè vixit.

III. Quidam Ioannes, cognomine Venafranus, vice-comes, Iordanis primi Principis filius fuit, vir flagitiosissimus, & omni nequitiæ labe inquinatus. Qui dum morti propinquaret, huc se perferri, sanctæque religionis sibi habitum tradi orauit. Eius votis amici annuentes, huc illum duxere: atque ante corpus sanctissimi Patris BENEDICTI vestem illi monasticam tradi impetrarunt. Eam ille vbi suscepit, statim ex hac vitâ migrauit. Illo autem sepulto, rusticus quidam de monasterio egrediens ad campestria loca pergebat. Cumque sub ecclesiâ S. Seueri, olim Cassinensis Episcopi, in hoc monte sita, venisset: diabolum in viâ stantem reperit, staturâ procerum, digitos habentem vnguesque valdè prominentes, virgamque tenentem manu, & rusticum toruo intuentem ore. Cumque ad eum rusticus peruenisset, diabolus ait: *Vnde venis?* ille hominem existimans, *ex Cassinensi*, inquit, *cœnobio.* Et ille: *quid*, ait, *actum est de Ioanne vicecomite?* ad quem rusticus. *Mox* (inquit) *vt Monachus effectus est, è vita migrauit.* His auditis diabolus conqueri cœpit, ac dicere: *Hei mihi* BENEDICTE: *hei* BENEDICTE *mihi! Cur meos quotidie ad te seruos conuertis? Cur me tam immaniter adeò crudeliter persequi non desistis?* Hæc dicens, furibundo & flammanti rusticum vultu respexit, & ait: *Scito certissimè, quia nisi hodie in* BENEDICTI *monasterio cibum potumque sumpsisses, & inde allatum panem in sinu tuo modo teneres: nulla mora interposita te continuò occiderem.* Statimque per deuexi montis latus se præcipitem dedit, lapides & arbores in modum turbinis trahens. Rusticus autem hoc viso tremens, de monte descendit: & cuncta quæ viderat & audierat, per ordinem pandit.

Moritur in habitu Monachi.

Dæmoni iterum præda à S. Benedicto extorquetur.

Non immeritò igitur sanctissima illa Imperatrix Kunegundis, Henrici Imperatoris coniux & virgo, eoque mortuo Benedictini Ordinis Sanctimonialis, cùm iam proximè moritura Augustalia ornamenta ad pompam cadaueris parari videret, hæc dixisse tunc fertur: *Amictus iste non est meus, auferte hinc: ornatus hic alienus est, istis terreno sponso, & his cælesti sum copulata.* Nimirùm pro regali purpurâ, nigram prælegit cucullam, magisque religiosa videri voluit, quàm gloriosa, magis monachica quàm monarchicâ, vt ita summo Regi humilitate suâ placeret.

Baron. to. 11. ann. Christi 1040.

Kunegundis sepeliri vult vt Monacha.

Hanc

Erasmus hunc ritum sugillat. Pontan. Attic. Bellar. p. 1. lyot. 2. n. 7. Eras. l. 25. Epist. ad Nic. Mal-lar.

Hanc porrò pietatem & sanctimoniam, A quâ illustres viri in monastico habitu eligunt sepeliri, arrodit, vt ait Pontanus, seu Menippus, seu Lucianus alter Rotrodamus, qui cerimoniam hanc superstitionem nominat. Lacerat & hanc piam consuetudinem in Appendice Paraphrasis ad Ioannem: & in Colloquio, cui titulum fecit, *Exequiæ Seraphicæ*, satyricè planè hunc ritum subsannat. Sed de vestitu mortuorum videndus Gretserus, *lib. 1. de fun. Christian. cap. 5.* & in *Gratiis ad Cramerum Prædicantem, cap. 10.* Verùm satis superque auctoritate B & pietate sibi deligentium monasticum hoc in obitu abituque ex hâc vitâ vestimentum, Erasmus conuincitur. Et quid, quæso, habet mali, hoc schemate indui, siue in testimonium quòd Ordines & sancta instituta adhuc vitâ manente dilexerint plurimùm, & in his annos suos duxisse peroptarent: siue quod, vt cetera, hoc quoque ad testificationem pœnitentiæ suæ, cum quâ diem supremum agerent, quaque communem illum, iustissimumque indicem placare cuperent, assumendum putarent? Piis autem Christianis satis esse oportet, probatam Sedi Apostolicæ hanc in morte & sepulturâ religiosæ vestis assumptionem, quam indulgentiis quoque condecorarunt. Nam Clemens IV. concessit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, & qui cum eo elegerint sepeliri, remissionem tertiæ partis omnium suorum delictorum: quæ ampliarunt Nicolaus III. & Vrbanus V. Et Leo X. easdem concessiones confirmauit, addens quod morientes in dicto habitu consequantur indulgentiam plenariam, vt refert Rodericus. D

Refutatur, & adstruitur hac pietas.

Quam indulgentiis honorant Summi Pontifices.

Roder. qu. reg. to. 1. q. 77. art. 10.

DISQVISITIO III.

Cur habitus ille, quo hæreticæ prauitatis inquisitores induunt à fide prolapsos, apud Hispanos S. BENEDICTI *vocetur?*

Yepez an. Christ. 681. Triplex responsio.

QVÆSTIONEM hanc proposuit Antonius de Yepez, miraturque venerabilem Ordinis nostri habitum, quo se honoratos crediderunt tot summi Pontifices, Cardinales, Episcopi, Imperatores, Reges, Principes, ab Hispanis velut ignominiæ & opprobrij notam hæreticis tribui. Tres verò adhibet responsiones, quarum hæc *Prima*. Olim vt ex decreto, & Agathensi Concilio constat, publicè pœnitentes cilicio à Sacerdote induebantur: *si autem comas non deposuerint* (inquit textus) *aut vestimenta non mutauerint, eiiciantur*. Multi quoq; ob grauia peccata in monasterium ad pœnitentiam agendam retrudi soliti sunt, vt ex authenticâ, *Vt nulli iudicum*. Et Authentica, *sed hodie*, pluribusque canonici iuris textibus colligere est. Habitus verò qui sine in monasterio, siue extra Pœnitentibus tribuebatur, anteà benedicebatur, & *saccus benedictus* dicebatur. Hinc igitur arbitratur Hieronymus Romanus, saccum pœnitentiæ, quo Inquisitores reos amiciunt, vulgò dici *Sanctus Benedictus*, corrupto vocabulo ex *Sagus*, vel *Saccus benedictus*. Hispanicè enim parua admodum est differentia inter *sacco benito*, & *San Benito*.

I. Habitus pœnitentium olim. Distinct. 51. c. 61. Concil. Agat. c. 15.

VESTIARIVM.

Saccus benedictus vocatus. Roman. l. 5. de republ. Christ.

II. *Secunda* responsio ab eodem relata, est Antonij Perez, qui ait crucem decussatam, quam S. Andreæ vocant, insigi ab Inquisitoribus vesti illi, quam S. BENEDICTI vocant per ironiam, reis ob oculos ponentes id quod non habent, eo ferè modo, quo nigrum quemdam, Albanum, siue candidum, & meretricem, honestam feminam appellaremus. Cùm autem S. BENEDICTVS nobilitatis Hispanicæ, & Ordinum Militarium Calatrauæ, Alcantaræ, Christi, Ausij, & Montesiæ sit Patronus: Saccus reorum ironicè *Sanctus Benedictus* vocatur, quasi per antiphrasim ignobilitatis esset signum. Similiter cum S. Andreas, Christianorum primitiæ & religionis Christianæ Ordinisque aurei velleris Patronus sit præcipuus, eius cruce per derisum Inquisitores hæresi contaminatos notant; quam sententiam pluribus idem Perez confirmat in commentario ad Prologum Regulæ: Priscum, inquit, peruulgatumque est, vnum & idem nomen, vel cognomen diuersis, & longè disparibus rebus attribui. Etenim auctore Isidoro, *ly barones* significat idem quod fortes in laboribus, aliàs viros strenuos & validos. Vnde Cicero ad Atticum. *Apud patronum, & reliquos Barones te in maximâ gratiâ posui*. Hos nos appellamus *barones*, Latinè autem viros. Et tamen cum strenuo & pugnaci viro contrarius sit segnis & imbellis, apud eundem Ciceronem etiam *barones* appellantur, qui nullius roboris sunt, præliarisque virtutis. Ait enim Epicurus appellandos *barones*, eò quòd in controuersiam vocent, an cælum vnum, vel plura E sint. Et 2. de Finibus dicit: *Semper tibi in more sunt honesta, recta & digna: hoc cum loqueris, nos barones stupemus*. Quasi diceret, nos pusilli, nulli, & ignaui miramur. Rursum *ly belitre* apud Italos dedecoris & ignobilitatis nomen est, vt constat: honoris etiam atque ingenuitatis; siquidem est potissimum Imperialis domus cognomen Augusti Cæsaris. Ait enim Suetonius: *Gentem Octauiam belitris præcipuam olim fuisse multa declarant*. Alia his similia alibi atque alibi

Rei per ironiam dicuntur gerere S. Benedictum. Perez to. 1. serm. 5. de S. Andreâ.

Perez in com. 25.

Idem nomen variis rebus tribuitur. Isid. 9. Etym. c. 4. Cicero l. 5. ad Attic.

Sic barones, strenui, & segnes.

Cicero lib. 9. epist. ad Att. & lib. 2. de finib.

Belitre, alii, & ignobiles.

Sueton. in August. in principio.

VESTIARIVM.

alibi retuli, quibus planè perspicitur quasi gentilitium esse inclita & vilia, ingenua & ignominiâ plena, optima & improba eodem prorsus nomine nuncupari, aliter tamen & aliter. Quoniam honorificum nomen seriò rebus præcellentibus datur: vilibus autem ironicè & irrisoriè omoinò, & quasi in contrarium sensum. Vti palliolum illud, quo indigitantur omnes deficieotes à fide, dicitur latino idiomate *Sanctus Benedictus*; vnde traxit nomen Hispanicum *San Benito*: quia nullo modo benedictus, sed potiùs irrisione plenus & maledictione. Non ergo nomini D. Patris detrahitur: sed potiùs multum adiicitur per hoc quod Inquisitionis amictui contumelioso communicetur. Hactenus ille.

III. *Pœnitentibus dabatur vestis religiosa.*

Tertia & vltima sententia, quam maximè Yepez probat, primæ innititur, quam hoc modo exponit. Cùm ob publica enormiaque delicta, pœnitentes in monasterium detrudebantur, & Iudicum auctoritate mutarent habitum; non erat is alius, nisi ipsius Religionis, prorsusque similis vesti Monachorũ, apud quos recludebantur. Fuit hæc autem forma apud Hispanos tam antiqua; vt in Bareinonensi Concilio Anno 540. celebrato præscribatur, *vt pœnitentes raso capite, habitu religionis amicti, omne tempus vitæ suæ ieiuniis atque obsecrationibus impendant.* Et in Concilio Toletano IV. expressè præscribitur in hæc verba: *Quicumque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus præuaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam, ex quâ recesserunt, reuocentur. Quòd si aliqui per pœnitentiam irreuocabiles sunt, nec admoniti reuertuntur, vt veri apostatæ coram ecclesiâ anathematis sententiâ condemnentur.*

Tolet. 4. cap. 54.

Et in VI. Toletanâ Synodo itidem statuitur: *Vt hi, quos sub religioso habitu pœnitentiæ professio pro veniâ peccatorum ad manum Sacerdotis adduxit, si post hæc vel aut comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id quod reliquerant redierint, ab Episcopo ciuitatis comprehensi rursus legibus pœnitentiæ in monasteriis subdantur inuiti.* Et ex XII. Toletano constat esse *pœnitentem*, idem esse, atque habitum Religionis, & tonsuram deferre. Iam verò & illud certum est, ex quo per Europam propagari cœpit Ordo S. BENEDICTI, eius Regulam ita passim fuisse susceptam, vt nulla ferè deinceps exstiterint monasteria præter Benedictina, quod præter Yepezium accuratè probat Doctissimus Clemens Reynerus, qui cùm de Hispaniæ regno latissimè egisset, ita tandem concludit: Ex omnibus autem, quæ de celeberrimis his monasteriis Hispaniæ diximus, si quis attentè perpendat in diuersissimis regionibus ea fuisse, in Lusitaniâ, Galleciâ, Asturicâ, Nauarrâ, Castellâ, Legione, certè non dubitabit omnia Hispaniæ cœnobia statim ac promulgata fuerat Regula S. BENEDICTI, eam suscepisse, & quæcumque in Conciliis Hispaniæ post defunctum eundem Patriarcham de Monachis, cœnobiisque & Sanctimonialibus regularibus statuuntur, ea non nisi de Monachis Benedictinis accipi debere. Hæc ille. Ex quibus rectè conficitur, istis temporibus idem prorsus fuisse, alicui publicam iniungere pœnitentiam, atque ei præcipere, vt fiat Donatus Ordinis S. BENEDICTI, eiusque habitum defereos in monasterio recludatur. Quæ reclusio si pro enormibus delictis infligi solita sit, quis non videat eam rectè inferri iis, qui de hæresi conuicti sunt, qui à ceterorum fidelium consortio eo magis sequestrari debent, quo periculum contagionis maius est? & Apostolico præcepto sciamus deuitandos esse hæreticos.

Tolet. 6. Can. 7.

Can. 2.

In discept. hist. de Antiq. Bened. in Angliâ. tract. 1 sect. 1. pag. 146.

Olim omnia Hispaniæ monasteria erant Benedictinorum.

Vnde S. Benedicti habitus reis mansit.

Hispanorũ mos in appellandis peregrinis vestibus.

His addendum, inter aulicos in Hispaniâ hanc vigere loquendi formam, vt vestimentis nationis illius nomen attribuant, è quâ illa desumpta fuerint, ita certũ quoddam capitij genus *Tudesco*, siue *Teutonicum* nuncupant, quia à Germanis primò inuentum: ita *Bohemiam* certum vestimenti genus vocant à Bohemis mutuo acceptum. Et feminæ *Sabaudicas* quasdam togas appellarunt, quas in Sabaudiâ primum vsitatas, in vsum introduxerunt. Quâ loquendi formâ Hispani quoque Scapularia Benedictinorum *Sanctos Benedictos* appellarunt. Cùm igitur pœnitentes, & ob delicta in monasteria retrusi, monastico induerentur habitu (etsi fortasse à Monachorum aliorum nonnihil distincto) hinc factum est, vt pœnitentialis habitus nomen S. BENEDICTI vulgò obtinuerit.

Roman. de Repub. lib. 7. c. 11.

Ad cuius rei maiorem declarationem prætereà annotandum, gestasse olim militarium Ordinum sub Regulâ S. BENEDICTI Equites habitum & scapulare Benedictinum; quod, cùm ad bellum proficiscebantur, ne eis impedimento esset, deponebant. Ne tamen instituti sui prorsus obliuiscerentur, parua quædam deferebant scapularia, quæ illi *Sanbenitillos* vocabant. Atque hoc modo, quo illi, parua sua scapularia *Benedictulos* appellabant; eodem prorsus maiora illa vestimenta, quibus pœnitentes amiciebantur, *Sanbenito* dicta sunt toto illo tempore, quo Hispania alium non recepit Religiosorum Ordinem, quàm Benedictinum. Postquam verò alij Ordines in eodem regno propagati sunt, indifferenter in quibusuis monasteriis, cuiuscumque tandem Ordinis pœnitentes retrusi sunt: verùm vsitatum iam tempore nomen S. BE-

Militariũ Ord. Scapularia Sanbenitilli dicta.

S. BENEDICTI vestimento pœnitentiali constanter adhæsit; adeò vt illo indutus, S. BENEDICTVM circumferre diceretur. Quod deinceps quoque obtinuit, cùm in subleuamen monasteriorũ peculiares pœnitentium extructæ sunt domus, vt illa S. Inquisitionis, quæ reos probroso induens amictu, illum hodieque *Sanbenito* indigitare solet. Atque hæc est, meo quidem iudicio (inquit Yepezius) probabilior, & sacris Canonibus nostrorumque loquendi modo conformior ad præfatam quæstionem responsio: quam lectoris iudicio lubens submitto.

VESTIARIVM.

TRACTATVS VIII.

DE OBLIGATIONE DEFERENDI HABITVM, ET QVÆ IN EO VITANDA.

A VERTICE *capitis vsque ad plantam pedis Monacho cuique sua assignauimus vestimenta: Quo autem fine, nisi vt iis vtatur, nec temerè deserat, aut materiam formámve immutet? vt status sui tesseram inuiolabiliter vbique deferat. Quærimus proinde* Primò, *Quanta obligatio habitum religiosum deferendi?* Secundò, *An peccet mortaliter Benedictinus dormiens sine caputio scapulari annexo?* Tertio, *Quæ in Monastico habitu vitanda?* Quartò, *Quam indecorum eius formam mutare?* Quintò, *Quid tritum illud, Habitus non facit Monachum?*

DISQVISITIO I.

Quanta obligatio habitum Religiosum deferendi?

COMMVNI omnium Religiosorum Ordinum consensu, ac traditione receptum est, vt quilibet Religiosus sicuti in vocatione sua stabiliter permanere tenetur, ita proprium Religionis suæ habitũ, velut notam characteristicam, deferat. Non enim ad humanum dumtaxat vsum, vt ait Suarez, sed tamquam insigne propriæ professionis assumitur: nam eo ipso, quo quis statum aliquem ingreditur cum obligatione perpetuò in eo manendi, consequenter obligatur ad non deponendũ proprium signum, ad talem professionem significandam publicè institutum: hæc enim esset virtualis quædam ab illâ obligatione defectio. Optimè proinde Concilium Aquisgranense: *Habitus singulorum Ordinum idcircò in Ecclesiâ ab inuicem discreti sunt, vt his visis, cuius propositi sit gestans, vel in quâ professione Domino militet, liquidò cognoscatur.* Et Bonifacius VIII. Excommmunicationis sententiam vibrat in eos Religiosos, qui habitum temerè dimittunt: *Vt periculosa, inquit, Religiosis euagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne de cetero aliquis quamcumque Religionem tacitè vel expressè professus; in scholis vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat. Si quis autem temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam.* Hæc Pontifex. Temeraria autem dimissio dicitur, quoties fit sine rationabili caussâ, & cum contemptu Regulæ, seu legis, inquit Suarez, secutus DD. Thomam, & Caietanum. Quare si fiat caussâ defensionis propriæ vitæ vel famæ, aut proximi, vel ad vitandum scandalum, &c. non dicetur temeraria. Sic etiamsi non fiat ex cõtemptu, sed ex ignorantiâ etiam culpabili, vel passione, aut animi leuitate, cum aliquâ probabili excusatione, non dicetur temeraria.

Habitus religiosus professioni annexus.

Conc. Aquisg. cap. 125.

Excommunicatur temerè dimittens.

Sext. Decret. ne Clerici vel Monachi c. 2.

Quæ temeraria dimissio.

Suar. to. 4. in 3 partem disp. 23. sect. 4 n. 27. Thom. 2. 2. q. 53. art. 3.

Notandum verò aliud esse habitum dimittere, aliud occultare, aliud eum deponere, siue exuere. Dimissio enim habitus est, quando fit mutatio in alium ad se occultandum, vel hoc modo incedendum. Occultatio autem, quando tegitur habitus. Depositio verò, cùm quis se eo spoliat, illumque posteà assumendum exuit. Iuxta huius distinctionis membra tres ponendæ sunt conclusiones.

Differunt dimittere, & occultare habitum.

I. PRIMA. Dimissio, siue mutatio habitus, quę fit sine caussâ rationabili, vel apparẽte necess-

Dimittens sine caussâ, peccat mor-

necessitate, peccatum est mortale, annexam habens excommunicationem. Quod verum est, etiamsi dimissio solùm ad tempus fiat, quia ratio legis fuit impedire vagandi libertatem, ad quam ordinariè sic temporalis dimissio habitus. Vnde etsi ad breue tempus fiat, modò seriò habitus mittetur, vt illo indutus sæcularis appareat, velut cùm quis mutat habitum vt ad lupanar vadat incognitus, etiam incurritur censura: quæ non sortur propter durationem in carentiâ habitus dimissi, vel vsu alterius; sed propter temerariam dimissionem, quæ breuissimo temporis spatio consummari potest. Ita Suarez locis citatis. Tabiena tamen, & Sayrus noster dicunt, dimittentem habitum non statim incurrere hanc excommunicationem, sed quando eò peruenerit, vt vagetur, vel sic se hominum conspectui exhibeat: nec incurrere, si ante hunc euentum mutatâ intentione induat habitum. At Sanchez satis esse putat ad incurrendam censuram, si intra priuatos monasterij parietes habitus dimittatur: quamuis enim actu non vagetur, ea tamen dimissio affert vagandi potestatem, quam textus eâ pœnâ interdixit, pro quâ sententiâ citat Siluestrum, Nauarrum, aliosque.

VESTIARIVM. *Talitur, & excommunicatur.*

Dubium quando incurratur censura. Tabien v. excommu. 5. cal. 23. q. 1. n. 4. Sayr. de cens. lib. 3. c. 33. n. 11. Sanc. op. mor. lib. 6. cap. 8. n. 61.

II. *Occultans, ne nosci possit, eandem incurrit.*

Secvnda. Qui ita Religionis suæ habitum absque iusta caussâ occultat, vt nullo modo exteriùs appareat cuius sit Ordinis, hanc excommunicationem incurrit. Hæc enim est quædam moralis dimissio, quâ fit, vt talis persona in exteriori habitu religiosa non appareat. Voluisse autem Pontificem hunc dimissionis modum prohibere, constat ex fine legis, qui erat vt periculosa vagandi occasio Religiosis subtraheretur: hæc enim ex tali occultatione æquè sumi potest, atque ex dimissione. Ita Sanchez cum pluribus Auctoribus, quos citat; eandemque confirmat, Cap. *Nonnullis*, quo iubentur Iudæi inter Christianos commorantes sub certâ pœnâ signum quoddam gestare, quo à Christianis secernantur. At fatentur ibi Doctores, eidem pœnæ eos subijci, si portent id signum ita opertum, vt non appareat; eò quòd finis legis id inbeutis frustraretur, & quoad eum finem idem sit, non gestare, & eo modo gestare, vt non appareat; sic occultato signo non distinguerentur Iudæi à Christianis, qui finis huius legis fuit. Cùm ergo similiter finis Canonis excommunicantis Religiosum, qui dimittit habitum, fuerit, vt Religiosus ex habitu cognitus vagari nequeat; idem prorsus erit illum non gestare, ac ita operire; vt prorsus non cognoscatur Religiosus.

Probatur.

Obiectio.

Sed obiicit Suarez; lex pœnalis amplianda non est vltra verborum proprietatem: hæc autem lex quæ pœnalis est, non loquitur de occultatione, sed de dimissione: occultatio autem in rigore & proprietate non est dimissio. Nec in hâc materiâ valet argumentum à paritate rationis, atque ideò non incurri excommunicationē sentiunt Panormitanus in Cap. *Deus qui*, de vit. & honest. Cleric. num. 4. Ioannes de Liganno, & Zenzelinus ibidem, Paludanus in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. Sayrus lib. 3. de Censuris cap. 33.

Respondet Sanchez, legem pœnalem extendi posse, ne facilè mens eius eludatur, vt constat ex Cap. *Quia*, in fine, communiter per Doctores receptâ, *de vsuris in* 6. vbi constitutio pœnalis irritans vsurarij testamentum, extenditur ad codicillos, & donationem caussâ mortis, ne canon ille ad testamenta restrictus eludatur: & *Clement.* 1. *de sepultur.* excommunicantur sepelientes tempore interdicti in cœmeterio; & tamen extenditur ad sepelientes in ecclesiis, ne facilè constitutio illa eludatur. Præterea, qui solis verbis legis contentus, eius mentem offendit, non euadit illius pœnas. At Religiosus habitū omninò celans, verba Canonis amplectitur, & manifestè mentē offendit, quæ est, vt ex habitu cognitus vagari non possit; ergo incurrit eius excommunicationem. Aduerte tamē satis esse vt censurā euadat, si ex habitu cognosci possit à proximè astantibus, licet remotiores non ita cognoscant. Catenam Doctorum, qui hanc sententiam in terminis sustinent, videbis apud eundē Sanchez n. 63. vbi suprà.

Diluitur.

Tertia Conclusio. Quando habitus iustâ de caussâ mutatur propter grauem scilicet necessitatē, vel tuendi vitam, vel vitandi graue infamiam, aut scandalum, non committitur peccatum, nec incurritur excommunicatio, hæc enim non est temeraria dimissio, sed valdè rationabilis, nec leges humanæ obligant cum tanto rigore, quando aliàs materia est de se indifferens, & transgressio non cedit in contemptum Religionis, vel commune damnum. Nuda verò habitus spoliatio, quâ ad breue tempus se Religiosus exuit, non assumpto alio, ad vsum, vt possit vagari, non subiacet huic censuræ, etiamsi in eo peccari possit. Hinc Antoninus & Siluester ab excommunicatione eximunt Religiosum ad breue tēpus habitum dimittentem, aliumque assumentem propter ludicram aliquam actionem, occasione alicuius festi inter ipsos Religiosos efficiendam, titulo cuiusdam honestæ lætitiæ; quia illa reuera non potest dici temeraria dimissio. Paludanus quoque eum excusat, qui dimittit ex iocosa leuitate ad horam, vt aptius lignum scindat, vel currat, vel lapidem proiiciat. Eadem ratione Ioannes Andreas, Angelus, Tabiena, Sayrus

III. *Licita habitus mutatio in caussâ iustâ.*

Alij casus qui excusant à censurâ.

Antonin. 3. part. tit. 24. cap. 53. Silu. verb. habitus q. 2.

Ioan. And. in cap. vt periculosa.

Saytus excusant eum qui habitum deponit, vt dormiat, vel vt melius quiescat, vel vt quærat pulices, vel propter balnea, vel ptoptet piscationem, vel ne in sacris vestibus gibbus appareat.

Non facilè prasticandi.

Quamuis autem iu hisce casibus non incuttatur censura, auctor tamẽ fuerim Religiosis omnibus, ne facilè habitu se exuant. Quantum hoc Deo displiceat, exemplis quibusdam Cantipratanus ostendit. Erant, inquit, in quodam Monasterio nigri Ordinis tres Monachi in omni lasciuiâ dissoluti: cumque vna dierum seorsim in thalamo ad epulas cõsedissent, vnus, buccellâ panis B inuersâ, subitò strangulatur. Cuius morte, nec verecundiam saltem passi duo residui, derelicto loco, eminus iuxta prandiũ perfecerunt, & sic in claustro sociis euentum mortui nuntianerũt. Nec diu postea, dum dicti duo socij, non recogitando quid actũ sit, ad balneandum, in fluuium iuxta cœnobium, nudati vestibus, descendissent; vnus ad profundiora digressus, submersus, extractus est & sepultus. Relictus post hęc tertius, cùm vespere dormitum pergens, discalceasset se, Monachus qui fuerat submersus, nudus ei apparuit, dicens: *Ecce* C *quantâ pœnâ damnatus sim, tu autem quid facias, iam saltem recogita. Ego quidem immundus & lubricus dignè punitus excrucior: sed illud multum ad verecundiam damnationis meæ accumulat, quia sine habitu nudus à dæmonibus irridear.* Simili modo quidam Cistertiensis acutâ febre laborans, & intolerabili ardore æstuans, cùm cucullã sancti habitus exuisset, fragot tantus auditus est, vt subitò domus infirmorum corruisse, ab his, qui iacebant in dormitorio, putaretur. Et cùm quidam vir sanctus iuxtà positus oraret, & D suptà modum territus extitisset, apparuit ei dæmon, dicens: *Præ indignatione nimiâ fragorem istum maximum excitaui, quia impediuisti me oratione tuâ, ne Monachum illum, habitum Ordinis exuentem in corpore raperem cruciandum.* Hæc ille.

Cantiprat. lib 2. cap 7. num. 3. Exempla.

Monachus natator submergitur.

Ibid. nu. 4. Alter in morbo se exuens, vix liberatur.

DISQVISITIO II.

An peccet mortaliter Benedictinus dormiens sine caputio scapulari annexo?

Graft. part. 1. decis. lib. 3. c. 5 n. 75. Sententia affirmatiua, duplici nixa fundamento.

IACOBVS de Graffiis, Monachus Cassinensis, I.V.D. & Pœnitentiarius maior in Ciuitate Neapolitanâ, hanc ponit conclusionem: Qui iu cellâ dimittit habitum suum, vel dum iacet in lecto gestat hastam, siue patientiam, licèt pœnâ excommunicationis non ligetur, peccat tamen mortaliter. *Hastam* verò, siue *patientiam* vocant Cassinensium Constitutiones scapulare carens caputio. Pluribus autem cõtra doctisA simum quendam virum eandẽ sententiam propugnat parte 2. *decision. lib. 3. c. 17.* quare & nos eam nonnihil examinandã duximus.

VESTIARIVM.

Duplici portò nititur fundamẽto, quorum prius est, quòd sit peccatum mortale habitum Religionis etiam in monasterio sine caussâ dimittere: posterius, quòd scapulare sine caputio non sit integer habitus. Prius illud probat ex Cap. *Sãctimonialis*, vbi dicitur: *Sanctimonialis virgo cùm ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professione & sanctimoniâ aptis.* Vbi *semper* exponit B Glossa, *etiam in lecto, & in infirmitate.* Et Concilium Toletanum X. loquens de viduis, quæ sanctæ Religionis propositum obtinere voluerint, ait: *Tunc acceptâ à Sacerdote vel Ministro aptâ Religionis & professionis veste, seu in lectulo quiescens, siue in quocumque loco consistens constanter eâ vtatur.* Deinde Siluester putat numquam dimitti aut exui vestẽ religiosam à Religioso professo sine rationabili caussâ absque peccato: quia adeò, inquit, est annexus ossibus Monachorum, quod in quocumque loco consistentes, siue in lecto quiescentes, constanter eo vti debent. Prætereà Archidiaconus in Cap. de *Monachis* dicit, quod Monachus ex voto tenetur seruare continentiam corporalem, & obedire Abbati propter votum, & retinere habitum: sed facere contra votum, & ea ad quæ ex voto quis tenetur, est peccatum mortale.

I. Esse mortale habitum sine causâ dimittere etiam domi.

Distinct. 23.

Cap. vidua. 20. q. 1.

Silu. verb. Excom. 9. num 32.

16. q. 1.

Ex his porrò iam alterutrum illud sequi vult quod dormiens absque caputio, sit iudicandus reus peccati mortalis: quia scapulare sine caputio (quod hastam vel patiẽtiam vocat) non sit propriè habitus Monachi Benedictini, sed tãtum eius quędam pars; quia scapulare, inquit, intelligitur illud, quòd non solùm scapulas tegit, & pectus, sed etiam debet continere caputium: nam dum Clementinâ permittit Monachis vti scapulari loco cucullæ, valdè indecens esset illo vti absque caputio. Quod probat auctoritate Pauli de Leaz, qui in dictâ Clement. *Ne in agro*. dicit, quod caputia debent esse cùm habitu annexa. Sed habitus secundùm omnes, est cuculla, vel scapulare: ergo solam hastam defetens, cùm sit absque habitu, peccat mortaliter. Pręterea, quod maximè vrgere videtur, in Decla- E ratorio Regulę, Patres Cassinẽses ita aiunt: *Caputia scapularium sint aliquanto minora caputiis cucullarum, sine quibus casu grauissimæ necessitatis cum hastâ tantùm, siue patientiâ credimus absque periculo excommunicationis posse fratres nostros stare.* Cùm ergo Declaratorium tantùm excipiat hunc casum, vult in quouis alio, vtantur scapulari cum caputio. Atque hæc sunt potiora, quæ pro suâ sen-

II. Scapulare sine caputio non esse integrum habitum.

Cassin ad cap. 55. n. 6. Et fauent Cassinenses.

VESTIARIVM.

scutentiâ à Graffiis attulit, reliqua enim parum videntur vrgere.

Sententia Authoris negatiua.

His tamen non obstantibus, dico non esse mortale peccatum dormire absque caputio, siue cum solâ hastâ, aut patientiâ: nusquam enim id sub mortali est praeceptum, vt clariùs patebit ex solutione rationum, quas à Graffiis attulit. Nam vt rectè Suarez obseruauit, de spoliatione habitus, Iure communi nihil est statutum: & omnia iura magis loquuntur de mutatione habitus cum quâ status relinquitur, quàm de spoliatione ad tempus.

Suar. to. 4. lib. 1. cap. 5. num. 18.

Soluitur fundamentum primum.

Depositio autem vestium dormitionis tempore, non est dimissio vel mutatio habitus, cùm ad vsum nullus alius assumatur, sed mera tantùm spoliatio. Vnde ex vi iuris communis hoc prohibitum non est: neque etiam ex naturâ rei, aut ratione voti, seu status Religiosi. Consulēda ergo est religiosa Regula, tanta enim erit haec obligatio, quãta in illâ fuerit imposita. Quare nisi ex aliis circumstantiis haec transgressio fiat culpabilis, vel mortale peccatum; non erit talis, nisi iuxta Regulae obligationem.

Respons. ad capitula allegata.

Neque vrget Cap. *Sanctimonialis*, quia in eo solùm dicitur, *in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est*. Quae verba praeceptum non includũt, nec communi vsu & cōsuetudine ita sunt interpretanda. Quin etsi numquam de nocte vestita iaceret Monialis, rectè tamen diceretur in talibus vestibus applicari, qualibus *semper vsura est*, quia quod quis quotidie fert, id semper ferre dici potest. Rectè enim de saeculari dixeris, eum semper thorace & femoralibus vti, quamuis noctu iis careat. Quòd autem Glossa interpretatur, *etiam in lecto, & infirmitate*, nullum rigorosum importat praeceptum, obligans ad culpam mortalem, sed tantùm exponit, quid deceat fieri, aut quid communiter fiat. Similiter Cap. *Vidua* interpretandum, cùm dicit, *constanter eâ vtatur*. Omitto per vestem, Glossam ibidem intelligere velum professionis, quo etiam viduae noctu & interdiu vti debeant; non video tamen inde inferri posse, Religiosum similiter dormire debere cùm scapulari, cui caputium sit annexum.

Et authoritates.

Nec Siluester peccati mortalis obligationem hîc agnoscit, nam expressè dicit, licet Monachi debeant semper suo habitu vti, tamen hoc debitum esse honestatis, non necessitatis. Et in hanc sententiam refert Archidiaconũ & Ioannem Andream. Imò ipse à Graffiis, alibi idipsum affirmat: quòd autem part. 2. lib. 3. cap. 17. velit vt id fiat ex caussâ rationabili, & licentiâ Superioris, id gratis adinuenisse videtur, vt alterius argumentum euadat; priori enim loco absolutè locutus est, prout Siluester & Nauarrus.

Graff. lib. 4. c. 21. n. 6.

Religiosus habitum deponens ex sensualitate non semper peccat mortaliter.

Suarez verò censet Religiosum, qui ex lasciuiâ & illicitâ sensualitate dormiendi quietius in hospitio extra monasterium, habitum deponit, non peccare mortaliter; contra Siluestrum & Nauarrũ: neque eum, qui vt fornicetur, habitum religiosum exuit, duplicem contrahere malitiam mortalem, vnam fornicationis, alteram spoliationis habitus; nisi fortasse ex speciali regulâ talis prohibitio cum eo rigore facta foret. Dictum porrò Archidiaconi exponendum est de omnimodâ habitus dimissione, & alterius assumptione: quamquam verius omninò sit, ex iure naturali supposito voto, nasci obligationem non deferendi habitum; cui tamen summi Pontifices & Concilia ius positiuum addiderunt. Vnde non ex voto, sed tali iure tenetur Religiosus habitum retinere: quòd in tanto rigore obligare non arbitror, vt letalem inferat culpam illius per noctem depositio: nisi vt dictum est, aliunde sit talis obligatio.

Habitus gestatio non est ex voto.

Restat ergo examinandum an ex Regulâ illâ colligi queat: S. BENEDICTVS verò sic ait: *Vestiti dormiant & cincti*: caussamque addens subiungit: *vt parati sint Monachi semper, & facto signo absque morâ surgentes, festinent inuicē se praeuenire ad opus Dei.* Quae verba nō sunt praeceptiua, nec materiam de se grauē respiciunt, ac proinde obligationē peccati mortalis non includunt.

Reg. cap. 22.

Secundum fundamentum eneruatur.

Sed nunc ad alteram partem se vertat oratio, in quâ probandum peccato mortali non esse obnoxiũ, qui dormit cùm scapulari sine caputio: in quo quidē magna difficultas non est. Nam sic dormiens verè gestat habitum Religionis suae, ex quo sufficienter agnosci possit. Videmus enim Benedictinos passim in Belgio & alibi, iter facientes interdiu deferre scapulare sine caputio, quinimò etiam in multis monasteriis ita passim incedũt.

Scapulare sine caputio satis discernit Religiosum.

Quare etsi admittamus tale scapulare non esse nisi partem habitus Benedictini, illa tamen satis euidens signum Religionis est: expressè enim Suarez docet: quando non totus habitus, sed aliqua pars eius dimittitur, si ea quae retinetur, est proprius habitus Religiosi, quo satis cognosci possit, non incurri excōmunicationem latã in Cap. *Vt periculosa*.

Suar. to. 5. in 1. part. disp. 13. sect. 4. n. 18.

Quare iudico hunc sufficienter tunc dormire vestitum habitu Ordinis sui, cùm nulla videatur necessitas, vt noctu in cellâ tantùm existens, tam rigorosè habitu suo ab aliis Ordinibus distinguatur. Et licet non sit integer habitus, non credo hanc truncationē tanti esse, vt peccatũ mortale inducat, quia leuis omnino videtur materia. Proinde etsi scapularia debeant habere annexa caputia, & sic in professione peti, & dari soleant, & indecens videatur sine caputio incedere; haec

Licet non sit integer habitus.

hæc tamen non conuincunt mortale esse illud relinquere, præsertim cùm de notē indecentia illa non animaduertatur, & integritas scapularis nusquam sub mortali, quod equidem sciam, præcipiatur.

Satisfit decreto Cassinensium.

Maior difficultas videtur circa verba Constitutionum Cassinensium, quæ declarant solum *in casu grauissimæ necessitatis* cum *hastâ* tantùm, siue *patientia* posse fratres stare absque periculo excommunicationis. Cēsent ergo aliàs incurri, vel tale esse peccatum, ob quod periculum sit censuram illam incurrendi. Vnde à Grassiis dicit, sic dormientem non ligari pœnâ excommunicationis, sed tamen peccare mortaliter. Quidam vir doctus apud eundem de Grassiis, ait, ex nimiâ scrupulositate Patres fortasse rigorosè legem declarasse: ad serenā-

Quod forsè editum ad quorumdam securitatem.

das enim (vt verba ipsius ponam) conscientias aliquorum, qui in ægritudinibus grauioribus torqueri potiùs eligebant, quàm caputium dimittere, existimo rigorosè eos fuisse interpretatos legē illam, *Vt periculosa*; quod cęteris præiudicium afferre non debet. Hęc ille. Crediderim ego iis persuasum fuisse, Monachum quocumque modo habitum deponentē, incurrere sententiam excōmunicationis, quantumuis nulla per hoc vagandi præstaretur occasio (quod tamen verum non esse, ex superiori disquisitione patet) ex hoc verò fundamento vlterius resoluisse eum non incurrere, qui solā hastam gestaret in casu grauissimæ infirmitatis. An autē in aliis casibus incideret, id indecisum reliquisse, cùm hic fortasse casus illis propositus non fuerit. Hęc enim clausula declarationis adiecta fuit Anno Domini 1580. vt prædictus auctor asserit.

Non incurrit censurā dormiens cum scapulari sine capucio.

Non incidere porrò in excommunicationem eum, qui extra casum grauissimæ infirmitatis cum solâ hastâ, aut patiētiâ decumbit, satis patet ex superioribus. Quamuis enim hæc esset habitus dimissio, ea tamen nullam vagandi Religioso pręstat occasionem: nec alius vllus habitus assumitur ad vsum, quod ad censuram incurrendam DD. requirunt. Deinde, vt iam ante dixi, hîc retinetur habitus sufficiēter denotans, cuius Ordinis Religiosus sit, illū deferens. Vnde nec Grassiis asserit, talem ligari sententiâ excommunicationis; nec Sayrus, Cassinensis itidem Monachus, qui post cum scripsit, quidquam de hâc excommunicatione tangit.

Non magis quàm qui vtitur stricto scapulari.

Quòd si quis contendere velit, hanc truncationem, habitus integritatem tollere, atque excōmunicationi esse obnoxiam: à fortiori dicere deberet, eum, qui dormit cum scapulari stricto, adeoque breui, vt ad genua tantùm protendatur, eandem incurrere. Tale enim scapulare apud Cassinenses est habitus nouitiorum, vt constat ex Declarationibus, ad caput Regulæ 55. nu. 13.

VESTIARIVM.

At verò si professus dimisso habitu professori, induatur Nouitiis peculiari, ita vt non cognoscatur professus; fatetur Sanchez hunc (si cetera concurrant) perinde incidere in excommunicationem; atqui cum, qui habitum Religionis dimittit, ac mutat. Quia habitus Nouitiorum, quem assumit, non est Religionis, sed tironum. Inter eos autem, qui Cassinenses Constitutiones sequuntur, iam vsus inualuit, vt absque vllo laborent de die, dormiantque de nocte; vnde censent nullum cēsuræ esse periculum.

Sanch to 2. op. moral. lib 6. cap. 8. num. 53.

Quod apud Cassinenses vsitatum.

Non peccat ergo mortaliter.

Sublato autem excommunicationis huius periculo, non apparet satis firmum fundamentum, ex quo dici possit lethaliter peccare absque caputiato scapulari, aut cum solâ hastâ dormiens: neque enim id ex iure communi, neque ex Regulâ conuinci potest, vt iam suprà satis probauimus. Adde quòd hæ Constitutiones non obligant ad peccatum, nisi ex contemptu violentur, vt declarauit Eugenius IV.

Bulla X. apud Rodetic. 10. 1.

DISQVISITIO III.

Quæ in Monastico habitu potissimùm vitanda?

Humbert. de crud. religios. lib 2. par. 3. c. 2. Vitanda in habitu.

TVRRECREMATA Humbertum secutus, plura recenset in Monasticâ veste reprehensibilia, nos verò S. BENEDICTI vestigiis inhęrentes, triplicem, qui plerumque in vestibus subrepere solet, excessum notabimus. Peccari enim potest colore, pretio, formâ.

1\. *Color peregrinus & insolitus. Cap 55.*

De PRIMO, vt iam sæpius allegatum, S. BENEDICTVS ait: *De colore non causentur Monachi.* Non quòd omnibus promiscuē vti liceat coloribus, sed quod præter eos, qui iure permissi sunt, ab aliis omninò abstinendum. Hinc Cassianus vult vestimenta dumtaxat esse operimenta, *quæ corpus operiant tantum, non quæ amictus gloriâ blandiantur: ita vilia, vt nulla coloris vel habitus nouitate inter ceteros huius propositi viros habeantur insignia.* Et Bernardus sugillat eos, qui *galabrunum*, aut *issembrunum* ad induendum quærunt, deploratque in ipso habitu non *calorem* quæri, sed *colorem*, magisque cultui vestium, quàm virtuti insisti. Quinimò nec S. BENEDICTVS pro suo agnoscit discipulo, qui alieno vtitur vestimento. Retulit enim aliquando S. Odo, quosdam Ordinis nostri, contempto solito habitu indutos fuisse *ex panno caloris cærulei. E quorum numero vnus subitò in morbum incidens, hanc cum socio illi adiūcto visionem vidit: Erat thronus loco sublimi positus, in quo residere videbatur B. BENEDICTVS, cui astabat innumera Monacharum frequentia. Ascensus throni illius palliis,*

Cassian lib. 1. cap. 1.

Bernard. in Apolog. ad Guiliel. Abbat. & Hom 4. super missus.

Peruertuntur.

Ioan in vit. S. Odonis lib. 2.

Nec agnoscitur a S. Benedicto plus.

VESTIARIVM.

pallis instratus erat, in cuius inferiori gradu languidus ille iacebat frater, tamquam veniam petens. A dextris & sinistris stabant Monachi, quos diximus, inter vtrosq; autem spatium erat, ascendere volenti peruium. Cumq; diu morbidus frater iaceret prostratus, vnus ex assistentibus rogauit pro illo S. BENEDICTVM, *dicens indignum videri, eum sic relinqui: dignum esse quem erigi ipse iuberet, & ex quo, quid velit, perquireret. Respondit ille, hominem quidem videre, sed habitum non agnoscere. Itaq; alterius Instituti hominem, eiusq; caussam discutere se non debere, nec in eius vitam inquirere. Audiens id nostri Instituti frater, exuit se, & vestibus suis ægrum fratrem induit, & vt denuo veniam petat, compellit. Id cùm fecisset, vox supernè audita est, iubens eum surgere, & rursum ascendere. Sub his euigilat frater noster, moxque re ipsa fecit, quòd in visione se fecisse viderat, & quasi iam securus de salute eius, precibus suis, quantum potest, animam eius Domino commendat, & Eucharistiâ communit.* Hæc auctor vitę S. Odonis. Ipse verò Sanctus alibi grauiter ait: *Eis igitur, qui in humilitatis habitu iactantiam coloris quærunt, illud Propheticum congruit. Frons mulieris meretricis facta est tibi. Quibus nimirum satius fuerat, vt voluntatem Dei magis quàm suam facientes, Eliæ & Ioannis imitarentur exemplum, potiùs quàm diuitis, qui purpurâ indutus & bysso à Christo redarguitur, & Herodis, qui in veste fulgenti ab Angelo legitur percussus interiisse.*

Contra huius generis homines.
S. Odo lib. 3. collat. cap. 23.

II. SECVNDVS in habitu excessus est, si nimij sit pretij, adeoque nitor ac mollities in eo quęratur. Amputare hoc vitium volens B. Pater, vti de colore, ita etiam *de grossitudine* noluit Monachos caussari, quibus vestes præcipit dari *quales inueniri possunt in prouinciâ, in quâ habitant, aut quod viliùs comparari potest.* Insectatur hoc vitium non vno loco Bernardus, quem audi sic intonantem: *Religionis antiquæ non solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis solebat esse insigne, à Monachis temporis nostri, in signum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris prouinciis inuenimus quo vestiri dignemur. Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & chlamydem. Quiuis de sæculo quantumlibet honoratus, etiamsi Rex, etiamsi Imperator fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Ceterùm in habitu, inquit, non est Religio, sed in corde. Benè. At tu quando empturus lustras vrbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris negotiatorum, cunctam euertis singulorum supellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoues oculis, solis opponis radio, quidquid grossum, quidquid pallidum occurrit, respuis. Si quid autem sui puritate ac nitore placuerit, illud* A *mox quantolibet pretio satagis tibi retinere. Rogo te, ex corde facis hæc, an simpliciter? Cùm denique contra Regulam non quod vilius occurrerit, sed studiosissimè quæris quod quia rarius inuenitur, pretiosius emitur; ignorans facis hæc, an ex industria? ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est, mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta* B *virtutibus.* Hæc Bernardus. Notauit ante eum S. Paulinus Nolanus vestium cultum, aut pretium vanitatis notam esse:

Pretium nimium & nitor.
Cap. 55. Reg.
Bernard in Apolog. ad Guibel. Abbat.
Quæ in Monachis Bernardus reprehendit.
Graphicè depinguntur harum mercium emptores.

Namq; vbi corporea curatur gloria pompa,
Vilescit pretio depretiatus homo.
Et molè mens praui cæcata libidine voti,
Sordescit nitidis corporis exuuiis,
Nec sentit quàm turpe decus gerat improbus, vt sit
Veste suâ leuior, qui sibi veste placet.

Vestium ornatus vanitatis index.
Paulin. Epithal. Iuliani.

Et nónne ipse Dominus ait: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt?* Longè ergo à claustris Monachorum sint indu- C menta mollia. *Seruus Dei* (ait Glossa ordinaria) *non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed tantùm ad tegendum nuditatem.* Qui humilitatem profitetur, cur vestium sequitur vanitatem? cur qui nudum Christum sequi professus est, ornatum vestium appetit? cur exteriori cultu placere desiderat, qui nouit omnem gloriam filiæ Regis esse ab intus? *Serico & purpurâ induta* (ait Cyprianus) *Christum induere non possunt: auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris* D *perdiderunt.*

Matth. 11.
Glossa ord. in cap. 3. Matth.
Dedecet Dei seruos.
Cyprian. de habit. Virg.

Quantum verò hîc peccati subsit periculum, quamuis id sæpè minimè patet, optimè exponit Gregorius: *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui culturam subtilium pretiosorumque vestium non putant esse peccatum. Quòd si videlicet culpa non esset, nequaquā sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpurâ indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet vt honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro solâ ina-* E *ni gloria, vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult sibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri.* Vnde Augustinus de se dixisse legitur. *Fateor, de pretiosâ veste erubesco. Non decet hanc professionem, nec decet hanc admonitionem; nō decet hæc membra, non decet hos canos. Amatores ergo Religionis* (verba sunt Hugonis Victorini) *plus debent hic amare vestimenta vilia, quàm pretiosa: plus grossa, quàm subtilia: plus aspera, quàm mollia: plus fusca, quàm nitida: plus neglectè quàm curatè composita vel adoptata.*

Cum periculo assumitur.
Gregor. Hom. 40. in Euang.
Luc. 16.
Sancti viri respuerunt.
Apud Hug. Victor. in c. 6. Reg. S. August.
Idem Hugo Instit. Nouit. cap. 11.

Quare

Monachis prohibita vestes pretiosa.

Quare pro lege nostris præscriptum est in Viennensi Concilio, vt in vestibus inordinatum omnem, seu exquisitũ ornatum, aut cultũ, vt quemuis notabilẽ vitarẽt excessũ. *Nec in qualitate panni regularis*, inquit, *excedatur modestia: nec quæratur quod pretiosius, & subtilius; sed quod vilius valeat inueniri.*

Clement. ne in agro.

Displicent Deo.

Quàm verò Deo displiceãt pretiosiores vestes, euidenti miraculo aliquando significauit. Vt enim libro de viris illustribus Ordinis Cistertiensis dicitur: Abbas quidam in Saxoniâ, Cistertiensis Ordinis, panno terræ illius nequaquam vti dignabatur, sed pretiosos de Flandriâ pannos, annuatim sibi comparari faciebat. Quo defuncto, cùm Monachi vestimenta eius inter se partirentur, Prior domus vnam de tunicis eius sibi retinuit, quam cum quadam solemni nocte, quasi pro reuerentiâ indueret, tamquam si candentibus laminis æris vreretur, terribiliter exclamauit, & detestabilem vestem lõgiùs à se proiecit. Quæ proiecta velut candens ferrum scintillas ex se emittere visa est. Attoniti autem stupore miraculi, ceteri qui de anathemate illo aliquid rapuerant, cùm omni velocitate partes singulas in medium proferunt, & in vnum locum componunt, scintillis creberrimis vndique quasi de clibano ardenti micãtibus. Nec cessauit exitiale prodigium, quousque vicini Abbates in testimonium tam tremendi iudicij acciti sunt.

Quod in tunicâ Abbatis cuiusdam declaratur.

Tertius excessus formam habitus respicit, de quo sit

DISQVISITIO IV.

Quàm indecorum Religiosæ vestis formam mutare?

Excessus in forma habitus.

QVOD insuper vitandum vetandumque viri sancti censuerunt, & illud est, ne ipse Religionis habitus notabiliter transmutetur, vt in sæcularem quodammodo degeneret. Quare Cassianus *habitus nouitatem*, & *studiosas accurationes* interdicit. Carpit & hunc excessum Bernardus: *Pudet dicere, vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à Monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem formâ Religionis retentâ in habitu, ornari non armari appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium, & contrà aëreas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant,* (quod vtique aduersarij valdè formidant) *in mollitie vestimentorum, pacis potiùs præferentes indicium vltro se hostibus sine sanguine tradũt inermes.* Clementina proinde volens debitam Benedictinarum vestium formam præscribere, statuit vt *vestis ipsa sit rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimiâ aut*

Cassian. lib. 2. cap. 3.

Bern. hom. 4. super missus. Reprehenditur à Bernardo.

Clement. ne in agro.

A *breuitate notanda. Itemque vt cucullæ clausæ deferãt & honestas.* Quibus Benedictus XII. alia etiam adijciẽda putauit, pœnam quoque in præuaricantes præscribens: *Interdicimus*, ait, *expressè vniuersis & singulis ipsius Ordinis seu Religionis Monachis, quod nullus eorum de cetero rodundellum, clochiam, cucullam manicotam, vel tabardatam, seu epithogiatam, aut in veste superiori habitus proxima, manicas ligatas, consuticias, seu quomodolibet botonatas portare præsumat: sed quales portare statuit præfata constitutio eiusdem Concilij Vien-*

VESTIARIVM.

Benedictina cap 23.

Pœna in præuaricatores decreta.

B *nensis. Qui verò interdicti huiusmodi transgressor extiterit, auferatur ab eo per suum Superiorem vestis ipsa transgressionis, & transgressor sic aliàs debitè puniatur, quo ceteri à similibus arceantur.* Meritò autem hæc prohibet Pontifex, quia vt longè ante eum dixit S. Odo Cluniacensis Abbas: *De vestitus qualitate, vel immutatione ipsi sæculores contra Monachos indignantur, quia semper illa superbia detestabilior est, quæ ibi se ostendit, vbi maior humilitas regnare debuerat.* Miseriam horum Ieremiam deplorare ait, cùm dixit:

Meritò.

S. Odo lib. 3 Collat. cap. 22.

Nam sæculares ægrè ferunt.

C *Quomodo mutatus est color optimus? Color optimus est habitus prætendens Religionem cunctis amabilem. Qui color tunc immutatur, cùm quædam indumenta studio iactantiæ quæsita opinionem vitæ eis apud laicas vilescere faciunt.* Idemque apostasiæ crimen esse censet, de habitu traditiones per B. BENEDICTVM præfixas contemnere: *An non est apostasia, humilem vestitum spernere, & decorem vestimenti quærere; cùm Angelus apostata perfectus decore, superbiens in terram ruerit? Nobis, inquam, hæc apostasiæ verba conueniunt, quandoquidem*

Thren 4.
Lib. 2. c. 30.

Et apostasia reputatur.

Lib. 3. c. 17.

D *Religionis Habitum per tot retro annorum curricula retentum lasciuientes quique inter nos & petulantes, in hâc nostrâ ætate mutare ausi sunt.* Perstringit autem potissimùm Abbates huius rei auctores, in quos hæc habet: *Nam genus quidem vestimenti, quod Religioni dedicatum est, penitus propter humanam reprehensionem abijcere erubescunt, colores tamen & mollitiem studiosè quærunt: quamuis nonnulli etiam Abbates, vt apertas etiã inimicitias inter se & sanctam Regulam protestẽtur, Manasticum schema, videlicet cucullam induere dedignãtur.*

Lib. 2. c 7.

Prælati quidam hic peccant.

E Hæc S. Odo. Thomas verò Cantipratanus scribit à se visum Abbatem irregulariter vestitũ, de quo ait: *Spreuerat in Sacerdotibus ratundam communis habitus cappam, & tabardum, quem Gallici canem dicunt, id est,* vlieger/ *induerat. Vestis eius ex scarletâ foratâ vario, duplices, vix genuo contingentes. Ocreas habebat in cruribus, quasi eis innatæ essent, sine plicâ porrectas. Nec aliud defuit nisi sertum in capite, quod non noui tirocinij militem loqueretur. Proh dolor! vbi senatus Principis Christi in Hierusalem venientis? vbi nobilissimi Ioannis Baptistæ ex pilis hirsutis camelorum zona? vbi*

Cantipr. l. 1. cap. 7.

Quorum aliquis à Cantipratano notatur.

Matth. 21.
Matth. 3.

VESTIARIVM.

palliis instratus erat, in cuius inferiori gradu languidus ille iacebat frater, tamquam veniam petens. A dextris & sinistris stabant Monachi, quos diximus, inter vtrosq; autem spatium erat, ascendere volenti peruium. Cumq; diu marbidus frater iaceret prostratus, vnus ex assistentibus rogauit pro illo S. BENEDICTVM, *dicens indignum videri, eum sic relinqui: dignum esse quem erigi ipse iuberet, & ex qua, quid velit, perquireret. Respondit ille, hominem quidem videre, sed habitum non agnoscere. Itaq; alterius Instituti hominem, einsq; caussam discutere se non debere, nec in eius vitam inquirere. Audiens id nastri Instituti frater, exuit se, & vestibus suis ægrum fratrem induit, & vt denuo veniam petat, campellit. Id cùm fecisset, vox supernè audito est, iubens eum surgere, & rursum ascendere. Sub his euigilat froter noster, moxque re ipsa fecit, quòd in visione se fecisse viderat, & quasi iam securus de salute eius, precibus suis, quantum potest, animam eius Damino commendat, & Eucharistiâ communit.* Hæc auctor vitę S. Odonis. Ipse verò Sanctus alibi grauiter ait: *Eis igitur, qui in humilitatis habitu iactantiam coloris quærunt, illud Propheticum congruit. Frons mulieris meretricis facto est tibi. Quibus nimirum satius fuerat, vt voluntatem Dei magis quàm suam facientes, Eliæ & Ioannis imitarentur exemplum, potiùs quàm diuitis, qui purpurâ indutus & bysso à Christo redarguitur, & Herodis, qui in veste fulgenti ab Angelo legitur percussus interiisse.*

Contra huius generis homines. S. Odo lib. 3. collat. cap. 23.

C

II. SECVNDVS in habitu excessus est, si nimij sit pretij, adeoque nitor ac mollities in eo quęratur. Amputare hoc vitium volens B. Pater, vti de colore, ita etiam *de grossitudine* noluit Monachos caussari, quibus vestes præcipit dari *quales inueniri possunt in prouinciâ, in quâ habitant, aut quad viliùs comparari potest.* Insectatur hoc vitium non vno loco Bernardus, quem audi sic intonantem: *Religionis antiquæ non solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis solebat esse insigne, à Monachis temporis nostri, in signum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris prouinciis inuenimus quæ vestiri dignemur. Miles & Monachus ex eadem panno partiuntur sibi cucullam & chlamydem. Quiuis de sæculo quantumlibet honoratus, etiamsi Rex, etiamsi Imperator fuerit, non tamen nostra horrebit indumento, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Ceterùm in habitu, inquis, non est Religio, sed in corde. Benè. At tu quando empturus lustras vrbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris negotiatorum, cunctam euertis singulorum supellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoues oculis, solis apponis radio, quidquid grossum, quidquid pallidum occurrit, respuis. Si quid autem sui puritate ac nitore placuerit, illud*

Pretium nimium & nitor.

Cap. 55. Reg.

D

Bernard in Apolog. ad Guiliel. Abbat.

Quæ in Monachis Bernardus reprehendit.

E

Graphicè depinguntur harum mercium emptores.

A

mox quantolibet pretio satagis tibi retinere. Rogo te, ex corde facis hæc, an simpliciter? Cùm denique contra Regulam non quod vilius occurrerit, sed studiosissimè quæris quod quia rarius inuenitur, pretiosius emitur; ignorans facis hæc, an ex industria? ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est, mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanta curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta

B

virtutibus. Hæc Bernardus. Notauit ante eum S. Paulinus Nolanus vestium cultum, aut pretium vanitatis notam esse:

Vestium ornatus vanitatis index. Paulin. Epithal. Iuliani.

Namq; vbi corporea curatur gloria pompa,
Vilescit pretio depretiatus homo.
Et malè mens praui cæcata libidine voti,
Sordescit nitidis corporis exuuiis,
Nec sentit quàm turpe decus gerat improbus, vt sit
Veste suâ leuior, qui sibi veste placet.

Et nónne ipse Dominus ait: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt?* Longè ergo à claustris Monachorum sint indumenta mollia. *Seruus Dei* (ait Glossa ordinaria) *non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed tantùm ad tegendum nuditatem.* Qui humilitatem profitetur, cur vestium sequitur vanitatem? cur qui nudum Christum sequi professus est, ornatum vestium appetit? cur exteriori cultu placere desiderat, qui nouit omnem gloriam filiæ Regis esse ab intus? *Serico & purpurâ indutæ* (ait Cyprianus) *Christum induere non possunt: aura & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt.*

Matth. 11.

Glossa ord. in cap. 3. Matth.

Dedecet Dei seruos.

Cyprian. de habit. Virg.

Quantum verò hîc peccati subsit periculum, quamuis id sæpè minimè patet, optimè exponit Gregorius: *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui culturam subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quòd si videlicet culpa non esset, nequaquā sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpurâ indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet vt honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro solâ inani gloria, vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri.* Vnde Augustinus de se dixisse legitur. *Fateor, de pretiosâ veste erubesco. Non decet hanc professionem, nec decet hanc admonitionem; nō decet hæc membra, non decet hos canos. Amatores ergo Religionis* (verba sunt Hugonis Victorini) *plus debent hîc amare vestimenta vilia, quàm pretiosa: plus grossa, quàm subtilia: plus aspera, quàm mollia: plus fusca, quàm nitida: plus neglectè quàm curatè composita vel adoptata.*

Cum periculo assumitur. Gregor. Hom. 40. in Euang.

Luc. 16.

Sancti viri respuerunt. Apud Hug. Victor. 10 c. 6. Reg. S. August.

Idem Hugo Instit. Nouit. cap. 11.

Quare

Monachis prohibita vestes pretiosa. Quare pro lege nostris præscriptum est in Viennensi Concilio, vt in vestibus inordinatum omnem, seu exquisitũ ornatum, aut cultũ, vt quemuis notabile vitarẽt excessũ. *Nec in qualitate panni regularis*, inquit, *excedatur modestia: nec quæratur quod pretiosius, & subtilius; sed quod vilius valeat inueniri.* Quàm verò Deo displiceat pretiosiores vestes, euidenti miraculo aliquando significauit. Vt enim libro de viris illustribus Ordinis Cistertiensis dicitur: Abbas quidam in Saxoniâ, Cistertiensis Ordinis, panno terræ illius nequaquam vti dignabatur, sed pretiosos de Flandriâ pannos, annuatim sibi comparari faciebat. Quo defuncto, cùm Monachi vestimenta eius inter se partirentur, Prior domus vnam de tunicis eius sibi retinuit, quam cum quadam solemni nocte, quasi pro reuerentiâ indueret, tamquam si candentibus laminis æris vreretur, terribiliter exclamauit, & detestabilem vestem lõgiùs à se proiecit. Quæ proiecta velut candens ferrum scintillas ex se emittere visa est. Attoniti autem stupore miraculi, ceteri qui de anathemate illo aliquid rapuerant, cùm omni velocitate partes singulas in medium proferunt, & in vnum locum componunt, scintillis creberrimis vndique quasi de clibano ardenti micãtibus. Nec cessauit exitiale prodigium, quousque vicini Abbates in testimonium tam tremendi iudicij acciti sunt.

Clement. ne in agro.

Displicent Deo.

Quod in tunicâ Abbatis cuiusdam declaratur.

Tertius excessus formam habitus respicit, de quo fit

DISQVISITIO IV.

Quàm indecorum Religiosæ vestis formam mutare?

Excessus in forma habitus. QVOD insuper vitandum vetandumque viri sancti censuerunt, & illud est, ne ipse Religionis habitus notabiliter transmutetur, vt in sæcularem quodammodo degeneret. Quare Cassianus *habitus nouitatem*, & *studiosas accurationes* interdicit. Carpit & hunc excessum Bernardus: *Pudet dicere, vincuntur in suo studio muliercula, quando à Monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem formâ Religionis retentâ in habitu, ornari non ormari appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium, & contrà aëreas potestates prætendere paupertatis insigne deberent*, (quod vtique aduersarij valdè formidant) *in mollitie vestimentorum, pacis potiùs præferentes indicium vltro se hostibus sine sanguine tradũt inermes.* Clementina proinde volens debitam Benedictinarum vestium formam præscribere, statuit vt *vestis ipsa sit rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimiâ aut*

Cassian. lib. 1. cap. 3.

Bern. hom. 4. super missus. Reprehenditur à Bernardo.

Clement. ne in agro.

A *breuitate notanda. Itemque vt cucullas clausas deferãt & honestas.* Quibus Benedictus XII. alia etiam adijciẽda putauit, pœnam quoque in præuaricantes præscribens: *Interdicimus*, ait, *expressè vniuersis & singulis ipsius Ordinis seu Religionis Monachis, quod nullus eorum de cetero rodundellum, clochiam, cucullam manicatam, vel tabardatam, seu epithogiatam, aut in veste superiori habitui proxima manicas ligatas, consuticias, seu quomodolibet botonatas portare præsumat: sed quales portare statuit præfata constitutio eiusdem Concilij Vien-*B *nensis. Qui verò interdicti huiusmodi transgressor extiterit, auferatur ab eo per suum Superiorem vestis ipsa transgressionis, & transgressor sic aliàs debitè puniatur, quo ceteri à similibus arceantur.* Meritò autem hæc prohibet Pontifex, quia vt longè ante eum dixit S. Odo Cluniacensis Abbas: *De vestitus qualitate, vel immutatione ipsi sæculares contra Monachos indignantur, quia semper illa superbia detestabilior est, quæ ibi se ostendit, vbi maior humilitas regnare debuerat.* Miseriam horum Ieremiam deplorare ait, cùm dixit: C *Quomodo mutatus est color optimus? Color optimus est habitus prætendens Religionem cunctis amabilem. Qui color tunc immutatur, cùm quædam indumento studio iactantiæ quæsita opinionem vtetis apud laicos vilescere faciunt.* Idemque apostasiæ crimen esse censet, de habitu traditiones per B. BENEDICTVM præfixas contemnere: *An non est apostasia, humilem vestitum spernere, & decorem vestimenti quærere; sicut Angelus apostata perfectus decore, superbiens in terram rueret? Nobis, inquam, hæc apostasiæ verba conueniunt, quandoquidem* D *Religionis Habitum per tot retro annorum curricula retentum lasciuientes quique inter nos & petulantes, in hâc nostrâ ætate mutare ausi sunt.* Perstringit autem potissimùm Abbates huius rei auctores, in quos hæc habet: *Nam genus quidem vestimenti, quod Religioni dedicatum est, penitus propter humanam reprehensionem abijcere erubescunt, colores tamen & mollitiem studiosè quærunt: quamuis nonnulli etiam Abbates, vt apertas etiã inimicitias inter se & sanctam Regulam protestẽtur, Monasticum schema, videlicet cucullam induere dedignẽtur.* E Hæc S. Odo. Thomas verò Cantipratanus scribit à se visum Abbatem irregulariter vestitũ, de quo ait: *Spreuerat in Sacerdotibus rotundam communis habitus cappam, & tabardum, quem Gallici canem dicunt, id est,* bluer/ *induerat. Vestis eius ex scarletô foratâ vario, duplices, vix genua contingentes. Ocreas habebat in cruribus, quasi eis innatæ essent, sine plicâ porrectas. Nec aliud deeſſet nisi sertum in capite, quod non noui tirocinij militem loqueretur. Proh dolor! vbi senatus Principis Christi in Hierusalem venientis? vbi nobilissimi Ioannis Baptistæ ex pilis hirsutis camelorum zona? vbi*

VESTIARIVM. Benedicti-na cap. 23.

Pœna in præuaricatores detrectata.

Meritò.

S. Odo lib. 3 Collat. cap. 12.

Nam sæculares agrè ferunt.

Thren. 4. Lib. 2. c. 10.

Et apostasia reputatur.

Lib. 3. c. 17.

Lib. 2. c. 7. Prælati quidam hic peccant.

Cantipr. l. 1. cap. 7.

Quorum aliqui à Cantipratano notatur.

Matth. 21. Matth. 3.

VESTIARIVM.

Canis, quod vestis genus.

meloto, vel cilicium beati BENEDICTI, *aut Hilarionis?* Sic ille. Vbi obiter nota cum Coluenerio, *canem*, siue vlieghér/ esse vestem extimam antrorsus apertam, quæ mulierum nunc ferè est, à volando, quod nostris est vlieghen/ sic dictam. Per iocum *canis* dicitur, quia dum à vento eleuatur, canis instar à tergo subsequitur. Vnde sic amictum appropinquare cernentes, dicunt: *Ecce, talis venit, & canis eum sequitur.* Sed in viam reuertamur.

Antiq. Fuld. lib. 2. cap. 16.

Zelus Fuldensium.

Displicuit etiam Fuldensibus Monachis sæcularis toga in Abbate Marquardo II. quod insigni zelo (nescio an secundùm scientiam) prodiderunt, & antiqui scriptoris verbis ita repræsentat Browerus: *Marquardus Abbas per Decanum, ceterosque Prælatos sæpè monitus, vt in ipsarum maximè præsentiâ, non nisi in cucullâ vel cappâ appareret; respondebat, eorum se monita non tanti facere, ipsorum muneris esse, chori disciplinam procurare: eam itaque rem, omisso se, ipsi diligenter agerent. Suum esse, tapardâ, seu togâ, & quâ libeat veste vti. Ergo cùm nihil proficiunt Monasterij proceres, exspectant videlicet diem S. Marci Euangelistæ, quâ die*, inquit scriptor, *more solito, domini nostri, nudis pedibus, cum crucibus & Reliquijs in ecclesiam Heimbach prodeunt. Tunc Abbas Marquardus tapardo indutus, pelliculis lautè suffulto, pœnè domini instar adequitabat; nec sine comitum fastu, templi odium subibat. Id verò Domini & Prælati non ferentes, Decanus, & cùm eo primarij, Abbatem adeunt, togáq; exutum, veste Religionis vel reluctantem amiciunt. Atque ita ille Abbas, eiusque sectarij in magnâ confusione steterunt.* Hęc Scriptor actorum Marquardi.

Abbatem irregulari veste exuũt.

Nostra ætas in hoc vitio.

Sed non illo Abbate solùm hæsit vestimentorum immodestia, transijt illa ad nostra quoque tempora, atque vtinam non tanta esset in Ordine nostro amictus varietas, & sub eo latens vanitas! vtinam exemplo horum Fuldensium excitati aliquando Abbates, & alij ad quos pertinet, abijciant quidquid religioso statui indecorum, & à sanctâ Regulâ nostrâ exorbitans!

Vestes nimis longæ aut breues, contra Regulam.

Cap. 55. Reg.

Matth. 23.

Clem. lib. 2. pædag. cap. 10.

Sed dices, quænam illa sunt, quæ potissimùm à Regulæ præscripto recedunt? *Primò*, hæc ipsa vestis transformatio. *Secundò*, nimia eiusdem longitudo, vel breuitas, quam præcauere volens Legislator noster, ait: *Abbas autem de mensurâ prouideat, vt non sint curta ipsa vestimẽta vtentibus eis, sed mensurata.* Dedecet enim Monachos vestis adeò longa, vt eleuandæ illi plurimùm grauetur, idque ad fastum & superbiam pertinet Pharisæorum, qui ambulabant in stolis, dilatantes phylacteria, & magnificantes fimbrias. Absurdum videtur Clementi Alexandrino, tam promissas gestare vestes, vt laciniæ terram radant. *Trahere*, inquit, *vestes ad summos vsque pedes demissas, valdè est arrogans & superfluum, quod ambulandi actionem impedit, cùm vestis instar verriculi, quæ in soli sunt superficie sordes secum attrahat.* Breuior vestis sæculum sapit, & eos qui multa conficiunt itinera.

Alij excessus à Christo notati.

Birg. lib. 4 reuel. cap. 127.

Tertiò, ipse Christus taxat Monachorum nostrorum in habitu excessum, cùm apud S. Birgittam ita loquitur: *Nunc autem Fratres* S. BENEDICTI *quærunt vestes quæ excitant luxuriam, & abominantur asperitatem, quærunt indumenta, quæ placent hominibus, & quæ carnem excitant ad carnale. Nam pro cucullâ assumunt cappam ita rugosam, ita latam & longam, vt videantur potiùs superbi ostentatores, quàm religiosi homines humiles. Pro scapulari verò habent breuem panniculum ante & retro, & caput muniũt cum caputia sæcularium, vt sæcularibus se conformẽt. Et sic nec similes sunt hominibus mundi, nec laborant cum humilibus seruis Dei.* Sic ibi.

Vestis peregrina punitur.

Sophon. 1. 8.

Terrere sanè vnumquemque deberet illa Domini comminatio: *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ.* Si enim ægrè tulit Deus Iudæos vestem nouam, peregrinam, & gẽtilitiam assumere, Ægyptiam videlicet, Philistæam, Ammoniticam, Moabiticam, Tyriam; cur non putemus ei displicere Religiosum sæculari veste, & mundano cultu amictum? Visitat profectò Deus super omnes indutos veste peregrinâ, cùm in exemplum aliorum eosdem punit, de quo memorabilem historiam, cùm discipulos suos regularibus institueret disciplinis, S. Odo retulit:

Ioan. lib. 3. vitæ S. Odonis.

Monachi in habitu & moribus dissoluti.

Ante hos annos, inquit, *persistente Monasticâ congregatione apud Ecclesiam B. Martini, quæ est Turoniæ, cœperunt modum suum consuetudinẽque relinquere, ac proprijs volũtatibus vitam suam, propositumque corrumpere. Relictis namque natiuis & assuetis vestimentis, cœperunt fucatas atque fluxas palliaque ornatas, circumferre cucullas, & tunicas. Calciamenta quoque quibus induebantur, adeò erant cocleata ac nitida, vt vitreum colorem viderentur assumere. Ad laudes namque nocturnas, ne aliquo pedem modo offenderent, cùm luce diei surgebant. Ista & horum similia multa, contra Regulæ iura faciebãt.*

Perstatiantur diuinitas vnâ nocte.

Quibus rebus cùm Deus decreuisset finem imponere, nocte quadam omnes quiescentes, cùm vnus ex eis eandem horam insomnem duceret, vidit duos viros dormitorium ingredi, vnum videlicet gladium manu tenentem, cui alius imperabat, indicans singillatim eos his verbis. Percute hunc, & hunc percute. *Cumque eum, qui hæc intuebatur, gladio voluisset appetere, emissâ voce adiurauit eum, dicens: Adiuro te per Deum viuentem, vt non interficias me; statim percussor gladium contraxit, & ipse salus euasit ex omnibus.*

DISQVISITIO V.

Quid tritum illud, Habitus non facit Monachum?

Duo errores circa habitum Monasticum. VT inter duo vitia medium semper virtus locum obtinet, ita circa Monasticum habitum, qui modestiæ & virtutis index esse debet, duo quidam exstant errores, quorum alter illi nimiùm, alter nimis parum tribuit; nimirùm,

Senec. in Agam. *Quisquis medium diffugit iter,*
Stabili numquam tramite currit.

Baron. ann. Domini 361. nu. 51. Eustathius nimium ei tribuit. Exstitit enim quidam Eustathius (vel vt vult Baronius Eutactus) qui adeò fauit Monachismo, vt spreuerit reliquos Christianorum Ordines, & prætextu quodam sanctitatis, Dei Ecclesiam (quæ instar sagenæ omnium piscium genera cogregantis, cunctos amplectitur) pessumdederit, ac fermè fuisset demolitus. *Epiphan. hæres. 40.* Cuius Discipulos Epiphanius scribit solitos decipere simpliciores homines habitu solitariè degentium, & renuntiationem quandam iactasse. *Gang. c. 12. Descriptio eius discipuli, & alij pseudo-monachi.* Iidem verò, vt ex Gangrensi Synodo patet, amicti pallio, velut sanctiore habitu, contemnebant alios, qui communibus & solitis vtebantur vestimentis. Hieronymus quoque hypocritas Monachos crudo sarcasmo perstringens Eustochium monet: *Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. 2. Cor. 11.* *Viros quoque fuge, quos videris catenatos: quibus feminei, contra Apostolum, crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientiâ frigoris pedes.* *Saccophori.* Et S. Epiphanius *Saccophoros* Monachos quosdam in Mesopotamiâ hæreticis annumerat, de quibus ita ait: *Epiphan. hæres. 80.* *Sed & in alio forma inuenti sunt ijdem nostri Fratres, qui in Monasterijs per Mesopotamiam degunt, nam comas muliebres producunt, & facie conspicuo incedunt.* Quod ab Ecclesia Dei alienum esse asserit. *August. de opere Monach. c. 28.* Et S. Augustinus deplorat callidissimi hostis insidijs tam multos *hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersos, qui fimbrias & phylacteria sua magnificent.* *Sectarij habitum Religionis deprimunt.* Ab his verò qui solo religioso amictu sibi de sanctitate gloriantur, dum longissimè distare volunt nostri temporis hæretici, in alium errorem incidunt, quo singularitatem vestis Monasticæ meram esse superstitionem, atque inanem & superfluum cultum asserunt. Ita scilicet,

Horat. Satyr. 1. *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

Catholica verò Ecclesia medium tenens iter, & hos hæreticos damnat, & superbientes Monastico schemate Religiosos erroris redarguit, idque tam manifestè, vt mirum prorsus videatur, Nouatores confingere potuisse, Monachos potissi-

A mam sanctitatem in vestibus & externis cærimonijs reponere. *Vestiarum. Falsò perfusi, in eo sanctitatem positam esse.* Quid enim apud nos magis tritum, quàm illud, HABITVS NON FACIT MONACHVM? quod Clemens III. Honorius itidem III. & ipsum Concilium Tridentinum totidem verbis expressêrut. *Trid. sess. 14. cap. 6. de reform.* Et contra Eustathianos illos hæreticos hoc fulmen intorquet Gangrense Concilium: *Gang. c. 12.* *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens, & despicit eos, qui cum reuerentiâ birris, & alijs communibus & solitis* B *vtuntur, anathema sit.*

Origo huius prouerbij. Verùm antequam Disquisitionis lemma SS. Patrum testimonijs illustremus, dignum videtur discutere, vnde prouerbialis hæc locutio ortum habeat. Veterem esse, & ex Græcis corriuatam fontibus, Cælius Rhodiginus affirmat, *Rhodig. l. 3. cap. 12.* & ex Plutarcho citat: ὅτι γὰρ φιλόσοφος πωγωνοτροφίας, ἢ τριβωνοφορίας ποιεῖ. *Plutarch.* *Non Philosophum facit prolixior barba, nec vestis pertrita.* Et apud A- *lib. de Isid. c. 3.* gellium Herodes ait: *Video barbam, & pallium, Philosophum necdum video.* Non dissi- C mile est, quod ex Chrysostomo apud Gratianum refertur: *Dist. 40. cap. multi.* *Non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum.*

Refutant hæreticos sancti Patres. Sed iam, vt hæreticis os obstruamus, videamus quàm parum præsidij in externo cultu SS. Patres posuerint. *Nos*, inquit Nazianzenus, *Nazianz. Orat. 3.* *externam quidem speciem, ac veluti picturam parum admodum curamus: in interno autem homine, plus operæ studijque ponimus.* Quid igitur nugantur Nouatores, Monachos solâ veste sanctitatem præferre, D qui eam non nisi illius signum prædicant.

S. Ephræm aduersus vitiosè viuentes. Verùm ipsos Monachos, Monachorumque Duces audiamus. S. Ephræm disertè clamat: *Non putetis in cingulo, aut veste longâ consistere perfectionem Monachi*, &c. *Qui carbitus absque operibus nihil est.* Idemque alibi: *nam habitus nihil fiunt Monachos solo habitu gloriantes.* *Ne igitur quis erret, vt exteriore Religionis habitu se aliquid esse existimet: nam qui se putat eiusmodi apparenti specie religiosum esse, seipsum potius fallit ac decipit; & illa simulata religio quàm sit falsa, ex ipsâ protinus conuer-* *Serm. de vitâ Monast.* E *satione eius, facilè cuiuis constare poterit.* Vides nimirùm quantùm fiduciæ in habitu Monachi ponant, quem quidem fine operibus, folijs idem auctor comparat. *Ne ergo*, inquit, *contemptor et sua salutis, imiteris, & qui solum sibi habitum arrogant: vt non similis reddaris militi ab aduersarijs capto, qui regis quidê gerit insignia, ipse verò inimicis sui regis inseruit. Verax quippe est qui ait: Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Folijs enim similis est Habitus: fructus verò est ipsum opus.* *In illud attende tibi ipsi cap. 9. Et bonis operibus destitutos.* Eodem pertinet illud Hieronymi: *Hieron. ad Eustoch. epist. 22.* *Ne hoc ipsum tibi iactantiam generet,*

VESTIARIVM. *neret, quod saeculi iactantiam contempsisti: nec cogitatio tacita subrepat, vt quia in auratis vestibus placere desijsti, placere coneris in sordidis.* Et ad Paulinum: *Humilitatem vestium tumenti animo ne appetas.* Anselmus apponens illud Pauli: *Circumcisio prodest, si legem obserues. Si autem praeuaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est, ait: Ante Saluatoris aduentum prodest carnalis circumcisio si legem obserues, id est, si & moribus circumcidaris. Signũ prodest, si res adsit. Ceterum signum sine re superfluum erit. Sic & Monacho dici potest: Cuculla prodest, si Regulam obserues. Si autem praeuaricator Regulae sis, Cuculla tua inutilis facta est.*

Anselm. in cap. 2. ad Rom.

Signum sine re nihil est.

Sed quid Monachorum Patriarcha & Dux, BENEDICTVS de hoc afferat, videamus. An non apertè Sarabaitas, & alios veste tenus Monachos, qui adhuc operibus saeculo fidem seruant, *mentiri Deo per tonsuram* asserit? Haud dubiè & per habitum, & externam speciem id faciebãt: neque enim credibile est, quòd illi, qui Monachi videri affectabant, quidquam eorum praetermiserint, quae in Monachis passim publicéque apparebant. Et quid Mellifluus Doctor Bernardus censuit? *Non pietatis solummodo formam, sed & veritatem in omnibus, & prae omnibus habitus noster repromittit.* Quam verò probos mores, & solidas virtutes vnà cum habitu requirat, quamque parum sola conferat cuculla, idem non sine stomacho alibi aperit: *Magna, inquit, abusio, & maxime caro est, vt corpus regulariter induatur: & contra Regulam suis vestibus anima nuda deferatur; cùm tanto studio tunicae & cucullae corpori procurentur: quatenus ei deerunt, Monachus non putetur: cur similiter pietas & humilitas spiritui, quae profectò spiritualia indumẽta sunt, non prouidetur?* Et Petrus Cluniacensis ait, veteres Patres decreuisse, *vt color moribus, vestes virtutibus quã possent cognatione iungerentur.* Quod ipsum quoque cõfirmatur ex varijs Sanctorum exhortationibus, quibus Monachos admonent, vt significationem habitus sui moribus exprimant, quas infrà, cùm de mysticâ explicatione habitus agendum erit, afferemus. Ex quibus videre est, quàm longè Monachi sint ab ijs, quos Paulus ait: *Spiritum quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes.*

S. Benedictus Sarabaitas hinc perstringit.

Cap. 1.

Bern. epist. ad Fratres de monte Dei.

Et Bernardus eos, qui virtutis vestem non curant.

Idem in Apolog. ad Gulielm. Abb.

Petr. Cluniac. lib. 4. epist. 17.

2. Tim. 3. 5.

Sed tria hîc urgent haeretici. *Primò*: Si nulla in vestimentis collocetur sanctitas, cur tantâ solicitudine prouidetur, ne Religiosus vnquam Ordinis sui habitum deponat, imò etiam poenis ad hoc adligatur? Respondeo illis ipsis de caussis, quibus suprà probauimus distinctam à vulgo vestem Religiosis maximè conuenire; nempè,

Prima Sectariorum obiectio.

Reijcitur.

A —— *separat haec nos A grege.* ——

Iuuenal. Satyr. 11.

atque vt Christianus paedagogus dixit: *Vt signo quae ad caussas maximè accedunt, rei naturam ac proprietates maximè demonstrant: ita amictum nostrum indicare, qualis sit morum nostrorum institutio.* Quin etiam proloquium est illius diuini spiritus, qui nec falli potest, nec fallere; *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Sed enim, miram inquiunt vestibus tribuere efficaciam, & sanctificãdi virtutem, B quasi ea vel medicamenta essent, vel sacramenta. Et Erasmus falsè Monachos irridens, rogat, an vel Turcam seruaret Monastica vestis? respondetque; *Vel ipsum Satanam, si patiatur indui, & fidem habeat Apocalypsi S. Francisco factae.* Iterumque: *Existimabam istorum* (Monachorum) *vestẽ nihil aliud esse, quàm vestem, nec per se meliorem veste nautae: aut calceary, nisi vtentis sanctimonia commendaretur; quemadmodum Christi vestis cõtacta sanauit haemorrhoissam. Alioqui dubitabam, vtrum textor an vestiarius eam vim dedisset* C *vesti.* Sed dubitanti huic alijsque respondemus, hoc merum commentum esse, nec vestibus tribuere nos magis, quàm suprà Patrum auctoritate illis tributũ vidimus. Benedicuntur illae veteri more certis precibus & ritibus, à quibus non aliam sanctitatem contrahunt, quàm aliae quaecumque res ecclesiastico ritu benedictae, quibus plerumque accedit pius vtentium affectus, quem diuina bonitas nonnumquam respicit, & suo fauore prosequitur. Quare cùm Deus mira aliquando per religiosum D habitum efficit, eoque indutos ab aduersarijs subinde protegit, id soli diuinae bonitati, non vestibus acceptum ferendum est. Atque ita intelligenda est S. Hildegardis, quae de Ordinis nostri habitu agens, ait: *Qui pura voluntate eodem vestitu induitur, salubri remedio alleuiatur. Et ideò qui illum per innocationem Spiritus S. in benedictionibus suscipit, non illum abijciat, quoniam qui eum per abiectionem perseuerantis mali contempserit, cùm illo erit qui angelicum ordinem spreuit, & in mortem sepeliendus corruit.* Vbi be- E nedictioni, quae fit per intercessionem Spiritus Sancti, remedium tribuit. Deinde requirit, vt purâ voluntate & intentione vestis deferatur. Quis autem neget gestatione religiosi habitus, si piâ intentione fiat, plurimùm nos mereri? Cùm verò ex diuinâ scribat reuelatione, credi potest reuelatum illi, quo fauore diuina bonitas prosequatur eos, qui Benedictino habitu amiciuntur.

Clem. Alex. lib. 1. paedag. cap. 10.

Eccli. 19.

Erasm. colloq. Exequiae Seraphicae.

Erasmi impudens dictum.

Refutatur.

Vestes cur benedicantur.

Deus gratiam tribuit quis eas piè gestant.

Hildeg. lib. 2. vision.

In ipsâ autem vestimentorum materiâ, formâ, aut colore nullam supernaturalem virtutem constituimus. Quare haeretici hîc

Nec a se ipsis habent virtutem supernaturalem.

hìc illud oppono, quòd S. Optatus Mileuitanus Donatistis, agens de mitrellâ virginum: *Non panno hoc,* inquit, *potest virginitas adiuuari: non enim inde compescuntur æstus animi, quos interdum ætas accendit: non inde subleuatur mens, quæ nonnumquam desideriorum ponderibus premitur. Nam si ita esset, non vna, sed plurima Virginis capiti imponerentur: vt quotiescumq; animum carnis desideria pungerent, contra impugnationem mentis mitrellarum numerus dimicaret. Res inuenta est ad signum capitis, non ad remedium castitatis. In mitrella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium; vt rem iam Deo deuotam ne qui sponsabat, perseueret petere, aut ne raptor audeat violare: signum est autem non sacramentum.* Hæc ille. Quæ hæreticis meritò os obstruant.

Optat lib. 6.

Secundò, Peculiaris, inquiunt, amictus seruit hypocritis, eoque tecti simpliciores decipiunt, dum religiosi & sancti videntur, qui nihil pietatis aut sanctitatis habent, *sepulchra*, videlicet, vt vocauit Christus, *dealbata*, foris pulchra, *intus plena ossibus mortuorum*; quique, vt Poeta dixit:

Secunda obiectio.

Matth. 23.

Pelliculam veterem retinet, & fronte politi,
Astutiam rapido gestent sub pectore vulpem.

Persius Satyr. 5.

Noui hi sunt, vt inquiunt, Pharisæi, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Sed occurrit Augustinus, dicens: *Non propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum mulcere Christianus, quia parcum habitum ac necessarium etiam simulatores sæpius vsurpant, vt incautos decipiant: quia & illæ oues non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se cōtegant.* Qualis autem quisque in Monastico aut viliori sit habitu; vtrum scilicet hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliquâ faciat, ex ceteris eius operibus vult conijci, sicut de Pharisæis Dominus dixit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Cùm enim cœperint *aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt,* (popularis videlicet aura, & opinio sanctitatis) *tunc necesse est vt appareat, vtrum lupus in ouinâ pelle sit, an ouis in suâ.*

Falsa est,

Aug. lib. 2. de sermon. Domini in monte c. 12.

Nam hypocrita ex fructibus noscuntur.

Matth. 7.

Tertiò, affirmant Nouatores, tenerioris scilicet conscientiæ homines, scandalizari se tam vario vestium genere, & diuersitatem amictus, diuersitatem generare affectus. Hinc quot sunt Ordines Religiosi, tot volunt esse sectas à se inuicem animis dissectas. Sed respondet Tertullianus: *Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bona est modestia, verecundia, fastidium gloriæ, soli Deo captons placere: agnoscant malum suū, qui de tali bono scandalizantur. Quid enim si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia reuocanda est?* Non dissimiliter Hieronymus: *Scandalizat quempiam vestis sordior? Scandalizet Ioannes, quo inter natos mulierum maior nullus fuit, qui Angelus dictus, ipsum quoq; Dominum baptizauit, qui camelorum vestitus tegmine, zona pelliceà cingebatur.* Atque hæc quidem in hæreticos satis, si quid ijs vnquam satis.

Tertia obiectio,

Futilis; nā bona non scandalizāt bonos.

VESTIARIVM. Lib. de velandis virg. cap. 3.

Hieron. epist. 23. ad Marcel. de ægrot. Blesil.

Sed his relictis, Monacho vnicuique illud Sapientis inculcatum velim: *In vestitu ne glorieris vnquam.* Nec ab habitu gloriam quæras, sed illi potiùs ex tuâ vitâ nouam conferas: alioqui veste solâ Monachus à magno Gregorio struthioni comparaberis, explicans enim illud Iob: *Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris. Quis,* inquit, *herodium & accipitrem nesciat aues reliquas quantâ volatus sui velocitate transcendant? Struthio verò pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terrâ quippe eleuari non valet, & alas quasi ad volatum specietenus erigit, sed tamen numquàm se à terrâ volando suspendit. Similiter cùm vnum eundemque bonorum malorumque habitum cernimus, cùm ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, vnde eos discernemus? nimirùm hinc quia omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conuersationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Habent, quippe volandi pennas per speciem, sed in terrâ repunt per actionem, quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægrauati, nullatenus à terra subleuantur.* Hæc Gregorius. Optimè ergo cecinit B. Anselmus

Parænesis ad Monachos. Eccli. 4.

Gregor. lib. 31. Mor. cap. 5.

Ne in solo habitu glorientur.

Non tonsura facit Monachum, non horrida vestis;
Sed virtus animi, perpetuusq; rigor.
Mens humilis, mundi contēptus, vita pudica,
Sanctaq; sobrietas: hæc faciunt Monachum,
Hæc vos in cælū, (Monachi) quadriga leuabit.
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.
Nil tonsuro iuuat, iuuat aut vilissima vestis,
Si lupus es, quamuis esse videris ouis.
Nam falli possunt homines, sed fallere Christū
(Qui nullum fallit) nemo potest hominum.
Ille quidem fucum simulatæ religionis
Damnat, & in reprobis moribus esse nequit.

Anselm. in carm. de mundi cōtemptu.

Qui non facit Monachum, sed virtus.

TRACTA-

VESTIA-RIVM.

TRACTATVS IX.

DE CORONA ET TONSVRA MONACHORVM.



VESTIBVS *redimus ad caput, quod vt alias operuimus, nunc aperiemus. Humili tum abditum caputio, nunc suâ decorabimus* Corona. *Monastica autem Corona ad vestes aliquo modo spectare vi detur, nam instar earum exteriorem hominis compositionem exornat, quare eius tractationem huic* Vestiario *inserendam ob materiæ vicinitatem putaui. Agendum proinde de verticis barbæque tonsurâ, de qua* Primò *disquiremus, An S.* BENEDICTI *tempore fuerit in vsu?* Secundò, *An Sacræ Scripturæ repugnet?* Tertiò, *An Benedictinorum rasa barba?* Quartò, *Quid tonsa corona mysticè designet?* Quintò, *Cuius rei symbolum sit tonsa barba?* Sextò, *An Sanctimonialibus crines detonsi?* Septimò, *Quam varium Sanctimonialium velum?*

DISQVISITIO I.

An tempore S. BENEDICTI *in vsu fuerit Monastica Tonsura, siue Corona?*

Videri coronæ vsum non esse antiquum.



RBITRANTVR quidam *Coronæ* vsum non esse admodum antiquum, nec tempore S. BENEDICTI Monachos fuisse detonsos, quod ex eius vitâ confirmari videtur, in quâ S. Gregorius scribit, S. Mautum puerum Placidum per capillos ex aquis eduxisse. Si autem in coronam fuisset attonsus, & vertice raso, prout nunc sunt Benedictini, id fieri minimè potuisset. Caluinus verò videtur indicare, cœpisse vsum tonsuræ tempore Augustini, caussam autem fuisse dicit, quia eo tēpore soli homines effeminati & delicati alebant comam: non autem videbatur permittendū Clericis, & Monachis, vt id facerēt, quod soli faciebant lasciuiores, & molliores; posteà verò corruptioribus tēporibus excogitata esse mysteria, & significationes. Et quidē Augustini tēpore viguisse hunc vsum, ex ipsomet probari potest. Ita enim scribit ad Proculianum Episcopum: *Per* Coronam *nostram nos adiurant vestri, per* Coronam *vestram nos adiurant nostri.* Et Hieronymus ipsi Augustino scribēs, ita ait: *Fratres tuos Dominum meum Alipium, & Dominum meum Euodium, vt meo nomine salutes, precor* Coronam *tuam.* Ennodius ad Symmachum Papam: *Erigat paruulos implorata* Coronæ *vestra miseratio.* Sanctus verò Epiphanius reprehendit Monachos, quòd comam prolixam gererent: *Nam alienum est*, inquit, *à Catholicâ Ecclesiâ saccus conspicuus, & coma extensa.* Corripit quoque Augustinus illos, *qui hoc vno vitio capillorum contra præceptum Apostolicum demissorum, offendunt & perturbant ecclesiam.* Socrates item scribit Iulianum Apostatam *abrasâ cute* vitam Monasticam simulasse. Anicetus verò Pontifex iubet radi caput in modum sphæræ. Et Dionysius Areopagita describens ritus, quibus suo sæculo ordini Monachorū inserebantur candidati, *Moris*, ait, *fuisse eos post omnium abrenuntiationem diuisibilium, & signi crucis consignationem, à sacerdote tonderi, cùm inuocatione Trinitatis: ac tum demum veste nouâ indui.* Vnde patet tonsuræ vsum longè esse antiquiorem sęculo Augustini, & magis S. BENEDICTI.

A — B — C

Greg. lib. 2. Dialog. cap. 7. — *Lib. 4. instit. cap. 19. §. 27.* — *Et cœpisse ano S. Augustini.* — *Aug. epist. 147.* — *Liquet saltem eo viguisse.* — *Epist. 26. inter Augustini.* — *Ennod. lib. 4. Epist. 22.* — *Epiphan. hæres. 80.* — *August. de opere Monach. c. 33.* — *Socrat. lib. 3. hist. c. 1.* — *Anicet. in Epist. ad Gallos.* — *Sed multò vetustior est.* — *Dionys. c. 6 de Eccles. Hierarch. p. 2.*

Eam verò Apostolicâ traditione accepto à Nazaræis exemplo in ecclesiam introductam, testatur Isidorus his verbis: *Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, ni fallor, exortus est: qui priùs crine seruato, denuo post vitæ magnam cōtinentiam, devotione completâ, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem*

Isidor. de diuin. offic. in Concil. — *Et ab Apostolis manauit.*

deuotio-

deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus, ab Apostolis introductus est, vt qui diutinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innouentur. Hoc quoque & Ezechiels Propheta iubetur dicente Domino: Tu fili hominis sume tibi gladium acutum, & duces super caput tuum & barbam. *Videlicet quia ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis seruiebat. Hoc & Nazaræos, Priscillam & Aquilam in actis Apostolorum primos fecisse legimus, Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui huiusmodi cultu imitandi extiterunt.* Hæc Isidorus. Fuerunt igitur Nazaræi illi, nostrorum Monachorum & clericorum typus.

Ezech 5.

Vt autem ad rationem dubitandi initio propositam respondeamus, illud sanè constat, viguisse S. BENEDICTI æuo, tondendi ritum. Cur enim de Sarabaïtis aliàs diceret, eos *per tonsuram Deo mentiri?* nisi quia significare voluerit seruantes sæculo fidem, & si coronam deferant, fictionem & mendacium non euadere, dum aliter viuunt, quàm corona viuendum significat: religionis quidem insigne portantes, virtutem verò eius abnegātes. At, inquies, quî ergò potuit, S. Placidus per capillos ex aquis educi? Ad hoc in Commentario ad vitam S. BENEDICTI responsum eum tum necdum attonsum fuisse: cùm septimo ætatis anno, S. BENEDICTO oblatus fuerit, & paulò pòst, in aquam ciciderit, adeòque nouitiatu necdum expleto. Nouitiorum autem corona diuersa erat à professorum. Iustinianus enim Imperator distinguit duas has tonsuras, & nouitiorum quidem *laicorum tonsuram* vocat. Plura vide loco allegato.

Soluitur dubium initio positum.

Cap. 1.

Et de S. Placido. Cap. 7. nu. 4.

Iustinianus in authent. Coll tit. 5. c. 2. & 3.

Iam verò quod ad tonsuræ monasticæ formam attinet, constat *Primò*, non tantùm verticem capitis, sed totum ferè caput radi consueuisse, idque vsque ad ipsam cutem. S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus de Monachis agens, ait: τὸ κείρεσθαι τὴν κάρον ὁλοτελῶς, *tonderi caput ex toto.* Paulinus sui temporis tonsuram ita explicat: *Nos adeant & reuisant, conserunli & compallidi nostri; non improba attonsi capitis fronte criniti, sed castâ informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destitutâ fronte prærasi, & ornatu pudicitia inornati.* Saluianus Massiliensis scribit, Carthaginienses sine conuitio atque execratione videre vix potuisse Monachum *præcisis comarum fluentium iubis ad cutem tonsum.*

Forma tonsuræ monasticæ.

German. in Theor.

Paulinus Epist. 7.

I. Radebatur caput.

Saluian. lib. 1. de vero iudic. & prouid. Dei in fine.

II. *Secundò* ex Græcorum Euchologio colligitur Græcos in formam crucis attondisse Monachos. In ordine instituendi Nouitium

In formam crucis apud Græcos.

A lego: ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς: *Sacerdos tondet eum in formam crucis.*

VESTIARIVM.

Tertiò, capillorum abrasio & eo modo fiebat, vt paruulus quidam circulus in modum coronæ relinqueretur, atque hinc coronæ nomen tonsura obtinuit. Nam Canon quidam Concilij Nicæni (quem ex Arabicis exemplaribus Turrianus edidit) ita præscribit: *Monachi alia habeant indumenta & mores, quàm habeant laici, ac caput tondeant in modum coronæ.* Talis etiam olim Clericorum tonsura, præsertim in

III. Communiter in circulum.

Nicæn. can. 76.

B Hispaniâ. In Concilio enim Toletano IV. ita statuitur: *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut huc vsque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis vt laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs huc vsque hæreticorum fuit.*

Conc. Toletan. 4. cap. 40. Vt & Clerici Hispanis olim.

Porrò eandem coronæ formam in S. Nicetio, Episcopo Treuirensi habes diuinitus efformatam: sic enim de eo scri-

Diuinitus efformatur.

C bit Gregorius Turonensis: *S. Nicetius Episcopus, ab ipso ortus sui tempore Clericus est designatus: nam cum partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam.* Sidonius quoque Apollinaris scribit *crinem* cuiusdam *in rotæ speciem accisum.* Huius verò formæ sunt pleræque Monasticæ coronæ, & præsertim Benedictina, quam Poly-

Greg. Turonens. in vitâ Sancti Patr. cap 17.

Sidon. lib. 4. Epist. 13.

Talis Benedictinorum tonsura.

D dorus Vergilius ita describit: *Benedictini, qui nigro hodie amiciuntur colore, tondentur nouacula à vertice infra dimidium caluæ: capillus infernè recisus in parui circuli speciem, circa aures & tempora, totum ambit caput instar coronæ, vnde ipse vertex derasus corona nuncupatur.* Accuratè porrò Patres Bursfeldenses coronæ magnitudinem & formam his verbis describunt: *Detruncentur crines super aures, ita vt inter extremum auriculæ, & crinium, vix spatium aliquod intermediare videatur. Et tonsura coronæ*

Lib. 7. de inuentoribus rerum cap. 2.

Eius magnitudo, forma.

Bursfeld. in ceremonialib. distinct. 3. cap. 13.

E *pergrandis fiat, adeò vt remanentium crinium circulus latitudinem duorum digitorum transuersalium non excedat; si autem minor fuerit, nostræ laudabili consuetudini plus appropinquat.* Hæc ibi.

At quæres, quoties capitis rasura adhibenda? Respondendum variam fuisse olim & nunc consuetudinem. S. Petrus Damiani: *Radant autem caput per menses singulos, exceptis quadragesimis duabus, quæ nimirum sine lauacro capitum transigendæ sunt.* Petrus Cluniacensis decies quater in anno *rasuram* præscripsit. Bursfeldenses singulis qua-

Quoties adhibenda.

Petr. Dam. opusc. 15. cap. 18. Variant Statuta. Petr. Cluniac. in Statut. nu. 34.

VESTIARIVM. quatuordecim diebus fratres omnes tonderi volunt, nec vnquam differri vltra tres hebdomadas. Carthusiani his conformes, bis in mense rasuram Monachorum & Conuersorum fieri statuunt. Regula Solitariorum: *Solitarij, & præcipuè illi, qui sacra mysteria contrectant, de quadraginta in quadraginta diebus se radant, & capillos tondeant.*

Cap. 7. ter. tiæ compilati §. 16.

Reg. Solit. cap. 50.

DISQVISITIO II.

An tonsura Monastica S. Scripturæ repugnet?

Hæretici tonsuram oso res.

HÆRETICI, qui nihil non in Monachis canino dente arrodunt, etiam capitis rasuram, quam erasam optarent, carpunt. Magdeburgenses Centuriatores, vti superstitiosam & non cōformem Scripturæ Sacræ, nec vsui puriori Ecclesiæ, censent reprehendendam. Quidam verò Hortensius Laudas librum scripsit *de persecutione barbarorum*, vbi multa dicit contra tonsuram Monachorum. Et ne videatur sine Scripturâ loqui, profert aliquot testimonia veteris legis.

Centuria 4. cap 6. col. 467.

Eam ex sacris litteris damnare nituntur.

Prima est Leuitici 19. vbi Dominus ait: *Neque in rotundum attondebitis comam.* Cui similis locus est Ieremiæ 9. vbi Dominus ait: *Visitabo super omnes qui attonsi sunt in comam.* Tertia Scriptura est Leuitici 21. vbi de Sacerdotibus dicitur: *Non radent caput, nec barbam.* Quarta Ezechielis 44. vbi de iisdem: *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondent capita sua.* Quinta in Epistolâ Ieremiæ apud Baruch: *In domibus eorum* (idolorum) *sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt.*

V. 27. V. 26. V. 5. V. 20. Cap. 6. 30.

Frustra: & futiles eorum argumentis. Lib. 2. de Monachis cap. 40.

Sed non difficilis est ad hæc responsio. Soluunt enim hæc Bellarminus, Cornelius, Marius, aliique Scripturæ interpretes; nam hæc Scripturæ cærimonialia continent præcepta, quæ non magis obligant, quàm Circumcisio & sacrificia veteris legis. Nec ipsi Sectarij hac se obstringi putant, neque enim nefrendes, pernas, pectasones à mensâ suâ semouent, quia scriptum sit: *Sus, qui cùm diuidat vngulam non ruminat, huius carnibus nō vescemini.* Ad locū autem Leuitici responderi potest LXX. vertisse: *Non cincinnabitis extremitatem capitis vestri.* Quod ex Hebræo etiam deduci potest. Prohibuit ergo Deus capillitium calamistratum, siue calamistris in cincinnos reflexum. Hoc autem viros dedecet, & mollis atque effeminati animi nota est, vnde calamistratos, cinædos appearunt.

Leuit. 11. *Soluitur prima.* *Vetiti cincinni in lege.*

Vetus prouerbium est, imò oraculum, vt censet Synesius:

Οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ ψηλάττεται.

Nullus capillum, quin cinædus sit, fouet.

Plautus:

Quisnam istuc tibi credat, cinæde calamistrate:

Synes. epist. 104. *Tribuuntur cinædis.* Plaut. in Asinar.

Et S. Ambrosius: *Cincinni,* inquit, *non ornamento, sed crimina sunt: lenocinia formæ, non præcepta virtutis.* Adeò verò sibi dæmon in cincinnis complacet, vt nomen *Cincinnatuli* aliquando vsurparit, vt se, totamque ferè Italiam Rhodiginus audiuisse memoriæ prodidit. Meritò ergo hoc Deus prohibuit, neque id Monachi faciunt, qui totam comam radunt, vnico tantùm capillorum retento circulo.

Ambros. l. 3. de Virg. *Dæmoni placent.* Cæl. lib. 8. cap. 10.

Secundò, comam in rotundum attondebant Gentiles, vt patet Ieremiæ 9. 26. & cap. 25. 23. & cap. 49. 32. præsertim Ægyptij, inter quos hactenus vixerant Hebræi. Vnde Vatablus sic exponit: *Non attondebitis in rotundum camam vestram, Ægyptiorum sacerdotum more;* quin & Radulphus asserit Gentiles cùm se dæmonibus consecrabant, capita sua in rotundum totondisse: censebant enim Deos gaudere figurâ rotundâ & orbiculari, vtpote omnium capacissima & perfectissima. Dedicabant autem iidem Gentiles capillos suos Dijs, id est, dæmonibus; vt tradit Lucianus, Theodoretus, & Cyrillus. Iure ergò hoc Iudæis vetitum, ne dæmonum cultum imitarentur. Quæ responsio ad locum Ieremiæ etiam adhiberi debet.

Responsio ad secundam. Lucian. in Deâ Syriâ in fine. Theodor. q. 28. super Leuit. Cyrill. lib. 16. de adorat.

Ad *Tertium* verò dicendum, non præcipi Sacerdoti, ne radat caput absolutè, sed ne radat in morte alicuius propinqui sui, in signum doloris. Voluit enim Deus, Sacerdotes esse ceteris constantiores.

Ad tertium.

Ad locum ex Ezechiele deductum respondet Bellarminus, Sacerdotibus Iudæorum fuisse prohibitam rasuram, non quod in se mala sit, sed ne viderentur similes Sacerdotibus Gentilium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant, vt ex Epistolâ Hieremiæ appaparet. Quod ex se non esset malum, patet, quia ipse Ezechiel, qui Sacerdos erat, iubetur à Deo radi. Sicut & Nazaræus completo tempore consecrationis suæ. Vnde Paulo dicit Iacobus: *Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis, vt radant capita sua.* Solùm ergo propter viciniam idololatrarum prohibebantur Sacerdotes Iudæorum radi. Quæ fortè caussa erat, cur Optati, Hieronymi, & Ambrosij tempore Christiani Sacerdotes non raderentur, sed tonderentur; nam adhuc ipsorum tempore erant

Ad quartum. Ezech. 5. Num. 6. Act. 21. *Cur olim Iudæis vetita rasura.*

Sacer-

Ambros. E-pist. 56. Hieron. in cap. 44. Ezechielis. Sacerdotes Isidis, qui caput radebant, vt Ambrosius, & Hieronymus testatur. Postquam autem illa caussa cessauit, nihil absurdi faciunt, qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt.

Ad quintum. Ad vltimum Dico, Ieremiam non ridere illos Sacerdotes, quia radebant caput, & barbam, sed quia id faciebant in honorem Deorum ligneorum, qui non poterant remunerare cultores suos.

DISQVISITIO III.

An Benedictinorum rasa barba?

Populi, qui barbam aluerunt. A VERTICE ad barbam descendo, in quâ promittendâ, aut resecandâ, non vnus omnium gentium mos fuit. Atque vt rem hanc paulò altiùs repetamus, *apud*

Alexand. genial. dier. lib. 5. c. 18. Romani. *Romanos*, inquit Alexander ab Alexandro, *ab vrbe conditâ ad annum CCCCLIV. iuuenes pariter ac senes intonsos fuisse liquet.* Hinc *Cascos capillatos*, & *impexam antiquitatem*,

Ouid. lib. 4. Fast. Intonsi dicti. Horat. lib. 2. ode 15. Lucan. l. 2. boni auctores dixerunt. Fidem faciunt antiquorum statuæ, quæ pleræque habent capillum, & barbam magnam. Hinc Ouidius *auos intonsos* vocat. Et Horatius Catonem *intonsum*, de quo sic Lucanus:

> Intonsos *rigidam in frontem descendere canos*
> *Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.*

Hebræi. Leuit. 19. 29. & 21. 5. Hebræos promissâ barbâ incessisse & capillo, colligimus ex Leuitico, vbi vetantur barbam radere. Hinc frequentes minæ Prophetarum de caluitio, vt de pœnâ

Isai. 15. 2. Ierem. 48. 2. Reg. 10. omnium longè maximâ. Isaias: *Moab vlulauit, in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Eadem habet Ieremias. Itaque rex Ammonitarum Hannon Dauidis nuntios ad se missos ad insignem contumeliam mediâ ex parte radi fecit.

Græci. Græci quoque, & in ijs Lacedæmonij ex præscripto Lycurgi, barbam promittebant. Hercules & Theseus, vt leones iubis, sic capillis maioribus & barbâ insignes progrediebantur. Quorum imitatione, vt

Lucian. in Cynic. Philosophi, qui à barba vocati. Dio Orat. 33. quidem vult Lucianus, Philosophi barbam nutriebant: quibus id adeò proprium fuit, vt *capillatum esse*, Dio Prusæus dicat esse vulgi opinione *virorum* sapientum insigne; siue vt Plutarchus ait, πωγωνοτροφεῖν, *barbam alere.* Hinc illud Horatij:

Horat. 2. serm. Sat. 3. ——— *Sapientem pascere barbam.*

Præsertim Cynici. Lucian. supra. Et Persius *barbatum Magistrum* dixit, cùm Socratem vellet exprimere. Sed eximij in hoc genere Cynici fuere, quorum aliquis apud Lucianum, tam deforme putat esse barbæ ornatum viris auferre, quàm leoni iubas attondere. Sordidam horum barbam exagitat tam ipse Lucianus, quàm

VESTIARIVM. Mart. lib. 4. epist. 53. 2. Anthol. Pall. Martialis. De quâ & sic lusit Poëta Græcus:

> *Si promissa facit sapientem barba, quid obstat*
> *Barbatus possit quin caper esse Plato.*

Indi. Scythæ. Diod. l. 4. Curt. l. 8. Id. lib. 4. Persæ. Vt alias gentes lustremus, scribit Diodorus Siculus, *Indorum moris esse per omnem vitam barbam nutrire.* Eorumdem *mentum semper intonsum* fuisse memorat Q. Curtius, vt & Schytarum Bactrianorumque *hirta ora*, & *intonsas comas*. Nec Persæ comam tondebant, ex quo à Delfico oraculo peculiari epitheto *Criniti* vocati fuuit

Herod. l. 6. Marc. l. 23. Galli. Germani. apud Herodotum. Marcellinus Persas *longis capillis hirsutas* tradit. Galli *comati* describuntur à Strabone & Plinio, hinc *Gallia comata*. Germani Cattique nefas duxere barbam capillumque tondere, aut alio cultu esse, nisi hostis caput ex acie retulissent, vt auctor est Tacitus.

Tacit. l. de mor. German. Omnes hi in luctu radebant intur, & crines ponebant. 1. Esdr. 9. Iob 1. Alex. dier. genial l. 3. c. 7. Et harum quidem gentium, quæ barbam alebant, mos fuit in luctu eam radere, & capillum ponere. Vnde Esdras: *Cùm audissem sermonem illum, scidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens.* Iob in summâ calamitate *tonsa capite* legitur. *Milesij*, inquit Alexander, *erasis capitibus, plangere consueuerunt.* De Germanis disertè scribit

Sueton. in Calig. c. 5. Suetonius, mortuo Germanico, *Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.* Persas detonsis coniugibus & liberis lugere, scriptum Curtio: addit Herodotus in funere clarorum virorum seipsos, equos & iumenta totondisse. Sed quod ipsi in luctu, id alij in luxu ad munditias, vel in bello, seu alio intuitu factitasse leguntur.

Quando tonsura cœperit apud Romanos. Plin. lib. 7. c. 59. Lips. excurs in 14. ann. Tac. Sanè postquam Romam appulêre tonsores, barbam plerosque quotidie rasitauisse compertum est, & de Africano atque Augusto prodidit Plinius. Fuitque animaduersum ante Hadrianum Cæsarem Imperatores omnes barbam rasitauisse, vt Lipsius ex Xiphilino obseruauit. Alexander Magnus barbam militibus radi iussit, ne hostili prædæ ansam darent. De eo-

Athen. lib. 13. c. 4. Item Græci. Contra ij dem aliter in luctu. Plutarch. probl. c. 13. Liu. 3. dec. lib. 7. Front Stratag l. 4. c. 5. dem Athenæus: *Tradunt Alexandri temporibus radenda barbæ morem fuisse primùm excogitatum, antea inusitatum, quandò ille luxu Persico fractus atque euiratus, Macedanicam grauitatem prorsus exuisset.* Cùm autem hi lugerent, barbam summittebant. *Apud Græcos*, inquit Plutarchus, *si quid aduersi acciderit, vt mulieres tonderi, sic viri comas alere consueuerunt.* Liuius de M. Lucio: *Erat*, inquit, *veste obsoleta, capillaque & barba promissa, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominiæ acceptæ.* Varro ille, qui cladis Cannensis caussa fuit, post eam *barbam capillumque submisit*, vt scribit Iulius Frontinus. Rei

VESTIARIVM. quoque ad squalorem comparandum barbam non resecabant. Hinc Martialis:

Rei ottam. Mar. lib. 4. epist. 36. *Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.*

Gen. 41. Sic, *eductum de carcere Ioseph totonderunt*, inquit sacer textus. His de variarum nationum vario ritu, velut in antecessum dictis, ad Clericos Monachosque veniamus.

Baron. anno Christi 58. nu. 140. Monachi & Clerici Orientales barba promittebant. Clem. Alexandrin. in Pædag. lib. 3. c. 3. Niceph. lib. 2. c. 37. Apostoli. Notandum ex Illustrissimo Baronio, nunquam in Orientali Ecclesiâ barbâ rasos inueniri Monachos vel clericos: secus verò in Occidentali. Et quidem de Oriente satis constat ex Pædagogo Christiano, B qui barbam forficibus tantùm, non nouaculæ subiecit. Et Apostoli passim barbati depingi solent. De B. Petro Apostolorum principe Nicephorus ait: *Capilli & capitis & barbæ crispi, & densi, sed non admodum prominentes fuere.* Similiter de Coapostulo eius Paulo: *Barba densior & satis promissa, eaq; non minus, quàm capitis coma canis erat respersa.*

Ipse Christus. Isaiæ 50. 6. Christum verò Dominum, non omninò attonsâ barbâ fuisse, ex Isaiâ probari potest, qui sub eiusdem personâ ait: *Cor meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* C De cuius barbâ præfatus Nicephorus:

Nicephor. lib. 1. cap. 40. Et alij passim. Isidor. Pel. lib. 1. epist. 220. Rad. Virid. part. 1. *Barba capillus flauus, non admodum demissus.* Monachos autem in Orientalibus plagis prolixam gestasse barbam, testis est Isidorus Pelusiota, dicens: *Religiosæ vitæ certum argumentum haud est, Fratres, pally ac promissæ barbæ ostentatio.* Raderus in Viridario ex Græcorū Menæis scribit, Chrysostomum *mento fuisse pusillo & angustissimo; eonis efflorescente.* Basilium verò *barba fuisse decenter promissa, canisque aspersa.* Gregorium deinde Nazianzenum *barba admodum promissa,* D *sed recta & densa.* Hæc ibi.

In Africa radebantur. Carthag. 4. can 44. At non videtur hoc in Africanâ Ecclesiâ seruatum. In Concilio enim Carthaginensi 4. ita sancitur: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam,* vbi quædam exemplaria addunt; *sed radat, vel tondeat.* Canon autem hic editus videtur propter Euchitarum & Massalianorum hæreticorum sectas. Hi enim negantes operandum manibus, intonsi prolixam comam ac barbam alebant. Muliebrem comam circumferen- E tes vagari consueuisse, testatur Epipha-

Epiphan. hæres. 80. August. de opere Monach. c. 31. nius. S. Augustinus eos facetè depingens, inter alia hæc scribit: *Et hoc quo pertinet, quæso, tam apertè contra præcepta Apostoli conari? an ita vacandum est, vt nec tonsores operentur? An quia Euangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint?* Ex his satis euidenter conuinci potest, S. Augustinum reliquosque Africanæ

Clerici & Monachi. Ecclesiæ non tantùm Clericos, sed etiam Monachos, prolixam barbam gestare non cōsueuisse. Nam in Africanâ Ecclesiâ Monachismus in Clerum tunc adscitus erat, A nomenque cum Clericis commune habebat, vt ex *l. 32. Cod. de Episc. & Clericis*, probat Baronius. Baron. ann. 398. nu. 74.

De Occidentalibus verò apertum est Gregorij VII. testimonium: *Occidentalis Ecclesiæ Clerus*, inquit, *ab ipsis Ecclesiæ Christianæ primordijs, barbam radendi morem tenuit.* Cur autem diuersa in his esset agendi ratio, caussam assignat Baronius, quòd in Oriente tam Iudæi quàm Græci barbati incederent, idemque Christianos inter ipsos positos factitasse. In Occidente verò, & præsertim Romæ, cùm ij, qui maturioris erant ætatis, tamquam quoddam nobilitatis insigne (vt auctor est Agellius) radere barbam consueuissent, Christiani Romæ agentes, vt à ceteris non distarent, abrasâ incedebant barbâ. Romanorum autem consuetudinem imitatos esse ceteros orbis occidentalis fideles, facilè existimari potest. Nam Galliarum Sacerdotes barbâ tonsos fuisse, quidam colligunt ex Sidonio, qui de Germanico Cantillensi Episcopo ait: *Barba intro rugorum latebras mersis ad cutem secta forficibus.* Alij tamen negant hunc Germanicū fuisse Episcopum. Quin imò, inquit Spondanus, ætate Sidonij Sacerdotes Galliarum barbam promittere consueuisse, manifestum faciunt ex aliâ eiusdem epistolâ, quâ Maximi Palatini vitæ mutationem describens, ait eum Sacerdotem factum, comâ breui, *barbâ prolixâ* incedere cœpisse. Fuisseque etiam hunc Cleri totius Occidentalis cultum, patere ex Concilij Carthaginiensis IV. canone 44. quo præcipitur, *vt Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*; prout legunt MSS. codices. Ita Spondanus.

In Occidente barbam pascebant. Greg. 7. lib. 8. Regist. Epist. 10. Anno Christi 58. Ratio huius diuersitatis. Agell. lib. 3. cap. 4. Sidon. lib. 4. Epist. 13. Dubium, an Gallicanus Clerus olim rasus fit. Spondan. ad Baron. ann. 58. Sidon. lib. 4. epist. 24.

Porrò inter Clericos Monachosque hęc fuit differentia, quod illi barbam tondere tantùm, hi verò ad cutem vsque radere soliti fuerint. De Clericorum barbitonsura exactè probat Antonius Caracciolus in Synopsi veterum religiosorum rituum, siue notis ad constitutiones Patrum Theatinorum. Barbam verò cute-tenus rasam ad Monachos pertinere, ex S. Paulino colligere licet, qui eos vocat *castâ informitate ad cutem cæsos & prærasos.* Itemque ex Eliâ Cretensi, Nazianzeni Scholiaste, qui exponens quomodo Gregorius dicat, Patris sui humilitatem nō sitam in colli depressione, aut vocis demissione, aut vultus inclinatione, aut promissâ barbâ, aut capitis ad cutē vsque rasi exornatione. *Per exornationem in cute*, inquit, *profundam tonsuram, atque ad pellem vsque accedentem intelligit, ita vt ipsam attingat. Ea quippe Monachis decus atque ornamētum est.* Hęc ille. Quæ quidem (vt ingenuè fatear) non perinde conuincunt de barbæ rasurâ accipienda, vt Caracciolus voluit; quamuis

Monachi ad cutem rasi, Clerici tantùm tonsi. Caracc. par. 2. cap. 2. Epist. 7. Cretensis in Orat. 19. Nazianz. Locus Nazianzeni explicatus.

quamuis eo spectare videantur: Et ipsam Nazianzeni barbã iam audiuimus rectam fuisse, & densam. Neutiquam tamen inficias ierim, rasos olim potiùs, quàm tonsos Monachos.

Qualis S. Benedicti barba. Comment. in cap. 17. pag. 187.

Iam verò qualis S. BENEDICTO fuerit barba, pluribus explicuimus in Commentario ad vitam, vbi eam rasam fuisse ostendimus, aut forfice detonsam.

DISQVISITIO IV.

Quid tonsa Corona mysticè designet?

Monastica tonsura moralem facit.

VT se suaque omnia in Deum referre discant Monachi, non incongruè moralem significationem, quam ipso corporis exprimũt cultu, in considerationem adhibebunt. Monastica sanè tonsura, prout etiam Clericalis, plures habet allegoricas interpretationes.

I. Spineæ coronæ, quæ Christi capiti redimita. Beda lib. 5. Ecclesiast. histor. Gentis Anglor. c. 22.

PRIMA sit iugis recordatio illius spineæ coronæ, quam milites plectentes, capiti Christi per ludibrium imposuerunt, quam rationem pluribus eleganter exponit Venerabilis Beda: *Neque verò*, inquit, *ob id tantùm caput in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summâ videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia, quæ per mortem sui viuificatoris ecclesia facta est, signum sanctæ crucis eius in fronte portare consueuit, vt crebro vexilli huius munimine à malignorum spirituum defendatur incursibus, crebrâ huius admonitione doceatur, se quoque carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigere debere: ita etiam oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus se necesse habent pro Domino continentiæ frenis astringere, formam quoque coronæ, quam ipse in passione suâ spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret, & auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre: vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo suffere, ipso etiam frontispicio doceant: Vt coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper exspectare, proque huius perceptione & aduersa se mundi, & prospera contemnere designent.* Hactenus Beda.

Et vt eius exemplo opprobria patienter feramus.

II. Sacerdotij, & regni. Isidor. de Eccles. off. lib. 2. cap. 4.

SECVNDA ratio sit, quam tradit Isidorus his verbis: *Quod verò detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur; sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta, rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsâ. Corona autem, latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, vt impleatur etiam quadam corporis similitudine, quod scriptum est Petro Apostolo perdocente: Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Hæc Isidorus. Quem planiùs explicat Honorius Augustodunensis, dicens: *Pars capitis rasa, est signum sacerdotale, pars crinibus comata, signum regale. Raso pars tiaram, circulus crinium refert coronam. Christus enim Rex & Sacerdos fecit nos sibi & Sacerdotes & reges.* Similiter Iuo Carnotensis: *Ad hoc enim capillos in modum coronæ in summitate capitis radimus, vt & regnum spirituale, quo ceteris præeminetis, tali figurâ ostendatis.* Quæ etsi ad Clericos maximè spectare videantur, optimè tamen & Monachis conueniunt. Nam dum seipsos offerunt Deo hostiam viuam, & beneplacentem, in odorem suauitatis, spirituali funguntur sacerdotio. Dum verò omnes sensuum & animi motus regunt, an non regiam quandam maiestatem accipiunt? nimirùm:

VESTIARIVM. Honor. Gemma Animæ lib. 1. cap. 193. Iuo serm. de excell. sacror Ordin. Optimè conuenit Monachis.

——— *Rex maximus ille est,*
Qui poterit Rex esse sui.

Claud. Paneg. Theod.

Et:

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire potest.

Verè siquidem dixit Venerabilis Beda: *Pios homines magnos reges esse, quia tẽtationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Magnus etiam Chrysostomus audet Monachos non tantùm Regibus conferre, sed & anteferre; peculiari de hoc argumento edito tractatu.

Beda lib. 5. in Luc. cap. 19. Lib. de cõpar. Reg. & Monachi.

III. Tonsurâ designatur vitæ immaculata. Dionys. de Eccl. Hierarc. par. 3.

TERTIAM rationem assignat Dionysius Areopagita: *Tonsura, inquit, crinium, vitam mundissimam indicat, & nulla figura fucatam, & quæ nullis fictis coloribus inductis animi deformitatem exornet: sed ipsa in seipso non humanis venustatibus, sed singularibus & vnicis, ad Dei exactissimam similitudinem properet.*

IV. Nouitas vitæ. Isid. vbi supra.

QVARTA ratio præcedenti affinis, ab Isidoro tradita est: *Tonsura, ait, signum quoddam est, quod in corpore figuratur, & in animâ agitur: scilicet vt hoc signo & religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur; atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus enitescamus, exspoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis, induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei: quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare.* Non dissimiliter Honorius Augustodunensis: *Per caput, principale animæ, scilicet mens denotatur, quæ sicut caput capillis, ita cogitationibus perornatur. Quæ nouacula timoris Dei debet à superfluis cogitationibus radi, vt nudâ facie* cordis

Honor. Augustod. Gem. Ani. lib. cap. 195. Cogitationum.

VESTIARIVM.

cordis valeat cælestia contemplari. Rotunditas autem, quæ remanet crinium, est ornatus virtutum. Capilli verò in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in concordiâ charitatis consummantur. Quamquam & per coronæ circulum, iuxta Amalarium, admoneamur ambulare in simplicitate cordis, nihil fucatè, nihil dupliciter agentes, vt sit Monachus iuxta versum Horatij:

Simplicitas cordis. Amal. lib. 2. de Eccles. offic. c. 5.

Fortis, & in seipso totus teres atque rotūdus.

cui versiculo Augustinus subiungit: *Et rectè: Nam neque in animo quidquam boni inuenies, quod sibi ex omni parte consentiat, quam virtutem: neque in planis figuris, quam circulum.*

August. lib. de quantit. Animæ.

V. *Pœnitentia.*

QVINTA ratio sit, testandi luctus caussa; abrasio siquidem capitis symbolum erat hominis lugentis, vt ex Scripturâ suprà probauimus. Vnde ex decreto Concilij Toletani publicè pœnitētibus Episcopus caput tondebat. Atqui Monachus (vt aliàs ex S. Hieronymo diximus) *plangentis habet officium.*

Tolet. 5. cap. 12.

VI. *Appulsus ad portum Religionis.*

SEXTA, Qui maris tempestatem euasissent, rasis capitibus vota Dijs persoluere consueuerant, vt auctor est Lucianus. De quo vsu etiam Pomponius Arbiter, his verbis: *Notauit sibi ad Lunam tonsorem intempestiuo inhærentem ministerio: execratusque omen, quod imitaretur naufragorum vltimum votum, in cubile reiectus est.* Quid autem hoc sæculum, nisi *mare magnum & spatiosum manibus*, in quo *reptilia, quorum non est numerus?* Quid autem Monasterium, nisi portus tranquillitatis? de quo verè Basilius: *Te portum tranquillitatis inueniunt, qui naufragium mundani fluctus euadunt.* In quo Monachi, vt Chrysostomus dixit, *soli & in summâ securitate residentes, velut ex cælo ipso ceterorum naufragia prospectant.* Quare optimè Vincentius Lerinensis de se aiebat: *Condidimus nos in portum Religionis, cunctis semper fidissimum, vbi & præsentis vitæ naufragia, & futuri sæculi incēdia vitare possemus.* Erepti igitur de procelloso sæculi pelago Monachi comam velut in sacrificium deponunt.

Lucian in Deor. Dialog. in fine.
Psal. 103.
Quid est Monasterium.
Basil. de laude Eremi.
Chrysost. lib. 3. de Sacerd.
Vincent. Lirin. in præf. lib. contra Nouat.

VII. *Sacrificiū, & suipsius immolatio.*

SEPTIMA. Solebant in sacrificijs summa pecudum capita radi. Auctor est Pineda, id significare Virgilium, vbi scripsit:

12. Æneid.

Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum.

Sumptum verò hoc ex Homero, cuius in sacrificio describendo hæc verba:

Homer. Iliad. 3.

Hic Rex Atrides cultrū, quem fortè ferebat;
Maioris gladij Vaginæ in parte repostum,
Eximit, & media Villos de fronte reuellit
Ambarum pecudum.

Atqui Monachus per professionem se Deo sacrificat, & in holocaustum offert. *Quia cùm quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sentit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Præcessit horum typus in Nazaræis veteris Testamenti, quibus completo die, quo Domino consecrabantur, Sacerdos caput radebat.

Greg. hom. 20. in Ezec.
Num. 6.

VIII. *Transitus in Domini familiam.*

OCTAVA ratio est, quàm his verbis explicat Laurentius Landtmeter: Vt nimirùm Clericus, aut Monachus, capilli resectione profiteatur se transire in familiam Domini. Consueuisse enim veteres ei capillum offerre, quem in parentem aut patronum eligebant, exemplo est Constantinus Pogonates, qui (vt refert Anastasius) eidem Benedicto misit *mallones*, siue cirros capillorum Iustiniani & Heraclij filiorum suorum. Quid enim hoc symbolo significare voluerit, ex Paulo Diacono datur intelligi, qui scribit, Carolum Principem Francorum, Pipinum filium suum direxisse ad Luitprandum, vt eius iuxta morem, capillum susciperet: *qui eius cæsariem incidens, ei pater effectus est.* Pius ergo Imperator mittens Benedicto Papæ mallones capillorum filiorum suorum, voluit testatum facere, desiderare se, vt Pontifex filijs suis esset in peculiarem parentem.

Landtm. de veter. Monach. habitu part. 1. cap. 7. l. 1.
Anastas. in vitâ Benedicti 2.
Capillum præscindere filialis obsequij signum.
Paul. Diac. lib. 6. c. 13. nouæ edit.

Est aliud eiusdem rei exemplum apud eundem Anastasium in historicâ præfatione ad octauam Synodum. Vbi referens admirabile studium Regis Bulgarorum erga Ecclesiam Romanam, scribit, quadam die manu propriâ capillos apprehendisse, ac cunctis videntibus legatis Sedis Apostolicæ tradidisse, dixisseque: *Omnes Principes, & cuncti Bulgarorum populi agnoscant ab hoc die me fore seruum, post Deum, B. Petri & eius vicarij.* Præscindere igitur capillum, signum fuit filialis obsequij; ac proinde Monachis congruentissimum. Vnde Aurelianus in Regulâ: *Si quis laicus tonsurandus est, de capillis illius in confessione mittatur: vt ei in testimonium sit,* Monasticæ scilicet professionis. Ex actis S. Guilielmi Gellonensis colliges barbam & comam depositam Deo consecrari: *Guilielmus Comes,* inquit scriptor, *auro textis depositis vestibus per Dei gratiam benedicitur, totus in eo sacer ordo perficitur; coma nobili, & barba venerabili deposita, & Deo consecrata.*

Bulgari regis in Rom. Eccles. deuotio.
Reg. Aurel. cap. 1.
Monachorum crines Deo consecrati.

Quid enim Monachus professionē emittens comamq; deponens, aliud facit, quàm vt cum Dauide Deo dicat: *Tuus sum ego?* Quemadmodum enim Isaias prædixit, Gentes de conuersione sibi gratulantes, se quasi seruos Deo mācipaturos; vnus enim dicet: *Domini ego sum,* nimirùm seruus, cui viuere & mori cupio. *Et hic scribet manu suâ: Domino.* Vel vt LXX. τοῦ θεοῦ εἰμι, *Dei sum.* Et Arabicus vertit. *Hic scribet, se è proprietate Domini;* puta se esse è familiâ Domini, se esse ex ijs, qui ad Dominum eiusq; famu-

Psal. 118.
Vt & ipsi se totos deuoueant.
Isai. 44.

famulitium pertinent; ita Religiosi ipsâ professione in Domini familiam transeunt, cuius obsequio se totos consecrant, & manu suâ scribunt, *Domino.* In cuius rei signũ S. BENEDICTVS prudentissimè decreuit, vt Nouitius *petitionem manu suâ scribat, aut certè si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat: & ille Nouitius signum faciat; & manu suâ eam super Altare ponat.* Imponi verò hanc scripturam vult altari, vt eo modo significetur Monachum se totum Deo consecrare, & in perpetuum sacrificium offerre, nec ab eius seruitute vnquam velle discedere. Quod subsequenti cærimonia magis etiam confirmatur, dum hanc sui oblationem à Deo suscipi rogat. Ita enim S. Pater statuit: *Quam* (scriptam professionem) *dum posuerit, incipiat ipse Nouitius mox hunc versum: Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum, & viuam; & non confundas me ab exspectatione meâ.* Atque hoc ritu Monachus transit in familiam Domini, quod ipsum capillorum abrasione quoque profitetur.

Id in professionis ritu à S. Benedicto expressum. Reg. c. 58.

Ibid.

IX. NONA. Morituri, vt Pineda obseruauit, comam deponere solent. Hinc Phædra manus sibi allatura, dixit:

Significatur mori Monachum similiter. Pined. in cap. 1. Iob v. 20. Seneca in Hypol. act. 5.

Placemus vmbras, capitis exuuias cape,
Laceraq; frontis accipe abscissam comam.

Et quidem existimasse videtur delusa antiquitas, eos, qui morti proximi essent, à Proserpinâ primum tonderi, & his quasi primitiis initiari Orco, sicque facilè corpore solui posse. Et hanc caussam assignat Virgilius, quare Dido difficilem haberet obitum, quod nimirum,

4. Æneid.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.

Sic Glauciæ mortem iam imminere apud Statium insinuatur, cùm ait:

Stat. lib. 2. Siluar.

Iam cõplexa manu crinem tenet infera Iuno.

Multò meliùs Monachi ciuiliter morituri crinem capitis deponunt, seque ipsos, tamquam vitem fructiferam putant, vt fructum plus adferant. Ad Monachos siquidem pertinet, quod S. Paulus dixit: *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

Coloss. 3.

X. POSTREMÒ, Amalarius Fortunatus pulchrè caussam reddit, cur sæpius coronæ tonsura renouanda. *Duæ,* inquit, *sunt partes animi, superior & inferior. Superior est mens, in quâ est agnitio Dei, illam radere debemus à superfluis cogitationibus, vt oculus intellectus nostri æterna possit intueri. Inferior verò pars habet capillos, id est, multifluas cogitationes, in quâ solemus de temporalibus sæpè cogitare. Superiorem partem capitis rasorio sæpè renouamus, cum forti solicitudine superfluas, temporariasque cogitationes de superiore parte animi resecamus. In inferiore parte coronam portamus, cùm ea, quæ secundùm mundum necessariò gubernare debemus, concorditer cum ratione æquamus. Hoc præuidendum est, vt ne ipsi capilli, id est, cura huius mundi superfluè crescant, ne aures cordis cooperiant, & oculos impediant, quæ solent sæpè suffocare verbum seminantis. Vnde Dominus dicit in Euangelio. Quòd autem cecidit in spinis, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis; & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.*

Ratio cur renouetur corona tonsura. Amal. lib. 2. de eccl. offic. c. 5.

VESTIARIVM.

Luc. 8.

Optimè ergò omnes tonsurâ insignitos clericali Iuo Carnotensis his verbis admonuit: *Curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, sic amputetis de corde; sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite. Residuos autem capillos eo ordine præcidere debetis, vt aures, oculos; & alios sensus capitis liberos reddant: & curam exteriorum non in superfluis desideriis carnis, sed necessariis tantùm exercendam agnoscant.* Ita ille.

Serm. de excell. sacror. Ord. *Pulchra monitio.*

Quæ quidem vel ideò adduximus, vt Religiosis meditationum loco subseruire possint, interim dum tondentur. Conuenit enim illo tempore silentium seruari, quod Cassinenses constitutionibus suis decreuerunt, prout etiam Carthusiani, & Clerici S. Pauli. Vt autem silente linguâ mens interim Deo loquatur, & sanctis intendat meditationibus, res est religioso homine dignissima. Optimè proinde monet Ioannes à Iesu Mariâ vt tondendus nullam impatientiæ tonsori ansam offerens, piè alicui meditationi incumbat. Consideratio verò apta, inquit, proposito sit, prout voles, modò modestiâ & silentio sit fulta. Boni religiosi in hisce occasionibus multos maximi meriti actus exercere solent, desiderantes vt tonsor eis alicuius patientiæ sit caussa, & vt martyrij coronæ, si occasio talis foret, hoc actu participes fierent.

Hæc meditentur Religiosi dum tondentur, & iubentur silere. Constit. Cassin. p. 1. cap. 12. Cleric. S. Pauli in off. Tons.

Ioan. à Iesu Ma. de discipl. claust. p. 1. cap. 19.

DISQVISITIO V.

Cuius rei symbolum sit tonsa Barba?

SI ex Capillorum tonsione, aut promissione (inquit Cardinalis Baronius) Paulus Apostolus hieroglyphicum significauit, cùm ad Corinthios scribens, ait: *Vir si comam nutriat, ignominia est illi, mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt:* Quis prohibeat ex barbæ tonsurâ mysterium itidem consignare? Id verò cùm in aliis ad externum Monachorum cultum spectantibus infrà ostensuri simus, operæ fuerit pretium nec hîc omittere.

Baron. ann. 58. n. 139.

1. Cor. 11.

Mysterium in barba tonsurâ.

1. PRIMÒ itaque, barba rasa puerilis simplicitatis atque innocentiæ nos admonet, vt exponit Honorius Augustodunensis:

Puerilis simplicitas & innocentia.

VESTIARIVM. Gemma animæ lib. 1. c. 195. *Barbam*, inquit, *radimus, quia imberbes pueros similamus, quos si humilitate imitabimur, Angelis, qui semper iuuenili ætate florent, æquabimur.* Refricat ergo barba rasa illam Christi Domini sententiam: *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et quod Apostolus monuit, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote. Sicut paruulus*, inquit Haimo, *mulierem non concupiscit, alienas diuitias non appetit, læsus non lædit, non aliud cogitat, aliud loquitur; & iratus non perpetuas tenet discordias: ita & nos, nisi talem habuerimus innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cælorum, quod hominibus & simplicibus est præparatum, intrare nunquam poterimus.* Cur autem non nisi reuersos in naturam paruulorum Christus dixerit introituros in cælestem Ierusalem, hæc caussa est, quod licet regnum illud longè sit amplissimum, portam tamen habet admodum paruam & angustam, de quâ idem Dominus dixit: *Contendite intrare per angustam portam.* Humilis autem hæc porta non capit excelsos, sublimes, elatos, & qui ambulant in mirabilibus super se, sed tantùm paruos in oculis suis.

Matth. 18. 3. — 1. Cor. 14. 20. — Haimo in cap. 18. Matth. — *Quæ in pueris imitanda.* — *Maximè humilitas.* — Matth. 7.

II. SECVNDÒ. Barba rasa vsque ad cutem, vultui virili (vt Clemens Alexandrinus ait) superinducere videtur faciem Eunuchinam: quod etsi ille improbet, tamquam indecorum, nihil tamen obstat, quominus in bonum quoque sensum accipi possit. Illud enim admonet nos Dominicæ vocis, *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* id est, perpetuam continentiam elegerunt, & vouerunt: quos Cassianus egregios ac laudabiles eunuchos vocat. De his itidem B. Hieronymus: *Grandis*, inquit, *fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino; & iuxta eundem Apostolum, esse sanctum & corpore, & spiritu. Hi sunt eunuchi, qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt apud Isaiam, quod pro filiis, & filiabus locum in cælis habeant paratum.* Hæc S. Hieronymus, & rursus: *Talem*, inquit, *fuisse eunuchum, quem Iesus amauit plurimum Ioannem Euangelistam, Ecclesiasticæ tradunt historiæ, qui recubuit super pectus Iesu: qui Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum; qui in secretâ diuinâ se notiuitatis immergens, ausus dicere, quod cuncta sæcula nesciebant: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,* &c.

Perpetua continentia. — Clem. lib. 3. Pædag. cap. 11. — Matth. 19. — Cassian. Collat. 22. cap 6. — Hieron. lib. 1. aduers. Iouin. cap. 7. — *Eunuchi Euangelici laudantur.* — Idem in Isaiæ 37. — Ioan. 13. & 21. — Ioan. 1.

III. TERTIÒ. Barbam, inquit Baronius, vnà cum capite radere, erat maximi omnium mœroris ac luctus hieroglyphicum: adeò vt hæc rectè Monachis conuenire, nullus iure negare possit: nimirùm si cùm à naturâ barba data sit homini ob decorem & gloriam: lugens ac mœrens, ac proinde Monachus, qui se perpetuo pœnitentiæ mancipauit ergastulo, ea etiam à naturâ sibi datâ velit carere gloriâ? Hæc Baronius.

Hieroglyphicum luctus. — Baron ann. 85. n. 139.

IIII. QVARTÒ. Vti coma & barba libertatis est indicium, ita vtriusque resectio seruitutis est symbolum. Vnde Dominus per Isaiam prædicens seruitutem, in quam à Chaldæis redigendi erant Iudæi, ait: *In die illâ radet Dominus in nouacula: conductâ in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Serui enim olim tondebantur. vnde Aristophanes ait: *Seruus cùm sis, comam nutris?* & Pomponius Lætus de triumpho Diocletiani: *Consuetudinis*, ait, *fuit liberatos in cat ... currum triumphantis sequi abraso capite, in argumentum præcedentis seruitutis.* Sic Titi Flaminij, qui de Macedoniâ triumphauit, currum duo millia Romanorum captiuorum, quos libertate donauerat, capitibus rasis sequebantur. Ob hanc quoque caussam Monachi barbam radunt, vt se perpetuos & voluntarios Dei seruos profiteantur. Quæ tamen seruitus nullam eis adfert ignominiam, sed maximam omninò gloriam: Seruire enim Deo, regnare est.

Ingenuitatis symbolum — Isaiæ 7. 20. — *Serui olim tondebantur.* — Aristoph. in auib. — *Monachi serui Dei.*

V. QVINTÒ. Vt Ioannes Pineda annotauit, Barbam rasisse signum erat militare volentis, hinc ille dixit.

Si quem recisâ fortè barba videris,
Mihi videtur militare velle.

Abantes quoque naturâ pugnaces, & cominus pugnandi periti, anteriorem capitis partem tondebant, ne vllas hostibus ad capiendum ansas darent; ob eandemque rem suis ducibus vt barbas raderent, imperauit Alexander, vt scribit Plutarchus. Id verò in Monachos vel maximè quadrat, qui spiritualem militiam aggressi sunt, & cingulo velut militari baltheo exornantur. Etsi autem omnes Christiani militare sub Christi vexillis dicantur, multò tamen specialius Religiosi, vtpote tribus votis, velut triplici sacramento, huic militiæ spirituali addicti, & adstricti: cuius militiæ arma, secundùm eundem Apostolum, *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, ad destruenda consilia, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei*, ad captiuandum *omnem intellectum in obsequium Christi*, quod præcipuè fit per obedientiæ votum, & exercitium. Quam ob caussam monachi à Græcis patribus vocantur ἀσκηταί, id est, pugiles, seu exercitatores, vt alibi expensum: eò quòd tota eorum exercitatio, & conuersatio velut quædam virtutum palæstra esse debeat, cùm alij homines exerceantur

Milites barbam ponebant. — Pined in 1. Iob v. 20. Alexis. — Plutarch. in Thes. — *Monachi spirituales milites.* — 2. Corinth. 10. — *Ex merito dicti Ascetæ.* — Basil de vit. solit. & epist. 63. Lib. 3. tract. disq. 3.

ceantur in bello, in mercaturâ, in caussis A forensibus, &c. Hi ergò spiritales milites cum mundo, carne, & diabolo luctaturi barbam radunt, ne habeant vnde possint apprehendi.

Aliqui contrà sentiant.

Sed multi comptuli & barbatuli hæc ægrè admittent, indecorum esse arbitrantes, barbam amputare, & Ouidianum illud inclamabunt:

Ouid. lib. 3. Metam.

——— *turpis sine frondibus arbos,*
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est.
Barba viros hirtaq́; decent in corpore setæ.

Diluuntur omnia. An. Christi 58. n. 119.

Ad hæc dicent ex gentilium scriptorum B auctoritate, barbam virtutis esse hieroglyphicum: sed reponit Baronius, cur apud eosdem Apollo, Saturnus, & Bacchus, imberbes esse finguntur? hi enim, vt Tertullianus insinuat, imberbes depingi solent, vt etiam ex diuersis numismatibus Goltzij est animaduertere. Verùm, vt Christianis satisfaciamus, non indecorum est Monacho pro Christo capite suo turpem videri, & stultum etiam cum S. Paulo fieri propter Christum. De his verò optimè dixit S. Paulinus: *Ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti sunt, & honorabiliter despicabiles,* C *cùm ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, vt fiant pudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honesti mentibus.* Nec minùs eleganter Ambrosius: *Hac quæ corporeo aspectu fiunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione reuerenda sunt: vt qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos reprehensionis animas suas inducant.*

Monachi decenter inculti. Paulin. ep. 7. ad Seuerum. Ambrof. lib. 3. Epistolarum Epistolæ 30. ad Sabinum.

Frustra fiunt sectarij irrisores. 2. Reg. 6.

Neque erubescendum est, si subsannent nos hæretici, cùm sciamus Michol denudatum & saltantem Dauid irridentem sterilitatis damnatam, nullam habuisse poste- D ritatis suæ meritorumque successionem. Paruuli quoque pueri Eliseo illudentes, & dicentes: *Ascende Calue, ascende Calue, ab vrsis lacerati sunt.* Et verò videant viri illusores, ne subsannando Monachos, se de eorum numero constituant, qui tandem, sed serò nimis dicent: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Ipsi verò Monachi nec cultus vilitatem, quam vltro elegerunt horrere, nec sectariorum curare debent infectationes, cum Paulo dicentes: *Spe-* E *ctaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Itemque: *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema.*

4. Reg. 2. 23. Sap. 5. 3. Nec curare debent Monachi. 1. ad Corinth. 4. 12. Ibid.

VESTIARIUM.

DISQVISITIO VI.

An Sanctimonialibus crines detonsi?

Olim sacræ Virgines tonsæ.

LICEAT enim in hoc vestiario, BENEDICTO adiungere Scholasticam, Monachis Sanctimoniales; quas ille per se, suosque instituit & direxit. Antiquissimum autem est Virginibus sacris, quæ Deo consecrantur, crines resecare: quòd item Vestalibus factum, Lipsius colligit ex Plinio, cuius hæc verba: *Antiquior est lotos, quæ capillata dicitur, quoniam Virginum Vestalium ad eam crinis defertur.* Semel igitur tonsæ, ait Lipsius, atque in ingressu, fortasse: & capillum hunc Deæ Vestæ suspendebant. De Monialibus asserit Hieronymus: *Moris est in Ægypti & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculum conculcarint,* CRINEM *monasteriorum matribus offerant desecandum.* Athanasius virginem sacram instruens: *Materia,* inquit, *vestium non sit pretiosa, capilli circumtonsi.* Concilium Nicænum, iuxta editionem Alfonsi Pisani, Monachis atque Monialibus imperat, *vt tondeant caput in modum coronæ.* Prisco hoc ritu attonsas fuisse, Sanctimoniales Pachomianas, ex Palladio discimus, qui ait: *Virginum erat eiusmodi habitus, vt essent tonsæ, & haberent cucullos in capite.* Aldhelmus Episcopus: *Cœnobitalis militiæ tirocinium non muliebriter quæsitura beata Eugenia rasis cincinnorum criniculis, sub tonsurâ masculini sexus, sanctorum cœtibus aggregatur.* Vbi cùm dicit, *sub tonsurâ masculini sexus,* supponit & alterius sexus tonsuram; quæ sanè luculentiùs eruitur ex Zonarâ in Synodum Trullanam scribente: *Mulieres, antequam tondeantur, splendido vestium apparatu ad altare fisti, illisque exui antequam monasticis induantur, Canon damnat.* Balsamon ad eumdem Canonem: *Eam, quæ tondenda est, instar Sponsæ sumptuosis & splendidis vestibus auro ac gemmis variatis, in ipso ferè tonsuræ tempore induunt, & eam sic exornatam in templum introducunt: cùm autem instet tonsuræ tempus, sumptuosam illam vestem Sponsæ exuunt, & illam nigris vestimentis induunt. Ne autem hoc fieret, sancta prohibuit Synodus, vt quod & ad mundi cupiditatem excitet, & à videntibus damnetur.* Sic ille. Qui *tonderi,* & in monasterium admitti, pro synonymis vsurpat. Vide eumdem in Photij Nomocanonem.

Plin. lib. 16. cap. 44. Lipsi. de Vestal. cap. 12. Hieron. epist. 48 ad Sabin. Moniales Ægyptiæ. Athan. lib. de vec. Virg. Nic. can. 66. Pachomianæ. Lausiac. cap 41. Aldhelm. de laud. Virgini. Et aliæ passim apud Græcos. Zon. in can. 45. Tit. 1. cap. 1.

Nouatores impugnant hanc tonsuram. 1. Cor. 11.

Sed enim Paulus ait: *Turpe est mulieri tonderi, aut decaluari.* Ex his Apostoli verbis oppugnant sectarij morem Ecclesiæ Catholicæ, in quâ virgines Religionem monasticam profitentes raduntur capite. Contendunt enim morem huiusmodi tam aposto-

VESTIARIVM.

apostolico præcepto, quàm ipsi naturæ contrarium esse. Nam à naturâ sumit Apostolus argumentum, tam hoc loco, quàm infrà, cùm dicit ipsam naturam nos docere, quòd si mulier comam nutriat, sit ei gloria: propterea quod capilli pro velamine ei dati sint. Respondet Estius, morem hunc Ecclesiæ & laudabilem esse, & cum Apostoli doctrinâ minimè pugnare, qui loquitur de sexu muliebri in genere; non præiudicans personis particularibus, quibus ob aliquam caussam vel necessitatis, vel religionis, aliamve similem, conueniat capillorum amputatio. Nam ob valetudinem id licere certum est. Meritò quoque laudatur factum cuiusdam Christianæ virginis: quæ sicuti refert Isidorus Pelusiota, cùm sciret adolescentem quemdam suam deperire formam; vt illum eâ cupidine liberaret, caput suum cute tenus abrasit, ac talem se ei spectandam obtulit. Quo deformi aspectu mox in illo concupiscentiæ flamma exstincta est. Cur non igitur etiam Religionis causâ, citra apostolici præcepti iniuriam, sacræ virgines comam suam deponant, vt omnem huius sæculi ornatum abiicere, & contemnere se, eâ velut cærimoniâ profiteantur? Neque verò id honestati naturali adeò repugnat, quando non nudo, sed velato capite incedit mulier, vt Sanctimoniales nocte dieque faciunt. Sanè & mulieres Nazareæ in veteri lege ex Domini præscripto tondebantur. Et demus hîc aliquid inesse turpitudinis, etenim vt Cyprianus ait, *Est & Venus calua multò hîc turpior, quàm apud Homerum vulnerata.* Et Apuleius: *Tanta est capillamenti dignitas, vt quãuis auro, veste, gemmis, omniq; cetero mũdo ornata mulier incedat: tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri.* Hinc & ignominiæ causâ Christianæ mulieres à tyrannis sæpius rasæ, vt probant acta S. Charitinis, & Fausta virgo ab Euilasio legitur decaluata. Verùm, vt benè Baronius: Tam apud Gentiles, quàm etiam Christianos, probauit vsus, vt quæ opinione hominum viderentur contemptibilia ac ludicra, si religionis causâ fierent, non tantùm honesta ac digna, verùm etiam sacrosancta haberentur, vt S. Ambrosius pluribus disputat epist. 30. ad Sabin. lib. 6.

Ellios in 1. Cor. 11. v. 6. — *Soluuntur ipsorum argumenta.* — *Isid. Pelus. lib. 2. epist. 53.* — *Virgo tonsa vincit protervum.* — *Non repugnat naturæ, si mulier tondeatur.* — *Num. 6.* — *Cyprian. lib. de idol. vanit.* — *Apul. lib. 2. de Asin. aur.* — *Licet Gentiles ita senserint, & Christianas ad ignominium raserint.* — *Apud Sur. 5. Octob.* — *Baron. in not. Martyrol. 20. Septemb.*

Obiicitur & canon 17. Gangrensis Concilij: *Quæcumque mulier, religioni indicans conuenire, comam sibi amputauerit quam Deus ad velamen eius ad memoriam subiectionis illi dedit; tamquam resoluens ius subiectionis, anathema sit.* Verùm canon hic non in sacratas Deo virgines, sed in hæreticas quasdam mulieres, quæ viris suis relictis, simulatione pietatis caput tondebant, & virilem habitum sumebant, sententiam anathematis tulit. Quod ex Sozomeno colligi datur.

Alia obiectio. — *Diluitur.* — *Sozom. lib. 3. hist. eccl. cap. 13.*

Atque hæc de Sanctimonialium tonsurâ, quæ tamen non vbique vniformiter recepta. Nam ecce tibi Augustinianas, quibus suum magnus ille Pater librum de S. Virginitate scripsit, capillis non prorsus nudatas. Sic enim scribit: *Nec de his ago, in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiore vestitu quam tanta professionis necessitas postulat, aut capitis ligamento notabili: siue pro tumidis vmbonibus capillorum, siue tegminibus ita teneris vtuntur, vt retiola subtus posita appareant.* Idemque in Regulâ: *Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Capillos ex nullâ parte nudos habeatis, nec foris, vel spargat negligentia, vel componat industria.* Vbi vides duo in crinibus vetari, & quod foris apparerent, & quòd in tutulum, siue vt Augustinus vocat, *tumidos vmbones*, assurgerent; constat enim ex Varrone & Festo, *Tutulos* veteribus dictos fuisse matronarum capillos ad verticem capitis conuolutos, & in altum aggestos, quod *suggestum comæ* cum Statio quis dixerit. Hinc Belgicum nostrum tuyte, vel tuyt. Optatus quoque Mileuitanus idem satis probat. De Virginibus enim sacris agens, *Spiritali*, inquit, *sponso soluerant crinem, iam cælestes celebrauerant nuptias.* Erant enim crines sparsi & soluti ad instar sponsarum: cùm autem Donatistæ Catholicas Virgines in suas partes allectas pœnitentiâ impositâ denuo consecrarent, obiicit illis: *Inuenistis igitur huiusmodi Virgines, quæ iam spiritaliter nupserant, quasi secundas coegistis ad nuptias; vt crines iterum soluerent, imperastis.* Et verò Romæ etiam non detonsos Virginum capillos, ex Hieronymo discas, qui scribit Virginem quandam in Apostoli Petri Basilicâ Christi flammeo consecratam, cùm posteà Bethleem venisset, *crinem, quem Christo messuerat in speluncâ*, amatori Sabiniano dedisse.

Moniales Augustinianæ non erant tonsæ. — *August. de S Virg. cap. 34.* — *Epist. 109.* — *Augustinus in hunc rem explicatus.* — *Optat. lib. 6.* — *Hieron. epist. 48. ad Sabin.*

Sed vt in Galliam migremus, & ibidem crinitas inueniemus Moniales, & ad certam mensuram restrictos earum tutulos. Ita enim Cæsarius Arelatensis: *Capita numquam altiori ligent quàm in hunc locum mensura de incausto fecimus.* Ad quem locum Franc. Meinardus Antecessor Pictauensis: Iubentur, inquit, Sanctimoniales hoc Regulæ præcepto religare caput ac crines ad certam altitudinis mensuram, quæ *incausto*, id est, atramento in pariete, vel alio loco præscripta ac deformata erat, ne si caput altiùs ædificent more sæcularium fæminarum, turrito capite ac comâ vanam gloriam aucupari videantur. Sic ille: qui conie-

Gallicanæ etiam crinita. — *Cæsar. in recapitul. reg. Sanctim. nu. 7.* — *Ad certam mensuram comas religabant.*

Quæ in Donati Regulâ delineatur. Reg Donat. cap. 64.

coniecit iu pariete hanc menſuram deſignatam, ſed in ipsâ chartâ, aut pergameno, in quo Regula ſcripta, delineatam fuiſſe, docet Regulâ Donati Veſontini Epiſcopi, quo ipſa Cæſarij verba repræſentans, hanc exhibuit figuram.

Aliæ probationes pro earundem capillitio. Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 10. c. 15. Liptin. can. 6.

Ex Gregorio quoque Turonenſi colligitur, Monialium in Galliâ crinem non fuiſſe reſectum. Scribit enim neſarios homines Iuſtinam Præpoſitam Monaſterij Pictauenſis, *excuſſis linteaminibus, à capite ſolutâ cæſarie* traxiſſe ad S. Hilarij baſilicam. Idipſum ex eo confirmatur, quòd in Liptinenſi concilio ſtaturum ſit, vt *Nonna velata*, quæ in fornicationem inciderint, in carcerem mittantur, *& radantur omnes capilli capitis earum*. Sed & Ambroſius virgini lapſæ nonniſi poſt peccatum capillos vult deſecari: *Amputentur*, inquit, *crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt.*

Ambroſ. ad virg. Lapſ. cap. 8.

DISQVISITIO VII.

Quàm varium Sanctimonialium velum?

Mulieres vbiq; gentium velatæ. Baro. Not. in Martyrol. 7. Maij. 1. Cor 11. Clem. Alex. Pædag. lib. 3. cap. 11. *Chriſtianæ iuſſu Apoſtolico.*

OMNIVM pænè gentium conſuetudine olim etiam ante Chriſti incarnationem receptiſſimum fuit, feminarum capita velo contegi, quod quidem de Iudæis, Romanis, Græcis, & Barbaris, ex variis ſcriptoribus probat Baronius. S. autem Paulus expreſsè Chriſtianis mulieribus interdicit, non *velato capite* orare. In quem locum Pædagogus Chriſtianus: *Mulier ſemper tecta ſit, niſi fuerit domi. Ipſa enim numquam labetur, ſi & verecundiam & veſtes ante oculos poſuerit: nec ad peccati lapſum alium prouocabit, dum vultum ſuum operit. Hoc enim Verbum requirit, quandoquidem conuenit eam tectam orare. Oportet autem tales in totâ vitâ & videri & effingi eos, qui Chriſto initiantur, quales ſe in eccleſiis ad grauitatem & honeſtatem componunt.* Verùm cum nonnullæ opponerent, nullam mentionem virginum ab Apoſtolo factam, vbi de velamine præfinit, ſed tantùm mulieres nominaras: hinc nata & data occaſio Tertulliano ſcribendi librum *de velandis virginibus*, quo neruosè probat omnes, non tantùm nuptas, ſed & innuptas, etiam ſæculares, non obſtante quâuis conſuetudine, velandas; rationes Apoſtoli omnibus mulieribus cõuenire. Adhæc, ipſos Corinthios ſic Paulum intellexiſſe, *& vſque hodie*, vt ait, *velare virgines ſuas.*

Quo Virgines ſe non includi malè putarunt.

Cap. 8.

Velum ſacrarũ virginum teſſera.

Quo minùs mirandum, ſi velum, ſacratarum Deo virginum teſſera & character, habitum ſemper fuerit; quod quidem, vt Baronius annotauit, non erat ipſis cum ceteris mulieribus commune, denſiori ſcilicet telà contextum, nullaque ex parte conſpicuum; de quo & Ambroſius: *Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vitta capiti decus; ſed ignobile velamen vſu: nobile caſtitatis, non exquiſita, ſed abdicata lenocinia pulchritudinis.* De eiuſmodi velaminis genere hęc & olim Tertullianus: *Vero, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm ſemetipsã: etiam feminarũ oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones & ſuſurros.* Illud etiam amplius habuit velamen ſacrarum virginum, quod à ſacerdote benedici conſueuit. Hinc Hieronymus ad Demetriadem: *Scio ad imprecationem Pontificis flammeum virginale ſanctum operire caput.* ſubinfert & verba nonnulla tunc temporis tum à ſacerdote, tum à virgine dici ſolita. Sic & Ambroſius, Deo ſacrandæ virginitatis ritum memorans, inter alia hæc de velamine: *Sacro*, inquit, *velamine tecta es.* Solemni enim ritu id fieri moris erat, & nonniſi certis diebus, vt Gelaſius monuit: & ad inſtar ſæcularium nuptiarum, magna erat celebritas velationis Deo dicandæ virginis. Auguſtinus Demetriadis nobiliſſimæ virginis dum meminit, poſt multa hæc adiunxit: *Velationis apophoretum gratiſſimè accepimus.* Aphoreta enim nonniſi in ſumptuoſiſſimis conuiniis, quæ poſt cœnam conuiuæ domum referrent, exhiberi conſueuerunt. Hæc Baronius. Innocentius I. *decernit*, eas, *quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licet* VELATÆ *non ſint, ſi fortè nupſerint, his agendam aliquanto tempore pænitentiam, quia ſponſio earum à Deo tenebatur.* Auguſtinus de ſuis: *Ipſam præpoſitam quæ vos ſuſcepit, inueniſtis; ſub illâ eſtis eruditæ, ſub illâ* VELATÆ, *ſub illâ multiplicatæ.* In Africâ proindè etiam velatæ, quamuis Optatus Mileuitanus ſcribat vſas Mitellis, tamquam profeſſionis ſuæ indiciis. Erant hæ *Mitrellæ*, ſiue *Mitellæ*, exponente Baronio, non quidem pretioſa illa ac ſplendida capitis ornamenta, qualia Iudith, de quâ Scriptura: *Colligauit cincinnos ſuos mitrâ*: ſed potiùs ſimplex tegumentum, de quo Vlpianus agens de ſtolâ, palliis, & mitris: *Quæ*, inquit, *magis tegendi capitis, quàm ornandi cauſâ ſunt comparatæ.* Et Apuleius: *Mitella*, inquit, *textili contexto capite.*

VESTIARIVM Baron. ad annum Chriſti 57. num 89. *Quale illud fuerit.* Ambroſ. aduerſ. Symmach. Epiſt. 12. edit Rom. tom. 5. Tertull. de virg. veland. c. 15.

Solemni ritu benedicebatur.

Hieron. epiſt 8.

Ambroſ. ad virg. lapſ.

Gelaſ. ad Epiſc. Lucan. cap. 14.

Auguſtin. Epiſt. 179. in fine. *Data apophoreta.*

Innoc. I. epiſt. 2. ad Victric.

Auguſtin. epiſt. 109.

Africanarum virginum Mitella.

Optat. lib. 6. cont. Parmen. Baron ann. Chriſti 361. Iudith 16.

L. 23. ff de aur. & arg. legato.

Habemus igitur Sanctimonialium vela: inquiramus colorem. Eruere eum liceat ex *Flammeo*, quo Virginum hoc velum

De colore ſacri veli.

Hiero-

VESTIARIVM. Hieron. epist. 27.

Hieronymo mox appellatum. Et in Epitaphio Paulæ: *Nam nuptis Christi flammeo reseruatur*. Vbi scholium addit, *Flammeum* vocati indumentum flammei coloris, quo mulieres, præsertim virgines caput tegebant. *Flammeum* autem nonnulli interpretãtur velum rubrum, quo nuper nuptæ vti solebant, de quo vide Alexandrum ab Alexandro, & ibidem Tiraquellum. Fuerintne igitur rubra Monialium vela; hæret Suarez, aitque non oportere dici Monialium velum tempore Hieronymi rubeum fuisse: quia non est attendendum ad originem, seu etymologiam vocis, sed ad rem, ad quam significandam translata est. Quid tamen vetat propriè accipi? Nonne & Annunciatas virgines rubris cernimus indutas scapularibus? & de his ipsis velis, seu mitellis citatus Optatus: *Nec vlla sunt præcepta coniuncta, vel de quâ lanâ mitrella fieret, aut de quâ* PVRPVRA *pingeretur*. Expressius Toletanum X. *Vt autem deinceps nil denacetur in dubium, pallio* PVRPVREO, *vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ Religionis*. Et Franc. Meinardus ad verba S. Cæsarij: *Vestimenta cum purpurâ numquam in vsu habeant*, notat: Distinguendum inter vestimenta corporis, & vela capitis. Nam in vestimentis purpura prohibetur, in velis prohibita non videtur, saltem in Africâ & Hispaniâ; vt quasi regalis purpuræ coronamento Regis æterni sponsa denotetur. Quod expressè denotant Birgittinæ in suâ ex rubro panno coronâ. Sed in Romanâ Ecclesiâ frequentiori vsu niger in velis color receptus est.

Fuit vt plurimum rubeum. Alexand. dier. genial. lib. — Suar. to. 4. de relig. lib. 1. tract. 9. c. 11. n. 9. — *In Africâ & Hispaniâ purpureum.* Optat. suprà. — Tolet. 10. can. 4. — Mein. ad recapit. reg. S. Cæsar. cap. 7. *Cæsarius pro eodem explicatus.* — *Niger in Romanâ Ecclesiâ.*

Ad clariorem autem horum distinctionem, notandum ex Palude, Siluestro, & Suare multiplex esse velum Monialium. *Primum* est probationis, seu receptionis, quod nouitiis à principio datur, & solet esse album; quamquam olim virgines, quæ essent Deo dicandæ, non velamine, sed pallio subinde caput tegebant. Hieronymus ad Gaudentium: *Solent quædam, cùm futuram virginem spoponderint, pullâ tunicâ eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina*. *Secundum* est velum professionis: nigrum nunc passim, olim etiam, vt vidimus, rubeum, purpureum. Datur hoc omnibus religionem profitentibus, tam virginibus, quàm viduis. *Tertium* est consecrationis velum, de quo Suarez: Solent Sanctimoniales solemniter cõsecrari nonnullis benedictionibus, & cæremoniis, quæ habentur in Pontificali Romano, & explicantur à S. Thomâ, Paludano, & Antonino. Velum ergo quod speciali benedictione tunc imponitur, dicitur velum consecrationis, quod plures habet prærogatiuas, vna est, quod solis virginibus dari potest, vt dicti auctores docent, & habetur expressè in *Cap. Deuotis*, vbi Gelasius Papa: *Viduas velare Pontificum nullus attentet*, quòd etiam habent concilia Triburiense c. 25. Rothomagense can. 9. Quæ quidem decreta tantùm agunt de velo consecrationis, nam viduæ Professionis capaces sunt. *Quartum* velum, vt Siluester appellat, est Ordinationis, quod datur anno 40. XXVII. q. 1. *Diaconissam*, quæ scilicet ideò sic dicitur, quia datur aliqua benedictio, ex quâ accipit officium inchoandi horas in choro, & legendi homiliam: quod aliis non licet. Vnde Episcopus dat ei ad tangendum Breuiarium, in quo sunt homiliæ de Euangeliis in matutinis: quod quidem adhuc seruatur post virginum consecrationem in eodem officio missæ; sed non consueuit dari velum in hoc, nec exspectari illa ætas: sed ex communi consuetudine hoc fit quando consecrantur & velantur. Hæc ille. *Quintum* est velum Prælationis, quod Abbatissis cum speciali benedictione dabatur, quamuis iam hoc non fit in vsu, nisi anteà non fuissent velatæ, vt est in Pontificali Romano. Porrò nec in Ordine Romano cùm Abbatissæ benedictio describitur, vlla veli mentio. *Sextum* addit Siluester *velum* continentiæ & obseruationis, quod est viduarum, & potest etiam dari virginibus.

Sex varia vela. Palud. in 4. dist. 38. Silu. v. consecrat. 11. — I. *Probationis, album.* — Hieron. epist. 12. — II. *Professionis, hodie nigrum.* — III. *Consecrationis.* Suarez vbi suprà. — S. Tho. in 4. d. 38. q. 1. Pal. ibid. q. 5. Anton. 3. p. tit. 2. c. 2. *Eius prærogatiua.* — 20. quæst. 1. — IV. *Ordinationis velum.* — V. *Prælationis.* — VI. *Continentiæ.*

Pro coronide in gratiam Sanctimonialium subnectamus breuiter mysticam veli interpretationem. Nam dum velantur virgines, orat pro eis Pontifex: *vt hoc quod per operimenta velaminum mysticè datur intelligi, Dei semper custodia corpore pariter & animo incontaminata custodiant*. PRIMÒ, Paulum audiamus: *Debet*, inquit, *mulier potestatem habere supra caput*. Cuius sensus est: debet potestatem, id est, signum potestatis viri, quod est velamen, habere super caput suum. Est enim metonymia, quâ signo tribuitur nomen rei significatæ. Vnde Tertullianus: *Ipsæ sunt quas subiectas esse oportet, propter quas potestas suprà caput haberi debet, velamen iugum illarum est*. Vnde in decreto scribitur: *Feminæ dum maritantur, ideò velantur, vt nouerint se semper maritis suis subditas esse & humiles*. Hoc si à terrenis, & carnalibus nuptiis transferamus, videbimus eâdem omnino caussâ velari sacras virgines, vt suo scilicet subiectæ sint Sponso. Et quisnam Sanctimonialium Sponsus, nisi ille de quo, ceu Paranymphus, Paulus ait: *Spondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo*? Cui subiectæ iugo, nisi illius, qui ait: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Hoc suaui iugo à viris quàm maximè seiuges,

Veli mystica expositio. — Pontific. Roman. de consecr. virg. — I. *Designat subiectionem.* 1. Cor. 11. — Tertull. de vel. virg. cap. 17. — 10. quæst. 5. c. 7. — *Virgines Christo sponso subdi conuenit.* 2. Cor. 11. — Matth. 11.

iuges, Iesu Christi sacræ virgines fiunt coniuges. A diuino hoc Magistro discuot velatæ non esse elatæ, sed mites, & humiles corde. Christo autem & tunc subditæ sunt, quando ijs, quæ Christi vices in monasterio agunt, superioribus, inquam, suis, humiliter obtemperant. Christi iugum suscipiunt, cum iugo Regulæ colla submittunt.

II. *Mundi cōtemptum.*

SECVNDÒ, velo designatur mundi contemptus, quem Monialis professa est. Quare in Pontificali Romano præscribitur, vt velanda decantet: *Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini nostri Iesu Christi, quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.* Et in ipsâ formâ impositionis veli dicitur: *Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris mundum contempsisse*, &c.

III. *Amorem Christi.*

TERTIÒ, designatur & ipso velamine, quòd casto amore Iesu Christo, tamquam sponso velit adhærere, & nihil aliud io consortium amoris admittere. Vnde in consecratione Virginum orat Episcopus: *In charitate ferueant, & nihil extra te diligant. Amore te timeant, amore tibi seruiant. In te habeant omnia, quem diligere appetunt super omnia.* Et iam velata, illa S. Agnetis iubetur verba caotare: *Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.*

IV. *Sensuum custodiam.*

Hieron. epist. 22.

QVARTÒ, denotat velum accuratam sensuum, & cum primis oculorum custodiam, cui etiam potissimùm seruit, dum à vago aspectu oculos arcet. Hieronymus Eustochio: *Excuses licet, atque causseris, obducto velamine ora contexi.* Et infrà: *Dimittunt supercilium; & opertâ facie, vix vnum oculum liberant ad videndum.* Honorius Augustodunensis: *Velum est signum pudoris, & futuri honoris.*

Gemma animæ l. 1. cap. 239.

V. *Cultum & imitationē B.V. Mariæ*

QVINTÒ, sanctimoniales velo suo profitentur se esse pedissequas, & quodammodò filias Beatissimæ Virginis & Dei Genitricis *Mariæ. Apud Iudæos* enim, vt scribit Tertullianus, *tam solemne est feminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur.* Vt proiode minimè ambigendum sit, quin & hoc Deipara gestarit, cum quo passim depingitur. Et Nicephorus iam olim scripsit: *Vestimentis, quæ ipsa* (Virgo Mater) *gestauit, coloris natiui contenta fuit: id quod etiamnum sanctum capitis eius* VELAMEN *ostendit.* Græcè μαφόριον: quod alij *mafortem*, siue *mauortem* vocant. Glossæ Isidori: *Mafortes, operimentum capitis mulierum.* In actis martyrij S. Pauli, sub Lini nomine, agitur de Plautillæ velamine, *Maphorte* dicto, Paulo exhibito. Acta SS. Faustæ & Euilasij, quorum fragmentum recitat Beda, hæc de *maforte*: *Iussit Faustam nudam, & sine maphorte flagellatam incarceratam, caput terebrari*, &c. Hierooymus Virgines quasdam laxiore vtentes *maforte* perstringit, his verbis: *Et per humeros hyacinthina lana mauorte volitans.* Sed humile fuit Deiparæ, vt vidimus, *maphorium*. Cuius imitatione & Moniales omnem in suo velo abijcere oportet vanitatem. Nam, vt Honorius Augustodunensis dixit: *Vestis & conuersatio Sanctimonialium à* S. MARIA *sumpsit exordium.* Et Isidorus Hispaleosis: *Virorum virginum caput est Christus: Feminarum Virginum caput est* MARIA. *Ipsa earum auctrix, ipsa mater nostri capitis, qui est virginis filius, & virginum sponsus. Inde agmina virorum & puellarum sanctarum, inde sectatores & sectatrices perpetuæ continentiæ pullulauerunt.* Agnouit idipsum Augustinus, qui Virginem Mariam *Deo dicatam* appellauit. *Ipsa quoque virginitas eius gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, iam* DEO DICATAM *de quâ nasceretur elegit.* Asseritque deinceps S. MARIAM viginitatē Deo vouisse, quod esset *exemplo sanctis futura virginibus. Ne putaretur*, inquit, *sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset*, VIRGINITATEM DEO DICAVIT, *cùm adhuc quid esset conceptura nesciret: vt in terreno mortalique corpore, cælestis vitæ imitatio* VOTO *fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi.* Hanc virginum reginam, quæ, vt Bernardus ait, *illibatam Deo corporis & spiritus sanctimoniam vouit*, Sanctimoniales sequuotor, & de eius imitatione velamine operiuntur. Orat proinde Pontifex in coosecratione virginum, vt maneant *semper incorruptæ, inuiolatæ, immaculatæ, sub vestimento* S. MARIÆ *matris Domini nostri Iesu Christi.* Et in benedictione veli dicitur, quòd operimenta velaminum propter Dei, *Deique genitricis B. Virginis* MARIÆ *amorem suis capitibus sint impositura.* Et velatis postea benedicens, ait: *Benedicat vos Deus Pater omnipotens, qui vos eligere dignatus est, ad B.* MARIÆ *Matris Domini nostri Iesu Christi consortium.*

Tertull. de coron. milit. c. 24.

Quo velū gestauit. Niceph. l. 2. cap. 23.

VESTIARIVM. *Maphoriū, maforte sunt mulierum vela.* In Martyrolog. 20. Septemb.

Hieron. epist. 22.

Gemmæ an. vbi suprà.

B. Maria Monialium princeps. Isid. l. 2. de eccl. off. cap. 17.

August. de S. Virginit. cap. 4.

Prima virginitatem vouit.

Bern. serm. sign. mag. *Virginibus proponitur imitanda.*

VESTIARIVM.

TRACTATVS X.

MYSTICA BENEDICTINI HABITVS EXPLICATIO.

Cærimoniæ vtiles.

Iuo serm. de reb. Eccles.



N *Ecclesiâ Deì non verbis tantùm, sed rebus quoque, externisque cærimonijs erudimur. Sacerdotum tam veteris quàm nouæ legis vestes eorumdem sunt non tantùm ornamenta, sed & documenta. Vnde Iuo Carnotensis, ornamenta corporis ait esse* virtutum insignia, quibus tamquam scripturis vtentes, admonentur quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere.

Vestium mystica explicatio mores informat.

Cassian. l. 1. cap 4.

Doroth. serm. 1.

Inter varias rationes, ob quas Monachis peculiarem amictum assignari diximus, non in postremis ea est, quæ vestem Monachorum pædagogum facit, & mysticis quibusdam significationibus ad virtutem, & pietatis studium tacitè velut admonet. Ità & Cassianus affirmauit: Esse quædam in ipso Ægyptiorum Monachorum habitu non tantùm ad curam corporis, quantùm ad morum formulam congruentia. *Et Sanctus Dorotheus*: Scire, *inquit*, oportet quid habitus ipse noster, seu vestimentorum forma significet, atque præmonstret; nosque ipsos ad eam formam, & modum componere, & more Patrum nostrorum viriliter, atque obnixè certare. *Vt autem eam, quam habitus noster in arcano sensu nos docet lectionem, probè intelligamus, & iuxta eius monitionem vitam instituamus, opportunum fuerit singularum hic vestium mysticam significationem proponere.* Primâ, *igitur disquisitione exponemus, Quæ Monastica vestis mystica significatio?* Secundâ, *Quid niger in eâ color designet?* Tertiâ, *An aliquis Nigrorum Monachorum in veteri lege typus?* Quartâ, *Quid Cuculla mysticè significet?* Quintâ, *Quid scapulare?* Sextâ, *Quæ Tunicæ mystica explicatio?* Septimâ, *Quid zona significet?* Octauâ, *Quid tibialia & calcei?*

DISQVISITIO I.

Quæ Monastica vestis mystica significatio?

Habitus monasticus memores nos facit,



RIVSQVAM singularum vestium expendamus mysteria, ea præmittimus, quæ ipsas generatim magis concernunt. Quid autem indumenta qualiacumque ea demum sint, nos admonent?

I. *Miseriarū, quas ob peccatum incurrimus.*

PRIMÒ. Per peccatum obnoxios nos factos frigori, alijsque corporis necessitatibus. Atque inde indictam nobis esse vestimentorum necessitatem. Postquam enim primus humani generis parens peccando innocentiæ originalis se veste spoliauit, nuditatem suam erubuit; cui tegendæ Deus ei fecit tunicam pelliceam. *Talibus*, inquit Origines, *oportebat indui peccatorem tunicis, quæ essent mortalitatis, quam primo peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Vestis igitur peccati stigma, eius, & mortis, quam per illud incurrimus, nos admonent. *Stipendia enim peccati mors.* Ideo enim vult Augustinus Protoplasti vestes ex mortuorum animalium

Origen. hom 6. in Leuit.

Rom. 6.

malinm pellibus factas, vt ei indicarent, reum se mortis per peccatum effectum. Idipsum verò Religiosus dum vestibus induitur, meditari potest.

II. Spiritualis indumenti variarum virtutum.

SECVNDÒ. Quemadmodum vestimentis vtimur ad arcendam aëris iniuriam,& corporis nuditatem tegendam; ita quoque spiritualiter admonemur animam non esse nudam derelinquendam; sed eam iustitiæ, & ceterarum virtutum ornamentis induendam. *Beatus*, inquit diuina scriptura, *qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* (*Apocal. 16.*) *Turpitudo nostra tunc cernitur*, ait Gregorius, (*Gregor. 2. Moral. c. 26*) *cùm vita reprehensibilis ante iustorum oculos in iudicio, nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur.* Virtutibus autem vndique tegi & cooperiri oportet, nulla vt pars nuda relinquatur. Nam qui in alijs actionibus iustus est, in alijs iniustus, quasi hoc latus coopernit, illud nudauit, nec iam bona sunt opera, quæ subortis alijs prauis operibus inquinantur.

III. Vestis nuptialis.

TERTIÒ. Etsi omnes omninò homines inuitati sint ad nuptias filij Dei, Religiosi tamen tamquam amici sponsi, peculiari curâ prouidere debent, vt vel maximè ornati ad cælestis agni nuptias accedant: atque ideò vestem nuptialem, religioso habitu mysticè designatam, induere eos par est, ne eâ destituti, ligatis manibus & pedibus, eijciantur in tenebras exteriores. Quæ autem hæc vestis nuptialis, nisi charitas? (*Quæ est charitas.*) intramus enim ad nuptias per fidem, ornamur autem veste nuptiali per charitatem. *Rectè enim*, ait Gregorius (*Gregor. hom. 38 in Euangel.*); *charitas, nuptialis vestis vocatur; quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad associandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit. Solo quippe dilectione Dei actum est, vt eius vnigenitus mentes sibi electorum hominum vniret. Vnde & Ioannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit esse vestem nuptialem.* (*Ioan. 3.*) Religiosus ergo ipsâ suâ veste monetur charitati, quæ vinculum est perfectionis, operam dare; sine quâ Christo Iesu animarum sponso placere nequaquam poterit. *Rex noster*, inquit, S. Maximus (*Maxim. serm. in Vigiliâ Natiuitatis.*), *non tam nitorem vestium, quàm animarum requirit effectum: nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum.*

IV. Benedictina vestis refert Christi incarnationem. Hildegard. l. 2. vision. 5

QVARTÒ. Quod ad nostrum institutum propiùs accedit, S. Hildegardis (vel potiùs qui ei reuelauit Deus) vestimentum Benedictinum ait repræsentare Incarnationem Domini Nostri Iesu Christi, sic enim ait: *Vestitus eorum* (Monachorum) *vestitui aliorum populorum non assimilatur, quia & ipse integer incorruptam Incarnationem filij mei, quæ plurimùm distat à procreatione aliorum hominum ostendit. Huiusmodi enim vestitus secundùm coruscationem supernorum spirituum eum alis subtilitatis suæ circumuolat, & Incarnationem ac sepulturam filij mei designat: quia signum Incarnationis in suo vestitu habet, qui se ad fortissimam obedientiam exhibet: & signum sepulturæ eius in ipso vestitu portat, qui in operibus iustitiæ, sæcularibus caussis abrenuntiat.* (*VESTIARIUM.*) Docuit ergo Deus S. BENEDICTVM in vestitu conuersationis suæ Incarnationem filij Dei colere, idque potissimùm hæc sancta refert ad Obedientiam (*Quid in obedientiâ fundatur.*), quia ipse filius Dei ex obedientiâ, quam æterno Patri præstitit, carnem assumpsit, & omnia quæ in carne gessit à primo instanti conceptionis suæ, vsque ad mortem crucis, non nisi mera opera obedientiæ fuerunt. Nam cùm in *formâ Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & Habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* (*Philipp. 2. 7*) Quid autem est *habitu inuentus vt homo*, nisi (vt Augustinus interpretatur) (*August. lib. 83. q. 9. 73*) quod Verbum carnem hominemque, ceu vestem quamdam induerit?

Imitatur hanc Religiosus.

Religiosus ergo Christi Incarnationem habitu suo colit, quando se totum velut veste quâdam induit obedientiâ, quæ omnes ipsius actiones tegit & exornet, vt vestimentum cooperire & honestare solet corporis membra: quod quidem similitudinem quamdam Incarnati Verbi repræsentat, humanæ naturæ carneam vestem ex obedientiâ Patris pro nobis induentis, eamque totam nostræ saluti impendentis.

Alia huius mysterij analogia.

Verùm non abs re fuerit alias quasdam analogias inter Incarnati Verbi mysterium, & monasticum S. BENEDICTI schema hîc adferre, vt liquidò constet, quomodo Filij Dei Incarnationem ipso habitu colamus.

Prima. Habitus noster est pœnitentium.

PRIMA autem hæc sit. Habitus S. BENEDICTI totus est pœnitentialis, & publicè olim pœnitentibus (vt suprà vidimus) dari solitus, qualis in veteri lege cilicium, vel saccus cilicinus. Quid igitur est spreto mundano cultu, & ornamentis sæcularibus, abiectum pœnitentiæ habitum assumere, quàm repræsentare, quemadmodum vnigenitus Dei Filius, qui erat cum Patre amictus lumine sicut vestimento, saccum nostræ mortalitatis induerit? Carnem siquidem Christi *saccum* vocari, auctor est Augustinus: (*Caro Christi Saccus. Aug. serm. 216. de temp.*) *Quomodo*

VESTIARIVM.

modo, inquit, *dicit Christus; Conscidisti saccum meum & accinxisti me lætitiâ? Saccus eius erat similitudo carnus peccati. Non tibi vilescat, quod ait, Saccum meum. Ibi erat inclusum pretium tuum. Conscidit saccum lancea persecutor, & fudit pretium nostrum Redemptor.*

Secunda. Est vilis. Cap. 7. Cap. 55. Zachar. 3. 3. Gregor. l. 10 Moral. cap. 18.

SECVNDA, Voluit S. P. BENEDICTVS *omni vilitate, & extremitate cantentum esse Monachum*, eique pro vestimento assignari *quod vilius comparari potest*: in quo etiam adumbtatam videmus Christi Jncarnationem. De eo enim scriptum est: *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis. Sordidis vestibus*, inqnit Gregorius, *indutus erat Iesus, quia quamuis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnus peccati.* Neque vilior vestis potuit esse vlla Christoque indignior, quàm caro humana, quæ præ aliorum auimalium carne sordida est ac ærumnosa, mille morbis, fæcibus, & putoribus obnoxia. Sanè si anima infantis (inquit Cornelius) dum concipitur, ingressura corpus videret eius miserias, morbos & sordes, quibus per omnem vitam continuè subiacebit, horreret in illud ingredi. Cogita quàm horreat anima tua viso aliquo corpore leproso, scabioso, vlceroso, cancro exeso, putido, cadaueroso, qualia mendicantium Romæ ante templorum fores passim videmus, quamque detrectaret in illa ingredi, illaque induere & animare, si Deus id iuberet. Et vide dignationem Dei nostri, qui sciens & præuidens carnem nostram omnibus hisce miserijs & sordibus obnoxiam, eam tamen induit, cùm Verbum caro factum est, vt eam expiaret, & ab hisce, magisque ab animæ sordibus expurgaret. Nonne meritò igitur Christo canit Ecclesia: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum?*

Caro humana, quā Christus induit, vilissima. Corn. in Zachar. 3. *Declaratur simili.*

Tertia. Peccatis denigrata innocentia vestis.

TERTIA, Benedictina vestis sua vilitate, magisque atro colore nos admonet pœnitentiæ & peccatnrum nostrorum, per quæ denigrata fuit super carbones innocentiæ illa vestis, quam in baptismo acceperamus. Hoc ipsum autem rursus in memoriam reuocat Incarnationem Filij Dei, per eam enim Iesus indutus est vestibus sordidis, quia (vt ait Hieronymus) *cùm non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est: & ipse infirmitates nostras portat, & pro nobis dolet. Et in Apostalo legimus. Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Ille sordidis indutus est vestibus, vt nos resurgentes ab ea andiamus post baptisma: Candida sint semper vestimenta tua.* Similiter Ambrosius: *Stabat*, inquit, *Iesus, & habebat vestimenta sordida: mea enim peccata portabat; sumpsit vesti-*

Sunt hæ sordida vestes Iesu. Hieronym. in cap. 3. Zachar. Gal. 3. Ambrof. in Psal. 118.

A *mensa nostra, vt nos splendore immortalitatis indueret.* Primus Adam amissâ per peccatnm innocentiæ originalis veste, indutus est tunicâ pelliceâ de mortnorum animalium exuuijs factâ, vt ita mortis se reum agnoscetet, prout Angustinus & Alcuinus intetpretantnt. At secundus Adam, licet putus esset & sanctus, indui tamen voluit pellibus, id est, vestiti peccatis nostris, dum habitu inuentus vt homo, in similitudinem carnis peccati factus est, vt præuaricationem primi Adami & totius humani generis expiaret. Nimirum hic est verus Iacob, qui hœdinis tectus pellibus, similitudinem hirsuti Esau expressit. *Per hædinas pelles, peccata* (inquit Augustinus) *per eum verò, qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portauit.* Religiosâ sanè consideratione dignissima est hæc contemplatio, vt scilicet ipso habitu nostro recordemur quomodo Christus in se transtulerit peccata nostra, & illis amictus fuerit velut vestimento. Nam vt scriptura ait: *Posuit in ea Dominus iniquitatem omnium nostrûm.* Expendat hic quilibet cum Lessio, quanta sit illa scelerum colluuies, quantum malitiæ pelagus & quàm inexhaustum, qnod totum mundum ab initio vsque ad finem inundat. Hoc totum clarè & distinctè oculis Christi obiectum, & simul humeris eius impositum, vt loco generis humani se veluti reum omnium istorum, coram iustitiâ diuinâ sisteret, & iustam satisfactionem sponderet. Quantum putas in eâ re illi puritati fuisse horrorem, quantam auersionem & abominationem? Sicut si vestis aliqua fædissimis rebus vndique aspersa & inquinata corpori delicato & nitidissimo induceretur, illudque operiret & vndique contingeret, magnum adferret illi horrorem & afflictionem: ita peccatorum nostrorum reatus veluti quoddam operimentum ex infinitis abominationibus contextum, ab illa puritate assumptum, & arctissimè applicitum ac inductum, maximum illi horrorem concitauit. Hac veluti veste sordidissimâ indutus, se diuinæ iustitiæ tamquam reum pro nobis stitit, & profundissime, tamquam si ipsemet omnia illa patrasset, humiliauit. Hæc Lessius.

August. l. 2. de Genes. cont. Manich. l. 21. *Pelles peccatorum nostrorum, quibus se operuit.* August. lib. contra mendac. c. 10. tom. 4. Isaiæ 53. *Expenditur grauitas reatuum nostrorum.* Less. de perfect. diuin. lib. 12. cap. 17. *A simili.*

QVARTA analogia à materiâ desumitur, quæ lanea ex Pontificum constitutionibus est, vsque adeò vt lineis indui nobis nefas sit, & S. P. N. BENEDICTVS inuentus est à pastoribus indutus pellibus, vti reor, ouillis. Hæc autē à vellere ouium desumpta vestimēta aptissimè nobis Christi Incarnationem repræsentant, prout etiam * alibi expendimus.

Quarta. Lanea vestis nostra. *Incarnationem Christi repræsentat.* * Suprà l. 3.

Damasc. expendimus. Et hinc est quod Ioannes Damascenus sacratissimam Virginem Mariam vocare non dubitauit: *Agnam, ex quâ Pastor ouem induerit.* Et S. Epiphanius anthitesin instituens inter Euam & B. Virginem: *Eua,* inquit, *datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: Maria verò datum est à Deo vt pareret nobis Agnum, & ex gloriâ ipsius Agni fieret nobis velut à vellere sapientiæ per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis.*

Epiph. lib. 3. Hæresi 78.

Ioan. 1. 36. Atque ità Christus à Ioanne Baptista vocatus est *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et de eodem Isaias ait: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet.* Lana igitur ab ouibus sumpta, primò nos admonet Christū propter nos velut ouem & Agnum effectum, cuius innocentiam & mansuetudinem imitari debeamus, audireque ipsum nos admonentem: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Hoc nimirum secundùm Paulum est induere *Iesum Christum*, & de vellere Agni, per virtutem ipsius facere sibi indumentum pietatis.

Isaiæ c. 53. 7.

Monet imitari Agni mansuetudinem.

Matth. 11.

Et bonum Pastorem, qui errantes oues reduxit.

Laneа deinde vestis in memoriam reducit, nos velut oues errantes à Christo bono Pastore ad ouile reportatos. Quod quidem mysterium in Archiepiscopali pallio, ex ouis lanâ confecto, Isidorus Pelusiota designari agnouit: *Id autem amiculum,* inquit, *quod Episcopus humeris gestat, atque ex lanâ non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Similia ferè habet Germanus Constantinopolitanus in rerum Ecclesiasticarum Theoriâ. Et huc facit lepida historia, quæ de S. Wolstano Wigorniensi Episcopo recitatur: *Vilioribus indifferenter vtebatur pellibus, magis tamen agninis, frigus depellens. Vnde & cuidam suggerenti, vt pelles saltem Catinas admitteret, ait: Crede mihi, cantari non audiui, Catus Dei: sed Agnus Dei: ideo Agno volo calefieri.* Atque hæc bactenus, vt ostenderemus quâ ratione monastico habitu Incarnationem Filij Dei, iuxta S. Hildegardis explicationem, repræsentemus.

Pelus. lib. 1. epist. 136.

Lepidum dictum de agninis pellibus

Apud Sur. 19. Ianuar.

DISQVISITIO II.

Quid niger Monasticæ vestis color designet?

VESTIARIVM.

NIGER color in malam plerumque partem accipi solet, & vel peccat designat, vt Nahum 2. *Facies omnium sicut nigredo talpæ.* Vel Mortem Apocalyp. 6. *Ecce Equus niger, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum.* Vel Infernum, qui ater & obscurus dicitur. Apud profanos quoque auctores nigrum, vel atrum pro moribus infamibus & perniciosis accipitur. Hinc illud vulgatum:

Color niger pro malo.

—— *Hic niger est, hunc tu Romane caueto.* Horat. lib. 1. satyr. 4.

Verùm, vt nihil tam malum, quod non aliquâ parte prosit, ità etiam ab atro pulloque colore spiritualem vtilitatem capere licet, quando in quibusdam rebus & hunc commendari videmus. Placet enim in Ebeno, & humanis oculis, quibus nihil maiori cum voluptate spectamus. Et in sacro Epithalamio sponsa de se ait: *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar.* Et ipsius sponsi comæ describuntur *sicut elata palmarum, nigræ quasi coruus.* Quod exponens Delrio, nigros capillos instar corui ait esse, nullis canis aspersos: non fuliginosos, sed nitidos refulgentesque, & soli obuersos, auri pallorem referentes. Sic enim quando sol aduersus irradiat coruorum nigredioi, aut corui ad solem corpus obliquant, in extremis pennis aureum nescio quid rutilat. Ideo veteribus capillus *niger*, non postrema pulchritudinis nota fuit. Vnde Lyricus:

Laudabilis in quibusdam rebus.

Cant. 1.

Cant. 5. 11. *Quales Sponsi nigræ comæ.*

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum. Horat. l. 1. od. 32.

Cùm autem Rupertus noster hunc locum Canticorum interpretetur de Religiosis, instar Capillorum Christo capiti suo adhærentibus, operæpretium erit nigrorem, qui in vestibus est, ad eorum ædificationem spiritualiter hîc explicare. Plura autem significat: nam

Rup. l. 2. de diuin. offic. c. 23.

Nigrore vestium significatur

PRIMÒ, memoriam mortis inculcat, ipsa enim mors *atra* & *nigra* dicitur. Sic Statius: I. *Memoria mortis.*

Funeris, & nigræ præcedunt nobile mortis. Stat. 9. Thebaid.

Et mortuus niger, morte tamquam colore illitus vocatur, vel potiùs mortem colore referens, & mortis colore infectus. Nigrum pro mortuo vsurpauit Iuuenalis. Iuuen. Satyr. 1.

VESTIARIVM.

Instituitque rudes melior locusta propinquos
Per famam & populum Nigros *efferre maritos.*

Soles quoque *atri* dicuntur ei, qui interit: vt contra candidi, dum nascitur. Niger ergo color vestium nostrarum continuò nobis dicere videtur: MEMENTO MORI, cuius quidem vt memores sint, prudentiores Ægyptij oblonga mortuorum ossa ebore aut ligno efficta, aut etiam vera hodieque circumgestare, mutuo sibi monstrare, & ad meditandum obitum cohortari consueuerunt, vt scribit Nicolaus Radziuilius. Idem porrò nobis præstat habitus, continuus imminentis mortis monitor. Hinc celebratur Platonis dictũ: *Vitam Philosophorum esse commentationem mortis.* *Viuere*, inquit Seneca, *totâ vitâ discendum est: & quod magis fortasse miraberis: Totâ vitâ discendum est mori. Cur ita? quia Philosophia est meditatio mortis.* Idemque alibi: *Egregia res est, mortem condiscere. Superuacaneum forsitan putas id discere, quo semel vtendum est? Hoc est ipsum quare meditari debeamus, semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus.* Errat sanè, qui à monastico instituto alienam putat hanc mortis commentatinnem, quasi ea magnis peccatoribus, & sæculo implicatis tantùm esset necessaria. Omnibus ea vtilis, imò necessaria, quibus semel mori necessarium. Viri eminentissimæ sanctitatis hanc sibi quotidianam voluerunt. Et ipse Ordinis nostri Patriarcha Monachis suis eandem mortis meditationem præscribit cùm inter instrumenta artis spiritualis die noctuque incessabiliter vsurpanda, connumerat: *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.*

Ægyptij hodie eam recolunt.
Radziuil. epist. 2. de itinere in Palæst. pag. 134.
Et olim Philosophi.
Senec. l. de vitæ breuitate c. 7.
Epist. 26.
Mortis cõmentatio Religiosis necessaria.
Cap. 4. reg. Instrument. 47.

Quo verò id fructu factitari sunt, docuit Senex ille apud Climacum, qui cùm diutiùs negligentissimè vixisset, nihil de animæ salute solicitus, tandem obijt, & post horam reuixit. *Orauit verò omnes, vt inde abscederent, & cellæ aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis duodecim, nulli omninò quidquam loquens, nec, aliud quidquam præter panem & aquam degustans. Cùm verò iam morti proximus esset, rupto ac patefacto aditu, ingressi sunt fratres. Cumque ab illo doctrinæ verbum supplices inquirerent, hoc ab illo tantummodo audiuerunt, Ignoscite mihi. Nemo qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit.* Idem porrò Climacus: distinctos effectus salutaris huius meditationis in Anachoretis & Cœnobitis ponit: *Memoria mortis his, qui fratrum in medio versantur, labores & exercitationes parit, imò verò ignominiæ dulcem appetitum: eis verò qui in solitudine ab omni tumultu remoti degunt, deponere curas omnes persuadet, & orationi perpetuæ insistere, mentemque diligentissimè seruare, quæ sanè virtutes omnes huius & matres sunt, & filiæ.* Hæc Climacus. Tantorum ergo bono-

Quo fructu exerceatur.
Climac. grad. 7.
Idem Grad. 6.
In cœnobitis, & eremo.

A
rum occasionem nobis præbet pullus amictus.

II.
Mortificatio.

SECVNDÒ, ingerit memoriam alterius mortis, spiritualis scilicet, quæ ab Asceticis Scriptnribus mortificatio dicitur, Platoni etiam nota. Vt enim duplici nexu anima corpori colligatur, quorũ alter naturalis est, cuius vi vitam homo conseruat: alter voluntarius, quo anima corpori copulata, illius obsequitur imperio. Ita duplex quoque animæ à corpore est dissolutio, siue mors, quam Macrobius ità explicat: *Ipsius animalis, hoc est, Hominis duas asserit Plato mortes: quarum vnam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, cùm anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cùm anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, Philosophiâ docente, contemnit, & cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes exuitur passiones.* Quare Apuleius Platonis mentem his verbis se putat expressisse: *Philosophum*, inquit, *oportet nihil sic agere, quàm vt semper studeat animam corporis consortio separare: & ideo existimandum: Philosophiam esse mortis affectationem, consuetudinemque moriendi.* Monemur ergo ipso vestimento nustro mottificare membra nostra, quæ sunt super terram, mori mundo, nisi instar mortui non videre, non audire, non loqui, non sentire, nec vllâ affectione tangi rerum sæcularium, non secus ac cadauera similium affectionũ prorsus sunt expertia. Tales omnino decet esse Religiosos, quibus Paulinum illud tribui queat: *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Quid autem hoc est, nisi sæculo huic & peccato defunctos, in claustro velut in sepulchro absconditos manere, viuentes Deo? Quemadmodum autem triduo illo, quo corpus Christi fuit in sepulchro, ipsum ab anima fuit separatum, ita tamen vt & animâ & corpus coniuncta essent diuinitati; sic etiam Religiosus quamdiu in Claustro, tamquam in sepulchro detinetur, à carne & sæculo sit alienissimus; animâ verò & corpore diuinitati vnitus.

Duplex animæ à corpore dissolutio.
Macrob. l. 1. in Som. Scip. c. 13.
B
Apul. de Philosoph.
C
In quibus sita hæc mortificatio
Coloss. 3.
D

III.
Nigra vestis in luctu sumpta.

TERTIÒ, Pulla vestis pœnitentiæ & luctus symbolum est. Lugentes enim atras & nigras sumunt vestes, quod omninò antiquissimum est, nam apud Homerum Thetis Achillis filij necem deplorans, atra induitur.

E
Homer. Iliad. l. 24.

——— *Sic fata*, nigerrima *sumit*
Vestimenta, operit sese, sequiturque volantem.

Et apud Euripidem Iphigenia matrem Clytemnestram monet, ne comam laniet suam ob mortem, neve atram induat vestem. Cur autem pullati sint lugentes, rationem eam adfert Antonius Thylesius, quòd maior terræ pars pulli coloris sit. Itaque

Ratio huius ritus.
Ant. Thylesi. in libel.

de colorib. c. 5. quæ quoniam ea mortuis injiciuntur, voluerunt veteres, vt qui lugerent, pullis pallis, terræ similibus essent amicti. Monachi
Monachi quod lugere debeant ergo qui lugentis habent officium, pœnitentiæ & luctus ipso habitu admonentur, non vt mortuos corpore lugeant, sed animâ & Deo. *Anima* enim, *quæ peccauerit, ipsa*
Ezech. 18. *morietur.* Magis enim hæc planctum meretur, quàm amicissimi cuiusuis funus. *An non sunt*, inquit Augustinus, *in te viscera Christianæ miserationis, vt plangas corpus à quo discessit anima; & non plangas animam, à qua recessit Deus?*
August. serm. 10 in adiect. ad. to 10. Hanc proinde animam, quæ
Animam peccatricē. per peccatum denigrata est super carbones, aquâ lacrymarum, & pœnitentiæ lixiuio abluere oportet, vt super niuem
Climacus grad. 7. dealbetur. *Ipsum*, ait Climacus, *indumentum tuum te ad exercitium luctus hortetur. Omnes enim qui mortuos lugent, nigris vestibus operiuntur. Si igitur non luges, propter hoc luge.* Et
Cap. 4. Instrum. 58 *Et sæcularē conuersationem.* Præceptoris nostri ad hoc monitum tenemus, qui nobis inculcat: *Mala præteritorum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri: & de ipsis malis de cetero emendare.* Atque huc spectat expositio Petri Dorlan-
In serm. de significat. hab. Carthus. di: Vestem, inquit, nigram induimus, vt meminerimus antiquæ sæcularis nostræ conuersationis, quam anxiè in Religione defleuimus, ne rursum eisdem illecebris capiamur. Nihil enim tam citò recrudescit, vt amor sæculi. Peculiariter verò Ruper-
Rupert. l. 8. de operib Spiritus S. cap. 9. tus annotauit Benedictinum habitum propriè esse pœnitentialem, quamuis & à iustis & innocentibus delatus fuerit.

IV. *Nigror symbolum humilitatis.* QVARTÒ, *Visum est*, inquit S. Petrus Venerabilis, *magnis Patribus illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui conuenire. Quibus studijs quia totum Monachi vitam maximè inuigilare oportet, decreuerunt, vt color moribus, vestes virtutibus, quâ possent cognatione iungerentur.*
Pet. Ven. l. 4. epist. 17. Humilitatem istud docet, quia niger color omnium est simplicissimus & extremus: caret enim splendore illo, qui in candido, medijsq; coloribus blanditur; quare
Anselm. in Similit. c. 9. Anselmus: *Quod Monachus*, inquit, *viles nigrasque fert vestes, vt se vilem reputet peccatorem, commonet.* Et Bernardus sorori suæ, vt quidam volunt, scribens: *Nigra vestis humilitatem insinuat mentis.* Ob hanc humili-
Ob hanc prædicatores coruis comparati. tatis significationem prædicatores & perfectos viros Coruis assimilare S. Gregorius non dubitauit, cuius expositionem hoc loco opportunam vel ideo adscribendam duxi, quod his animalibus sanctissimus Legislator noster delectari visus fuerit, vt in
Greg. l. 18. Moral. c. 19 vitâ dictum. *Corui*, inquit Gregorius, *viri spirituales rectè vocati sunt, quia nequaquam de iustitia luce superbiunt, sed per humilitatis grotiam, peccatorum in se nigredinem confitentur.*
Idem l. 30. moral. c. 8. Qui etiam illud explicat, cur pulli coruorum à parentibus negligantur, nec escam ab eis accipiant, priusquam plumescendo
Larius id exponitur. nigrescant. *Coruus*, inquit, *est doctus quisque prædicator, qui magnâ voce clamat, dum peccatorum suorum memoriam atque cognitionem infirmitatis propriæ quasi quandam coloris nigredinem portat. Cui quidem nascuntur in fide discipuli, sed fortasse adhuc considerare infirmitatem propriam nesciunt, & per hoc eam quam assumi oportet, contra huius mundi gloriam, humilitatis nigredinem non ostendunt. Hi verò ad accipiendas escas os aperiunt, cùm doceri de secretis sublimibus quærunt. Sed eis doctor alimenta non tribuit, nisi priùs per pœnitentiæ lamenta nigrescant. Pulli autem dum nigro se pennarum colore vestiunt, de se etiam volatum promittunt: quia quò magis discipuli abiecta de se sentiunt, quò magis sese despicientes affligunt: eò amplius spem profectus sui in altiora pollicentur.* Hæc Gregorius.

QVINTÒ. Stabilitatem & perseuerantiam religiosam niger color denotare potest. Egyptij enim, vt Pierius obseruat, mulierem, quæ vidua perpetuò perstare decreuisset, nigrâ columbâ significare soliti sunt. Pudicitia siquidem, columbis prima, & neutri nota adulteria: coningij fidem non violant, communemque seruant domum, & marito priori viduata, alij non copulatur. Nigram autem illam Ægyptij faciebant, id scilicet indicantes, quod ad secundas nuptias non transisset, sed atrata viri prioris desiderium præ se ferret. Niger verò color firmitatis & perseuerantiæ signum. Colores enim alij ex vno in alium transeunt, obscuriorisque corporis admistione densiores fiunt: sed vbi ad nigrorem peruentum est, ibi consistitur. Hæc Pierius. V. *Stabilitas & perseuerantia in nigro colore.* Pier. lib. 22. Hieroglyph. cap. 1.

Benedictinus ergo Monachus, qui disertis verbis stabilitatem loci in professione vouet, quique scire iubetur, *quod ei ex illâ die non liceat è monasterio egredi, nec collum excutere de sub iugo Regulæ*, monetur in eâ perseuerare vsque in finem, nec transire de vno in alium locum, aut per diuersa diuersorum Ordinum vagari monasteria, quod Gyrouagorum proprium esse, ait Legislator noster. Perseuerantiam autem hanc ipso Monachi schemate designari Pachymeres agnouit, ità loquens: *Monachica ordinatio dicitur, vt solitariè & vnicè, non dupliciter vel tripliciter, vel multipliciter conuersetur. Hoc enim significat nigra, quâ induitur, vestis. Alij enim colores facilè in alios transeunt & mutantur, & omnes quidem in nigrum mutari possunt. Niger verò color nullo vmquam modo in alium transmutari potest.* *Benedictinus applicatur.* Cap. reg 58 Cap. 1. Pachym in c. 6 de hierarch. eccl.

Hæc omnia colore suo innuit habitus: *Prouideat ergo diligenter vnusquisque & attendat studiosè*, inquit Innocentius III. *Vt signum sine significato non ferat, vt veste sine virtute non portet, ne fortè similis sit sepulchro deforis* *Monitio salutaris.* Innoc. l. 1. myst. Missæ cap. 64.

VESTIARIUM.

rit dealbato, intus autem omni pleno spurcitiâ. Quisquis enim sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum.

DISQVISITIO III.

An aliquis in veteri lege Nigrorum Monachorum typus?

PLVRES sine dubio aut excogitare, aut iouenire poterit Allegoriarum studiosus venator, nobis hi duo à Ruperto nostro obseruati suffecerint.

Primus typus in Canticis.

Rupert. l. 2. de diuin. offic. c. 23. Gregor. in c. 5. Cantic.

PRIMVM desumit ex Cantico Canticorũ, in quo comas sponsi nigras sicut *Coruus*, interpretatur *Religiosos Christo capiti suo, adhærentes, qui humili conscientiâ nigri esse, & victo mundo sursum tendere debeant.* Quod ex S. Gregorio hausisse potuit, qui ait: *Fideles Deo adhærentes, & quod credunt facientes, comas Christi esse quasi in capite pendentes qui honorem portanti conferant. Comæ autem hæ sunt sicut elata palmarum, nigræ sicut coruus. Palma autem in altum valdè crescendo proficit & victoriam significatione suâ protendit. Comæ ergo sicut elata palmarum sunt: quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam se perducunt. Nigræ autem sicut coruus existunt: quia quamuis virtutibus in cælum se erigant; semper tamen peccatores se esse cognoscunt.* Similiter ferè Honorius apud Delrio, cuius hæc sunt verba: *Christus est caput Ecclesiæ, quia sicut à capite omnia membra reguntur, sic omnes electi à Christo reguntur, quod caput est aurum optimum, hoc est obryzum: quia sicut illo auro alia metalla deaurata auri fulgorem induunt, sic iusti omnes, Christi nomine Christiani dicti, in regno eius vt sol fulgebunt. Comæ capitis eius sunt fideles ad cælestia per victoriam virtutum tendentes, qui virorem fidei numquam amittunt, quando per arctam viam ad vitam pergunt* (vt potissimùm faciunt Monachi) *sunt nigræ quasi coruus, quia iusti despecti sunt in hoc mundo, sicut fuit Christus.* Sed illustrat maximè locum hunc S. Paulinus: *Summâ ope enitamur, ita nos comparare, vt diuini capitis (quod nobis per gratiam Dei Christus est) crines esse mereamur, illi,* inquam, *crines, de quibus scriptum est: Crines eius abietes nigræ, sicut corax, id est, coruus. Sed bonus iste coruus, nec ille ad arcam reuertendi immemor, sed ille pascendi Propheta memor. Non noctis, sed luminis coruus est iste, cuius coloris speciosi crines sunt. Ideo sancti, genus regale & Sacerdotale, quibus diuinum caput vt ostro gloria sua purpurat, quia & iuuenilis gratia in huius præcipuè coloris capillo florentem vestit ætatem.*

Coma nigra quid in mystico sensu.

Paulinus Epist. 4. ad Seuerum. *Christo capiti assimilentur.*

Cant. 5. Gen. 8. 3. Reg. 17.

1. Petr. 2.

Nonnullis verò interiectis, ait eruditas ab Apostolicâ fide animas, nigras esse, & bonas: *Nigræ sunt,* inquit, *non de peccato, vt puto, magisque adhuc vel de inhabitatione corporeâ, vel de exercitationis internæ quasi bellico puluere, vel puluerulento sudore nigrantes. Bonæ tamen, propter spiritalem, etiam in noctibus, corporum exercitationem.* Huc vsque Paulinus. Quæ Monachis potissimùm conueoire, nullus, vti credo, ibit inficias. Omitto nunc quæ de Coruis iam anteà attulimos.

Secundus typus in Zachariâ.

Zach. 6. 1.

Alter, multoque manifestior Monachorum nostrorum typus in Zachariâ Prophetâ expressus est, vbi sic legitur: *Et conuersus sum, & leuaui oculos meos & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei. In quadrigâ primâ, equi rufi, & in quadrigâ secundâ equi* NIGRI, *& in quadrigâ tertiâ, equi albi, & in quadrigâ quartâ equi varij, & fortes.* Quod suauissime ità Ropertus noster interpretatur: *Leuemus,* inquit, *cum Prophetâ oculos nostros, & prospectum extendamus per mundum vniuersum. Et ecce mundus plenus est, & ex quo beati Apostoli de candelabro illo sunt illuminati, cæpit impleri quadrigis feruentibus, & equis currentibus, de quibus & Abacuc decantans Domino;* qui ascendes, *ait*, super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. *Quadriga prima, in quâ erant equi rufi, Apostolorum est & Martyrum. Quadriga secunda, in quâ erant equi nigri, pænitentium est, qui ab Apostolorum temporibus incipientes, in his qui sanguinem Christi fuderant, vitam nobis Cænobialem sanxerunt. Vnde vsque hodie per orbem*

Interpretatio Ruperto. Rupert. in c. 6. Zach.

Abacuc. 3.

Equi nigri figurant nigros Monachos.

NIGER tam professione quàm habitu perseuerat
ORDO MONACHORVM.

Quadriga tertia, in quâ erant equi albi, ordo est virginum, vtriusque sexus, totum candore suo perornans equitatum Iesu Christi Domini exercituum. Vnde illud notandum, quia cùm dixisset: In quo erant equi nigri, egrediebantur ad terram aquilonis ait, & albi egrediebantur post eos. Illum namque vitæ ordinem, qui facinorosis erat necessarius, quemque priores illi susceperunt, vt fructus dignos pænitentiæ facerent, subsequuntur quamplurimi, neque homicidij, neque adulterij, siue alterius cuiuslibet criminis rei, imò & plerique corpore incorrupti atque integri, quos beatus Papa Gregorius, quid, inquit, nisi & iustos & pænitentes dixerim? Planè hoc ipsum est egredi ad terram Aquilonis, vitam austeriorem exequi, quæ tantum differt à vitâ remissiore multis vtente dilicijs, non tamen illicitis aut lege prohibitis, quantum rigor aquilonis à suauitate austri vel fauonij, quantum hiemalis algor à vernis distat

Nec solùm eos qui conuersi sunt ad pænitentiam.

Sed etiam iustos.

dittat blanditijs. Vnde notanda littera, quia sic dictum est, in quo erant equi Nigri, egrediebantur in terram aquilonis, vt sit sensus. Propter quod erant sibi peccatorum conscij, in propositum se dimiserunt vitæ arctioris. Quadriga quarta, in quâ erant equi varij fortes, pastorum atq; doctorum est, & omnium in quibus eminent illæ gratiarum diuisiones, de quibus Apostolus,
1.Corint.12 *Alij, inquit, per spiritum datur sermo sapientiæ, alij fides, alij genera linguarum, alij gratia sanitatum* &c. Hactenus Rupertus.

Qui Prophetæ verba sequentia: *Ecce qui*
Quid egredi in terram Aquilonis. *egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum*, interpretatur: *Hi, qui* B *pœnitentiam egerunt vel agunt de peccatis suis, quod est egredi ad terram aquilonis, vbi vltroneus labor, tamquam glacialis rigor pœnitentis corpus affligit, per hoc ipsum quod illuc egressi sunt, iræ meæ spiritum requiescere, id est, cessare fecerunt, vt tam ego non irascar eis, quoniam ipsimet irati sunt sibi.* Subiungit verò. *Quod si eqni Nigri egrediendo in terram aquilonis requiescere faciunt spiritum Domini, quid putas de his qui egrediuntur post eos equis albis? Et vt*
Qui per equos albos significetur. *manifestius dictum sit, si facinorosi pœnitentiam agendo gaudium faciunt Deo & Angelis Dei,* C *quid putas de illis, qui nullius criminis rei, vel conscij propositum, vel Regulam sequuntur constitutam pœnitentibus criminosis? Profectò hi spiritum Domini non solummodo requiescere faciunt, verumetiam oblectant plurimum, & vnde illi veniam, inde isti coronam consequuntur sempiternam* Hæc ille. Liceret etiam dicere,
Benedictini Aquilonem conuerterunt. quod nostri maximam partem Aquilonis ad fidem conuerterint, & tamquam venti emissi à Dominatore omnis terræ, suscitarint homines ad cognoscendum Deum, tetramque infidelitatis nebulam dispulerint, atque ità requiescere fecerint iram D Dei in terrâ aquilonis.

Si fas sit hisce Ruperti nostri vestigia
Varij equi, diuersa S. Spiritus charismata premere, licebit & quartam quadrigam nostro Ordini aliquo modo applicare. Nam quod ait, *varios equos* diuersa significare spiritus sancti Charismata ab Apostolo
1.Corinth. 12. enumerata; illa ipsa Arnoldus Wion Ordini nostro sic applicat. Per *Pastores* enim & *Doctores*, intelligit summos Pontifices ex monastico Ordine assumptos: Per *Opitulationes*,
Applicantur Ordini Benedictino Cardinales, qui in partem solicitudinis Ecclesiarum vocantur: Per Fidem, Martyres nostros, qui profuso sanguine veritati testi- E monium perhibuerunt: Per *Apostolos*, eos qui diuersis gentibus Euangelium Dei prędicauerunt: Per *Gratias sanitatum & curationum*, Monachos miraculis claros, qui varia morborum genera ab hominum corporibus depulerunt: Per *interpretationem sermonum*, intelligit Sanctæ Ecclesiæ Doctores, Sacrarum Scripturarum interpretes. *Discretionem spirituum* illos Benedictinos habuisse asserit, qui hæreticorum mallei, eos suis

A scriptis confutarunt, adeoque malum à bono spiritu discernebant. *Sermo scientiæ* in ijs, VESTIARIVM.
eodē auctore, maximè apparet, qui Pontificium ius aut compilarunt, aut scriptis suis elucidarunt. *Prophetiā* ex nostris claruerunt Joachim Abbas, Hildegardis, Elisabeth, *Propheta.*
Gertrudis Abbatissæ, & B. Mechtildis Sanctimonialis. *Euangelistas* idem interpretatur Diaconij officio præditos, vt fuere *Euangelista*
Paulus Diaconus, Alcuinus, Strabo Fuldensis, Neotus, Vniuersitatis Oxoniensis Fundator, & Ioannes Scotus Academiæ Papiensis institutor. *Genera linguarum* ijs inesse scribit, quibus diuersa idiomata co- *Polyglotti.*
gnita fuere, quales Dionysius Exiguus, Nicolaus de Donis, Roswitis Monialis, Ioachimus Perionius Græcè & Latinè doctissimi; quibus adde Gilbertum Genebrardum, cui præter iam dictas linguas Hebraica & Chaldaica fuit notissima, & Constantinum Afrum, Monachum Casinensem, qui Latinam, Italicam, Græcam, Hebræam, Syram, Chaldaicam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, & Indicam perfectè calluit, Medicam artem maximè illustrauit. Denique *Gubernationes* explicat minoris ordinis Prælatos, Archie- *Gubernationes.*
piscopos, Episcopos, Abbates, aliosque illustres viros. Quæ omnia lib. 5. Ligni vitæ fusius deducit, & nos alibi quoque retigimus. Hæc porrò saluo litterali, alijsque mysticis sensibus, per accommodationem huc attulimus, vt excogitatum à Ruperto Ordinis nostri typum nonnihil illustraremus.

Sed aliud quiddam, quod in maioribus festis nostris iam inde ab aliquot seculis so- *Cur Monachis in magnis festis sint in albis.*
lemne est, ex eodem auctore hic explicandum duxi. *Caussa*, inquit, *postulat quiddam nostri Ordinis, id est Monachorum, non præterire proprium. Solemus enim in huiusmodi festis solemnioribus omnes in albis stare vel procedere: quā veste nouam sanctorum vitam designari expositum est. Tunc namque in contemplatione eius nouitatis positi sumus, de quā nos hortatur Apostolus dicens: Vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in nouitate vita ambulemus. Itaque cùm simus toto tempore Nigri, tunc tamen quando commemoratur eius seculi status, quo cum filijs semper est sponsus, conuenienter lætitiam proferentes, quotidianam salubris tristitiæ nigredinem læto candore obducimus, iuxta illud: Non possunt filij Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus.* Hactenus Rupertus.
Rupert.l. 3. de diuin. offic. c.13. — Rom. 6. — Matth. 9.

VESTIARIUM.

DISQVISITIO IV.

Quid Cuculla mysticè significet?

HACTENVS in genere vestimentorum Allegoricas significationes expendimus, nunc singulorum adferemus explicationes.

I. *Cuculla symbolum est innocentiæ.* Doroth. serm. 1. de obed.

PRIMO autem loco occurrit *Cuculla*, cuius antiqua est interpretatio: *Gestamus*, inquit, B. Dorotheus, *Cucullum, quod symbolum quidem est innocentis animi, puri & verè humiliati. Pueri enim infantuli, & innocentes cucullum gestare solent, non viri perfecti. Nos autem præterea illum gestamus, vt malitiâ simus paruuli, vt ait Apostolus: Nolite pueri esse mente & sensu, sed malitiâ estote paruuli. Quid verò est paruulum esse malitiâ? Paruulus absque malitiâ est, etiamsi contemnatur, non irascitur: si honore afficitur, non in vanam gloriam effertur; si rebus suis spolietur, non dolet, neque affligitur. Paruulus enim est malitiâ. Non vlciscitur iniuriam, non gloriam affectat inanem.* Similiter Sozomenus: *Caput*, inquit, *integumento, quod cucullum appellare solent, operiebant: quo ostenderent se vitam perinde simplicem, & sinceram agere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput eiusmodi tiaris inuoluunt, vt tegatur simul & foueatur.* Eandem quoque explicationem sequitur, & illustrat Cassianus de Ægyptijs Monachis agens: *Cucullis*, inquit, *perparuis capita contegunt, scilicet vt innocentiam & simplicitatem paruulorum iugiter custodire etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur. Qui reuersi ad infantiam Christi cunctis horis cum affectu ac virtute decantant: Domine, non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre suâ.* Hæc Cassianus.

Qualis in pueris. 1. Cor. 14. — Sozom. l. 3. Histor. c. 13. — *Quorum simplicitas nobis imitanda.* — Cassian. l. 1. cap. 4. — Psal. 130.

II. *Cucullus est symbolum diuinæ gratiæ.* Doroth. vbi suprà.

SECVNDÒ, vt citatus antè Dorotheus ait, *Cucullus etiam diuinæ gratiæ symbolum: quoniam quemadmodum cucullus tegit ac fouet pueruli caput, ità & Dei gratia mentem nostram tuetur, & fouet, vt maiorum nostrorum monumenta testantur. Est igitur cucullus signum gratiæ Seruatoris nostri Dei mentem nostram tuentis, ac protegentis, nec non simplicitatem nostram & innocentiam, quæ in Christo est, circumfouentis propter eos qui nos quotidie vulnerare ac deuorare conantur.* Simili sensu dicere licet, Cucullam esse galeam salutis, quam Apostolus monuit assumendam ad expugnandos diabolicos incursus. Vnde in Græcorum Euchologio, in ordine magni & Angelici habitus ità scribitur: *Frater noster N. induitur Cucullam simplicitatis, in galeam spei salutaris.*

III. *Nubes qua amictus Dei filius ad nos venit.*

A TERTIÒ. Si ad Christi Domini Incarnationem respiciamus, quam S. Hildegardis suprà dixit habitu nostro nos colere & venerari, *Cuculla*, & præsertim eius caputium, quod caput obnubit, illud significare potest, quod in Apocalypsi scribitur: *Angelum* Dei fortem descendisse *de cælo amictum nube*. Et in Isaiâ: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Veniens enim ad saluationem mundi, Dei filius, Angelus magni consilij, nube amictus est: dum diuinitatem suam, quæ est caput & principium, in nostrâ carne abscondit. B Ità enim amictum sacerdotalis habitus exponit Rupertus, & eum secuti Innocentius III. & Guilielmus Durandus. Significare etiam potest idem caputium velamen illud, quo perfidi Iudæi velabant faciem Christi, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Ita Gabriel Biel, & Dominicus à Soto, in 4. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 4.

Apocal 10. — Isai. 19. — Rup. l. 1. de diuin. offic. cap. 19. — Innoc. l. 1. myst. missæ cap. 3. — Durand. in ration. l. 3. c 12. Matth. 26. — Gab. in canon. missæ lection. 11.

IV. *Vocis refrenata.*

QVARTÒ, ex eodem amictu aliam Cucullæ allegoriam mutuare licet, vtrumque enim hoc indumentum collum vndique cingit, quod Amalario fortunato auC ctore, castigationem vocis denotat. In collo namque vox est, ideoque per collum loquendi vsus exprimitur. Per amictum intelligimus custodiam vocis, de quâ Psalmista dicebat: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ: posui ori meo custodiam.* Et alio in Psalmo: *Pone Domine custodiam ori meo.* Eadem habet Fulbertus.

Amalar. l. 2. de eccles. off. cap. 17. — Psal. 38. — Psal. 140. — Fulbert. epist. 63.

V. *Oculi continentis, & mortificati.* In expos. Reg.

QVINTÒ. S. Hildegardis ad oculorum continentiam refert, aitque caputium singulare signum Monachi esse, siD gnificans, *ne hàc vel illàc ad sæculum prospiciat, cùm illud super caput suum habet.* Idemque monere potest, vt rectè inter duo extrema ad Deum pergat, nec respiciat ad dextram vel sinistram.

Hæc conueniunt caputio propriè.

Omnes porrò hæ explicationes Cucullæ caputium tantùm spectant, & veteres Ægyptiorum Cucullas, quæ caput tantùm humerorumque confinia tegebant. Vt verò Benedictinam Cucullam, siue Floccum totum corpus operientem, & ad imos vsque pedes defluentem mysticè interpretemur, sciendum est iam olim E illius interpretationem allatam à Bonifacio Papa IV. apud S. Petrum Damiani, vbi Monachos Seraphinis, eorumque sex alis comparat. *Vnusquisque Angelicus Ordo*, inquit, *quantò claritatem Dei vicinius cõtemplatur, tantò maiori virtute eius diuinitati adhærens, sine dubio roboratur. Eorum Cherubim ordo eximius prædicatur, quorum figuram Monachorum cultus competenter habere comprobatur. Nam vti Cherubim, ità Monachi sex alis velantur: duaq; quidem in caputio, quo caput tegitur, verisimilibus demonstran-*

Damian. l. 4. epist. 19. — *Floccus cõparatur sex alis Seraphim.*

demonstrantur assertionibus: illud verò tunicæ, quod brachijs extenditur, alas duas esse dicimus; & illud tandem quo conditur corpus, sex alarum numerum certissimè implere asseritur. Eadem habet Rupertus. Magna sanè Ordinis nostri gloria, beatissimis illis ac summis spiritibus comparari. *Beatus enim est,* inquit S. Ephræm, *qui factus est sicut Seraphim & Cherubim, & in diuino ac spirituali officio numquam est segnis, sed assiduè glorificat Dominum. Beatus qui in cellâ suâ in Domino, tamquam angelus cælestis, castas retinet cogitationes, suoque ore collaudat eum, qui omnium spirituum potestatem habet.* Hæc Ephrem.

Ephræm Tract. de beatit.

Sed quænam virtutes hisce sex alis, siue habitus nostri partibus nobis commendantur? Sanctus Bonauentura: *Fidelis,* inquit, *fide & charitate praditi, prima ala est confessio. Secunda, satisfactio; Tertia, carnis munditia; Quarta, puritas mentis; Quinta dilectio proximi; Sexta, dilectio Dei.* Honorius verò Augustodunensis ad Monachos respiciens, ità explicat: *Per cucullas,* inquit, *sex alæ Seraphim exprimuntur, quia Angeli Deo proximi describuntur Duæ partes capitis, quibus caput velant, sunt duæ alæ quæ fidem & spem insinuant. Duæ autem manicæ sunt, duæ alæ quibus volant, quæ geminam dilectionem prænotant, duæ verò partes Cucullæ in ante & retro, duæ alæ sunt, quibus corpus protegunt, quæ pœnitentiam & operationem exprimunt, hos si laudando Deum imitabuntur, eis in gaudio associabuntur.* Hæc ille.

Quæ terræ commenda te virtutes. Bonauent. Opuscul. to. 2. in l. de sex alis. Libr. Gem. animæ cap. 217.

Quia verò superiùs diximus Cucullam nostram similem esse antiquis casulis, siue planetis Sacerdotalibus, ex ijs licebit mysticam interpretationem venari. Cucullà autem, sicut & Casula, quia omnibus indumentis superponitur, eaque sua amplitudine tegit ac seruat, Charitatem designat, quæ cunctis virtutibus supereminet, & earum decorem suo tutamine protegit, & illustrat: *Nec enim vllus iam erit virtutum splendor, si non eas charitatis irradiauerit fulgor.* Ita Beda in Collectaneis, Alcuinus, Rabanus, & alij. Casula deinde (idem iudicium esto de Cucullà) Germano Constantinopolitano, notat chlamydem coccineam, quam Iesu illudentes gestandam impij dederunt. In huius verò rei signum scribit Palladius in Lausiaca, Monachos Tabennenses sub Pachomio Abbate *Cucullas* habuisse *crucis purpureæ figurâ* notatas. S. Dorotheus verò ait, purpureum hoc signum colobijs infixum fuisse, cuius mysterium egregiè explicat: *Quid tandem sibi vult, inquit, signum hoc purpureum? Quicumque enim Regi militant, purpuram gestant in chlamyde illâ suâ militari. Quandoquidem enim Rex gestat vestem purpuream; quicumque sub eo militant purpuram apponunt sagis, hoc est, signa quædam ex regio indumento, vt per hoc innuant, atque om-*

Casula designat charitatem. Cap. de. 7. Ordinib. Germanus in Theor. sacra. *Item chlamydem coccineam Christi.* Histor. Lausiac. cap. 39. Doroth. Serm. 2. de Obedient. *Signum purpureum colobijs infixum.*

A *nibus palam faciant, sese regios esse milites, & Regi commilitare. Ità & nos signum purpuræ assumimus in Colobium, innuentes, nos in Christi militiam adscitos esse, ac proinde debere easdem pro eo afflictiones, & incommoda æquo animo perferre, quæ pertulit ille pro nobis. Cùm enim Dominus noster Iesus passus est, purpuream vestem portauit: Primùm quidem, vt Rex, ipse enim est Rex omnium regnantium, & dominantium Dominus. Secundò autem, vt delusus ab impijs, & profanis. Nos igitur habentes hoc signum, nempe colobium, omnes afflictiones eius, & incommo-* B *da perferre, (vt dixi) iubemur. Et quemadmodum miles haudquaquam dimissâ militiâ suâ, agricola fit, aut mercator: Sic enim militiâ suâ excideret. Nam (vt ait Paulus) Nemo militans implicat se negotijs huius vitæ, nisi vt Imperatori suo placeat: Ita, & nos, si veri certatores & Christi milites esse velimus, ad hoc totis viribus incumbamus, vt mundum hunc, & quæ sunt mundi contemnamus; nullaque sæculi huius cura, & sollicitudine tangamur. Sed soli Deo placere, adhærere & seruire studeamus, vt sit quod dicitur, Virgo assidens & immobilis, ac sine vllâ distractione.* C Hæc Dorotheus.

VESTIARIVM. *Signum militiæ Christianæ. Quam deferere non licet.*

DISQVISITIO V.

Cuius rei scapulare symbolum?

I. VEtustioris æui *Scapularia* crucem formâ suâ exprimebant, vt ex S. Ephrem constat, qui ait, *dæmonem conspecto crucis signo, quo puer amictus erat, non fuisse ausum ei nocere: nam cum Analabo adduxerat eum vir ille.* Et S Dorotheus: *habemus Analabum, id est, scapulare ab humeris pendens, quod est crux.* D Quare scapularis mysterium ita exponit: *Analabus in modum crucis ponitur super humeros nostros.* Significat enim symbolum crucis, quam *nostris* humeris iugiter gestare debemus; iuxta id quod dicitur: *Tolle crucem tuam & sequere me. Quæ quidem, non nisi per fidem in Christum rectè à nobis geritur. Fides enim (vt à maioribus ac senioribus nostris accepimus) ea comprimit semper, & amouet, quæ poterunt esse impedimento; & liberam nobis reddit, ac facilem operandi viam, quæ nos ad perfectam hanc, de quâ agitur, mortificationem deducit.* Hæc ille. Qui ideo fortassè fidem E mortificationi coniungit, quod in Græcorum Euchologio cùm frater magnum & angelicum suscipit habitum, sacerdos super eum orans dicat: *Et pro scapulari, cruce & fide adornatus procedat.* Ibidem quoque dicitur: *Frater noster N. accipit scapulare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, assumens crucem suam in humeros, sequens Dominum Christum.* Hæc porrò interpretatio optimè respondet Carthusianorum scapulari, quod vittis illis, quibus anterior pars posteriori coniungitur, crucis formam repræsentat.

Scapulare symbolum crucis. Ephræm to. 3. de B. Iulian. Monach. S. Doroth. serm. 1. *Quæ ingiter à Monachis ferenda.*

Sed

VESTIARIVM.

II. *Scapulare designat iugum Obedientiæ.* Ioannes l. de Instit. ptim mon. c. 19.

Sed transeamus ad aliam huius vestis significationem. Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus XLIV. scapulare cum veteris legis superhumerali componit: Erat autem *superhumerale vestis sine manicis, vsque ad renes descendens, in vtroque latere aperta, brachijs etiam ea nudatis, cuius posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. Noua autem legis tempore huic vesti in aperturâ colli iunctum fuit caputium, tenens caput & scapulas.* Hac veste denotari ait: Monachum debere semper iugum obedientiæ super se humiliter ferre, & superiori suo irrefragabiliter subia- B cere, Apostolo Paulo ita prædicante: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis. Nam si eis non obediretis, Christum, qui eas posuit super capita vestra, sperneretis. In eo autem quòd hac veste, brachia & latera corporis nudantur, vt expeditiora reddantur ad opus, significatur: quod monachus eam gestans, debet esse semper promptus ad exercendum Dei opus* Sic ille. Noster quoque Alcuinus *Superhumerale*, Obedientiam mandatorum Dei significare asserit, nimirum vt meminerimus, præcepta Dei strenuè, quasi onus humeris impositum debere portare. Affinis, vel potiùs eadem C est explicatio Venerabilis Bedæ, & Philonis Iudæi: quoniam enim in humeris onera portantur, & per humerum operatio significatur. Quid per superhumerale, nisi labores bonorum operum quæ iugiter coram Domino ferri debent, ostenduntur? Superhumerale ergo illud Euangelicum onus accipiamus, de quo Dominus, ait, *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Significationem hanc apertè satis iuuuunt Carmelitæ, qui dum Nouitius induitur, clarâ voce hæc verba pronuntiant: *Tolle iugum Christi suaue, & onus eius leue.*

Hebr. 13. — Alcuin l. de diuin. offic. c. de vestib. — *Conuenit id cum superhumerali.* — Cap. 4. — Philo l. 3. de vita Moys. — Matth. 11.

III. *Scapulare est symbolū patientiæ.* Casin. ad c. 55. n. 6.

TERTIÒ, scapulare patientiæ symbolum est, nam hoc nomine in Constitutionibus Cassinensibus & Carmeliticis appellatur. Hæc autem virtus, vt cuiuis Christiano, sic Monacho cum primis necessaria est, atque vt scapulare ante & retro munit corpus; ita vndique patientiam Monachos tegere oportet, vt impleant illud: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. Nam ita suo alimento,* ait Climacus, *vt patientiâ operarius indiget. Et si patientiæ quæsieris baculum, citò desistent canes impudicè agere.* Quàm verò commen- E datam Monachis voluerit S. P. BENEDICTVS patientiæ virtutem, satis insinuat, cùm in ipso Regulæ vestibulo ait, Monachos in doctrinâ Christi vsque ad mortem in monasterio perseuerantes, *passionibus eius per patientiam participare, vt regni eius mereantur esse consortes.* Et quid aliud voluit, cùm nouiter ad conuersionem venientem, non ante admittendum statuit, *quàm illatas iniurias & difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & per-* A *sistere petitioni suæ*, vt sic probetur in omni patientiâ? Neque hoc satis, sed curiosè omnino super eum intendi iubet: *si paratus sit ad opprobria.* Quinimo vnicuique præscribit, *vt in obedientiâ duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacitâ conscientiâ patientiam amplectatur: & sustinens non lassescat vel discedat.* Quare Patientiam non malè Climacus descripsit, *vt sit vexationis quotidie exspectata definitio.* Scapularis porrò longitudine, quæ ad talos iam vbique ferè vsque descendit, perfectionem patientiæ, siue virtutem longanimitatis desi- B gnari arbitror; hæc enim virtus tædium & tristitiam, quæ ex continuâ eâque diuturnâ malorum perpessione oritur, moderari solet.

Luc. 21. — Clim. grad. 27. — In Prolog. Regulæ. *Commēdat hanc S. Benedictus.* — Cap. 58. reg. — Cap. 7. grad. 4. — Loco cit. Clim. vbi suprà.

IV. *Est symbolum diuinæ præsentiæ.* Leo in typo vest. relig. ratio. 1. sect. 9.

QVARTÒ. Leo à S. Ioanne ait scapulare diuinæ præsentiæ monumentum posse nuncupari, si nimirum in quatuor eius angulis, ante & retro ad pedes tendentibus concipiamus, comprehendamusque cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Sed hanc virtutem meliùs fortasse repræsenta- C ret Cucullæ, aut Tunicæ circularis ambitus. Quidquid tamen sit, ex S. BENEDICTI præcepto meminerimus id omni loco Deum nos respicere, quod pluribus primo gradu humilitatis, & cap. 19. inculcat, vt sciamus *qualiter oporteat nos in conspectu diuinitatis, & Angelorum eius esse.*

Instrum. 49 — Cap. 19.

DISQVISITIO VI.

Quæ Tunicæ mystica explicatio?

Duplex Monachorū tunica. — Prouerb. 31. 21.

D SVB cucullâ & scapulari Tunicam gestamus, eamque cum omnibus ferè Religiosis duplicem. Mater namque nostra Religio *non timet domui suæ à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Quamuis S. BENEDICTVS singulis tantùm assignauerit cucullam, & tunicam; postquam tamen nec quibusuis locis, nec omni tempore nostri cucullæ vsum receperunt, sed tantùm restrictum ad certa loca & tempora; geminâ opus habuerunt tunicâ, prout etiam Carthusiani, præter scapulare (quod illi cucullam vocant) binas gestant tunicas, quarum mysterium ita Dorlandus exponit. Christus Dominus duas legitur tunicas habuisse, vnam ad carnem, quæ erat inconsutilis, integraque permansit, quâ exprimitur amor Dei occultus in corde: qui partiri nō debet, quia iubemur eum ex toto diligere: noli homo partiri cor tuū, hanc enim scissuram Dominus odit. Totum vult possidere aut totum respuit. Alteram tunicā gestabat exteriùs, quam in passione scindi voluit, quâ exprimitur amor proximi, qui hinc inde diuiditur cùm dicit: *Omni petenti te, tribue.*

Dorl. serm. myst. de signif. myst. hab. Carthus. — *Interior denotat Dei amorem.* — *Exterior, amorem proximi.* — Luc. 6.

hoc. Hic amor solicitus est, & turbatur erga plurima. Bonus quidem est, sed diuisus est. Has duas tunicas fratres, hoc est, hunc geminum amorem induamus, quia hæ sunt vestes nuptiales ad gloriam sponsi, quas qui non habuerit, cum summo dedecore ad supplicia pertrahetur æterna. Hæc ille.

Lib. 1. Gem. animæ, cap. 237. Honorius Augustodunensis asserit Monachorum tunicam formari ad instar dalmaticæ: *Hac verò,* ait, *à Domini inconsutuli tunicâ, & Apostolorum colobio est mutuata. Colobium autem erat cucullata vestis sine manicis, sicut adhuc vidimus in Monachorum cucullis, vel nautarum tunicis. Hæc vestis formam crucis præfert, quia Monachi se vitijs & concupiscentijs crucifigunt.* Similiter Germanus Constantinopolitanus significari putat quod ait Apostolus: *Crucifixus est mihi mundus, & ego mundo.* Monemur ergo mortificationem Crucis Iesu Christi iugiter in corpore nostro ad illius honorem portare. Si quæras quomodo hoc fiat, audi Pynusium Abbatem apud Cassianum id explicantem: *Eo habitu ac figura, quâ pro nobis in patibulo fuit ille* (Christus) *suspensus, nos quoque necesse est in hac vitâ degere, vt scilicet secundum Dauid, affligentes de timore Domini carnes nostras, vniuersas voluntates ac desideria, non nostræ concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicentis: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Crux nostra timor Domini est: sicut ergo crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi, vel conuertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras ac desideria, non secundum id quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is, qui patibulo crucis affigitur, non tam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitud: nec curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentiâ permouetur, nullâ superbiâ, nullâ contentione, nullâ æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, seque cùm adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos.* Hactenus Cassianus.

Cap. 11. — Tunica respondet Dalmaticæ, & Colobio. — Germ. in Theoria rerum eccles. — Galat. 6. Quibus innuitur mortificatio crucis. — Cassian. l. 4. c. 34. — Psal. 118. — Matth. 10. — Id. cap. 35. Quæ sit timor Domini.

Tunica longitudo designat perseuerantiam. Quod autè tunica nostra ad pedes vsque descendat, quid aliud, quàm virtutem indicat perseuerantiæ, quæ Monachis maximè necessaria? *Incassum quippe,* ait Gregorius, *bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia & frustra velociter currit, qui prius quàm ad metas veniat, deficit. Hinc Ioseph qui inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim protensa tunica talum corporis operit cùm bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ nos terminum tegit.* Cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse paucorum: solus enim *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Optimè proinde monet auctor sermonum ad fratres in eremo, apud Augustinum. *O fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidio sit retinere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, colorat bonum propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum: hæc est tunica talaris S. Ioseph, vsque ac finem contingens: hæc est tunica sacerdotalis, vsque ad pedes perueniens: hæc est cauda hostiæ, quã tenemur reddere Deo & offerre: hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus obseruare: hæc est virtus, quæ Deum ligat, hæc est quæ omne bonum informat.*

Greg. lib. 1. Moral. c. 10. — Vestiarium. — Matth. 10. — Serm. 8 ad fratres in eremo. Eiusdem inconstum.

DISQVISITIO VII.

Quid Cingulum, siue Zona significet?

I. Cingulum est symbolũ castitatis. Tvnicam ne defluat, gressũmque impediat, zonâ stringimus. Quod Patres plerumq; ad castitatis custodiam referunt: *Lumbos enim,* ait Gregorius, *præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Atq; hoc vult esse quod Christus Dominus monuit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Sic etiam Paulus monet: *Estote succincti lumbos vestros in veritate.* Ioannes verò Patriarcha Hierosolymitanus eandem explicationem prosequitur: *Lumborum,* inquit, *accinctio, & ambitus Zonæ pelliceæ significat, Monachum debere mortificationem illorum membrorum circumferre, in quibus luxuriæ seminaria continentur. Vt ita, videlicet, sint lumbi eius Zonâ pellis emortuæ exterius præcincti, quatenus interius inuenia ntur seminaria coitus in eo prorsus extincta: & decantet dignè cum Prophetâ: factus sum sicut vter in pruinâ; quia, scilicet, præditus gelu continentiæ ita stringo in lumbis conscientia concupiscentiæ carnalis ardorem, sicut pruina congelando perstringit vtrem.* Audi quoq; S. Dorotheũ: *Ecce zonam habemus circum lumbos pelliceam, quod irrationalis appetitus & concupiscentia mortificationem significat. Gestatur autem circa lumbos & renes. Ibi nimirum nerui sunt quidam, in quibus vis illa animæ nostræ sita esse dicitur, quæ concupiscibilis nuncupatur: & hoc est quod dicit Apostolus: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem & immunditiam,* & cetera quæ sequuntur.

Greg. hom. 13. in Euãg. — Luc. 12. — Ephes. 6. — Ioan. ad Caprasl. mon. c. 37. — In lumbis regnat libido. — Psal. 118. — Doroth. serm. 1. — Coloss. 3.

II. Celeritatis in bono opere. Secvndò, Zona S. Hilario est efficax in omne bonum apparatus, vt ad omne ministerium Christi promptæ voluntatis cingulo simus accincti: præcincti enim expeditiores

VESTIARIVM. Reg. fus. disp. interrog. 32. tinres sunt ad opus, firmiores & constantiores Idipsum S. Basilius insinuat: *Videmus*, inquir, *à Domino præcipi Iob, se vt præcingat. Perinde enim quasi hoc animi strenui, & ad rem gerendam expediti signum sit, sic eum alloquitur: Accinge, inquiens, sicut vir lumbos tuos. Omnes* Theoph in c. 3. Matth. *sancti*, inquit Theophylactus, *in scripturâ introducuntur cincti, veluti semper in opere existentes.*

III. Cingulum est symbolum mortificationis. Doroth. suprà. TERTIÒ. Zona S. Dorotheo significat mortificationem. *Quemadmodum*, inquit, *ex pelle mortuâ zona conficitur, ita & nos voluntates nostras omnes, omnesq; delitias & illecebras ac desideria carnis mortificemus.* Vnde in Euchologio Græcorum ita oratur: *Vt frater indutus monastico schemate, pro zonâ mortificationem corporis & temperantiam in seipso circumferat.* Et in ordine parui schematis legitur: *Frater noster lumbos cingitur virtute veritatis in mortificationem corporis, & renouationem spiritus.*

IV. Fortitudinis. Lib. 5. in Leuit. Iob. 38. Prouerb 31. 17. Homil 12. in Epist. ad Ephes. QVARTÒ. Hesychius per zonam *fortitudinem* intelligit. Vnde Deus Iob sublevans passionibus ac periculis oppressum dicebat: *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Et de muliere forti Salomon ait: *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Et Chrysostomus ait, lumbos in nobis esse totius corporis subiectum, quemadmodum in nauibus carina: suntque superiorum & inferiorum corporis partium fundamẽtum. *Hinc est quod laborantes plerumque manus suas illuc, tanquam in fundamentum quoddam immittẽtes, hoc pacto se ipsos confortant. Et baltheus huius gratia in bellis habetur, & fundamentum corporis nostri tuetur ac munit. Hoc, igitur*, inquit, *etiam in animo fiat, & robusti erimus ad omnia, quidquid fecerimus.* Hæc Chrysostomus.

V. Fidelitatis. Corn. in c. 6 epist. ad Ephes. QVINTÒ. Cingulum fidelitatis symbolum est, hinc coniuges cingulo cinguntur, vt significent amorem & fidem, quâ alteri coniugi sunt obstricti & deuincti. Et sponsi suis sponsis donare solent cingulum, vel fasciam pectoralem byssinam, vt per illam sponsæ semper admoneantur fidei coniugalis, atque puritatis cordis. Pari modo milites cingulum militare accipiunt, vt eo admoneantur sacramenti militaris, & fidelitatis, quam suo duci iurarunt. Vnde baltheus militiæ huius & fidelitatis erat symbolum, & milites cùm exauctorabantur, baltheum deponebant, vel etiam eo priuabantur, si infideliter vel ignauè in bello se gessissent. Sic Milites ignaui discincti. Plutarc. in Lucull. Lucullus, teste Plutarcho, ignominiã quandam desertoribus vsurpatam infligens, iussit ipsos tunicis discinctis fossam pedum duodecim fodere, adstantibus atque spe- Sueton. in Aug. c. 24. ctantibus alijs militibus. Cęsar item Augustus, *pro delictorum genere varijs ignominijs milites affecit, vt stare per totum diem iuberet ante prætorium, interdum tunicatos, discinctosque.* Liu. l. 27. Liuius de Marcello: *Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, distri-*

A *ctis gladijs, discinctos destituit.*

VI. Incarnationis filij Dei. SEXTÒ. Referre potest Cingulum incarnationem filij Dei, qui tunicam carnis nostræ assumpsit, atque eam & in eâ nos omnes arctissimè sibi & inseparabiliter copulauit baltheo vnionis hypostaticæ. Ita enim allegoricè exponitur illud Ieremiæ: Ieremi. cap. 13. 11. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus: vt essent mihi in populum, & in nomen & in laudem, & in gloriam.*

VII. Iustitiæ & fidei. Isai. 11. In prolog. Reg. SEPTIMÒ. Quemadmodum de Christo B Isaias ait: *Erit Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorum renum eius*, ita elegantissimè (vt obseruauit Smaragdus) B. P. BENEDICTVS duplex Monachorum posuit cingulum: dicens: *Succinctis ergo fide, vel obseruantiâ bonorum actuum lumbis nostris. Cognouit autem quia fides sine operibus mortua est, & opera sine fide vacua. Et ideo non simplum sed ex vtroque textum Monachorum voluit esse cingulum. Atq; vt Isaias fidem sic & iste posuit fidem. Vt ille iustitiam, & iste bonorum actuum obseruantiam. Omnis autem bonorum actuum obseruantia non* C *incongruè vocatur iustitia sicut scriptum est: Iuste quod iustum est exequeris. Fide enim lumbos mentis nostræ succingimus, si de sanctâ Trinitate rectè sentimus, & eam fideliter credimus. Bonorum actuum obseruantiâ lumbos succingimus, si nos in bonis operibus seduli exerceamus.* Ita Smaragdus.

DISQVISITIO VIII.

Quid Tibialia, & Calcei, (Caligæ & Pedules vulgò) significent?

D

Tibialia significant Gratiam Dei cognitionem. Durland. in signif. myst. vest. Cathusian. CAligas, quas Tibiarum munimenta putauit, mysticè exponit Petrus Dorlandus, esse gratię Dei cognitionem, & pro eadem gratitudinem: Tibijs, inquit, & cruribus, totam corporis fabricam & sustentamus & promouemus, quibus patientiæ & fortitudinis robur exprimitur, sine quibus interior noster homo nec stare nec procedere potest. Sed necesse est has tibias, & crura hæc caligis circumponi: alioquin patebunt despectui, & dicetur tibi: Isaiæ 47. *Reuela crura, & transi flumina, meretrix obliuioni tra-* E *dita.* Orna igitur tibias & crura tua, hoc est Et grati animi affectum. patientiam & fortitudinẽ tuam gratiæ Dei cognitione ac gratitudinẽ: aut certè hę virtutes tuę despicientur à Deo, sine quo nihil præuales in aduersis, nihil potes in arduis. *Vt sapienter bona loquamur* (ait Augustinus) *ab illo est nostra sapientia: vt fortiter aduersa toleremus, ab illo est nostra patientia.* Cognitione igitur ac gratitudine diuinæ gratiæ crura nostra tibiasqoe vestimus, dum nobismet ipsis nostrã patientiam ac robur animi tribuere nefas ducimus. Ille nempe nostro vi-

tes

res dat pulueri, qui nos suscitauit ex puluete. Alioquin certè ad minimum zabuli flatum, omnis vis nostra continuò solueretur. Hactenus Dorlandus.

Sed à Caligis ad Calceos progrediamur. Hos autem nobis suggerit S. Paulus, cùm Christianos milites armans, iubet vt sint *calceati pedes in praeparatione Euangelij pacis*. Et Monachus magno & Angelico habitu indutus in Graecorum Euchologio dicitur *calceamentis vti, vt procedat in viâ pacis & salutis. Et frater noster N. subinduitur calceamentis in praeparationem Euangelij pacis.* Sed quaenam haec praeparatio Euangelij pacis, quâ pedes muniendi? Respondet Cornelius, est alacris promptitudo, & prompta alacritas animi partim ad ambulandum viam Euangelij pacis, partim ad eam annuntiandam, quâ per infensissimos hostium cuneos fortiter pergamus, & penetremus in coelum. Plebs enim Christiana hac promptitudine calceata esse debet, vt per viam Euangelij inoffenso pede ambulet, suaque sanctâ vitâ & conuersatione alios ad eandem viam ineundam alliciat; itaque fidem & Euangelium propaget & promoueat.

Ephes. 6. 15

I. Calcei symbolum alacritatis in Dei mandatis implendis.

Cornel. in c. 6 Epist. ad Ephes.

SECVNDÒ, Calcei, qui ex mortuorū pellibus, & corio fiunt, mortem, S. Hilario interprete, significant. Mortis proinde memoriam & mortalitatis refricant. Hinc S. Dionysius Areopagita docet Angelos pingi discalceatos, eò quòd sint immortales, liberi & puri, sine affectu, labe, commistione. Memoria ergo mortis quasi calceus facit hominem expeditum, vt concupiscentijs & diabolo resistat, vt illecebras praesentis vitae, vtpote breues & caducas contemnat, fortiterque dimicet pro vitâ immortali adipiscendâ.

II. Memoria mortis.

Hilar. super 4 Matth. can. 10.

Diony. l. de coelest. Hierarch. c. 15.

TERTIÒ, ob eandem causam Calcei mortificationem designant. *Calceamenta*, inquit, Cassiodorus *ex mortuis fiunt animalibus. In calceamentis itaque sunt pedes eius spulchri, quando carne iam perdomitâ, vtitur vt soleâ vel sandalio, eaque spiritui iam non est oneri, sed ornamento, non pro vinculo sed pro supplantari: vel quando affectiones (hae quoque pedes sunt) constringit praeceptis Euangelicis, & sanctorum Patrū, exemplis quibus & à luto & à saxis, & spinis defenditur: à luto carnalium, à saxis scādalorum, à spinis tribulationum, & per haec omnia (vt ait Gregorius) confidenter calceata graditur.* Quo sensu Gregorius Nyssenus ait Calceamenta typum esse vitae durae & asperae, quā habere debeant exeuntes de Aegypto, ne à Spinis vitiorū laedantur. Quid autem Aegyptus, nisi saeculum, & exeuntes de illo, nisi Religiosi abnegantes impietatem & saecularia desideria? his autem quid magis proprium, quàm mortificationem crucis pro Dei gloriâ in suo corpore iugiter circumferre: vt verè dicere possint: *Propter te mortificamur totâ die.*

III. Mortificationis.

Cassiod. in c. 7. Cant.

Patiēdo dura & aspera Nyss. de vit. Moys.

Psal. 41.

VESTIARIUM.

QVARTÒ. Vt S. Anselmus interpretatur, *Calceamenta, quae fiunt ex corijs mortuorum animalium, significant exempla Patrum iam defunctorum, quibus ab omni terrenâ laesione defenduntur pedes nostrae mentis, id est, affectiones, quibus tanquam pedibus ad faciendum aliquid promouemur. Laeditur enim pes praedicatoris à terrâ, si affectus eius terrenum commodum ex praedicatione appetit, id est, si propter terrenum commodum non propter regnum coelorum praedicat Euangelium. Et ideo praedictis calceamentis pedes nostri, id est, exemplis patrum muniantur: vt sicut patres studio superna intentionis, non appetitu terrena commoditatis praedicauerunt Euangelium, sic & nos faciamus.* Haec Anselmus. Cui consentit Rupertus, lib. 2. in Exodum.

IV. Calcei designant exempla sanctorum Patrum.

Ansel in c. 6. Ephes.

Cap. 13.

QVINTÒ. Calcei significant libertatem, serui enim, (vt Cornelius obseruat) sicuti & captiui incedebant nudis pedibus. Hinc nudi pedes signum sunt captiuitatis & seruitutis. Ita Isaias ambulauit nudus & discalceatus per triduum, vel vt alij, per triennium, vt portenderet captiuitatem Aegyptijs & Aethiopibus imminentem ab Assyrio Sennacherib, quâ nudis pedibus ducēdi erant captiui in Assyriam. Contrà, Hebraeis seruitute Aegyptiacâ egressuris dicitur. *Calceamenta habebitis in pedibus*, id est, non iam nudis pedibus incedite, sicut huc vsque more mancipiorum fecistis, sed calceati instar ingenuorum & liberorum. Benè ergo Religiosi calceos gerunt, vt de seruitute Aegyptiacâ, potestate, inquam, diaboli, & saeculo hoc nequam liberati, ostendant se in libertatem filiorum Dei assertos, quâ libertate liberauit nos Christus Iesus.

V. Libertatem. Cornel in c. 6. Epist. ad Ephes.

Isaiae 20.

Serui nudis pedibus. Exod. 12.

SEXTÒ. Repraesentant Calceamenta Incarnationē filij Dei. Per calceamenta quippè, vt ait Rupertus, cùm sint ex corijs mortuorum animalium, *significatur humanitas filij hominis Iesu Christi, in quâ erat mortalis & passibilis. Vnde est illud: In Idumaeam extendam calceamentum meum, id est, notum faciam gentibus incarnationis meae sacramentum. Incarnatus enim Dominus* (vt idem alibi ait) *quasi calceatus apparuit: quia in diuinitate suâ, morticinia nostrae corruptionis assumpsit. Gemit verò Ioannes profitens quòd calceamenta eius portare, vel corrigiam eius soluere indignus sit, id est, mysterium incarnationis Christi, gloriamque resurrectionis annuntiare.* Sciebat namque, quia priusquam Christus illa per passionem calceamenta deponeret, fuisse electis per totum mundum portanda imponeret, se in angustijs Iudaeae consummandum.

VI. Incarnatio Christi per calceos denotatur.

Rupert. l. 2. in cap 3. Matth.

Psal. 170.

Lib. 1. in Ioann.

SEPTIMÒ. Vult Ambrosius, vt, quemadmodū Christus in calceamēto carnis mortalis absconditā gerebat diuinitatē, ita anima nostra corpore velut calceamento vtatur, *vt quò velit, suū possit sine impedimēto vllo circumferre vestigium. In hoc calceamento speciosè processit Maria,*

VII. Pudicitiae & castitatis virtutis.

Ambr. l. de instit. virg. cap. 14.

VESTIARIVM.

Maria, quæ sine vllâ commixtione corporea consuetudinis Auctorem salutis virgo generauit. Idemque Antistes alibi per calceos pudicitiam & castitatem, quâ ad imitationem virginis matris Religiosum oportet exornari, intelligit *Calceat se*, inquit, *anima, carnis ecclesiastica gratia, vt cursum vitæ huius & transitum cum decore prætereat. Quod fit, si calceamentum suum non inquinet luto corporali, nec in vitiorum mergat voragine: si castiget carnem suam ne moretur ad cursum, aruinæ pinguis pondere prægrauetur. Bonum calceamentum animæ pudicitia est, bonus gressus, vestigiũ est castitatis. Vtamur ergo corpore tanquam calceamento, ad inferioris opera virtutis; ad ministerium non ad præcipitium: ad obsequium, non ad delectationem: ad obedientiam, non ad dissensionem: & in viâ sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat.* Hæc Ambrosius, quibus sufficienter explicata sunt mystica animæ calceamenta, & Religiosorum vestes vniuersæ.

Idem serm. 10. in ps. 118.

Parænesis ad Religiosos.

Superest Religiosos admoneam, summo vt studio adnitantur, vt quod habitu præferunt, moribus ac vitâ exprimant. *Nos*, (inquit auctor sermonum ad fratres in eremo) *qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, & nomen Religionis habemus, nigram vestem humilitatis portamus, zonis etiam præcincti apparemus: caueamus ne similes simus sepulchris dealbatis, quæ foris pulchra & dealbata apparent, sed intus plena sunt fætore ossibus mortuorum.* In hos enim torqueri potest illud Diogenis, qui cuidam sibi placenti, quod leonis exuuio tectus ingrederetur: *Non tu desines*, inquit, *virtutis stragula pudefacere?* Indecorum nimirum censuit, quod homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret. Ita planè immeritò de cucullâ monasticâ gloriatur, qui nihil minùs quàm religionis officia explet. Et, *an non* (vt Cantuariensis Præsul S. Elphegus ait) *mendacij tibi plenus videtur, qui quod non est, esse se ostendat, dum aliud simulat in veste, aliud gestat in corde? satius enim est, vitam non mutare, quàm sub veste vitam negligere.* Vt itaque cum S. Dorotheo concludam, *vitam nostram, fratres, iuxta vestimentorum typum & formam componamus, ne veluti personati figuram alienam circumferamus.*

Serm. 28. ad fratr. in eremo.

Laërt. li. 6. cap. 2. *No de veste solâ sibi applaudant.*

Osbernus in vitâ apud Suriũ. 19. April.

Doroth. serm. 1.

S I T

NOMEN DOMINI

BENEDICTVM

EX HOC

NVNC, ET VSQVE IN

SÆCVLVM.



MONA-